K. 1663

ANNALES
ECCLESIASTICI
AB ANNO MCXCVIII.
UBI DESINIT
CARDINALIS BARONIUS,
AUCTORE
ODORICO
RAYNALDO
CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERO.

Accedunt in hac Editione

NOTÆ CHRONOLOGICÆ, CRITICÆ, HISTORICÆ,
QUIBUS RAYNALDI ANNALES ILLUSTRANTUR, SUPPLENTUR, EMENDANTUR,
AUCTORE
JOANNE DOMINICO MANSI
LUCENSI
CONGREGATIONIS MATRIS DEI.

Tomus Quartus.

LUCÆ
Typis LEONARDI VENTURINI MDCCXLIX.
De Superiorum Licentia.

ANNALES ECCLESIASTICI.

JESU CHRISTI ANNUS 1286. | HONORII IV. PAP. ANNUS 2. | RODULPHI ROM. REG. 14. ANDRONICI IMP. ORIEN. 3.

I. Rodulphus ad imperiale insigne accipiendum excitus ab Honorio.

OLVEBATUR Christianæ salutis annus millesimus ducentesimus octuagesimus sextus, indictione quartadecima, cum Honorius, a quo Rodulphus, ut anno superiori vidimus, Imperii coronam flagitarat, justis ejus votis morem gerere decrevit; quæ apostolicis literis illustranda sunt, quibus Pontifex, ubi nonnullis verbis de Sacerdotii & Imperii mutua conjunctione præluſit, ad excipienda ornamenta imperialia in basilica S. Petri diem purificationi B. Virginis sacrum præfixit (a), ac si nova aliqua difficultas emergeret, consilio Joannis Tusculani episcopi Cardinalis componendam: hortatus vero est Rodulphum, ut qua par erat pompa & apparatu ad celebritatis augendam majestatem se compararet.

(a) Hon. l. 2. ep. 54.

Honorius &c. charissimo in Christo filio Rodulpho Regi Romanorum illustri.

* Henrico

Nuper venerabili fratre nostro H. Maguntinensi archiepiscopo, tunc episcopo Basilicnsi, propter hoc a tua magnificentia destinato in nostra & fratrum nostrorum præsentia tuo nomine cum instantia postulante, ad unctionem, consecrationem, & imperialis diadematis coronationem de nostris recipiendas manibus tibi terminum assignari; nos cum eisdem fratribus diligenti collatione præhabita, & iis quæ circa hæc attendenda putavimus, perpensa deliberatione discussis, excellentiæ regiæ ad petitas unctionem, consecrationem, & coronationem imperialis diadematis in basilica principis Apostolorum de Urbe recipiendas a nobis, Domino favente sermoni, festum purificationis B. Virginis primo venturum de ipsorum fratrum consilio assignamus.* [1]

Missus a Rodulpho ad Honor. Basilien. ep. pro flagitanda imperiali unctione.

II. Festus dies purificationis Virginis ad perficiendam celebritatem constitutus.

Quod si forsan interim, quod absit, aliqua difficultas emergeret, quæ tuum ad præmissa in dicto termino impediret adventum, quodcumque aliud ad hoc tempus duxeris eligendum, de consilio venerabilis fratris nostri Joannis episcopi Tusculani (quem probatæ utique discretionis virum, scientia præditum, & virtute; ut tibi ab invio præcavens, tuos ponat gressus in via, teque in tuis opportunitatibus consilio dirigat, & auxilio fulciat efficaci; ad tuæ petitionis instantiam legatum in Alemannia, ac quibusdam aliis partibus duximus deputandum) id nobis adeo matu-

NOTÆ [1] AD hunc annum referunt Conciliorum Collectores Concilium a Bonifacio Ravennatensi Archiepiscopo & suffraganeis celebratum; sed cum illud Ravennatense inscripserint, suspicari merito posset Ravennæ habitum fuisse. Id vero si quis reputaverit, erroris argueretur ex authoritate IV. Concilii Ravennatensis a Raynaldo archiepiscopo habito Bononiæ anno 1317. In præfatione enim ejus Concilii perlectæ asseruntur constitutiones editæ per fratrem Bonifacium Ravennatensem archiepiscopum Forolivii in provinciali concilio. Insuper in fine actuum concilii hujus hoc anno celebrati legitur: *lectæ, & publicatæ fuerunt prædictæ constitutiones in choro superiori S. Mercurii Forolivienſis, & ordinatæ & confirmatæ sub anno Domini 1286. Indict. XIV. die octava mensis Julii.* His præcipue demonstrari arbitror concilium istud Forolivense potius quam Ravennatense appellari oportere. MANSI

re pronunciare procures, quod nos & fratres eosdem Deo actore, invenire valeas, prout exigit negocii tanti solemnitas, ad prædicta prosequenda paratos.

Pontificia ad Rodulphum adhortatio, ut Romam accedat.

Ejа ergo, princeps inclyte, age solicite: ad honoris tui consummandi solemnia sic te præparat, sic disponе, ut nequaquam transeat tam prompta exhibitio nostri paterni favoris inefficax; sed in eodem termino, vel saltem alio, quem tibi, ut præmittitur, videris opportunum, juxta magnificentiæ tuæ decentiam sic dispositus, sic paratus occurras, quod tuo voto in præmissis impleto, votiva ex eodem favore nostro commoda efficaciter, Deo auspice, consequaris. Dat. Romæ apud S. Sabinam II. *kal. junii anno* II.

III. Solicitati ad eum stipandum principes.

(a) *Ib. ep.* 35.

(b) *Reg. post eand. ep.*

(c) *Lib.* 2. *ep. cur.* 3.

(d) *Annal. Colmar. par.* 1. In Boem. Dan. Suet. Pomeran. & Polon.

Eodem argumento ad Othones duos Albertum & Conradum marchiones Brandeburgenses (*a*) Ludovicum & Henricum duces Bavariæ & comites Palatinos Rheni, Menardum ducem Charintiæ, Regem Boemiæ, ducem Saxoniæ, aliosque Alemannos & Slawos principes; tum archiepiscopos Imperii electores datæ literæ (*b*), ut ad stipandum Cæsarem, atque imperialis consecrationis ornandam pompam se accingerent: ad quos etiam Tusculanum episcopum legationis munere decoratum transmisit (*c*). De qua legatione annalium Colmariensium auctor hæc tradit (*d*): *Eodem tempore legatus a latere domini Papæ missus cum plenaria potestate Basileam venit, & dominum Basileensem electum consecravit.* Verum gessisse Joannem legati munus in finitimis etiam regnis, Boemia, Dania, Suecia, Polonia, & Pomerania, declarat pontificium regestum, dum post memoratas literas apostolicas, quibus legationis gerendæ provincia ipsi demandata est, adiicitur eadem sententia ad eorum regnorum ac provinciarum præsules scriptum (*e*). Id vero præ cæteris e munus imposuit (*f*), cum a Rodulpho flagitatus esset, ut ejus consilio in instruendo imperialis inaugurationis apparatu fulciretur.

Demandata legatio.

(e) *Reg. post ep. cur.* 3.

(f) *Ead. ep.* 13.

Venerabili fratri I. episcopo Tusculano Apostolicæ sedis legato.

IV. De imposito illi munere Honorii lit.

Subit assidue nostræ mentis arcanum plena, & anxietate non vacua consideratio illa terribilis, qua nos ad illius domus custodiam deputatos advertimus, cujus magnitudinem cum stupore Propheta miratur: O, inquiens, Israel, quam magna est domus Dei! Cumque in ejusdem considerationis examine residentes, opus æstimamus injunctum, nostrarum metimur, virium quantitatem, non sufficientes virtutum sumptus dispungimus, & merita comparamus; stupentes attendimus, quod supra vires nostras est, nobis imminere negotium, quodque soli proculdubio portare nequimus: sed supereſt nobis spes in solio auxilio divino repositæ, ad quod humiliter recurrentes devotius imploramus, ut ille, qui nobis universum mundum custodiendum credidit, illum studiose, ac utiliter custodire concedat. Subest etiam Jetro Moysi cognati consilium, illum consultius admonentis, ut ex omni plebe viros potentes & Deum timentes, in quibus sit veritas, & avaritiam oderint, eligat ipsosque constituat ad populum judicandum, ut sic impleri omnipotentis imperium, ac ipsius possint sustentari præcepta, & ad loca sua cum pace populus reducatur. Hujusmodi sane consilio & nos sedulo commonemur, ut cum simus commissæ nobis custodiæ universis Christi fidelibus debitores, & ad debitum exolvendum hujusmodi per nos ipsos circuire nequeamus singulas regiones, fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus, viris electis ex millibus, viris scientia præditis & virtute, nonnunquam regna, nonnunquam provincias aliquas decernamus, eos in illis constituendo legatos, ut ipsis partes nostræ solicitudinis prudenter exequentibus, & imminentia inibi salubriter dirigentibus in eisdem, portantibus onere partito sit levius, injunctumque nobis ministerium per nos & ipsos commodius, & utilius impleatur.

Considerantes itaque partes Alemanniæ longius jam exactis temporibus non fuisse per legatum sedis Apostolicæ, præsertim missum de latere visitatas; supplicatione insuper charissimi in Christo filii nostri Rodulphi Regis Romanorum illustris, ad hoc post multiplicatæ petitionis instantiam insistentis inducti; aliquem de ipsis fratribus, ut in dictis partibus legationis fungatur officio, & memoratum Regem ad recipiendum, ut proponit, de nostris manibus Imperii diadema, Deo actore, venturum in suis opportunitatibus consilio dirigat & auxilio fulciat, deliberavimus destinandum. Ideoque ad personam tuam, quam multis virtutibus in suæ abundantia bonitatis sic virtutum Dominus insignivit, ut sis in consilio providus, rectus in judicio, rigidus in censura, in zelo sobrius, & strenuus in agendo, deliberationis exitum dirigentes, & te ad præmissæ de ipsorum fratrum consilio deputantes, circumspectioni tuæ in dictis partibus Alemanniæ plenæ legationis officium, ut inibi evellas & destruas, dissipes & dispердas, ædifices & plantes, prout gratiæ cœlestis infusio, & tua tibi providentia ministrabit, duximus committendum.

Legati officium.

Quocirca fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus impositum tibi onus laboris hujusmodi, devote suscipiens, illud sic solicite, sic viriliter & laudabiliter exequi studeas, quod divina favente clementia tuos labores & studium desideratus commendet effectus; tu-

tuque proinde retributionis æternæ præmium, & laudis præconium merearis. Nos enim sententias, quas tuleris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, actore Domino, inviolabiliter observari. Dat. Romæ apud S. Sabinam II. *kal. junii anno* II. De hac quoque legatione Joanni Tusculano episcopo commissa, ad Joannem tit. S. Cæciliæ presbyterum Cardin. in Galliis legatum literas dedit (*a*), atque utriusque legationis limites circumscripsit, ne alter provinciam alterius invaderet. Hic porro addendum videtur de memorato Joanne Card. episc. Tusculano creato ab Honorio hæc tradi a Ptolemæo Lucensi (*b*): *Hic unam solam ordinationem fecit, in qua unum solum Cardinalem fecit, videlicet dominum Joannem Bactamanum, quem episcopum Tusculanum instituit.*

(a) *Ibid. ep. cur.* 4.

(b) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.* 24. *c.* 14.

VI. Jacobus & Constantia ab Honorio percussi anathemate.

Ut porro Honorius justa Rodulphi petita admisit, atque insignibus Imperii ipsum se redimiturum est pollicitus, ita Jacobum Petri filium tyrannidis paternæ heredem, qui Siciliæ sceptra per nefas corripuerat, anathemate defixit; (*c*) ac matrem illius Constantiam, Manfredi tyranni filiam, a Martino IV. iis, qui Siculos in rebellione adhærerent, & Regi Siciliæ Gallici generis bellum moverent inflicto, devinctos teneri pronuntiavit; recurrente cœnæ dominicæ die, intentatoque judicio, monuit (*d*), ut Siciliæ insula faceſſerent, respuentibusque imperia divinarum humanarumque pœnarum terrorem objecit.

(c) *Lib.* 2. *ep. cur.* 1.

(d) *Lib.* 1. *ep. cur.* 27.

Honorius &c. ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Pronuntiatur nihil juris obtinere in Siciliam.

Quia Constantia & Jacobus sæpedicti turbationem & rebellionem præfatas fovere, nutrire, ac etiam pro viribus augmentare non cessant, propter quod prædictas excommunicationis ipsius prædecessoris (nimirum Martini IV.) *sententias, sicut præmittitur, incurrisse noscuntur; quia etiam iidem Constantia & Jacobus, quibus nihil omnino juris competit in dictis regno Siciliæ, vel insula, seu aliqua parte ipsorum, prout præfati ejusdem prædecessoris processus manifeste declarant, & nos nihilominus decernimus, & etiam declaramus; & insulæ præfatæ incumbunt, & alias ejus partes per gentem suam turbant, impetunt, & molestant; nos eosdem Constantiam & Jacobum, ac Siculos, præsente hac multitudine copiosa fidelium, denuntiamus ex causis præmissis excommunicationis vinculo innodatos: attente monentes eosdem, ut iidem Constantia & Jacobus de præfato regno Siciliæ, vel aliqua parte ipsius se nullatenus intromittant; sed infra festum ascensionis Domini primo venturum, quod eis ad hoc pro peremptorio assignamus, de insula ipsa cum tota eorum gente penitus exeant, ad eam contra eamdem Ecclesiam vel heredes præfati regis Siciliæ nullo unquam tempore reversuri.*

Prohibentur illius administrationem capessere. Jubentur cum copiis ab insula discedere.

VII. Imperatum Siculis, ut eos pellant.

Præcipimus quoque Siculis memoratis, ut Constantiam, Jacobum, & gentem prædictos, de insula ipsa infra eundem terminum prorsus expellant, eosque ulterius inibi non admittant: alioquin contra Constantiam, Jacobum, & Siculos ipsos spiritualiter & temporaliter, & specialiter ad reddendum eosdem Siculos provisionis præfatæ constitutionis expertes, quando & prout qualitas facti suaserit, & expedire viderimus, actore Domino, procedemus, &c. Actum in Urbe ante ecclesiam S. Sabinæ in die cœnæ Domini pontificatus nostri anno I.

VIII. Jacobus in Sicilia regia insignia invadit.

Contempsit Jacobus pontificia imperia, ac Siculam coronam, quam Alfonsus major natu frater Gallico distractus bello, inque Aragonia contra Carolum Valesium, quem a Martino IV. creatum Regem vidimus, defendenda curis implicitus tueri non poterat, corripuit; (*e*) regiæque inunctionis honoribus a Cephaludensi & Neucastrensi episcopis solemni pompa affectus solium conscendit [1]. Qua de re hæc rerum Sicularum anonymus auctor tradit (*f*): *Anno ab incarnatione Domini MCCLXXXVI. in die purificationis Virginis convenientibus ex proposito majoribus, & syndicis omnium Siculorum, Jacobus filius Petri Regis Aragonum vigore testamenti genitoris sui,* iniqui nimirum confictique, *in Regem Siciliæ coronatur. Ipse paterni moris non immemor gratum se omnibus præbuit, Siculorum animos, quod potissimum est regnantibus, immensis donis variisque honoribus quasi funiculo regiæ liberalitatis allexit.* Hæc auctor Jacobi partium studiosissimus: sed ad flagitium, quod hisce verbis ornat, ulciscendum Honorius sacro ascensionis dominicæ die hac illum sententia perculit (*g*).

(e) *Surit. ind. l.* 2. *& alii.*

(f) *MS. comit. Ubal. de reb. Siculis p.* 58.

Insulanos beneficiis sibi adstringit.

(g) *Lib.* 2. *ep. cur.* 10.

Honorius &c. Ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.

De colubro regulus prodiit, & de pa-

NOTÆ [1] Præter episcopos Juannettum Cepholudensem, & Tancredum Neocastensem, quos solemnem coronationem Jacobi in regem Siciliæ peregisse notat Annalista, tertius pariter adfuit Philippus Squilacensis, ut non Fazelus tantummodo, sed qui tunc in Sicilia agebat, Bartholomæus de Neocastro affirmat Histor. Sicul. capit. CII. Rerum Italic. Tom. XIII. col. 1117. Quod autem in literis Pontificiis, hic in Annalibus recitatis, de Squilacensi mentio nulla fiat, ideo forte contigit, quod interim vel ad Ecclesiæ communionem redierit, vel forte obierit. MANSI

Lata in eum ab Honorio ſententia.

tre nequitiæ filius iniquitatis exivit ; Jacobus videlicet quondam Petri olim Regis Aragonum, perſecutoris Eccleſiæ manifeſti, filius. Et infra : *Qui noviſſime propria & Siculorum ipſorum ductus inſania, non ſine divinæ majeſtatis offenſa ac Apoſtolicæ ſedis, ac heredum claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ præjudicio, injuriæ, & contemptu coronari, vel verius execrari ſe fecit in Regem prædicti regni, ſolumque conſcendere, verecundia qualibet a ſe penitus relegata, præſumpſit ; ſeque Regem Siciliæ nominans, regio ſigillo abutitur, titulum regium exprimente, prout literarum ſuarum inſpectio, & ſigilli, quo ſignabantur, impreſſio plenius profitentur. Nos igitur ejuſdem Jacobi præſumptionem tam temerariam, & ſuperbam, ac ejus iniquitates, dolos, fraudeſque multiplices abominabiliter deteſtantes ; ac ipſum declarantes, & denuntiantes excommunicationis vinculo innodatum, de fratrum noſtrorum conſilio caſſamus & irritamus vel potius caſſum, & irritum nunciamus quidquid circa præfatum Jacobum extitit per unctionem, immo verius execrationem, & coronationem hujuſmodi, quas recipere de facto non metuit, & quas utique conſtat nullas eſſe præſumptum. Civitates præterea, caſtra, cæteraque loca, ad quæ dictum Jacobum, extra etiam inſulam Siciliæ, quæ alias ex cauſis variis eccleſiaſtico ſubjacet interdicto, devenire contiget, quamdiu ibi fuerit, eidem interdicto decernimus ſubjacere ; ita quod nec publice vel privatim miſſarum ſolemnia celebrentur ibidem, excepta miſſa, quam ſemel in ſeptimana, ſi tamdiu inibi moram contraxerit, ſubmiſſa voce clauſis januis, & excluſis generaliter omnibus, præter duos vel tres miniſtros, pro conficienda Euchariſtia, in extremæ neceſſitatis articulo infirmantibus exhibenda, benigne permittimus celebrari ; nullumque aliud officium palam celebretur ibidem, neque ſecreto etiam in communi ; nullaque in eis eccleſiaſtica ſacramenta, exceptis ſacramentis baptiſmatis & pœnitentiæ, ac etiam Euchariſtiæ exhibendæ infirmis, in extremis laborantibus, miniſtrentur, &c.* Addit graviores pœnas, quas eccleſiaſticum interdictum violaturi, vel rem divinam præſente Jacobo Siciliæ tyranno peracturi incutit : præſules proceresque a Jocobi obſequiis jubet diſcedere : judicio poſtulat Cephaludenſem & Neucaſtrenſem epiſcopos, qui ipſum regia corona cinxere ; ac recurrente feſto omnium Sanctorum die ad dicendam apud ſubſellia pontificia cauſam evocat. Denique Conſtantiam Jacobi matrem ac Siculos ob impenſa Jacobo in corripienda Sicula corona ſtudia anathematis nexibus ſe devinxiſſe pronuntiat. *Actum in Urbe in prædicta eccleſia S. Sabinæ die aſcenſionis dominicæ pontificatus noſtri anno* II.

Mulctata inſula eccleſiaſtico interdicto.

IX.

Obtrivere ii omnes (*a*) pontificia imperia : Jacobus enim non modo arreptos regios honores abiicere detrectavit, ſed ad firmandum ſolium ac tyrannidem proferendam Neapolitanum regnum bello concuſſit : nec Cephaludenſis, & Neucaſtrenſis epiſcopi, qui regia illum inunctione affecerant, ad tribunal apoſtolicum accerſiti comparuerunt. Obfirmatos itaque in pertinacia, apperente dedicationis baſilicæ Principis Apoſtolorum celebritate, Honorius intentatas contraxiſſe pœnas promulgavit, atque hiſce cenſuris defixit (*b*) : *Cum Jacobus, tanquam ad actus nefarios, & opera deteſtanda diſpoſitus, quin potius ad malorum profunda feſtinans, culpas culpis adiiciat, & præſumptiones præſumptionibus coarcervet ; ac dolos, fraudes, & iniquitates varias & diverſas exerceat, poſſeſſionem inſulæ detinendo Siciliæ, partemque alteram dicti regni temerariis conatibus impugnando ; eum propter hoc & alias nequitias, pravitates multiplices, auctamque ipſius contumaciam denunciamus vinculo excommunicationis innexum : ac proceſſum hujuſmodi per nos contra eum & Conſtantiam, Siculos, alioſve prædictos habitum approbamus, ratificamus, & etiam confirmamus, nihilominus eum auctoritate apoſtolica innovantes*. Et infra : *Cephaludenſem autem & Neucaſtrenſem, ac alios epiſcopos, & prælatos, qui ejuſdem Jacobi unctioni & coronationi, vel verius execrationi præſumpſerunt perſonaliter intereſſe ; quique citati, ſicut præmittitur, comparere coram nobis in prædicto termino, vel poſt ipſum etiam contumaciter non curarunt ; excommunicavimus, ab adminiſtratione ſpiritualium, & temporalium ſuſpendentes, &c.* Conſtituit iterum diem qua canitur Lætare Jeruſalem, ad crimen impertitæ Jacobo regiæ inunctionis purgandum : ac ſi judicium declinarint, epiſcopali munere denuntiat exauctorandos. *Actum in urbe in prædicta eccleſia S. Sabinæ in die dedicationis baſilicæ Principis Apoſtolorum, pontificatus noſtri anno* II. Superiora paucis complectitur Jordanus (*c*) his verbis : *Jacobus frater ejus cum matre in Siciliam ivit. Honorius autem Papa ſententiam Martini contra Petrum, contra filios renovavit. Alfonſus vero contra Regem Majoricarum patruum ſuum, qui cum Eccleſia ſe tenebat, inſurrexit, & terras aliquas occupavit*. Invectum claſſe ineunte hoc anno Alfonſum e majori Baleari inſula, quam ſuperiori anno ſubegerat, in Ebuſum arcemque armis ſeptam compuliſſe ad deditionem ; ac dein Cæſarauguſtæ regii honoris inſignia ſumpſiſſe, tradit Surita (*d*).

(*a*) *Hon. l. 2. ep. cur. 40.* Epiſcopi, qui regia illum inunctione affecerant poſtulati judicio.

(*b*) *Ead. ep.* Ob contumaciam anathemate percuſſi.

(*c*) *MS. b ſign. n. 1960.* Baleares ſubactæ ab Alfonſo.

(*d*) *Surit. indic. l. 2. & in annal. l. 4. c. 74. & 76. & alii.*

X.

Non tantam vero ac Jacobus in ſpernendis pontificiis imperiis contumaciam præ ſe tulit Alfonſus ipſe, illius frater ma-

major natu, ad retinenda Aragoniæ & Valentiæ ſceptra, quæ a parente Petro, Martini IV. ſententia exauctorato, acceperat : veritus enim, ne apoſtolicarum cenſurarum religio, potentiæque Gallicæ terror populos moverent ad Caroli Valeſii, in quem Aragonii & Valentini regnorum, tum Barchinonenſis comitatus jura transfuſa erant, partes amplectendas, mulcendum Pontificem cenſuit, ut concuſſum præterito bello ſolium confirmaret. Excuſatoriis igitur literis veniam deprecatus, ſi mox a paterno obitu oratores ad ſedem Apoſtolicam non miſiſſet, eoſque acceſſuros eſt pollicitus. At Honorius recurrente cœnæ dominicæ die, qua impios eccleſiaſtica execratione defigi mos eſt, ea obſequii ſpecie retardatus edictum promulgavit, (*a*) ex quo hæc decerpſi.

Alfonſus Aragonius pontificias cenſuras declinare nititur.

(*a*) *Lib. 1. ep. cur. 28.*

XI.

*Quia idem Alfonſus per ſuas literas, tam nobis quam eorumdem fratrum noſtrorum collegio deſtinatas, de non miſſis ad nos poſt obitum dicti patris ſui nunciis cauſis prætentis variis ſe excuſans ; & ſupplicans excuſatus haberi, aſſerit ſe in præſentiarum nuncios ad noſtrum præſentiam deſtinare ; nos, etſi videretur aliquibus nequaquam propter hoc ab habendis adverſus ipſum proceſſibus abſtinendum ; nec deeſſent, qui de ipſius intentione certiora * expectanda ſuggererent argumenta ; volentes tamen ſolitam maturitatem ſedis Apoſtolicæ obſervare, de ipſius ſedis manſuetudine confiſa contra eumdem Alfonſum omnem proceſſum, uſque ad feſtum aſcenſionis dominicæ primo venturum duximus ſuſtinendum ; tanto contra ipſum ex tunc, ſi apperuerit per eum nobis illuſum, gravius ſpiritualiter & temporaliter, prout expedire viderimus, proceſſuri, quanto amplius ipſe ſuam contumaciam per illuſionem hujuſmodi aggravaret. Actum in Urbe ante eccleſiam S. Sabinæ in die cœnæ Domini pontificatus noſtri anno primo.*

Pollicetur nuntios mittere.

Dilata ob id ſententia.

* non

XII.

Illuxerat dominicæ aſcenſionis dies, nec dum Alfonſi oratores ad aulam pontificiam pervenerant : ſed cum iter aggreſſos fama eſſet, ac nonnullis juſtis impedimentis implicitos teneri, ferendæ ſententiæ tempus iterum extraxit (*b*). Acceſſiſſe demum ad ſedem Apoſtolicam regios oratores, quorum princeps erat Raymundus e Rifulden, oſtendit data ab Honorio tuti commeatus ſyngrapha, (*c*) qua reverſuris ab aula pontificia liberos aditus aperiri in Aragoniam juſſit. Haud tamen excuſationes Alfonſi in tuendo paterno regno, cujus jura edicto pontificio in Carolum Valeſium traducta erant, admiſſæ : impoſita enim Joanni tit. S. Cæciliæ presbytero Card. provincia, (*d*) ut ad Carolum in poſſeſſionem regni Aragonii, jure honorario ipſi ab Apoſtolica ſede traditi, inducendum eccleſiaſticos, qui

Impeditis oratoribus ferendæ ſententiæ diem iterum extrahit.

(*b*) *Lib. 2. ep. cur. 2.*

(*c*) *Ib. ep. 43. 44.*

(*d*) *Lib. 1. ep. 389.*

Alfonſo ſtuderent, ſacrorum uſu ſacerdotiorumque vectigalibus privaret.

Dum Alfonſum inter & Carolum Valeſium de Aragoniæ regno certabatur, Eduardus Anglorum Rex pacis ineundæ interpres acceſſit, tum ob jura ſanguinis tum ut pacata Europa Syriacæ profectioni tutius ſe compararet, ut narrat Ptolemæus Lucenſis (*e*), cui etiam Jordanus (*f*) conſentit his verbis : *Anno eodem, nimirum MCCLXXXVI. Odoardus Rex Angliæ (facto prius homagio Regi Franciæ pro ducatu Aquitaniæ, & aliiſque in regno Franciæ tenebat) venit * Vaſconiam, liberaturus Regem Carolum, qui erat in Cathalonia, nati enim erant ex duabus ſororibus, & * cum Alfonſo tunc Rege Aragonum primogenito Petri, qui Petro ſucceſſerat*. Honorium itaque rogavit, ut ad ſe internuntios ſumma ad conciliandam concordiam auctoritate inſtructos mitteret. Cui Honorius reſpondit, (*g*) tantis rem obſeptam difficultatibus ; atque Apoſtolicam ſedem, Siculum Regem, Gallorum ſtirpem regniam, ac filios Ferdinandi Alfonſi majoris natu filii in eo bello ita implicitos videri, ut nullis legatis, quamvis ſumma prædicti prudentia, tanti momenti negotia permittere poſſit : *Fili chariſſime, ſolicite conſiderare te cupimus & advertere diligenter, quam ſit arduum, quam difficile, quam profundum prætactum negotium, penſatis ejus circumſtantiis univerſis, cum illud Romanam eccleſiam & chariſſimam domum Franciæ, ac dilectos filios nobiles viros Carolum primogenitum claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ ; liberos quoque quondam Fernandi, nati inclytæ memoriæ Alfonſi Regis Caſtellæ, nec non & eundem Alfonſum*, nempe Aragonium, *ac Jacobum germanum & * matrem ipſius, & etiam Franciæ Caſtellæque regna ; quinimo totius fere Chriſtianitatis populos propenſius & profunde contingere dignoſcatur : propter, quod penitus expedit, ut in illo non perfunctorie, non præpropere ; ſed exacte potius & mature, ac etiam cum deliberatione præcipua procedatur, ut actore Deo firmius ſolidiuſve conſiſtat, quod agi contigerit in hac parte. Ideoque celſitudinem regiam rogamus & hortamur attente, quatenus non moleſte ferat regalis benignitas, ſi venerabilibus fratribus noſtris Bonifacio Ravenati & Petro Montis Regalis archiepiſcopis, ad te pro jam dicto negotio deſtinatis, poteſtatem hujuſmodi non duximus concedendam, &c. Dat. Romæ apud S. Sabinam* VIII. *id. novembris pontificatus noſtri anno* II.

* Conſtantiam

XIII.

Eduardus Alfonſum & Carolum de regno Aragonio certantes conciliare meditatur.

(*e*) *Ptol. Luc. hiſt. eccl. l. 24. c. 25.*

(*f*) *Jord. MS. Vat. ſign. n. 1690.*

(*g*) *Ext. Honor. lit. apud Hier. Rub. hiſt. Ravenn. l. 6.*

XIV.

Ne in difficillima re nuntiis illuderetur ab Aragoniis, Pontifex ad periculum avertendum prudentia Bonifacio & Petro archiepiſcopis ea lege perficiendæ pacis poteſtatem permiſit, ſi Alfonſus Aragonius

Præscripta nunciis paciscendi ratio.

nius leges, quas in scriptis redactas tradiderat, admitteret: monuit tamen ne, si eas respueret, propterea tractatum pacis abrumperent: *Si contigerit*, inquit, (*a*) *quod idem Alfonsus conditiones easdem, vel ipsarum aliquas recuset forsitan adimplere, vos propterea nequaquam rumpatis negotium; sed potius juxta nostræ directionis & informationis tenorem studeatis prudenter procedere in eodem. Datum Romæ apud S. Sabinam* VII. *id. novembris pontificatus nostri anno* II. At quamvis Honorius eam adhibuisset prudentiam ad dolos dissolvendos, perfunctos tamen male suo munere pontificios nuncios visuri sumus: dum enim iniquiores leges pro liberando Carolo agitabantur, sedem Apostolicam de iis certiorem facere prætermisere: quare a Nicolao IV. increpiti, (*b*) æque leges rescissæ fuerunt, de quibus inferius. Nunc reliquas Siculas res conjungamus.

(a) *Apud eund. cod. lib.*

(b) *Nic. IV. l. 1. ep. cur. 2.*

XV. Inustus proditionis nota Adinulphus Acerrarum comes, ac postulatus judicio a Roberto comite Atrebatensi, Siculæ regiæ procuratore una cum Gerardo Card. legato, jussusque singulari certamine causam experiri, ad pontificium asylum perfugerat. Cujus auditis excusationibus Pontifex Roberto Atrebatensi illum exagitare, vel ad pugnam singularem adigere vetuit (*c*).

(c) *Honor. l. 2. ep. 60. & 262.*

Honorius &c. Dilecto filio nobili viro R. comiti Atrebatensi, & una cum venerabili fratre nostro G. episcopo Sabinensi A. S. L. bajulo Regis Siciliæ per Romanam ecclesiam constituto.

Vetat Roberto comiti Atrebatense ad singulare certamen Adinulphum cogat.

Magnitudini tuæ per apostolica scripta districte duximus injungendum, quatenus sublato cujuslibet difficultatis objectu, a quolibet inquisitionis processu contra comitem ipsum habendæ omnino desistens, ab indicenda sibi necessitate duelli per se vel per alium ineundi quod inter prædictos nobiles agi seu fieri penitus prohibemus, prorsus abstinere procures; nec adversus eundem comitem occasione inquisitionis, contra eum post hujusmodi nostram inhibitionem (quam quidem inquisitionem omnino viribus vacuamus, irritamus, ac nullius volumus esse momenti) vel etiam ante inhibitionem ipsam habitæ, quoquo modo procedas. Nos enim procedendi quomodolibet ad prædicta occasione hujusmodi contra comitem memoratum, & bona ipsius, tibi de fratrum nostrorum consilio omnem ex nunc interdicimus & expresse adimimus auctoritate præsentium potestatem, &c. Datum Tiburi idibus julii anno II.

XVI. Veneti censuris soluti.

Hoc anno, admissis jam in Ecclesiæ gratiam ab Honorio, ut vidimus, Venetis; cum ii pœnis gravioribus eos mulctassent, qui arma pro Ecclesia & Carolo gesserant, ut illius legis reos, qua senatusconsulto cautum erat, ne quis inconsulta republica exterorum principum castra sequeretur, Pontifex, qui jam sacrorum usum ipsis certis legibus restitui jusserat, re ob nonnullas difficultates extracta, repetitis imperiis episcopo Castellano dissolvendi interdicti auctoritatem contulit (*d*) eo pacto, ut in legum codices referrent, superius senatusconsultum adversus Ecclesiam & Carolum conditum non fuisse; ac pœnas iis incussas, qui pro Ecclesia vel Carolo stipendia senatu inconsulto fecerant, rescinderent, pristinisque restituerent juribus.

Qua de causa iis fuerant impliciti.

(d) *Lib. 1. ep. 311.*

Honorius, &c. venerabili fratri episcopo Castellano.

Olim tibi sub certa forma per literas nostras injunximus, ut interdictum, quod venerabilis frater noster Bernardus Portuensis episcopus, tunc in illis partibus Apostolicæ sedis legatus, occasione quorumdam processuum felicis recordationis Martini Papæ IV. prædecessoris nostri in civitate Venetorum servari mandavit, relaxares difficultate sublata; & intellecto quod nobilis vir dux, consilium, & commune Venetorum contra illos de civitate ipsa ejusque districtu, qui ad requisitionem ipsius episcopi ad partes regni Siciliæ in servitium Romanæ ecclesiæ, ac claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ seu ipsius Regis heredum absque ducis & consilii prædictorum licentia se personaliter contulerunt, graves & diversos variis temporibus ordinavere processus, & pœnas varias infligendas eisdem; voluimus inter alia, & per alias literas tibi districte præcipiendo mandavimus, ut antequam ad ipsius interdicti relaxationem procederes, prædictos ducem, consilium, & commune ex parte nostra diligenter monere, ac inducere procurares, ut statutum illud, de quo in ipsis primis literis mentio habebatur expressa, declarare studerent, quod ipsum in prædictorum Ecclesiæ, seu Regis, aut heredum injuriam, vel in favorem quondam Petri dudum Regis Aragonum nullatenus ediderunt; ac hujusmodi declarationem libro statutorum suorum conscribere non tardarent; quodque processus prædictos totaliter revocarent, & pœnas easdem eis, qui ut prædicitur, in ipsorum Ecclesiæ, Regis, & heredum servitium perrexerunt, omnino remitterent, nullam illis hujusmodi occasione molestiam ulterius inferendo; & si quid ab eis occasione prædicta forsitan exegerunt, eisdem quantocyus restituere non postponerent. Quibus omnibus ad effectum perductis, non differres interdictum hujusmodi relaxare: cumque tu, sicut accepimus, ad hujusmodi mandati nostri executionem intenderes, fuit tibi ex parte dictorum ducis, consilii, & communis responsum, quod ipsi proponebant propter hæc ad nos speciales nuncios destinare.

Ve-

XVIII. Non ecclesiæ & Caroli odio, sed publicæ pacis causa illud editum sunt contestati.

Venientibus itaque ad præsentiam nostram ipsis nunciis, videlicet dictis filiis fratribus Baxiano & Daniele Prædicatorum, ac fratribus Fidentio & Alexandro Minorum ordinum exposuerunt nobis ex parte dictorum ducis, consilii & communis, quod per eosdem ducem, consilium, & commune extiterat declaratum, quod statutum ipsum sive consilium non fuit factum in injuriam ecclesiæ prædictæ, sed pro conservatione pacifici status eorum, & pro guerra & scandalo evitandis: nec fuit factum in præjudicium vel favorem alicujus domini de mundo, ut eorum verbis utamur; & quod super processibus prædictis incolæ civitatis ejusdem proponebant se apostolicis beneplacitis conformare. Nos autem attendentes devotionem sinceram, qua iidem incolæ hactenus erga prædictam ecclesiam viguerunt, ac ipsis favorabiliter annuentes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus prædicta ipsius statuti declaratione, prout iidem nuncii retulerunt in libris statutorum conscripta prædictis, & eisdem revocatis processibus, & pœnis omnino remissis, & restitutione, ut prædicitur, subsecuta, interdictum hujusmodi, auctoritate nostra relaxare procures; prædicens omnibus publice, quod caveant illi, qui propter favorem eidem Petro ab ipsis impensum excommunicationis sententiam incurrerunt, ne se divinis officiis immisceant, donec super hoc absolutionis beneficium assequantur. Dat. Romæ apud S. Sabinam XV. *Kal. aprilis anno* I.

Abstinere sacris ii jussi, qui anathemate ob Petri Aragon. studium fuerant defixi.

XIX. Guido comes Montisferetri ad Ecclesiæ obsequium revocatus.

(*a*) *Jachet. Malesp. c. 227. 228. Jo. Villan. l. 7. c. 107. S. Ant. 3. p. tit. 20. c. 5. ante §. 1. & alii.*

Adjungendum hic videtur Ecclesiæ pertinacissimum persecutorem, Guidonem nimirum comitem Montisferetri ad pontificia imperia supplicem procubuisse, veniamque præteritorum deprecatum (*a*). Cum enim, ad Flaminiam occupandam multum sanguinis humani fudisset, innumeraque alia patrasset scelera; jamque conversa rerum alea Faventiam & Cerbiam, quæ Ecclesiæ conciliatæ erant, amisisset, sive in disperationem rerum meliorum adductus, sive violatæ toties Ecclesiæ majestatis pœnitens, pontificiis imperiis se submisit: qui ipsum in Pedemontem, ne turbas novas concitaret, amandavit, atque duos ipsius filios obsides accepit: ita universa Flaminia pontificiis obsequiis se addixit, cui Honorius Guillelmum Durantium præfecit (*b*).

Romaniola asserta Ecclesiæ.

(*b*) *Lib. 1. ep. 297.*

XX. Henricus olim senator veniam poscit scelerum.

(*c*) *Ib. ep. 315.*

Admissus pariter in Gratiam est Henricus Ferrandi olim Regis Castellæ filius, cum illius ferocia diuturnis incommodis perdomita esset, veniamque præteritorum criminum initæ cum Conradino adversus Carolum conspirationis, læsi juris pontificii, expilatarumque ecclesiarum supplex depoposceret: datæque partes fuere Gerardo Cardinali legato (*c*), ut resipiscenti pœnitentiam imponeret.

Honorius &c. venerabili fratri Gerardo Sabinensi episcopo A. S. L.

Cum nobilis vir Henricus filius claræ memoriæ Ferrandi Regis Castellæ ac Legionis pro eo, quod contra monitiones, comminationes, & inhibitiones Apostolicæ sedis quondam Conradino nepoti olim Friderici dudum Romanorum Imperatoris, adhæsit, impendens ei auxilium, consilium & favorem; nec non pro eo quod domos Apostolicæ sedis ecclesiæ S. Petri de Urbe, ac alia bona dictæ sedis & ecclesiæ Romanæ occupavit, & pro offensis ac damnis, quæ felicis recordationis Nicolao Papa prædecessore nostro tunc in minori officio constituto, & dilectis filiis nostris Matthæo S. Mariæ in Portica, & Jordano S. Eustachii diaconis Cardinalibus, eodem Jordano tunc existente capellano sedis prædictæ intulit; & pro eo etiam, quod diversos clericos cepit seu capi fecit, & sub custodia detineri, ac nonnulla deposita diversorum Christi fidelium & ecclesiarum de sacris ædibus Urbis seu locis eis adjacentibus extraxit, seu fecit extrahi, tam per sedem præfatam quam etiam a canone sit diversis excommunicationum sententiis innodatus; fuit nobis ex parte sua humiliter supplicatum, ut ipsum ab hujusmodi sententiis absolvi de benignitate apostolica mandaremus. Licet igitur dictus nobilis enormiter peccaverit, se Deo & Ecclesiæ pertinaciter opponendo, propter quod eorum meruit justitiam experiri; quia tamen intellectum sibi vexatione salubriter tribuente, ad humilis confessionis confugit remedium, misericordiam dictæ sedis contrito ac humiliato spiritu, ac supplicationum instantia flagitando, nos quamvis immeriti, ejus vicarii constituti, qui parcendo & miserando suam omnipotentiam maxime manifestat, libenter in cunctis actibus nostris misericordiam amplexantes; cum sciamus, evangelica veritate dicente, beatos esse misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ejusdem nobilis per te vel per alium confessione audita, ipsum, postquam prædictis Cardinalibus & heredibus, qui prædicto prædecessori nostro in bonis patrimonialibus successerunt, de præfatis offensis & damnis, ac aliis, quorum interest, de prædictis depositis plenarie satisfecerit, ab eisdem sententiis juxta formam Ecclesiæ per te vel per alium absolvas auctoritate nostra; injungens ei pœnitentiam salutarem, & alia, quæ de jure videbis injungenda. Et specialiter quod de cætero Romanam ecclesiam non impugnet, nec impugnantibus ipsam præstet auxilium, & consilium, vel favorem. Si vero propter paupertatem de offensis & damnis, ac depositis prædictis ad præsens sattisfacere forte nequierit, tu

Solvi censuris justus.

ab

ab eo bonorum suorum cessione, ac juratoria cautione, cum aliam, ut asseritur, nunc præstare non possit, receptis, absolutionis beneficium a prædictis sententiis impendas eidem, præcipiens ei sub debito præstiti juramenti, quod quam cito ad pinguiorem fortunam pervenerit, dictis Cardinalibus & heredibus, ac aliis de offensis, damnis, & depositis satisfaciat supradictis. Dat. Romæ apud S. Sabinam VIII. *id. martii anno* I.

XXI. Gadicensis episc. Ferdinandi olim principis filios liberat e Sanctii manibus. (a) *Lib.* 2. *ep.*158.

Motus etiam est Honorius misericordia in Sugerium Gadicensem episcopum, qui ob impensam operam ad liberandos Ferdinandi majoris natu fratris Sanctii regnantis filios, in exilium pulsus fuerat; precibusque Regis Francorum adductus Joanni Cardinali legato munus injunxit, (*a*) ut ei quosdam in nonnullis ditioribus monasteriis proventus ad triennium attribueret.

Honorius &c. Dilecto filio I. tit. S. Cæciliæ presbytero Cardinali Apostolicæ sedis legato.

Movet nos apostolicæ pietatis affectus, & officii debitum pastoralis inducit, ut venerabilem fratrem nostrum Sugerium Gadicensem episcopum favoris benevoli exhibitione foventes, ad relevandum inopiam, & miserabilem statum ejus, benignæ solicitudinis studium impendamus. Nuper siquidem pro parte ipsius episcopi propositum extitit coram nobis, quod ea occasione, quod ipse dudum de liberatione dilectorum filiorum virorum nobilium liberorum quondam Fernandi nati claræ memoriæ Alfonsi Regis Castellæ, se solicite intromisit, & ad id pro viribus operam tribuit, laboribus & sumptibus propriis non parcendo, ecclesia, & aliis bonis suis est nequiter spoliatus; sicque jam dictus episcopus pro piis actibus impia perferens, & pro laudandis operibus dura passus, jamdiu ab eadem ecclesia dicitur exulasse, in partibus Franciæ morari coactus; quare pro parte ipsius a nobis suppliciter petebatur, ut cum de sui episcopatus proventibus nihil percipere valeat, nec alias habeat, unde possit commode sustentari, providere sibi super hoc, ne in derogationem pontificalis officii amaræ mendicitatis opprobrium experiri cogatur, de solitæ benignitatis clementia dignaremur. Nos itaque super tantæ adversitatis eventu, ac tantis & tam gravibus injuriis episcopo compatientes eidem; & benignius attendentes, quod eo sibi durior redditur, ipsumque stimulo acriori perurget onerosa, qua deprimi dicitur sarcina paupertatis, quo prius bonis abundare amplius consuevit; ac dignum & congruum reputantes, ut idem episcopus in tantæ necessitatis articulo Apostolicam sedem propitiam sibi reperiat, & per effectum sentiat gratiosam; hujusmodi petitionem ipsius episcopi charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris, & dilectæ in Christo filiæ nostræ nobilis mulieris Blancæ amitæ Regis ipsius precibus circumfultam, benigne duximus admittendam. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eidem episcopo pro se, ac etiam competenti familia sua sic prudenter & provide facias ab aliquibus monasteriis regni Franciæ, de quibus expedire putaveris, in aliqua quantitate pecuniæ annis singulis usque ad triennium subveniri (nisi ante ad suam ecclesiam redire valeat, vel ei contingat aliter provideri) quod & subventio congruæ episcopo memorato pro se ac prædicta familia competenti proveniat, & prædicta monasteria non graventur, contradictores super hoc per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, &c. compescen. Dat. Romæ apud S. Sabinam IV. *id. novemb. ann.* II. Relicti fuerant ii principes Alfonsus & Ferdinandus, quorum saluti Sugerius episcopus consuluerat, substituti inter se relicti sceptri Castellani heredes ab avo Alfonso Rege, cujus mortem superiori anno ex Hispanicis annalibus contigisse tradit Mariana, illiusque elogium subjectis verbis adducit (*b*).

Pellitur in exilium. Honorii literæ ad Card. legatum.

Provideat Gadicensis episc. exulis necessitatibus.

(*b*) *Jo. Marian. de reb. Hisp. l.*13. *c.*7.

Hispali ex morbo defunctus est pœnitentia atque Eucharistia de more procuratus ad XI. Kal. maii, ut quidam tradunt. Certe salutis anno MCCLXXXIV. superiori novembri mense testamentum nuncuparat, in quo Alfonsum & Ferdinandum nepotes, inter se substitutos, regni heredes nominavit; & utroque sine prole defuncto Philippum Galliæ Regem ad priores Castellæ Reges maternum genus referentem. De filiis atque fratribus mentio nulla Sanctii odio, in quem Francorum vires eo testamento movebantur. Joanni tamen filio sub mortem Hispalim & Pacem Augustam eo expetente, Jacobo Murciam legavit utriusque Regis nomine, sed ut Castellæ Regum beneficiariis. In Calvariæ monte cor sepeliri mandavit loci religione sanctitateque adductus. Corpus Hispali sepultum est prope patris & matris sepulcra impensa monimenti non maxima neque necessaria, quoniam vita meruerat, ut duraret essetque immortale nomen. Maximus & prudentissimus Rex, si sibi sapere didicisset; felixque, nisi sub vitæ exitum multis calamitatibus esset vexatus, atque præclaras animi & corporis dotes avaritia, severitas, atque impotens dominatus fœdassent. Primus Hispaniæ Regum vendendi atque paciscendi vulgari Hispanorum lingua potestatem concessit, ejus linguæ nimirum, qua rudior erat, excolendæ locupletandæque studio. Sacros bibliorum libros in maternam linguam vertendos curavit. Ex eo tempore in regiis diplomatibus, ac publicis tabulis Latina lingua, cujus antea

Alfonsi Regis Castellæ mors. Conditum ab eo testamentum.

Cor in Calvariæ monte sepeliri jubet.

Latinæ linguæ usum in re forensi primus abrogavit.

tea usus erat, desiit usurpari: unde pudenda literarum ignoratio in nostram gentem, atque utrumque ordinem invasit.

XXII. Blanca S. Ludov. filia religiosæ vitæ se addicere meditatur.

Quod ad Blancam Alfonsi nurum, Ferdinandi majoris natu filii viduam, & Francorum Regis Philippi amitam attinet; ea erat S. Ludovici filia, quæ cum nuncium mundo, cujus spes infidas ac promissa fallacia etiam in conditione florentissima experta erat, remittere, seque monasterio includere decrevisset, Pontifex sacrum illius consilium collaudavit (*a*).

(*a*) *Lib.* 2. *ep.*140.

Dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Blancæ natæ claræ memoriæ L. Regis Francorum.

Literarum tuarum series adversorum illisiones eventuum, quæ tui pectoris penetralia, magna nimirum amaritudine repleverunt, serioseque describent; tuumque laudabile propositum cum humilis & devotæ supplicationis instantia in calce supponens, nostris præsentata conspectibus, & multæ compassionis in nobis excitavit spiritum, & congaudendi tibi de tuo salubri voto materiam ministravit. Licet enim tibi tanto & tali orbatæ parente, tanti viri privatæ consortio, tantorum germanorum solatio destitutæ, gravatæ insuper de natorum, licet viventium, subtracta præsentia, paterno ex intimis compatiamur affectu; considerantes tamen te in tantis adversitatibus non muliebriter succumbere fletibus, non substerni gemitibus; sed tamquam fortem procudubio, ut hæc perhibent, mulierem in adversis animo virili consurgere, ad consolatorem confugere optimum, ad animarum hospitem aspirare dulcissimum, habitationis secretæ consugium salutari quærendo consilio, in quo a secularibus segregata strepitibus, desiderata illius, prout ipse concesserit, consolatione fruaris; tam devotæ in Christo filiæ non immerito congaudemus. Ideoque tuum in hoc desiderium delectabiliter adjuvantes, juxta tuæ supplicationis instantiam præsentium tibi auctoritate concedimus, ut infra septa monasterii de humilitate B. Mariæ Virginis Parisiensis diœcesis cum mulierum, & puellarum honestarum numero, dilecti filii, ministri ordinis fratrum Minorum Franciæ, nec non & dilectæ in Christo filiæ abbatissæ ipsius monasterii arbitrio moderando, tibi liceat habitare. Volumus tamen ut per eosdem ministrum & abbatissam ita diligentia provideatur exacta, quod nec per hæc, nec per adventum aliquorum tuam volentium adire præsentiam dicti monasterii aut personarum ipsius honestati, seu famæ derogetur in aliquo, vel in ipso monasterio religionis observantiæ quomodolibet detrahatur. Dat. Romæ apud S. Sabinam XII. *kal. novembris anno* II.

Laudat illius consilium Honorius.

XXIII. Cum ad Castellæ res defluxerit oratio, feudum non est, Honorium hoc anno Toletano & Burgensi præsulibus relaxandi in nonnullis Castellæ & Legionis locis interdicti, quod a Martino Papa ob defectionis ab Alfonso Rege crimen vibratum fuerat, cum jam Alfonsus e vivis sublatus esset, provinciam imposuisse (*b*).

Castella olim a Martino sacris interdicta.

(*b*) *Lib.* 2. *ep. cur. Al.*

Venerabili fratri archiepiscopo Toletano & episcopo Burgensi.

Dudum felicis recordationis Martinus Papa prædecessor noster intellecto, quod in claræ memoriæ Alfonsum Regem Castellæ ac Legionis filii, & Emanuel germanus, ac subditi ejus subito insurgentes, & aspirantes ad totalem exheredationem illius; officiales etiam, quos idem Rex in regnis & terris suis instituendos duxerat, penitus amovere, instituere alios, sibique universa jura regalia subtrahere attentarant, & eumdem Regem nullum dominium, nullamque potestatem in terris eisdem permittebant habere; quodque venerabiles fratres nostri archiepiscopi & episcopi, ac dilecti filii electi, abbates, priores, & universi & singuli ecclesiarum prælati, ac prior hospitalis Jerosolymitani & magistri templi, S. Jacobi Calatravensis & Alcantaræ militiarum; ac capitula, & conventus, nec non & nobiles viri comites, barones, & alii tam clerici quam laici per Castellæ ac Legionis, Toleti, Galletiæ, Sibiliæ, Cordubæ, Murtiæ, atque Gibennii regna constituti, vel eorum aliqui dicebantur fidelitatis violasse debitum, quo Regi tenebantur eidem; volens super iis opportunum remedium adhibere, præfatis archiepiscopis, episcopis, electis, abbatibus, & aliis cæteris supradictis duxit per suas sub certa forma literas injungendum, ut eidem Regi efficaciter intendentes, omnes civitates, munitiones, terras, & villas; omniaque castra, bona, & jura Regis ipsius libera sibi dimitterent & quieta; ipsumque suo dominio, suaque libere uti permitterent potestate, ac fidelitatis juramenta, & alia omnia consueta, prout tenentur exhibentes eidem, omnes conjurationes, confœderationes, colligationes, & societates contra hæc factas ab eis dissolverent penitus, & etiam abjurarent, nec servarent statuta edita super iis, etiam si juramenta de observandis præmissis, vel eorum aliquibus præstitissent: ad quorum observationem eos, & quemlibet eorumdem præfatus prædecessor non teneri decrevit, venerabili fratri nostro.. archiepiscopo Ispalensi, & dilectis filiis.. decano ecclesiæ Tutelanæ Tirasonensis diœcesis ac magistro Fernando archidiacono de Nendis in ecclesia Compostellana per suas literas executoribus deputatis. Qui sicut asseritur, mandati apostolici forma servata in hujusmodi negocio procedentes, in nonnullas personas excommunicationis & suspensionis, ac in certa locæ interdicti sententias oc-

Ob pulsum a filiis & fratre Emmanuele Alfonsum.

Jussi præsules Alfonsi partes tueri.

Missi in eam rem ab Apost. sede nuntii.

Incussæ ab iisdem censuræ.

casione hujusmodi promulgarunt, personis ipsis pœnas etiam alias nihilominus infligendo.

Honorius erepto e vivis Alfonso, eas viribus carere ad tempus jubet.

Cum autem prænominatus Rex, propter quem per executores eosdem hujusmodi processus habitus extitit ad prædicta, viam sit universæ carnis ingressus; nos diligentius attendentes, quod cessante causa, si etiam affuisset, cessare deberet effectus; volentes quoque animarum profectibus providere, omne interdictum per executores ipsos occasione præmissa impositum auctoritate apostolica duximus suspendendum. Per suspensionem autem hujusmodi interdicti personas quaslibet, quæ prædictam excommunicationis vel suspensionis sententiam, aut irregularitatis notam, interdictum hujusmodi non servando, incurrisse noscuntur, nequaquam intendimus a sententia eadem absolvere, vel super irregularitate hujusmodi dispensare; sed eædem personæ suis animabus provideant, prout viderint expedire: alioquin contra personas easdem, prout de jure faciendum viderimus, & expediens fore putabimus, actore Domino, procedemus. Quocirca fraternitatibus vestris per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum per vos, vel per alium, seu alios hujusmodi suspensionem, præmissaque alia per regna prædicta in eorum videlicet locis, de quibus expedire videritis, publicetis & faciatis etiam publicari. Quod autem in hac parte feceritis, nobis per vestras patentes literas, harum seriem continentes, studeatis fideliter intimare. Datum Romæ apud S. Sabinam VII. idus novembris anno II.

Toletano archiep. & Burgensi episc. ea provincia imposita.

XXIV. Regia Scotica funeribus plena.

Conjecta est hoc anno Scotia in gravissima bellorum discrimina ob regiæ familiæ interitum. In primis Alexandri Scotici sceptri heredis, ac dein Margaritæ Regi Norwegorum nuptæ funera luxerat, cumque propagandæ sobolis studio Alexander Rex Jolantam Gallici generis secundam uxorem duceret, horridum spectrum nuptiales jocos confudit, ut Hector Boethius narrat (*a*): *In secundis*, inquit, *Alexandri nuptiis cum consueto nuptiarum more sponsus sponsam suam in chorea, subsequente magna fœminarum virorumque nobilium caterva, duceret, extremos claussisse effigies hominis mortui carne nudatis ejus ossibus visa est: quam cum Rex cæterique inspexissent attoniti paulum subsistentes, ac mox consternati tam malo omine ludis deinceps abstinuere.* Tradit idem auctor triste mortis genus, quo Alexander periit: *Non sane diuturna ea fuit lætitia; nam eodem anno cum juveniliter equo feroce ad Kyngorn veheretur, ac insolentibus quibusdam motibus equum agitaret, ejectus in terram pronus, confracta infeliciter cervice, repente exanimatus est: sepultus vero in Doumfermilem anno regni trigesimo septimo, salutis vero humani generis supra millesimum atque ducentesimum sexto & octogesimo.* Jungendi mox Anglico Scotici sceptri cupiditate Eduardus Rex Alexandri neptem e Margarita Regina Norwegiæ filio desponsabat, cum illa vita functa supremi in Scotiam imperii specie illam subiicere meditatus est. Tum Joannes Baliolus Robertusque Brusius, regiæ Scoticæ principes asserendi sibi regni studio atrocia bella gesserunt, de quibus pluribus inferius: nunc Anglicanas res prosequimur.

(*a*) *Hector. Boet. Scot. hist. l.* 13.

Horridum spectrum in Alex. secundis nuptiis conspectum.

Scotiæ Rex equo dejectus cervices allidit.

Secuta inde bella immania.

In Angliam Judæi in tantam audaciam prorupere, ut ob graviora scelera, quæ magno religionis Christianæ dedecore patrabant, Honorius ad Cantuariensem archiepiscopum, & suffraganeos scribere coactus sit (*b*), ut ad comprimendos nefarios homines incumberent.

XXV. Judæi in Anglia multa patrant flagitia. (*b*) *Lib.* 2. *ep. cur.* 42.

Venerabili fratri archiepiscopo Cantuariensi, & ejus suffraganeis.

Nimis in partibus Anglicanis, prout accepimus, Judæorum damnata perfidia in nostri contumeliam Creatoris, & detrimentum catholicæ fidei nefandis actibus, & horrendis operibus relaxavit habenas. Ipsi enim librum quemdam, maligna fraude compositum habere dicuntur, quem Thalmud vulgariter nuncupant, abominationes, falsitates, infidelitates, & abusiones multimodas continentem. In hoc quippe libro damnabili suum continuant studium, & circa ipsius nefaria documenta, ipsorum prava solicitudo versatur. Illius insuper doctrinæ lethiferæ proprios ab annis teneris filios deputant, ut ejus venenosis pabulis imbuantur, eosque instruere ac informare non metuunt, quod magis in libro contentis eodem, quam expressis in lege Mosaica credi debet, ut iidem filii, Dei Filium fugientes, per devia infidelitatis exorbitent, & ad veritatis semitam non accedant. Præfati quoque Judæi non solum mentes fidelium ad eorum sectam pestiferam allicere moliuntur; verum etiam illos, qui salubri ducti consilio infidelitatis abjurantes errorem, ad lucem catholicæ fidei convolarunt, donis multimodis ad apostatandum inducere non verentur, quorum aliqui dolosa Judæorum ipsorum seducti malitia publice illis cohabitant, & juxta ritum, & legem ipsorum in parochiis, in quarum ecclesiis renati sacro fonte baptismatis extiterunt, obscenam, immo nequissimam vitam ducunt, in nostri Redemptoris injuriam, fidelium scandalum, & derogationem fidei Christianæ: ac etiam nonnullos ex talibus iidem Judæi ad alia loca nequiter destinant, ut ibi tanquam incogniti ad suam perfidiam revertantur.

Thalmudicis fabulis magis quam prophetarum oraculis credendum asserunt.

XXVI. Simplices ad sabbati observantiam pelliciunt.

Non omittit Judæorum ipsorum nequitiæ, quin fidei orthodoxæ cultores quolibet die sabbati, ac aliis solemnitatibus eorumdem invitet, ac instanter inducat, ut in synagogis suis ipsorum officium audiant, illudque juxta sui ritus consuetudinem solemnizent, rotulo involuto membranis, seu libro, in quibus lex eorum conscripta consistit, reverentiam exhibentes: quamobrem plerique Christicolæ cum Judæis pariter judaizant.

Servos & servas Christianas sibi comparant.

Præsumunt quoque præfati Judæi Christianos in sua familia retinere, quos in divinæ majestatis opprobrium diebus dominicis & festivis operibus occupari servilibus, a quibus est potius abstinendum, nefaria jussione compellunt.

Secuta inde mala.

Admittunt etiam in suis domibus Christianas ad ipsorum infantes seu pueros educandos; & tam iidem Christiani, quam Christianæ Judæis ipsis cohabitant, eisque conviviunt: sicque, dum opportunitas suggerit, & pravis actibus tempus favet, Judæorum mulieribus Christiani, & Judæi Christianorum fœminis, frequenter infausto commercio commiscentur. Alii nihilominus Christiani & Judæi vicissim in domibus propriis sæpe conveniunt, & dum simul comessationibus, & potationibus vacant, erroris materia præparatur.

Christianis inter suas orationes infauste precantur.

Singulis quoque diebus in orationibus, vel verius execrationibus suis in maledictionem Christianorum damnabili præsumptione prorumpunt, alia nonnulla committendo nequissima, quæ noscuntur in offensam Dei & animarum Christianorum dispendium redundare. Verum, etsi nonnulli ex vobis sæpe sæpius fuerint, prout assoritur, requisiti, ut super iis opportunum curarent remedium adhibere; id tamen efficere neglexerunt: de quo tanto propensius admirari compellimur, quanto ex debito pastoralis officii se promptiores, & efficaciores exhibere tenentur ad ulciscendas nostri Salvatoris injurias, & hostium fidei Christianæ conatus nefarios reprimendum.

Queritur Honorius de præsulum Angl. negligentia.

XXVII. Jubet quo pár est zelo his malis mederi.

Cum itaque non sit tam pestilens & periculosus morbus aliquatenus contemnendus, ne (quod absit) relictus neglectui, tractu temporis invalescat; & adversus tantæ tamque damnabilis temeritatis audaciam promptis teneamini consurgere animis, & ad ejus repressionem, & confusionem omnimodam efficax studium operamque solicitam impertiri, ut frænatis hujusmodi perversis ausibus, catholicæ fidei dignitas gloriosis proficiat incrementis; fraternitati vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus per vos super præmissis, & singulis præmissorum per inhibitiones, & pœnas spirituales & temporales, aliosque modos, de quibus expedire videritis, in prædicationibus vestris, & aliis ad hoc temporibus congruis per vos, & alios exprimendos, studeatis juxta officii vestri debitum sic efficaciter & solicite providere, ut morbus hujusmodi per adhibendæ medicinæ remedium amputetur; vosque proinde apud æterni Regis clementiam præmium consequi valeatis, ac nos vestram curiosam solertiam, & diligentiam vigilantem dignis in Domino laudibus attollamus. Quod autem in hac parte feceritis, nobis per vestras literas plenius intimetis. Dat. Romæ apud S. Sabinam II. kal. decembr. anno 11. Convertere quidem illos ad Christianæ religionis cultum gerebat in votis pro zelo, quo flagrabat, cujus non leve specimen edidit, cum clericos Arabes, atque alios ex orientalibus terris lingua discrepantes Parisiis sacris literis imbui, atque eruditi voluit, ut reversi in orientem suos excolerent, Parisiensisque ecclesiæ cancellario iis providere jussit: qua in re Innocentii IV. Alexandri IV. Clementis IV. Gregorii X. zelum eximium est imitatus.

Fideles & conversos nituntur pervertere.

Gallicum sceptrum sustinere cœperat Philippi Audacis dicti major natu filius ejusdem nominis, ob oris elegantiam Pulcher dictus, S. Ludovici nepos; cui Honorius, ut divinam gratiam ad moderandum bene regnum conciliaret, nonnulla indulgentiarum præmia iis, qui pro ipso ad Deum preces funderent, proposuit (*b*). Is vero, susceptis regni insignibus, fratrem Carolum in regnum Aragoniæ, ab sede Apostolica concessum, inducere est aggressus: quare Honorius Joanni Cardinali legato præcepit, ut si utile fore putaret, arces, quas archiepiscopi, episcopi, aliique viri ecclesiastici in Aragonia obtinebant, Regi Philippo milite præsidiario muniendas tradi imperaret, daretque operam, ut quas Martinus IV. decimas Philippo jam pro Aragonia armis comparanda attribuerat, ad quadriennium Regi novo concederentur (*c*). Concessit vero eidem Regi (*d*), ut clerici, quos S. Ludovicus in sacello regio pretiosissimis Dominicæ passionis reliquiis instructo exornatoque condiderat, a solvendarum decimarum onere immunes essent.

XXVIII. Philippus Pulcher Rex Franc. inungitur.

(*b*) *Lib.* 2. *ep.* 371.

Fratrem Carolum Regem Arag. in regni possessionem inducere meditatur Decimæ illi ea de causa attributæ ab Honorio.

(*c*) *Lib.* 2. *ep.* 391. & 395.

(*d*) *Lib.* 2. *ep.* 162.

Qua vero solicitudine Honorius viros ecclesiasticos a potentioribus oppressos defenderet, demonstravit cum Lugdunensi archiepiscopo munus injunxit (*e*), ut contra Ludovicum Sabaudum, qui Guillelmum Viennensem archiepiscopum captivum abduxerat, atque iniquum ab eo sacramentum extorserat, inquireret.

XXIX. Ecclesiasticos contra potentiorum injurias tuetur Pont.

(*e*) *Ib. ep.* 37.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Lugdunensi, Eduensi & Vapincensi episcopis.

Nuper ad nostrum pervenit auditum, quod nobilis vir Ludovicus de Sabaudia, & alii ejus complices in hac parte laici diversarum civitatum & diœcesium venerabilem fratrem nostrum Guillelmum Viennensem archiepiscopum, Dei timore postposito, temere capientes, seu capi facientes,

Guillelmus Vienn. archi. a Ludov. Sabaudo abreptus in vincula.

tes, ipsum tamdiu detinuere captivum, donec idem archiepiscopus mediante venerabili fratre nostro Guillelmo Gratianopolitano episcopo quasdam eidem nobili promissiones, & obligationes fecit illicitas, & pro illis servandis per vim & metum hujusmodi, qui cadere poterat in constantem, fidejussores exhibuit, & præstitit juramentum. Nos autem nolentes, sicut etiam nec debemus, sic temerarium excessum sub dissimulatione transire, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, si est ita decens, archiepiscopum & & fidejussores decernentes ad observationem promissionis seu obligationis hujusmodi non teneri, non permittatis eos super iis ab aliquibus molestari, molestatores hujusmodi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; & ab hujusmodi juramento indebito hac vice archiepiscopum absolventes eundem, imposita ei propter hoc pœnitentia salutari, dictos sacrilegos tamdiu, appellatione remota, excommunicatos publice nuncietis, & denunciari faciatis diebus dominicis & festivis in locis, in quibus expedire videbitis, & faciatis ab omnibus arctius evitari, donec super iis satisfecerint competenter, & ad sedem Apostlicam venerint absolvendi, vel alias per sedem eandem meruerint absolutionis beneficium obtinere. Dictum autem episcopum super eo, quod promissionum & juramenti prædictorum auctor dicitur extitisse, cum id debuisset potius pro viribus repugnasse, ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi personaliter compareat coram nobis, recepturus pro meritis, & alias mandatis nostris super iis efficaciter pariturus. Diem autem citationis hujusmodi, & quicquid inde feceritis, nobis per vestras literas; harum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Dat. Romæ apud S. Sabinam id. junii anno II.

Injusto sacramento adigitur.

Solutus illius religione pronuntiatur.

Ludovicus e Sabaud. aliique injuriæ auctores percussi anathemate.

Gratianopolit. episc. postulatus judicio.

XXX. Henricus Vvratisl. & Silesiæ dux eccl. Vvratislaviensem opprimit.

Distringenda quoque Honorio severitas ecclesiastica fuit adversus Henricum Wratislaviensem ducem, qui cum ob invasa ecclesiæ Wratislaviensis jura, aliaque crimina jam anathemate bis ictus fuisset, in tantam pertinaciam obriguerat, ut violatis etiam iis, quæ a Firmano episcopo, tunc in Polonia Apostolicæ sedis legato, atque a duce, & episcopo electo arbitro statuta fuerant, episcopum una cum clero exulare cogeret: ob quod flagitium Honorius iterum solemni ritu ducem e fidelium cœtu depelli, ac ipsius ditionem interdicto percelli imperavit (*a*).

(*a*) *Lib.* 1. *ep.* 428.

Venerabilibus fratribus Vvadislaviensi & Poznaniensi episcopis.

Oblata nobis venerabilis fratris nostri episcopi & dilectorum filiorum capituli ecclesiæ Vvadislaviensis petitio continebat, quod cum nobilis vir Henricus dux Slesiæ & dominus Vvadislaviæ, prava patris imitando vestigia, cujus heres existit, dictos episcopum, capitulum & ecclesiam, decimis, villis, possessionibus, juribus, & aliis bonis suis nequiter spoliasset; necnon, & homines, & vassalos episcopi, capituli, & ecclesiæ prædictorum capiens, eisque indebitas servitutes imponens, tam episcopo, capitulo, & ecclesiæ supradictis, quam hominibus & vassalis eisdem damna gravia irrogasset; orta inter præfatos episcopum & capitulum ex parte una & prædictum nobilem super præmissis ex altera materia quæstionis, tandem partes super iis in venerabilem fratrem nostrum Philippum Firmanum episcopum tunc in Poloniæ partibus Apostolicæ sedis legatum, tamquam in arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compositorem sub pœna mille marcharum auri, & excommunicationis sententia compromittere curaverunt; ita quod pars, quæ ferendum per dictum legatum arbitrum non servaret, medietatem dictæ pœnæ parti arbitrium servanti præfatum; reliquam vero medietatem Romanæ ecclesiæ solvere teneretur; & licet idem Firmanus episcopus dum in partibus illis existeret, æquum super hoc tulerit arbitrium inter partes, idem tamen nobilis illud non solum observare non curat, verum etiam contra episcopum, capitulum, & ecclesiam Vvadislaviensem prædictos pejora prioribus committere non uteretur; sed aspirans potius ad quasdam villas, & terras episcopi, capituli, & ecclesiæ prædictorum, & hostiliter ad eas accedens, illas occupare & occupatas detinere, ac in ipsis novas servitutes imponere; nec non bladum, & nonnulla alia horrea prædictorum episcopi, & capituli exinde asportari facere, ac eisdem insuper damna plurima & injurias irrogare temerario ausu præsumpsit; propter quæ idem Vvadislaviensis episcopus in præfatum ducem, quia diligenter ab eo monitus occupata restituere, servitutes revocare, ac de damnis & injuriis eisdem satisfactionem debitam sibi & capitulo prædicto impendere contumaciter non curavit; nec aliquam rationabilem causam proponeret, quare hoc facere non deberet, & ea essent adeo in partibus illis notoria, quod nulla poterant tergiversatione celari; excommunicationis auctoritate ordinaria, & in omnia loca, ad quæ dux prædictos accederet, dum moraretur in ipsis, interdicti sententias promulgavit: & super observatione sententiarum ipsarum prædictus episcopus ad venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Gneznensem, & dilectos filios Dobegneum archidiaconum Vvadislaviensem, ac.. abbatem monasterii de Henricovv Vvadislaviensis diœcesis apostolicas in communi forma literas impetravit. Et

Ut primum controversiam arbitrum A. S. L. elegerit.

Graviora damna inflixerit.

Ab Episcopo Wladisl. notatus sit anath.

XXXI. Censuræ a Gnesnensi archiep. confirmatæ.

Et licet prædicti archiepiscopus, & archidiaconus, prædicto abbate desuper hoc excusante, easdem sententias, quas invenerunt inviolabiliter observari; dictus tamen dux sententias ipsas damnabiliter vilipendens, non solum super præmissis satisfacere non curavit; verum etiam tamquam suæ salutis prorsus oblitus, pejora prioribus committendo, quasdam civitates, castra, oppida, villas, aliaque suburbia, terras, & loca ad episcopalem sedem Vvadislaviensem: necnon decimas, census, redditus, possessiones, ac alia bona quamplurima ad nonnullas ecclesias suæ civitatis, & diœcesis sibi subiectas spectantia, temere occupans, aliquas de terris, & aliis bonis prædictis vendere, ac alias distrahere pro suæ voluntatis libito non expavit: sicque dictus episcopus, & aliæ personæ prædictarum ecclesiarum bonis suis ecclesiasticis per præfatum ducem taliter destituti, coacti sunt miserabiliter exulare. Propter quod idem episcopus, cum hæc adeo notoria existerent, quod aliqua tergiversatione celari non poterant, in præfatum ducem iterato excommunicationis, & in totam terram ipsius interdicti sententias protulit, justitia suadente. Sed præfatus dux malleum Ecclesiæ tamquam stipulam reputans, easdem sententias per annum, & amplius pertinaciter toleravit, redire non curans ad Ecclesiæ unitatem.

Spretis iis, dux ecclesiæ Wratisl. bona occupat.

XXXII. Solemni ritu singulis diebus festis devinctus anath. a Pont. divulgari jussus.

Unde cum crescente contumacia, pœna sit merito augumentanda, fraternitatibus vestris per apostolica scripta mandamus, quatenus si præmissis veritas suffragatur, vos vel alter vestrum, per vos, vel per alium seu alios, eundem ducem excommunicatum, dictam vero terram interdicto fore suppositam, singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis; & candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam (non obstantibus frivolis appellationibus super hoc ad sedem Apostolicam interjectis seu literis veritati & justitiæ præjudicantibus, a sede impetratis eadem) publice nuntietis & ab aliis nuntiari faciatis dictumque ducem ab omnibus arctius evitari, & nihilominus alias contra eum aggravetis, prout ejus pertinacia exegerit, manus vestras; nobis quod in hac parte feceritis, fideliter & plenarie rescripturi. Dat. Romæ apud S. Sabinam v. *kal. aprilis anno* 1. Ut vero insigni prodigio revocatus ad officium fuerit, & censuris solutus, sequenti anno dicetur: nunc Danicos tumultus perstringimus.

Indictum in illius ditione sacrorum jussitium.

Hoc anno Ericus Rex a conjuratis ex insidiis cæsus est (*a*) cujus sceptra Ericus filius capessivit. Meminit illius cædis Magnus (*b*) archiepiscopus Upsalensis, additque Ingeburgem Magni Regis Sueciæ filiam, Erico juniori connubio conjunctam, ut ea regna amicitiæ fœdera colerent; vicissimque novi Regis sororem in Sueciam, ut Birgero paterni sceptri heredi nuberet, adductam. [1] At hæc indicasse sufficerit. Jam a septentrionalibus rebus ad orientales sermonem traducamus.

Ericus Rex Dan. a conjuratis cæsus. (*a*) *Cranz. Dan. l.* 7. (*b*) *Magnus hist. Got. l.* 20. *c.* 8.

XXXIII. In Syria Christiani, quo perirent citius Hierosolymitani regni reliquias laniarunt, atque Henricus Cypri Rex Ptolemaidem Carolo Siciliæ Regi eripuit: *Joannes Rex Cypri moritur*, inquit, Jordanus (*c*) nempe anno superiori, *cui successit frater Henric. qui MCCLXXXVI. intravit Ptolemaidam cum pulchro stolo, & gente receptus est: sed Hugo de Pilincin pro Rege Carolo ibi erat, & tenuit contra Regem castrum, & fecit intrare omnes, qui erant ibi ad stipendia pro Rege Franciæ, quorum erat capitaneus, exceptis paucis, qui amore Regis Henrici intrare noluerunt. Obsesso castro, quinta die Rex Henricus castrum obtinuit, & postea Tyri Rex Hierusalem coronatus est, dimisitque dominum Philippum de Ybelin avunculum suum baiulum Ptolemaidis.* Eadem a Marino Sanuto (*d*) traduntur.

(*c*) *Jord. MS. Vat. sig.* n. 1960.

(*d*) *Sanut. l.* 3. *p.* 12. *c.* 19.

XXXIV. Exactæ interea constitutæ pro instauranda religione decimæ: sed nulla validiora auxilia submissa. Uguitio in Dania & Suecia collector creatus, (*e*) scriptumque est Regi Norvvegiæ, ut decimas e regno efferri (*f*) permitteret, tum etiam solicitatus, ut legem qua sterlingos argentumve clericis vendi vetuerat, revocaret (*g*) cum ea in rerum Terræ sanctæ dispendium verteretur.

(*e*) *Lib.* 1. *ep.* 351. (*f*) *lb. ep.* 245. (*g*) *lb. ep.* 244.

Honorius, &c. charissimo in Christo filio Regi Norvvegiæ illustri.

Intelleximus quod felicis recordationis Martinus Papa IV. prædecessor noster, perpenso quod de curia regia generalis prohibitio emanarat, ne quivis laicus regni tui sterlingos, vel argentum aliud prædicti regni clericis vendere quomodolibet attentaret; & si secus præsumeret, certa pœna pecuniaria puniretur; serenitatem tuam per suas literas rogandam duxit attentius & hor-

NOTÆ [1] OBitum Erici regis ita describit Chronologus quidam a Ludewig vulgatus num. 4. in Reliquiis to. IX. *Valdemarus filius Erici Ducis ad preces nobilium liberatus carcere conspirare cœpit cum aliquibus regni nobilibus* in mortem Regis, qui & interfectus fuit *per aliquot clam ab iis missos juxta Vviburgum in lecto suo clam in nocte S. Cecilia, anno vero Regni sui XXVI. sepultusque Vviburgis in ecclesia Cathedrali. Accepit autem vulnera mortalia LVI. quorum fuit nullum infra pectus, prater unum: reliquit autem tres filios, Ericum qui fuit rex designatus ante mortem patris, Christoforum, & Vvaldemarum qui mortuus fuit apud Marchionem avunculum suum.* MANSI

Rex Norvvegiæ iniquam adversus ecclesiast. legem jussus rescindere.

& hortandam, ut pro divina, & Apostolicæ sedis reverentia prohibitionem hujusmodi, cum in negotii Terræ sanctæ dispendium redundaret, sublata difficultate qualibet revocares. Cum igitur, ad ipsius promotionem negocii solicite intendentes, ejus quælibet studeamus obstacula submovere, celsitudinem regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus ob divinam & sedis reverentiam supradictæ, prohibitionem prædictam, quæ si diligenter attenditur, in tui cedit derogationem honoris, non differas revocare; ita quod proinde a Domino præmium consequi merearis, nosque regiæ devotionis promptitudinem non immerito, commendemus. Datum Romæ apud S. Sabinam non. januarii anno I.

XXXV. Pantaleonis patriarch. Constantinop. Latinor. obitus.

De Græcorum rebus nil aliud occurrit, quam Pantaleonem patriarcham Constantinopolitanum Latinum obiisse, atque electionem Petri ab Honorio fuisse confirmatam; de qua re subjectæ literæ editæ (*a*).

(*a*) Lib. 2. ep. 98.

Honorius, &c. venerabili fratri Petro patriarchæ Constantinopolitano.

Petrus illi subrogatus.

Facta super hoc nobis a Cardinalibus relatione fideli, nos prædictam electionem, quia eam invenimus de te, viro utique literarum scientia prædito, morum elegantia & honestate decoro vitæ, munditie nitido, & virtutum fulgore præsigni, ac spiritualium & temporalium providentia circumspecto, canonice celebratam, de fratrum nostrorum consilio duximus confirmandam; tibique de mandato nostro per venerabilem fratrem nostrum Latinum Ostiensem episcopum munere consecrationis impenso, demum pallium de corpore B. Petri sumptum, insigne pontificalis officii, cum ea, qua decuit instantia postulatum, tibi fecimus exhiberi; firma spe, fiduciaque tenentes, quod ecclesia ipsa per tuam solertem industriam, & prudentiam circumspectam spiritualibus, & temporalibus, Deo auctore, proficiet incrementis, & tam clerus, quam populus, tuo commissus regimini, tua salubri doctrina & piæ actionis exemplo ad salutem ædificabitur animarum. Tu ergo jactans in Domino cogitatum, ac juxta spem nostram & gratiam a Domino tibi traditam, commissum tibi super gregem dominicum virgæ vigilantis officium officiose ac vigilanter exercens, extirpandis vitiis & plantandis virtutibus solicitudine invigiles efficaci; ut tanquam stella fixa in Ecclesiæ firmamento tibi per vitæ meritum, & aliis proficiens per exemplum, dum plures eruderis ad salutem, in æternitatis gloria gratulari, ac relucere inter alias clarus merearis: & nos, qui tibi in omni opportunitate favorabiliter adesse proponimus, in tuis delectari laudibus merito valeamus. Dat. Tibure X. *kal. septemb. anno* II.

Confirmata ab Honorio ejus electio.

In Asia bellum civile exarsit inter Tartaros, quo earum partium fideles inpliciti fuere, conjurante adversus Cobilam Imperatorem Najam principe Christiano, & signum vivificæ crucis in eum præferente: sed cum illius mores a Christiana sanctitate dissonarent, & injustam ambitionem religionis specie tegeret, divino destitutus præsidio in hostis cecidit potestatem; quæ accurate describit subjectis verbis Marcus Paulus Venetus (*b*): *Anno Domini MCCLXXXVI. patruus ejus Najam nomine, cum triginta esset annorum, & multis populis atque regionibus esset præfectus, juvenili elatus vanitate motus est contra dominum suum Cublai, maximum contra eum ducens exercitum; & ut felicius pugnaret, asciwit in auxilium alium quemdam Regem Caydu nomine, qui nepos erat Cublai Imperatoris, sed odio habebat eum.* Paucis interjectis, ut Cobila, patefacta conjuratione, antequam Najam suas copias cum Caydano posset conjungere, contractis raptim copiis illum occuparit, addit auctor (*c*): *Erat*, inquit, *quidem Najam professione & nomine Christianus, sed non operum fidei sectator, signaveratque principale vexillum suum crucis signo, habens secum non paucos Christianos. Commissum est itaque prælium ab initio diei usque ad meridiem, & ceciderunt multi ex utroque exercitu, donec tandem Cublai superior evaderet; & hostem in fugam verteret. Mox autem ut populus fugere cœpit Najam eaptus est, & ingens multitudo in fuga ipsa occisa. Rex* (*d*) *itaque Cublai, captum habens hostem suum, jussit ut confestim occideretur, qui ausus fuerat contra dominum suum arma movere, & rebellionem excitare: sed quoniam erat de prosapia sua, noluit, ut sanguis regius de stirpe sua funderetur, ne terra regium biberet sanguinem, aut sol vel aer viderent mala morte quemquam de regali progenie natum interire. Jussit igitur ut tapeti involutus, atque ligatus tandiu hinc inde duceretur, agitaretur, traheretur, & impelleretur, donec contracto anhelitu suffocaretur. Hoc autem mortuo, optimates sui & cunctus populus, qui evadere potuerunt, inter quos multi fuerunt Christiani, sponte se submiserunt dominio & obedientiæ Cublai Imperatoris: & tunc quidem quatuor provinciæ accesserunt ditioni ejus, quarum nomina sunt, Funotia, Caul, Barscol, & Seinebintingui.*

Bellum civile inter Tartaros.

(*b*) Marc. Paul. Venet. l. 2. c. 2.

(*c*) Cap. 4.

Najam Christianus perfide in Imperat. conjurat.

In acie capitur a Cobila.

(*d*) Cap. 5.

Quo mortis genere sublatus.

Porro (*e*) *Judæi & Saraceni, qui in exercitu Cublai fuerunt, cœperunt Christianis, qui cum Najam venerant, exprobrare & dicere, quod Christus, cujus signum Najam in vexillo habuerat, non potuerit suis auxilio esse: hasque contumelias quotidie Christianis objecerunt, Christi potentiam ut inanem irridentes. Christiani vero, qui ad Regis Cublai obedientiam venerant, indignum rati, ut talia ferrent convitia, quæ gloriam Christi minuerent, conquesti sunt Imperatori quales illis inferrentur injuriæ. At ille, convocans Judæos, Saracenos, & Christianos, ad Christianos conversus ait: Deus vester & crux ejus noluit quidem Najam præsidium ullum ferre; verum vos propterea nolite erubescere, quoniam Deus bonus & justus injustitiæ & iniquitati patrocinari minime debuit. Najam domini sui proditor extitit, atque contra omnem æquitatem rebellionem excitavit. Et quidem Dei vestri auxilium in sua malitia imploravit; sed ille, ut Deus bonus & rectus, noluit favere illius criminibus. Unde mandans Judæis & Saracenis cæterisque Christiani nominis blasphematoribus interdicebat, ne ullus eorum Christianorum Deum aut crucem ejus amplius blasphemare præsumeret. Sic illis silentium impositum est. Cublai vero, tumultu sedato, cum victoria & gaudio ad civitatem suam Cambalu est reversus.*

(*e*) Cap. 6.

Saraceni & Judæi insidias Christianis comparant.

Quod vero ad Caydo Najæ fœderatum attinet; suas ille lites cum Imperatore Tartaro composuit, eumdemque a Nicolao IV. ad Christi sacra amplectenda solicitatum dicetur inferius (*a*). Sensisse porro optime Cobilam Imperatorem de Christiana religione, ex superioribus constat; tum ex eo, quod antea legationem ad Romanum Pontificem pro expetendis præconibus evangelicis decrevisse vidimus: adeoque ejus in religionem Christianam studium in oriente pervulgatum fuit, ut ipsius nepos Abagha Rex Persidis Joanni XXI. Pontifici significarit (*b*) Cobilam Imperatorem Christiana sacra suscepisse, Nicolaum III. Cobilæ ea de re gratulatum (*c*); nec non eumdem Cobilam a Nicolao IV. sacerdotes Christianos, qui ipsum ac Tartaros evangelica luce collustrarent, expetiisse visuri sumus. Quod magis ad Christi gloriam cedit, cum a suis gentilitia caligine involutis instar numinis Cobila coleretur, ut Paulus Venetus pluribus annis in ejus aula versatus describit (*d*), dum agit de superstitione Tartarorum.

(*a*) *Ann. Christi* 1289. n. 63.

(*b*) *Ann. Christi* 1278. n. 21.

(*c*) *Ibid.*

(*d*) Paul. Venet. l. 2. c. 15. De superstitione Tartarorum.

In die, inquit, *Kalendarum februarii, qui initium est anni Tartarici, magnus Chan & omnes Tartari ubicumque sunt, maximum & solemne celebrant festum, omnesque unanimiter tam viri quam mulieres student albis indui vestibus, vocantes diem illum festivitatem alborum: nam credunt vestem album bonum habere fatum; ideo, ut toto anno fortuna illis sit propitia, in anni initio albis induuntur. Porro civitatum rectores & provinciarum præfecti memores officii sui mittunt Imperatori hoc die munera aurea & argentea, unciones & gemmas pannos pretiosissimos &*

equos candidi coloris; unde nonnunquam fieri solet, ut Regi in hoc festo offerantur centum millia alborum equorum. Et infra: *Illucescente die alborum, omnes Reges, duces, barones milites, medici, astrologi, præfecti provinciarum atque exercituum, & alii Imperatoris officiales ad aulam Regis conveniunt, & quibus locus in ea contingere nequit ob hominum multitudinem, hi collaterales ingrediuntur aulas. Cunctis itaque in suo ordine & gradu sedentibus juxta cujuslibet officii dignitatem, surgit unus in medio, & alta voce clamat: Inclinate, & adorate. Hac voce facta, consurgunt omnes celeriter & genuflectunt, fronteque ad terram demissa, quasi deum adorant: & id quatuor faciunt vicibus. Adoratione completa, vadunt omnes suo ordine ad altare, quod in aula positum consistit super unam tabulam depictam rubeo colore, in qua scriptum est nomen magni Chan: arreptoque thuribulo pulcherrimo, & redolentibus speciebus illi impositis, ad honorem magni Chan cum multa reverentia tabulam ipsam & altare suffumigant, & ad sua redeunt loca. Thurificatione ista nefaria completa, quilibet in conspectu Imperatoris offert munera illa, de quibus supra diximus.* Hactenus de rebus Tartarorum.

Ut Imperatorem colant instar numinis.

XXXVI. Mutatus Honorii jussu Carmelitarum cultus.

Ad hujus anni calcem congerere visum est, quæ Honorius ad religiosas familias ad cultum sanctitatis revocandas, excindendas nonnullas subnascentes sectas, quæ religiosorum habitu erant insignitæ, tum ad alias fovendas amplificandasque decreverit. Confirmasse ipsum in primis Carmelitarum ordinem, ac nonnulla de eorum cultu sanxisse, refert Ptolemæus Lucensis his verbis (*e*): *Ordinem Carmelitarum solidavit, qui prius in concilio remanserat in suspenso. Tunc mantellos subvariatos mutaverunt in cappas albas.* His similia traduntur a Card. Baronio (*f*); *Facta est*, inquit, *reformatio Carmelitarum: inter alia cappas variatas, quas portabant ex albo & nigro; in albas commutarunt.* Constitutum id ab Honorio, quod variegata vestis religiosam gravitatem dedeceret, docet S. Antoninus (*g*): *Eo tempore*, inquit, *cum fratres ordinis Carmelitarum deferrent habitum, qui minus convenire videbatur viris religiosis, scilicet cappam circulatam largis virgis albis, & griseis, quem habitum asserebant fuisse Heliæ prophetæ habitantis in monte Carmelo in Syria (quod tamen neque in sacra Scriptura, neque in authentica scriptura reperitur) Papa Honorius IV. propter majorem honestatem mandavit, habitum illum dimittere, & desuper cappas ex toto albas, & tunicas subtus griseas cum scapularibus assumere. Hi habuerunt initium sub quodam patriarcha Hierosolymitano, cum in Syria habitabant Chri-*

(*e*) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 13.

(*f*) Baron. in notis MS.

(*g*) S. Anton. p. 3. tit. 20. c. 5. in princ.

Christiani Hierosolymis, & in aliis multis civitatibus. Degebant autem in monte Carmelo, ut eremitæ, & sub regula beati Basilii: sed Honorius III. confirmavit ordinem illum, & postmodum is Papa commisit Hugoni Cardinali ordinis Prædicatorum, ut adderet dictæ religioni quasdam constitutiones, quas in posterum observarent. Sed in processu temporis occupantibus Saracenis ex toto partes Syriæ, recedentes Carmelitæ de locis illis, dispersi per orbem in terris Christianorum ædificaverunt plurimos conventus ex eleemosynis fidelium collatis propter eorum devotam conversationem, & exemplarem. Aliqui tamen referunt, quod Soldanus Saracenorum, qui prius eos habebat in reverentia, propter Heliam prophetam, mutato habitu eis dato a Papa, in contemptum Papæ & fidelium fecit eos expelli de monte Carmelo, unde Carmelitæ dicuntur, non quod ab Helia habuerint initium. Pulsos etiam hac occasione fidei odio Carmelitas a barbaro, ut prævaricatores prophetici instituti, meminit Joannes Villanus (*a*): quos quidem tanta multitudine montem Carmelum incoluisse tradunt (*b*), ut numerus ad septem millia & quingenta ascenderet, in quibus centum octoginta sacerdotio initiati forent. Cæterum de præscripta iis religiosæ disciplinæ formula ab Alberto patriarcha Hierosolymitano, confirmataque ab Honorio III. extat pontificium diploma typis cusum. (*c*) At de Carmelitis hactenus.

E monte Carmelo a Sultano ejecti.

(*a*) *Jo. Vill. l. 7. c. 108.*

(*b*) *Continuat. belli sacr. l. 5. & alii.*

(*c*) *Ext. in bullar. in Honor. III. sub finem.*

Ut perspecta horum virtute Honorius ipsorum res vehementer auxit, ita sectatus vestigia Gregorii X. qui in concilio Lugdunensi omnia religiosam vitam colentium sodalitia, quæ ab sede Apostolica confirmata non erant, dissolvi jusserat, in mendiculos quosdam impostores, qui se Apostolicos ad inanem gloriolam aucupandam cognominabant, censuris animadvertit: cum nonnulli, maxime sub eo religioso habitu, hæresi aspersi inventi essent; præcepitque, ut ni eam vestem ponerent, conjicerentur in vincula, ac fideles iis eleemosynas dare vetarentur: si qui vero ex ipsis religiosæ vitæ amore tenerentur, approbato a sede Apostolica religioso cœtui se aggregare imperavit (*d*). Fovit vero paterna benevolentia eos, qui virtutem non ficte sed ex animo colebant: inter quos S. Guillelmi alumnos, quibus ante adeptum pontificatum monasterium extruxerat, singulari amore, ut ex literis apostolicis anno superiori datis patebit, est prosecutus (*e*).

Apostolicorum ordo dissolutus ab Honorio.

(*d*) *Lib. 1. ep. 306. ext. in bull. in Honor. IV.*

Guillelmitæ ab eo aucti beneficiis.

(*e*) *Ib. ep. 431.*

Honorius &c. dilectis filiis generali, cæterisque prioribus, & fratribus ordinis sancti Guillelmi

Dum humanæ. Et infra: *Nos dum essemus in minori officio constituti, viis infra nostræ mentis claustrum accuratius recensitis, subiit quasi stuporis ex hoc perculsi spiculo, protinus cogitantes, in operis pietate præoccupare faciem majestatis æternæ, caduca in æterna, & terrena in cælestia felici commercio commutando, in fundo paterno consistente in Albano monasterium in honorem B. Pauli Apostoli fecimus construi, & dotavimus de bonis propriis intuitu retributionis divinæ. Ac postmodum de laudabili congregatione psallentium Deo nostro ibidem instituenda solliciti, personas religione conspicuas quæsivimus diligenter: & post exactam habitam in hac parte indaginem, in ordinem vestrum (cujus curam auctoritate apostolica tunc gerentes, ipsius professorum qualitatem experimento didicimus & abundantia pietatis laudabilem, & charitatis igne succensam) direximus, nec mirum, nostræ intentionis affectum: sicque de conspicuæ honestatis vestræ meritis plenam notitiam obtinentes; ac sperantes, quod in dicto monasterio, velut oliva fructifera fructificabitis cœlestis gratiæ rore perfusi; prædictum monasterium cum omnibus juribus & pertinentiis suis vobis, & per vos eidem ordini duximus concedendum; ordinato expresse, quod præter familiares opportunos, duodecim clericos, non computato priore, quorum octo sacerdotes existant ejusdem ordinis, in eodem monasterio continue teneatis: quædam quoque alia salubria, & honesta vobis consentientibus inibi ordinavimus observanda, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur, venerabilis fratris nostri episcopi Albanensis ad hæc libero accedente assensu. Sane nos postmodum, licet immeriti, ad apicem summi apostolatus assumpti, desiderantes hæc apostolici muminis adjectione fulcire, concessionem, & ordinationem hujusmodi, necnon & alia pro salutari statu ipsius monasterii & conservatione ac gubernatione bonorum ejusdem in instrumento ordinata præfato, habentes rata & grata, ipsa auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus, &c. Datum Romæ apud S. Sabinam* XII. *kal. maii anno* I.

XXXVII.

Absolvimus hunc annum felici ad æternitatem transitu (*f*) B. Ambrosii Sansedonii ordinis Prædicatorum, de quo Baronius in notis ad martyrologium Ro-

XXXVIII. (*f*) *Baron. in not. ad Martyrolog. Rom. 20. mart.*

manum: *Migravit ex hac vita anno Domini MCCLXXXVI. die XV. martii* [1]. *Hunc martyrologio Romano adscribi S. D. N. Clemens merito præcepit*, subjectis nimirum verbis: *Senis in Tuscia B. Ambrosii Senensis ordinis Prædicatorum sanctitate, prædicatione, & miraculis clari.*

XXXIX. B. Ambrosius Sansedonius ord. Præd.

Describit apud Leandrum Sebastianus Flaminius (*a*) edita ab Ambrosio sanctitatis signa in extremo vitæ actu: *Cum tempus*, inquit, *supervenisset quadragesimale, in quo Senis solita vehementia, & animi fervore prædicabat, iis de causis nocte accidit quadam, uti vim sanguinis ingentem ore evomuerit, & ob id eum fratres orabant, nollet amplius prædicare, quoad non foret sanatus. Quibus parere recusans, mane sequenti tanta vehementia in fœneratores est invectus, ut finita prædicatione, cum aliquantisper quievisset, major postmodum vis sanguinis exterit. Sensit Ambrosius sese jam ad extremum vitæ diem pervenisse, quod fratribus & discipulis circumsedentibus, & multas effundentibus lacrymas statim manifestavit: quos omnes etiam melliflua adhortatione solatus est, nequaquam, eos monens finis a se tam optati debere tristari. Finito sermone eos rogavit omnes aliquantulum e camera secederent: illum quietis causa hoc facere autumantes, unum dumtaxat intus reliquerunt. Tum flexis genibus ad Dominum, ac omnium rectorem luculentissimam, sicut accepimus, habuit orationem, quam nonnulli fratrum, ostio, ut audirent, inhærentes pene totam scripserunt, cujus formulam videre non potuimus.*

(*a*) *Apud Leand. l. 5. de viris illustr. ord. Præd. in Ambrosii vita.*

Pia ejusdem mors.

Obiit Ambrosius anno 1287.

XL. Summa veneratione Eucharistiam sumit.

Peracta oratione Eucharistiam petiit, quam is priusquam sumeret, magna reverentia e lecto surgens, licet imbecillis humi poplitem flexit, aliamve orationem habuit, quæ præsentes omnes singultus lacrymasve complurimas compulsi sunt emittere. Dein sumpto sacramento membra denuo reponens thoro, cætera, quæ morientibus solent adhiberi, petivit. Tunc præcipue ejus discipuli, & una cæteri fratres cum hujusmodi consortio se privari cernerent, in lacrymas effusi sunt. Quod ubi conspexit Ambrosius, iterum ad eos conversus hortabatur, exempla afferens sanctorum multa, ne sui ipsius sortem ingemiscerent. Dein efferens caput, singulos complexus ejus benedictionem rogantes deosculabatur. Interim hominum feminarumque ingens numerus, audita Ambrosii morte, ad divi Dominici templum ingemiscentes concurrebant. Plerique in platea ante ecclesiam boni viri, cœlum conspicientes, nimbum effulgere conspicati fuere, in cujus medio stella ingens & radiosa sita erat, cui inhærentes fixis oculis paulatim abeuntem viderunt. Ex templo ex his unus: Emigravit Ambrosius, alte inclamavit; tumque fratrum sonos ploratuum omnes audivere. Non defuerunt puerorum præsagia. Nonnullisque interjectis, quibus pueri innocentissimi professi sunt vidisse Ambrosii animam ab Angelis in cœlum efferri, subdit: *Mortuus est anno MCCLXXXV.* numeratis nimirum annis ab incarnato Verbo, *mensis martii; e cujus corpore suavissimus emanabat odor.* Adduntur ab auctore plura miracula a Deo ad B. Ambrosii imploratam opem patrata, quæ brevitatis studio prætermittimus: ea vero fusius a Julio Sansedonio episcopo Grossetano, qui B. Ambrosii vitam tribus libris est complexus, publicis tabulis consignata (*b*) afferuntur una cum Gregorii XIII. Sixti V. & Pauli V. diplomatibus (*c*), quibus indulgentiæ ejus reliquias recurrente die Ambrosii nomini sacro veneraturis propositæ sunt.

Bullar. mach. Annot. ad lit. S. Car. Ep. 102.

Visa illius anima in cœlum ab Angelis efferri.

Miraculis coruscat.

(*b*) *Lib. 3. c. 4.*

(*c*) *Eod. c. 5.*

Indulgentiæ ejus reliquias veneraturis propositæ.

NOTÆ [1] Obiit hoc anno, ut Annalista diligenter ex Baronii schedis notat, B. Ambrosius Sansedonius ordinis Prædicatorum. Vitam ejus primi omnium scripsere quatuor ex Prædicatorum familia a Præfulibus ordinis sui ad id munus delecti, instante atque jubente Honorio IV. Pontifice. Vitam hanc e manuscripto Codice vulgarunt Bollandiani socii ad diem XX. martii. Porro Ambrosius e nobili Senensi familia anno 1226. die XVI. Kalen. Maii natus in sacram Prædicatorum familiam adlectus fuit die XVI. Aprilis anni 1237. Ad Theologiæ studia primum in monasterio sui ordinis in Italia, dein Parisiis sub Alberto Magno incubuit, in quibus cum profecisset maxime, famamque sibi comparasset insignem, tum quod scientia excelleret, tum pariter quod per Germaniam dissidentes Principes prædicatione sua conciliasset, hæreticosque Bohemos tunc glisscentes disputationibus refutasset, Gregorii X. legationes in varias Europæ partes obivit. Summa quoque ejus fuit dexteritas in componendis variis per Italiam dissidentibus nationibus; legatus enim ad Florentinos missus est ut cum Pisanis coiret, Venetorum quoque & Genuensium discordias sedasset, nisi inopinus Pontificis obitus intercessisset. Conradinus, qui ob invasam Siciliam pontificias censuras incurrerat, ejus operæ feliciter usus fuit ut ad Ecclesiæ pacem admitteretur. Denique meritis plenus ac laboribus pro Ecclesia, pro fide, pro salute proximorum confectus anno & die, superius indicatis in Senensi Ordinis sui Monasterio obivit. MANSI

I. ANnus a Virginis partu milleſimus ducenteſimus octuageſimus ſeptimus, indictione quintadecima, Romani Pontificis obitu, adductaque in diſcrimen ob Ladiſlai Regis impietatem in Ungaria Chriſtiana re acerbus extitit. Detorſerat adeo in flagitia mores impudicos Ladiſlaus, ut Cumanos, Tartaros, Neugerios, Sarracenos in familiaritatem aſciſceret, ac nil minus aberat, quam ut eorum vitiis imbutus religionem Chriſtianam in Ungaria everteret. Nicolai itaque exemplo Honorius illum monuit (*a*), ut uxorem regio thoro reſtitueret, ritusque paganorum, quos imbibiſſe fama erat, proſcriberet: ac ni pareret, Strigonienſi archiepiſcopo ſe provinciam demandaſſe, ut Ungaros ad ſacra arma corripienda in Saracenos, Neugerios, Cumanos, Tartaros, alioſque gentiles religionis hoſtes, tum in omnes qui eos foverent, concitaret.

(*a*) *Lib. 2. ep. 264.*

Chariſſimo in Chriſto filio Ladiſlao Regi Ungariæ illuſtri.

Corripitur ab Honorio

Si ſparſa ſemina de gremio matris Eccleſiæ ſeminata colligeres, divinæ gratiæ participatione ſentires, quod ipſa Eccleſia, progenitorum tuorum merita clara rememorans, te bajulare, ac lactare cœpit ut filium; & tandem, cauſa ſuggerente, maternis allocutionibus, ne ſic clarum germen decideret, te informavit, ac direxit, indefeſſis ſolicitudinibus & ſtudiis opportunis, ſpecialiter a tempore felicis recordationis Nicolai Papæ prædeceſſoris noſtri, prout ipſius prædeceſſoris actus ſalutiferi repræſentant.

Sed, proh dolor! ſicut diverſis ſcripturis & relatibus, ac alias fama divulgante, amare percepimus, tu deſiſtis, progenitorum eorumdem veſtigiis fallibili colluſione degenerans, licet interdum ejuſdem matris exhortationibus acquieſcere ore prætenderes; tamen in ruinam ſponte proſilire dignoſceris, dum Deum contemnere non vereris, vel revereri contemnis; & alias in præcipitium te devolvis, deſtructionem famæ propriæ non aſpernans, cujus notabiliter prodigus, poſitus es in notabile ſpectaculum gentibus, ut tanquam criminoſus mereris a ſingulis denotari; pro eo maxime quod religione Chriſtiana poſtpoſita, vel potius abjecta, in contemptum divini nominis te cum Tartaris, Saracenis, Neugeriis, paganis converſatione damnata confœderare te diceris; ſpecialiter vivendi cum eiſdem Neugeriis norma ſumpta, & abjecta, immo potius carceri tradita immaniter uxore propria, videlicet chariſſima in Chriſto filia noſtra E. Regina Ungariæ illuſtri; deſeviens in te ipſum, & regiam domum Ungariæ, quæ conſuevit claris germinibus fœcundari, in ipſius domus exterminium, thorum fœdare non metuis conjugalem: ſicque, ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, degis divina & humana lege vetiti criminis labe pollutus, in ſcandalum hominum, & redderis in conſpectu ſuperni Numinis odioſus.

II. A ſuo conſortio infideles ablegare juſſus.

Unde cum ex injuncto paſtorali nobis officio animarum curam gerere teneamur, dolentes & merito ſi talem de te reddere nos contingat in examine ſuperni judicii rationem; & cupientes, ut ſalutis vitato diſpendio, electorum aggregari conſortio mereariſ; celſitudinem regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus eorumdem Tartarorum, Saracenorum, Neugeriorum, & paganorum, ac aliorum infidelium dimiſſis erroribus; in quorum obſervatione a via lucis deviatur, & itur in tenebras; quæ docet & ſervat univerſalis Eccleſia, velut plantatus in domo Domini, devotæ converſionis ſtudiis amplectaris, & eandem Reginam reſumens, & in ſecuro ſtatu conſervans, eam ut teneris maritali affectione pertractes; ita quod tu per hæc plene percipiens ſalutis divinæ flagrantiam, efficacius ad amorem ejus allectus, ad dona cœleſtis gratiæ valeas pervenire; ac fugato nubilo, dicta domus Ungariæ reluceat titulis ſolitæ claritatis.

III. Adverſus ipſum, & infideles, ni ſe emendarit, ſacrum bellum indicendum pronuntiat Pont.

Et ne videatur correctio paterna tepeſcere circa filium delinquentem, venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Strigonienſi, de cujus circumſpectione ac examinata probitate confidimus, per alias diverſas literas noſtras injungimus, ut in hac parte datas ſibi a Domino virtutes exercens, te a ſic nefandis erroribus retrahat, & ad viam ſalutarem ſtudioſa operatione reducat. Et ſi dicti Tartari, Saraceni, Neugerii, & pagani damnatos ſuos conatus contra catholicæ fidei profeſſores exercitare voluerint, ne ipſorum invaleſcat temeritas in diſpendium fidei Chriſtianæ; contra prædictos Tartaros, Saracenos, Neugerios, & paganos, ac alios adhærentes eiſdem, vel eos in iis quomodolibet confoventes, cujuſcumque ſtatus, aut conditionis extiterint, per ſe vel per alium, ſeu alios ſtudeat ſolicite proponere verbum crucis: & contra te ſpecialiter, niſi prædictam Reginam reſumpſeris, & eam, ut prædicitur, tute tractaveris exerceat cenſuram eccleſiaſticam, auctoritate noſtra munitus. Et nihilominus cæteris Regibus, ducibus, comitibus, & baronibus, ac populo illarum partium ſcribimus, ut ſuper iis archiepiſcopo aſſiſtant eidem: nec ceſſabimus, quantumcumque invite, ſi oportuerit, quod non credimus, ad tuam correctionem partes apoſtolicæ ſolicitudinis ſicut expediet, adhibere. Per hoc autem, quod te in præſenti litera, cum ſolitæ benedictionis eloquio ſalutamus, quia nondum de hujuſmodi tuis actibus patet nobis veritas narratorum, ſcutum alicujus confidentiæ non aſſumas, quominus hominis & canonis ſententiis, ſi eas forſan incurreris, ſis ligatus. Dat. Romæ apud S. Sabinam IV. id. martii anno II.

Finitimis Regibus de ea re ſcribit.

Eadem ſententia ad archiepiſcopum Strigonienſem ſcriptum oſtendit regeſtum pontificium (*a*): juſſus enim eſt in eo luctuoſiſſimo tempore zelum, quo tuendæ religionis ardebat, explicare; eodemque argumento plures Ungariæ proceres eccleſiaſtici & laici ad defendendum Chriſti nomen excitati (*b*). Ut vero, Ladiſlao ob ſcelera pereunte, regnum Ungaricum multis laceratum bellis, demum a Ladiſlai e ſorore pronepote regiæ Siculæ principe ſplendori priſtino fuerit reſtitutum, ſuo loco dicetur: nunc ad tractatum de liberando Carolo agitatum hiſtoriam traducimus.

(*a*) *Ib. ep. 265.*

(*b*) *Reg. poſt eand. ep.*

IV. Eduardus Rex Alfonſum inter & Carolum fœdus paciſcitur.

Suſcepta conciliandi fœderis provincia, Eduardus Anglorum Rex impoſuerat iniquas adeo leges Carolo II. ac dignitati Eccleſiæ adverſantes, ut conſtituras pactiones Honorius ex Cardinalium conſilio penitus reſciderit: quarum præcipuæ erant, ut Siciliæ inſula cum adjacentibus inſulis, ac Tunetani regni vectigali, terriſque omnibus infra Rheginenſis archiepiſcopatus limites ſitis Jacobo aſſereretur, Alfonſo Aragoniæ jura redderentur, Carolus ſedem Apoſtolicam ad ea rata habenda adduceret; aliæque adjectæ conditiones, quæ in literis (*c*) Honorii inſpici poſſunt.

(*c*) *Lib. 2. ep. cur. 47.*

Nobili viro Carolo claræ memoriæ C. Regis Siciliæ primogenito.

Iniquæ admodum illius leges fuere.

Venerabilis fratris noſtri R. epiſcopi Vapincenſis, & dilecti filii Gaufridi de Launcello eccleſiæ Aptenſis præpoſiti nunciorum tuorum relatione didicimus, quod nonnullis pactis tractatibus inter te ac Alfonſum & Jacobum, natos quondam Petri olim Regis Aragonum, hactenus habitis, dictus Alfonſus tibi per eccleſiæ Salſenſis præpoſitum intimavit, quod idem Jacobus, & Conſtantia mater ejus ipſum per nuncios ſpeciales duxerant requirendum, ut a compoſitione ſive concordia pridem inter te illoſque tractata, dum adhuc eſſes in Siciliæ partibus, recedere non deberet; quodque ipſe intendebat omnino eorum in hac parte proſequi voluntatem: veruntamen procuraret, eoſque compelleret, quod contenti exiſterent, ut abſque conditione, vel retentione aliqua, Siciliæ inſulam cum inſulis omnibus, quæ ſibi adjacere noſcuntur, terramque totam infra Rheginenſis archiepiſcopatus limites conſiſtentem, Tunitiique tributum, Regi Siciliæ debitum eidem Jacobo & heredibus ſuis in perpetuum duceres concedenda: & quod inſuper procurares & faceres, ut conceſſionem ſeu donationem hujuſmodi ſedes Apoſtolica confirmaret, ac proceſſus contra eundem Petrum ſuper privatione regni Aragoniæ, & alios quoſlibet contra præfatos Alfonſum, & Jacobum, & Conſtantiam, eorumque vaſſallos per ſedem ipſam habitos; necnon & conceſſionem de prædicto Aragonum regno factam, totaliter revocaret.

V.

Adjecit quoque ſæpefatus Alfonſus per Salſenſem præpoſitum ſupra dictum, quod nec per obſides, neque per ſecuritates alias poſſes quomodolibet libertati reſtitui, donec præmiſſa perducta fuerint ad effectum; ac etiam eundem Jacobum natamque tuam natu majorem, & primogenitum tuum ac Iſalandam Alfonſi & Jacobi prædictorum ſororem contingeret matrimonialiter copulari. Et ut prædicta poſſent melius perfici, efficaciuſque compleri, treugæ, quæ Romanam eccleſiam & ejus valitores, ut patriæ verbis utamur, includerent, inirentur a medietate menſis maii venturi proximo inchoandæ, ac ex tunc per biennium duraturæ; ita tamen, quod idem Jacobus præfato Alfonſo, in guerra qualibet poſſet auxilium impertiri, prout hæc omnia in quadam cœdula conſcripta vulgariter ac nobis per nuncios tuos ſupradictos exhibita percepimus plenius continentur.

VI. Corripitur Carolus Rex iis aſſenſiſſe.

Sane, fili, niſi conſideratio tui ſtatus aliud ſuaderet, grandis ſubiret audientium mentes admirationis, nec minus turbationis occaſio, ex eo quod auditum etiam expoſito tibi per dictum Salſenſem præpoſitum præbuiſti tractatui, vel illum per eoſdem nuncios tentaviſti nobis exponere, dictive nuncii miniſterium expoſitionis hujuſmodi aſſumere præſumpſerunt. Numquid enim dictorum Alfonſi, vel Jacobi aut patris, & matris eorum demerita meruerunt, ut tantum de ſuis iniquitatibus commodum conſequantur? In quo unquam ipſi Alfonſus & Jacobus, eorumve genitrix, etiam poſt memorati Petri obitum ejuſdem Eccleſiæ ſe beneplacitis coaptarunt, aut quæ correctionis, vel humiliationis indicia prætenderunt, ut talia poſtulare præſumant? Numquid per detentionem tui tam arctam, hæc vel iis ſimilia cogitant obtinere? Profecto contumacia, & protervia non benevolentiam provocant, ſed indignationem irritant.

Cum itaque petitiones, in dicto contentæ tractatu, nihil rationis habeant, nec petentium meritis adjuventur; ſed in ejuſdem Eccleſiæ ac tuum grande præjudicium redundare noſcantur, ut tibi, Alfonſo & Jacobo, matrique prædictis de ipſius conſummatione, vel approbatione tractatus, ab eadem ſede ullo unquam tempore obtinenda ſpes deinceps aliqua non ſuperſit, ſed

Rescissæ ejus fœderis leges a Pont.

sed præcidatur omnino ; nos tractatum eundem tibi, ut præmittitur, per memoratum præpositum Salsensem expositum, de fratrum nostrorum consilio reprobantes expresse, ac nihilominus si forte de facto processit, cassantes, & penitus revocantes, ipsum omnemque alium ei similem præsumi de cætero districtius inhibemus : & si quis hujusmodi fuerit deinceps quoquo modo præsumptus, illum ex nunc decernimus irritum & inanem, ac nullius existere firmitatis. Si tamen memorati Alfonsus, Jacobus, eorumque genitrix se ipsius Ecclesiæ gratia habilitare studerent, a suis desistendo excessibus, & circa te, tuamque liberationem præcipue se humiliter ac benigne gerendo ; quia numquam gremium redeuntibus claudit Ecclesia, ipsius misericordiam se humiliantibus, & ut res exigit, pœnitentibus exhibendam, ad tuam maxime instantiam eadem Ecclesia non negaret. Datum Romæ apud S. Sabinam IV. *non. martii pontificatus nostri anno* II.

VII. Ne vero capto principi ad permulcenda servitutis incommoda divina solatia subtraheret, cui hostes humana eripuerant, concessit ei (*a*) Honorius, ut quamdiu interdictum, quo Aragonia & Cathalonia percussæ erant, teneret, sacra coram eo peragi possent : *Tuis*, inquit, *supplicationibus inclinati, volentes tibi gratiam facere specialem, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut ecclesiastico interdicto, cui regnum Aragoniæ, & comitatus Barcilonia auctoritate apostolica supposita sunt ad præsens, durante, dum te captum inibi contigerit detineri, liceat tibi & familiæ tuæ te cum per capellanos & clericos tuos submissa voce, excommunicatis & interdictis exclusis, missarum solemnia, & alia divina officia facere celebrari. Datum Romæ apud S. Sabinam* IV. *non. martii anno* II. Inter hæc Robertus comes Atrebatensis regiæ Neapolitanæ procurator ad recuperandam Siciliam impetus effudit, cepitque Augustam, cumque validam classem ad propagandam latius victoriam immitteret, Rogerius Loria Jacobi Aragonii classis præfectus obviam progressus Gallosque incompositos adortus fudit, ac paulo post Augusta ad deditionem compulsa a Jacobo ; de qua victoria hæc Jordanus tradit historiæ (*b*) : *Galeæ regnicolarum euntes contra Siculos obviam habuerunt Rogerium de Loria, qui eas multo ingenio superavit, ubi erat comes Theatinus dictus Philippus filius comitis Flandriæ.* [1] Captum inter cæteros proceres Guidonem Montisfortis comitem addunt Ptolemæus Lucensis (*c*) in historia ecclesiastica, Joannes Villanus, (*d*) & S. Antoninus, (*e*) hunc vero e carcere numquam dimissum, ad ineundam ab Anglo Rege illi infestissimo gratiam, quamvis alii multo auro se redemerint, atque ita in carceris squalore periisse, sed insigne virtutis exemplum explicuisse nonnulli referunt (*f*), cum nimirum in morbum rei venereæ usu levandum incidisset, ne se adulterio contaminaret, mortem vitæ prætulisse.

(*a*) *Lib.* 2. *ep.* 46.
Permissum Carolo in Aragonico carcere divinis interesse. Robertus Atrebat. Siciliam recuperare tentat.
(*b*) *Jord. MS. Vat. sig. n.* 1960. *Surit. annal. l.* 4. *c.* 95.
Illius classis a Rogerio Loria profligata.
(*c*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.* 24. *c.* 22.
(*d*) *Jo. Vill. l.* 7. *c.* 116.
(*e*) *S. Anton.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 5. *§.* 3.
Guido e Montforti captus.
(*f*) *Thomas Fazell. poster. decadis l.* 9.
Mavult mori quam fœdari adulterio.

VIII. Quod porro ad Eduardum paulo superius memoratum attinet ; tradit de eo Westmonasteriensis, (*g*) ipsum graviori morbo implicitum, prope Burdegalam decubuisse, atque ab eo recreatum, crucem cum maxima hominum multitudine induisse : ac tum ab sedis Apostolicæ legato Christianorum exercituum crucesignatorum ducem creatum. At is postea levissima ex causa devota Christo arma in Gallos convertit ; atque interea Saraceni ad perdendam Syriam furorem auxere. Imminebant illi Tripoli, nobilissimæ Christianorum urbi, in quam, Antiochia amissa, princeps regiam traduxerat ; cum Deus intentato extremo discrimine spatium peccatoribus, ut flagitia expiarent lacrymis, concessit, ac barbarorum impetus domestica clade retardavit, ut ex Jordano colligitur : *Eodem*, inquit, (*h*) *anno Soldanus misit Letaratam ad recuperandum castrum, quod tenebat Sangolascar ; quo obtento habuit castrum Liciæ. Præterea venit Soldanus ad obsidendam Tripolim : sed interim filius ejus moritur, & præ dolore destitit.* Consonat Jordano Marinus Sanutus, qui plura alia, ex quibus Syriacæ rei status perspicitur, adjungit, ac inter alia Tripolitani comitis obitum, ex quo barbaris ad excindendam brevi Tripolim crevit audacia : *Admiraldus*, inquit, (*i*) *vocatus Leteratayn MCCLXXXVII. missus est a Soldano Babyloniæ ad obsidendum castrum unum, quod Sangolascar tenebat contra Soldanum prædictum. Habito vero castro, cepit* XIII. *die aprilis castrum Liciæ principis Antiochiæ. Deinde venit Crach, & ibi mandavit magnum fieri apparatum machinarum, & aliorum necessariorum ad obsidendum Tripolim : quod principi per quemdam ad admiraldum sibi familiarem intimatum est. Tunc princeps victualibus munit castrum Nephyn, & in civitate mandat fieri sexaginta pistrina. Venit itaque Soldanus ad obsidendum Tripolim : sed interim filius ejus moritur, & præ dolore a proposito resiliit. Comitissa vero de Blois applicuit Ptolemaidem, & fecit inter cætera laude digna pulchram turrim ad babarcanum prope S. Nicolaum, & inter portam S. Thomæ & portam de Malpas fecit pulchrum babarcanum, & secunda die augusti migravit ad Dominum. Boamundus etiam princeps Antiochenus* XIX. *octobris mortuus est. Mater vero petiit sibi fieri homagia : cui respondetur, quia Luciæ sorori principis hoc debetur, quia jam erat ætatis adultæ, & erat nupta : & tandem in hoc conveniunt, quod omnes communiter jurant matri principis defuncti, & ipsa eis mutua jura defendere : quando domina venerit, quæ ultra mare iverat, tunc illi jurarent defendere jura sua : quod & factum est. Illa vero Bertrandum de Gibeleth statuit loco sui.* Plagendum erit inferius Tripolis excidium : interea pontificium funus lugeamus.

Eduardus Rex e morbo recreatus crucem induit.
(*g*) *VVest. Flor. hist.*
(*h*) *Jord. MS. Vat. sign. n.* 1960.
(*i*) *San. l.* 3 *secr. fid. cruc. p.* 12. *c.* 20.

NOTÆ [1] Victoriam quam Rogerius de Loria copiarum Jacobi Regis ductor supremus de hostibus reportavit fuse, & morose describit Bartholomæus a Neocastro Hist. Sicul. cap. CXI. cujus narrationis summa eo redit navalem fuisse pugnam, in qua Gallorum ingenti strage edita, in potestatem Roberti venisse triremes XLIV. cum captivorum principum & illustrium virorum ingenti multitudine. Locus pugnæ littus Surrenti, dies XXIII. Junii. Rogerius vero, in præmium victoriæ Ischiam insulam Neapoli proximam adjecto regis titulo obtinuit. MANSI

IX. Occupavit mors Honorium, magna quæque pro gerenda bene republica Christiana cogitantem, de quo hæc ipsius vitæ scriptor (*a*) : *Honorius Papa obiit Romæ in cœna Domini, fuitque sepultus in die parasceve sancta juxta Nicolaum Papam III. in ecclesia S. Petri.* Quibus consonat appendicis ad Martinum Polonum auctor ; additque : *Sedit annis duobus, die uno : & vacavit pontificatus mensibus decem, diebus duobus.* Bernardus etiam ipsum mortem oppetiisse tradit in cœna Domini, atque parasceves die juxta Nicolaum III. in basilica Vaticana sepulturæ mandatum, sedemque ab ea die ad recurrentem cathedræ S. Petri sacrum diem, qui nimirum in VIII. kal. martii incidit, pastore destitutam fuisse. Confirmantur superiora a Ptolemæo Lucensi, dum ait : *An. dom. MCCLXXVII. Honorius moritur apud S. Sabinam, & in ecclesia beati Petri juxta sepulcrum Nicolai III. honorifice sepelitur : quamvis adhuc * viveret apud S. Sabinam continuam residentiam faceret, nisi in æstate ; quia tunc se Tyburim cum curia transferebat. Sedit autem annis duobus & diebus aliquibus*, id est duobus, *& vacavit tunc Ecclesia a cœna domini, quia tunc mortuus est Honorius, usque ad cathedram S. Petri in qua electus est Nicolaus.* Et certe Honorium die cœnæ Domini obiisse consentiunt Bernardo & Ptolemæo Lucensi, (*b*) Jordanus, (*c*) & Joannes Villanus, (*d*) qui tertio nonas aprilis defunctum scribit : eo namque anno cœnæ Domini festus dies in tertium aprilis mensis incidit. De sepultura ipsius refert Wadingus (*e*) in basilica S. Petri ipsius corpus sepulcro mandatum, deinde incerta occasione in ecclesiæ Aræcœli sacello a Sabellis extructo translatum.

Honorii mors.
(*a*) *MS. Vvallic. bibl. sign. lit. C. n.* 25. *& n.* 79.
Sedis tempus.
* *vivens*
(*b*) *Jord. MS. Vat. sig. n.* 1960.
(*c*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l.* 24. *c.* 19.
(*d*) *Jo. Vill. l.* 7. *c.* 112.
De illius sepultura.
(*e*) *Vvad. in annal. Minor. tom.* 2. *hoc ann.*

X. Vacante sede Perusini arcem prope Gualdum Nucerinæ diœcesis, contemptis censuris, quas ducatus Spoletani præses incusserat, excitarunt, quo facto cum non parum Romanæ ecclesiæ jura invaderent, sacer Cardinalium senatus cœptis eos desistere jussit (*f*).

Perusini prope Gualdum arcem excitant.
(*f*) *Ext. in MS. Vall. sign. lit. B. n.* 12. *pag.* 49.

XI. In Polonia religionis Christianæ hostes Lituani, Prutheni, Samogitæ, Polonos oppressere. At Lesko Niger crucis signa in speciem contra barbaros, ut ab sede Apostolica obtinuerat, explicuit (*g*) : verum dein non in gentiles, sed in Conradum Masoviæ ducem movit. Sed Deus justus in Leskonem, qui turpissime religioni illuserat, & consecrata Christo arma sanguine Christiano fœdaverat, vindictam effudit : qui enim ob præclaras antea a se relatas victorias maximum apud omnes nomen tulerat, continuis postea cladibus acceptis infelix evasit ; ut posteris numquam impune violari religionem exemplo esse possit. De quo hæc Longinus (*h*) : *Grandem dein Tartarorum invasionem, postremo pestem & epidemiam in universos grassantem ; item famem, agrorum, & frumentorum alluvionem, mortalitatem quadrupedum ; mordacitatem bestiarum, & luporum ; varias insuper plagas Dei, sibi invicem succedentes, pertulit : ut tam sibi quam posteris documento sit, & fuerit, ne quis de cætero Deo & suæ religioni mentiatur, & illudat ; & quod sine religione arma quantumcumque potentia non vincant.*

Infideles irrumpunt in Poloniam
(*g*) *Long. hist. Pol. l.* 7. *hoc ann.*
Lesko Niger in eos bellum sacrum movere fingit. Convertit in Conradum impetus. Justa de illo ob illusam religionem sumpta a Numine ultio.
(*h*) *Long. ubi sup.*

XII. Quod vero ad cladem a Tartaris illatam attinet ; scribit auctor (*i*) ipsos fame stimulatos in Poloniam immenso numero, locustarum more, se effudisse, quamvis tunc omnia gelu, & nivibus rigerent : Sandomiriam, & Cracoviam frustra tentasse : deinde cum ex captivis Leskonem in Ungariam cum Griphina uxore fuga se subduxisse accepissent, licentius ad agendas prædas incubuisse. Tribuendum vero insigni miraculo, barbaros a duobus monasteriis, altero S. Crucis nuncupato, altero in quod ducissa Kinga Boleslai olim Cracoviensis ducis dicti Pudici uxor cum duabus germanis, Jolenta ducis Calissiensis, & Constantia Danielis Russiæ Regis viduis relictis, aliisque pluribus Deo devotis virginibus, se receperat, immisso in Tartaros divinitus terrore abstinuisse. Tanta porro tunc illata vastitas fuit, ut præter senes, sacerdotes, lactentes trucidatos, apud civitatem Waldimiriensem præda partita ad viginti millia & amplius virginum juvencularum numerus ascenderit.

(*i*) *Long. ubi sup.*
Alia Tartarorum in Polonia excursio. Duo sanctimonialium monasteria divinitus ex eorum crudelitate erepta. Ad viginti virginum millia abducunt in servitutem. In Russia infectæ aquæ a Tartar.

Nec

XIII. Justa de Russis Numinis vindicta. (a) Long. ubi sup.

Nec Poloni modo, sed etiam Rhuteni, quamvis fœderati, irruptionis hujus Tartaricæ rabiem sensere: anno enim sequenti, ut scribit Longinus (*a*), cum palam in eos grassari, quos in agendis in Polonia prædis armorum socios habuerant, duces prohiberent, venenis artibusque magicis flumina, fontesque infecere: adeo ut pestis crudelissima Russorum magnam partem deleverit: ac justo Dei judicio, cum ii Christianis sacris imbuti ad Christianos excindendos cum gentilibus arma conjunxissent. Qua vero ratione eam crearint luem Tartari, narrat auctor: *Corda*, inquit, *Christianorum hominum Polonorum ex captivorum grege, quos pro sortilegiorum, divinationum, incantationum, & auguriorum officiis, quibus gens illa magnopere dedita est, peragendis plusquam centum numero occiderant, de cadaveribus occisorum extracta fortissimis venenis inebriant, & inficiunt, & tam in profluentes & stagnantes aquas verubus, & lignis in longum projectis, ut diutius durarent, imposita immergunt, a quibus aquæ infectæ adeo in Ruthenos, qui aquas illas quocumque usu contingebant, venenum & morbos vulgaverant, ut subito procumbentes, nullis antidotis profectum afferentibus relevati, occiderint. Sero tandem & pluribus per tabem in corpora ingesta consumptis, latens malum deprehensum est, & aquarum usus velut fatalis & pestifer a Rhutenis fastiditus.* Hæc sequenti anno contigere, quæ ne cœpta oratio abrumpatur, conjungenda visa sunt.

XIV. Thomas episc. Vvratislaviens.

Cæterum visum est divinum Numen memorata barbarorum irruptione Polonos principes plectere, qui insana violandi juris ecclesiastici, & sacrarum expilandarum opum cupidine episcopos divexabant. Et quidem inter alios Wratislaviensem episcopum dux tanto furore est insectatus, ut Rathiboriam, in quam is perfugerat, exercitu cinxerit: impendentisque populo insonti calamitatis, miseratione episcopus exul permotus, illius iras satiare suo sanguine, quam Rathiborienfibus optime meritis exitium parere, potius ducens, ad ducis Wratislaviensis castra se contulit. Quo viso hostis repente divino nutu emollitus, Deum in ipsius ministro veneratus, procubuit in genua, ac veniam criminis supplex poposcit: quam insignem historiam his verbis narrat Longinus (*b*): *Induit* inquit, *vestes sacras, nonnullos quoque ex clero jubet amiciri eisdem: ac sic tiara & pontificalibus insigniis cum clero suo universo secum exulante, oppido egressus ad castra pergit, tyranni iras sævas supremo humilitatis genere placaturus. Cujus tyrannus viso a longe adventu, tanto metu divinitus perculsus est, ut de tabernaculo suo exiliens, in occursum pontificis ocyus procurreret & corruens pronus in terram quasi divinum aliquod Numen in episcopo videns, & in spem illius æternum Pontificem venerans, transgressionum suarum veniam precaretur. Quem Thomas episcopus ex terra elevans, omnem se illi prævaricationem transactam, dummodo in ea contritione & devotione persisteret; obortis lacrymis spondet indulturum. Et post flebiles amplexus, & oscula hinc inde utrinque præstita, proximam ædem beato Nicolao sacratam dux atque pontifex absque arbitris ingressi, longis & mutuis habitis tractatibus, his demum conditionibus, eoque pacto pax & reconciliatio, & omnium offensarum obliteratio convenit, ut Henricus dux Vvratislaviensis castra, civitates, oppida, villas, decimas, & quascumque sortes ecclesiasticas, quas occupaverat, Thomæ episcopo & suo clero redderet, & pro perceptis satisfactione condigna impensa, amplas libertates, & immunitates ecclesiæ Vvratislaviensi scelus commissum expiando conferret.* His consentit Michovias, (*c*) additque: *Ea reconciliatione secuta interdictum archiepiscopi Gnesnensis Jacobi Svvinka sublatum est: in memoriam vero beneficii ac hospitalitatis Thomas episcopus Vvratislaviensis, postulante Casimiro duce Oppoliensi, ecclesiam S. Thomæ Cantuariensis in castro Rathiboriensi fundavit.*

(*b*) Longin. hist. Pol. l. 7. Michov. l. 3. c. 62. Cbromer. l. 10.

Pontificalibus vestibus amictus, & stipatus clero ad tyranni castra pergit. Henricus divinitus repente immutatus. Ad episcopi pedes se provolvit, veniamque criminum flagitat. Pacem cum ipso init. Vvratisl. ecclesiam novis possessionibus & juribus auget.

(*c*) Michov. ib.

Jus ecclesiasticum restituit.

XV. Condita in rei memoriam ecclesia.

Subdit, pluribus interjectis, memoratus auctor, sequenti anno ab Henrico duce ad expiandum in episcopo insectando crimen templum excitum: *Anno*, inquit, *Domini MCCLXXXVIII. Henricus IV. dux Vvratislaviensis ecclesiam collegiatam S. Crucis in summo Vvratislaviensi fundavit & erexit, certum prælatorum, canonicorum, & vicariorum numerum instituens, & unicuique munifice de suis introitibus largiens, per hoc divinæ majestatis iram placaturus, quam exiliando Thomam episcopum & clerum Vvratislaviensem incurrerat, & vehementer offenderat.* Utinam Christiani principes ab invadendis opibus sacris abstinerent, injuriasque inflictas sacris administris Henrici exemplo delerent beneficiis, ne illi gravissima mala, in quæ concitata in se cœlesti ultione præcipites ruunt, felicius averterent.

XVI. S. Thomas episcopus Herefordens.

Susceptis tuendorum ecclesiæ suæ jurium laboribus attritus S. Thomas episcopus Herefordensis, peregre ex Anglia profectus, ad immortalitatem hoc anno, ut observat Card. Baronius (*d*) migravit. Cujus sanctitatis gloria maximis postea miraculis effloruit, ut narrat subjectis verbis Westmonasterienfis: (*e*) *Thomas de Catilupo quondam episcopus Herefordensis, qui pro causa ecclesiæ suæ*

(*d*) Baron. in not. die 21. octob.

(*e*) Westm. Flor. hist. hoc ann.

suæ, ut dicitur, quam contra fratrem Joannem de Peccham de ordine fratrum Minorum archiepiscopum Cantuariensem defendere proponebat, in partibus obiit transmarinis, cujus ossa in ecclesia supradicta fuerunt tradita sepulturæ, miraculis cœpit coruscare; ita quod infra breve temporis spatium centum & sexaginta tria miracula pro illo fieri voluit Deus. Describuntur fusius apud Surium (*a*) patrata illius ope miracula, ac virtutes insignes, quibus enituit, quarum majora tum explicuisse exempla refert auctor, cum in celsiore episcopatus fastigio collocatus esset: *Cum*, inquit, *Herefordensis ecclesia suo esset orbata pastore, omnium votis electus anno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo quinto episcopus consecratus est. Tum vero longe etiam magis quam antea factus est vigil ad curam, non segnis ad opus, suavis ad mores: major tum illi accessit cura pauperum, gestus & sermo humilior, in persecutionibus perferendis animus fortior, ad exequendam justitiam censura severior, in precibus ferventior spiritus, ad præstandas eleemosynas perfectior benignitas, & liberalitas; in proprio castigando corpore major rigor. Magna laboris instantia in eam incumbebat curam, ut ecclesiæ jura tueretur, & quæ alii sibi præter jus fasque vendicarant, ab injustis possessoribus ablata ecclesiæ restitueret. Ea causa cum gravis extitisset contentio propter ecclesiæ Herefordensis jura, Romanum Pontificem adire decrevit, ut ab illo tantis molestiis opportuna remedia impetraret. Eo igitur tam longo & difficili itinere, non sine multo labore & corporis sui detrimento suscepto atque confecto, Romam venit, & a Martino Pontifice honorifice acceptus est: rebusque & negotiis, quorum causa eo venerat, pro voto expeditis dum in patriam redire contendit, morbo oppressus apud Florentinos juxta Flasconis montem decessit e vita* VI. *non. octob. anno salutis millesimo ducentesimo octogesimo septimo.*

(*a*) Sur. 10. 5. 2. die oct. ex Anonym. auct.

Majora virtutum exempla in episcopatu explicat.

Jura ecclesiæ suæ acriter defendit.

Apud Montemflasconem moritur.

XVII. Sanguis ex ejus ossibus ad Gilberti persecutoris præsentiam fluit.

Interea sex diebus corpus ejus exanime servabatur, odorem spirans suavissimum, insigni nimirum cultæ castitatis argumento, quam in eo Roberti Cantuariensis archiepiscopi, ac deinde Cardinalis episcopi Portuensis testimonio enituisse ad miraculum vitæ auctor affirmat: *Deinde caro ab ossibus separata in ecclesia S. Severi honorifice sepulta est: ossa vero per tam longinqua terrarum ac maris spatia in Angliam ad sedem ejus apportata sunt. Cumque obviam illis venisset Gilbertus de Clara comes Gloverniæ, qui ob jura ecclesiæ beatum virum fatigaverat, mox ab eis sanguis copiosissimus manavit, ita ut vasa, in quibus ferebantur, sanguine tincta viderentur. Id comes ille gerens, timore & horrore concussus, jura omnia ecclesiæ restituit, & ob ea, quæ temere admiserat, egit pœnitentiam. Porro beatum episcopum Joannes Papa XXII. sanctorum catalogo adscripsit & VI. non. octob. festum ejus solemniter celebrandum instituit.* At de memoria ejus consecrata sequenti tomo agetur. Pergit auctor: *Miracula vero, quæ post obitum ejus ad laudem & gloriam nominis sui perpetravit omnipotens Deus, in diversis eodicibus ejus loci, ubi sacra ejus ossa quiescunt, pene infinita reperi: in quibus fertur sexaginta mortuos excitasse, quadraginta & unum cœcos illuminasse, quinquaginta duos contractos sanasse, viginti & unum paralyticos restituisse, cæcis & mutis viginti tribus lumen & vocem reddidisse. In quodam ejus loci volumine legi annotata diversa miracula ejus quadringenta quinque & viginti, in variis curandis morbis divinitus declarata; præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

Acta a Gilberto pœnitentia.

Illustria a S. Thoma patrata miracula.

XVIII. Judæi in Germ. religionis odio pueros Christi martyrio clam afficiunt.

Sanctissimo confessori Christi martyrem adjungimus, in quem Judæi conceptum in Christianum nomen animi virus, exercita immaniffima carnificina, effuderunt. Wernherus enim puer ab iis in Christi domini odium martyrio affectus Wesaliæ crudelissimisque suppliciis ab iis est laniatus: cujus corpus cum in cryptam a fugientibus perfidis projectum esset, noctu cœlesti luce locus, in quo jacebat, a præsidiariis militibus radiare visus, quæsitumque sacrum pignus ac repertum est; e quo suavissimus odor efflabat, ut ex MS. codice narrat Surius, (*b*) qui ubi exercita ab impiis Christi odio supplicia descripsit, subiicit (*c*): *Nocte tulerunt corpus ejus, & per muros clam ascendentes, ut res nemini innotesceret, ad naves properarunt Moguntiam ituras: sed omnipotens Deus eorum calidos elusit conatus, ita ut tota nocte non nisi unum milliare possent navigando confícere. Orto inde sole magno timore & tremore corripiuntur, cogitantque anxii, quomodo possint martyris corpusculum abscondere: neque enim ratio eis occurrit in aquas illud demergendi.*

(*b*) Apud Sur. tom. 2. die 19. apr. Novat. cent. 13. col. 1283.

(*c*) Sur. 10. 2. 19. april.

Tandem conspiciunt prope Baccaracum cryptulam spinis & vepribus obsitam, ubi nunc conditum cernitur Vvillelmitarum cœnobium Vvindofasebachium, atque in eam projecerunt martyris corpus & ocyus abierunt. Sed Christus, id diu latere nolens, mox sua illic miracula declaravit: vigiles enim castrorum noctibus viderunt lucem illo loco. Quod cum illi admirarentur, indicarunt aliis: statimque repertum est corpus etiamnum suo tinctum sanguine adductumque est, ut solent cæsorum corpora Baccaracum ad locum judicii. Com-

per-

perta autem rei geſtæ veritate, cum omnibus admirationi eſſet odor ſuaviſſimus a martyris corpore manans tum etiam claritas nocturno viſa tempore, ſumma devotione illatum eſt corpuſculum in ſancti Cuniberti ſacellum, quod eſt in colle prope parochiam ſitum, atque ibi humatum, eſt vitta aurea capiti impoſita, in virginitatis teſtimonium: porro capiti ſuppoſito pulvinari ſerico violis impleto. Additum eſt ad caput linteum ſerico ornatum in ſignum innocentiæ & ſanctitatis ejus, atque etiam inſtrumentum laboris ſui. Denique monumentum ejus, ut ſolet ſanctorum, aliquantiſper eminebat ſupra terram & corpuſculum ejus reverenter incluſum, eſt in ſarcophago cedrino, quod poſitum eſt in querno ſarcophago ſolidiſſimo fortiſſimis ſeris munito. Et infra; *Cum hæc ita peracta eſſent, omnipotens Deus illico ſanctum puerum magnis & ſtupendis illuſtravit miraculis, cæcis viſus, ſurdis auditus, claudis greſſus, mutis loquela, aridis, paralyticis, luſcis, & quibuſlibet aliis male affectis ſanitas, & mortuis vita reſtituta eſt: immo vero uſque in præſens multifaria per martyrem ſuum Chriſtus miracula, operatur. Paſſus eſt ſanctus puer, an. Chriſti MCCLXXXVII. XIII. kal. maii.* At Henricus (*a*) Stero illius martyrium in annum ſequentem coniicit. De hoc vero chronicon Colmarienſe (*b*) tradit, ea de cauſa quadraginta Judæos, & eo amplius, cæſos a Chriſtianis; reque ad Rodulphum delata, ſupremum rabbinum in vincula conjectum, ad quem redimendum Judæos viginti marcharum millia in Rodulphi ſinum effudiſſe, cumque auri fulgore perſtrictum, Chriſtianos Weſelienſes & Podardienſes duobus millibus marcharum mulctaſſe. [1]

(*a*) *Henr. Stero in annal.*
(*b*) *Chron. Dominicanor. Colm. par. alt.* Judæi quadraginta in ultionem cæſi.

NOTÆ [1] NUlla rerum majoris momenti novitate annus memorabilis celebrem apud poſteros famam ex Conciliis provincialibus intra ejus ſpatium habitis obtinebit. In editione quidem Veneto Labbeana omnium primum legitur Exonienſe a Petro Quivil epiſcopo Exonii hoc anno celebratum, & die XVI. Kal. Maii abſolutum. Sed Diœceſanam hanc fuiſſe Synodum ſatis conſtat. Quædam tamen in ea occurrunt, quæ noſſe ſtudioſis rerum Eccleſiaſticarum accidit jucunde. In capite de baptiſmo injungitur Parochis ut curent infantes ad Eccleſiam parochialem diebus ſabbati ante Paſcha, & ante Pentecoſten baptizandos deferri *ceſſante* tamen *cujuſcunque periculi ſuſpicione*. An ergo omnes per annum nati infantes diebus illis baptizandi reſervabantur? In capite de Pœnitentia mandatum eſt Sacerdotibus ut confeſſos de impudico crimine interrogent num cum Sacerdote, vel Diacono, aut Subdiacono, aut cum conſanguineo, vel affini id commiſerint. Monentur inſuper, ut *majora*, & *notiora* peccata ad deſtinatum *Pœnitentiarium* abſolvenda tranſmittant, datiſque ad illum literis *cauſam delicti & circuſtantias ipſius continentibus*; viciſſim autem Pœnitentiarius literas tradat Pœnitenti abſolutionem, & *pœnitentiæ* a ſe impoſitæ *modum* teſtantes. In capite de Extrema unctione cum pervagatum eſſet in vulgus ægrotos ſacro oleo inunctos nefas eſſe deinceps ſive terram nudis pedibus tangere, ſive maritali copula cum conjuge jungi; pernicioſam hanc perſuaſionem vel *hæreſim* ſanæ doctrinæ expoſitione depelli præceptum eſt. Denique cap. XXIX. ſtatutum ut vicarii, & rectores eccleſiarum in commodum indigentium clericorum *de beneficiis aquæ benedictæ* diſponant. Erant autem beneficia illa piæ fidelium largitiones obvenientes clerico ad id deſtinato, qui delata ab Eccleſia aqua conſecrata domos fidelium id expoſcentium luſtrabat; eodem fere more quo apud nos quotannis fidelium domus luſtrali aqua a Sacerdotibus expiantur. Vide Ducangium *V. Aqua Benedictæ*.

Succedit concilium Remenſe provinciale, cui Petrus Barbet Remenſis archiepiſcopus aſſidentibus ſuffraganeis ſeptem præfuit in cauſa diſſidii quod mendicantes monachos inter & epiſcopos ejus Provinciæ interceſſerat occaſione Privilegii cujuſdam a Martino Mendicantibus illis conceſſo quo ad confeſſiones audiendas, & exomologeſim faciendam. Habita fuit die prima Octobris anni 1287.

Tertia venit Synodus Herbipolenſis quam ex Patribus provinciæ Moguntinæ, Colonienſis, Salzburgenſis, & Viennenſis Joannes Apoſtolicæ ſedis Legatus Herbipoli die XVIII. Martii, ſeu feria tertia poſt Dominicam *Lætare Jeruſalem* anno II. Honorii celebravit. Hujus ſunt canones XLII. ad varia diſciplinæ capita pertinentia, in quibus nihil novi præter id unum occurrit, indulgentiam nempe dierum decem iis, qui obvium habentes Sacerdotem ſacram Euchariſtiam ad infirmum geſtantem genuflexi & corde dolentes venerantur, ac ter orationem Dominicam, cum ſalutatione B. V. recitantes. In hoc concilio cum legatus Apoſtolicæ Sedis pro ſolutione quartæ partis proventuum Eccleſiaſticorum per quadriennium inſtaret vehementer, Probus Tullenſis epiſcopus audacter reſtitit, atque appellatione interpoſita id egit, ne quid decerneretur. Id tamen in perniciem ejuſdem Epiſcopi recidit; ab Epiſcopatu enim depoſitus in *priſtinum ſæcum* (aſſumptus enim erat ex ordine Minorum) *eſt reverſus*, ait Joannes Vitoduranus in Chronico ab Eccardo tom. I. Hiſtor. med. Ævi vulgato.

Quartum venit Concilium Mediolanenſe hoc pariter anno in Metropolitana S. Teclæ baſilica celebratum præſide Othone archiepiſcopo & ſuffraganeis octo. Cl. Muratorius Rer. Italic. tom. IV. Synodi hujus canones dedit quibus nihil novi ſtatutum eſt, nihilque in iis occurrit quod in aliis per eam ætatem Synodis non legitur.

Concilio huic Muratorius attexuit conſtitutiones *Guifredi tituli S. Mauritii* presbyteri cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legati, quas legatus ille edidit in Laudenſi concilio, aſſidentibus epiſcopis provinciæ Longobardiæ undecim. His conſtitutionibus titulum hunc ex MS. præfigit. *Incipiunt conſtitutiones domini Cæleſtini Legati in Lombardia.* Ambigua hæc & obſcura arbitratur Muratorius; neque enim cohærere inter ſe exiſtimat titulum hunc cum nomine legati, qui in præfatione harum conſtitutionum exprimitur. In titulo enim eſt *Cæleſtinus* in præfatione vero *Gaufridus*. Suſpicatur tamen deberi iſta Gaufrido Bardo, qui per hos annos Roma-

NOTÆ Romana purpura fulgebat, abſumptuſque morbo, qui Romæ ſæviit poſt funus Honorii IV. Sed virum doctiſſimum falli mihi plane exploratum eſt; Gaufridus enim iſte, Apoſtolicæ ſedis Legatus per Inſubriam, idem eſt Guifredus tituli S. Marci legatione per Inſubriam a Gregorio IX. donatus. Item vero anno 1237. vel circiter ad Epiſcopatum Sabinenſem promotus, dein ſub nomine Cæleſtini IV. Romanam cathedram aſcendit; hinc titulus *conſtitutiones domini Cæleſtini*. Mendum tamen irrepſit in titulum Cardinalitium Guifredi; neque enim Presbyterum cardinalem tituli S. Mauritii agebat, cum nullus fuerit S. Mauritii titulus Cardinalitius; ſed potius cardinalis erat tituli S. Marci. Cum pro more ejus ætatis tituli hujus nomen prima tantum litera indicaretur, imperitus amanuenſis legendum cenſuit *S. Mauritii* pro *S. Marci*. Concilium hoc Laudenſe non anno quidem 1287. ſed forte anno 1227. celebratum fuit. MANSI

I. Ob morbos Cardinales e Conclavi non renuntiato Pontifice exeunt.

DAtus est Christiano orbi pastor Hieronymus Asculanus Card. episcopus Prænestinus anno Christi millesimo ducentesimo octuagesimo octavo indictione prima. Cum enim defuncto Honorio Papa sacer Cardinalium senatus, in palatio pontificio apud S. Sabinam coactus esset, ingravescente aeris intemperie, plures ex iisdem Cardinalibus adversa valetudine tentati sunt, ac nonnulli morbi gravitati succubuere (*a*). Quam ob causam dissoluto conventu, ad colligendas puriores auras purpurati patres discessere: qua de re Ptolemæus Lucensis hæc tradit (*b*): *Recluserunt se Cardinales in S. Sabina: & quia in æstate locus infirmus erat, multi Cardinales infirmati sunt ibidem & mortui circa sex Cardinales vel septem, inter quos fuit dominus Jordanus de Ursinis, dominus comes de Mediolano, dominus Hugo Anglicus, dominus Gervasius Andegavensis, & decanus Pisanus, & dominus Antonius. Inde omnes redierunt ad propria.* Hieronymus vero in loco perstitit (*c*) incolumis, quem ajunt (*d*) ad depellendam aeris gravitatem, ea arte usum, ut ardente licet medio æstu, plures ignes toto palatio excitari juberet, ut si qua aeri inesset labes, flammis purgaretur. Sedata vero hyemis frigoribus epidemia, reversi Cardinales, conspirantibus omnium voluntatibus, Hieronymum, quem nonnulli Joannem perperam vocant, elegerunt. Qui grati animi ergo in Nicolaum Tertium, a quo Cardinalium collegio ascitus fuerat, Nicolai IV. nomen accepit: atque ipso festo cathedræ S. Petri, nimirum VIII. Kal. martii in Petri sede collocatum docent Martinus Polonus, (*e*) Bernardus, (*f*) Joannes Villanus, (*g*) & alii. Verum in Nicolai subjectis literis dominica prima quadragesimæ renuntiatum legitur; quamvis errorem in numerum irrepsisse putem, ut vice primæ secunda legenda sit, qua eo anno cathedræ S. Petri festum recurrebat: de quo ad apices papales evecto hæc Jordanus, paucis multa complexus, scribit: (*i*) *Nicolaus natione Marchianus de Asculo.* Et infra: *Hic vocatus est Hieronymus, magnus literatus, & valde religiosus. Factus fuit geueneralis Minorum, demum episcopus Penestrinus, postea Papa. Ad Cardinalatum promovit dominum Neapoleonem, dominum Petrum de Columna, generalem Minorum fratrem Matthæum de Aquasparta, fratrem Hugonem magistrum in theologia ordinis Prædicatorum. Dominus autem Hieronymus cum esset Cardinalis, imminente electioni summi Pontificis, clausis Cardinalibus in S. Sabina post mortem Honorii, cæteris propter infirmitatem locum fugientibus, solus ibi remansit & sanus.* [1]

(*a*) *Longin. hist. Pol. l. 7. hoc ann.*
(*b*) *Ptol. Luc. & alii hist. eccl. MS. l. 24. c. 19.* Sex peste extincti.
(*c*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*
(*d*) *Wading. in annal.* Hieron. Cardin. Prænestinus ep. in depellend. contag. prudentia. Creatur Pontifex.
(*e*) *Ptol. Luc. in annal.*
(*f*) *Mart. Pol. l. 4.*
(*g*) *Bern. in chr. Rom. Pont.*
(*h*) *Jo. Vill. l. 7. c. 118.*
(*i*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*

Cardinales creati a Nicolao.

II. Quod ad gesta ab eo ante pontificatum attinet: missum a Gregorio X. ad Græcos in obsequium Romanæ ecclesiæ pelliciendos, strenuamque operam ad ecclesiarum conjunctionem redintegrandam navasse, tum Pontificiæ, tum Michaelis Palæologi, & Andronici Imperatorum literæ suis ante locis allatæ, atque etiam aliæ a nobis inferius adducendæ testantur, interfuisseque celeberrimæ synodo Constantinopoli celebratæ, in qua schisma vetus a patribus Græcis damnatum est, atque una cum aliis archiepiscopus Bulgarorum orthodoxum dogma ac Petri primatum est professus. Porro Nicolaus tum Hieronymus de Asculo vocatus, adeo egregie theologicis disciplinis perpolitus, & morum sanctitate magnæ conjuncta prudentiæ excultus fuerat, ut apud Minoritas summas dignitates gesserit, atque a Pontificibus, ut vidimus, ad conciliandam pacem Philippum inter Francorum Alfonsumque Castellæ & Legionis Reges ad-

Inter Francis-canos vitam religiosam erat professus.

Gesta ab eo ante Pontificatum.

NOTÆ [1] DE anno mense & die, quo Nicolaus in Pontificem Romanum renunciatus fuit certa, & rata habeo omnia quæ ab Annalista diligenter relata sunt. Superest de die, qua Romanam coronam assumpsit, disquiramus. P. Franciscus Pagius in Breviario nonnisi per conjecturam suspicatur eamdem ipsam electionis & coronationis diem fuisse; cujus ego suspicionem certiorem esse judico, ex ea præsertim conjectura, quod Joannes Iperius Author Chronici S. Bertini, qui tunc in vivis agebat, asserat per errorem Honorium IV. eadem ipsa die electum & coronatum fuisse. Exciderunt hæc viro illi per oscitantiam, quæ enim de Nicolao scribenda illi fuerant, imprudens, & aliud cogitans Honorio attribuit. Hinc ergo fit ut æqualis hujus scriptoris testimonio constet Nicolaum qua die renunciatus fuit pontifex, eadem pariter & coronam obtinuisse.

Quo anno in cathedram ascendit eodem & cardinales sex renunciavit. Id vero factum *Reate in æstate ejus anni* docet author memorialis Potestatum Regiensium quod de pervigilio Pentecostes intelligendum esse notat Martinus Fuldensis in Chronico vulgato ab Eccardo Historic. Med. Ævi Tom. 2.

Denique quod Annalista n. 7. ex Enrico Rebdorfio notat de recusata scilicet bis dignitate a Nicolao ac tertio tandem nonnisi invito, & reluctante admissa hæc pariter asseruit Joannes Vitoduranus, qui Chronicon suum anno 1348. absolvit, & Martinus Minorita qui ad annum usque 1346. Historiam suam perduxit vulgatam ab Eccardo Hist. Medii Ævi to. 1. MANSI

(*a*) *Nicol. 1. ep. 1. extat etiam in formular. Mar. Ebuli MS. archiv. Vatic. pag. 24. n. 149.*

III. Literæ de sua promotione ad præsules.

adhibitus fuerit: deinde Cardinalis S. Pudentianæ creatus: tum ad episcopatum Prænestinum traductus, demum ad summum pontificatum evectus, cujus muneris curas invitum se suscepisse in encyclicis literis ad præsules principesque datis profitetur (*a*).

Nicolaus, &c.

Judicia Dei abyssus multa, nulli comprehensibilia, nulli nota. Quis enim novit cœli ordinem, ut supernarum dispositionum videat prædestinationes occultas? Aut quis ponere potest rationem ejus in terra, ut ante humana corda talium secretorum causas aperiat; vel supernorum judiciorum mysteria considerando discutiat, manifestetque loquendo? Hæc utique in hac vita positus facere nullus potest. Ante hominem namque carne circumdatum labor est ista cognoscere, donec in Domini sanctuarium, in quo sunt omnia consilia super filios hominum, ergastulo corporis absolutus introeat, ibique non solum præsentia, sed etiam novissima intelligat & cognoscat. Horum quidem consideratio, miranda nimirum, stupenda pariter & tremenda, nos nec immerito admiratione solicitat, mentemque nostram ingestione stuporis hebetat, concutitque timore.

De arcanis divinis judiciis.

Miramur etenim, non absque timoris magnitudine ac terroris, qua divini dispositione judicii, nobis non indigne terribilis, contra electum & firmatum nostrum salutis contemplatione propositum, totiens & demum tantam immutationem receperit status noster. Elegeramus namque ab olim, postquam ad hoc nobis Dominus tribuit intellectum, abjecti esse in domo Domini, & sanctæ contemplationi vacando, sedere ad pedes ipsius, audituri verba cælicæ cum Maria, cum illa partem testimonio ipsius Domini optimam eligentes, ne impliciti mundi turbinibus cum Martha erga plurima turbaremur. Propter quod a nostra juventutis auspiciis ordinem fratrum Minorum intravimus, ut in humilitate spiritus Deo spiritui serviremus, cum tantæ abjectionis & paupertatis professoribus pauperes & abjecti. Dumque per hæc ad Rachelis obtinenda consortia solido inhiaremus proposito, plenis suspiraremus affectibus, Liam lippis oculis experimur nobis expositam pro Rachele, primum in ipso etiam ordine frequenter orbis prædictæ partis integritate directa; & ea postmodum per occupationes diversas, quas habuimus necesse subire, quasi prorsus adempta. Occupati namque fuimus ex obedientiæ debito in variis ministeriis dicti ordinis, & demum in ministri generalis officio, quæ non absque laboriosis inquietudinibus gessimus in eodem.

Ut celebrium rerum tractationi ab adolescentia se addixerit.

IV. *Subsequenter ad dignitatem Cardinalatus in sacerdotii gradu per Apostolicam sedem assumti, dum absentes, & inscii aliquid de hoc agi, reformandæ concordiæ inter claræ memoriæ Philippum Francorum, & Alfonsum Hispaniæ Reges de mandato sedis ipsius in ultramontanis partibus vacaremus: deinde præfecti sumus per sedem eamdem in episcopum ecclesiæ Penestrinæ. Novissime vero fratrum nostrorum electione concordi vocati, & instantia importuna coacti, ad summi apostolatus sarcinam subeundam, prout series subscripta describit, ut proinde vos illarum processus & ordo non lateant; sed & causæ admirationis, stuporis, & timoris hujusmodi ad humiliationem nostram apertius innotescant.*

Varios munerum gradus inter Franciscanos emensus fuerit. Toti ordini præfectus.

*Felicis siquidem recordationis Honorio Papa IV. prædecessore nostro, ut Domino placuit, ab hac luce subtracto, ejusque corpore cum exequiarum solemnitate debita tumulato, nos tunc, ut prætangitur, episcopus Penestrinus cum fratribus nostris aliis in curia Romana præsentibus, in palatio S. Sabinæ de Urbe, in quo prædecessor ipse residerat, concordi voluntate convenimus, substitutioni Romani Pontificis soliciti vacaturi. Circa quod licet impedimenta varia, & præcipue diversarum, & prolixarum infirmitatum angustia, quæ quamplures de ipsorum fratrum collegio vexavere diutius, & proh dolor! nonnullos etiam subtraxerunt, aliquamdiu conatibus nostris obstiterint; demum tamen in I. * dominica præsentis quadragesimæ, nobis & reliquis fratribus tempore ipso præsentibus conventientibus in palatio suprædicto, electa concorditer via scrutinii, & uno tantum facto publicatoque scrutinio, illo qui concordiam in sublimibus suis facit, ut supponit devota credulitas assistente tanta finaliter in votis eorumdem fratrum est inventa concordia, quod de ipsorum omnium unanimi voluntate ad conscendendam Petri cathedram secuta est de humilitate nostra concors electio & communis; fratribus ipsis instantibus importune, ut electioni consentiremus eidem.*

Inde presbyter Card. dum tractandæ inter Francor. & Hisp. Reges concordiæ operam dabat. E presbytero Card. Prænestinus episc. fit creatus.

V. Defuncto Honorio IV. convenerit cum Cardd. apud S. Sabinam. Morbus in collegium grassatus nonnullos extinxerit, dissiparit reliquos. * II. Redeuntibus in conclave Cardinalibus, unanimi omnium consensu ad pontificatum vocatus fit.

In quo admirationis magnitudine redditi, nec immerito, sumus attoniti, stupor nostrum animum hebetavit, & timor pariter tremorque concussit. Numquid enim non admiratione dignum, quod sic fumus præter, immo contra prædictum nostrum tam salubre, ordinatumque propositum a desiderio quietis optatæ fraudati? Nam licet pastorale taliter indictum officium præmissam Mariæ partem a se nequaquam abiiciat, quin potius contemplationi devotæ vacare, ac instructioni divinæ ferventer insistere assiduitate intenta deposcat; verendum tamen, ne solicitudo connexa, eidem totius orbis curas innumeras & immensas indicens devotionem Mariæ præpediat, & secretum quietæ mentis deserere persæpe compellat, nec ad eam redeundi facile sit facultas. Nonne insuper stupore non vacuum, quod inter tot & tantas eorumdem fratrum personas, vitæ ac

VI. Divinam in tanta fratrum varietate providentiam adorat.

ac famæ claritate pollentes, virtutibus redimitas, abundantes ad hæc utilium sufficientia meritorum in præsidendo apostolico culmini, nostra indignitas, existimatione nostra merito postponenda, occulta Dei & pavenda nobis dignatione præfertur? Nonne dum injuncti oneris molem attendimus, & nostram insufficientiam comparamus, digne invalescit timor, & tremor, ne sic premat, quod opprimat; sic opprimat, quod portantis debilitas molis ejus immensitati succumbat? Nonne timendum iterum & tremendum, si summi Judicis severitas attendatur, & attente pensetur, quod si rationem de talentis creditis exacturus veniat, nec ea inveniat in sibi gratum numerum excrevisse, servum a bono torpentem opere quam severissime judicabit?

VII. Ut tantum onus a se excutere sit conatus.

Hæc & alia plura, quæ prolixitatis vitandæ gratia subticet sermo succinctus, debilitatem nostram subducendam ab onere nostræ insufficientiæ imperfectum a subeundo totius mundi spirituali regimine difficultatis inexistimabilis compescendum, adeo efficaciter suggerebant, quod eorumdem fratrum importunitati diversarum excusationum obicem opponendo, qua potuimus reluctatione restitimus, aperte negantes electioni præmissæ præstare consensum, & tam ipsi, quam juri nobis ea quæsito renuntiantes expresse. Verum fratres iidem nostræ resistentiæ instantius obviantes, electione nihilominus repetita concordi, ut ei consentiremus, & institere ferventius, & in virtute obedientiæ injunxerunt. Cæterum ne quis existimet hæc a novo Pontifice per simulationem jactata fuisse, Henrici Rebdorfi (*a*), qui proximo sæculo scripsit, verba subiicimus: *Nicolaus IV. de ordine fratrum Minorum doctor theologiæ, anno Domini MCCLXXXVIII. electus, sedit annis quinque: & bis electus cum lacrymis resignavit; tertio compulsus ab omnibus Cardinalibus acquievit.* Pergit Pontifex: *Nos vero licet ex nostrorum defectuum conscientia dissidentes, confidentes tamen de illius omnipotentia, qui non solum eosdem sufficit supplere defectus, sed potens est facere gratiam abundare; quamquam ad hoc nobis nequaquam merita suppetant, utinam demerita non obstant, per fratres eosdem nostris excusationibus non admissis; ne sub obedientia nutriti diutius eam contemnere pertinaciter & mundi graviter guerrarum multiplicatione divulsi, Terræque sanctæ quasi omni auxilio destitutæ pericula differendo provisionem Ecclesiæ negligere censeremur; tandem acquievimus eorundem fratrum instantiæ, ipsorum urgente præcepto; collaque debilia jugo submisimus apostolicæ servitutis, præstantes electioni, ut præmittitur, iteratæ consensum, anxiato & humiliato spiritu supplicando, ut ille qui nos jugum idem subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram robore fulciat, sic ipsum nobis faciat sua levigatione portabile, quod non contingat nos in ejus exercitio ex nostra infirmitate deficere; sed ita ex sua virtute proficere, quod exinde in nobis & populo curæ nostræ commisso ad laudem sui nominis fructum referamus optatum.*

(*a*) Rebdorf. in annal.

Ob ingentia rei Christianæ pericula demum assenserit.

VIII. Orationum apud Deum implorat suffragia.

Quia vero ex indignitatis nostræ consideratione patenter advertimus, nos nequaquam ad hæc obtinenda sufficere orationum vestrarum suffragia humiliter imploramus; universitatem vestram attente rogantes & obsecrantes in domino Jesu Christo, quatenus frequenter preces porrigatis devotas & humiles in excelsa, & per religiosos ac alios vestræ ditionis porrigi suggeratis, suppliciter postulantes a Domino, ut ipse de suæ misericordiæ abundantia, & petita concedat, & adiiciat quod petitio non præsumit: sicque super nos suum auxilium illuminet, ut cognoscentes in terra viam suam, ipso præstante, qui potest, in nobis & subditis devia devitemus, nostros & ipsorum actus ita in suorum mandatorum semitas dirigamus, quod de suæ pietatis affluentia mereamur dilecta ejus tabernacula introire, cœli civium futuri concives, & cum eis æternæ gloriæ particip fruituri. Vos quoque, fratres & filii quos divina gratia in partem solicitudinis evocavit, sic studeatis diligentes cooperatores existere, sic in vestris plebibus commissas vobis partes implere, quod nobis onere vestra cooperatione partito sit levius, vobisque proinde non solum præmium æternæ retributionis obveniat, sed & favor interim Apostolicæ sedis accrescat, quam vobis, quantum cum Deo poterimus, exhibere proponimus, ac vestra & ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, favorabiliter promovere. Dat. Laterani VII. *kalend. martii pontificatus nostri an.* 1.

IX.

Christiani etiam orbis Reges & principes, de pontificiis acceptis insignibus certiores factos, præceptis optimis erudivit, atque officiis est prosecutus, & inter alios hæc Philippo Francorum Regi scripta (*b*): *Obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus prudenter attendens, quod datum est tibi divinitus in orbe pro non modica parte judicium, justitiam diligas, & eam omnibus tuæ ditioni subjectis, non omissa tamen clementia, diligenter observes: hujusmodi enim columnis firmissimis stabiliuntur imperia, regna firmantur, muniuntur principes, & communiti lætantur statu pacifico principatus. Ecclesiam insuper matrem tuam, & præsidentes eidem, cæteraque personas ecclesiasticas Creatoris & Redemptoris nostri ministros, immo in eis ipsum, per quem regnas & regis solo solerter honorans, eas regio favore in suis libertatibus & juribus*

(*b*) Ext. in formul. Mar. Ebuli p. 25. n. 15.

Francorum Rex ad pie moderandum sceptrum excitatus.

bus aliis protegas & defendas. In talibus, fili charissime, primitias tuæ juventutis exerceas: in his laudabilis memoriæ prædecessores tuos non solum imitari, sed excedere studeas: quin etiam te ipsum virtutum successivis augmentis, velut de virtute in virtutem progrediens, superare; de nobis spem certam & fiduciam habiturus, quod tuam & regni tui prosperitatem paterno zelantes affectu, eam conservare proponimus, & facultate succedente, quantum cum Deo poterimus, favorabiliter ampliare.

X. Siculi a Nicolao, ut redeant ad Ecclesiæ obsequium admoniti.

Susceptæ igitur Ecclesiæ administratione Nicolaus, ad componendas res Siculas, e quibus tot mala in Christianam rempublicam redundarant, ac majora in dies enascura timebantur, pontificias curas admovit; ac primum antequam meritam in Siculos sententiam ferret, solemni eos ritu die cœnæ Domini admonuit (*a*), ut ad Romanæ ecclesiæ obsequium redirent.

(*a*) Lib. 1. ep. cur. 1.

Nicolaus episcopus servus servorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Licet hactenus contra Jacobum natum quondam Petri olim Regis Aragonum, exigentibus culpis suis, varii per Apostolicam sedem habiti sint processus; nos tamen intendentes in hujusmodi nostræ promotionis initiis experiri, utrum aliqua scintilla devotionis remanserit in eodem, & processus ipsos in suo robore permanere volentes prædictum Jacobum, ac etiam Siculos in rebellionis spiritu persistentes, præsente hac fidelium multitudine copiosa monemus, ut iidem Jacobus & Siculi, sibi salubriter consulentes, ad nostra & ecclesiæ Romanæ mandata redire procurent, super commissis ab eis contra ecclesiam prædictam excessibus & offensis nostris, & ejusdem ecclesiæ beneplacitis & præceptis humiliter & efficaciter parituri. Alioquin contra præfatos Jacobum, & Siculos, prout contumacia eorum exegerit, & expedire viderimus, spiritualiter & temporaliter, actore Domino, procedemus.

Objectæ imperia spernentibus minæ.

Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas sive membranas, processum continentes eumdem, in præsentis basilicæ S. Joannis Lateranensis appendi, vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt; ita quod iidem Jacobus & Siculi nullam postea possint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignorarint eumdem, cum non sit verisimile quoad ipsos remanere incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Laterani in basilica supradicta in die cœnæ Domini pontificatus nostri anno 1.

XI.

Respuebant Ecclesiæ imperiis se sub-

Denuntiatum iterum Jacobo Siciliæ invasori, ut cœptis absistat.

(*b*) Eod. l. 1. ep. 30.

mittere Siculi, cum affulgente sacro Pentecostes die iterum Nicolaus ipsos & Jacobum servato judiciario ordine, proposito publico edicto ad officium provocavit, (*b*) & recurrentem S. Michaeli sacrum diem peremptorium constituit: ac si perstarent in contumacia, legum severitatem objecit. Tractatum antea fuerat de vindicando in libertatem Salernitano principe, atque in nonnullas leges Eduardi Anglorum Regis opera cum Alfonso & Jacobo conventum erat: quæ cum in ipsius Caroli capti & Ecclesiæ opprobrium ac damnum redundarent, eas Honorius apostolica auctoritate convulserat, iterumque Cardinalium senatus vacante sede propositas, ut abhorrentes ab æquitate repudiarat (*c*). Postea consultus Nicolaus easdem repulit, quidve a prædecessore gestum esset, Regi Francorum (*d*), Joanni tit. S. Cæciliæ presbytero Cardinali Apostolicæ sedis Legato (*e*), ac Mariæ (*f*) Caroli uxori (*g*) viri desiderio confectæ significavit: tum ad æquiores concordiæ leges referendas illius interpretem Eduardum Anglorum Regem solicitavit.

(*c*) Ibid. ep. 56.

Agitatæ pro liberando Carolo II. concordiæ leges.

(*d*) Lib. 1. ep. cur. 2.

(*e*) Reg. post eand. ep.

(*f*) Ib. ep. 4.

(*g*) Ep. 56. 57. 58.

XII.

Urgebant de liberando Carolo cœptum tractatum una cum Eduardo apud Alfonsum apostolici memorati nuntii Bonifacius Ravennatium, & Petrus Montis Regalis archiepiscopi: quos tamen non gestarum bene suarum partium Nicolaus perstrinxit (*b*) ob non patefactas Cardinalium collegio, vacante sede, iniquas conditiones, quibus de laxando e vinculis Carolo agitabatur: iisdemque ac Raynerio Prædicatorum familiæ religioso viro, quem ipsis in munere socium adjunxerat, imperavit (*i*) ut judicium apud subsellia apostolica intenderent Alfonso, quem flectere ad officium his literis pertentavit. (*k*)

(*b*) Ep. cur. 3.

(*i*) Ib. ep. 7. & 8.

Intentatum Alfonso Aragon. judicium, ut Carolum II. liberet.

(*k*) Ib. ep. cur. 6.

Extant etiam apud Surit. ind. l. 2.

Nobili viro Alfonso nato quondam Petri olim Regis Aragonum spiritum consilii sanioris.

Si graves & enormes excessus, atroces injurias & offensas multiplices, quas quondam Petrus olim Rex Aragonum pater tuus, divina & Apostolicæ sedis reverentia prorsus abjecta, in salutis propriæ molitus dispendium, suique nominis, quod cautius custodiri debuerat, derogationem non modicam, animatus contra Romanam ecclesiam matrem cunctorum fidelium & magistram illicitis ausibus perpetrare, sibique irrogare præsumpserat, insulam occupando Siciliæ; ac partem regni Siciliæ alteram ad jus & dominium ejusdem ecclesiæ pertinentes, quas claræ memoriæ Carolus Rex Siciliæ ab eadem ecclesia tenebat in feudum, validis impugnando conatibus, & in diversis aliis ejusdem regni partibus statum ecclesiæ memoratæ pacificum quamplurimum perturbando; quosque

Proposita illi suscepti belli Siculi injustitia.

tu

tu & Jacobus filii & Conſtantia mater tui, jam dicto Petro ſublato de medio, ejus inconſulte ſectando veſtigia, commiſiſtis prædictis fratre & matre inſulam detinentibus, partemque alteram impugnantibus ſupradictas, teque in illis impendendo conſilium, auxilium, & favorem; velimus enarrare per ſingula, & ſerioſis aperire ſermonibus, longum eſſet, ingenſque audientibus tædium generaret. Sed tu ex quo potiſſime jam dictam perturbas eccleſiam, ipſius mentem vehementer amaricas, eamque in intimis dure pungis, quod chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ primogenitum, magnum utique ipſius vaſſallum eccleſiæ, ſiumque fideliſſimum filium & devotum, virum utique injuſte detentum, & quoad eum in prælio juſto captum ac regnum juraque paterna debite ac legitime defendentem, non invadentem tuam vel tuorum terram, non occupantem aliqua tua vel ipſorum jura vel bona, nec alias tibi vel eis injuriam inferentem; ſed a quibuſdam more quaſi piratico interceptum carceralibus vinculis detines alligatum in divinæ majeſtatis offenſam, grande tuæ famæ ſalutiſque diſpendium, & grave ſcandalum totius pene populi Chriſtiani.

Contra fas Carolum teneri in carcere.

XIII. *Quia igitur tot & tantos exceſſus pati æquanimiter, urgente nos conſcientia, non poſſumus, nec debemus, nobilitatem tuam præſentium tenore monemus, ut præfatum primogenitum, ſublato difficultatis obſtaculo, plenæ reſtituas libertati, nullumque præfato Jacobo fratri tuo, vel alii, ſeu aliis quibuſcumque in inſula & regno prædictis eccleſiam quomodolibet impugnantibus vel turbantibus ſupradictam, impendas per te, vel per alium, ſeu alios favorem, conſilium vel auxilium, publicum vel occultum: & nihilominus infra ſex menſes a receptione præſentium computandos, compareas peremptorie coram nobis, noſtris & ejuſdem eccleſiæ mandatis & beneplacitis ſuper præmiſſis humiliter & efficaciter pariturus. Alioquin non ignorare te volumus, quod contra te ſpiritualiter & temporaliter, prout qualitas facti ſuaſerit, & expedire viderimus, procedemus; quodque propter præmiſſam monitionem noſtram vel aliquam citationem emiſſam, ſeu etiam emittendam, ut certo tempore coram nobis compareas ſuper præmiſſis noſtris & Eccleſiæ beneplacitis parituras, ſive infra ipſum tempus curaveris, ſeu renueris, aut diſtuleris comparere, non intendimus contra te, tuoſque fautores, ſeu adjutores proceſſus ſpirituales ſeu temporales omittere vel differre, aut omitti facere vel differri, qui per nos vel per alios occurrerint, ſeu apparuerint faciendi. Dat. Romæ apud S. Petrum id. martii pontificatus noſtri anno* I.

Obiectus legum terror.

Cum vero Alfonſus ſupplex flagitaret, oratores ſuos a Pontifice audiri, ſeque obtemperaturum præ ſe ferret, Nicolaus eorum ſecuritati cavendum apoſtolico diplomate cenſuit, atque ad Carolum Valeſium, qui Aragonii regni titulo fuerat a Martino inſignitus, ſcripſit, (*a*) ne obicem poneret, quo in Alfonſum, ſi non pareret, excuſatio omnis adimi poſſet: eoque argumento ad Francorum (*b*) & Balearum (*c*) Reges, Joannem tit. S. Cæciliæ presbyterum Card. A. S. L. (*d*) Carolum II. tum (*e*) Provinciæ præſidem, (*f*) atque omnes archiepiſcopos, epiſcopos, (*g*) abbates, comites, marchiones, urbiumque magiſtratus ſcriptum eſt. Acceſſiſſe illos demum ad ſedem Apoſtolicam extremo anno, ac pluribus Alfonſum purgare ac Pontifici conciliare niſos, refert Jordanus, (*h*) ac præcipua orationis ipſorum capita, & reſponſa apoſtolica, his verbis ſubiicit: *Circa natale Domini venerunt ad curiam nuncii Aragonum & Siciliæ in conſiſtorio excuſantes Alfonſum: quod nuncios poſt patris obitum ad Romanam curiam non miſiſſet, quia tunc tranſire non poterant propter guerras. Secundo dicebant eum innoxium, & in nullo conſcium factis paternis. Tertio aſſeverabant eum din ante mortem patris regni poſſeſſionem habuiſſe, & ideo petebat pacifice ſibi dimitti. Quarto ſe ad ſervitium Eccleſiæ offerebat. De primo Papa non curavit. Ad ſecundum reſpondit: Placeret nobis multum quod eſſet innocens: ſed contrarium oſtendit, mittens continue in terras Siciliæ gentem ſuam. Item non ſinebat interdictum Papæ in regno illo ſervari, & quod Regis Majoricarum Eccleſiæ adjutoris occupaverat terras. Item detinet principem Salerni innocentem; & quod in regno Aragoniæ nullum jus habebat, ſed Carolus frater Regis Franciæ. Parati tamen ſumus, ſi venerit, eum audire, & exhibere juſtitiæ complementum. Pro Siculis autem dixerunt, quod multum fuerant a Francis oppreſſi, & quod intendebant eos curialiter licentiare de Sicilia: ſed aliqui maligni in eos egerunt crudelia, quod bonis viris diſplicuit: & Conſtantiam excuſabant, quod oportuerat eam ſequi virum ſuum: ſic autem rogabat, ut vocatum a Siculis filium coronaret. Quibus verbis Papa aurem non præbuit: de concordia tractant.*

XIV. Alfonſus oratores ad ſedem Ap. mittere conſtituit. Datus iis liber commeatus.

(*a*) *Ext. in MS. Vall. fig. lit. B. n.* 12. *pag.* 386.
(*b*) *Lib.* 1. *ep.* 69.
(*c*) *Ibid.*
(*d*) *Ib. ep.* 70.
(*e*) *Ibid.*
(*f*) *Ib. ep.* 71.
(*g*) *Ib. ep.* 68.
(*h*) *Jord. MS. Vat. ſign. n.* 1960.

Reſponſa Pontificis.

Quid a Pontifice flagitarint.

Duriores illius leges propoſitas ab Aragoniis Pontifex non admiſit, Philippoque Regi Francorum idibus ſeptembris ad biennium decimam conceſſit (*i*), ut fratrem armorum vi in Regnum Aragoniæ induceret: iterumque VII. kal. octobris Galliarum & aliarum provinciarum decimas eccleſiaſticas ad triennium contulit (*k*). Cujus impendentis difficilis belli metus Alfonſum adducere potuit,

XV. Decimæ conceſſæ Regi Franc. ad Aragoniam expugnandam.

(*i*) *Lib.* 1. *ep. cur.* 46.
(*k*) *Ib. ep.* 48.

ut Carolum e carcere educeret, cum Eduardus maxime ad id deprecator accederet.

XVI. Emiſſus e carcere Carolus.

Celebratum eſt ea de cauſa ſolemne apud Oleronem Regum colloquium; in quo, Pontifice inconſulto, ſancitæ liberandi Caroli pactiones, ut is Pontificem Regemque Francorum Alfonſo Aragonio & Jacobo inſulæ Siciliæ invaſori conciliaret. Itaque menſe novembris libertati reſtitutus eſt, filiis obſidibus datis, uti anonymus de rebus Siculis auctor hiſce verbis teſtatur (*a*): *Dimiſſis in Catalonia pro vadimonio & ſecuritate Roberto & Aloyſio Caroli II. filiis, Carolus ipſe extitit a dictis carceribus liberatus.* Jecit (*b*) in ea ſervitute Ludovicus inſignis fundamenta ſanctitatis, ad quam efflоruit ac poſtea cœlitum numerum auxit. Ea vero de filiis duobus cuſtodiæ hoſtium mandandis lex prima erat ex iis, quarum acerbitatem Pontifex Regi Francorum ſubjectis verbis recenſuit (*c*): *Potuerunt in poſſe Alfonſi nati quondam Petri tri olim Regis Aragonum tres filii chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli primogeniti claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ, & chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ conſortis ejus, duo ſcilicet majores poſt primogenitum ante liberationem ſuam infra decem menſes, & pro ſecuritate ipſius primogeniti ponatur etiam in poſſe dicti Alfonſi ſimul cum aliis naturalis poſt primogenitum, & alius filius prædictorum Caroli & conſortis, qui eſt in Provincia ante ſui liberationem. Item ponentur in poſſe præfati Alfonſi & heredum ſuorum ante ipſius Caroli primogeniti liberationem quinquaginta millia marcharum in pecunia auro & argento, & viginti millia Marcharum in ſecuritate: quam ſecuritatem viginti millium marcharum debet facere illuſtris Rex Angliæ Alfonſo prædicto.* Et infra: *Item debet ponere præfatus Carolus primogenitus ante ſui liberationem in poſſe ipſius Alfonſi & heredum ſuorum obſides primogenitos baronum & magnatum, militum, civium, & burgenſium Provinciæ uſque ad numerum quadraginta, illos ſcilicet quos idem Alfonſus vel ejus heredes elegerint.* Et infra.

(*a*) *MS. Frid. com. Ubal. de reb. Sic. pag.* 25. *Jord. MS. Vat. ſign. n.* 1960.
(*b*) *Jo. Vill. l.* 7. *c.* 114. *Surit. Ind. l.* 2. *& annal. l.* 4. *c.* 104. *Summont l.* 3. *c.* 2. *& alii. S. Ant.* 3. *P. tit.* 23. *c.* 4. *in princ. Wadingh. in annal. hoc ann. n.* 26.
(*c*) *Nicol. l.* 1. *ep. cur.* 2.

Aſperiores ab Aragoniis inflictæ leges.

XVII. Nihil eas complevit ad carcerem redire juſſus.

Item dictus Carolus primogenitus infra unum annum poſt liberationem ſuam procurabit, & faciet fieri, quod eccleſia Romana firmet & aſſecuret idonee, quod niſi dictus Carolus primogenitus faciat pacem eidem Alfonſo & Jacobo fratri ſuo, de qua ſint contenti ipſe Alfonſus & ejus heredes, vel niſi redierit ad carcerem ipſius Alfonſi infra tres annos poſt liberationem ſuam, quod Eccleſia non faciet guerram Alfonſo prædicto, vel Jacobo fratri ſuo, vel heredibus eorumdem, nec terris quas hodie tenent, & poſſident; nec jus habit prænominatum Carolum primogenitum, nec nocebit eidem Alfonſo, nec Jacobo fratri ſuo, nec heredibus eorumdem, nec terris quas hodie poſſident ex aliqua cauſa. Et ſi iſtam ſecuritatem non procuraverit, nec fieri fecerit infra unum annum poſt liberationem ſuam, ut præmittitur admittat quinquaginta millia marcharum argenti, quæ applicentur eidem Alfonſo & heredibus ſuis: quam quidem pecuniam aſſecuret per Regem Anglorum illuſtrem, &c. Adjectæ ſunt plures aliæ pactiones, quibus veluti tot compedibus conſtrictus erat Carolus ab hoſtium imperiis pendere, atque ad ipſorum petita Romanum Pontificem, Francorum Regem, & Carolum Valeſium Aragonici Regis titulo exornatum flectere; vel ad Catalanum carcerem reverti. Quas leges, ut ab æquitate abhorrentes, nec in Caroli poteſtate ſitas apoſtolica auctoritate Nicolaus ſequenti anno reſcidit (*d*). Reperimus hac de re graviſſimum diploma (*e*), in quo Nicolaus Papa extortarum a Carolo pactionum iniquitatem manifeſtam arguit: oſtenditque juſte a ſede Apoſtolica eas reſcindi, cum ad ipſum de criminibus Chriſtianorum cognoſcendi jus ſpectet; tum ipſi Petrus & Alfonſus principes Aragonii in ancipiti vitæ diſcrimine, in quo mortis cogitatio inanibus hominum erroribus velum detrahere ſolet, profeſſi ſunt Carolum ab ipſis inique tentum in carcere, eumdemque liberari juſſerint.

(*d*) *Lib.* 2. *ep.* 48.
(*e*) *Ext. in MS. arch. Vat. ſign. n.* 539.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Nicolai decretum de reſcindendis iniquis pactionibus extortis a Carolo.

Diſſolve colligationes impietatis, ſolve faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos & omne onus diſrumpe. His ſcripturæ ſacræ præceptis inducimur, obligationes impietatis impie vel inique contractas ad opprimendos inſontes diſſolvere, harum congeriem adjectione durioris oppreſſionis adauctam propenſiore ſtudio velut faſciculos ſolvere, deprimentes hujuſmodi preſſos & quaſi confractos angustiis ab ipſarum liberare nexibus: ſicque in his totaliter omne onus juſte diſrumpere, quod principalis obligationis, ut ad id acceſſoriæ vis nulla remaneat ac obligatos ipſos per oneroſæ captionis diſpendium inanis aſperitas contra juſtitiam non affligat. Sane conventiones & obligationes initæ inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Siciliæ & Alfonſum natum quondam Petri Aragonum, inferius deſcribendæ, quanta impietate redundent, iniquitate reſultent, quantumque pondus importent, variæ ipſarum circumſtantiæ lucidant, & rationes apertæ evidentius manifeſtant: quæ conſideratæ conſultius & proviſæ prudentius, attenta ejuſdem Regis, tunc principis, captionis injuria & injuſtitia tentionis, illas viribus

bus invalidas detegunt, omnique vacuandas effectu & firmitate declarant.

Describitur quam iniquo petitus bello Carolus a Petro Aragonio.

Siquidem in vulgarem fere orbis notitiam deveniſſe jam credimus, qualiter præfatus Petrus Aragonum fallacis iniquitatis filius, & protervæ præſumptionis alumnus, militum & peditum caterva ſtipatus inſulam Siciliæ, quam claræ memoriæ Carolus Siciliæ Rex a Romana eccleſia tenebat in feudum, incurſibus violentis invadens & occupans, ac ſubtrahendo illam Regi præfato, ſibi falſum titulum regiæ dignitatis aſſumens, ſe Regem intitulavit Siciliæ, ac gerere pro Siciliæ Rege præſumpſit, grandem in eam ſeditionem excitans, graviter populum concitans, eumdemque Regem ipſius omnino poſſeſſione privatum diverſis laboribus ſumptibuſque fatigans; & cum ex erroris fomite, cui nullus eſt terminus, fervor accenſæ cupiditatis excreſceret, & in immenſum exiens naturalem modum capacitas tranſiliret, iniquus ille ad terras alias citra pharum, in ejuſdem Regis fidelitate manentes, per excogitatæ falſitatis aſtutiam manus occupationis extendit, ipſaſque inſultibus variis & diverſis invaſit. Demum prædicto nunc Rege Siciliæ Regis præfati filio morante Neapoli, qui in abſentia prædicti genitoris ſui, in partibus ultramontanis agentis, generalis ejus in Siciliæ regno vicarius regnum ipſum, quod ipſius eccleſiæ juris & proprietatis exiſtit, cæteraque paterna jura, immo propria cenſura judicante rationabili, tenebatur; Rogerius de Lauria navalis exercitus dicti *Petri præpoſitus, pacis æmulus, quietiſque turbator, flagitioſi mandati ſuſceptor Neapolitanum fretum hoſtili proterво, cum* Rogerium Lauriam contra fas Neapolitanam oram vexaſſe. *extolio numeroſo diſcurrens, circumvaſtans terras fidelium, continuis flagellabat inſultibus, & ſucceſſivis damnorum injuriis lacerabat; ac eo uſque in diſſolutam licentiam prodibat effectus audacia, quod ejuſdem Regis fideles & ſubditos, pro eorum opportunitatibus de loco navigantes ad locum, in ipſius oculis, qui ſic præſentaneos & videntes exceſſus obumbrare non poterat, capiebat immaniter, ex illis quoſdam oneroſæ redemptioni ſubiiciens, quoſdam mutilatos retinens, multos membrorum debilitatione deformans, multos excidio ignominioſæ peremptionis abſorbens. Sicque Rex ipſe, tunc princeps, illicitis provocatus injuriis, & invaſionibus concitatus enormibus, cum militibus & bellatoribus aliis armata vaſa conſcendit, vires viribus pellere ſatagens, & repulſibus injuriam propulſare diſponens: & dum ſubinde belli res agitur, & duris ac violentis aggreſſibus utrimque verteretur, de permiſſione divinæ juſtitiæ, quæ ex latentibus cauſis ſuos nonnunquam caſtigat & corrigit, ejuſdem belli triſtis evenit exitus, ut de gente præfati principis ali-*

Captum Carolum II. dum pro æquitate pugnabat.

quos gladius de medio tolleret, & ipſum cum multis de ſuis militibus in ipſorum invadentium manus immanes ſæ vientis caſus acerbitas captivaret.

Dum autem prædictum principem ejuſdem Petri carceralis cuſtodia teneret incluſum, ipſo Petro rebus humanis exempto, ac eodem principe in Alfonſi prædicti Alfonſum paternæ tyrannidis fuiſſe ſucceſſorem. *poteſtate deducto, multis præviis de ipſius captivitatis ſolutione tractatibus, ad verbalem & imaginariam liberationem ejuſdem principis inter ipſum & prædictum Alfonſum, in quo vere paterni criminis pernitioſa plurimum probantur exempla, duræ & importabiles conventiones ſunt habitæ & pœnæ variæ cum vinculo juriſjurandi religionis adjectæ: quorum ſeries duobus inſtrumentis licet implicite ſatis, inſerta breviter & ſuccincte, quantum fieri commode potuit, præſentibus explicatur.*

Iniqua extorſiſſe conventa.

Poſtpoſito namque ipſarum conventionum ordine ſcripturæ præpoſtero, ubi præcedunt acceſſoriæ principales, cum habet inter cætera prædicti principis tunc captivi expreſſa promiſſio, quod ipſe cum Alfonſo prædicto, Jacobo fratre ſuo, & eorum heredibus pro ſe, Romana eccleſia chariſſimis in Chriſto filiis noſtris Philippo Francorum, Carolo Aragonum & Valentiæ Regibus illuſtribus infra triennii ſpatium, Præcipua eorum capita. *juxta determinationem conventionibus ipſis intextam, ad voluntatem ejuſdem Alfonſi pacem faciat, & de qua pacatus ſit prædictus Alfonſus ſeu heredes illius; aut ad ejuſdem Alfonſi ſeu ſucceſſorum ejus carcerem revertatur: quodque prædictus princeps procurabit & faciet, quod ipſe, Romana eccleſia, & præfati Philippus & Carolus Francorum & Aragonum Reges pro ſe & eorum valitoribus (ut ipſarum conventionum, immo diſſenſionum potius verbis utamur) dictis Alfonſo & Jacobo & ipſorum heredibus ac valitoribus eorumdem exacti intervallo termini, prout in pactionibus ipſis exprimitur, treugas dabunt. His illud adicitur, quod infra* De avertendo bello Gallico. Reſtituenda eccleſiæ gratia. *unius anni decurſum poſt liberationem ipſam idem princeps procurabit & fieri faciet, quod præfata eccleſia (ut promiſſorum & conventionum verba propria noſtra narratio non omittat) firmet & aſſecuret idonee; quod niſi princeps ipſe cum dictis Alfonſo & Jacobo fratre ſuo & eorum heredibus pacem faciat pro ſe, Romana eccleſia, præfatis Francorum & Aragonum Regibus, de qua idem Alfonſus & ſui heredes contenti perſiſtant; vel niſi ipſe ad carcerem ejuſdem Alfonſi poſt liberationem ſuam infra terminum redeat, ipſa eccleſia eidem Alfonſo & Jacobo fratribus, aut eorum heredibus, aut terris ipſorum, quas ipſarum conventionum tempore tenebant & poſſidebant, guerram non faciet, & ipſum non juvabit principem, nec nocebit eiſdem germanis Alfonſo & Jacobo*

bo aut heredibus eorumdem, non permittens quod præfati Rex Franciæ, princeps, vel Aragonum Rex aut aliqui alii dictis Alfonſo & Jacobo aut eorum heredibus guerram faciant, nec terris, quas tunc ipſi (ut eorum imitemur verba) in propriis ex cauſa aliqua poſſidebant, ad quorum promiſſionem indebitam ſuis diſtinctis, caſibus, locis, terminis expreſſis in ipſis conventionibus obſervandam juxta prætactarum conventionum tenorem & formam, præfatus princeps adhuc intra carceris ſepta conſiſtens, Ludovicum, Robertum, poſt primogenitum natu majores, & Raimundum Berengarium ipſius liberos eidem Alphonſo obſides tradiderit, triginta millibus

Tradendis filiis obſidibus.

*marcarum argenti in pecunia & pignoribus per eundem principem * in poſſe Alfonſi præfati & * aliis viginti millibus*

* poſitis * de

obligante ſe pro ipſo principe apud eundem Alfonſum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Odoardo Anglorum Rege illuſtri: ſub illius conditionis adjectu, quod Carolus primogenitus prædicti principis infra annum unum, a prætactæ liberationis tempore numerandum, pro obſide in pleno & libero poſſe ejuſdem Alfonſi vel ſuorum heredum perveniat, reſtituto per eumdem Alfonſum eidem principi prædicto Raimundo Berengario nato ſuo. In cujus conditionis defectu, ubi idem primogenitus infra præmiſſum tempus in poteſtate ejuſdem Alphonſi ut præmittitur non daretur, prædicta quinquaginta millia marcharum partim tradita, partim per eumdem Regem Angliæ in obligatione ſuſcepta perduntur in pœnam prædicti principis, & ejuſdem Alfonſi vel ejus heredum lucris obventunt: & nihilominus dictus Raimundus Berengarius, membris ſanus & vita, eidem Alfonſo & ſuis heredibus, ſicut ipſarum conventionum verba exprimunt, eſt incurſus.

Et nobiliſſimis provincialibus.

Obſides quoque de nobilioribus & melioribus comitatus Provinciæ præfato Alfonſo idem princeps octuaginta numero tradidit, a caſtellanis caſtrorum comitatus ejuſdem procuratoribus ejuſdem Alfonſi pro ipſius parte homagium cum juramento præſtari faciens ſindicis civitatum & villarum comitatus ejuſdem ipſorum nomine & univerſitatum ſuarum; baronibus autem & militibus per ſe præſtantibus juramentum, & obligantibus ſe cum inſtrumentis publicis procuratoribus ipſis, quod eidem Alfonſo & ejus heredibus ut domino obedient & intendent: niſi (quod in præmiſſis devenit conventionibus, pro ut ipſarum ſeries explicat) per eundem principem obſervetur. Quibus deficientibus conventionibus, in pœnam & enorme diſpendium ejuſdem principis terra prædicta comitatus Provinciæ alia quinquaginta millia marcarum argenti (pro quibus apud eundem Alfonſum eſt idem Rex Angliæ pro eodem principe ſub certis conditionibus obligatus) obſides dati per ipſum plures membris & vita perduntur, & eidem Alfonſo & ſuis heredibus (juxta loquendi modum annotatum in ipſis conventionibus) ſunt incurſi. Et ut hæc omnia, quantum ad con-

Extortum in carcere ſacramentum.

venientium ipſorum propoſitum, robur firmitatis haberent, princeps ipſe, captivitatus exiſtens, præſtito corporali ſacramento firmavit ipſa ſervare firmiter, & præter liberationem ipſam hæc innovans. Quia autem in conventionibus ipſis hoc erat expreſſum, promiſit inſtantius, & in manibus Regis Angliæ præfati firmavit omnia & ſingula, quæ in conventionibus ipſis devenerant, facere & complere.

Illuſtratur juſtitia Caroli.

Nulla igitur materia dubitationis occurrit, quod princeps ipſe paternarum rerum incumberet poſſeſſioni legitime, dum ſic per eumdem propoſitum præfati Petri fautorem & complicem, aliiſque diverſis injuriis eorumdem Regis & principis enormiter calcaretur juſtitia, veritas impugnaretur indebite, innocentia læderetur injuſte. Cur ergo in præfatum Petrum nulla offenſionis ſeu læſionis ipſorum culpa præcederet, juſtum bellum aſſumpſit & geſſit, cauſam ipſius eccleſiæ proſequens, & in repugnans obſtaculum ſicut defenſor exſurgens, eo potius in hoc ejuſdem Petri craſſantia cumulante commiſſum, quo idem Petrus ab ejuſdem eccleſiæ & ipſius defuncti Regis Siciliæ per omnem modum & ſpeciem, per eccleſiam ipſam, offenſione prohibitus, ac propter diverſos exceſſus & culpas contra prohibitionem commiſſos hujuſmodi excommunicationis ſententia innodatus, violentiarum, cædium, damnorum, verberum evenientium ex ejuſdem belli conflictu, ipſe qui cauſam malorum præbuit, auctor extitit fautorque dilecti, per quod præfatus princeps captus indebite, & quantum ad ipſum Alfonſum maxime, detentus injuſte eidem pro debita ſibi liberatione ſe obligans (quam utique gratis obtinere debebat) indebitam promiſſionem expoſuit, & ut ob turpem cauſam onus obligationis accepit.

Contra fas captum tentumque.

Pactiones extortas in carcere non tenere.

Nec minus liberat vitio, quod obligationes prætactæ in carcere fuerunt expoſitæ, & ab eo, qui in tremenda cuſtodia detinebatur, exactæ: quibus nec robur adjicit renovatio obligationum ipſarum, ſacramenti præſtatio facta eidem Regi Angliæ pro ipſis implendis præfati Raymandi Berengarii & aliorum obſidum de prælibato Provinciæ comitatu traditio poſt ipſam liberationem umbratilem ſubſecutæ, quæ ex cauſis pluribus ſunt viribus vacuæ, & ab efficacia debitæ firmitatis ex-

Non tenere ſacramentum Anglo datum, ſi liis tentis obſidibus.

cluſæ: etenim & eorumdem Ludovici & Roberti natorum charitas pro conventorum obſervatione, nondum eadem liberatione ſecuta, in obſidatu morantium, in quibus pluſquam in ſe paternus terrebatur affectus; promiſſoque facta Anglorum Re-

gi prædicto per ipsum principem adhuc captum de liberandis obsidibus, quos idem Rex pro sæpedicto principe antè liberationem ipsius Alfonso memorato tradiderat, cujus promissionis causam eo libertati reddito ejusdem religio juramenti firmavit; nec non ipsum sacramentum turpiter in carcere præstitum, quod erat non interveniente ecclesiæ dispensatione servandum, onerosæ novationis hujusmodi produxit periculum, ut consequentiæ primi actus recidivationem jacturæ inducerent, & anterioris metus reliquiæ præmissa succidenda præjudicia propagarent.

Quæ secuta, vitio illatæ antea vis laborare.

*Ipsa etiam cum sacramento renovata promissio, sicut & pristina, turpitudinem continet, & causam indebitam secum habet. Nec ejusdem Raimundi & aliorum obsidum Provincialium subsequens datio proximam causam turpitudinis expressam superius sustulisse videtur, eo quod ipsorum præstatio, quæ vicem cujusdam pignoris obtinet, primæ & secundæ promissionibus factis in efficaciter non accessit. Et si ejus, qui principaliter in obligationem devenit, nihil consideretur extrinsecus, sed sola conventionis substantia provisè pensetur, facilis occurrit inspectio, quam ipsius obligationis essentia informiter claudicet, & reprobanda penitus nullitate laboret. Ab eodem quidem principe in promissione deducitur, quod ipse pro se & Romana ecclesia, pro dictis Francorum & Aragonum Regibus cum præfatis Alfonso & Jacobo pacem faciet ad ejusdem voluntatem Alfonsi, de qua ipse pactus, vel sui heredes existant; per quod contra juris tramites in ejus & heredum suorum arbitrium pacis omnis perfectio ponitur, & ab ipsius principis libera voluntate privatur. Nec est negotium rationabili extimatione possibile in ipsa promissione deductum, cum alienum factum, ex superiorum voluntate dependens, in obligatione devenerit; & se * præmissorum ad hoc tam inepte quam minus provide obligaverit. Quo jure vel causa, cujus potestatis præsidio princeps ipse facta Romanæ ecclesiæ & prædictorum Regum fidelium potuit in stipulatione deducere; qui nec se tunc etiam valuit obligare? Quæ de re consequenter producitur, ut præfatarum treugarum promissio eamdem causam reprobationis excipiat, idemque & ipsius defectus & vitium arguatur. Nunquid dictorum Alfonsi & Jacobi meruere demerita, prænominati Petri parentis eorum, a quo scandali processit initium, digna sunt opera, ut ecclesia multis ab ipsis concussa turbinibus, iidemque Francorum & Aragonum Reges filii benedictionis & gratiæ ad indevotorum ipsorum dispositionis arbitrium pacis rupta fœdera reparent, eorumque beneplacitis se coaptent? Nunquid ipsorum contemptus & culpæ coacervatæ diutius, & multiplicatæ*

* pro præmissis Alios maxime superiores obstringere non potuit, qui nec seipsum jure poterat obstringere.

Conventorum natura ex se iniqua demonstratur.

Non afficiendam præmio improbitatem.

frequentius, universum pene congregationem fidelium molestantes, hujusmodi sunt recepturi rependia, quod prænominato principe non implente conventa, quæ causam difficilem, & quasi impossibilem modum habent, eadem ecclesia ipsi principi ejus dilecto filio & vassallo devoto auxiliaria juvamenta non porrigat, eisdem Alfonso & Jacobo, aut eorum heredibus alicujus læsionis nocumenta non inferat, & quod præfati Francorum & Aragonum Reges bellum justum prosequentes & licitum, aut aliqui alii guerram faciant non permittatur? Profectò si ipsorum petulantia reproba, audax præsumptio, criminaque damnosa contra Deum, eamdem Romanam ecclesiam, bonum statum quietis, & pacis eundemque principem, ac apertam justitiam infrunite commissa, apostolicis monitionibus, inhibitionibus, & exhortationibus præceptisque contemptis, advertantur attentius, ipsam debita consideratio ponderet & provisio librata perpenset, præter stipendia merita, pœnas scilicet infligendas eisdem, nihil est ipsis conferendum quod placeat, nihil procurandum quod mulceat, nihil complendum utile quod dulcescat. Pernitiosis enim exemplis derivandis in modernos & posteros via dilataretur ad invium, si eadem ecclesia principibus ipsis catholicis fide præclaris devotionis sinceris adjutricem manum subtraheret; aliisque fidei fundamento debilibus, macula indevotionis affectis, & contemptus mordendi duritate notatis grata & placentia propinaret.

Prava in posteros non derivanda exempla.

Illa quoque horrenda pactio, metas humanitatis excedens (ut verba imitemur ipsius) de obsidum incursione prætacta præterire non debet considerationis intuitum; sed turbare non modicum audientis affectum. Nonne asperitatem commissoriæ legis in rerum pignoribus sanctio legum reprobat, & omnem ejus memoriam æquitatis rationis annullat: quanto magis in personis, quæ cæteris præferendæ sunt rebus, & specialiter præfatis liberis, quos tam antiquatæ & generosa prosapia regiæ nationis illustrat, hujusmodi captiosa & detestanda conventio in reprobatione deveniet, eamque sanum judicium abhominatione depellet? nulli quippe venire debeat in dubium, quod rationabili positione juris est certum. Licet autem præmissorum evidentia lucida conventiones, promissiones, obligationesque prætactas nullas judicet, seu annullandas fore demonstret; ad sustollendam tamen cujuslibet ambiguitatis materiam, quam plerumque in certis etiam causa solicitæ dubitationis adduxit, ipsorum nullitatis defectus & vitium promptior demonstratio publicat, & aptior ratio manifeste declarat.

Conventa de obsidibus inhumana & contra leges facta ostenduntur.

Felicis siquidem recordationis Honorius Papa IV. prædecessor noster, qui dictum pacis tractatum, inter eumdem principem & præ-

Ut Honorius IV. memoratas pactiones resciderit.

& præfatos Alfonsum & Jacobum super liberatione præfati principis habitum, eidem principi ex parte Alfonsi jam dicti per Salsensem præpositum in ipsius tractatus finalibus terminis nunciatum, & prædicto prædecessori expositum per nuncios principis memorati, in grande præjudicium ipsius ecclesiæ & ejusdem principis redundare cognoscens, illum de fratrum suorum consilio revocavit expresse: & nihilominus, si forte de facto processerat, eum penitus cassans & revocans, ipsum omnemque alium & similem in antea inhibuit districte præsumi; etsi quis hujusmodi post inhibitionem ipsam fuerit quoquo modo præsumptus, illum ex tunc inanem decrevit & irritum, ac nullius existere firmitatis.

A defendenda ecclesia prohiberi non posse decernitur.

Ad objecta, ut Carolus pacta non impleturus rediret, respondetur.

Sed forsitan est qui dicat, quod apposita in conventionibus ipsis alternata conditio illa, videlicet quod idem princeps aut conventiones ipsas adimpleat, aut ad ejusdem Alfonsi carcerem revertatur, per ipsum reditum potest iniquitatem & pondus earum omnifarium tollere & penitus abolere. Cui non est in obscuro responsio, quod cum per eundem durum & luctuosum reditum Rex ipse obliqua ratione alia ad eorumdem conventorum observantiam urgeatur, præfatæ alternationis improbandæ conditio est rationabiliter remittenda: maxime cum ipsa promissio redeundi ad carcerem merito reputetur indebita, eo quod carcer ipse præfatum Regem non debet opprimere, quem multa dignoscitur culpa gravare. Cum itaque conventiones & obligationes præmissæ impietate plenæ, iniquitate non vacuæ, pro impensa monitione nostra de liberando prædicto principe, & contra prohibitionem prædicti prædecessoris expressam in grave præjudicium eorumdem ecclesiæ & Regis sint præsumptiosius attentatæ; maxime cum ex anfractibus & impedimentis conventionibus prædictis annexis, quibus ejusdem Regis multipliciter status involvitur, nominatæ ecclesiæ incommoda cumulata provenient, dum ipse ejusdem ecclesiæ vassallus præcipuus, & specialis athleta ab illius per hoc defensione subtrahitur, & minus eidem ecclesiæ a multis erectis in superbiam obeditur, majoraque ex iis dispendia prodeant & pericula formidentur, quam ex illis, qui in eodem tractatu præfato prædecessori exposito devenerint, cum in eis certum esset, quam grave onus ascriptum, quod in præmissis aliis non est expressione aliqua designatum; ubi præter involutiones & insidiosas captiones alias cum enormibus & præjudicialibus damnis eidem Regi & suis heredibus, quas inevitabiliter eventuras totus tractatus pacis in ipsius Alfonsi arbitrio ponitur, & in ejus inordinata voluntate laxatur, cujus perversum intentum accidentia varia, & instantia petitionis illicitæ circa tractatum ipsum per eundem Alfonsum jam habita insinuant satis clare; nos, ad quem sine dubitatione censura pertinet Christianum quemlibet de peccato mortali corripere, ac oppressos omnes ab eorum oppressionibus liberare, advertentes provide conventiones, promissiones, obligationesque jam dictas præjudiciales eidem ecclesiæ & Regi præfato, in cujus imagine grandia paterna servitia ipsi ecclesiæ præstita contemplamur, sic inique, sic perperam, sic inhumaniter processisse; præcipue cum habeat fide digna relatio, quod præfatus Petrus in supremis suis ad clausira conscientiæ rediens ipsum Regem tunc principem a carcere liberari mandavit; hoc etiam idem Alfonsus dum gravis eum dudum languor opprimeret, confessori suo, in cujus manu juravit de parendo mandatis ecclesiæ, devote promittens; ipsas de fratrum nostrorum consilio & assensu viribus vacuas, inanes & irritas fore decrevimus, cassantes & annullantes easdem, si qua subsisterent firmitate; & revocantes ipsas quatenus processere de facto; ac eosdem Reges & Provinciales a præfatis sacramentorum præstationibus absolventes, ut tota eorum substantia & effectu tam principaliter quam accessorie annullatis, & nullis penitus declaratis, ex ipsarum vigore quacumque ratione, occasione, vel causa directe vel per obliquum idem Rex vel sui heredes in nullo unquam remaneant obligati.

Petrus Alfonsusque in extremo vitæ actu Carolum liberandum decepere.

Quia vero nonnumquam aliqui sic inierunt fœdus cum vitiis, sicque se ligant culpæ perseverantia in offensis, ut quod per eos factum est improbe, pro se improbius turpiter non pudeat allegare; quorumdam autem generosos animos sic pudor afficit & lex honesti confringit, quod ad promissum quamquam indebitum se teneri reputant, licet ab ejus præstatione ipsos provident sanctiones absolvant; eidem Alfonso sub pœnis spiritualibus & temporalibus in alio processu nostro in die cœnæ Domini circa hoc habito Romæ contentis, districte præcipimus, ut conventionibus ipsis tanquam nullis & irritis non initens, ac eumdem Regem ab obligationibus ipsis defacto contractis liberum omnino dimittens, præfatos obsides solutos & liberos infra terminum ad propria redire permittat, pecuniam prænotatam ab eodem Rege receptam sibi sine exceptione restituat, prædictosque Regem Angliæ ratione obligationis prædictæ prædestinatarum marcarum, & Provinciales occasione homagii ac sacramenti præstiti, ut præmittitur per eosdem, non impetat vel molestet; inhibentes expresse Regi Angliæ sub pœna excommunicationis, & in toto regno suo suspensionis ecclesiastici interdicti, ne prætextu obligationis expositæ de prædicta pecunia, in qua idem Rex obligatur indebite, quicquam dicto Alfonso vel ejus heredibus exhibeat vel exolvat;

Imperia apostolica circa id ipsi Alfonso data.

Vetitum Carolo ne carcerem Aragonium adeat.

eidem Regi Siciliæ & præfato Carolo primogenito ſuo ſub virtute ſacramenti fidelitatis, quo Rex ipſe, & obedientiæ & devotionis, qua idem primogenitus eccleſiæ Romanæ tenentur, & pœna excommunicationis utrique, ne primogenitum ipſum ad ejuſdem Alfonſi carcerem deſtinet aut ire permittat, vel ad illum accedere primogenitus ipſe præſumat; neve de ipſis conventionibus, promiſſionibus, & obligationibus factis eidem Alfonſo & Regi Angliæ, aut aliis quibuſcunque, propterea idem Rex Siciliæ complere, ſatisfacere, vel obſervare aliquid quomodolibet teneatur: nec non univerſis & ſingulis comitatus Provinciæ & Folcalquerii comitibus, militibus, baronibus, burgenſibus, plebeis, & aliis cujuſcumque ſtatus & conditionis exiſtant, & caſtellanis caſtrorum præcipue, quos omnes a prælibatis ſacramentorum præſtationibus per eos præſtitis duximus abſolvendos, ne ratione dictorum ſacramenti & homagii, vel cujuſcumque promiſſionis alterius, præfato Rege non implente prædicta promiſſa, ſicut nec de jure tenetur, eidem Alfonſo aut ejus ſucceſſoribus in aliquo pareant vel intendant: eſſet enim abſurditate notabile cum per excommunicationis vinculum, quam eundem Alfonſum ipſius facti notorium incurriſſe divulgat, vaſſalli ſui a fidelitatis, quo ſibi tenentur ſacramento ſolvantur, ſi vaſſallos alterius eidem Alfonſo injuſta & extorta promiſſio, & ſacramentum indebitum obligaret, &c.

Illius ſubditos ad iniqua ejus conventa non conſtringi oſtenditur.

Ut vero molliores fœderis leges vita functo Alfonſo cum Jacobo, qui ut Aragoniæ & Valentiæ regna ſibi aſſereret, inſulæ Siciliæ tyrannidi renuntiavit, pepigerit, ſuo loco dicetur. Nunc Siculis rebus adjungimus, ſcripſiſſe ad Nicolaum Robertum comitem Atrebatenſem regni Siculi loco Caroli moderatorem, Andronicum miſſis oratoribus popoſciſſe in uxorem filio ſuo Michaeli primogenito Catharinam filiam Philippi olim Imperatoris Conſtantinopolitani (is fuerat Balduini II. extorris filius ſolo nomine Imperator) ita enim inter Caroli heredes ac Græcos firmam pacem conciliatum iri: ſe vero rem tantam, Pontifice ac Rege Francorum inconſultis, perficiendam non cenſuiſſe. Cui Nicolaus in hanc ſententiam reſcripſit (*a*).

Andronicus Philippi Imp. filiam uxorem depoſcit pro filio Michaele.

(*a*) Lib. 1. ep. eur. 38.

Dilecto filio nobili viro Roberto comiti Atrebatenſi bajulo regni Siciliæ, per ſedem Apoſtolicam conſtituto.

XVIII. *Literas tuas recepimus, quas nobis tua devotio deſtinavit: & earum tenore plenius intellecto, perpendimus in eis inter alia contineri, quod procuratores & nuncii nobilis viri Andronici Palæologi ad tractandum, firmandum, & complendum matrimonium inter nobilem virum Michaelem ipſius Palæologi primogenitum, & dilectam in Chriſto filiam Catharinam domicellam natam claræ memoriæ Philippi Imperatoris Conſtantinopolitani ad tuam præſentiam acceſſerunt, aſſerentes quod ex hujuſmodi matrimonio inter eundem Palæologum, ac ejus heredes, & ſucceſſores ex parte una, & heredes, & ſucceſſores claræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ ex altera, & utriuſque partis ſubditos pax perpetua poterit provenire. Cumque prædicti nuncii apud te circa præmiſſum tractatum inſiſterent, tu tanquam honoris eccleſiæ Romanæ, & chariſſimi in Chriſto filii noſtri .. Regis Franciæ illuſtris zelator præcipuus, provide cogitans, quod hujuſmodi negotium ſine ipſorum eccleſiæ ac Regis conſilio & conſenſu expediri commode non poterat nec debebat, decreviſti ſuper hoc fore noſtrum & ejuſdem Regis beneplacitum requirendum. Nos itaque, tuæ devotionis prudentiam dignis in Domino laudibus commendantes, nobilitatem tuam rogamus, & hortamur attente per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus a tractatu prædicto, donec ſuper hoc dicti Regis reſponſionem receperis, non recedas, nec diſrumpas eumdem; & recepta reſponſione prædicta ipſam nobis ſtudeas intimare, ad conſummationem dicti negocii, etiam ſi contingat dictum Regem ſponſalibus hujuſmodi conſentire, nullatenus proceſſurus, niſi prius noſtrum ſuper hoc habueris beneplacitum & conſenſum. Datum Reate* III. *non. junii anno* I. Cæterum id matrimonium perfectum non fuiſſe ob duriores a Rege Siciliæ exactas conditiones ſcribit Gregoras (*b*) ac Michaelem Regis Armeniæ ſororem duxiſſe: Catharinam vero Imperatricem eripiendi ex ſchiſmaticorum manibus Conſtantinopolitani Imperii ſpe Carolo Valeſio Regis Francorum fratri nupſiſſe viſuri ſumus.

Firmandæ inde Gallos inter & Græcos pacis ſpes oriebatur.

Conſultus Pontifex Regis Francor. conſilium explorandum cenſet.

(*b*) Niceph. Greg. l. 6. Diſſoluto eo tractatu, Michael Regis Armenior. ſororem ſibi deſpondet.

Quod ad Francorum Regem ſpectat, cujus Nicolaus aſſenſum flagitari voluit; contulit (*c*) Pontifex indulgentiarum præmia iis, qui pro ipſo apud cœleſte Numen preces funderent; aliiſque apoſtolicis beneficiis tum ipſum, (*d*) tum ejus uxorem Franciæ & Navarræ Reginam affecit (*e*). Eundem etiam Regem monuit, ne quam injuriam clericis a regiis miniſtris inferri pateretur. Tuendæ pariter libertatis eccleſiaſticæ zelo Eduardum Anglorum Regem Joannem canonicum vinculis, in quæ ab adminiſtris compactus fuerat, liberare juſſit. His addimus provinciam impoſuiſſe Raguſino archiepiſcopo, (*f*) ut ducem, & ſenatum Venetum adigeret ad arces oppidaque Aquilejenſi patriarchæ reſtituenda, quæ ipſi in Iſtria eripuerant. Cumque grave inde bellum erumperet, ad illud extinguendum Nicolaus Venetos ſequentibus literis ad amplectendam pacem, ſuaque pa-

XIX. Porrecturis Deo pro Rege Gall. preces datæ indulgentiæ.

(*c*) Lib. 1. ab ep. 225. ad 228.

(*d*) Ib.

(*e*) Ep. 222.

(*f*) Lib. 1. ep. 123.

patriarchæ reddenda jura eſt adhortatus (*a*).

(*a*) Ib. ep. 122.

Dilecto filio nobili viro duci, & communi Venetorum.

Aquilejenſis patriarchæ terras invadunt Veneti.

Habet noſtris auribus inculcatæ relatio, quod vos, ad occupationem bonorum & jurium Aquilejenſis eccleſiæ manus avidas extendentes, Parentinam, Emonenſem, & Juſtinopolitanam civitates, ac S. Laurentii Monton. & Greſignanæ Pirani inſulæ, Mugle, aliaque nonnulla caſtra, terras, villas, & loca in Iſtriæ partibus conſtituta, quæ ad eamdem eccleſiam pertinere dicuntur, & in quibus venerabilis frater noſter.. patriarcha Aquilejenſis juriſdictionem omnimodam obtinere proponitur temporalem, per violentiam occupaſtis, eaque detinetis taliter occupata; nonnulla caſtrorum, & villarum ipſorum illicitis auſibus data licentia nequiter deſtruentes, alias patriarchæ eccleſiæque prædictis, ac venerabili fratri noſtro epiſcopo & civibus Tergeſtinis, ac aliis fatis adhærentibus, coadjutoribus, fautoribus & ſequacibus in hac parte per incendia & rapinas, damna maxima & graves injurias inferendo, in eorundem patriarchæ & eccleſiæ, ac aliorum prædictorum non modicum præjudicium & gravamen. Quamobrem inſtigante humani generis inimico, inter patriarcham & quamplures illarum partium nobiles, ac alios eccleſiæ prædictæ vaſſallos & adhærentes eiſdem ex parte una, & vos ex altera gravium diſcordiarum & guerrarum diſcrimina ſunt, ut aſſeritur, ſuſcitata: quorum occaſione grandia perſonarum & animarum pericula, multimoda damna rerum retroactis contigere temporibus; & ne graviora contingant ulterius, veriſimiliter formidatur.

Gerunt cum Tergeſtinis bellum.

XX. *Nos igitur ex debito paſtoralis officii volentes hujuſmodi obviare periculis, & animarum profectibus providere; cupientes etiam ut civitas veſtra, quæ tamquam filia benedictionis & gratiæ ſincere devotionis affectum, ac ſolidæ fidei puritatem erga Romanam eccleſiam anteactis noſcitur habuiſſe temporibus, in pacis pulchritudine ſedeat, & in requie opulenta quieſcat; univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus tanquam viri pacifici mentes veſtras & animos habilitantes ad pacem, voſque Apoſtolicæ ſedis beneplacitis coaptantes; attendentes etiam quam diſpendioſum animabus, & ſaluti contrarium ſore conſpicitur aliena contra juſtitiam detineri; quodque locum ſibi non vendicat peccati remiſſio, ubi ablati reſtitutio non præceſſit; ea quæ in hac parte patriarchæ, eccleſiæ, epiſcopo & civibus, & aliis adhærentibus, fautoribus, & ſequacibus memoratis per vos, vel per alium, aut alios ſunt ablata, eis ſublato difficultatis obſtaculo reſtituere procuretis, a quibuſvis novitatibus, invaſionibus, & inſultibus per vos & per veſtros etiam ſtipendiarios, & adhærentes in hac parte vobis ac fautores, coadjutores, & ſequaces veſtros, contra illos, aut aliquos, vel aliquem eorumdem & terras ipſorum penitus abſtinendo; ac revocando nihilominus alios veſtros ſtipendiarios, vel armatos, qui provinciam Iſtriæ in damnum patriarchæ, epiſcopi, & civium, ac aliorum prædictorum, ad ſtatum ipſius provinciæ perturbandum, ſicut aſſeritur, ſunt ingreſſi; ſic in præmiſſis omnibus laudabiliter & efficaciter proceſſuri, ut zelatores pacis & amatores concordiæ vos per effectum operis demonſtretis; noſque devotionem & obedientiam veſtram, quam in hoc promptam cupimus inveniri, dignis, exinde in Domino laudibus attollamus. Alioquin venerabili fratri noſtro archiepiſcopo Raguſino per alias literas noſtras injungimus, ut vos ad hujuſmodi reſtitutionem, ac ſtipendiariorum, ſeu armatorum prædictorum revocationem faciendam, compellere; quodque vos, dictique ſtipendiarii, adhærentes, fautores, coadjutores, & ſequaces veſtri a novitatibus, invaſionibus, & inſultibus quibuſcumque abſtineatis, & ut omnino iidem ſtipendiarii, ſeu armati de provincia ipſa recedant, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, compeſcere non omittat. Si vero in civitatibus, caſtris, villis, terris, & locis eiſdem jus aliquod creditis vos habere, coram nobis infra duorum menſium ſpatium a receptione præſentium inchoandum per ſyndicum, ſeu procuratorem idoneum, ad hoc a vobis ſpecialiter conſtitutum comparere curetis. Nos enim, qui ſumus omnibus in juſtitia debitores, panati ſumus facere vobis ſuper iis exhiberi juſtitiæ complementum. Dat. Reate* XV. *kal ſeptembris anno* I.

Ad pacem ipſos revocare nititur Pont.

Ni erepta eccleſiis reſtituant, cenſuras intentat.

Compoſuiſſe Venetos controverſiam cum patriarcha, colligitur ex appendice Andreæ Dandali (*b*): quamvis auctor patriarcham Venetorum potentiæ imparem ad factiones coactum deſcendere ſcribat, rem omnem ad Joannis Dandali gloriam interpretatus: *Reliquas*, inquit, *urbes Iſtriæ maritimas, quæ juramento fidelitatis ſibi erant aſtrictæ, non deſiſtentes propterea ab iniquis actibus, ſub ſuo dominio ſapienter reduxit: qua de re bellum maximum inter Venetos & Aquilejenſem patriarcham exortum extitit, qui tandem Venetorum potentiæ non valens reſiſtere, cum ipſis pacta compoſuit.*

(*b*) Append. ad Andr. Dand. in Joanne Dand.

XXI. Novæ in Etruriam exortæ turbæ.

In Etruria veteres Guelphorum Gibellinorumque factiones (*c*), recruduere, Florentinis & Senenſibus in Aretinos bellum moventibus; iiſque diſſenſionibus Piſæ jactatæ fuere tribus partium contrariarum ſigniferis ad principatum annitentibus; inter quos Ugolinus comes voto-

(*c*) Jo. Vill. l. 7. c. 120.

rum

cum compos factus, cum pulsis adversariis humanæ felicitatis apicem attigisse gloriaretur, repente in triste exemplum humanæ calamitatis abiit. Lugubrem historiam S. Antoninus hisce verbis describit (*a*): *Comes Ugolinus dominium sibi usurpavit civitatis cum magna solemnitate. Sed nullum violentum perpetuum: quinimo omnis potentatus, præcipue usurpatus, vita brevis. Cum autem in die natalis sui dictus comes Ugolinus fecisset magnum convivium cum magnifico apparatu amicis suis, cuidam familiari suo viro multum sapienti dicto Marco Lombardo, comes ipse Ugolinus factus dominus ostendit felicitatem suam, narrando divitias suas, potentiam, parentelam, ornatum vestium, & alia hujusmodi; & interrogavit eum dicens: Quid tibi videtur Marce de statu meo? Cui respondit, quod postea ei accidit, dicens: Nihil tibi deficit nisi ira Dei; & bene, nihil enim infelicius felicitate peccantium, ait Augustinus. In brevi igitur proditor proditus fuit: nam archiepiscopus civitatis, is erat Rogerius Ubaldinus Gibellinæ sectæ socius, populo exposuit, quod hic Ugolinus prodiderat Pisas, & castella eorum tradiderat Florentinis, & ... sicque commovit totum populum contra illum. Qui furore plenus accessit ad palatium ejus, ad capiendum eum. Demum cum aliquantulum restitisset, in quo conflictu interfecti sunt unus filius ejus illegitimus, & alter nepos defendentes eum, captus est ipse comes Ugolinus, & duo filii ejus, & tres nepotes, orti scilicet ex filio; qui omnes carceri duro fuere mancipati; & expulsi de civitate ejus sequaces, & Guelfi. Fame autem in carcere Ugolinus cum filiis & nepotibus consumpti sunt, juste ei Domino retribuente propter proditionem ejus, & ambitionem, ac crudelitatem: nam & comitem Anselmum de Caprario nepotem suum ex sorore, juvenem valde gratiosum & populo gratum, dicitur veneno interemisse invidia instigatus, ne ei statum auferret formidans.*

(*a*) *S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 6. in princ. Eod. c. 6. §. 1.*

Inconstantis humanæ felicitatis insigne exemplum.

XXII. Guelphi Pisis oppressi.

Extulit se exinde Pisis Gibellinum nomen. Dum vero Etrusci, excusso Imperialis majestatis metu, mutuis se cladibus conficerent, Rodulphus Romanorum Rex instaurandarum Imperii ruinarum parum solicitus pretio plura distraxit. Qua de re hæc Jordanus (*b*): *Eodem anno*, quo nimirum Alfonsi oratores ad sedem Apostolicam accessere, *Rex Rodulphus vicarium mittit in Italiam dominum Priavalem de Flisco, qui ditior clericus erat in simplicibus præbendis, quam aliquis clericus & omnibus cessit propter dictum principatum. Factus est autem tantum pauper, quod coactus est vendere jurisdictionem Imperii civitatum Tusciæ: unde Lucani dederunt ei de dominio, quod habebat in suo territorio, duodecim millia florenorum.* Traduntur eadem a Ptolemæo Lucensi (*c*): additque Joannes Bonifacius (*d*), Rodulphum apud plures inde sibi invidiam conflasse: apud alios vero tulisse sapientis laudem, spretis Italicis turbis res suas in Germania constabilivisse.

(*b*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*

Imperialia jura in Etrur. auro vendita.

(*c*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 21.*

(*d*) *Bonif. hist. Tarvis. l. 6.*

Delapsa in Germaniam oratione, non præterimus, quæ historia sunt consignata de B. Virgilii reliquiarum translatione a chronici Salisburgensis auctore (*e*): *Anno MCCLXXXVIII. translatum est corpus B. Virgilii per dominum Rodulphum archiepiscopum Salzburgensem VII. idus novembris in concilio, quod eodem tempore per eum extitit celebratum, cooperantibus sibi suffraganeis suis, &c.* Eadem e chronico æditui Novatores tradunt (*f*).

XXIII. Translatio B. Virgilii.

(*e*) *Apud Canis. ant. lect. to. 6. p. 1274.*

(*f*) *Cent. 13. c. 7. col. 703.*

In Ungaria adducebatur fides in gravissimum periculum Ladislai impudicissimi Regis culpa; ad quem a scelere revocandum Nicolaus Honorii exemplo literas (*g*) eadem verborum forma conceptas ipsi misit, quibus monuit, contra ipsum crucesignatorum exercitus in Ungaria, & Germania conflatum iri, nisi e flagitio, in quo tamdiu jacuerat, emergeret: ac propterea Lodmerio archiepiscopo Strigoniensi præcepit (*b*), ut si religio in discrimen adduceretur, contra infideles sacram militiam indiceret.

XXIV. Ladislaus Ungar. Rex religionem ibi Christ. in periculum adducit.

(*g*) *Lib. 1. ep. 106.*

(*b*) *Reg. post cand. ep.*

Fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si dicti Saracent, Neugerii, & pagani damnatos suos conatus contra catholicos fidei professores exercere voluerint, ne ipsorum invalescat temeritas in dispendium fidei Christianæ, contra prædictos Tartaros, Saracenos, Neugerios, & paganos, ac alios adhærentes eisdem, vel eos in iis quomodolibet confoventes, cujuscumque status aut conditionis extiterint; omnibus Christi fidelibus per regnum Ungariæ, ac per Poloniam, Boemiam, Austriam, Stiriam, Carinthiam, Sclavoniam, & Istriam per te, vel per alium seu alios studeas solicite proponere verbum crucis, & ad illam assumendam & prosequendam Christianum populum de ipsis regno & terris hujusmodi exhortari. Nos enim omnibus vere pœnitentibus, & confessis ex prædictis regno, & terris, quæ crucis signaculum contra infideles memoratos assumpserint, & efficaciter exiterint prosecuti, juxta indigentiam negotii hujusmodi, & tuæ discretionis ac dispositionis arbitrium, super quo stricte tuam conscientiam intendimus onerare, illam concedendi indulgentiam tibi concedimus potestatem, quæ in Terræ sanctæ subsidium proficiscentibus concedere sedes Apostolica consuevit. Datum Reate VI. idus augusti anno 1.

XXV. Propositæ symbolum crucis & arma contra infideles accepturis indulgentiæ.

Excitati (*i*) pariter alii archiepiscopi, episcopi, abbates, sacerdotesque Ungariæ

(*i*) *Ibid.*

gariæ, ne Strigoniensi archiepiscopo in fide tuenda deessent: *Ut idem*, inquit, *archiepiscopus tamquam Christi operarius utilis proficere valeat, universitatem vestram rogamus & hortamur attente, in remedium vobis peccaminum injungentes, quatenus attendentes quod per hoc posset catholica fides deperire, contra Tartaros, Sarracenos, Neugerios, paganos, & alios prædicto archiepiscopo ad requisitionem suam sic favorabiliter assistere studeatis, quod hujusmodi repressis erroribus, vobis cedat ad laudis titulum, & salutem.* Admoti (*a*) quoque pii stimuli proceribus Ungariæ, Poloniæ ducibus, magnatibus Sclavoniæ, duci Austriæ, Wenceslao Boemiæ, Rudolphoque Romanorum Regibus, ut arma pro asserendo in Ungaria Christianæ religionis splendore in impios expedirent.

(*a*) *Ibid.*

XXVII. Friderici II. sanctiones in hæreticos.

Permotus eodem zelo Nicolaus, ne fidei catholicæ cultus in nonnullis Galliarum provinciis, quas Waldensium lues infecerat, obsoleseceret, illarum magistratibus præfectisque constitutas a Friderico Imperatore in hæreticos leges transmisit (*b*), ut in notatos ea infamia distringerent.

(*b*) *Ib. ep. 260.*

Nicolaus &c. Dilectis filiis nobilibus viris comitibus, baronibus, seneschallis, castellanis, vicariis, ballivis, rectoribus, judicibus, consulibus, consiliariis, & communitatibus civitatum, castrorum, & aliorum locorum infra Arelatensis, Aquensis & Ebredunensis provinciarum terminos constitutis.

Cum adversus hæreticam pravitatem quondam Fridericus Romanorum Imperator, tunc in ecclesiæ Romanæ devotione persistens, promulgaverit quasdam leges, per quas, ne pervagetur, compesci possit pestis illa; nos illas volentes ad robur fidei ac salutem fidelium observari, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quarum tenores vobis mittimus insertos præsentibus, faciatis singuli in vestris capitularibus annotari, contra hæreticos sectæ cujuslibet secundum eas exacta diligentia processuri. Alioquin dilectis filiis fratribus inquisitoribus hæreticæ pravitatis ordinis Prædicatorum, vel Minorum, ac eorum singulis literis nostris injungimus, ut vos ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant. Tenores autem legum ipsarum hi sunt: *Fridericus &c. Commissi nobis cœlitus, &c.* Extat ea sanctio Innocentii IV. literis inserta in bullario (*c*), definitque in hæc verba: *Culpabilis apparere. Dat. Paduæ XXII. februari XII. ind.* Huic constitutioni imperiali aliam (*d*) adjungit Nicolaus ejusdem Friderici, quæ ab his verbis ducit exordium: *Inconsutilem Dei tunicam;* ac definit in hæc: *Non immerito convertemus. Datum Paduæ XXII. februarii XII. indict.* Quibus adjecta est tertia in eos, qui hæreticis faverint, lata (*e*): tum additæ aliæ leges (*f*), quæ incipiunt: *Catharos Patarenos, &c.* atque extremis hisce verbis absolvuntur: *Unquam tempore restituendæ. Dat. Pad. XXII. febr. XII. indict.* Tum hæc sanctio Friderici apposita: *Rex Regum.* Et infra: *Apostatantes a fide catholica penitus execramur, insequimur ultionibus, bonis suis omnibus spoliamus; & ut a professione vel vita naufragantes, legibus coarctamus, successiones tollimus, ab eis omne jus litigantium abdicamus.* Quibus adductis Nicolaus diem adscribit literis, *Dat. Romæ apud S. Mariam majorem X. kal. januarii anno primo.*

(*c*) *Bullar. in Innoc. IV.*

(*d*) *Ext. ib.*

(*e*) *Ext. ib.*

(*f*) *Ext. ib.*

Renovata præterea alia Alexandri IV. sancita in hæreticos fuere, his comprehensa literis (*g*): *Dilectis filiis fratribus ordinis Minorum inquisitoribus hæreticæ pravitatis infra Arelatensis, Aquensis, & Ebredunensis provinciarum terminos constitutis apostolica auctoritate deputatis, ac in posterum deputandis. Quod (b) super nonnullis quæstionum articulis, &c.* Conceptæ sunt iisdem verbis eæ literæ, atque aliæ Alexandri IV. quæ typis sunt cusæ, & in hæc verba desinunt: *Proficiunt animarum. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem X. kal. januarii anno 1.* Denique ut ex universo orbe Christiano zizania hujusmodi evelleret, hæc ad cunctos fideles scripsit (*i*).

XXVIII. Item aliæ Alexandri IV.

(*g*) *Nicol. l. 1. ep. 261.*

(*b*) *Ext. in bullar. in Alex. IV.*

(*i*) *Lib. 1. ep. 268.*

Universis Christi fidelibus.

Noverit universitas vestra, quod nos excommunicamus & anathematizamus universos hæreticos Catharos, &c. Conceptum est iisdem verbis atque aliud (*k*) Innocentii IV. diploma, de quo meminimus, definitque in ea verba: *A via declinasse constiterit veritatis. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem X. kal. januarii anno 1.* Ex his vero repetita hæc imperia in hæreticos prætereunda non duximus: *Damnati*, inquit, *per Ecclesiam sæculari judicio relinquantur animadversione, & vindictæ puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis. Si qui essent de prædictis, postquam fuerint deprehensi & redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam, in perpetuo carcere detrudantur: credentes autem eorum erroribus similiter hæreticos judicamus, & receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationis sententiæ ducimus subjacere.*

(*k*) *Bullar. in Innoc. IV.*

Ut agendum sit cum hæreticis.

Non minus studium a sanctissimo Pontifice navatum est ad adducendos ad Ecclesiæ obsequium Sclavos, quorum Regi Urosio literis significavit (*l*), quo studio salutis ipsius æternæ arderet ac Minoritas Marinum & Cyprianum misit, ut ipsum sacris præceptis erudirent.

XXIX. Sclavos ad obsequium Eccl. allicere studet Nicolaus.

(*l*) *Lib. 2. ep. cur. 32.*

Viro

Viro magnifico Urosio illustri Regi Sclavorum gratiam, per quam gloriam obtineat in futuro.

Æterni patris immensa benignitas humani generis casum, quod primi hominis culpa corruerat, ineffabili respiciens pietate; ac illum, quem diabolica prostraverat invidia suggestione dolosa, volens ex charitate nimia misericorditer reparare, Filium suum unigenitum, consubstantialem sibi de cœli excelso solio ad infima mundi misit, qui prælectæ Virginis utero sancti Spiritus cooperatione conceptus, & ex anima rationali & carne humana verus homo factus, ac per hoc perfectus Deus, perfectus homo, unus dominus Jesus Christus, una persona in utraque perfecta natura cunctis visibilem se ostendit; & salubribus homines institutis informans, vitamque ipsius iudice perfectæ doctrinæ demonstrans, dignatus est post sanctæ conversationis exempla, & evangelicæ institutionis eloquia sub diræ mortis supplicio mortem pati, ut de amaro mortis suæ calice temporalis hauriret homo vitæ dulcedinem sempiternæ. Pro ipsius ergo generis humani redemptione Christus se hostiam exhibens salutis, dicti generis humani hoste prostrato, illud de opprobrio servitutis eripuit ad gloriam libertatis supernæ, illi patriæ ostium reserando: & deinde resurgens a mortuis, ac in cœlum ascendens, Spiritum sanctum sibi Patrique consubstantialem, & ab utroque pariter procedentem, misit in Apostolos, per quos congregavit, univit, & roboravit Ecclesiam, cui beatum Petrum Apostolorum principem præfecit, ac vicarium reliquit in terris, animarum curam committens eidem, ut earum saluti, pro qua suam humiliavit altitudinem, intenderet vigilanter, tradendo sibi claves regni cœlorum, per quas ipsi sutique successores potestatem aperiendi ejusdem regni ianuam obtinerent. Unde nos prædicti vicarii, disponente Domino, licet immeriti, successores effecti, super omnia, quæ nobis ex injuncto incumbunt officio, ad tuam aliorumque salutem nostræ intentionis dirigimus aciem, ad hanc præcipue mentis nostræ destinamus affectum, circa ea diligenti studio, & studiosa diligentia sedulo vigilamus, ut deviantes in viam veritatis adducere, omnesque lucrum facere Deo, sua nobis cooperante gratia, valeamus.

XXX. *Verum quia nemo pervenire valet ad viam veritatis ejusdem, nisi per fidem catholicam a Deo & sanctis Apostolis traditam, quam sancta Romana ecclesia profitetur & servat, magnitudinem tuam monemus, deposcimus, & hortamur in domino Jesu Christo, quatenus pie consideranis, quod una est fides, extra quam nullus omnino salvatur, & sine qua Deo impossibile est placere, ad ipsius venias fidei unitatem, eamque fideliter teneas & observes; nihilominus populum tuæ ditioni Regis æterni potestate subjectum ad eamdem unitatem reducas, & in illius observatione tuo exemplo laudabili & piis exhortationibus studeas conservare; ita quod ex hoc a Patre luminum æterni consequaris luminis claritatem. Cæterum quia, humana renitente natura, uno eodemque tempore diversis locis personaliter adesse nequimus, ne ullatenus negligentiæ relinquamus absentes, ad eos viros providos & discretos transmittimus vice nostra, ipsorum ministerio circa illos apostolicæ servitutis debitum exolventes. Propter quod viros electos de fratrum minorum ordine, viros utique pauperes in hoc mundo, in fide devotos, in lege Domini plenius eruditos, dilectos scilicet filios fratres Marinum & Cyprianum latores præsentium ad te duximus destinandos, ut tu tuusque populus ipsum Dei Filium Jesum Christum, suam gloriosam Matrem, ac fidei Christianæ observationem ipsorum fratrum salutaribus traditionibus plenius agnoscatis. Fides autem catholica hæc est: Credimus S. Trinitatem (a) &c. Dat. Reate x. kal. augusti anno* I.

(a) Ext. ea fidei formula ann. 1267. n. 75. & seq.

Imperitabat Sclavis una cum Urosio Stephanus ipsius frater, quorum mater Helena recte de fide catholica sentiebat: quam Nicolaus literis suis est hortatus, (b) ut Minoritarum præceptis morem gereret, atque ad filios una cum populis ipsis obnoxiis ad verum Christi cultum traducendos incumberet. XXXI. Helena Sclavor. Regina recte de fide Cath. sentit.

(b) Lib. 1. ep. cur. 33.

Charissimæ in Christo filiæ Elenæ Reginæ Sclavorum illustri salutem, & apostolicam benedictionem.

Gratias agimus gratiarum omnium largitori, quod sicut accepimus, & utique acceptamus, ipso menti tuæ timorem sui nominis & amorem misericorditer inspirante, ab eo qui solus habet in regno hominum potestatem, dignitatis regalis glorium recognoscens, in Deum sinceram habes fidem, ac ejus Ecclesiam zelo pietatis catholicæ veneraris. Hanc itaque fidem vigere in tua progenie cupientes, magnificos viros Stephanum & Urosium illustres Reges Sclavorum, natos tuos, per nostras literas hortandos duximus & monendos, ut pie considerantes, quod una est fides, extra quam nullus omnino salvatur, & sine qua Deo impossibile est placere; ad ipsius veniant fidei unitatem. (Paucisque interjectis, de missis Minoritis subdit): *Ideoque celsitudinem tuam rogamus & hortamur attente, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus prædictos Reges natos tuos, ut devote redeant ad prædictæ fidei unitatem, & humiliter suscipiant nostra & prædictorum fratrum salutaria monita, sedulis exhortationibus inducere non omittas ipsosque in observantia & perseverantia fidei*

dei prælibatæ foveas & confortes; ita quod in tui ventris fructu lætari, & benedicta inter mulieres vocari a Domino merearis, &c. Dat. Reate VI. *id. aug. an.* I.

XXXII. Divini verbi præcones ad exteras gentes missi.

Nec Minoritarum modo, e quorum familia, ut dictum est, prodierat Nicolaus, sed Dominicanorum quoque opera ad inferendam populis remotissimis Evangelii lucem usus est: extant enim apostolicæ literæ, quibus ipsis spargendi verbi divini in Saracenorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Walachorum, Colchorum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Cirorum, Rhutenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscelitorum, Tartarorum, Ungarorum majoris Ungariæ, Christianorum captivorum apud Tartaros, aliarumque exterarum nationum orientis communione S. R. E. segregatarum terris provinciam demandavit (a).

(a) Ib. ep. cur. 44.

XXXIII. Egregium hisce temporibus ad amplificandam apud Tartaros orientales religionem Christianam viri religiosi, atque inter cæteros Minoritæ studium collocarunt. Demonstrant id crebræ Pontificis literæ (b), tum ad ipsos, quibus anathemate percussos Ecclesiæ restituendi auctoritatem permisit; tum ad Yaulaham episcopum orientis (c), quibus ipsius erga Minoritas in iis regionibus Evangelium promulgantes, eximiam voluntatem commendat: cui etiam fidei formam transmisit, qua sibi commissos populos informaret; quam etiam formam Barsaumæ episcopo, qui ad sedem Apostolicam accesserat, exhibuit (d). Gratulatus etiam Dionysio episcopo Taurisino in oriente (e), cum ex ejus literis accepisset, ipsum fidem orthodoxam a Minoritis prædicatam sectari, hortatus eum est, ut illa fidei forma populos imbueret, quam ipsi præscribebat. Ea porro fidei forma episcopis hisce apud Tartaros orientales constitutis transmissa iisdem verbis concepta est, (f) atque ea quam Clemens IV. ad Palæologum Imperatorem misit cum de aggregandis Rom. ecclesiæ Græcis ageret, atque ideo hoc loco repetere prætermittimus.

(b) Ib. ep. cur. 18.

(c) Ib. ep. cur. 13. Præsules Asiaticos in fide orthod. instruit Nicol.

(d) Ib. ep. cur. 15.

(e) Ib. ep. cur. 14.

(f) Ext. in annal. an. 1267. n. 75. & seq.

XXXIV. Religio Christiana propagata apud Tartaros.

Functi præterea apostolico munere apud Tartaros Joannes Bonachias, & Regis Tartarorum interpretes, quibus Pontifex apostolicam benedictionem est impertitus (g). Efflorauitque adeo, divino excitante Numine, religio Christiana apud Tartaros, ut Elegages & Tuctanes Tartarorum Reginæ Christo nomen dederint, quas Nicolaus gratulatoriis literis est conortatus (h), ut augendæ religioni studium impenderent.

(g) Lib. 1. ep. cur. 20. Elegages & Tuctanes Reginæ fide excitat.

(h) Ib. ep. cur. 25.

Charissimæ in Christo filiæ Tuctani Reginæ Tartarorum illustri salutem & apostolicam benedictionem.

Habet, charissima filia, fide dignæ relationis expressio, quod tu catholicæ fidei lumine illustrata, eam non solum studiis observare solicitis comprobaris, sed alios etiam ad agnitionem illius excitando, & ejus terminos dilatando, opem & operam curiosa non desinis exhibere. Hæc sunt profecto quæ te reddunt in conspectu divinæ majestatis acceptam, quæ tibi laudis humanæ præconium vendicant, & augent multipliciter famam tuam; dum ex his pietatis divinæ clementiam, quæ te de tenebris infidelitatis ereptam ad viam vitæ reduxit, & ad veritatis semitam revocavit, tanquam benedicta & reverens filia recognoscis. Excitamus igitur magnitudinem tuam, & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus mentis tuæ oculis erectis ad Dominum, cujus obsequiis salubriter adhæsisti, præmissa de bono in melius semper prosequaris, & quasi apis argumentosa procurare non cesses, ut eo gratior & præmiis digna majoribus occurras domino Deo tuo, quo uberiores bonorum operum in ejus horreum manipulos introduces. Datum Romæ apud S. Petrum IV. *non. aprilis anno* I.

Solicitantur a Pont. ad religionem amplificandam.

Solicitata paribus adhortationibus Elegages Tartarorum similiter Regina ad constantiam in colenda fide Christiana, eamque larius proferendam.

Ex oratoribus, qui ad sedem Apostolicam accesserant, Sabadinus Archaon, vir magnæ apud Tartaros nobilitatis, fidem Christianam est amplexus. Cui benedictionem apostolicam flagitanti, Nicolaus his literis impertiit (i): *Te nuper ad nostram præsentiam accedentem affectione paterna recepimus, & benigne audivimus, quæ coram nobis proponere voluisti; lætantes in Domino, quod sis fidei catholicæ lumine illustratus, & lavacro regenerationis aspersus, in iis salubri studio diceris delectari, quæ sint in oculis divinæ Majestatis accepta, & in tuæ salutis cedant augumentum, & dilatationem fidei Christianæ. Duximus itaque solicitudinem tuam excitandam attentius & hortandam, quatenus præmissa de bono semper in melius prosequaris, ut eo gratioſior occurras domino Deo tuo, quo majori extiteris cumulo meritorum. Cæterum quia benedictionis nostræ munus exhiberi tibi humiliter postulasti, nos tuis devotis precibus benignius annuentes, benedictionem nostram in remissionem tuorum tibi concedimus peccatorum. Datum Romæ apud S. Petrum idibus aprilis anno* I.

XXXV. Oratores Tartar. accedunt ad sedem Ap.

(i) Ib. ep. cur. 19.

Ex iis Sabadinus Archaon Christo nomen dat.

Egregie etiam se erga Christianam religionem affectum exhibuit Argon Rex Tartarorum, suumque studium Pontificiorum operas significavit. Quibus benigne exceptis, Nicolaus Tartaro fidei nostræ ac religionis dignitatem in oculis defixit (k).

Benedictionem Apost. illi impertitur Nicol.

XXXVI.

(k) Ib. ep. cur. 12.

Nicolaus &c. Argoni Regi Tartarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Argonem Regem Tartar. in fide infruit Nicolaus.

Ad summi præsulatus officium nuper nobis supernæ dispositionis arbitrio, quo cœlestia pariter & terrena dispositionem ordinemque suscipiunt, evocatis; venerabilis frater noster Bersauma episcopus in partibus orientis, nobilis vir Sabadinus, Thomas de Anfusis, & Ugnetus interpres tuæ magnitudinis nuntii, ad nostram præsentiam accedentes, regias nobis literas præsentarunt. Nos autem nuntios ipsos & literas libenti animo, vultuque sereno recepimus intuitu destinantis; & tam quæ in literis continebantur eisdem, quam quæ nunciorum prædictorum facta coram nobis & fratribus nostris propositio reseravit, benigne audivimus & intelleximus diligenter; gaudentes quamplurimum, & exultantes in Domino, in cujus manu corda sunt principum terrenorum, quod te clementer gratiæ suæ dono præveniens, illo tui pectoris intima fœcundavit affectu, quod sicut & literarum ipsarum tenor aperuit, & eorundem patefecit assertio nunciorum, ad dilatandos Christianitatis fines fervens dirigitur desiderium mentis tuæ; quodque de gentibus tuæ ditionis subjectis imperio, fidei cultoribus Christianæ te benignum & benevolum exhibes, eosque non sine laudis humanæ præconio, & dispositionis indiciis ad salutem, quæ de bono semper in melius deduci cupimus, in augmentum favore prosequeris gratioso. De quo celsitudini regiæ tanto gratiarum uberiores exolvimus actiones, quanto id plenior & benignior operatur affectus, & ex munificentia provenire dignoscitur ampliori.

XXXVII. *Sane, princeps egregie, tuis aperiri sensibus affectamus, quæ Rex excelsus Filius summi Regis, de polorum sublimibus prodiens; & ad mundi hujus infima, ut hominem, quem ad imaginem & similitudinem suam de limo terræ formaverat, de servitutis nexibus, in quos ipsum impegerat maligna suggestio, liberaret, clementi dignatione descendens* (interjectisque pluribus fidei Christianæ elogiis, subjicit:) *Revera, princeps magnifice, tuis in orbe terrarum titulis plenitudo gloriosæ laudis accederet, ac nominis tui fama ingens susciperet incrementum, si te tam puræ, tam solidæ, tamque salutiferæ fidei amplexibus dulcibus copulans, teque illius exhibens cognitorem, professorem ostendens, baptismum duceres assumendum. Grandia quoque supernis exinde gaudia civibus orirentur, lætaretur in immensum Ecclesia, quæ rugam non habet, maculam non agnoscit, si tantum tamque potentem Regem sibi devotum in filium vendicaret, totique populo Christiano de tam magnifici principis, & per eum innumeræ ut speratur, multitudinis aliorum conversione salubri copiosa exultationis materia præberetur. Excitamus itaque magnitudinem regiam, & hortamur attentius; tibique, cujus in hac parte salutem exquirimus, sano & sincero consilio suademus, quatenus alta & sedula meditatione recogitans, quam fragilis & caduca humanæ naturæ conditio, quam plena periculis, quantis exposita casibus, quam sit instabilis status ejus, & infra; paratus accedas ad agnitionem Christianæ fidei, & susciendum baptismatis sacramentum, &c. Datum Romæ apud S. Petrum IV. non. aprilis anno I.*

XXXVIII. Hierosolymis baptismi sacra suscipere Argon Rex meditabatur. (a) *Ibid. ep. cur. 17.*

Cum vero oratores Nicolao significassent, Argonem gerere in votis sacro baptismate Hierosolymis lustrari, ubi e tyrannide Saracenorum ereptæ fuissent, Nicolaus collaudato pio hujusmodi desiderio, horratus est, (*a*) ne ulterius sanctissimum suscipiendi baptismatis votum differret, cum id ipsius animæ saluti maxime conduceret.

Hortatur eum Nicolaus ne rem differat.

Argoni Regi Tartarorum, &c.

Intelleximus, referentibus venerabili fratre nostro Bersauma episc. in partibus orientis, nobili viro Sabadino, Thoma de Anfusis, & Ugueto interprete laicis tuæ magnitudinis nuntiis, quod si regnum Hierosolymitanum de manibus liberari contigerit impiorum in civitate Hierosolymitana renasci desideras lavacro baptismatis. Nos autem tuam tuorumque salutem propensius cupientes, hujusmodi tuum salubre laudandumque propositum multipliciter in Domino commendamus. Verum quia magna spe ducimur, quod sacro a te suscepto baptismate, facilius, Domino favente, proveniet regni memorati liberatio; quia etiam salutis tuæ commodis expedire dignoscitur, ut conceptum propositum perducere studeas sublato dilationis obstaculo ad effectum; celsitudinem tuam excitandam attente duximus & hortandam, quatenus tibi salubriter consulens, & exhortationibus nostris, quæ de puri pectoris intime prodeunt, laudabiliter acquiescens, ad baptismum promptus acceleres, illumque ad laudem Dei, tuæque salutis profectum festinus suscipere non omittas; tanto amplius proinde Domino placiturus, quanto celerius, & libentius ad susceptionem ejus procedere te continget, quantoque plures ad eam tuo exemplo laudabili provocabis. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. non. apr. an. I.

XXXIX. Ob occidentis civilia bella pessumdata in oriente religio.

Poterant sane Christiani occidentales ingentem aliquem triumphum de Saracenis referre, egregie, ita animato Tartaro ad Hierosolymas nomini Christiano asserendas, nisi funesta dissensio, ex Siculorum perfidia orta, ipsos in mutuas cædes armasset. Flagrabat quidem Nicolaus Pontifex sanctissimus defendendæ Terræ sanctæ desiderio, ut suis literis Regi Cypri, (*b*) qui Hierosolymitanum regnum, pulsis Caroli ministris, sibi vindicabat, significavit. *Ni-*

(*b*) *lb. ep. cur. 53.*

Nicolaus &c. charissimo in Christo filio .. Regi Cypri illustri.

Nicolai ad eum literæ.

Licet, fili charissime, firma nostra credulitas habeat, quod tu tamquam princeps catholicus statum Terræ sanctæ felicem & prosperum diligas, & ad eum fervens tuæ mentis desiderium dirigatur; quodque de ipsius terræ defensione solerti studium habeas solicitudinis diligentis; quia tamen terram eamdem, funiculum scilicet hereditatis dominicæ, favoris præcipui exhibitione prosequimur, ad celerem favente Domino liberationem illius vigilantibus studiis intendentes, celsitudinem regiam rogandam attente duximus & hortandam, quatenus solicita meditatione recogitans, quam dispendiosum plenumque periculis, quam grave, quinimo pene irreparabile damnum esset, quantumve contingeret deperire fidelibus, si quod absit, terræ memoratæ particula, quæ Christianis remanssse dignoscitur, occuparetur ab hostibus Crucifixi; ad adjuvandum & defendendum ipsius terræ particulam sic diligenter invigiles, ut tibi a Domino, cujus in hac parte negotium agitur, condigna præmia rependantur, sitque Christicolis in terra prælibata degentibus mora fecurior; & præter humanæ laudis, tibi proventuræ, devotionem regiam non immerito commendemus, &c. Dat. Reate kalend. octobris anno I.

(*a*) *Reg. post cand. ep.* Auxilia contra Saracenos petunt Syria Nicolao.

Excitatus ad meliorum spem fuit simillimis literis Armeniæ Rex (*a*): sed inanes ii fuere conatus. Præscii vero imminentis calamitatis patriarcha Hierosolymitanus, ac Templariorum, Hospitalariorum, & Theutonicorum equitum magistri flebiles literas & nuncios ad sedem Apostolicam miserant, quibus extremas Terræ sanctæ angustias deplorarunt, opemque ferri miseris flagitavere. Quibus auditis Nicolaus ipsos colligere animos atque ad limites defendendos incumbere jussit (*b*): interim consilia se cum Cardinalibus de contrahendis auxiliis agitaturum. At tardiores eæ fuere suppetiæ: Tripolis enim nobilissima urbs a Saracenis magna Christianorum cæde, ut sequenti anno dicemus, expugnata est.

(*b*) *lb. ep. 52.*

XLI. Ille patriarchæ Hierosol. defuncto Nicolaus fabricatus.

Patriarcha porro Hierosolymitanus, de quo paulo ante mentio a nobis edita, erat Nicolaus, hoc anno ad eam dignitatem evectus: ad quem de impolito ipsi munere hoc diploma pontificium exaratum est (*c*) eodemque argumento ad clerum ac suffraganeos ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopos, & clerum civitatis & diœcesis Acconensis, Cypri, & Armeniæ Reges, principem Antiochiæ, & Hospitalarios (*d*) equites scriptum, ut debita veneratione patriarcham profequeventur: *Firma credulitate tenentes*, patriarcham alloquitur, *quod per tuæ vir-*

(*c*) *lb. ep. cur. 49.*

(*d*) *lb. ep. cur. 50.*

tutis ministerium eadem Hierosolymitanæ ecclesia in prosperitatem optatam consurget, & brachio tuæ consolationis, subnixa spiritualibus & temporalibus, actore Domino, proficiet incrementis, te ipsi ecclesiæ Hierosolymitanæ de fratrum nostrorum consilio in patriarcham præfecimus & pastorem; tibi quoque postmodum de nostris manibus munere consecrationis impenso per dilectos filios nostros Matthæum S. Mariæ in Portica, & Benedictum S. Nicolai in carcere Tulliano diaconos Cardinales pallium de corpore B. Petri sumptum, plenitudinis videlicet officii pontificalis insigne, fecimus exhiberi. Cum autem felicis recordationis Urbanus Papa IV. primo de fratrum suorum consilio ecclesiam Acconensem, de qua bonæ memoriæ magistrum Florentium Arelatensem archiepiscopum ad Arelatensem ecclesiam tunc vacantem duxerat transferendum, patriarchæ Hierosolymitano, qui erit pro tempore, decreverit committendam, & ab eo una cum dicta Hierosolymitana ecclesia tamdiu in temporalibus & spiritualibus gubernandam, donec eadem Hierosolymitana ecclesia, bonis ejus recuperatis, possessionem habuerit eorumdem; & postmodum etiam piæ memoriæ Gregorius X. primo Thomæ, & subsequenter Nicolaus III. Romani Pontifices prædecessores nostri Eliæ patriarchis prædecessoribus tuis de fratrum suorum consilio duxerint committendam, prout hæc in regesto ipsius prædecessoris nostri Nicolai plenius continentur; nos eandem ecclesiam Acconensem, similiter nunc etiam vacantem, tuæ circumspectioni committimus, per te una cum dicta Hierosolymitana ecclesia plene in omnibus gubernandam, donec eadem Hierosolymitana ecclesia, bonis suis recuperatis, de adepta ipsorum possessione lætetur. Dat. Romæ apud S. Petrum 2. kal. maii anno I. Ei vero postea Nicolaus VI. kal. septembris legationis munus in Syria, Hierusalem, Cypro, & Armenia commisit (*e*), utque in provincia pallio uteretur, permisit (*f*).

Pallio donatur.

Acconensis ecclesiæ administratio illi adjuncta.

Creatur in Syria & finitimis regnis A. S. L.

(*e*) *lb. ep. 116. & 117.*

(*f*) *lb. ep. 171.*

XLII. Indulg. S. Mariam majorem adituris propositæ. De miraculo nivis quæ medio æstu lapsa aream templi designavit.

Claudemus hunc annum nonnullis privilegiis, quæ Nicolaus concessit basilicæ S. Mariæ majoris, quæ ob insigne divinitus olim cadentium medio æstu nivium miraculum extructa fuit: *Cupientes*, inquit, (*g*) *ut ecclesia S. Mariæ majoris de Urbe, cujus quidem structuram Filius ejus dominus noster dominus Jesus Christus per immissionem nivis æstus tempore mirabiliter indicavit, congruis honoribus frequentetur, & frequentantes pro temporali solemnitate, quam peragent spirituali munere gratulentur; omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui in majori, & illa quæ S. Martini vulgariter dicitur, quadragesimis singulis, videlicet dierum quadragesimarum ipsarum annis singulis unum annum & quadraginta dies; illis vero, qui*

(*g*) *Lib. 1. ep. cur. 62.*

singulis diebus sabbati cujusquam temporis prædictam ecclesiam venerabiliter visitarint, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi centum dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Reate III. *idus augusti anno* I. Confirmavit (*a*) quoque indulgentias eamdem ecclesiam adeuntibus ab aliis Pontificibus concessas.

(*a*) Ib. ep. 63.

XLIII. Quo vero Deiparam cultu pius Pontifex complecteretur, ex sequentibus patebit.

Dilectis filiis Jacobo S. Mariæ in via lata diacono Cardinali archipresbytero, ac priori & capitulo basilicæ S. Mariæ majoris de Urbe.

Egregia Deiparæ elogia.

Quæ reverentia, quæ devotio, quæ laus, quæve gloria, & quæ honoris insignia esse possunt, quæ gloriosæ ac intemeratæ Virgini mortales non debeant sinceris affectibus exhibere? Ipsa est enim, sicut scitis & creditis, Dei mater, scala cœli, paradisi janua, stella maris, qua illustrante de fluctibus hujus magni & vasti maris ad salutis portum, & ad verum lumen fugatis tenebris pervenitur: per ipsam ascenditur, & intratur ad Christum: per ipsam diaboli vis conteritur, & vectes ferrei confringuntur: per eam devitatur interitus, vita datur, ærumna tollitur, tribuitur gaudium, & liberati a miseria exules ad patriam, perennibus fruituri delitiis, reducuntur. Propter quod devotio, quam habemus ad ipsam Virginem matrem Dei, non immerito nos inducit, ut ea, quæ ad ipsius reverentiam statuuntur, totis viribus amplexemur. Unde unius anni, & quadraginta dierum a felicis recordationis Sixto Tertio in die consecrationis basilicæ S. Mariæ majoris de Urbe, ac unius anni & quadraginta dierum a Clemente III. in solemnitate consecrationis ejusdem, quando lapidem altari majori suppositum consecratum, ac unius anni & quadraginta dierum ab Honorio III. ab ipso festo consecrationis usque ad octavas assumptionis ipsius Virginis; ac unius anni, & quadraginta dierum a Gregorio IX. ab eodem consecrationis, usque ad prædictas octavas; unius vero anni, & quadraginta dierum ab Alexandro prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus a prædicta consecratione usque ad octavas easdem omnibus singulis annis devote accedentibus ad basilicam memoratam concessæ indulgentiæ possint fidelium promovere salutem, & ad eamdem Virginem devotionem ipsorum fidelium adaugere; nos quod ab eisdem prædecessoribus super hoc factum est approbantes, ac prædictarum indulgentiarum tempus prorogare volentes, ut iidem fideles ad ipsarum gratiarum munera fortius amplectendi concurrant, dictas indulgentias a festo ipsius dedicationis usque ad octavas nativitatis dictæ Virginis de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, annis singulis misericorditer volumus perdurare.

Indulgentiæ a Sixt. III. attributæ S. Mar. majorem lustraturis confirmatæ. Aliæ a Clement. III. & Honor. III. Greg. IX. & Alex. IV. datæ.

XLIV. *Nos quoque in ipsius honorem Virginis, cui licet indigni devotionem omnem, quam possumus, libenter impendimus, affectantes, ut Christi populus, imploraturus a Domino veniam delictorum, in humilitate spiritus ad basilicam ipsam accedat, ipsique speciali & spirituali munere gratulentur, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad prædictam basilicam in die dedicationis ejusdem (in qua festum nivis, per cujus immissionem Filius ejus dominus noster dominus Jesus Christus structuram ipsius basilicæ æstus tempore mirabiliter indicavit, a vobis solemniter celebratur) & usque ad hujusmodi octavas nativitatis dictæ Virginis causa devotionis accesserint annuatim de divina misericordia & eorumdem Apostolorum auctoritate confisi tres annos & tres quadragenas, quos hujusmodi prioribus remissionibus de gratia speciali adiicimus, de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Reate* III. *id. augusti anno* I.

Die dedicationis ad eandem basilicam ituris criminum condonatio proposita.

I. Carolus II. Siculum regnum capessit.

ANno a Virginis partu millesimo ducentesimo supra octuagesimum nonum, indictione secunda, Carolus II. Siciliæ Rex e diutino carcere emissus, e Gallis in Italiam venit, saluratoque Romano Pontifice pro regno Siculo beneficiarii principis officia detulit: ac solemni postea ritu ab eo est corona redimitus: [1] de quo hæc chronicon Suessanum refert (*a*): *Anno Domini MCCLXXXIX. XXIX. mali dictus dominus Papa apud * eumdem dominum Carolum propriis manibus regali diademate regni Siciliæ coronavit.* Sunt nonnulli, qui hæc Romæ v. Kal. junii in festo Pentecostes peracta asserant: verum fallit eos temporis ratio, cum tunc non Romæ, (*b*) sed Reate Nicolaum egisse confignatæ eo loco apostolicæ literæ (*c*) demonstrent. Adde, præter antiquiorum scriptorum auctoritatem ipsum Pontificem diplomate ad episcopum, & clerum Reatinum dato (*d*) id testari. De iis tradit hæc Card. Baronius ex libro privilegiorum Romanæ ecclesiæ verba (*e*): *Hoc anno Carolus Rex Siciliæ fecit homagium de ipso regno cum iisdem conditionibus, quas statuerat Clemens Papa patri ejusdem, quas ipse juraverat.* Et in annalibus: (*f*) *Carolus II. eadem servanda promisit Nicolao IV. quæ pollicitus fuerat Rex Carolus prædecessori Clementi Papæ IV. iisdem* (*g*) *capitibus ac verbis superius recitatis, atque ex eadem bella descriptis cum abrogatione omnium legum trium tyrannorum*, erant ii Fridericus II. Conradus, & Manfredus, ut etiam supra adnotavimus, *contra libertatem ecclesiasticam sancitarum. Quæ omnia repetita habentur atque descripta in bulla ejusdem Nicolai Papæ.* Confirmantur hæc publicis tabulis, quibus Carolus II. Siciliæ Rex Siculum regnum beneficio, & auctoritate sedis Apostolicæ accepisse professus est: ac singulas leges, quibus se ac successores obstrinxit, & alia cum Romana ecclesia pacta inita percenset & corroborat. Insertæ eæ sunt apostolico diplomati, cujus exemplum infra scriptum est (*b*).

(*a*) Chron. Suessan. MS.
* Reate a Nicolao corona redimitus.
(*b*) Summont. l. 3. hist. Neap. c. 2.
(*c*) To. 2. ep. 185.
(*d*) Nicol. l. 2. ep. 364.
(*e*) Baron. in notis MS. chron. Suession. MS.
(*f*) Ann. 1197. nu. 98.
(*g*) Ann. 1265. nu. 24. ad 21.
Friderici, Conradi, & Manfredi tyrannor. leges abrogat.
(*b*) Nicol. l. 2. ep. 378.

Nicolaus &c. charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri.

II. *Ne in posterum rei gestæ memoriam diuturnitas temporis forsan obliteret, literarum nostrarum præsentium insinuatione testamur, te ligium homagium; & fidelitatis juramentum ratione regni Siciliæ & terræ citra Farum; excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus, & pertinentiis suis secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & districtus civitatis ejusdem per Romanos Pontifices distinctos, vel in posterum distinguendos; claræ memoriæ Carolo Regi Siciliæ patri tuo & heredibus suis, cujus tu heres existis, a Romana ecclesia concessorum, nobis fecisse ac præstitisse in forma subscripta, super hoc literis formam eandem exprimentibus bullatis aurea tua bulla concessis, quarum tenor talis est* (*i*).

(*i*) Ext. etiam lib. privil. Rom. eccl. to. 2. pag. 258. & cod. Vallic. sign. lit. B. nu. 12. pag. 225.

In nomine Domini. Amen. Ego Carolus secundus, Dei gratia, Rex Siciliæ ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & beatæ & gloriosæ virginis Mariæ, beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, & ecclesiæ Romanæ, ligium homagium facio tibi domino meo Nicolao Papæ IV. tuisque successoribus canonice intrantibus, & ipsi Romanæ ecclesiæ pro regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra Farum usque ad confinia terrarum ejusdem ecclesiæ. Quæ utique regnum & terram (excepta civitate Beneventana cum toto territorio, & omnibus districtibus & pertinentiis suis, secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & districtus civitatis ejusdem per Romanos Pontifices distinctos, vel in posterum distinguendos) claræ memoriæ Carolo Regi Siciliæ patri meo & heredibus suis, cujus ego heres existo, prædicta ecclesia Romana concessit. Et recognosco & fateor quod inter Romanam ecclesiam & prædictum patrem meum conditiones, conventiones, modus, & forma, ac pacta infrascripta intervenerunt, & fuerunt apposita in concessione regni sibi suisque heredibus per Romanam ecclesiam facta, seu auctoritate ipsius in prædicta concessione pertinentia seu spectantia ad personas eorum, qui successuri erant ipsi patri meo suisque heredibus in terra & regno prædictis, & eorum qui in eisdem successuri sunt mihi, meisque heredibus; nec non ad successionem, vel

Legibus Siculum regnum de mana Nicolai acceperit. Beneventum & illius ager a Siculi regni concessione excipiuntur.

Conventa inter Carolum & Clem. confirmata.

NOTÆ [1] CArolus II. Caroli I. Siciliæ regis filius hoc anno die sacra Pentecoste Siculi regni diademate a Pontifice ornatus fuit. Quam cæremoniam Reate, non vero Romæ præstitam Annalista ex literis tunc a Pontifice Reate datis probat & author memorialis Potestatum Regiensium, qui præsens aderat, confirmat. Regni tamen sui epocham aliter exordiri Carolo visum fuit; cum illam duci ab obitu Caroli patris demonstret ejusdem Caroli II. diploma vulgatum a Martenio Anecdot. to. 1. col. 1236. Signatur enim *Sylvanectis anno Domini* 1290. *Indict. III. Regnorum nostrorum in Jerusalem anno VI.* deducto nempe ex anno 1285. quo Carolus I. obivit. Ita pariter idem Carolus literas patentes, hic num. 2. in Annalibus legendas, signat anno 1289. regni sui quinto. MANSI

vel formam, seu modum succedendi ipsi patri meo suisque heredibus, & mihi meisque heredibus in regno & in terra præfatis. Quæ omnia & singula tam me, quam meos in dictis regno & terra heredes servaturos promitto, & contra ea non venturos, quæ talia sunt. Si in vestro vel heredum vestrorum obitu legitimum, prout subsequitur, heredem vos aut ipsos quod absit, non habere contigerit, regnum ipsum ad Romanam ecclesiam, ejusque dispositionem libere revertatur, &c. Pluribusque interjectis, quæ in iis clientelaris sacramenti formulis a nobis jam ante adductis a Carolo I. Clementi IV. & Joanni XXI. Pontificibus nuncupatis, iisdem concepta sunt verbis: de censu pendendo adiicit iis, quæ superius typis fuere cusa (*a*).

Legitimo deficiente successore regnum ad Ecclesiam devolvendum.

(*a*) *An. Chr.* 1265. *n.* 18. III.

*Si autem de censu octo millium unciarum hujusmodi primi termini infra dictos tertium terminum & duos sequentes menses plenarie satisfecerimus, nihilominus semper pro singulis octo millibus unciarum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaverimus, vel illas non solverimus pœnas similes incurremus, salvis aliis pœnis, & processibus, quæ vel qui de jure inferri, vel haberi poterunt per Romanum Pontificem in hoc casu. Item promitto quod in quolibet triennio dabimus ego & mei in dicto regno heredes Romano Pontifici unum palafredum album pulchrum & bonum in recognitionem veri dominii eorumdem regni, & terræ; & solvam Romanæ ecclesiæ quinquaginta millia marcharum sterlingorum per infrascriptos terminos. Videlicet quod infra sex menses solvam eidem ecclesiæ decem millia marcharum sterlingorum, & infra singulos sex menses successive sequentes solvam singula decem millia, donec tota prædicta quinquaginta millium summa fuerit integre persoluta. Quod si in hujusmodi terminis illa non solvero, liberum erit Romano Pontifici contra nos pro singulis terminis ad pœnas spirituales procedere, prout sibi videbitur expedire. Quia vero, sicut in tractatu negotii actum extitit, tempore, quo esset tractatus, sive negotium consummandum, dominus Papa petitionem prædicti patris mei super remittendis eidem quinquaginta millibus marcharum factam audiret, ex parte saltem aliqua, de qua ipse Romanus Pontifex, teneri ad gratias deberet *. Ita tamen quod per præfixionem hujusmodi terminorum nullum mihi & heredibus meis in hoc præjudicium generetur; quin illa pars, de qua summus Pontifex mihi vel patri meo gratiam fecit, vel facere de prædicta summa quinquaginta millium deducatur.*

Singulis triennii equus albi coloris donandus Pontifici.

* Hunc locum obscuriorem ita jacere comperi in pluribus MSS.

IV.

Promitto insuper, ad hoc tam me quam heredes meos in regno obligans, quod quandocumque Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, asseruerit, vel dixerit Romanam ecclesiam indigere; ita quod super indigentia hujusmodi ipsius Romani Pontificis simplici verbo stetur, ego vel mei in dicto regno heredes requisiti ab eo ad Urbem, in Campaniam, in Maritimam, in patrimonium B. Petri, in Tusciam, ducatum Spoletanum, marchiam Anconitanam, & in præmissam civitatem Beneventanam, ac ejus territorium & pertinentias, quæ remanebunt ecclesiæ, & in omnes alias terras ipsius Ecclesiæ per Italiam trecentos milites equis & armis bene ac decenter munitos & paratos; ita quod unusquisque ipsorum habeat quatuor equitaturas, vel tres ad minus; in ecclesiæ prædictæ obsequium & subsidium transmittemus, per tres menses integros in meis, vel dictorum in regno heredum sumptibus & stipendiis, semel tamen in anno in servitio ejusdem ecclesiæ moraturos, mensibus ipsis a die, quo iidem milites terram mei dominii vel fines mei districtus vel eorumdem heredum egressi fuerint, per vulgares dietas & solitas computandis; & quod si maluerit ecclesia eadem ingruenti necessitate, super qua stetur verbo Romani Pontificis, ut dictum est, navali juvari exercitu, prædictos milites, debita taxatione ac recompensatione præhabita, in navale stolium commutabimus; & in prædicta civitate Beneventana, quam hactenus Romana ecclesia sibi retinuit, & in suum demanium & dominium cum omnibus juribus suis & pertinentiis reservavit, & toto tenimento civitatis ejusdem cum finibus ejus antiquis, quos Romanus Pontifex quandocumque, semel tamen, sibi placuerit, bona fide distinguet, & quæ eidem ecclesiæ, & in ejus proprietate libere remanebunt, nullo jure nobis, vel cuicumque alii de regno prædicto ibi retento, seu quomodolibet reservato, & quod nullum jus ego & mei in dicto regno heredes quomodolibet acquirimus, vel habebimus in eisdem; & quod distinctioni quoque per Romanum Pontificem semel faciendæ, ut dictum est, stabimus absque contradictione seu refragatione quacumque ego & heredes mei, prout ipsa distinctio per apostolicas literas apparebit.

Postulante Pont. trecenti equites cataphracti trimestri regiis sumptibus in Pontif. castris alendi.

V.

Pro prædicta quoque civitate Beneventana, hac vice reficienda per Beneventanos, exponam per septennium, pro lignaminibus omnia nomora ipsorum regni & terræ & omnem materiam ad ædificia opportunam, puta lapides, arenam, quæ puteolana vocatur, cæmentum, & similia sine præjudicio juris singularum personarum ad unam dietam prope Beneventum. Et promitto quod præstabimus ego & mei heredes Beneventanis securitatem per totum regnum & terram prædicta, nisi in regno & terra prædictis de novo delinquant, propter quod ad nos de jure justitia pertineret; quodque privilegia dictæ civitatis & Re-

De reficiendo Benevento, ejusque privilegiis servandis.

& Regibus, & principibus concessa tam ego, quam mei heredes in regno & terra eisdem illibata servabimus; & omnia statuta per quondam Fridericum olim Romanorum Imperatorem, seu quoscumque alios Reges Siciliæ facta contra libertatem civitatis ejusdem revocabimus, & in omnibus & per omnia quæ libertates fuerint cæteris regnicolis parificabimus illam; nec aliqua statuta, seu aliquas leges condemus in posterum, per quæ dictæ civitati directe vel indirecte possit præjudicium generari: & pro Apostolicæ sedis, & B. Bartholomæi patroni civitatis ejusdem reverentia, fidantias ab omnibus remitti faciemus, & remittemus eisdem. Fidentiarum autem remissio est concessio libertatis, ut cives Beneventani possint libere proprias vineas & terras excolere, ipsarumque fruges & fructus recolligere, ac easdem vineas & terras vendere, & de ipsis pro sua voluntate disponere sine aliqua exactione, vel munere, vel etiam datione.

VI. Nulla a Regibus Sicil. professio in ditione Pont. comparanda.

Promitto etiam, me & heredes meos in regno Siciliæ obligans, quod in dicta civitate, & ejus territorio, ac pertinentiis suis, quæ Romanæ remanebunt ecclesiæ, vel in Urbe seu in Campania, vel maritima, seu in ducatu Spoletano, aut marchia Anconitana, vel in patrimonio B. Petri in Tuscia, seu in aliis quibuscumque terris, aut demaniis, sive feudis ipsius ecclesiæ ubilibet constitutis ex successione, vel legato, aut venditione, sive donatione, aut alio quocumque jure vel titulo, seu contractu nihil unquam tam ego quam heredes mei in regno acquiremus vel vendicabimus, seu poterimus acquirere, vel quomodolibet vendicare: & nihil unquam recipiemus, habebimus, vel retinebimus, seu poterimus recipere, habere, vel etiam retinere; ac nullam potestariam, seu capitaniam, vel rectoriam, nullumque alium honorem, nullamque dignitatem, seu potestatem senatoriam, vel quamcumque aliam, aut administrationem, vel commendam, nec quodcumque aliud officium recipiemus, seu recipere poterimus, habebimus, seu retinebimus, vel habere, seu retinere poterimus in eisdem. Hoc autem intelligo de illis heredibus meis, qui mihi in eodem Siciliæ regno succedent. Nolo enim, quod delictum aliorum heredum, qui succedent mihi in comitatibus & aliis terris meis in pœnam heredis, qui est mihi successurus in regno, aliquatenus extendatur.

Horum vice, petente sede Ap. classis submittenda.

VII.

Ne vero hujusmodi alii heredes mei contra ea, quæ in isto continentur articulo, aliquo forsan tempore venire præsumant, acquirendo, vel vendicando, aut recipiendo, vel habendo, seu retinendo sibi aliquid in terris in articulo ipso expressis; vel recipiendo, habendo, seu retinendo in eisdem terris potestariam seu capitaniam, vel aliquid aliud de iis, quæ in articulo continentur eodem, promitto; tam me quam ipsos heredes meos obligans, quod nullus etiam hujusmodi aliorum meorum heredum ullo unquam tempore sibi quicquam in eisdem terris acquiret, seu vendicabit, recipiet, habebit, vel etiam retinebit; aut potestariam seu capitaniam, vel rectoriam, aut aliquid aliud ex iis, quæ prout dictum est, in eodem articulo plenius exprimuntur: nec alicui eorum recipere, habere vel retinere licebit. Quicunque autem ipsorum secus præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat, nec ipse, nec ejus posteri in perpetuum possint in eodem regno succedere, si eis in casu aliquo hujusmodi successio deferretur: sed ab illa repellantur omnino. Et nihilominus ille, qui tunc ejusdem regni gubernaculis præsidebit, Romano Pontifici contra eum patenter assistere teneatur.

Hæc pacta violantibus pœnæ objectæ.

Si vero ego vel mei in regno heredes prædictam civitatem Beneventanam, territorium & pertinentias ejus, quæ remanebunt ecclesiæ, vel aliquam partem eorum, aut Campaniam vel Maritimam, seu Urbem, vel ducatum Spoletanum, aut marchiam Anconitanam, sive patrimonium B. Petri in Tuscia, aut alias quascumque terras Romanæ ecclesiæ ubilibet constitutas occupaverimus, vel occupari fecerimus, aut super iis offenderimus, vel molestaverimus ecclesiam, seu fecerimus molestari; & priusquam super hoc a Romano Pontifice moniti & requisiti fuerimus, vel si commode moneri, aut requiri nequiverimus, juxta ipsius Romani Pontificis assertionem vel dictum, postquam de hoc ipse public, ac solemniter nos monuerit, infra tres menses non restituerimus integre omnia occupata, eo ipso ab eorumdem regni Siciliæ, & terræ jure cadamus totaliter; ipsaque regnum & terram prorsus amittamus, & hæc ad Romanam ecclesiam libere devolvantur. Quod si etiam restituerimus occupata, nihilominus ad plenum de universis injuriis & damnis illatis, ad mandatum ejusdem Romani Pontificis satisfacere teneamur.

Occupatis Ecclesiæ locis non constituto tempore moniti absistant regni jus amittunt.

VIII.

Promitto etiam, me & heredes meos alios quam in regno obligans, quod ipse heredes mei, videlicet, qui mihi non succedent in regno occupare vel facere occupari easdem terras Romanæ ecclesiæ, seu molestare aut molestari facere super illis non attentabunt. Illi vero qui secus attentaverint, præmissas pœnas, ut videlicet eo ipso sint excommunicati, & tam ipse quam eorum posteritas in perpetuum ad successionem dicti regni, si in aliquo forte casu eadem successio devolveretur ad illos, nullatenus admittantur, incurrant: & Rex Siciliæ, qui tunc erit, teneatur assistere Romano Pontifici contra ipsos, prout superius est expressum. Promitto quoque me & heredes meos obligans, quod omnibus eccle-

Si qui e posteris ditionem pontificiam bello petierint, eorum stirps a regni successione aliena pronuntiatur. Obstricti Reges Siculi ad tuenda, restituendave ecclesiarum jura.

ecclesiis tam cathedralibus, quam aliis regularibus & sæcularibus; necnon & omnibus prælatis & clericis, ac universis personis ecclesiasticis sæcularibus & religiosis, & quibuslibet religiosis locis, plenarie dimittam & restituam, & dimitti ac restitui faciam; & procurabo integre omnia bona eorum immobilia, a quibuscumque ablata vel occupata sint, & per quoscunque detineantur: & mobilia, quæ extant, & poterunt inveniri, simili modo restituam, & restitui facere procurabo eisdem: & quod hanc restitutionem faciam, & fieri procurabo absque contradictione, seu difficultate qualibet hoc modo: scilicet, quod statim in illa parte ipsorum regni & terræ, quæ mihi obedit, restitutio ipsa fiet; ipsaque postmodum successive consummabitur, sicut obedient & habebuntur eadem regnum & terra ad mandatum & arbitrium aliquorum virorum discretorum deputandorum a Romano Pontifice, ad quorum mandatum jurium & rerum immobilium & mobilium, quæ extant, restitutionem plenam faciam, & fieri procurabo; ita quod ea, de quorum dominio, vel proprietate, seu possessione notorium fuerit, ad eorum mandatum & arbitrium mox reddam, & reddi faciam; in dubiis per ipsos de plano & absque judicii strepitu veritate diligentius inquirenda; ita quod sufficiat vocari camerarium, vel procuratorem, seu bajulum, in cujus jurisdictione vel ballivia, seu territorio bona, de quibus agetur, consistent, ad videndum jurare testes, qui in hujusmodi inquisitione deponent. Sequuntur nonnulla de tuendo jure ecclesiastico, quæ jam ante superius a nobis iisdem omnino verbis sunt annalibus inserta (*a*): tum de liberis provocationibus ad sedem Apostolicam in causis ecclesiasticis permittendis additur: *Et si ad sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contigerit, tam appellantes quam appellati ad eandem venire sedem pro appellationum prosecutionibus libere & absque inhibitione aliqua permittantur: & promitto tam me, quam heredes meos facturos, curaturos, & permissuros, quod sic agitari, tractari, & ventilari, ac terminari possint; & quod sic possit appellari, & libere veniri. Sacramenta vero fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis ecclesiarum prælatis, quorum prædecessores antiquis illa Siciliæ Regibus præstiterunt: ab illis autem prælatis & ecclesiis, qui regalia sive temporalia bona tenent. Si qui tamen sunt, qui hujusmodi bona teneant a domino regni & aliis dominis temporalibus, & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus & ipsis dominis temporalibus servitia exhibere, hujusmodi honesta, & antiqua servitia eis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut statuta patiuntur canonica, impendantur; salva semper circa ecclesias cathedrales, & alias regulares, & sæculares, ac personas & loca ecclesiastica tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuscunque aliis Romani Pontificis & ecclesiæ Romanæ jurisdictione ac auctoritate plenaria, & libera potestate.*

(*a*) *Anno Chr. 1265. n. 19.*

De sacramento fidei ab ecclesiasticis exigendo.

Revocabo quoque omnes constitutiones, seu leges per prædictum Fridericum, vel per Reges Siciliæ, sive per Conradum ipsius Friderici filium, aut Manfredum quondam principem Tarentinum, qui de facto regnum ipsum detinuit occupatum, editas contra ecclesiasticam libertatem: nec statuta vel constitutiones aliquas edam, aut etiam promulgabo, per quæ juri, vel libertati ecclesiasticæ derogetur. Promitto etiam quod tam ego quam mei heredes non patiemur, quod aliquis clericus vel persona ecclesiastica eorumdem regni & terræ in civili vel criminali causa conveniatur coram judice sæculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter; ita quod omnes ecclesiæ, ac personæ ecclesiasticæ omnimode erunt liberæ, & etiam in nullo Regi vel principi subjacebunt, & quod nullas tallias, vel collectas imponemus ecclesiis, monasteriis, clericis, & viris ecclesiasticis vel rebus eorum; & quod in ecclesiis vacantibus ego vel nostri in regno heredes nulla habebimus regalia, nullosque fructus, redditus, & proventus; nullas etiam obventiones, ac nulla prorsus alia percipiemus ex eisdem, custodia earundem ecclesiarum interim libera remanente penes personas ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones.

IX. Pollicetur Carolus Friderici Conradi, & Manfr. leges tyrannicas abrogaturum.

Nulla jura regalia in ecclesiis sibi vendicaturum.

Comites vero & barones, milites & universi homines totius regni & terræ prædictæ vivent in ea libertate, & habebunt illas immunitates, illaque privilegia ipsisque gaudebunt, quas & quæ tempore claræ memoriæ Guillelmi secundi Siciliæ Regis, & aliis antiquis temporibus habuerunt; & promitto, quod ego, & prædicti mei heredes ipsos prædictis libertate, immunitatibus & privilegiis permittemus gaudere, & in dicta vivere libertate; & quod omnes, qui eo tempore, quo claræ memoriæ pater meus Siciliæ Rex præfata regnum & terram ab ecclesia Romana recepit in feudum, erant exules regni Siciliæ & terræ prædictæ, cujuscunque conditionis existant, ad mandatum Ecclesiæ reducemus in regnum & terram prædicta, ipsisque de bonis & juribus eis debitis restitutionem plenam faciemus, & fieri procurabimus, & quod in hujusmodi restitutione secundum præscriptam formam in capitulo de bonis ecclesiarum restituendis contentam, tam in notoriis, quam in dubiis procedemus, & permittemus proce-

Restituturum privil. ecclesiarum, quæ Guillelmi II. temporibus viguere.

si; & quod captivos & obsides, si qui tenebantur tempore supradicto, & adhuc tenentur in regno & terra prædictis, Romanos, regnicolas, & alios de terra Ecclesiæ, Tuscos, Lombardos, & illos de marchia Tervisina, bona fide restituam libertati pro posse; & quod heredibus quondam Richardi comitis Sorani germani fel. record. domini Innoc. Papæ III. jus, quod in comitatu Sorano, & aliis ecclesiæ Romanæ fidelibus illud, quod in aliis comitatibus & bonis, si qua eis in regno & terra prædictis a Regibus & principibus sunt concessa, obtinent, penitus salvabimus, & salvari curabimus, nec per ipsorum regni & terræ concessionem factam dicto patri meo comitatuum, seu concessorum eorumdem cuiquam, quo ad proprietatem seu possessionem, præjudicium generetur, regio in iis omnibus jure salvo.

X. Nulla fœdera cum ullis principibus adversus Romanam eccl. inituram.

Promitto etiam, quod nullam confœderationem, seu pactionem, vel societatem cum aliquo Imperatore vel Rege, seu principe, vel barone, Saraceno, Christiano, vel Græco, aut cum aliqua provincia, seu civitate, aut communitate, vel loco aliquo scienter contra Romanam ecclesiam, vel in damnum Ecclesiæ faciam; & si etiam fecero ignoranter, tenear & promitto ad mandatum Ecclesiæ revocare. Denique omnes præmissas conditiones, quæ in persona mea apponuntur, circa meos etiam in regno ipso heredes & successores volo & intelligo esse dictas: salvis omnibus, quæ circa alios heredes meos ordinata consistunt, prout superius est expressum. Ego etiam de hoc privilegium seu literas præsentes tibi domino Papæ & Romanæ ecclesiæ memoratis aurea bulla bullatum seu bullatas, in quo vel in quibus proprio juramento fateor, & recognosco expresse regnum Siciliæ, & totam terram, quæ est citra Farum usque ad confinia terrarum Romanæ ecclesiæ, excepta civitate Beneventana cum territorio & pertinentiis ejus, quæ, ut dictum est, ecclesiæ remanebit eidem, ex sola gratia & mera liberalitate sedis Apostolicæ sæpedicto patri meo, mihi, meisque heredibus in feudum fore concessa; meque habere ac tenere regnum, & terram hujusmodi a dicta Romana ecclesia in feudum pro me meisque heredibus in dictis regno & terra sub pactis, & conditionibus, forma, modo, & conventionibus supradictis, & sub aliis, quæ in literis felicis recordationis Clementis Papæ IV. plenius continentur.

Beneficio puro, & auctoritate sedis Apost. regnum Siculum obtinere profitetur.

Initis inter Carolum I. & Clem. IV. pactis statutum spondet.

Cæterum ut præmissa omnia & singula, ac insuper ut conditiones, conventiones, & pacta, quæ inter sanctam Romanam ecclesiam, & sæpedictum claræ memoriæ patrem meum intervenerunt, seu fuerunt apposita tempore, quo sæpedicta terra & regnum ipsi patri meo pro se suisque heredibus concessa fuerunt in feudum, prout in literis felicis recordationis domini Clementis Papæ IV. plenius continentur, illibata perpetuo maneant, & inconcussa semper obtineant firmitatem; ipsa omnia & singula juro, & per stipulationem solemnem promitto, quod plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei Evangelia. In prædictorum autem testimonium perpetuamque memoriam præsens scriptum exinde confici jussi, & aurea bulla negiæ majestatis impressa typario communiri. Actum Reate in majori palatio juxta cathedralem ecclesiam Reatinam XIII. Kal. julii anno MCCLXXXIX. indictione secunda regnorum nostrorum Hierusalem & Siciliæ anno V.

XI. Hæc fœdera violaturis anathema incutit Pont.

Nos itaque hujusmodi homagium & fidelitatis juramentum, promissiones tuas, & omnia, ut præmittitur, a te facta de fratrum nostrorum consilio acceptamus; & nihilominus, quia in quibusdam articulis, seu capitulis prædictorum in dictis literis contentorum expressius continetur, quod in certis casibus tu & heredes tui excommunicationis sententiam incurratis, & dicta regnum & terra tua & ipsorum heredum sint ecclesiastico supposita interdicto; quodque in certis casibus tam tu quam tui in dictis regno & terra heredes a sæpedictis regno & terra cadatis, & ipsa regnum & terra ad Romanam ecclesiam libere devolvantur, & totaliter revertantur; nos ex nunc hujusmodi sententias videlicet excommunicationis in te & eosdem heredes, & interdicti in præfatum regnum & terram prædictam; nec non privationis omnis juris tam tibi, quam ipsis heredibus in sæpedictis regno & terra vel ad ea quomodolibet competentis, vel competituri, si tua vel ipsorum culpa hujusmodi casus emerserit; de prædictorum fratrum consilio auctoritate apostolica promulgamus; decernentes, quod cum hujusmodi casus privationis emerserit, prædictum regnum & terra præfata libere ad eamdem Romanam ecclesiam devolvantur, & reverentur ad eam: ita quod ex tunc nullum jus tibi tuisque heredibus competat in eisdem; sed de illis Romana ecclesia libere disponere valeat, prout sibi placuerit, & videbitur expedire. Nulli ergo, &c. nostræ attestationis, acceptationis, & constitutionis &c. si quis autem, &c. Dat. Reate XIII. kal. julii an. II.

Pronuntiat in designatis casibus fe dem Ap. Siculum regnum ad se revocaturam.

XII. Perfecta regiæ consecrationis pompa, ad recolendam accepti a Pontifice beneficii memoriam Carolus ecclesiæ Reatinæ, in qua regia acceperat ornamenta, annuas viginti uncias auri contulit. Qua de re hæc ad Aprutii præfectum & magistratus Sulmonenses scripsit (*a*): *Reatinam ecclesiam, in qua oleo sancto unctis, de manu summi Pontificis regale re-*

(*a*) *Ext. ejus lit. apud Nic. IV. n. 11. in ep. 364.*

cepimus diadema, volentes debitæ gratitudine venerari, ut ad laudem divini nominis noſtræ coronationis memoria perpetua ſit ibidem, redditum viginti unciarum auri percipiendum annis ſingulis perpetuo de redditibus bajulationis, aliorumque jurium demanii noſtri civitatis Sulmonenſis, ac diſtribuendum in eadem Reatina eccleſia epiſcopo & canonicis, qui huic ordinationi noſtræ expreſſius conſenſerunt, gratioſe duximus concedendum, &c. Ingentibus viciſſim ipſum a Nicolao Papa muneribus gemmiſque ornatum, tradit Joannes Villanus (*a*), plurimoque auro ſubſidiario donatum.

Viginti unciæ auri annuæ traditæ eccleſiæ Reatinæ a Carolo.

(*a*) *Jo. Vill. l. 7. c. 129.*

XIII.

Et quidem triennales illi decimæ ad recuperandam Siciliæ inſulam attributæ fuere (*b*): tum iniquiores pactiones, quibus ad libertatem adipiſcendam fuerat ab Aragonio obſtrictus, a ſanctiſſimo Pontifice reſciſſæ, ac tam Carolus ipſe quam Eduardus Angliæ Reges, ac Provinciales dati Alfonſo ſacramenti religione liberati: *Cum*, inquit (*c*), *conventiones, promiſſiones, & innovationes præmiſſæ gravia in ſe productura pericula, & ex iis quædam fere impoſſibiles, quædam alias indebitæ ac illicitæ, ac horrendæ & abominandæ fidelibus in grande præjudicium ipſius eccleſiæ ac præfati Regis Siciliæ, vaſſalli ejuſdem eccleſiæ ſpecialis, per vim & metum contra bonos mores, ac alias perperam & inique præſumptuoſius extortæ, & attentatæ noſcuntur.* Verſum eſt (*d*) Alfonſo Aragonio crimini, Apoſtolicæ ſedi in reſtituenda Carolo libertate ipſum non paruiſſe, ſed dolo & fraude gravioribus illum nexibus conſtrinxiſſe. Quare Pontifex anathematis ſententiam ſolemni ritu in eum tulit (*e*), ac Philippo Regi Francorum triennales ſacerdotiorum decimas in Galliis ad comparandam armorum vi Carolo fratri Aragoniam conceſſit (*f*): eo nimirum conſilio, ut æquiores ab Alfonſo concordiæ leges referrentur. Jacobum vero illius fratrem, invaſorem Siciliæ, ac partium ſequaces cenſuris deſixit (*g*).

(*b*) *Nicol. l. c. ep.* 350. & 363.

(*c*) *Ibid. ep.* 480. Promiſſa data Alfonſo Arag. reſciſſa.

(*d*) *Ead. ep.* Jactum in eum anathema.

(*e*) *Lib.* 2. *ep. cur.* 5.

(*f*) *Lib.* 1. *ep.* 261. Francorum Rex ſolicitatus ad Arag. expugnandam.

(*g*) *Lib.* 2. *ep. cur.* 32. 70.

XIV.

Benignitatem præterea in memoratum Carolum explicuit, ipſumque pœnis omnibus, ſi quas ob non ſervatas cum eccleſia initas a parente pactiones contraxiſſet, abſolvit, jurique priſtino reſtituit: *De fratrum*, inquit (*h*), *conſilio & aſſenſu quaſcumque excommunicationum ſententias incurriſti; necnon & quaſlibet ſententias interdicti, quibus ſuppoſita ſint regnum & terra præfata propter ſupradicta conditiones, conventiones, & pacta per dictum patrem tuum, aut per te, ſive per utrumque quomodolibet non ſervata hactenus; penitus relaxamus, &c. Dat. Reate* XIII. *kal. julii anno* II.

Carolus II. cenſuris ſolutus ſi quas contraxit.

(*h*) *Ib. ep. cur.* 58.

XV.

Cumulatum id beneficium eſt pluribus aliis prærogativis. Ad concilianda enim illi divina auxilia, ſine quibus humana omnia franguntur, indulgentiarum præmia pro eodem Carolo Deum oraturis contulit: (*i*) *Piis deſideriis mentis tuæ favoris benevoli ſuffragium impendentes, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui devotis orationibus divinam pro te miſericordiam implorabunt, ſingulis diebus, quibus apud Dominum hujuſmodi orationes effundent, decem dies de injuncta eis pœnitentia miſericorditer relaxamus. Dat. Reate* IV. *non. junii anno* II. Præterea ad incendendam amplius Regis pietatem permiſit (*k*), ut ſanctorum reliquias in regia domo in loco decoro teneret: *Præſertim*, inquit, *cum ex Apoſtolicæ ſedis indulgentia altare portatile habeas, in quo tibi facis per proprium capellanum temporibus propriis divina officia celebrare.* Ac plurima alia beneficia apoſtolica, quæ ad divinam illi gratiam comparandam utiliſſima erant, impertitus eſt (*l*). Simillimis ſacris prærogativis Mariam (*m*), & Margaritam (*n*) Siciliæ Reginas, ac Francorum Reginam ornavit. Cum vero ad confirmandos eos qui hactenus in fide perſtiterant, alioſque ad officium revocandos Apoſtolicæ ſedis legati præſentia maximi intereſſet, Berardum epiſcopum Card. Prænestinum Nicolaus eo munere inſignivit (*o*), illique (*p*) plures, qui reverſo in regnum Carolo ad illius partes tranſvolarunt, tum Cardinali (*q*) S. Mariæ in Porticu, atque epiſcopo Aurelianenſi (*r*) in Eccleſiæ gratiam reſtituendi auctoritatem impertiit.

(*i*) *Lib.* 2. *ep.* 209. Propoſitæ pro eo preces Deo porrecturis indulgentiæ.

(*k*) *Ib. ep.* 294.

(*l*) *Ib.* 295. 296. 297. 298. 299. 300.

(*m*) *Ib. ep.* 213.

(*n*) *Ib. ep.* 319. *ad* 323. Prænest. epiſc. Card. creatus in Sicil. A. S. L.

(*o*) *Lib.* 2. *ep. cur.* 15. & *regeſt. poſt. camd. ep.*

(*p*) *Ib. ep.* 16.

(*q*) *Lib.* 1. *ep. cur.* 75. Reverſus in regnum Carolus nonnullos ad ſe pellicit.

(*r*) *Lib.* 2. *ep.* 263.

Tentavit Carolus mulcere Siculos oſtenſa veniæ ſpe, atque ad eos benignitatis regiæ exemplo ad obſequium pelliciendos obſtrinxit ſe Pontifici nullam de ſuperioribus perduellionibus ultionem repetiturum: tum etiam precibus urſit, ut is viciſſim illatas eccleſiæ injurias condonaret: quo argumento publica hæc monumenta promulgata (*s*),

(*s*) *Extant in M. S. Arch. Vat. ſign. n.* 530. *ep.* 17.

Sanctiſſimo in Chriſto patri & clementiſſimo domino ſuo domino Nicolao, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ, ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Carolus II. Dei gratia Rex Jeruſalem & Siciliæ, ducatus Apuliæ & principatus Capuæ, Provinciæ & Folqualquerii comes cum omni reverentia & honore devota pedum oſcula beatorum.

Clementiæ ſpes certa iiſdem oſtenſa.

Conditionis humanæ lubricum, per quam lapſus eſt fragilis ad peccandum, pia meditatione conſiderans, cadentibus in erroris deliramento compatior, & volentes poſt caſum ſurgere zelo clementis affectionis amplector: miſericordia namque thronus præſidentis extollitur, & benigna clementia regnantis ſolium roboratur. Scrutinio itaque diligentis meditationis advertens, quod offi-

Caroli II. literæ de venia Siculis ob perduellionem data.

officialium claræ memoriæ domini patris mei effrænata concitante licentia Siculorum diſſidiosa commotio in rebellionis culpam cecidit, per quam a fidelitate S. Romanæ matris eccleſiæ, atque mea ſe turpiter abdicavit, eorum caſui libenter opportune ſubvenio, & ad ſublevanda onera inſtinctu paternæ potius, quam dominicæ charitatis occurro: quorum reditum ad ſalutem pie cupiens ad animarum & corporum evitanda pericula, ipſos cujuſcumque dignitatis, ſtatus, aut conditionis exiſtant, greſſus fidelitatis egreſſos redeuntes de diſſimilitudinis regione, & erroris devii depulſa caligine ejuſdem eccleſiæ, ac meæ cultum veræ fidei amplectentes, ad gratiæ ſinum clementer recipio, omneſque culpas & offenſas contra claræ memoriæ dominum patrem meum & me per eos non ſine multa inculcatione commiſſas, & pœnas etiam corporales & pecuniarias, quas pro illis ſemitus inriſiverindiceret, eis de ſpeciali & humana compaſſione remitto; reſtituens ipſos & heredes eorum beneficio plenæ reſtitutionis in integrum ad bona, honores, dignitates, & ſtatum; infamiam quæ dictarum culparum commiſſione notavit eoſdem, totaliter abolendo: ac volens ex nunc ut poſtquam converſi fuerint (ut prædicitur) ad ſalutem, libertatibus & immunitatibus conceſſis per me aliis citra pharum regni Siciliæ fidelibus libere potiantur. Et ut eo magis ſit eis reditus ſalutaris ad fidem, quo diſſenſus fuerit luctuoſus, ipſos univerſos & ſingulos quam primum ſe in effectivæ agnitionis ſtatum fidei præfatæ reduxerint, ab omnibus debitis & obligationibus deſcendentibus ex contractibus, geſtionibus, officiis, adminiſtrationibus, ſeu delictis, quibus univerſitates aut ſingulares perſonæ ipſarum Siculorum tum pro tempore jam elapſo tenerentur, & a culpis etiam, quibus damna plurima, præjudicia, & diminutionem patrimonii incurriſſe dignoſcerentur, perpetuo libero, & a vinculo civilis & naturalis obligationis abſolvo.

Promulgata illa a Pontif.

(*a*) *Eod. M. S. ſig. n.* 539. *ep.* 18.

Ut autem præmiſſorum omnium receptionis, remiſſionis, liberationis, & abſolutionis eo potius ſit ſpes in cautelam ſecurior, pro quo eorum conſervatione firmiter obſtitura vinculum expreſſæ promiſſionis acceſſerit, & benignior ac ſclentior aderit interceſſor; ſanctitati veſtræ in verbo regiæ majeſtatis incommutabiliter & expreſſe promitto, prædicta omnia & ſingula ſimpliciter & abſolute complere, & per me meoſque poſteros illibata ſervare: clementiæ veſtræ humiliter ſupplicans, ut Apoſtolicæ ſedis benignitas, quæ non claudit gremium redeunti, & univerſitates & ſingulares perſonas Siculorum ipſorum, ad fidelitatem eccleſiæ memoratæ ac meam efficaciter redeuntes, ad gratiam ſuam clementer admittat, omneſque culpas & offenſas per eos contra eamdem ſedem a tempore rebellionis præfatæ commiſſas: nec non ſententias atque pœnas ſpirituales & temporales, quas pro illis aut ipſo jure, aut per proceſſus varios per dictam ſedem aut ejus auctoritate contra ipſos habitos incurrerunt, paterna miſeratione relaxans & tollens, reſtituat ipſos ad integrum ſtatum & gratiam, a quibus fecerunt ſe per culpæ contagium alienos, in cujus rei teſtimonium, &c. Admiſit Nicolaus præclarum hoc clementiæ ſpecimen a Carolo exhibitum, atque illud apud Siculos vulgandum curavit, (*a*) pollicitus ſuperiores omnes injurias tum a Carolo tum a Romana eccleſia voluntaria oblivione deletum iri, ſi Siculi ipſi ad officium redirent.

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Siciliæ illuſtri.

*Gaudet jure mater eccleſia, filium utique benedictionis & gratiæ, qui per tramites pietatis ingrediens miſericordiæ lenitatem clementiæque dulcedinem amplecteris, & ipſam eccleſiam matrem tuam manifeſtis devotionis indiciis revereris. Nuper quidem literas tuas aurea bulla munitas benigno affectu & hilari vultu recepimus tenoris & continentiæ ſubſequentis: Sanctiſſimo in Chriſto patri; &c. Conditionis humanæ, &c. Ex his igitur tuæ ſuavitatis ſpiritum & lenitatis humanæ dulcedinem commendantes, omnia & ſingula in prædictis literis tuis diſtincte contenta accepimus expreſſe: ac tuis ſupplicationibus inclinati univerſitates & ſingulares perſonas dictorum Siculorum, cujuſcumque ſtatus, dignitatis, & conditionis exiſtant, ad fidelitatem noſtram, Romanæ eccleſiæ, atque tuam efficaciter redeuntes, ad Apoſtolicæ ſedis gratiam clementer admittimus, omneſque culpas & offenſas per eos contra ſedem ipſam a tempore, quo contra patrem tuum rebellionis ſpiritum aſſumpſere, commiſſas; nec non ſententias ſpirituales ac temporales & pœnas, in quas pro illis aut ipſo jure aut per proceſſus varios per eamdem ſedem vel ejus auctoritate contra ipſos habitos incideruntpoſtquam ſe in effectivæ agnitionis ſtatu fidelitatis prædictæ reduxerint, clementer remittimus & miſericorditer relaxamus; reſtituentes ipſos in integrum ad honores, dignitates, & famam; ac eos in ſtatum priſtinum, in quo fuerant antequam committerent * integre reducentes ex tunc poſtquam ad ſalutem reverſi fuerint, ad relaxationem ſententiarum, & pœnarum ſpiritualium prædictarum juxta formam eccleſiæ proceſſuri. Datum &c.* Adhibitæ etiam aliæ artes ad efferatos Siculorum animos demulcendos: publicis enim literis (*b*) ad Nicolaum Papam datis profeſſus eſt Carolus Gallos præfectos Siculis non impoſitum iri, ne

Solutæ a Nicolao pœnæ, quas edictis pontificiis Siculi contraxere.

* rebelliones, De mittendo legato apoſtolico adhuc.

(*b*) *Ext. in eod. M. S. Arch. Vat. ep.* 19.

vetera odia recrudeſcerent: ſed Cardinalem legatum vel alios æquitatis amantiſſimos magiſtratus eorum adminiſtrationem capeſſituros, donec Siculi de regia manſuetudine confiſi antiqua odia exuiſſent. Aſſenſit etiam (a), ut Cardinalis Siculam rem geſturus ex ipſius inſulæ vectigalibus demandati ſibi muneris onera ſuſtentaret. Quæ ſingula laudavit Nicolaus (b), pollicitus Carolo Siculos, quamprimum ad toleranda mandata regia manſueſcerent, illius imperio a Cardinale præfecto reſtitutum iri: ſed has blanditias pertinacia Siculorum reſpuit. Hactenus de rebus Siculis: nunc ad pontificium in tuendo in aliis regnis jure eccleſiaſtico zelum ſermonem traducimus.

(a) *Ib. ep.* 21.

(b) *Ib. ep.* 20. & 23.

XVI. Libertas eccleſ. nondum in Luſit. ſuo ſplendori reſtituta.

Labefactata fuerat admodum in Luſitania eccleſiaſtica dignitas, quam a præteritis Regibus obtritam vidimus: ac licet Sanctius in extremo vitæ actu, cæleſtis Regis tribunal aditurus, actus conſcientiæ ſtimulis priſtino illam reſtituendam ſplendori ediviſſet, obſtrinxiſſetque ea religione filium Dionyſium ſceptri heredem; haud tamen adhuc redintegrata erant eccleſiarum jura, & univerſa Luſitania Gregorii X. ſanctione conſtitutas eccleſiaſticas cenſuras contraxerat: quamquam ſuperiori anno Dionyſius oratores ad ſedem Apoſtolicam ad componendas interprete Pontifice de regio & eccleſiaſtico jure, quæ illum inter & præſules intercedebant, controverſias miſerat, atque auctoritate hoc diplomate inſtruxerat (c): *Noverint univerſi præſentis procurationis ſeriem inſpecturi, quod nos Dionyſius Dei gratia Rex Portugalliæ & Algarbii conſtituimus, facimus, & ordinamus procuratores diſcretos viros Martinum Petri cantorem Elborenſem, Joannem Martini canonicum Colimbrienſem latores præſentium, quemlibet eorum in ſolidum, ad tractandum, faciendum auctoritate apoſtolica pacem, compoſitionem, & concordiam cum prælatis regnorum noſtrorum ſuper negocio, quod geritur inter nos & ipſos; & ad confirmandum ipſam compoſitionem modis & pœnis, quos & quas viderint expedire utilitati noſtræ & regnorum noſtrorum; & ad faciendum omnia alia & ſingula, quæ circa præmiſſa facienda occurrerint, & quodlibet præmiſſorum: ratum & firmum habituri quidquid per ipſos vel eorum alterum actum fuerit in præmiſſis. In cujus rei teſtimonium præſentem literam noſtri ſigilli munimine fecimus communiri. Datum Colimbriæ* v. *die junii. Rege mandante Petrus Joannis notavit æra* MCCCXXVI. anno nimirum humanæ ſalutis MCCLXXXVIII.

Miſſi a Rege Dion. oratores ad Pont.

(c) *Extat inſert. literis Nicolai IV. l. 1. ep.* 50. Data illis paciſcendi ad componendam controverſiam auctoritas.

XVII. (d) *Extant Regis lit. apud Nicol. lib. 2. pag.* 117. *n.* 50.

Exceptis benevolentia apoſtolica Luſitani Regis oratoribus, Nicolaus ineunte februario archiepiſcopum & epiſcopos Luſitanos poteſtate munivit (d), ut cum iis de paciſcenda concordia agerent. Quadraginta erant controverſa capita, quibus læſum jus eccleſiaſticum, epiſcopi querebantur: quæ cum diſcuſſa eſſent, ad id regii oratores deſcendere, ut profeſſi fuerint, Luſitanos Reges ab iis injuriis temperaturos. Qua de re coram Cardd. Latino Oſtienſi epiſcopo, Petro tit. S. Marci presbytero, & Benedicto S. Nicolai in carcere Tulliano diacono divini, & humani juris peritiſſimo, qui poſtea apices pontificios Bonifacii VIII. accepto nomine geſſit, editæ publicæ tabulæ.

Inſtructi etiam poteſtate a Pont. Luſitani præſules.

In nomine Domini Amen. In regno Portugalliæ, & Algarbii grandis inter prælatos ipſius regni & Reges, qui fuerunt pro tempore, ſuper eo ab olim, ſicut habet aſſertio, infraſcripta rum partium diſſenſio ex exorta, quod iidem prælati ſe, eccleſias, & perſonas eccleſiaſticas regni ejuſdem non ſolum in depreſſionem, ſed etiam in ſubverſionem eccleſiaſticæ libertatis in multis gravatos fuiſſe ac gravari dicebant: ſuper quibus ſub diverſis Romanis Pontificibus, & per eos multiplicatis proceſſibus, & tractatibus habitis inter partes, contigit controverſiam ſuper infraſcriptis articulis, quorum aliqui primo coram felicis recordationis domino Clemente Papa IV. & tam ipſi quam nonnulli alii coram recolendæ memoriæ domino Gregorio Papa X. ex parte dictorum prælatorum oblati fuiſſe dicuntur, ut inferius exprimitur in eiſdem, uſque ad tempora magnifici principis domini Dionyſii illuſtris Regis Portugalliæ & Algarbii prorogari, & tandem inter venerabiles patres dominos T. archiepiſcopum Bracharenſem, A. Columbrienſem, B. Sylvenſem, & I. Lamecenſem epiſcopos in curia Romana præſentes, tam pro ſe quam pro aliis prælatis, eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis regni ejuſdem, pro quibus ſanctiſſimus pater, & dominus dominus Nicolaus divina providentia Papa IV. ad componendum & paciſcandum ſuper prætactis articulis eis conceſſit per ſuas literas ſubſcripti tenoris liberam poteſtatem; & diſcretos viros Martinum Petri cantorem Elborenſem, & Joannem Martini canonicum Colimbrienſem procuratores Regis ejuſdem ab ipſo in forma infraſcripta mandatum habentes dicti Regis nomine, mediantibus reverendis patribus dominis Latino Oſtienſi, & Velletrenſi epiſcopo, Petro tit. S. Marci presbytero, & Benedicto S. Nicolai in carcere Tulliano diacono Cardinalibus ab eodem ſummo Pontifice ad diſcutiendum, & dirigendum hujuſmodi negotium deputatis, talis ſuper eiſdem articulis in præſentia eorumdem Cardinalium, mei notarii, & teſtium ſubſcriptorum, pax & compoſitio intervenit. Prædictis ſiquidem archiepiſcopo & epiſcopis pro ſe ac illorum

Inſignes de conciliata lite tabulæ.

Qui Cardinales rei tranſigendæ præfuerint.

nomine, pro quibus ad pacificandum & componendum receperant ab eodem ſummo pontifice, ut præmittitur, poteſtatem, & præfatis procuratoribus dicti Regis pro ipſo Rege, in dictorum Cardinalium, & teſtium, ac mei notarii præſentia conſtitutis; lectiſque ſingulis ſubſcriptis articulis per me notarium dictum, & ſubter annexis reſponſionibus, per eoſdem procuratores ad ſingulos eorumdem ſingulariter ſubſecutis, vice ac nomine dicti Regis cum expreſſa intentione ipſum Regem ad contenta in ipſis reſponſionibus obligandi, quibus quidem reſponſionibus iidem prælati ſe dixerunt expreſſe, & vocaverunt plene contentos. Demum iidem cantor & Joannes, archiepiſcopo, & epiſcopis memoratis & mihi ſubſcripto notario pro ipſis omnibus, & ſingulis eccleſiis, & eccleſiaſticis perſonis regni prædicti ſtipulantibus ſolemniter promiſerunt nomine præfati Regis, & pro ipſo eumdem Regem expreſſe ratificaturum, approbaturum, & acceptaturum omnia & ſingula contenta in reſponſionibus ſupradictis; & tam ſe quam ſuos queſlibet ſucceſſores in regno præfato eadem omnia & ſingula, quæ in dictis reſponſionibus continentur, prout eorum ſingulorum qualitas exigit, plene adimplendis, & perpetuo per ſe ac ſucceſſores ſuos inviolabiliter obſervandis in forma, quam ſedes eadem ſuper hoc ei duxerit deſtinandam: Tenor vero articulorum prædictorum, & reſponſionum, ut prædicitur, ſubſecutarum ad ipſas de verbo ad verbum talis eſt.

XVIII. Controverſiæ inter Regem & cleri um capita.

Spondent regii oratores juſtitiam probe adminiſtrandam.

Hi ſunt articuli qui pro parte prælatorum regni Portugalliæ & Algarbii coram felicis recordationis prædicto domino Clemente Papa IV. fuerunt oblati.

Primus articulus eſt. In primis idem Rex pro ſua voluntate compellit priores, & abbatiſſas, ac eccleſiarum rectores, ut prioratibus, & abbatiis, & eccleſiis ſuis renuntient; maxime in illis monaſteriis & eccleſiis, in quibus contendit jus patronatus habere. Reſpondent Martinus Petri cantor Elborenſis, & Joannes Martini canonicus Colimbrienſis procuratores prædicti domini Dionyſii Regis Portugalliæ & Algarbii, quod ipſe Rex non fecit hactenus hæc, & promittunt ejus nomine quod non faciet in futurum.

XIX. Inflictas cenſuras non habitum iri ludibrio.

Secundus articulus eſt. Si epiſcopi, vel eccleſiarum rectores in parochia ſuos pro eo, quod decimas & alia jura ſibi debita non ſolvunt eiſdem, excommunicationis ferunt ſententias, vel loca ſupponunt eccleſiaſtico interdicto, juſtitia exigente, dominus Rex & ſui occaſione hujuſmodi excommunicatores banniri faciunt, & alia bona eorum occupari. Reſpondent dicti procuratores, quod idem Rex contenta in articulo non fecit hactenus, & promittunt, quod non faciet in futurum; & quod ſi contra per ſuos ſubditos factum fuerit, juſtitiæ complementum conquerentibus exhibebit, occupata reſtitui & de injuriis ſatisfieri faciendo.

Tertius articulus eſt. Item ſi epiſcopi vel alii conveniunt, ſeu convenire velint abbates, abbatiſſas, priores, aut alias perſonas eccleſiaſticas auctoritate literarum ſedis Apoſtolicæ, præfatus Rex id fieri non permittit. Reſpondent procuratores prædicti, quod idem Rex non fecit hæc hactenus, & promittunt, quod ipſe non faciet in futurum, & quod permittet ipſos libere uti literis apoſtolicis.

Quartus articulus eſt. Item ſi forte feratur definitiva ſententia pro actore, non permittit executioni mandari, & actori judicata præcipit occupari, ſibi retinens occupata. Reſpondent procuratores prædicti, quod idem Rex non fecit hæc hactenus, & promittunt, quod ipſe non faciet in futurum, & quod permittet, quod ſententiæ executioni legitime demandentur.

Quintus articulus eſt. Item ſi archiepiſcopus, epiſcopi, vel eorum vicarii locum aliquem vel eccleſiam ſupponunt eccleſiaſtico interdicto, vel in homines ipſius Regis excommunicationis, prout juſtitia exigit, ferant ſententias; dominus Rex & ſui epiſcopos vel eorum vicarios ad relaxandum hujuſmodi ſententias per minas, & terrores, & occupationem bonorum ſuorum compellunt, judicans eos, ſi ſententias relaxare noluerint, judicio Judæorum, ſubtrahendo ipſis communionem fidelium, ac fideles ipſos, ſi eis in aliquo communicaverint vel receperint ipſos in caſtris, villis, aut domibus ſuis, capiendo, incarcerando, & bonis propriis ſpoliando. Reſpondent procuratores prædicti, quod idem Rex contenta in articulo non fecit hactenus, & promittunt, quod non faciet in futurum; quod ſi contra per ſuos ſubditos factum fuerit, juſtitiæ complementum conquerentibus exhibebit de damnis, & injuriis ſatisfieri faciendo, & puniendo contrarium facientes, prout fuerint puniendi.

XX.

Sextus articulus eſt. Item ſi aliqui judices a ſede Apoſtolica, vel ab ordinariis delegati, aut etiam ipſi ordinarii pro aliquibus clericis contra communitatem aliquam ad Regem pertinentem eumdem, vel aliquos de ipſa communitate interdicti vel excommunicationis ſententiam ferunt, exigentibus culpis ſuis, interdicitur quandoque per Regem, ipſum, quandoque per officiales ſuos, quandoque per ipſam communitatem clericis ipſis commune commercium; & ne ipſos aliquis in ſuis domibus recipiat prohibetur, aqua & igne ipſis pœna ſuper hoc gravi appoſita iis, qui contra fecerint interdictis, & hæc officiales ipſius Regis & communitates per muros, & diſtrictum ſuum, ac alia loca voce faciunt præconia proclamari: nihilominus iidem clerici diffidantur, & bonis

spoliantur, & suis ecclesiasticis & paternis: id etiam fit ordinariis & eorum delegatis, & vicariis, si sententias ex aliquibus aliis causis ferant. Respondent procuratores prædicti, quod idem Rex nihil horum fecit hactenus, & promittunt, quod ipse in futurum non faciet, sed & fieri prohibebit: & quod si per suos subditos, communitates vel alias contra factum fuerit, justitiæ complementum conquerentibus exhibebit, de damnis & injuriis satisfieri faciendo.

Septimus articulus est. Item si contigit, quod locus aliquis vel ecclesia supponatur ecclesiastico interdicto, vel judex aut alius officialis Regis vel aliquis aut aliqui de ipso loco excommunicentur, statuunt inter se communiter, quod nullus solvat decimas, vel in testamento aliquid relinquat ecclesiæ seu oblationem aliquam ad ecclesiam ipsam ferat. Respondent procuratores prædicti & promittunt, quod idem Rex hoc fieri prohibebit, & prohibitionem suam faciet observari, de damnis & injuriis satisfieri faciendo, & puniendo contrarium facientes, prout fuerint puniendi.

XXI. *Octavus articulus est. Præterea præfatus Rex, & communitates ejus non permittunt episcopos ecclesiarum suarum civitatum, & diœcesum parochias limitare. Respondent procuratores prædicti, quod placet Regi, ut fiat hujusmodi limitatio per prælatos justa & æqua, & vocatis eis, quorum interest per edictum publicum proponendum in ecclesiis, de quorum parochiis limitandis agetur tribus dominicis diebus continuis infra missarum solemnia coram populo tunc præsente; ita quod dies ad faciendum limitationem præfixa in quolibet exprimatur edicto, ipsumque diem edictum in tertia dominica proponendum unius saltem mensis spatio antecedat. Quod si Rex ipse in aliqua ecclesiarum hujusmodi jus patronatus habuerit, erit tempore congruo ante faciendæ limitationis diem specialiter evocandus: & consentiunt prælati, quod si limitatio eis, quorum interest, non vocatis, ut dictum est, de cætero fuerit facta, non teneat: ita tamen, quod patroni, qui sunt barones, aut milites, vel filii militum non veniant personaliter, sed mittant procuratores, si velint: & promittunt prædicti procuratores, quod dictus Rex prælatos in hoc nullatenus impediet; sed observabit quæ prædicta sunt, quantum pertinebit ad ipsum, & faciet a suis subditis observari.*

De parochiis circumscribendis conventa.

Nonus articulus est. Item usurpat sibi ipse Rex & communitates ejus in quibusdam episcopatibus regni tertias decimarum ecclesiarum fabricis deputatas, & in quibusdam pontificales; & faciunt de ipsis tertiis construi & refici muros suos, & quandoque illas pro stipendiis Rex assignat militibus memoratis. Respondent procuratores prædicti, quod Rex consentit, quod tertia decimarum percipiatur ad muros construendos, vel reficiendos in illis dumtaxat ecclesiis, in quibus a fundatione ipsarum ecclesiarum hoc expresse actum est de consensu prælatorum: in aliis vero jus commune servetur; & promittunt dicti procuratores Regem in posterum servaturum: & hanc responsionem prælati pro bono pacis patienter acceptant.

Tertia decimarum pars sartis tectis templorum sacra.

Decimus articulus est. Item quod hospitalia seu albergarias pauperum usibus deputatas, quæ in episcoporum dispositione de jure consistunt, cum pertinentiis & possessionibus suis usurpant. Respondent procuratores prædicti, quod placet Regi, ut circa hoc servetur jus commune, & bonæ consuetudines: & promittunt, ipsum Regem in perpetuum servaturum.

Undecimus articulus est. Item quod compellit tam per se quam per communitates suas clericos & personas ecclesiasticas ad contribuendum in constructione, seu refectione murorum civitatum & locorum suorum cum locis, contra libertatem ecclesiasticam, nec non contra legem paternam. Respondent procuratores præfati, quod ipse Rex prædictas personas non compulit ad contributionem hujusmodi: & promittunt, quod non compellet in futurum, & quod contra injurantes in hoc ecclesiis, vel personis prædictis exhibebit justitiæ complementum.

Clerus ad conferendum aurum subsidiarium non adigendus.

Duodecimus articulus est. Item cogit colonos ecclesiarum & monasteriorum, ad hoc nullo jure obnoxios ad constructionem seu refectionem murorum hujusmodi: per quod contingit colonos suas deserere colonias, & possessiones devastari prædictas. Respondent dicti procuratores, quod Rex in hoc faciet observari, quidquid de jure communi fuerit observandum, salvis gratiis seu privilegiis, vel compositionibus, si comparuerint, quia de jure debeant observari.

Tertiusdecimus articulus est. Item quod personas ad ecclesias fugientes in illis casibus, in quibus debent per ecclesias defensari, violenter facit ipse ac sui per Saracenos & Judæos, vel per Christianos extrahi ab eisdem; vel facit eos ibi custodiri, vel compediri quandoque per suos satellites, & eis cibaria denegari, ut exire de ecclesia compellantur. Respondent procuratores prædicti, quod Rex non extrahet, nec extrahi faciet de ecclesiis fugientes ad ipsas, nec eis cibaria denegari, nisi in casibus a jure permissis.

XXIII. *Quartusdecimus articulus est. Item ipse ac meirini & judices capiunt presbyteros & clericos, irrequisitis eorum episcopis, nec volunt eos restituere, licet petantur ab eis. Item hujusmodi capti quandoque per ipsum & suos denegatis alimentis, vel per suspendium, aut modis aliis occiduntur,*

Ecclesiastici rei a sæculari judice non damnandi.

tur, quorum interdum aliqui parochianis ecclesiarum suarum ad eorum parochianorum instantiam importunam restituuntur cum cautione, ut missarum eis solemnia celebrent, quibus utique celebratis juxta formam cautionis præstitam, redduntur in pristinam captionem. Respondent procuratores memorati, quod idem Rex talia numquam fecit, nec tempore suo facta fuerunt: & promittunt, quod non faciet in futurum, & quod si aliquando persona ecclesiastica etiam ex causa capta fuerit, restituetur prælato suo ad requisitionem ipsius; & si injuriose capiatur hujusmodi persona, vel capta fuerit hactenus, justitiæ complementum conquerentibus exhibebit, faciendo satisfieri de damnis, & injuriis, & puniendo capientes, prout fuerint puniendi.

Quintusdecimus articulus est. Item quod sæpe minatur archiepiscopo & episcopis mortem, & quandoque procurat & facit eos inclusos in ecclesiis, monasteriis, & alibi detineri, Saracenis, Judæis, & aliis suis apparitoribus, prætoribus, & meirinis ad interficiendum eos adhibitis circumquaque: facit etiam amputari auriculas servientium episcoporum, & quandoque alios capi, & alios interfici coram eis. Respondent procuratores sæpedicti, quod idem Rex talia numquam fecit, & promittunt, quod ipse non faciet in futurum.

Illatæ ecclesiasticis injuriæ judicandæ.

Sextusdecimus articulus est. Item quod facit ipsos episcopos in aliquibus obsideri locis, per vasallos suos eosdem sæpe ac publice dehonestans, & contumeliosa verba proferens contra eos: & hoc idem temeritate propria barones sui faciunt & vasalli. Respondent procuratores prædicti, quod idem Rex non fecit aliquid de contentis in articulo, & promittunt, quod ipse non faciet in futurum, & quod contrarium facientes puniet, prout fuerint puniendi.

XXIV. *Septimusdecimus articulus est. Item quod idem Rex ac sui, tam barones, quam alii milites verbis & factis pro sui motus libito dehonestant religiosos, clericos, & conversos, & quandoque aliquos ex eisdem faciunt coram se denudari totaliter propriis indumentis in grave vituperium eorumdem, & totius ordinis clericalis. Respondent procuratores prædicti, quod idem Rex non fecit aliquid de contentis in articulo, & promittunt, quod ipse non faciet in futurum, & quod si per barones vel alios in regno suo factum fuit hactenus, vel fuerit in futurum justitiæ complementum conquerentibus exhibebit, de damnis, & injuriis satisfieri faciendo, & puniendo contrarium facientes, sicut fuerint puniendi.*

Octavusdecimus articulus est. Item quod facit inquisitiones per totum regnum per homines proprios, in ecclesiarum tam cathedralium quam aliorum de regno ipso præ-

judicium, super possessionibus & ecclesiarum patronatibus fieri, patronis ecclesiarum vel possessionum dominis ecclesiasticis non vocatis & si per talem inquisitionem illicitam, & iniquam invenit, quod juspatronatus alicujus ecclesiæ vel possessio aliqua spectet ad ipsum, illico facit omnia occupari, licet possessa fuerint ab eorumdem dominis a tempore, cujus memoria non existit; amotis nihilominus ab hujusmodi ecclesiis rectoribus violenter: cum in tali casu non per inquisitionem foret procedendum, sed in foro competenti judicium potius ordinandum. Respondent supradicti procuratores, quod idem Rex non fecit aliquid de contentis in articulo, & promittit, quod non faciet in futurum.

XXV. *Nonusdecimus articulus est. Item occupat episcoporum & aliorum ecclesias, quas a longis temporibus pacifice possederunt; & quod est absurdius, præsentatos a fede ad hujusmodi ecclesias ipsos compellit admittere, ac instituere in eisdem: quod si forte aliqui ex ipsis finaliter nolunt admittere hujusmodi præsentatos, idem Rex per homines suos facit detineri easdem, ac fructus, & proventus ipsarum per eos percipit ex eisdem. Respondent procuratores præfati, quod idem Rex talia nusquam fecit hactenus, & promittunt ipsum Regem ea non facturum in futurum.*

Pastores ecclesiis non intrudendi.

Vigesimus articulus est. Item si ad vacantem ecclesiam in discordia diversas patroni diœcesano episcopo præsentant personas, & ipse discussis causæ meritis de altero præsentatorum, vel alio forsitan ecclesiam ordinat juxta canonicas sanctiones, dum ille de quo ecclesia providetur per aliquorum ex patronis violentiam corporalem nanciscitur possessionem non potest, si tunc diœcesanus ad hoc dicti Regis invocet brachium, ipse non solum non defendit eumdem, immo facit injuriam inferenti, hoc ipsum servans in omnibus, quæ sunt contra ecclesiasticam libertatem. Respondent præfati procuratores, quod idem Rex nihil eorum, de quibus præmissus articulus querelam continet, fecit hactenus, & promittunt, quod ipse non faciet in futurum, & quod brachium suum contra facientes injuriam in præmissis, quando fuerit invocatum, exhibebit sicut jura volunt.

XXVI. *Vigesimusprimus articulus est. Item quod prætextu exercendæ justitiæ punit non modestos & timoratos meirinos, & submeirinos, qui exactiones in ecclesiis faciunt, sicut volunt: & cum de stipendiis quæ ab ipso Rege percipiunt, sustentari deberent, cum intolerabili evectionum, & personarum multitudine in ecclesiis, monasteriis, & cameris, seu capellis, & possessionibus episcoporum, & Templariorum quoque, ac Hospitalariorum domibus, & aliis pits locis, & eorum possessionibus hospitantur, per loca hujusmodi passim, & as-*

& assidue discurrentes, de bonis eorum sibi faciunt necessaria ministrari: id ipsum etiam a baronibus, judicibus, & aliis officialibus dicti Regis, & quibuslibet aliis perpetrantur. Respondent supradicti procuratores, quod idem Rex talia non fecit hactenus, & promittunt, quod ipse non faciet in futurum; & quod si talia tempore patris sui vel suo per alios facta dicantur, exhibebit conquerentibus justitiæ complementum, de damnis & injuriis satisfieri faciendo, & delinquentes puniendo, prout fuerint puniendi.

Creandi magistratus Deum timentes.

Stipendia ab ecclesiasticis non corradenda.

Vigesimus secundus articulus est. Item quod ab illis ecclesiis, in quibus jus obtinet patronatus, procurationes immoderatas, seu servitia onerosa de novo exigit, & ad dandum sibi equitaturas, si habeant, & ad emendum pro ipso quales sibi placet, si non habeant, earumdem compellit rectores. Respondent procuratores præfati, quod idem Rex de iis omnibus nihil fecit, & promittunt, quod non faciet in futurum; & specialiter quod procurationes non recipiet, nisi sibi debitas, & illas recipiet moderatas.

XXVII. *Vigesimus tertius articulus est. Item quod si aliquis balivus vicarii, officialis, seu major domus terræ Regis, baronis, seu cujuscumque alterius ab eo terram tenentis in beneficium, vassallo seu cuilibet alii homini alicujus episcopi, clerici, vel religiosi crimen impingit aliquod, trahens super hæc eum in causam coram terræ judice, ut ea possit occasione pecuniam extorquere, non permittitur ei a supradictis potentibus in illa terra, quod contra eas habeat advocatum; nec judex est ausus de advocato sibi, ut de jure tenetur, & consuetudine providere: nec ausus foret advocatus aliquis aliunde adductus advocationis inibi pro eo uti officio contra eos. Respondent prædicti procuratores, quod idem Rex habet in domo sua advocatos, quibus dat portionem & vestitum, quod advocent pro populo & clero, & contra eum, si necesse fuerit: unde credunt, quod dictum est superius Regem non audivisse, nec sciviſſe, quod factum fuisset; quia si scivisset, fecisset emendari: & promittunt, quod Rex præcipiet, quod de cætero hujusmodi non committantur; & quod placet eidem Regi, quod quilibet in terra sua libere habeat advocatum, & quilibet advocatus libere præstet patrocinium, sicut ei competit; & quod judices non habentibus advocatos, libere de ipsis provideant; & quod si contra factum fuerit, querelantibus emendabit.*

Eligendi patroni causarum concessa libertas.

XXVIII. *Vigesimus quartus articulus est. Item quod quando barones aut alii milites recipiunt castra a Rege tenenda, & servanda pro stipendiis propriis, faciunt ei homagium, quod sibi irato & pacato in omnem eventum restituent castra sua: alioquin remanebunt exinde proditores. Hujusmodi autem castellani, ingruente guerra, vel ut avaritiæ suæ satisfaciant, fingentes guerram in vicino futuram, ipsi & sui bladum, vinum, vaccas, porcos, & alia victui necessaria ab ecclesiis episcoporum, & aliis clericis, ac hominibus eorumdem ad castra hujusmodi munienda, ut dicunt, accipiunt indifferenter, & sive guerra superveniat sive non, nullo modo restituunt sibi ablata, nec Rex eos ad restitutionem compellit, nec barones aut quoslibet milites terram ab eodem Rege seu baronibus ipsis tenentes, & alios quoscumque nobiles, & potentes, qui singuli in locis suis episcoporum, & cathedralium, aut aliarum ecclesiarum; monasteriorum quoque & cæterorum religiosorum, seu etiam clericorum homines, & clericos ipsos, in quibus nullum omnino jus habent, ad faciendum eis servilia pro suæ voluntatis libito compellunt, invitos * cohibet Rex prædictos; sed permittit potius hujusmodi servitutes in possessiones & homines ecclesiarum induci, nec defensat eosdem. Respondent procuratores præfati, quod idem Rex nihil horum suo tempore factum audivit, & promittunt, quod si ad eum super iis querela perveniat, querelantibus justitiam exhibebit: & exprimunt, quod si bladum & alia victualia propter imminentem guerram capiantur in locis limitrophis, sive quæ sunt in confinio, in quibus hoc est consuetum, ipse Rex faciet exinde satisfieri, etiam si guerra in veritate immineat: si vero capta fuerint aliqua propter guerram non imminentem, sed malitiose confictam, non solum satisfieri faciet, sed & puniet facientes, quodque ab hominibus ecclesiarum quarumlibet regni sui, sive monasteriorum, vel religiosorum, aut etiam clericorum non permittet exigi servitia non debita; & quod si per barones, vel milites, seu quoslibet alios contrarium factum fuerit, querelantibus exhibebit justitiæ complementum.*

* vid

Compescendæ præfectorum arcium rapinæ.

XXIX. *Vigesimus quintus articulus est. Item quod ipse Rex inducit servitutes episcopis, abbatibus, prioribus, & aliis, compellendo eos, ut portarios suos teneant, & pro eis tenendis majori suo portario certam summam pecuniæ tribuant, & eisdem portariis alias provideant in salario & expensis. Respondent procuratores prædicti, quod licet a tempore avi & proavi dicti Regis, & etiam patris sui portarii positi fuerint in prædictis locis per ipsos; ipse tamen Rex ad instantiam prælatorum concessit eis, ut de cætero contra voluntatem suam portarios habere non compellantur, nec eis provideant in salario vel expensis, nisi quando eis placuerit habere portarios ad voluntatem suam, si sibi & ecclesiis suis viderint expedire: & tunc portarii, quos habuerint, provideant de salario competenti, & major portarius, quando prælatis & personis ecclesiasticis concedit minores portarios, salarium recipiat moderatum: & promittunt ipsi procuratores, eamdem Regem dictam concessionem perpetuo servaturum.*

Vigesimussextus articulus est. Item si aliqua ecclesia rationabilem de aliquibus possessionibus permutationem diœcesani sui facit auctoritate cum alia, vel ipse diœcesanus cum alio, dictus Rex, ut ecclesiarum solummodo profectum impediat, frequenter obstaculum interponit. Respondent procuratores præfati, quod idem Rex contenta in articulo nunquam fecit, & promittunt, quod non faciet in futurum.

Vigesimusseptimus articulus est. Item quod præficit Judæos indifferenter contra generalis statuta concilii, legemque paternam in officiis publicis Christianis, quos ad deferendum signum, quo a Christianis qualitate habitus distinguantur, compellere deberet, prout in generali concilio est statutum: propter quod damnatæ commixtionis excessus, sub erroris potest velamento præsumi; nec ipsos Judæos ad debitas decimas persolvendas compelli permittit. Respondent supradicti procuratores, quod idem Rex quantum est ad Judæos, quod non præferantur Christianis in officiis publicis, servabit quod super hoc statutum est in concilio generali: quantum est de signis, quod distinguet Judæos a Christianis per aliquod signum: quantum est de decimis Judæorum; respondent, quod ipse permittet eos compelli, & promittunt ipsum Regem ita perpetuo servaturum.

Judæi publicis muneribus eliciendi.

Signo distinguendi.

XXX. *Vigesimusoctavus articulus est. Item si quæ ecclesiæ cathedrales vacent, idem Rex majorem sibi auctoritatem vendicare intendens in eis, pro clericis familiaribus suis, vel aliis minus dignis, de quibus sperat quod in ecclesiarum negotiis, seu dispositionibus eorumdem, ejus sequentes arbitrium, ipsas ecclesias contra eum in suis juribus & libertatibus non defendent, capitulis ecclesiarum hujusmodi universaliter, & singulariter singulis suas literas mittit, precibus exigens, & minis gravibus, & terroribus interjectis, ut nullum omnino in episcopum eligant, nisi quem ipse in hujusmodi literis nominat, vel per suos facit nuntios nominari. Hoc idem in aliis ecclesiis minoribus facit, quibus est per electionem de prælatis vel rectoribus providendum. Respondent procuratores præfati, quod idem Rex si preces aliquando porrexit pro aliquibus eligendis in ecclesiis cathedralibus aut aliis, pro dignis interposuerit partes suas, nullis super hoc minis vel terroribus interjectis, & quod super hoc non gravavit, nec intendit gravare ecclesias vel canonicos: & promittunt Regem ita perpetuo servaturum, nec in suis precibus adjecturum, quod nullus alius eligatur, nisi is, pro quo direxerit preces suas.*

Restricta in designandis episcopis libertas.

Vigesimus nonus articulus est. Item quod nititur ad forum suum testamentarias, & alias ecclesiasticas evocare causas, defunctorum clericorum occupando legata, ac rectorum ecclesiarum decedentium bona ipsarum ecclesiarum intuitu acquisita. Respondent procuratores sæpedicti, & promittunt, quod Rex in isto articulo jus commune servabit.

Ecclesiasticæ causæ ad forum sæculare non trahendæ.

Deinceps sequuntur articuli, sicut formati fuerunt in literis domini Gregorii Papæ X. super iis de quibus prælati dicti una cum præmissis articulis prædicto domino Clementi oblatis, eidem domino Papæ Gregorio conquesti dicuntur.

XXXI. *Trigesimus articulus est, inter alia quidem quæ nostris sunt auribus intimata, mirantes audivimus, &c.* Prætermittimus ea silentio, cum jam ante a nobis ex ipsis præcipua fuerint suo loco recensita, (a) quæ regii procuratores inficiantur, ac spondent, Dionysium ecclesiasticum jus in iis nunquam violaturum, compressurumque regia auctoritate eos, qui vim ecclesiis intulerint. *Actum Romæ in ecclesia sanctæ Mariæ majoris anno Domini MCCLXXXIX. indictione 11. pontificatus prædicti domini Nicolai Papæ IV. anno 1. die duodecima mensis februarii præsentibus venerabilibus patribus, dominis G. Mimatensi & ... Ægitanensi episcopis, ac venerabilibus viris magistro Berardo de Neapoli domini Papæ notario, domino fratre Roderico Compostellano, & magistro Garsia Segontino electis; ac discretis viris domino Fernando Roderici decano ecclesiæ Abulensis magistris, Laurentio scholastico Voratisslaviensi.* Et infra: *Nos miseratione divina frater Latinus Ostiensis, & Velletrensis episcopus, Petrus tit. S. Marci presbyter, & Benedictus S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinales prædicti ad majorem præmissorum, omnium firmitatem & certitudinem pleniorem præsens publicum instrumentum sigillorum nostrorum fecimus appensione muniri.*

(a) *Ann.* 1273. *n.* 25. 26.

XXXII. Conventa inter regios oratores & præsules confirmata a Nicolao.

Cum his Lusitani Regis oratorum responsis præsules acquiescerent, nec enim regium obscurare honorem, sed juri ecclesiastico consulere affectabant; atque etiam memorati oratores sponderent, Regem Dionysium promissa ab ipsis summa religione servaturum; Pontifex conventa inter ipsos Apostolica auctoritate corroboravit. Quæ ne facile a Regibus violarentur, censuras, si ab his deficerent, objecit (b).

(b) *Lib. 1. ep. cur.* 51.

Nicolaus &c. ad perpetuam rei memoriam.

De fratrum nostrorum consilio ad eorumdem archiepiscopi (scilicet Bracharensis) *& episcoporum Colimbriensis, Silvensis, & Lamecensis, nec non & procuratorum sup-*

plicationis inſtantiam, compoſitionem prædictam, quantum ad reſponſiones factas ad articulos in dicto inſtrumento contentos, & omnia quæ in reſponſionibus continentur eiſdem, auctoritate apoſtolica confirmantes, & præſentis ſcripti patrocinio munientes, ordinamus, providemus, decernimus, atque ſtatuimus in omnibus & ſingulis articulis in inſtrumenti præfati tenore noſtris, ut prædicitur, annotando literis comprehenſis, ea quæ in prædictis factis ad eos reſponſionibus continentur, tam ab ipſo Rege Dionyſio, & ejus ſucceſſoribus, qui continuata temporum, & ſucceſſionum perpetuitate in ſæpefato regno ſucceſſerint, quam a quibuſlibet officialibus, & miniſtris ipſius; nec non & baronibus, cæteriſque habitatoribus regni ejuſdem, prout ſingulis eorum competit, inviolabiliter obſervanda.

XXXIII. *Quod ſi per eumdem Regem Dionyſium aut prædictorum ſucceſſorum, officialium, miniſtrorum, & habitatorum aliquem contra prædictam compoſitionem, & hæc noſtra confirmationem, ordinationem, proviſionem, decretum, ſive ſtatutum, quicquam fuerit temeraria præſumptione commiſſum, & idem Rex vel quivis ejus ſucceſſor, qui pro tempore præerit regno prædicto, monitus per loci ordinarium, in quo id commiſſum fuerit, vel ipſo extra terram præfati Regis abſente, per ejus vicarium, vel per capitulum eccleſiæ cathedralis, eccleſia ipſa vacante, id infra duos menſes non emendaverit, vel ſicut ad ipſum pertinebit, non fecerit emendari, ex tunc capella ipſius eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: ita tamen, quod hujuſmodi prima monitio ſive per ordinarium, ſive per vicarium, ſive per capitulum, eam, ut prædicitur, fieri contingat de conſilio, & aſſenſu archiepiſcopi Bracarenſis, qui pro tempore fuerit, vel duorum epiſcoporum; & ſi propter commiſſum in civitate, vel diœceſi Bracarenſi fuerit facienda, de conſilio & aſſenſu ſaltem unius epiſcopi de regno prædicto procedat.*

Objectæ eas violantibus Regibus Luſitanis pœnæ.

XXXIV. *Quod ſi poſt lapſum duorum menſium prædictorum iterum monitus per ordinarium, vel vicarium, aut capitulum memoratos, per alios duos menſes in contumacia non emendandi, vel faciendi emendari perſtiterit, loca quælibet, ad quæ ipſum contigerit declinare, quamdiu inibi præſens fuerit, ſimili ſubjaceant interdicto. Rurſum ſi forte poſt lapſum quatuor menſium prædictorum ſimiliter per ordinarium, ſeu vicarium, aut capitulum tertio monitus aliorum duorum menſium ſpatio in hujuſmodi contumacia manſerit obduratus, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrat, quam ex nunc in eum caſum ferimus in eumdem.*

Intentatum iis anathema ſi moniti non reſipuerint.

XXXV. *Omnes autem præmiſſas monitiones tam primam, in qua ſolum debent archiepiſcopi Bracarenſis, vel duorum epiſcoporum, ut præmittitur, aut unius epiſcopi, cum contingit monitionem fieri ob commiſſum in civitate, vel diœceſi Bracarenſi, requiri conſilium & aſſenſus; quam ſequentes alias, in quibus non ſunt conſilium, & aſſenſus hujuſmodi requirenda, in ſcriptis fieri mandamus, & in eis offenſam exprimi, ſuper cujus emendatione Rex ejus temporis admonetur. Prælati vero, ac eorum vicarii, & cathedralium eccleſiarum vacantium capitula diligentius caveant, ne ad ipſas ſine rationabili & neceſſaria cauſa procedant*

XXXVI. *Porro, ſi quod abſit, Rex aliquis Portugalliæ taliter monitus prædictus pœnas animo contempſerit pertinaci, non immerito poterit formidare, quod non ſolum ad generale interdictum totius regni prædicti, & cujuſlibet alterius terræ ſuæ; ſed etiam ad abſolutionem vaſſallorum ejus ab obſervatione juramentorum fidelitatis & homagii, quibus ſibi aſtricti fuerint; & ad interdicendum eidem Regi, ne jure patronatus, ſi quod habet in dicti regni eccleſiis, uti poſſit, ſedes memorata procedet, prout ſibi expedire videbitur, & facti qualitas ſuadebit. Per hæc autem prælatis dicti regni procedendi ex officio ſuo in aliis caſibus, qui compoſitionem hujuſmodi non contingent, non adimimus poteſtatem: ſed eis libera, prout a jure conceditur, ſit facultas.*

Incutiendæ aliæ pœnæ, ut ad officii religionem revocentur.

XXXVII. *Sane ſicut compoſitionem, confirmationem, ordinationem, proviſionem, decretum, ſtatutumque prædicta quoad præfatos articulos comprehenſos in tenore prædicto volumus inviolabiliter obſervari; ſic de conſueta ejuſdem ſedis benignitate concedimus, ut ſi memoratus Rex Dionyſius, aut dictorum ſuorum quilibet ſucceſſorum præfatas interdictorum, & excommunicationis ſententias a nobis latas incurrerit, & deinde ad cor rediens plene ſatisfacere ſit paratus; ita quod ille, qui monitionem fecerat, vel eo extra dictum regnum abſente, ipſius vicarius, exinde merito ſit contentus; ſatisfactionem hujuſmodi præſtita, eo ipſo interdicta ſint eadem relaxata; quodque ipſe Rex, ſive ſucceſſor a ſententia excommunicationis per ſuum confeſſorem in forma Eccleſiæ auctoritate noſtra abſolvi poſſit, injuncta ſibi pœnitentia ſalutari, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem non. maii anno* II.

XXXVIII. His conſtitutis, Pontifex ſacrorum uſum Luſitaniæ reſtituit, & omnibus, qui anathematis vinculis violatæ libertatis eccleſiaſticæ cauſa devincti erant, a ſacerdotibus impetrandæ abſolutionis poteſtatem contulit (*a*).

(*a*) *Lib.* I. *ep. cur.* 102.

Sacrorum uſus Luſitaniæ redditus.

Nicolaus &c. ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum.

Incolis dicti regni (nempe Luſitani) *tanto tempore divinorum ſacramentorum* par-

participatione privatis pio compatientes affectu, & deſiderantes in hoc eis ſalubriter & celeriter providere, prædictas interdicti ſententias in conſiſtorio publico ad hoc ſpecialiter congregato, ad inſtantem & humilem ſupplicationem prælatorum & procuratorum eorumdem, ex conſueta ſedis Apoſtolicæ benignitate, de ipſorum fratrum conſilio duximus relaxandas; univerſis & ſingulis prælatis, religioſis, clericis, laicis regni præfati, qui contra dictam ordinationem ſive proviſionem prædeceſſoris ejuſdem (nempe Gregorii X.) *temere veniendo, excommunicationis ſententiam incurrerint, ut a ſuis ordinariis vel, ipſis abſentibus, ab eorum vicariis, vel aliqua prædicti regni eccleſia cathedrali vacante, a vicariis, ſeu vicario quoad ſpiritualia, in eadem in forma Eccleſiæ auctoritate apoſtolica ab hujuſmodi ſententia poſſint abſolvi: ipſiſque ordinariis, ac vicariis eos abſolvendi & diſpenſandi cum illis perſonis eccleſiaſticis, quæ ſic ligate ſe immiſcendo divinis, irregularitatis maculam contraxerunt, liberam concedentes tenore præſentium facultatem, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem* x. *kalend. aprilis an.* I.

XXXIX. Significavit Pontifex Dionyſio Luſitaniæ Regi cenſuras benignitate apoſtolica diſſolutas, quas ob tranſgreſſam Gregorii X. conſtitutionem contraxerat; ea tamen lege, ut excurrente quadrimeſtri ſpatio, ſacramento ſponderet promiſſa ab oratoribus religioſe ſervaturum. Præterea (*a*) Minoritarum & Prædicatorum Oliſponenſem præfectis provinciam impoſuit, ut Regem cenſuris exſolverent: ac formam literarum præſcripſit, qua Rex ipſe datæ ab oratoribus fidei nunquam defuturum in ſolemnibus regni ordinum conventibus promulgaturus eſſet, ſubjectis verbis conceptam (*b*).

Dionyſii cenſuris ſolvendi data auctoritas.

(*a*) Ib. ep. 100.

(*b*) Ib. ib.

Nos Dionyſius, Dei gratia, Portugalliæ & Algarbii Rex notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod pridem in Romana curia, &c. Pluribuſque interjectis, quibus geſtæ rei ſeries a nobis expoſita narratur, ſubjungit: *Nos itaque in hac noſtra generali curia dictas petitionem abſolutionis per eoſdem procuratores noſtros, ac juramenti præſtationem per memoratum cantorem*, nimirum Petrum Elborenſem, *factas, necnon præmiſſam compoſitionem ac omnia & ſingula, quæ cum archiepiſcopo*, ſcilicet Bracharenſi, *& epiſcopis memoratis*, erant ii Colimbrienſis, Silvenſis, & Lamecenſis antiſtites, *per ſæpefatos procuratores noſtros acta ſunt, noſtro nomine in præmiſſis, ratificamus, acceptamus, & approbamus, ex certa ſcientia, tanquam nomine noſtro acta, & præfatis confirmationi, ordinationi, proviſioni, ſtatuto, atque decreto ejuſdem ſummi Pontificis conſentientes expreſſe, promittimus vobis religioſis viris priori Prædicatorum & guardiano Minorum fratrum ordinum Ulixbonenſium, in hac curia noſtra præſentibus, ac eorumdem ſummi Pontificis & eccleſiæ Romanæ nomine ſolemniter ſtipulantibus, & promiſſionem noſtram recipientibus ex conceſſa vobis ad hoc per ſedem Apoſtolicam plena & libera poteſtate; nos & ſucceſſores noſtros prædictos, quos omnes & ſingulos ad hoc ſpecialiter obligamus, dictam compoſitionem ac prædicta omnia ac ſingula, prout ad nos ac ſucceſſores ipſos pertinet, plenarie impleturos & perpetuo inviolabiliter ſervaturos; vobis præſentes patentes literas, plumbeo noſtro regio ſigillo pendenti munitas, ejuſdem eccleſiæ Romanæ nomine juxta formam vobis a ſede Apoſtolica deſtinatam, in perpetuum teſtimonium concedentes. Dat. in noſtra generali curia.* Plura alia de redintegrato in Luſitania jure eccleſiaſtico occurrunt, quæ ne lectorem fatigemus, præterimus; ſuperiora vero quæ prolixiora forte cuipiam videri poterunt, licet brevitati ſtudeamus, ob eorum tamen dignitatem contrahere non licuit. Antequam vero ex Hiſpanicis rebus noſtra digrediatur oratio, quæ in Caſtella gerentur, percenſenda.

Præſcripta illi pro redintegrando jure eccleſiaſtico forma.

XL. Inſtauravit cum Philippo Francorum Rege pacem Sanctius Caſtellæ & Legionis Rex, cum ante diuturnum bellum cum ipſo atque Alfonſo ipſius patre ob Ferdinandi filios ſceptri ſucceſſione excluſos geſtum eſſet. Quam rem Sanctio mox Nicolao ſignificante, deprecanteque ut quam tertio conſanguinitatis gradu conjunctam duxerat uxorem ſibi retinere liceret, ſanctiſſimus Pontifex de conciliata pace eſt gratulatus: ad petita vero reſpondit (*c*) ſe nondum certi aliquid in ea re ſtatuere poſſe.

Inita inter Sancium Caſtellæ, & Philippum Francor. Reges concordia.

(*c*) *Lib.* I. *ep.* 611.

Chariſſimo in Chriſto filio Sanctio Regi Caſtellæ ac Legionis illuſtri.

Venientes ad Apoſtolicam ſedem dilectos filios archidiaconum de Salnes in eccleſia Compoſtellana, & fratres Gundiſalvum, ac Nicolaum ordinis Minorum Regiæ celſitudinis nuncios libenter vidimus, & affectuoſe recepimus intuitu deſtinantis, eis benignam audientiam tribuentes. Per quorum ſolertem induſtriam, te noſtris & Apoſtolicæ ſedis obſequiis tamquam devotionis & reverentiæ filius promptum offerens & paratum; ac etiam expreſſe notificans, te pridem cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo Rege Francorum illuſtri pacis fœdera reformaſſe, nobis inſtanter & humiliter ſupplicaſti, ut tecum ſuper matrimonio per te dudum cum quadam nobili muliere tibi tertio conſanguinitatis gradu conjuncta contracto, ut in eo remanere licite valeas diſpenſare de ſolitæ benignitatis clementia dignaremur, præ-

Rem Nicolao ſignificat Sancius.

Petit legem de conjugiis ad ſuam & uxoris gratiam ſolvi.

præfato Rege per nuncios proprios ad sedem destinatos eamdem dispensationis hujusmodi gratiam pro te cum instantia postulante. Sane, fili charissime, tuam nolumus latere notitiam, quod ab olim ante nostræ promotionis exordium personam regiam, suique honoris felicia incrementa, speciali quadam affectione dileximus & continuatis benevolis studiis, quæ sinceritas mentis fovet, diligere non cessamus; amplo desiderio cupientes, ut in cunctis sic te prudenter & provide dirigas, sic laudabiliter tuos actus & opera veluti princeps catholicus, e devota prosapia genitus modereris, ut Regi Regum, per quem regnas, & regeris, jugiter occurras acceptior, magisque in ejus reddaris oculis gratiosus, ac in orbe terrarum nominis tui fama clarioribus titulis augeatur. Porro hujusmodi oblationem regiam per eosdem ut præmittitur nuncios nobis factam eo ubertoribus actionibus prosequimur gratiarum, quo ex devotionis affectu processisse conspicitur potioris. Placet quoque nobis pacis reformatio supradictæ.

Hortatur ipsum Pon. ad regnum præclare gerendum.

De fœdere inito gratulatur.

Super dispensationis autem postulatæ negotio, certum magnitudini regiæ responsum ad præsens mittere non valemus, impedimento multiplici, quod in hac parte ingeritur, obsistente; quamquam libenter affectibus regiis, quantum cum Deo possumus, annuamus: sed tandem habita super hoc certitudine pleniori disponimus nostræ in hoc intentionis propositum tibi, cum expedire videbitur, plenius aperire. Rogamus igitur serenitatem regiam & hortamur attente, quatenus moleste non feras, si petitionem regiam, super hujusmodi nobis dispensatione porrectam, ad exauditionis gratiam in præsentiarum non duximus admittendam: licet tibi, utpote filio prædilecto, apostolici favoris suffragium in iis, quæ te contingere dignoscuntur, impendere actore Domino intendamus. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem II. *non. novembris anno* II

(a) *Lib. 3. ep. 328.* Permiserat (*a*) porro antea Pontifex idem, ut Salamantinus episcopus eos Ecclesiæ conciliaret, qui bello civili flagrante dum tenebat ob ejectum regno Alfonsum Sancii patrem interdictum, res sacras peragendo anathemate erant devincti.

XLI. Jam ad res Gallicas orationem convertamus, ubi primum occurrit, monitum (*b*) etiam a Nicolao Philippum Francorum Regem, ut improbam legem rescinderet, qua cautum erat, ne episcopi procuratorum opera, sed præsentes in regia Gallica judicio disceptarent: unde & divinus cultus obsolescebat in ecclesiis, & animarum saluti detrahebatur.

(b) *Lib. 2. ep. 127.* Ecclesiasticos tuetur Nicol. contra laicorum potentiam.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

Nuper ad nostrum pervenit auditum, quod in curia ipsa (regia nimirum) *quamvis, ut dicitur, viris decorata prudentibus, non absque juris injuria statutum seu consuetum, ut patriæ verbis utamur, fore dignoscitur, quod in ea nulli prælatorum regni prædicti per procuratorem, quantumlibet legitime constitutum, agere liceat, vel actionem etiam modicam quomodolibet intentare; quamobrem iisdem prælati, prout fide dignis aperitur affatibus, & attenta facti consideratio suggerit, multipliciter prægravantur, eo quod pro causis ecclesiarum suarum & suis in curia pro tempore motis eadem; nec non compelluntur anno quolibet causis ipsis durantibus per longi temporis spatium moram in illa contrahere personalem, & ab ecclesiis abesse per consequens memoratis, non absque illarum detrimento permaximo, & gravi etiam periculo animarum, quarum est eis cura, & solicitudo commissa: ut labores plurimos, tædia grandia, & expensas innumeras, quæ occasione hujusmodi subire coguntur, sera silentii concludamus.*

Iniqua in Galliis consuetudo, ut episcopi procuratorum opera lites persequi non possent.

XLII. Eam rescindi jubet Nicolaus.

Cum itaque statutum seu consuetum hujusmodi, utpote juri contrarium, dissonum æquitati, & ut dicitur, ab observantiis & consuetudinibus subditorum tuorum jurisdictionem exercentium alienum, a te non debeat aliquatenus tolerari; præsertim cum Deo displiceat, & claris titulis deroget regiæ dignitatis; excellentiam tuam rogamus & hortamur attente, ac pro tui honoris augumento requirimus ex affectu, quatenus ob divinam & Apostolicæ sedis reverentiam prælatis, ecclesiis, & animabus eisdem regia pietate compatiens, statutum, seu consuetum ipsum; cum ex eo, prout asseritur, profectibus regiis nil accrescat, & prælatis ecclesiisque prædictis multipliciter sit damnosum; sublato difficultatis obstaculo revocare, vel saltem temperare procures, ulterius minime resumendum; de benignitate regia permittendo, ut iidem prælati, quos una cum ipsorum ecclesiis tibi propensius commendamus, per eorum procuratores idoneos in suis, & ecclesiarum suarum causis seu litibus, prout de jure fuerit, admittantur. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem idus aprilis anno II.

In Germania Coloniensis ecclesia a nonnullis magnatibus, qui fœdera inter se percusserant, nimirum duce Brabantiæ, Henrico e Juliaco & Adolpho e Monte comitibus, gravissime oppressa ingemuit. Siffridusque archiepiscopus ab iis captus superiori anno, atque in vincula non sine suorum strage conjectus, cum is conjunctus, cum Gueldriæ comite, a quo Joannes Brabantiæ dux Limburgensem comitatum repetebat, suæ defensurus ecclesiæ jura apud Waronc deletus esset, de quo prælio Hocsemius (*c*): *Anno*, inquit, *Domini MCCLXXXVIII. die*

XLIII. Siffridus archiep. Colonien. acie victus conjectusque in vincula a conjuratis principibus.

(c) *Hocsem. l. 1. c. 16. In Joanne Guidonis Stero Althamensis in annal. Ebehard. in annal. Jo. Villan. l. 7. c. 132. S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 6. §. 7. Meyerus in ann. Fland. l. 10. Matth. Vossii annal. Hollan. Zelandiæque l. 4.*

die sabbati nonas junii in die Bonifacii bellum apud castrum de Vvaronc famosum committitur & insigne, &c. agit de his fusius, belliquæ causas & seriem enarrat. At Pontifex dignitatis ecclesiasticæ tuendæ solicitus, cum necdum hoc anno laxatus vinculis Siffridus esset, Henricum (*a*) Juliacensem, ducem Brabantiæ (*b*), aliosque fœderatos, archiepiscopum custodia emittere libertatique reddere justit. Ne vero, si in scelere obstirmati, essent, ferrent impune, Trevirensi archiepiscopo provinciam imposuit (*c*), ut anathemate bonorumque mulcta intentatis ad laxandum vinculis archiepiscopum illos compelleret,

(a) *Lib. 2. ep. 373.* (b) *Reg. post cand. ep.* Ejus causam suscepit Nicolaus. (c) *Ib. ep. 371. Ext. in formul. Mar. Eluli MS. Vatic. pag. 345. n. 3237.*

Venerabili fratri archiepiscopo Trevirensi.

Eo argumento ad archiep. Trevirensem literæ.

Nefandæ præsumptionis excessus, in personam venerabilis fratris nostri Sifridi Colonien sis archiepiscopi, magni utique ac honorabilis Ecclesiæ Dei membri, per impietatis filios, iniquitatis alumnos, Joannem ducem Brabantiæ, Henricum de Juliaco, & Adulphum de Monte comites ecclesiæ Colonien sis vassallos, & eorum in hac parte complices & fautores temeritate damnabili perpetratus; prout ipsius ecclesiæ validus clamor insinuat, & querulis famæ divulgantis affatibus aperitur; nuper Apostolicæ sedis auditum perculit, turbavit mentem, & ejus intima, quasi diri doloris aculeus sauciavit. Audivimus etenim, quod dux & comes supradicti propriis non contenti limitibus, & temerariis ausibus data licentia, scelestisque operibus relaxatis habenis, contra fidelitatis debitum, quo eidem tenentur ecclesiæ, temere venientes, conspirationem, conjurationem, & confœderationem cum civibus Colonien sibus, adversus prædictos archiepiscopum, & ecclesiam nequiter inierunt; & tandem præconceptam nequitiam producentes in partum, fœdaque claustra malitiæ reserantes, terram ipsius ecclesiæ cum armatorum multitudine copiosa hostiliter invaserunt. Cumque castrum Vvorinc prope civitatem Colonien sem constitutum, & ad eandem, ut dicitur, ecclesiam pertinens, ubi tunc idem archiepiscopus morabatur, arctius obsedissent; possessiones, & bona ipsius ecclesiæ in circumadjacentibus consistentia partibus multimodis quasi grassantibus, ac efferatis animis dissipantes, redditus, & proventus ejusdem ecclesiæ ibidem inventos ignis incendio concremando; memoratus archiepiscopus tantis non indigne commotus injuriis, tantis, & tam gravibus damnis, quæ in conspectu ejus sibi ac eidem inferebantur ecclesiæ, non immerito provocatus; ac intendens, prout spectabat ad eum, pravis illorum conatibus obviare, congregata non modica ipsius ecclesiæ copia vassallorum, qui sibi super hoc favorabiliter assistebant, contra ducem, comites, & alios

Tres conspirationis auctores.

Tres conspirationis auctores.

Coitionem cum Colonien sibus iniere.

Archiepiscopum in arce Vvorinc obsidione cinxere.

supradictos exivit prout poterat, resistendo.

XLIV. Contrahentem copias prælio superarunt.

Demum dux, comites, & alii prælibati, suo ad malum directo proposito, & manibus extensis ad scelera in eumdem archiepiscopum, & gentem ipsius impie irruentes, ac in gentem ipsam furentibus gladiis sævientes immaniter; illum, venerabilem utique Christi ministrum, & pontificalis dignitatis titulis reverendum, gravibus lacessitum injuriis, saturatum probris, & afflictionibus contumeliosis affectum capere ausu sacrilego præsumpserunt, eum carceralibus vinculis temeritate damnabili mancipantes, quem adhuc detinere dicuntur taliter mancipatum; nihilominus prædictam Colonien sem ecclesiam in possessionibus, & bonis ipsius multipliciter lædere, perturbare, & opprimere non desinentes, in grandem divinæ Majestatis offensam, Apostolicæ sedis contemptum non modicum, plurimorum scandalum, & grave animarum fidelium, quarum eidem archiepiscopo cura commissa dignoscitur, detrimentum. Et quamquam per nonnullos prælatos, & alias ecclesiasticas sæculares que personas, qui eisdem archiepiscopo & ecclesiæ super tantis gravaminibus, injuriis, & jacturis pio compatiuntur affectu, penes ducem, comites, & alios sæpedictos sit hactenus multipliciter laboratum, ut ipsi propriæ saluti, & famæ salubriter providentes, eumdem archiepiscopum pristinæ restituerent libertati, ab ipsius ecclesiæ turbationibus, gravaminibus, & oppressionibus abstinendo; hujusmodi tamen labores steriles & inutiles abierunt: & quod pia quæsivit instantia, obtineri nequivit, detentorum ipsorum detestanda durtia obsistente.

Tradidere custodiæ.

Rogati archiepiscopum restituere libertati, flecti non potuerunt.

XLV. *Cum itaque tam horrendæ tamque superbæ temeritatis audaciam, & execrabilem ac nefariam detentionis injuriam archiepiscopi memorati nolimus, sicuti nec debemus urgente nos conscientia, æquanimiter sustinere, quin ad exercendum contra tanti facinoris patratores ultionis apostolicæ gladium (maxime cum publicum & manifestum existat, illos hujusmodi flagitium commisisse) prout expedit & decet procedamus; fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus hujusmodi negotium, cordi meo potissime insidens, sub promptitudine devotionis assumens, prædictos comites, eumdem archiepiscopum, ut dicitur, detinentes, ex parte nostra per te, vel per alium, seu alios juxta datum tibi ex alto prudentiam diligenter moneas & inducas; eis nihilominus sub excommunicationis, & privationis feudorum quorumlibet, quæ ab eadem Colonien si, & aliis quibuscuis ecclesiis & monasteriis tenere noscuntur, pœnis, quas eo ipso præfatos comites incurrere volumus, si*

Data Trevirensi archiep. provincia, ut ipsos objectis censuris reddere illum libertati compellat.

si tuis, immo potius apostolicis monitis super hoc non curaverint efficaciter obedire; districtius injungendo, ut infra quindecim dies post monitionem hujusmodi prædictum archiepiscopum & alios secum captos, & detentos ab eis cum bonis ablatis eisdem, sublato cujuslibet difficultatis objectu, pristinæ restituant libertati: & nihilominus eidem Colonienſi ecclesiæ de damnis & injuriis ab eis in hac parte irrogatis eidem, plenariam satisfactionem impendere non postponant, &c. Dat. Reate non. augusti anno 11. Gravibus etiam querelis plenas ad Rodulphum Romanorum Regem, (*a*) atque ad nonnullos alios literas (*b*) scripsit, ut ipsos ad ferendam opem archiepiscopo excitaret. Obduruit nimirum fœdatorum principum pertinacia: sequenti enim iterum anno Trevirensi, & Maguntino archiepiscopis atque episcopo Metensi data (*c*) fuere imperia, ut censuras acerbiores distringerent in Colonienſis archiepiscopi detentores, Rodulphique Regis Romanorum implorata (*d*) arma: *Clamat*, inquit, *in auribus nostris venerabilis Colonienſis ecclesia, clamat & vocem doloris ingeminat, vocem lamentationis inculcat, utpote pastoris proprii destituta regimine, suique nudata præsidio defensoris.* Et infra: *Cum itaque hujusmodi negotium cordi potissime habeamus, dictique archiepiscopi præsumptuosa detentio valde displicoat votis nostris, celsitudinem regiam rogandam attente duximus & hortandam, quatenus pro divina, & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia penes ducem & comites prælibatos, prout utilius expedire putaveris, diligenter insistas, ut ipsi suæ saluti & famæ salubriter consulentes, præfatum archiepiscopum & alios secum captos cum prædictis bonis ablatis eisdem, sublato cujuslibet difficultatis objectu, pristinæ restituant libertati; sic te in iis prompte ac efficaciter habiturus, ut exinde apud Deum, qui nullum bonum irremuneratum præterit, crescas cumulo meritorum, tuæ famæ præconium augeatur in populo, & Apostolicæ sedis favorem & gratiam possis uberius promereri.*

(*a*) *Ib. ep.* 372.
(*b*) *Reg. post eand. ep.*
(*c*) *Lib.* 2. *ep.* 858. 859. & *l.* 3. *ep.* 276.
(*d*) *Lib.* 2. *post epist.* 859. & *form. Mar. Ebuli MS. Vat. pag.* 345. *n.* 2235.

XLVI. Rodulph. ferre opem archiepiscopo solicitatus.

Cæterum Rodulphus hoc tempore urgebat, susceptum Tractatum, ut imperialia ornamenta Pontificis manu acciperet, atque nunciorum opera significavit, vel appetente hyeme, vel æstate proxima in Italiam, si Pontifex assentiretur, venturum. Cui Nicolaus internuncium mittendum censuit (*e*) ut quæ facto opus erant, adornaret. De quo subjectæ literæ exaratæ (*f*).

Charissimo in Christo filio Rodulpho Regi Romanorum illustri.

Nuper ad nostram præsentiam accedentes dilectos filios fratrem Eruchardum magistrum, hospitalis S. Mariæ Theutonicorum, Jerosolymitan. & magistrum Henricum protonotarium tuum Regiæ celsitudinis nuncios libenter vidimus, & affectuose recepimus intuitu destinantis; & quæ coram nobis per eos, quos de solicitudinis studio commendamus, ex parte regia fuere proposita, benigno auditu percepimus, plenoque collegimus intellectu. Ex quorum revelante propositione didicimus, quod processibus regiis, ejus a quo gressus hominum diriguntur favente clementia, æstate proximo secutura, sive circa hyemis futuræ principium, si ad hoc sedis Apostolicæ beneplacitum accedat, intendis stabiliter ad partes Italiæ te conferre, diadema Imperii de nostris manibus, actore Domino, susceperus. Porro, fili charissime, Romana mater ecclesia sibi non absque uberi delectatione commemorat, ac ingenti jucunditate recenset, quod erga ipsam a longis retro temporibus, prius quam honoris regii culmen ascenderes, & etiam postea sinceræ devotionis fervorem, & reverentiæ filialis affectum, quos tamquam Deo devotus princeps, & ad opera pietatis expositus laudabiliter continuare non desinis, gerere studuisti: propter quod anxia nosscitur, redditurque solicita, ut per suæ cooperationis effectum magnificentiæ tuæ status felicibus semper fulciatur eventibus, & votivis successibus foveatur, cum ecclesia eadem, quæ quantum cum Deo posse se existimat, promptis affectibus annuit votis tuis, proprium reputet exaltationis regiæ incrementum.

Insigne imperiale ab eo deposcit.

XLVII. Rem extrahit Nicolaus.

Nos autem super iis cum fratribus nostris contulimus diligenter, & tandem consideratis attentius, perpensaque deliberatione discussis, quæ in tanti prosecutione negocii requiruntur, quia præfixus de tuo ad coronam adventu terminus supervenientibus impedimentis effectum non habuit, honori regio credimus expedire, ut ad te nostrum nuncium mitteremus, per quem & tuæ nobis intentionis processus pateret apertius, & nos, certitudine habita pleniori, possemus celsitudini regiæ melius & competentius respondere. Nam alii tui nuncii contra nostrum eis impensum consilium, dum eramus in minori officio constituti, se ad brevitatem termini nimium arctaverunt. Gerentes igitur de venerabili fratre nostro Benevenuto episcopo Eugubino latore præsentium, viro utique provido & discreto, ac nobis & eisdem fratribus meritis suæ multiplicis probitatis accepto, fiduciam in Domino pleniorem, ipsum ad te propter hoc specialiter destinamus; excellentiam regiam rogantes attentius, & hortantes, quatenus pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia præfatum episcopum benigne recipiens & honeste pertractans, solicite audias, & intelligas diligenter, quæ super hoc ex parte nostra magnificentiæ regiæ duxerit explicanda. Dat. Romæ apud

Mittit ad ipsum nuntium ut de adventu illius conferat.

apud S. Mariam majorem id. aprilis anno 11. Rodulphi porro majorem natu filium Albertum ducem Austriæ hujusmodi privilegio affecit Nicolaus (*a*), ut nullus sine apostolico Imperio ipsum, uxorem, ac filios percellere anathemate posset: *Sine speciali*, inquit, *sedis Apostolicæ mandato, faciente plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, præsentibus post quinquennium minime valituris.*

Datum a Nicolao Alberto duci Austriæ privilegium.
(*a*) *Lib.* 2. *ep.* 744.

XLVIII. Lescko Niger dux Cracov. moritur.

In Polonia (*b*) Lescko Niger Cracovienſis, Sandomirienſis & Siradienſis dux, superioribus cladibus, multisque adversis casibus exceptus, partim mœrore, partim morbo emarcuit. Quo defuncto, inter nobiles ac plebem pro eligendo principe discordia exorta est. Paulus enim episcopus Cracovienſis, ac proceres conventu habito Boleslaum Masoviæ ducem præfecere, plebs vero Henricum quartum Wratislavienſem ducem excivit, quem venientem cum exercitu cives in Cracoviam induxere. Boleslaus vero se non ad principatum, sed ad bellum evocatum intuitus, rejectis nobilium precibus, qui illum principatui restituere armorum vi meditabantur, in Masoviam se recepit, atque ita nobiles, missis oratoribus, certis legibus Henricum ducem salutarunt.

(*b*) *Long. in hist. Pol. l.* 7. *Chron. l.* 10. Conradus Mazoviæ dux a nobilibus ad principatum vocatus. Ab Wratisl. duce Henrico depellitur.

XLIX. Greg. X. constitutio de includendis Cardd. in conclavi rescissa. (*c*) *Lib.* 2. *ep. cur.* 1.

Traducenda nobis jam est historia ad nonnullas pontificias leges hoc anno a Nicolao editas. Revocavit (*c*) in primis constitutionem a Gregorio X. in concilio Lugdunenſi de electione Romani Pontificis quoad omnium illius capitum observationem, ac literas a Joanne XXI. eo argumento Viterbii pridie kalend. octobris primo pontificatus anno exaratas confirmavit: sed quanto publicæ rei detrimento, diuturnum a Nicolai morte interpontificium ostendet. Sanxit (*d*) etiam, ut cum Cardinales pontificii oneris partem in se susciperent, ecclesiæ proventibus potirentur, adeo ut proventus, quos in diplomate designat, in duas partes destribuerentur, quarum altera ad pontificium ærarium spectaret, altera inter Cardinales divideretur.

(*d*) *Ib. ep. cur.* 47.

Nicolaus, &c. Ad perpetuam rei memoriam.

Constitutio in gratiam Cardinalium edita.

Cœlestis altitudo potentiæ, clementi providentia cuncta disponens, voluit cum summo Pontifice considere S. R. E. Cardinales, ut ipsi tanquam membra ejusdem ecclesiæ capitis, ipsi capiti deservirent, & submissis humeris ad regendum universalis Ecclesiæ firmamentum, operosa sedulitate cum ipso Pontifice laborarent; & tam ipsius Ecclesiæ, quam totius orbis incumbentia onera indefessis cum eo solicitudinibus partirentur. Hi sunt, quos dilexit Dominus, & velut præcipuas & sublimes Ecclesiæ prædictæ columnas præro-gativa sublimavit honoris. Horum cœtus in orbe magnificus, omnes & singulos, quibuslibet titulis decoratos, excellit. Horum altitudo consilii, & expertæ circumspectionis industria circa dirigenda quælibet & agenda salubriter afferre universaliter majora commoda dignoscuntur. Ac ideo reputantes incongruum, ut ipsi Cardinales tanta præditi dignitate, tantisque solicitudinibus ac laboribus aggravati, qui ad ferendum nobiscum tantorum sarcinam onerum, nobis incumbentium ex apostolicæ officio servitutis, dies laboriosos agunt, noctesque perducunt insomnes, reddantur ejusdem Romanæ ecclesiæ proventuum & redditumm, ac prosperitatis expertes, cui communicant in adversis; conspicientes quoque in nonnullis regnis, provinciis, insulis, lacubus, civitatibus, terris, & locis ecclesiæ memoratæ ubilibet constitutis jura & jurisdictiones ipsius ecclesiæ multæ hactenus negligentiæ patuisse, & alias multis expositæ fuisse dispendiis per occultatores & occupatores multiplices, qui ad ea manus illicitas extenderunt; dignum duximus, ut prædictos Romanæ ecclesiæ universos fructus, redditus, & proventus, quos in Siciliæ & Angliæ, aliisque quibuslibet regnis, Sardiniæ, Corsicæ, aliisque insulis; necnon in marchia Anconitana, provincia Romaniolæ, ducatu Spoletano, terra Arnulforum, patrimonio B. Petri in Tuscia, Campania, & Maritima, Sabinia, Massa Trabaria, Carfagnana, comitatu Venesini, civitate Beneventana, ac aliis terris & locis, & censibus prædictorum eadem ecclesia obtinere dignoscitur, Cardinales ipsi modo participent infrascripto: firmam habentes fiduciam, quod de cætero per eorum solicitudinem, diligentiam, & considerationem expertam, favorisque præsidium in eisdem locis, & terris fidelium crescet devotio, justitia plenius reddetur, & æquitas diligentiori custodia habita servabuntur; occupata, & alienata in statum debitum reducentur, & restaurabantur etiam dissipata; ita quod hujusmodi participatio magni honoris & utilitatis pariet incrementum.

Cum iis vectigalia ecclesiæ partitur.

L. Pars pontificio fisco, pars Cardinalibus addicta æqua inter eos portione dividenda.

Quare de communi fratrum nostrorum consilio & assensu præsenti sanctione statuimus, & decernimus de plenitudine apostolicæ potestatis, ut de universis fructibus redditibus, proventibus, mulctis, condemnationibus, & censibus supradictis fiat divisio in duas partes, quarum una pro pali cameræ semper cedat, reliqua vero inter Cardinales eosdem æqualiter dividatur; quodque partem hujusmodi prædictorum fructuum, redditumm, proventuum, mulctarum, condemnationum, & censuum collegium Cardinalium eorumdem percipiat jure suo. Ut autem prædicta successivis temporibus salubrius & utilius valeant effectui mancipari, sancimus ut institutio & de-

& destitutio rectorum, qui præcrunt locis & terris prædictis, & quorumcumque etiam aliorum fructuum dictorum reddituum & proventuum, mulctarum, condemnationum, & censuum collectorum fiat de consilio Cardinalium prædictorum. Nulli ergo, &c.

Cardinales qui Nicolao assedere.

Ego Nicolaus catholicæ Ecclesiæ episcopus.
Ego Gerardus Sabinensis episcopus subscrip.
Ego Joannes Tusculanus episc. subsc.
Ego fr. Matthæus tit. S. Laurentii in Damaso presbyter Card. subscr.
Ego Petrus tit. S. Marci presb. Card. subscr.
Ego Jacobus S. Mariæ in via lata diac. Card. subscr.
Ego Neapoleo S. Adriani diac. Card. subscr.
Ego fr. Latinus Ostiensis & Velletrensis episc. subscr.
Ego Bernardus Portuensis & S. Rufinæ episc. subsc.
Ego Berardus Penestrinus episcop. subscrip.
Ego fr. Hugo tit. S. Sabinæ presbyter Card. subscr.
Ego Matthæus S. Mariæ in Porticu diaconus Card. subscr.
Ego Benedictus S. Nicolai in carcere Tuliano diaconus Card. subscr.
Ego Petrus S. Eustachii diac. Cardin. subscr.

Datum Reate per manum magistri Joannis decani Bajocensis S. R. E. vicecancellarii xv. *kalend. aug. indictione secunda, incarnationis dominicæ anno MCCLXXXIX. pontificatus vero domini Nicolai Papæ IV. an.* 11. Meminit hujus constitutionis Henricus Spondanus (*a*), meritoque observat ipsam in desuetudinem abiisse gravissimas scilicet ob causas, cum alioqui Pontificum pia liberalitas Cardinales ad sustinendam dignitatem congruis vectigalibus instruere soleat.

(a) *Spond. in annal. to. 1. an. n 1292. n. 4. ex collect. constit. Rom. Pont. Card. Aragon.*

LI. Obsolevit ea constitutio.

Prætermittendum hic non ducimus erexisse apostolica auctoritate hoc anno Nicolaum apud montem Pessulanum academiam, quæ hactenus maxima scientiæ laude & gloria efloruit; de qua instituenda hoc diploma datum est (*b*).

(b) *Lib. 2. ep. 564.*

Nicolaus &c.

Dilectis filiis doctoribus & scholaribus universis apud montem Pessulanum, Magalonensis diœcesis commorantibus, tam præsentibus, quam futuris.

Excitata in monte Pessulano a Nicolao academia.

Cum locus montis Pessulani celebris plurimum, & famosus, aptus valde pro studio, consideratis diligenter ejus conditionibus, dignoscatur; nos utilitati publicæ quamplurimum expedire credentes, ut in loco ipso cultores sapientiæ inserantur, fructum desideratum, largiente scientiarum Domino, in tempore producturi, auctoritate præsentium indulgemus, ut in dicto loco sit deinceps studium generale, in quo magistri doceant, & scholares libere studeant, & audiant in quavis licita facultate; & si qui processu temporis in eodem studio fuerint, qui scientiæ bravio assecuto, sibi docendi licentiam, ut alios licentius erudire valeant petierint impertiri, sancimus, ut in jure canonico & civili nec non & in medicina, & artibus examinari possint ibidem, & in eisdem facultatibus dumtaxat titulo magisterii decorari; statuentes ut quoties aliqui ad magisterium fuerint promovendi, præsententur episcopo Magalonensi loci diœcesano, qui fuerit pro tempore, vel ei, quem ad hoc idem episcopus duxerit deputandum: qui magistris facultatis illius, in qua examinatio facienda fuerit, de universitate vestra in eodem studio præsentibus convocatis, eos gratis, & difficultate quacunque sublata de scientia, facundia, modo legendi, & aliis, quæ in promovendis ad doctoratus officium requiruntur, examinare studeant diligenter; & illos, quos idoneos repererint, petito secrete magistrorum eorumdem consilio, quod consilium in ipsorum consulentium dispendium, vel jacturam revelari sub divinæ quomodolibet maledictionis interminatione districtissime prohibemus; approbent & admittant, eisque petitam licentiam largiantur, alios minus idoneos penitus repellendo, postpositis omnino gratia, odio, vel favore.

Donandi laurea doctorali coram episcopo Magalonensi sistendi sunt.

LII. * magistrium.

*Cæterum ne vacante Magalonensi ecclesia contingat promoveri volentes ad * magistratum impediri; volumus ut cum in ipsa ecclesia tres esse archidiaconos asserantur, archidiacono majori præsenti, vel eo in remotis agente, vel forsitan præpedito, secundo, vel illis præpeditis aut absentibus, tertio, promovendi hujusmodi vacationis tempore præsententur: qui eos examinent & examinatos approbent, vel reprobent, secundum modum in episcopo prætaxatum. Illi autem qui in loco præfato examinati & approbati fuerint, ac docendi licentiam obtinuerint, ut est dictum ex tunc absque examinatione, vel approbatione alia regendi, & docendi ubique plenam, & liberam habeant facultatem, nec a quoquam valeant prohiberi. Sane, ut rite in præfatis examinationibus procedatur, præcipimus, ut magistri legere in eodem studio cupientes, antequam incipiant, præstent publice juramentum, quod ipsi vocati ad examinationes easdem venient, nisi fuerint legitime impediti, ac gratis sine difficultate, odio & favore, postpositis dabunt examinatori fidele consilium, qui de examinatis vel ut digni approbari debeant, aut ut indigni merito reprobari. Qui vero hujusmodi juramentum præ-*

Doctoratum in ea assecuti academia in exteris acad. docere possunt.

præstare noluerint, nec ad legendum, nec ad examinationes easdem nec etiam ad aliqua universitatis vestræ commoda, vel beneficia ullatenus admittantur. Nulli ergo &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem VII. *kal. novembris anno* 11. Hæc ad augenda inter fideles scientiarum lumina constituta: jam quo studio errorum disseminatores sit infectatus Nicolaus prosequamur.

LIII. Nicolai zelus in abolendis hæresibus.

Enituit pontificius zelus in tuendo religionis splendore, quem suis fordibus obscurare hæretici nitebantur: qui cum in Neapolitano regno ob bellorum motus grassarentur audacius, fidei censoribus comprimi magno studio jussi sunt (*a*), utque ex universa etiam Italia nascentem luem excinderet, ad omnium urbium Italiæ prætores, magistratus, ac præfectos datis literis (*b*), latas ab Innoc. IV. constitutiones in hæreticos servare ac referre in municipalium legum codices jussit, datamque fidei censoribus provinciam significavit, ut ipsos ad id objectis anathemate & interdicto ecclesiastico, adigerent. Eæ vero constitutiones ab his verbis ducunt exordium (*c*): *Statuimus ut potestas, capitaneus, seu rector, seu consules, seu quivis alii, qui civitati præsunt, vel loco alii ad præsens, aut pro tempore præfuerint in futurum in Italia, jurent præcise ac sine tenore aliquo attendere inviolabiliter, & servare, &c.* quæ cum in bullario extent, prætermittendæ a nobis visæ sunt.

(a) *Lib. 2. ep. 178.*

(b) *Ib. ep. 179.*

(c) *Extant in Bullar. in Innoc. IV.*

LIV. (d) *Lib. 2. ep. 547.*

Obtinuit etiam a Venetis (*d*), ut ex populi senatusque consilio decerneretur, publicam opem fidei censoribus ad plectendos hæreticos in ejus reipublicæ ditione suppeditatum iri.

Dilectis filiis nobili viro duci, consilio, & communi Venetorum.

Accedentes ad Apostolicam sedem dilectos filios nobiles viros Marcum dictum Bembo, & Nicolaum Quirini nuncios & syndicos, seu procuratores vestros solita benignitate recepimus, & tam quæ coram nobis ex parte vestra proponere voluerunt, quam quæ continebantur in procuratoriis seu in instrumentis super eorum syndicatu confectis attente audivimus, & intelleximus diligenter. Porro præfati syndici, juxta suæ commissionis tenorem in negocio procedentes, pro vobis & nomine vestro firmiter promiserunt quod inquisitoribus pravitatis hæreticæ ad ipsorum officium efficaciter exequendum tu, fili dux, absque alla requisitione consilii opportunum auxilium, cum ab eis requisitus extiteris, exhibebis; quodque depones pecuniam penes aliquem in Venetiis, a vobis communiter inquisitorum ipsorum nomine deputatum; ita quod quandocumque inquisitores præfati pro ejusdem executione officii pecunia indigebunt, alibi pecuniam quærere non cogantur, prout in instrumento publico super hujusmodi promissione confecto plenius, & seriosius continetur. Nos autem devotionem in hac parte vestram, & quantum sit vobis cordi negocium fidei, experiri volentes, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus pro divina & Apostolicæ sedis, ac nostra reverentia, promissionem eandem nomine, ut præmittitur, vestro factam sic devote, solicite, ac efficaciter adimplere curetis, impendendo inquisitoribus ipsis super exequendo eorum officio consilium, favorem, & auxilium opportunum, ut exinde a Domino præmium, & a nobis dignæ commendationis titulum consequi valeatis, nec oporteat, si secus fieret, per Apostolicæ sedis providentiam aliud in hac parte remedium adhiberi. Tenores autem procuratoriorum prædictorum præsentibus fecimus annotari, qui tales sunt.

Commendati a Pontif.

Veneti ad faciendas publica auctoritate fidei censores se obstringunt.

LV. Editum a Joanne Dandalo ea de re publ. instrum.

In Dei nomine Amen. Anno ejusdem nativitatis MCCLXXXIX. die quarto augusti secundæ indictionis, ex tenore hujus publici instrumenti appareat manifeste, quod illustri domino Joanne Dandulo Dei gratia Venetiarum, Dalmatiæ, atque Chroatiæ duce, domino quartæ partis & dimidiæ totius Imperii Romaniæ existente cum suo minori, & majori & generali consilio, & communi Venetiarum ad voces præconum, & sonum campanarum more solito congregatis, capta fuit pars, & ordinatum & firmatum per ipsum dominum ducem, & per prædicta consilia, quod dominus dux habeat a majori consilio plenam auctoritatem, & ab eodem consilio fuit eidem concessa dandi solus auxilium inquisitoribus pro officio hæreticæ pravitatis exercendo in Venetiis, quandocunque ab ipsis inquisitoribus fuerit requisitus sine alterius requisitione consilii. Item quod deponatur pecunia penes aliquem deputatum in Venetiis per commune ad nomen inquisitorum; ita quod quandocunque inquisitores indigerent pecunia pro officio, quod non oporteret eos alio perquirere nisi istum sic deputatum: qui teneatur, & debeat, quando requisierint, sibi dare, & recipiat pro communi Veneto omnem utilitatem, & proventus, qui ex officio provenirent. In cujus rei fidem & evidentiam plenioremdictus dominus dux mandavit de prædictis instrumentum publicum per me Martinum Ravignani notarium, & ducatus Venetiarum scribam fieri, & sua bulla plumbea communiri. Actum Venetiis in ducali palatio. Ego Martinus Ravignani imperiali auctoritate notarius, & ducatus Venetiarum scriba his omnibus interfui, & de mandato dicti domini ducis scripsi, & in publicam formam redegi. Dat. Reate v. kal. septemb. an. 11.

Mulctæ hæret. incutiendæ ad publicam rem derivandæ ea lege, ut sumptus necessarii inquisitoribus suppeditentur.

Meminit hujus pontificii diplomatis auctor appendicis chronici (a) Andreæ Dandali his verbis: *Prælibatus dux*, nimirum Joannes Dandalus, *libertatem & honorem assidue recogitans, a summo Pontifice privilegium obtinuit, quod bona damnatorum de hæresi in commune Venetiarum debeant devenire: ita tamen, quod commune ob hoc teneatur omnes expensas facere officio inquisitionis opportunas.*

(a) *Appen. Andr. Dand. in Jo. Dandalo.*

Ut pietatis hostes repressit sanctissimus Pontifex, ita illius cultores fovit, Hospitalarios Viennenses in xenodochium S. Andreæ, cui a Piscina nomen est proximo a S. Maria majori intervallo situm, a Capotio S. Georgii ad velum aureum diacono Card. olim conditum induxit. (b) Cluniacensibus primævum sanctitatis florem restituendum curavit (c). Confirmavit (d) religiosæ vitæ leges ab Alberto patriarcha Hierosolymitano olim Carmelitis traditas atque ab Innocentio IV. postea emendatas. Susceptam vero apud Scotos iniquam consuetudinem, qua cautum erat ne quis ad religiosa sodalitia admitteretur, præsertve aliis nisi e Scotia oriundus esset, abrogavit (e). Nunc quid ad gentiles ad Christi cultum traducendos, revocandos ad Ecclesiæ obsequium & conjunctionem schismaticos, aliosque in remotissimis orientis oris pietate excolendos hoc anno Christi vicarius gesserit, dicere aggrediamur.

(b) *Lib. 2. ep. 763.*
(c) *lb. ep. 490. & 562. 605. 606. Carmelit. instituta corroborata a Nicolao.*
(d) *lb. ep. 286. Jord. MS. Vat. sig. num. 1960. & alii.*
(e) *lb. ep. 103.*

LVI. Jacobitarum in primis patriarcham, quem piis operibus deditum didicerat, ac Minoritarum, qui in oriente ad revocandos ad Ecclesiam populos incumbebant, studiosum est adhortatus, (f) ut se catholicæ fidei conformaret.

Jacobitarum patriarcha ad fidem orthod. invitatus.

Patriarchæ Jacobitarum.

Disponente summi Regis arbitrio cujus providentiæ magnitudo cœlestia simul & terrena disponit, ad apicem apostolicæ dignitatis assumpti grandi desiderio ducimur, ut sic cunctorum gressus mortalium salubriter dirigantur, sic illi suorum operum moderentur habenas, ut accepti reddantur Altissimo, eisque salus proveniat animarum. Quid enim illa jucundius, quid desiderabilius, quid in terris pretiosius fore dignoscitur? Cum sit totius orbis quis sibi dominium vendicet, prout evangelica testatur auctoritas, nihil prosit, si detrimentum animæ patiatur. Quamobrem multiplici reddimur attentione soliciti, ut universi per mundum populi constituti Christo Domino sub Christianæ fidei religione commilitent, quam sacrosancta Romana ecclesia tenet firmiter & observat, quæ vita semitam præparat, panditque aditum ad æterna gaudia promerenda. Speramus insuper, ut & tu, cui multus, ut dicitur, subjectus est populus, magno desiderio ferveas & solerter exquiras, ut per laudabilium exercitium actionum, sic suo creatori complaceat, ut salutis commoda mereatur, quod absque ipsius observatione fidei quæ reatus expurgat, maculas diluit, nequit penitus provenire. Ideoque fraternitatem tuam paternis exhortamur affectibus, & in Filio Dei Patris tibi finceris mentibus suademus, quatenus ad observandam fidem catholicam, quam sicut præmittitur, tenet & servat Romana ecclesia, inconcusse, ac etiam ad ipsius Ecclesiæ unionem, sublato cujuslibet tarditatis obstaculo, & nexibus difficultatis effractis, festinus acceleres, promptus advenias, occurras spontaneus, studiosus accedas, eo majoris retributionis præmium proinde consecuturus a Domino, quo plures ad id tuo exemplo laudabili evocabis: cum facile trahi soleat in exemplum a subditis, quod agi conspicitur a prælatis. Speramus etenim, magnaque fiducia ducimur, quod præmissa libenter & efficaciter adimplebis, subjectum tibi populum ad ea diligenter & solicite inducendo, cum sicut dilectus filius frater Joannes de Montecorvino de ordine fratrum Minorum, lator præsentium, multa bona, multaque laudabilia opera, quæ lætanter audivimus, de tuis studiis nobis duxerit referenda. Suscipe igitur reverenter exhortationem sinceram, & salubrem devotus amplectere Christi vicarii suadelam: sic te laudabiliter gerere studeas ad honorem & gloriam omnium conditoris, ut in conspectu ejus reddaris acceptior cumulo meritorum. Cæterum instanter expetimus, ut eumdem fratrem & ejus socios specialiter habeas commendatos, ipsosque benigne ac favorabiliter prosequaris, ut tali & tanto muniti præsidio, utilius & commodius in ministerio se gerere valeant, quod exercent, & ad laudem divini nominis opera efficacius prosequi Jesu Christi. Ut autem in fide Christiana prædicta plenius & melius valeas alios informare, dictam fidem & ejus formam præsentibus fecimus annotari, quæ talis est: Credimus in sanctam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, &c. Concepta est iisdem verbis, atque ea, quæ a Clemente IV. Græcis proposita est (g), de qua sæpius illata mentio. *Dat. Reate non. julii pontif. nostri an.* 11. Excitati simillimis literis (h) Sacerdos patriarchæ frater; tum Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum patriarchæ; archiepiscopus Æthiopum, aliique eorum regnorum Asiæ & Africæ præsules, ad orthodoxam fidem profitendam, commissosque greges Romanæ ecclesiæ conjungendos, atque inter cæteros Tauriisi episcopo Dionysio, quem ad fidem catholicam colendam, uti cœperat, excitavit; cuique eamdem fidei formam, quam anno superiori transmiserat, ut ipsam in oculis sem-

(g) *Anno Christ. 1267. n. 75.*
(h) *Reg. post eand. ep. 48. Dionys. episc. Tauris. fidem Rom. sequitur.*

per defixam gereret, eaque imbueret populos atque informaret misit. (a)

(a) *Lib. 2. ep. cur. 49.*

LVII. Armeniæ Rex cum Rom. ecclesia communione petitus.

Cum vero ad populorum conversionem maxime interfit Regum exemplum, sanctissimus Pontifex, ut omnes ad Christum pelliceret, plures literas apostolicas ad Armeniæ, Georgiæ, Hiberiæ, Æthiopiæ, & Tartariæ Reges dedit. Utque ab Aytono Armeno ducamus initium; recenter ille paternum sceptrum capessiverat, atque erga Romanam ecclesiam egregie affectum se demonstrarat: quem Nicolaus sinu amantissimo excepit (b), fideique formam ad ipsum transmisit.

(b) *lb. ep. cur. 50. & formul. Mar. Ebul. p. 327. n. 3175.*

Charissimo in Christo filio Regi Armeniæ illustri.

*Gerentes in terris, licet insufficientibus meritis, vices Christi grandi nec immerito lætitia & exultatione perfundimur, cum ad nostrum pervenire contingat auditum, quod corda Regum & principum terrenorum summi Regis, per quem potentatus altitudine præeminent, beneplacitis se coaptant. Nuper & enim audivimus, & lætati sumus in Domino vehementer, dilecto filio fratre Joanne de Montecorvino de ordine Minorum latore præsentium nobis ex parte regia referente, quod erga Romanam ecclesiam cunctorum matrem fidelium & magistram ferventis devotionis geris affectum; quodque ad habendam cum eadem Ecclesia tamquam princeps catholicus unionem, in te voluntatis vigere dignoscitur promptitudo. Subjunxit quoque fratris memorati relatio, quod claræ memoriæ * pater tuus, veluti obedientiæ filius & catholicus Christianus, mortem subiit temporalem. Revera, fili charissime, tam gratis tamque acceptis rumoribus intellectis, cor nostrum in Domino uberibus gaudiis exultavit, cum animarum salutem, quam in cunctis mortalibus ex debito pastoralis officii exquirimus, votis ferventibus cupiamus.*

* Livo

LVIII. Rogamus itaque celsitudinem regiam, & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus mentis oculis erectis ad Dominum, tuæque intentionis proposito directo salubriter ad exercitium laudabilium actionum, devotionem & voluntatem prædictas dignis præconiis attollendas, stabili mente continues, ac intra tui pectoris thalamum summopere studeas conservare. Nos enim te tamquam filium prædilectum ad unionem lætanter recipimus Ecclesiæ memoratæ, genes magnitudinem regiam precibus instantibus uberibus, eamque paternis exhortationibus excitantes, ut ejusdem Romanæ ecclesiæ, dictique fratris & sociorum suorum doctrinam quæ salutis commoda subministrat, in omnibus promptus & efficax exequaris; ad receptionem celerem, & efficacem executionem illius prælatos & populum Armenorum regiæ ditioni subjectum solicitis studiis inducendo: sic te in præ-

(c) *An. C. 1267. n. 75.*

missis cura vigili habiturus, ut a Domino proinde præmium consequi valeas pro minimis grandia largiente, tui nominis fama incrementa suscipiat, & sedis Apostolicæ gratiam, quam libenter ad filios devotos extendimus, uberius merearis. Cæterum magnitudinem regiam plenis prosequimur actionibus gratiarum quod sicut ejusdem fratris patefecit assertio, ipsum & socios supradictos benigne recipiens, eis multæ humanitatis affectum exhibuit, eosque gratiosi favoris impendio extitit prosecuta; petentes instanter, ut eos clementer habeas commendatos, ut ad laudem divini nominis & animarum salutem utilius & efficacius opus prosequi valeant inchoatum. Ut autem in fide Christiana, quam tenet & servat Romana ecclesia, plenius & efficacius valeas imformari, dictam fidem & ejus formam præsentibus fecimus annotari, quæ sunt hæc: Credimus S. Trinitatem, &c. Subiicitur fidei forma sæpius memorata, olim Palæologo proposita (c); ac dein ascripta est literis ad Armenum dies. *Dat. Reate non. jul. pont. nostri an.* 11.

Hortatus etiam est (d) Mariam sororem Reginæ Armeniæ, ut in fide catholica, quam semper ipsam professam acceperat, constans permaneret: *Hortamur*, inquit, *nobilitatem tuam, & excitamus in Domino Jesu Christo, quatenus mentis oculis erectis ad Deum, & ad salutis ac pietatis opera directo proposito, ad observationem fidei Christianæ, dictæque prosecutionem continuam unionis efficaciter & reverenter intendas, aliaque studeas exercere solicite, quæ divinæ sint placita Majestati; ad observationem & prosecutionem easdem juxta datam tibi a Domino gratiam cæteros inducendo.* Eademque literarum sententia fuit, quas ad Torosum Regis Armeniæ fratrem & alios dedit (e). Ad eamdem quoque cum Rom. ecclesia conjunctionem Armenorum proceres; atque inter cæteros Leonem comitem stabilem (f) & magistrum castrorum (g) seu marescalcum, præterea universum populum (h) adducere studuit.

(d) *lb. ep. 51. Maria sororem Reginæ Armen. ob constantiam in fide Rom. eccl. commendata.*
(e) *Reg. post eamd. ep.*
(f) *lb. ep. 52.*
(g) *Reg. post eamd. ep.*
(h) *lb. ep. 53.*

LIX. Egregia etiam usus opera ad Æthiopes ad legem Christianam servandam (i), atque Ecclesiæ prosequendam conjunctionem literis solicitavit. (k)

(i) *Reg. post eamd. ep.*
(k) *lb. ep. 53. Æthiopes ad fidem orthodoxam sequendam provocati.*

Dilectis filiis populo Æthiopiæ.

Summi pastoris, qui pro suis omnibus animam posuit, diræque mortis sponte pati supplicium voluit, ut nos ab hostis laqueo liberaret, vices, licet insufficientibus meritis, gerentes in terris, cunctorum salutem appetimus, solerter exquirimus, solicite procuramus, ut post vitæ præsentis ergastulum fidelium animæ in cœlestibus pascuis collocentur. Cum itaque fides catholica, quam Romana tenet & servat ecclesia, semitam præparet, panditque a-

ditum ad ſalutem, univerſitatem veſtram hortamur attente, ac excitamus in Filio Dei Patris quatenus mentis oculis erectis ad Dominum, & ad ſalutis ac pietatis opera uſus directo propoſito, ad obſervandam Chriſtianam fidem, & proſequendam ipſius Eccleſiæ unionem ferventer & efficaciter intendatis, aliaque ſtudeatis operari ſolicite, quæ in conſpectu Altiſſimi ſint accepta; ſic de bono ſemper in melius adjuvante Domino proceſſuri, ut poſſitis ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire. Cæterum quia vos ſincera in Domino charitate complectimur, veſtræque ſalutis affectamus augmentum, vobis & veſtrum cuilibet noſtræ benedictionis munus in remiſſionem concedimus peccatorum. Dat. Reate v. id. julii anno 11. Eadem literarum ſeries ad univerſos Neſtorianos, tum ad Æthiopum Imperatorem, Demetrium Georgianorum, Davidemque Hiberorum Reges miſſa eſt. (*a*)

Demetrius Georgianor. & David Hiberor. Reges ad eamdem excitati.

(*a*) Reg. poſt eand. ep.

LX. Religio inter Tartaros diffundi-tur.

Comparati egregie tunc erant Tartari orientales ad excipiendam Chriſtianam fidem, quæ apud ipſos feliciſſime propagabatur: quare Nicolaus, ne apoſtolico muneri deeſſet, ad ipſorum Reges ad Chriſtiana ſacra alliciendos ſtudium collocavit. Hæc enim Argoni, quem bene erga Chriſtianos affectum acceperat, ſcripſit (*b*); ac poſt religionis Chriſtianæ multa cumulata encomia, vitæ fragilitatem propoſuit, ut omni abjecta mora ad baptiſmum pro æterna ſalute adipiſcenda provolaret.

(*b*) Ib. ep. 34. form. Mar. Ebuli MS. Vat. p. 327. n. 1178.

Argoni Regi Tartarorum illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Argon Rex ad eam amplectendam incitatus.

Dilectus filius frater Joannes de Montecorvino de ordine Minorum, lator præſentium, ad noſtram de orientalibus partibus præſentiam veniens, attentæ relationis officio noſtro apoſtolatui patefecit, quod tu tamquam a Domino, in cujus manu corda ſunt terrenorum principum, inſpiratus & ſpecialis gratiæ dono præventus erga nos & Romanam eccleſiam, ac alias etiam Chriſtianorum eccleſias maguæ devotionis geris affectum. Adjecit etiam dictus frater, quod ſibi ejuſque ſociis, dum in tuis partibus moraverentur, Chriſti proſequentes obſequia, humanitatem grandem & benignitatem exuberem tua clementer exhibuit magnitudo; quadque degentibus in terris tuæ ditioni ſubjectis imperio fidei cultoribus te benignum & benevolum exhibes, eoſque non ſine ſonorio præconio, & diſpoſitionis indiciis ad ſalutem, quam de bono ſemper in melius deduci cupimus, in augmentum ſedulæ tuitionis auxilio confoves, & favore proſequeris gratioſo. Nos autem tam gratis & acceptis rumoribus intellectis, lætati fuimus in immenſum, cum tuæ ſalutis augmentum ſinceris affectibus cupiamus; celſitudini regiæ tanto proinde pro-

Actæ illi de re Chriſtiana aucta gratiæ.

fuſiores gratias referentes, quanto id uberioris benignitatis zelus exequitur, & ex magnificentia provenit ampliori.

Porro princeps egregie, ſicut magnificentiæ regiæ per alias noſtras literas tibi per venerabilem fratrem noſtrum Roban Barſumma in partibus orientis epiſcopum, & nonnullos tuos nuncios ad nos miſſos, duximus intimandum, nos qui quamvis inſufficientibus meritis vicarii Chriſti ſumus, & Petri Apoſtolorum principis ſucceſſores, quamplurimum cupimus & ardenti deſiderio affectamus, ut quos baptiſmalis unda non diluit, & fidei Chriſtianæ religio non includit, erroris invio, per quod greſſibus periculoſis oberrant, omnino relicto, ad rectitudinis ſemitam revocentur, & fidem ſervent fideliter ſupradictam. Hæc eſt etenim, ſicut magnificentiæ regiæ per jam dictas notificavimus literas, fides recta, fides vera, quæ felicitatis ſperandæ fiduciam repromittit, & ſine cujus ſuffragio placere Domino nemo poteſt. Hæc eſt quæ reatus expurgat, quæ commoda ſalutationis impendit, & per quam æterna gaudia, bonis concurrentibus actibus, acquiruntur. Per hanc hoſtis antiquus de arce mentis expellitur. Hæc corda purificat, & infidelitatis nubilum ſuæ radiis expiat claritatis. Hæc eſt virtutum omnium fundamentum, ſydus irradians, ſtella micans, ſolem juſtitiæ intelligentiæque præveniens, per quam dies oritur gratiæ, per quam dies gloriæ ſubſequitur. Excitamus itaque magnitudinem regiam, & hortamur attente, tibique, cujus in hac parte ſalutem exquirimus, ſano & ſincero conſilio ſuademus, quatenus alta & ſedula meditatione recogitans, quam fragilis, & caduca humanæ naturæ conditio, quam plena periculis, quam expoſita caſibus, quam ſit inſtabilis ſtatus ejus, conſiderans etiam quod a lege mortis, qua nihil certius cernitur, nihil habetur incertius hora ejus, nullus excluditur, nullus effugit metas ſuas, nullus a Domino redditur exemptus illius, promptus exurgas, præſto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Chriſtianæ fidei, ac ſuſcipiendum baptiſmatis ſacramentum, ad laudem divini nominis, tuæ ſalutis profectum, & augmentum fidei ſupradictæ: ut lucis ſuæ radio illuſtratus, ejus triumphalis efficaris athleta, illius fines amplificans, terminoſque dilatans; ut poſt vitæ præſentis ergaſtulum, a porta inferi libereris, & ejus diris cruciatibus pœniſque graviſſimis evitatis, æternæ beatitudinis præmia, quæ omnem delectationem excedunt, tamquam princeps emeritus conſequaris. Cæterum prælibatum fratrem Joannem & ejus ſocios ad partes ipſas ſalubre proſecuturos negotium, quod cœperunt fiducialiter, remittendos inſtanter expoſcimus, ut eos intuitu Dei, & ob reverentiam Apoſtolicæ ſedis

LXI. Fidei encomia illi expoſita.

Dimiſſi in Perſidem præcones evangelici.

& noſtram benigne habeat commendatos, eis ſuper hujuſmodi executione negotii, favorem regium impenſurus, cujus fulti præſidio, utilius & efficacius ſe habere valeant in hac parte; quodque aliquos ex ipſis tecum jugiter teneas, qui tibi tuoque proponant populo verbum Dei, & de ſalute tractare valeant animarum. Dat. Reate id. jul. an. 11.

LXII. Petiti a Rom. eccl. ſacerdotes, ut Tartaros Chriſtianis ſacris imbuant.

(*a*) Lib. 1. ep. 41. Formul. Mar. Ebuli p. 328. n. 1179.

Nec Argon modo, ſed etiam Cobyla Chan ſummus Tartarorum Imperator in Chriſtianam fidem adeo propenſus erat, ut Argonus miſſis ad Pontificem Romanum oratoribus Latinos ſacerdotes ad illum deſtinari flagitarit. Quo nuncio ingenti gaudio perfuſus Nicolaus Minoritas tranſmiſit, & Chamum eſt hortatus (*a*), ut fidem, quam Romana tenet eccleſia, amplecteretur.

Nicolaus Cobla Chan magno principi Tartarorum gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Gaudemus in Domino, princeps egregie, ſibique devotas & uberes gratiarum referimus actiones, quod ipſe in cujus manu corda ſunt principum terrenorum, te, prout lætanter audivimus, ſuæ dono gratiæ clementi pietate prævenient, illo tui pectoris intima fœcundavit affectu, quod ad Chriſtianitatis terminos ampliandos dirigitur deſiderium mentis tuæ. Dudum ſiquidem poſt noſtræ promotionis initia certos nuncios ad noſtram præſentiam ex parte magnifici principis Argonis Regis Tartarorum illuſtris tranſmiſſos recepimus, nobis aperte referentes, quod ad perſonam noſtram & Romanam eccleſiam, & etiam gentem, ſeu populum Latinorum, grandis devotionis affectum magnificentia tua gerit, dictique nuncii ex parte regia cum inſtantia petierunt, ut aliquos religioſos Latinos ad tuam præſentiam mitteremus. Nos autem, tam gratis & acceptis de tanto tamque ſublimi principe rumoribus intellectis, exultavimus in Domino vehementer, cum tuæ ſalutis augmentum, tuique nominis gloriam ſinceris affectibus cupiamus; Patri luminum, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, humiliter ſupplicantes, ut tui pectoris intima de bono ſemper in melius munere ſuæ inſpirationis illuminet, ac ſuæ gratiæ nove perfundat ad laudem ſui glorioſi nominis, & honorem. Volentes igitur votis regiis benigne annuere in hac parte, ac deſiderantes admodum, ut ad ſuſcipiendam Chriſtianam fidem, quam prædicta Romana tenet & ſervat eccleſia, promptus accedas, præſto te offeras, ſtudioſus occurras, cum ſine ipſius comitante ſuffragio placere Altiſſimo nemo poſſit, ecce dilectum filium fratrem Joannem e Monte Corvino cum ejus ſociis de ordine Minorum latorem præſentium ad te duximus deſtinandum, &c. Addit precer, ut benigne excipiat, ejuſque præcepta ad comparandam immortalitatem in animum admittat. Dat. Reate 111. *id. julii an.* 11.

LXIII. Caydonem ad Baptiſmum allicere ſtudet Nic.

(*b*) Ib. ep. 56. & Form. Mar. Ebuli p. 328. n. 1180.

Eminebat inter Tartaros etiam dignitate Caydonius princeps, quem pari ſtudio ad lucem evangelicam admittendam provocavit Nicolaus. (*b*)

Caydono principi Tartarorum illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

*Ad ea, quæ tuæ ſalutis augmentum reſpiciunt, tuique nominis titulos in orbe terrarum attollunt, celſitudinem tuam libenter inducimus, operamque ſolicitam impertimur. Sane princeps egregie, tuis aperiri ſenſibus affectamus, quod Dei filius Jeſus Chriſtus ad ima mundi, ut hominem, quem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam de limo terræ formaverat, de ſervitutis nexibus, in quos ipſum impegerat maligna ſuggeſtio, liberaret; clementi dignatione deſcendens, veſtem noſtræ mortalitatis aſſumpſit, ut proprii aſperſione cruoris incendia perpetui cruciatus extingueret, ac ſuos mortis æternæ tenebris obvolutos, vitæ perennis efficeret poſſeſſores: qui commiſſæ ſibi legationis a Patre in regione peccantium ptis ſtudiis exercens officium, mundumque ſalutaribus inſtitutis informans, tandem poſt ſanctæ converſationis & operationis exempla, poſt evangelicæ inſtructionis eloquia, poſt doctrinæ ſalutaris effectum, diræ mortis ultro ſupplicium ſubiit, dieque tertia reſurrexit a mortuis glorioſus, ut mortem noſtram moriendo deſtrueret, & vitam reſurgendo benignius repararet. Qui priuſquam patoretur, claves regni cœlorum B. Petro Apoſtolorum principi, & per eum ſuis duxit ſucceſſoribus committendas, per hoc eis tam ſublimis poteſtatis auctoritatem impendens, ut quodcumque * ſuper terram, ligatum haberetur in cœlis, & quodcumque ſolverent ſuper terram, ſolutum exiſteret in eiſdem.*

* ligarent

LXIV. *Unde nos, licet inſufficientibus meritis, Chriſti vicarii & ejuſdem Petri ſucceſſores in terris diſponente Domino conſtituti, magno deſideramus affectu, ut fidei Chriſtianæ cultores ſalutaribus actibus immoventur, ac illi, quos fides eadem non agnovit, ad rectitudinis ſemitam actore Domino revocentur, eamdemque ſolicite ſervent fidem; cum ipſi ſit vera fides & recta, ſine cujus comitante ſuffragio placere Domino nemo poteſt, quæ reatus expurgat, ſalutis commoda elargitur; quæ corda menteſque purificat, & infidelitatis obſcurum ſuæ radiis expiat claritatis. Excitamus itaque magnitudinem tuam & attentius exhortamur, ſano & ſincero tibi conſilio ſuadentes, quatenus ſedula meditatione recogitans, quam ſit fragilis & caduca humanæ naturæ conditio, quam plena periculis quantis expoſita caſibus, quam*

quam instabilis status ejus; considerans etium, quod a lege mortis nullus excluditur, cum omne quod nascitur moriatur, promptus exurgas, præsto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Christianæ fidei, ad suscipiendum baptismatis sacramentum, ad laudem divini nominis, tuæ salutis profectum, & augmentum fidei supradictæ: ut lucis suæ radio illustratus, ejus triumphalis efficiaris athleta, illius fines amplificans, terminosque dilatans, ut post vitæ præsentis ergastulum a porta inferi libereris, & ejus duris cruciatibus pœnisque gravissimis evitatis, æternæ beatitudinis præmia, quæ omnem dulcedinem superant, & omnem delectationem excedunt, tamquam princeps catholicus consequaris. Datum Reate III. *id. julii an.* II.

Jolus Pisanus ad magnam inter Tartaros potentiam evectus, religionem tuetur.

Non parum rei Christianæ apud Tartaros diffundendæ operæ atque præsidii attulit nobilis Pisanus Jolus nomine, qui cum penetrasset in extremas orientis oras apud Tartaros ad maximas opes auctoritatemque effloruerat, suamque in iis regionibus Christianis ac religiosis viris clientelam conferebat. Ad quem Pontifex hæc scripsit (*a*): *Excitamus diligentiam tuam, & hortamur in Domino Jesu Christo quatenus circa hujusmodi salubres tuos actus & opera sedulæ solicitudinis studium largiaris, ut exinde tanto acceptior & gratior tuo reddi valeas Salvatori, quanto per te plures ab erroris invio ad veritatis semitam & ab infidelitatis nubilo ad claritatem catholicæ fidei reducentur: nos autem benedictionem nostram tibi tenore præsentium in tuorum remissionem dirigimus peccatorum. Dat. Reate* III. *id. jul. an.* II.

(*a*) *Lib. 2. epist. 57.*

Pessumdata in Syria res Christiana.

LXV. Capta a Soldano Tripolis. Funditus ab eo eversa. Sacræ imagines a Sarac. impie raptatæ.

Dum ita inter gentiles concionatorum evangelicorum sudoribus exculta religio Christiana feliciter efflorescebat, maximam in Terra sancta a Sarracenis cladem accepit. Nullæ copiæ in Syriam traiiciebant, ex quo rebellis Siculus ingentem illam Caroli I. expeditionem disturbarat; quæ decretæ ad contrahenda auxilia decimæ, vel dissipatæ, vel in bellis contra Siculos, Aragonios, atque Ecclesiæ perduelles collocatæ: unde inclinatæ hoc tempore Syriæ res fœdissime procubuerunt, Soldanus enim Ægypti ac Babyloniæ, occasionem aucupatus, Tripolim magno circumfusam exercitu adeo crudeliter die nocteque oppugnavit, ut tandem debilitatis Christianorum viribus eam ceperit (*b*), diripuerit, incenderit, ac ne unquam a Christianis instaurari posset, funditus everterit.

(*b*) *Bern. in chr. Rom. Pont. hoc ann. Stero in annal. Jo. Villan. l. 7. c. 128. Ant. 3. p. tit. 20. c. 4. §. 6. Epitome belli sacri auctor & alii.*

Ingens fuit edita a religionis hostibus Christianorum strages: ac pauci, qui mari evaserant, Acconem confugerunt. Adjecit barbarus immanitati contumeliam: sacras namque imagines in religionis decus ad caudas equorum alligatas per urbem raptari jussit, ut Westmonasteriensis (*c*) tradit. Luget acerbum hunc casum Ptolemæus Lucensis his verbis (*d*): *Anno primo sui pontificatus capta est Tripolis (alii dicunt quod secundo anno) occisis ibidem & captis Christianis, qui erant ibidem; & aliqua ludibria in eis facta sunt indicibilia; in antedicta autem civitate principatus erat sicut in Antiochia.* Paulo fusius Jordanus diram adeo cladem describit (*e*): *Soldanus Melech Mesfor grave bellum dedit civitati Tripoli, & Turrim episcopi, quæ magnos habebat muros usque ad medietatem machinis diruit. Sustinuerunt Christiani usque ad nonam. Postea Saraceni, qui quasi per totum occupaverunt muros, pedites cuncti cœperunt usque ad mare se retrahere: & tandem equites non valentes ictus lapidum sustinere, occisi gladio aut submersi usque ad septem millia æstimati: multi navigiis sunt salvati. Captam autem civitatem soldanus jussit dirui, & cremari: & post paucos dies pro paucis captis recepit ac diruit castrum Nephy, & mandavit civitatem ædificari in loco vocato mons Peregrinus.*

(*c*) *Vvestm. Flor. hist. Bosius lib. 10. hist. Hierosol. equitum.*
(*d*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 21.*
(*e*) *Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.*

Flammis deleta.

His consentanea traduntur a Sanuto, (*f*) qui luculenter historiam Terræ sanctæ est complexus, ut fideles ad eam recuperandam concitaret: *Soldanus*, inquit, *Babyloniæ Melec Messor* XVII. *martii venit ante Tripolim, & clamor in civitate ortus est, cuctique exteri infra mœnia vocitati sunt, & cœperunt ad defensionem civitatis agere secundum tenuem eorum possibilitatem. Soldanus in civitate dirum fecit insultum, cepitque barbacanum, & turrim episcopi, quæ magnos habebat muros cujus medietatem jam machinis diruerant. In turbido igitur prælio illo sustinuerunt Christiani usque ad horam nonam. Tunc Saraceni quasi per totum occupaverant muros: pedites cuncti cœperunt se ad mare retrahere; equites vero sustinere non poterant lapides, quos de muro jaciebant: ideo versus mare pergunt & de Saracenis, qui intraverant a parte maris versus hospitales, & durum dabant eis prælium, plures interfecti plurescque submersi sunt. Interfecta sunt & Christianorum usque ad septem millia; cæteri ad galeas naveseque alias confugientes salvati sunt. Captam vero civitatem soldanus jussit dirui, igneque cremari* XXVII. *die aprilis. Post paucos dies pro paucis redimendis castrum Nephyn per deditionem acceptum dirui fecit, & mandavit civitatem ædificari in loco vocato mons Peregrinus, qui uno & tantum milliari distat a mari, & Damascum profectus est.* Referunt ad hunc annum lugubrem eam cladem plures veteres ac recentiores auctores: inter quos præcipuus est Aytonus (*g*), qui Soldanum ab aliis Melecmessor nuncupatum etsi vocat; tum Pontificis literæ kal. septembris exaratæ,

(*f*) *Sanut. l. 3. p. 12. c. 20.*

Edita ingens strages.

(*g*) *Ayton. hist. orient. c. 32.*

ratæ, quibus episcopo Tripolitano concitandi pro concione in arma sacra Christiani populi provinciam demandavit (*a*), eam cladem hoc anno contigisse confirmant. [1]

(*a*) *Lib. 2. epist. 64.*

Nicolaus &c. venerabili fratri episcopo Tripolitano.

LXVI. Tristem casum deplorat Nicolaus.

Egressus de partibus orientis rumor horribilis, rumor amaritudine plenus, & dolore non vacuus nuper matris Ecclesiæ auditum perculit, ejus viscera saucians, præcordia dure pungens. Cujus inter cætera lugubris revelat assertio, quod ille filius Belial Babylonicus persecutor, Christianorum sanguinem sitiens, de cavernis obscenis fœdisve cubilibus Babylonis ad prædicta nefaria contra renatos fonte baptismatis animis furibundis exiliens, innumera Saracenorum multitudine congregata, civitatem Tripolitanam multitudine populi præditam, multæ nobilitatis titulis insignitam, & bonorum ubertate fœcundam potenter obsedit, ipsamque undique coangustans, ac eam multosque fideles, qui ad tuitionem illius de partibus diversis concurrerant, sic infestis oppugnationibus machinarum usque ad collisionem circumstantium murorum, & turrium, jaculisque missilibus per non modici temporis spatium diebus ac noctibus fatigavit, quod eam tandem, incolarum ejus & aliorum inibi tunc præsentium viribus superatis in arcu & pharetra, furentibus gladiis comprehendit. In cujus tam sinistri tamque funesti eventus articulo, cum religionum militantium fratres & alii armati quamplurimi, viri utique strenui & propugnatores electi pro tutela civitatis ejusdem interius congregati sustinere diutius nequirent impetum irruentium undique, ac insilientium paganorum; demum nonnullis eorum in bello cadentibus, & aliquibus ab hostibus comprehensis, ut cæteros, quos velut occisionis oves in terra & mari ubique sæviens gladius trucidabat, quosque præ timoris magnitudine, ac desperationis angustia incertis passibus fugientes æquoreus fluctus involvit, sera silentii concludamus, civitatem ipsam, quod dolentes referimus, occuparunt, eam redigentes in cinerem & favillam. Dolet itaque, nec immerito, mater Ecclesia tantis intrinsecus tacta doloribus; perfunditur lacrymis vultus ejus: sibi undique lamenta consurgunt, dum quos regeneravit in filios, efferus hostis elacerat, & in fidei Christianæ cultores impiorum gladius dire sævit.

Ut Christiani extrema internecione deleti.

LXVII. Solicitat fideles Pontifex ad Asiaticam profectionem.

Quis igitur orthodoxæ fidei zelo fervens ad tantum fidelium ocyus non excitetur opprobrium? Quis illico non exurgat adversus nequitiam malignantium, aut non stabit adversus iniquitatem nefandis studiis operantes? Surgat itaque fidelium populus, & fidei clypeo præmunitus crucis signo se protegat: in hostiles irruat acies: agmina reprimat impiorum. Assistit etenim Dominus servis suis, seque timentibus tribuit firmamentum, quoniam non est abbreviata illius dextera, quæ virtutum operatione coruscans, cornua conterit superborum. Sub ipsius igitur spe atque fiducia intondentes residui partium illarum populi Christiani periculis, quæ tam pernicioſus Saracenorum ipsorum minatur aggressus, remediis quibus possumus obviare; ac plena de tuæ fidei puritate, virtutis constantia & circumspectionis industria in Christo fiduciam obtinentes; tibi prædicationem crucis in Sclavoniæ & marchiæ Tervisinæ partibus, ac in Venetiarum & Ferrariensi civitatibus, ac earum, & marchiæ Anconitanæ, ac Romaniolæ ripariis contra Saracenos eosdem præsentium auctoritate committimus; in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus in commisso superaturæ, quibus episcopo Tripolitano concitandi pro concione in arma sacra Christiani populi provinciam demandavit (a), eam cladem hoc anno contigisse confirmant. [1]

Data episcopo Tripolit. sacræ militiæ promulgandæ auctoritas.

NOTÆ [1] Cecidit hoc anno in manum Soldani Babyloniæ Tripolis urbs Phœniciæ, quam jam inde ab anno 1101. Balduinus I. Rex Jerusalem valido Genuensium auxilio stipatus subegerat. De anno quo in Soldani potestatem rediit inter scriptores non satis convenit. Joannes Iperius, qui Chronicon S. Bertini per hos annos scribebat, assignat annum 1288. quod & Ptolemæo Lucensi in annalibus & in Histor. Eccles. probatur. Sed præferendam esse sententiam, quæ in annum sequentem 1289. casum illum differt, mihi quidem persuasum est, cum id asserat Sanutus cujus authoritati utpote eorum temporum æquali, & hanc historiam ex professo tractantis deferendum censeo. Congruit & Caffari continuator, qui Annales Genuenses ad annum usque 1294. tanta fide prosequutus fuit, ut laudari publice, & præmio donari meruerit. Idem etiam de anno scribit author additionum ad Chronicon Danduli, quas ex Ambrosiano codice dedit Cl. Muratorius tom. XII. col. 402. Consentit & Haiton hist. Armen. cap. 52. Nihil moror scriptores illos, licet ab eo tempore haud discretos, qui ad annum usque 1290. rem extrahunt. Hos utique refellunt literæ Joannis de Villiers summi equitum hospitalarium Magistri, quæ cum signentur die XXIX. augusti anni MCCLXXXIX. indict. II. adeoque ante annum 1290. Tripolitanum tamen casum memorant his verbis: *Cum nuper in amissione civitatis Tripolitanæ amiserimus XL. de Fratribus nostris.* Extant in Codice Melitensi to. I. pag. 268. Ex quibus verbis chronologia nostra validius firmatur; neque enim *nuper* ammissam fuisse Urbem scripsisset, si aprili mense anni superioris cæcidisset. De mense pariter dissidium est, nam author additionum ad Chronicon Danduli majum mensem indicat, sed alii melius cum continuatore Caffari, & Sanuto aprilim mensem præferunt. Dies a Sanuto signatur XXVII. aprilis; sed cum ille diem notet qua urbs capta incendio vastata fuit; accuratius diem captæ Urbis tradi censeo a continuatore Caffari, qui diem XXVI. aprilis præfert. Cæsos trucidatosque fuisse a Venetis plurimos Historici notant. MANSI

per hoc tibi officio, juxta gratiam a Domino tibi datam per te, vel per alium, seu alios efficacem studeas habere processum, illos, quibus duxeris prædicandum, exhortationibus opportunis inducens, ut ad refrænandos Saracenorum ipsorum impetus, repellendos insultus, & superbiam conterendam crucem suscipiant reverenter, & etiam affigentes humeris propriis, votum suum fideliter exequantur. Dat. Reate kal. septemb. anno II.

LXVIII. Henricum Regem inter & Sultanum pactæ inducîæ. (a) *San. l. 3. par. 12. c. 20.*

Immincbat victor barbarus Christianorum reliquiis, cum Henricus Hierosolymorum & Cypri Rex inducias a Sultano flagitavit, quas barbarus concessit, ne occidentem in se nimiis progressibus concitaret. Quibus pactis Henricum abiisse in Cyprum, refert Sanutus (*a*): *Ipso tempore Rex Henricus existens Ptolemaide firmavit treuguam cum Soldano, & ex utraque parte juramento firmata in Cyprum rediit de mense augusti, Almericum fratrem relinquens ad custodiam civitatis.* Infregisse postea eas inducias Christianos ac Saracenos in se efferasse visuri sumus cum novi militum delectus in Syriam submissi essent, ad quos eliciendos Joannem Grelli oratorem ad Nicolaum se contulisse narrat auctor: *Joannes autem de Grelli pro parte Regis & Surianorum ivit ad Nicolaum IV. qui prius vocatus est frater Hieronymus, & fuit generalis ordinis Minorum, expositurus miserrimum terræ statum, & quod etiam infra mœnia civitatis minime essent tuti, petiturus quoque auxilium.* Contendit is a Pontifice, ut viginti triremes rebus omnibus instructas ex decimarum pecunia ad annum mitteret: cujus votis Nicolaus morem gessit, ut ex sequentibus literis ad patriarcham Hierosolymitanum (*b*), ac paucis mutatis ad Cypri Regem (*c*), aliosque viros principes missis patebit.

Missi ad Pontificem Syrorum oratores pro imploranda ope.

(b) *Lib. 2. ep. cur. 65.*
(c) *Reg. post eamd. ep.*

Nicolaus &c. venerabili fratri patriarchæ Hierosolymitano.

LXIX. Viginti triremes Ptolemaidem mitti flagitant.

Nuntiorum ipsorum petitio facta nobis hoc inter cætera potissimum, & specialius habuit ut viginti galeas, gente ac aliis necessariis plene munitas, ad ultramarinas partes pro ejusdem Terræ sanctæ custodia in præsentiarum mittere dignaremur. Cum itaque, petitionem eamdem ad exauditionis gratiam benignius admittentes, hujusmodi viginti galeas gente ac aliis necessariis munitas, ut expedit, & instructas usque ad annum de pecunia dictæ terræ deputata subsidio ad partes ipsas pro hujusmodi custodia sub ducatu seu cura venerabilis fratris nostri episcopi Tripolitani destinemus ad præsens; te & eodem episcopo, ac dilecto filio nobili viro Joanne de Grilli capitaneo gentis charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris in civitate Acconensi super gubernatione, cura, seu regimine galearum ipsarum, & personarum existentium in iisdem, postquam ad partes ipsas pervenerint, per nostras literas constituis; fraternitatem tuam rogandam attente duximus, & hortandam, nihilominus tibi per Apostolica scripta mandantes, quatenus tanquam vir constans, & strenuus assumens vigorem spiritus in adversis, spemque tuam fiducialiter ponens in domino, qui sperantes in se non deserit, sed assistit opportunis favoribus servis suis, seque timentibus exhibet firmamentum; animo intrepido persistas ad continuam civitatis Acconensis prædictæ ac aliarum terrarum & locorum, quæ a Christianis tenentur, custodiam cunctis studiis cunctisque viribus intendendo; ut illa favente Domino, ab insidiantis nequitia tuta permaneant; & ab ejus fraudulentis aggressibus sit secura. Nos enim ad statum Terræ sanctæ prædictæ prosperum votis ardentibus aspirantes, ad alia ejusdem terræ continua & potiora exhibenda subsidia diligenter & solicite vigilamus. Dat. Reate id. septemb. an. II.

Petitis assentitur Nicolaus.

Ut pollicitus erat orientalibus Christianis se instaurandis Syriæ rebus animum & operam appliciturum promissa exolvit: cum Eduardo enim Anglorum Rege de instruenda expeditione in Syriam agitavit. Devoverat ille sese bello sacro, ac primum Martino, deinde Honorio pium desiderium significarat: dumque nonnullas conditiones sibi perutiles exigeret, res fuerat diu prorogata; demum obtentis Angliæ, Scotiæ, Walliæ, & Hiberniæ decimis a Nicolao profectionem suscipere his legibus contendit. Prima ut solemnis trajectionis ineundæ dies toto occidente, ad quam omnes strenue se compararent, indiceretur. Secunda mitterentur concionatores ad Christianos ad bellum sacrum incendendos. Tertia, decimæ non trino temporis intervallo partitæ, sed eodem solverentur. Quarta censurarum religione ad capessendum iter omnes compellerentur, qui crucem induissent. Quinta, ut publica pax Christianis principibus indiceretur.

LXX. Eduardus Rex Angl. de instaurandis Syriæ rebus agitat.

Quæ a Nicolao flagitarit.

Ad eas leges singulas ita respondit (*d*) Nicolaus indictum expeditionis diem, nec jam capta Tripoli amplius differri posse: missos etiam concionatores, ac plures zelo incensos sacræ militiæ nomen dedisse. Quod ad decimas spectaret; jam mediam illarum partem die nativitatis S. Jo. Baptistæ sacro numerandam, alteram anno sequenti concessum iri; modo tamen literis publicis se suaque cuncta obligaret, refunderetque coactum ex decimis aurum subsidiarium, si vitio suo non traiiceret in Syriam, etiamsi in apparatu bellico omnia consumpsisset. Si adactus necessitate itinere supersederet, quæ supereſſent ex decimis, restitueret, & ex consumptis mediam partem persolveret.

LXXI. (*d*) *Ib. ep. 565.* Annuit petitis Pont. ac nonnulla ab eo vicissim exigit.

Ad

Ad quartum, & quintum postulatum subjecit: eos omnes, qui idonei forent ad gerenda arma, nec justis impedimentis devincti, ad aggrediendam expeditionem compellendos; laudareque consilium ut pax publica indicatur. Cæterum addidit Pontifex si quod dubium in pactionibus initis suboriretur, solvendi illius auctoritatem sedi Apostolicæ reservatum iri; ac postquam Eduardus a se admissas conditiones excurrente ad dominicæ Resurrectionis festum spatio significarit, tum decimas prædictas annorum sex numerandas. Ita vero his literis dies adscripta. *Dat. Reate non. octobris.* Harum conditionum mentionem edidit Nicolaus in aliis literis postea ad Eduardum datis, quibus questus est (*a*) nonnulla ab ipso in Anglia ad ecclesiasticæ libertatis eversionem tentata.

Indici in occidente publicam pacem laudat.

Oppressa ab Eduardo libertas ecclesiastica.

(a) *Lib. 2. ep. cur. 68.*

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

LXXII. Corripit cum Nicolaus.

Sinceræ charitatis affectio, qua personam tuam claris ejusdem exigentibus meritis Apostolica sedes amplectitur, nostrum non immerito excitat animum, ut de iis, quæ tuæ salutis profectum, nec non famæ præconium respicere dignoscuntur, pie ac solicite cogitemus. Sane per dilectum filium fratrem Guillelmum de Houdon ordinis Prædicatorum nuncium tuum, ad præsentiam regiam redeuntem, apostolicas literas quas super nonnullis petitionibus regiis negotium Terræ sanctæ tangentibus nobis exparte tua porrectis, & responsionibus nostris subsecutis ad eas confici fecimus, tuæ celsitudini destinamus. Verum, fili charissime, latere te nolumus, ad audientiam nostram relatione multiplici pervenisse, quod nonnulla in partibus Anglicanis auctoritate regia committuntur, quæ cedunt apertius in subversionem ecclesiasticæ libertatis, non absque prælibatæ sedis injuria, & divinæ Majestatis offensa. Super quo, per nos, & aliquos ex fratribus nostris cum eodem fratre Guillelmo colloquium habere curavimus, nostram ei super hoc, & fratrum nostrorum intentionem paterne ac familiariter exponentes, tibi per ipsum seriosius explicandam: nihilominus alias literas nostras, & nuncium specialem ad tuam excellentiam destinare proponimus, ut & illarum serie, ac illius relatibus eadem nostra, & dictorum fratrum intentio tibi plenius innotescat. Magnis quidem desideramus affectibus, ut præfatum Terræ sanctæ negocium, a te ferventer assumptum, & actore Domino, efficaciter prosequendum, prospero successu proficiat, & prosperiori exitu consummetur: & idcirco decet, fili charissime, ut tu præmissa, quæ profecto ministerium tuum ei, cujus negocium agitur, possent reddere minus gratum, ita corrigere studeas, quod exinde ipsius in te gratia cumulata, de tantis laboribus, quos pro ejus amore subire disponis, votivum fructum te cum ejusdem adjutorio consequi gratuleris. Nolumus autem ut pro eo, quod nuntium ad te intendimus mittere, ea quæ aliarum literarum nostrarum, quas præfatus fr. Guillelmus defert, tenore pensato circa memoratum Terræ sanctæ negocium facienda cognoveris vel omissas perficere, vel retardes. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem IV. *id. novemb. an.* II.

Ad cœpta emendanda hortatur.

LXXIII. Edmundus ob non susceptum constituto tempore iter Asiatic. censuris solvi flagitat. (*b*) *Lib. 2. ep. 630.*

Exemplo fratris Eduardi Eadmundus arma Christo consecrarat, atque una cum aliis nobilibus viris suscipiendis iteris diem jurejurando statuerat: cumque nonnullis impedimentis implicitus supersedisset, veniam violati sacramenti a Pontifice expetiit: quem, imposita congrua pœna, atque alios absolvi Bathoniensi & Wellensi episcopis ea lege præcepit, ut ad eamdem profectionem obeundam obstricti manerent. (*b*)

Venerabili fratri Bathoniensi, & Wellensi episcopo.

Petitio dilecti filii nobilis viri Eadmundi fratris charissimi in Christo filii nostri Eduardi Angliæ Regis illustris nobis exhibita continebat, quod ipse dudum zelo fidei & devotionis accensus, signo vivificæ crucis assumpto, juravit proficisci personaliter in certo jam elapso termino cum decenti bellatorum comitiva in Terræ sanctæ succursum. Verum præfatus nobilis certo impedimento detentus, sicut asserit, prout gerebat in proposito, infra promissum terminum nequivit exequi votum suum. Quare prædictus nobilis nobis humiliter supplicavit, ut suæ ac nobilium, & aliorum etiam, qui ejus prætextu de proficiscendo cum ipso infra prædictum terminum juramenta similia præstiterunt, & contra juramenta hujusmodi commiserunt, animarum saluti providere in hac parte de benignitate sedis Apostolicæ dignaremur. Nos itaque, qui salutem quærimus singulorum, volentes nobilis & aliorum prædictorum, quantum cum Deo possimus, providere saluti; dicti nobilis, ac ejusdem Regis, qui super hoc suppliciter nos rogavit, supplicationibus inclinati, præsentium tibi auctoritate committimus quatenus nobilem ipsum, nec non & illos etiam, qui occasione ipsius subsidii, & ejus prætextu, ut præmittitur, juramenta similia præstiterunt, a reatu perjurii seu culpæ, quem vel quam incurrerunt pro eo, quod infra præmissum terminum in subsidium dictæ terræ minime transfretarunt, auctoritate nostra absolvas, impositis eis & eorum cuilibet propter hoc pœnitentia competenti. Volumus tamen quod nobilis & alii præfati ad executionem hujusmodi voti eorum & juramentorum etiam observationem remaneant nihilominus obligati. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem XV. *kal. decemb. an.* II.

Bathoniensi & Wellensi episcopis id munus datum.

Lateran. basilica sacris indulgentiis decorata. (a) Ib. ep. 504.

Postremo huic anno finem imponamus adductis nonnullis prærogativis, quas Nicolaus impertiit. Lateranensem enim patriarchalem Salvatoris nostri basilicam pluribus indulgentiis decoravit (a): qua de re ad priorem, & capitulum exaratæ literæ: nec disparibus prærogativis pro singulari in familiam, e qua prodierat, benevolentia ecclesiam S. Francisci Assisinatis ornavit. (b) [1]

Assisinas ecclesia ab eodem pluribus ornata. (b) Ib. ep. 158.

In

NOTÆ [1] OBiit hoc anno Alexander Scotorum Rex, & quidem decessisse illum quadragesimæ tempore affirmat, qui tunc florebat, Nicolaus Trivettus ad hunc annum. Geminas duxit uxores, quarum prima fuit Margarita Angliæ Regis filia, ex qua prolem geminam traxit, Alexandrum, qui immatura morte patrem prævenit, & Margaritam, quæ regi Norvegiæ nupsit. Ex altera uxore filia comitis Flandriæ liberis caruit. Regnum ab Optimatibus Scotiæ delatum fuit ad Margaritam Alexandri nepotem ex filia Margarita regi Norvegiæ nupta. Porro hæc Margarita in Angliam accita dum navigaret e Scotia in ipso itinere occubuit. MANSI

I. Christiana res in Syria in exitium a Sultano Babyloniæ adducta.

IN summum discrimen adductæ fluctuabant in Syria Christianorum res anno a Virginis partu millesimo ducentesimo nonagesimo, indictione tertia: ad quas fulciendas restituendasque maximi Nicolao labores adeundi, curæque intendendæ fuerunt. Delibutus Christiano sanguine Soldanus Babylonius, quem in Tripolis florentissimæ Syriæ urbis omnibusque divitiis refertissimæ excidio hauserat, partaque victoria efferatus perdendis Christianorum reliquiis inhiabat; nec divisas mutuis dissensionibus fidelium vires cum suis æquari posse arbitrabatur. Quare Nicolaus ex superiori clade horrore perfusus, metuens ne barbarus religionem in iis regionibus funditus everteret, conatus omnes ad comparandam expeditionem ac submittenda auxilia adhibuit. Sacrum ergo classicum pro defendendo Christiano nomine cecinit (a), ut scribit Bernardus; atque ad universos fideles datis encyclicis literis incendendos (b) funestum Terræ sanctæ statum in omnium oculis defixit; atque ad capessenda arma, propositis indulgentiarum præmiis excitavit.

Nicolaus prompta auxilia submittere studet.

(a) Bern. in chron. Rom. Pont. (b) Lib. 2. ep. cur. 74.

Universis Christi fidelibus ad quos præsentes literæ pervenerint.

II. Illius ad fideles literæ.

Visio dura nunciata est nobis; qui incredulus est, infideliter agit, & qui depopulator est, vastat. Sicut enim habet literarum & nunciorum de Terra sancta venientium infausta relatio, ejusque veritas in omnes fere orbis provincias jam diffusa, egressa ex Ægypto damnati generis bestia iræ plena, impiissimus videlicet Soldanus Babyloniæ non solum incredulus, sed & credentium perfidus inimicus, & eos persequentium dux & incitator infestus, contumaci blasphemorum Dei, & persecutorum Christianæ fidei multitudine congregata, civitatem Tripolitanam inclitam, opulentam, ac innumerositate fidelium populosam, ut nequiter, sic potenter obsedit, & aliquandiu arcta obsidione gravatam, vexatam frequentibus diversarum machinarum ictibus, importunis ac diris impetitam insultibus, occupavit; occupatam sic immaniter, sic subito exterminavit omnino, quod ejus exterminium præ ipsius horrore lugere libet potius, quam narrare: cum sic horribile fuerit, sic etiam repentinum, quod paucis per fugæ remedium Domino miserante salvatis, multitudo tam habitatorum civitatis ipsius quam aliorum, qui ad ejusdem Soldani perfidiam propulsandam convenerant in eadem, in tyranni præfati manus incidit truculentas; quibus partim crudeli morte deletis, partim hostiliter captivatis, ut diutius moriantur; locis præcipue sacris in divini con-

Tripolis funestum excidium exponit.

Fideles partim servituti mane patos, partim necatos ferro.

temptus augmentum igne consumptis, inter magnam civitatem & nullam exigui temporis spatium intervenit. Ex quo idem orthodoxæ fidei nefandissimus persecutor in nimiam erectus superbiam, comminatur aperte se, congregata longe majori multitudine, aliisque ad usum bellorum necessariis præparatis, uberius civitatem Acconensem, & alia pauca loca, quæ Christianis in illis partibus remanserunt, celeriter invasurum, ut cunctum exinde populum Christianum facile prorsus exterminet, illudque posteris virtutis suæ præconium & memoriale relinquat, quod sua potentia de partibus eisdem prorsus aboleverit Christianæ religionis & nomen & cultum. Propter quod terra præfata, fatali quasi addicta discrimini, clamat & ejulat se diutinis & immensis pressuris oppressam, exterminatam incolis, enervatam viribus, exanimatam opibus, ope desertam, necessariæ adversus tanti persecutoris, tantæque persecutionis instantiam, defensionis præsidio destitutam. O quam damnosa, quam gravis in iis totius religionis Christianæ jactura! O quam lamentabile detrimentum! Accendantur igitur corda fidelium, & Redemptori nostro pissimo adversus malignantes in terra illa, quam ipse nativitatis, conversationis, & mortis propriæ titulis decoravit: quamque Scriptura sacra testatur ei omnium chariorem; cunctatione qualibet relegata, consurgant eique viriliter contra operantes iniquitatem in evidentia tantæ necessitatis assistant. Exurgant ad salutis suæ compendium, & illam brevis laboris pretio compendiose mercentur.

Partim in templis, ad quæ confugerant, religionis odio flammis exustos. Ut Ptolemaida excindere paret.

Quantum ex ea re in Christianum nomen redundet dedecus.

III. Ad illud tuendum religiosa militia proposito crucis symbolo indicta.

Cæterum licet ad excitandos eorumdem fidelium animos in terræ memoratæ succursum sufficere debeat solers attentio præmissorum; quia tamen auxiliante Domino ad plenam liberationem terræ ipsius, & interim ad subventionem locorum, quæ in præsentiarum Christianitas obtinet in eadem, nos & fratres nostri, intensis desideriis suspirantes, speramus humiliter, & fideliter credimus, quod vocem virtutis dabit Dominus voci suæ: inter multa operosa subsidia, quæ ipsi terræ, Deo auspice, fructuosa sedulo procurare atque impendere studuimus & studemus, de ipsorum fratrum consilio per diversas mundi partes Christicolis verbum vivificæ crucis deliberavimus proponendum; ac ministerium prædicandi eamdem, necnon tradendi venerabile signum ejus cunctis devote petentibus diversis ecclesiarum prælatis virisque religiosis duximus committendum.

Quocirca universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente, obsecrantes in Domino Jesu Christo, ac vobis

Excitati ad arma sacra fideles.

in remedium peccaminum iniungentes, quatenus eorum quæ superius memorantur pia & sedula consideratione permoti, ad audiendum salubre ipsius vivicæ crucis verbum cum illud in locis vestris per eos quibus ejusdem proponendi commisimus vel committemus officium, contigerit prædicari desideranter attendere, idque reverenter studeatis audire; ac vos omnes, qui ex Dei munere estis idonei, ut in prædictæ terræ subsidium vel personaliter ire, vel de vestris facultatibus impertiri subsidium valeatis, victoriosum præfatæ crucis signum devote suscipere; illudque propriis affigentes humeris, ac magnis cordibus imprimentes reverenter, & publice deferendo, ad celerem ipsius terræ succursum promptis vos animis, totisque viribus accingatis.

IV. *Admonemus insuper omnes, qui hactenus idem signum pro eodem subsidio susceperunt, ut illud, si forte dimiserint, resumentes alacriter terræ præfatæ studeant efficaciter subvenire. Et ut hoc eo libentius, eoque ferventius prosequi vestra devotio studeat, quo potiorem se noverit fructum de suis laboribus percepturum; nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi; & illa quam nobis, licet indignis, Deus ipse ligandi ac solvendi contulit, potestate, omnibus, qui personaliter propriis sumptibus in prædictæ terræ subsidium proficisci curaverint plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum, salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint; & illis similiter, qui juxta suarum exigentiam facultatum bellatores, seu alios viros idoneos in expensis propriis destinabunt, quamvis ipsi personaliter non vadant, plenam suorum concedimus veniam peccatorum, sive in generali passagio, quod in proximo fieri solicite procuramus, sive ante ipsum, dummodo infra annum a data præsentium id studeant adimplere: ita tamen, quod illi, qui infra hujusmodi annum personaliter ire, seu alios, ut dictum est, in suis expensis destinare valuerint, per annum integrum postquam ad partes Terræ sanctæ pervenerint, in ejusdem terræ servitio commorari, seu retinere, quos miserint, teneantur. Hujusmodi quoque remissionis, & indulgentiæ volumus & concedimus esse participes juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum eos, qui licet non juxta suarum exigentiam facultatum aliquem tamen, seu aliquos viros in subsidium dictæ terræ propriis sumptibus destinabunt; vel de suis temporalibus bonis contribuent ad aliquos destinandum; necnon omnes, qui ad subventionem ipsius terræ de bonis eisdem aliqua ministrabunt prout singulis divina fuerit inspiratione suggestum, aut alias ad præmonitionem præsentis negocii consilium & auxilium impenderint opportunum.*

Propositæ profecturis indulgentiæ.

Et auxilia submissuris.

Cæterum si forte aliquos eorum, qui cruce susceptæ in jam dictum Terræ sanctæ subsidium proficiscendi laborem subierint, post arreptum iter hujusmodi ex hac luce migrare contigerit, ipsos nihilominus plene percipere volumus indulgentiam prælibatam. Personas insuper, familias, & bona eorum post ejusdem aggressionem itineris sub B. Petri & nostra protectione suscipimus; statuentes, ut ex tunc sub diœcesanorum suorum defensione consistant. Quod si aliqui eos indebite molestare præsumpserint, per diœcesanos locorum, in quibus iidem molestatores fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescantur. Præterea in idem subsidium proficiscentibus indulgemus, ut per sedis Apostolicæ literas vel legatorum ipsius (nisi illæ, quæ ab eadem sede obtentæ fuerint, plenam de indulto hujusmodi fecerint mentionem) extra suas diœceses non valeant conveniri; dummodo parati existant coram suis ordinariis de se querelantibus respondere: quos per eosdem ordinarios ecclesiastica censura defendi, cessante appellationis obstaculo, volumus ab iis, qui eosdem contra indultum hujusmodi præsumpserint temere molestare. Si qui vero ex proficiscentibus ipsis ad præstandas usuras juramento teneantur astricti, creditores eorum per diœcesanos suos censura simili compellantur, ut juramentum hujusmodi penitus relaxantes, ab usurarum ulterius exactione desistant. Si aliqui autem creditorum eos extunc ad solutionem coegerint usurarum ipsos ad restitutionem earum per eosdem diœcesanos simili volumus districtione compelli.

V. Crucesignati in patrocinium sedis Apostol. accepti.

Usurarum onere liberati.

Judæos quoque ad remittendas ipsis usuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem, & donec eas remiserint, ab omnibus fidelibus Christi, quibus hoc per suos diœcesanos denunciatum extiterit tam in mercimoniis, quam in aliis sub excommunicationis pœna jubemus eis communionem omnimodam denegari.

VI. Censuris solvendi.

Ad hæc si qui proficiscentium eorumdem, seu destinantium viros idoneos juxta suarum exigentiam facultatum excommunicationis essent vinculo innodati pro violenta injectione manuum in clericos seculares, aut etiam religiosos; dummodo non fuerit excessus difficilis, & enormis, & passis injuriam satisfaciant competenter; sive pro eo quod sepulcrum Dominicum visitare, seu ad Siciliæ insulam, vel ad alias terras accedere, vel cum Siculis aut aliis quibuscumque communicare in mercimoniis, seu aliis modis contra prohibitionem Ecclesiæ

clesiæ præsumpserint; dummodo ipsis contra Romanam ecclesiam non dederint alias consilium, auxilium, vel favorem, nec arma, seu merces prohibitas portaverint Saracenis; absolvendi eos ac dispensandi cum clericis, qui cum excommunicationis sententiam latam a canone, vel ab homine incurrissent irregularitatis notam, immiscendo se divinis officiis contraxerunt, nonnullis ecclesiarum prælatis ac religiosis viris per alias nostras literas concedimus potestatem. Attendite igitur populi Christiani, & videte mentalibus oculis, quantis memoratæ superius Terræ sanctæ conditio sit attrita miseriis, obiecta periculis, calamitatibus circumsepta. Attendite beneficia supradicta, quæ vobis, eidem subsidia opportuna præstantibus, ex potestate nobis a Christo tradita conceduntur in terris. Attendite copiosam mercedem, quæ ab ipso præparatur in cælis, & ad retundendos impiæ gentis impetus, compescendos insultus, superbiam conterendam, quæ de terra illa, Christi sanguine consecrata, fideles Christi tam nequiter eliminare molitur; necnon ad eliminandum exinde spurcitias execrandas, quibus terram ipsam gens eadem profanare ac polluere non veretur, properanter exurgite, viriliter, & potenter, ut glorificetur per vos in terra eadem gloriosum nomen Domini Jesu Christi, & vos digni habeamini ab ipso percipere in terra viventium gloriam sempiternam. Datum Romæ apud S. Mariam majorem non. januarii an. 11.

Adhortatio ad fideles, ut immortalitatis spe contemnant obiecta pericula.

VII. Concitatos ad profitendam, accepto crucis symbolo, religiosam in Saracenos Asiaticos militiam fideles, ac plures, pio ardore accensos, triremibus viginti, quas Venetiis Pontifex instrui jusserat, trajecisse, refert his verbis Jordanus (*a*): *Nicolaus IV. fecit armari Venetiis galeas viginti pro subsidio Terræ sanctæ, quibus præfuit Nicolaus Teupulo dictus Scopulus. Providit quoque Papa Joanni dicto Grilli capitaneo stipendiatorum Regis Franciæ tria millia unciarum auri, & mille Rubeo de Suly, qui se obtulit ad eundum. Prædictus quoque Joannes transiens per Siciliam a Rege Jacobo quinque galeas obtinuit bene munitas: sed quia ipso anno Soldanus contra Ptolemaidem non venit.* In procinctu a suis veneno necatum tradit Aytonus (*b*); *prædicti nil nobile egerunt.* His de Scopulo addit Sanutus (*c*): *Habuitque ultra quam sibi fuerit opportunum ex crucesignatis; qui in eorum processu terram Candelorii sunt aggressi, licet neguiverint obtinere: cæteri vero per loca varia debito tempore transierunt.* [1]

(*a*) *Jord. MS. Vat. sig. n. 1960. Classis subsidiaria instructa Venetiis.*

(*b*) *Ayton. hist. orien. c. 53.*

(*c*) *Sanut. l. 2. par. 12. c. 20.*

Candelorium frustra oppugnatum.

VIII. Cecidere irriti ii omnes conatus, cum turpiter Christiani nominis causa ab iis, quibus contrahendæ classis demandata erat provincia, prodita fuerit. E viginti enim illis triremibus Ecclesiæ sumptu conductis, exscensione Christianorum facta vix tredecim ballistis & milite instrui potuere: quare episcopus Tripolitanus repetundarum judicio a Pontifice postulatus est. (*d*)

(*d*) *Lib. 3. ep. cur. 95.*

Venerabili fratri B. episcopo Tripolitano.

Gerentes cordi negotium Terræ sanctæ ac de tuæ probatæ circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, pridem tibi super viginti galeis apud Venetias armis & aliis necessariis munendis solicitudinem duximus committendam: & credimus, quod circa hoc tuæ diligentiæ studium impendisti, laboribus non parcendo. Sed re vera mirari compellimur quod sicut ad nostrum pervenit auditum, galeæ prædictæ minus sufficienter munitæ fuerunt armis & hominibus opportunis; adeo quod cum eadem galeæ ad civitatem Acconensem, ducente Domino, pervenissent, remanentibus in terra stipendiariis & peregrinis, quos galeæ detulerunt supradictæ, de hominibus reliquis, ad ipsarum munimen speciale deputatis, vix tredecim vel paulo plures galeæ armari, ut convenit, potuerunt defectu non modico invento in eis armorum, & præcipue ballistarum. Quod tanto molestius extitit votis nostris, quanto præfatum negotium ad laudem Dei & Christianitatis honorem ferventius cupimus promoveri. Nec habet nostra credulitas, quod hoc ex pecuniæ defectu provenerit, cum tibi pro muniendis galeis eisdem fecerimus de sufficienti pecunia provideri; ac insuper aliqua percepisse dicaris, quæ ex prædicatione crucis, sicut dicitur, obvenerunt. Volumus igitur, & fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus super præmissis omnibus nobis quam cito poteris rescribas plenius veritatem; & nihilominus de universis in hac parte perceptis, & expensis, etiam a te factis, plenam & distinctam in præsentia venerabilis fratris nostri Nicolai

Prodita fidei causa.

Episcopus Tripolitanus repetundarum reus.

NOTÆ [1] Nescio unde acceperit continuator Annalium Genuensium notam quamdam chronologicam, cui tamen Historici æquales licet fere omnes repugnant. Cum enim Historici illi obitum Soldani in præsentem annum conferant, Genuensis Annalista uno citius anno rem anticipat. Scribit enim anno MCCLXXXIX. *hoc quoque anno mense Decembris Alfir* (hoc etiam nomine Soldanum illum Aytonus appellat) *Soldanus Ægypti a suis plus amicissimis, & privatis toxicatus fuit, & obiit.* Si Historicus ille erravit in anno, id enim facile mihi persuadeo, certum tamen mensem Soldani emortualem, ab aliis omissum, diligenter adnotat, cujus rei gratia a studiosis chronologiæ amatoribus laudem meretur. MANSI

colai patriarchæ Hierosolymitani Apostolicæ sedis legati facias * rationem, quam describptam fideliter sub ejusdem patriarchæ ac tuo sigillis nobis volumus destinari. Dat. XIII. kal. novembris anno III.

* reddi

IX. Francorum Rex ad submittendas auxiliares copias solicitatus.

Collabentibus ita Syriacis rebus, suppetiarum ferendarum solicitus Nicolaus, misso Joanne e Semesio Minorita apostolico pœnitentiario, Francorum Regis opem imploravit, ut Terræ sanctæ Christi sanguine consecratæ tutelam corriperet; ac submissis aliquot equitum turmis, & maritimis auxiliis, Babyloniorum retunderet impetus, donec ex universis occidentis regnis erucesignatus exercitus in orientem traduceretur. Sed is politicorum consiliis a præclaro opere abductus est, ne extremo discrimine rebus pendentibus arduum bellum susciperet, ac Syriam ab ipso amissam aliquando probro verteretur. Qua accepta re Pontifex eam ignominiæ suspicionem delere ex ejus animo subjectis literis est conatus (a).

(a) Lib. 3. ep. cur. 208.

Nicolaus &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Datæ ea de re literæ.

Gerentes cordi negocium Terræ sanctæ, pridem dilectum filium fratrem Joannem de Semesio ordinis Minorum Pœnitentiarium nostrum, ad te cum nostris literis duximus destinandum; celsitudinem regiam per eas rogantes attentius & hortantes, ac obsecrantes per aspersionem sanguinis Jesu Christi, ut attenta meditatione recogitans, quam periculosa jactura negocii dictæ terræ, quantum opprobrium, quantaque ignominia totius Christianitatis existeret, si per aliquam negligentiam, vel torporem ipsius terræ particula, quæ Christianis remansisse dignoscitur, perderetur; eidem terræ, de sufficienti celerique succursu equitum, & præcipue ballistariorum & peditum armatorum, quibus ad præsens indiget; ac etiam de competenti numero galearum, de quibus eidem terræ posset efficax provenire defensio, & suorum hostium impugnatio fieri, providere curares, hujusmodi continuando succursu usque ad tempus paßagii. Præfatus autem pœnitentiarius, tandem ad nostram præsentiam rediens, regias nobis literas attulit inter cætera continentes, quod consideratis negociis, quæ incumbunt, & rebus ut nunc se habentibus in hoc resederat consilium regium, ut ad præsens nequaquam assumeres terræ custodiam prælibatæ; cum si, quod absit, de terra ipsa sub tua constituta custodia sinistrum aliquod eveniret, illud tibi fortasse contingeret imputari.

Respuit Philippus in se Syriæ curam suscipere.

X. Sane, fili charissime, scire te volumus, & pro certo tenere, quod cum te, utpote fidelissimum & devotissimum Ecclesiæ filium, paternis affectibus diligamus, ad tui honoris & exaltationis augumentum solicite intendentes; tecum super hoc pure, sincere, ac simpliciter agimus, omni prorsus captioso verbo, vel subdolo eminus relegato. Nec ad id nostra quomodolibet tendit intentio, ut si te hujusmodi gerente custodia, dicta terra sinistri quicquam accideret, talis imputatio sequeretur. Scimus etenim, & sacræ Scripturæ testimonio comprobatur, quod nisi Dominus custodierit civitatem, in vanum vigilare noscuntur, qui custodiam ejus servant. Cum igitur ad conservationem terræ memoratæ continuam fervens nostræ mentis desiderium dirigatur, regalem magnificentiam sicut iterum, sic attentius rogamus, hortamur, & obsecramus in Filio Dei Patris; quatenus præmissis sedula meditatione discussis, & ipsius terræ ac ejus incolarum periculis quibus dignoscuntur expositi, pia consideratione pensatis, hujusmodi custodiam dictæ terræ pro divina & Apostolicæ sedis reverentia, tuæ incremento salutis, ac totius Christianitatis intuitu, ad te super hoc specialiter oculos dirigentis, difficultate sublata qualibet, promptus & benignus assumas, usque ad tempus generalis paßagii exercendam; tanto propensius a Domino præmium exinde percepturus, quanto gratius & acceptius in hac parte sibi obsequium exhibebis, ac etiam consecuturus a nobis eo potioris commendationis titulum, quo per te plenius nostris desideriis satisfiet, &c. Dat. apud Urbemveterem non. decembris anno III.

Optime de re Christiana ipsum meriturum.

Interea universas copias Christianas comparatum iri.

XI. Urgebat Pontifex his precibus Francorum Regem cum extremi exitii discrimen Ptolemaidi impenderet, ac tumidus præteritis victoriis Soltanus ad eam obsidendam copias pararet. Sed fractos illius impetus opportuna morte refert Sanutus (b): *Cogitavit Melec Meßor Soldanus parare exercitum ad destruendam in terra Syriæ Christianorum reliquias, & MCCXC. de mense octobris movit exercitum: sed qui Amorrhæos inde expellere noluit nisi completæ forent iniquitates eorum, adhuc patienter sustinuit, si forte ad pœnitentiam redeant de via sua mala; & mortuus est Meßor in itinere, successitque illi filius vocatus Seraph. Cum vero carnalia cæteraque peccata continue augeventur infractoribus fœderis baptismalis, nec de malis vellent conteri, nec per pœnitentiam ad viam redire justitiæ, assumpsit Seraph paternum propositum eo ardentius commotus, quod* XIX. *Saracenos mercatores Ptolemaide in loco vocato Lafunda juxta cambium contra fidem treuguarum crucesignati gladio peremerunt, ac poscenti justitia denegata sit.* Quibus consentanea iisdem pene verbis recenset Jordanus (c). Præsidebant vero suis viribus Christiani, cum in spem elati forent, brevi Eduardum Regem, Anglicano flore stipatum, crucesignatas ex universis Christianis regnis copias in Syriam adducturum. Sed an-

(b) Sanut. l. 3. p. 12. c. 21. Ayton. hist. orient. c. 53.

Peccata exitii Syriæ causa.

(c) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.

Urgetur a Nicolao, ne ignominiæ illius metu eam abiiciat.

antequam is se longinquo accinxerit itineri, expugnatam ab Saracenis Ptolemaidem lugebimus inferius. Attributæ porro illi erant ad sustentandos sumptus bellicos decimæ sexennales, quas ne forte, intermissa sacra expeditione, in alia averteret profunderetve, exegit ab eo Pontifex, ut regia syngrapha sedi Apostolicæ caveret de iis restituendis, si bellum Asiaticum non conficeret. Cujus postulatis æquissimis Eduardus Rex, ut e subjectis literis (a) patebit, assensit.

(a) Ext. apud Nic. IV. l. 4. ep. cur. 1.

Initæ de expeditione obeunda pactiones.

Sanctissimo in Christo patri domino Nicolao divina providentia sacrosanctæ Romanæ, & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, devotus filius Eduardus, Dei gratia, Rex Angliæ, dominus Hiberniæ, & dux Aquitaniæ cum omni recommendatione devota pedum oscula beatorum.

XII. (b) Ext. l. 3. ep. cur. 45.

Regis Angl. literæ ad Pontif.

Literas sanctitatis vestræ recepimus infrascripti tenoris (b): Nicolaus episcopus servus servorum Dei charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri salutem, & apostolicam benedictionem. Gaudemus in Domino, & cor nostrum ubere exultatione reficitur, cum circa illa te solicitum fore perpendimus, quæ in laudem & gloriam summi Regis, tuæ salutis augmentum, & totius Christianitatis honorem cedere dignoscuntur. Sane felicis recordationis Martino, & postmodum recolendæ memoriæ Honorio Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, ac nobis tuo salubri Deoque accepto proposito, quod ab olim circa Terræ sanctæ negotium concepisti, per literas & nuntios tuos exposito, tam prædecessoribus ipsis, quam nobis volentibus illud opportunis fovere auxiliis, ac ejusdem terræ statui utiliter providere, inter Apostolicam sedem & te diversi habiti sunt tractatus, per diversos celsitudinis tuæ nuntios eidem sedi tuis petitionibus præsentatis: ad quas sedes ipsa noscitur certa dedisse responsa, prout in ipsorum prædecessoris ac nostris confectis exinde literis plenius continetur. Nuper autem per dilectos filios nobilem virum Galfridum de Genevilla, & magistros Guillelmum de Grenafend, & Thomasium clericos magnitudinis tuæ nuntios, & literas, quas nobis pro parte regia præsentarunt, aperte perpendimus, quod volebas in responsionibus tibi factis aliquid immutari. Porro, fili charissime, licet dilatio morosa negotii diversitasque tractatuum prædictæ terræ negotio permaximum afferre valeat detrimentum; nos tamen affectibus regiis condescendere, prout possumus, affectantes, ad notitiam tuam præsentium tenore deducimus, qualiter tibi in hac parte disponimus subvenire.

Attributæ ei decimæ Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ.

XIII. Tertio post anno D. Joannis dies ad traiiciendum constituta.

Noverit igitur regia magnitudo, quod nos terminum generalis paßagii festum nativitatis S. Joannis Baptistæ proximo futurum in tres annos, quod erit anno Domini MCCXCIII. de fratrum nostrorum consilio duximus statuendum; intendentes postquam omnia inserta præsentibus per tuas patentes literas duxeris acceptanda, crucem per omnes Christianitatis partes facere prædicari, prout viderimus expedire: & mandabimus tibi decimam sex annorum collectam in subsidium dictæ terræ in Angliæ & Scotiæ regnis, & in terris Vualliæ & Hiberniæ in duobus terminis assignari; videlicet medietatem ipsius in festo nativitatis beati Joannis Baptistæ anno Domini MCCXCI. & medietatem aliam in festo nativitatis ejusdem sancti deinde proximo secuturo: ita tamen, quod de restitutione illorum, quæ de decima recepisti supradicta, si te deficere in transfretando contigerit, facienda cautionem præstes infra festum purificationis B. Virginis proximo venturum. Interjectaque literarum formula quibus ab Eduardo Pontifici de non dissipandis decimis cavendum esset, subjungit.

De sexennalibus decimis pactiones.

XIV. Pollicetur illi Nicolaus omnes crucesignatos ad sequenda ejus signa adactum iri.

Intendimus quoque, ad omnes crucesignatos, qui esse poterunt habiles ad pugnandum vel alias utiles ipsi terræ, monitionibus & persuasionibus efficacibus, uti, ut in paßagio ipso transfretent: eosque compellere, quos temporis qualitas & ipsorum conditio suadebunt, ac sedes Apostolica expedire viderit compellendos; intendentes tibi de decimis & obventionibus collectis in terræ memoratæ subsidium in illis terris, quarum domini non transfretabunt, impedimentis nunc obstantibus Domino favente sublatis, nec supervenientibus novis, taliter subvenire, quod merito poteris esse contentus. Quamvis insuper imparatus existas ad transfretandum in dictæ terræ succursum infra triennium in dicti prædecessoris Honorii literis comprehensum, prout exigit negotii tanti arduitas; & infra, nos de novo de prædictorum fratrum consilio sex annorum decimam in dictis regnis Angliæ & Scotiæ, ac terris Vualliæ & Hiberniæ concedimus: quam decimam sex futurorum annorum interim annis singulis mandavimus colligi, & quod ante tuum paßagium fuerit de ipsa collectum, tibi postquam cum tuo exercitu ad transfretandum mare intraveris, assignari. Quod vero post paßagium, de ipsa decima colligetur, tibi, sicut colligetur assignari mandabimus, postquam in dicti paßagii termino duxeris transfretandum, prout magnitudinem tuam decebit, & requiret negotium memoratum, &c. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem XVII. *kal. junii pontificatus nostri anno* III.

XV. *Quarum literarum vestrarum tenore nobis diligenter exposito & plenius intellecto, ex nunc expresse renuntiantes omnibus concessionibus per prædictos prædecessores vestros Martinum & Honorium, & etiam per vos ipsos hactenus nobis factis super decima dictorum regnorum & terrarum; ac*

ac super obventionibus in eisdem regnis, & terris, quæ provenerunt, vel provenient ejusdem terræ subsidio; prædictam decimam sex futurorum annorum, & alia omnia in eisdem literis comprehensa sponte recepimus, & acceptamus, ipsisque nostrum præstamus assensum, & prædicta omnia & singula, quatenus nos & successores nostros contingunt, vel contingere possunt, nos ac ipsos inviolabiliter servaturos promittimus; volentes ipsa robur plenæ firmitatis habere: ac præsentes literas nostras regio pendente sigillo munitas vobis & ecclesiæ Romanæ concedimus in testimonium veritatis. Dat. apud Clipston IX. kal. novembr. anno incarnationis dominicæ MCCXC.

XVI. (a) Ext. apud Nic. I. 4. ep. cur. 157.

Obstrinxit ad id regiam fidem Eduardus aliis literis, (*a*) quæ iisdem verbis ac præscripta a Pontifice dandæ syngraphæ formula conceptæ sunt.

Sanctissimo in Christo patri domino Nicolao, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Eduardus Dei gratia Rex Angliæ, dominus Hiberniæ, & dux Aquitaniæ cum recommendatione humili devota pedum oscula beatorum.

Eduardi Reg. Angl. literæ ad Pontif.

Præsentium vobis tenore, sanctissime Pater, vestrisque successoribus Romanis Pontificibus & ecclesiæ Romanæ promittimus, quod si nos sponte, vel culpa nostra desicere in transfretando in subsidium Terræ sanctæ contigerit, seu per nos steterit, quo minus in præfixo generalis passagii termino transfretemus, omnia, quæ de decima nobis concessa in Angliæ & Scotiæ regnis ac terris Walliæ & Hiberniæ nos recepisse contigerit, restituemus ad vestrum, dictorumque successorum, & ecclesiæ Romanæ mandatum, etiamsi pars ipsorum receptorum, vel omnia ipsa recepta in præparatione transfretationis fuissent expensa; quodque si non transfretaverimus in ipso termino impedimento aliquo præpediti, expensas, quæ factæ fuerint in præparatione prædicta pro medietate imputabimus nobis, & pro medietate reliqua imputabimus prædictæ decimæ; & ex nunc consentimus, quod de ipsa decima deducantur, & promittimus. Quod si quid, facta imputatione seu deductione hujusmodi, apud nos de decima ipsa remanserit, illud similiter restituemus ad vestrum, dictorumque successorum, & ecclesiæ Romanæ mandatum; & quod si quid de expensis, quæ fient in præparatione prædicta, vel de datis, seu assignatis ejus occasione nobis taliter impeditis recuperari contingat, vel de rebus præparatis occasione passagii, medietatem illius similiter restituemus, reliqua vero medietas erit nostra. Pro iis itaque omnibus firmiter observandis & plenarie adimplendis nos, successores nostros, ac exitus & proventus nostros regni Angliæ, aliarumque terrarum nostrarum, & omnia alia bona nostra mobilia vobis, & dictis successoribus vestris, ac Romanæ ecclesiæ obligamus specialiter & expresse; præsentes literas nostras regio pendente sigillo munitas vobis, & supradictis vestris successoribus ac ecclesiæ Rom. in veritatis testimonium concedendo. Dat. apud Clipston IX kal. novembris anno incarn. dominicæ MCCXC.

Obstringit se decimas refundendas, si expeditionem nulla de causa intermitteret.

Susceptæ immemorem pii consilii Eduardum vertisse arma in Gallos visuri sumus. Exoriri enim discordia levibus ex causis inter illum Philippumque cœperat, ut inter insignis legationis causas attingemus.

XVII. Duo Cardinales ad transalpinos Reges missi.

Decreta est igitur a Nicolao gravissima illa hoc anno legatio ad Francorum, Anglorum, & Aragonum Reges, quam Gerardus episcopus Sabinensis, & Benedictus Cajetanus S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Cardinalis maximis onerati imperiis objerunt. Demandata enim ipsis provincia est, ut acceptas a Philippo Francorum defuncto Rege decimas Syriæ rebus instaurandis sacras eliceret: ut ostendunt pontificiæ literæ ad Philippum filium Regem, quibus Nicolaus memoratas tam insignis legationis priores causas expressit (*b*).

(b) Lib. 32 ep. cur. 36.

Nicolaus, &c. Phil. Regi Franciæ illustri.

Commendati Philippo Regi Francorum.

Cum venerabilem fratrem Gerardum episcopum Sabinensem, & dilectum filium nostrum Benedictum S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem ad partes Franciæ, certis sibi commissis negotiis, prout celsitudini regiæ per alias nostras notificavimus literas, destinemus; regalem magnificentiam rogamus & hortamur attente, ac obsecramus in Filio Dei Patris, quatenus ob divinam & Apostolicæ sedis reverentiam, tuæque salutis augmentum, quod propensius affectamus, prædictorum terræ incolarum multis periculis, angustiis, & pressuris, quæ sicut præmittitur, effrus hostis augmentare non desinit, regia pietate compatiens, & ad subventionem eorum benigne dirigens desiderium mentis tuæ, prædictam decimam, (attributam nimirum patri Philippo ad sumptus sacræ expeditionis, quam intermisit;) deductis ex ea expensis factis de ipsa de mandato seu beneplacito dictæ sedis, Cardinalibus ipsis & eorum cuilibet prædictæ Terræ sanctæ, ac etiam Romanæ ecclesiæ nomine faciat liberaliter assignari, &c. Dat. Rom. apud S. Mariam majorem VIII. kalen. maii anno III.

Adduxit aliam decretæ tantorum Cardinalium legationis causam Bernardus, (*c*) dum missos ait ad sedandas simultates, quæ inter Francorum & Anglorum Reges exarserant, cui Jordanus his verbis assentitur (*d*): *Discordia oritur inter Regem Franciæ & Odoardum Regem Angliæ, quæ magna fuit & multum duravit: & mittuntur duo Cardinales, scilicet dominus Benedictus Gajetani, & dominus Gerardus de Parma, qui super negotio nihil facere potuerunt.* Quibus consentanea etiam a Ptolemæo Lucensi traduntur (*a*). De ea discordia, quæ postea in atrox erupit incendium, deque navata a Benedicto, cum pontificios apices accepto Bonifacii VIII. nomine attigisset, opera inferius dicendum. Princeps porro, omniumque gravissima causa antea a nobis insinuata, ob quam Gerardus & Benedictus Cardinales legati ad transalpinos Reges fuere, in apostolico diplomate ad eosdem Cardinales (*b*) dato, aliisque ad Carolum Siciliæ, (*c*) Philippum Francorum, (*d*) Carolum Valesium Aragonum (*e*) Reges missis literis in medium adducta est: ut nimirum ad conficiendum facilius Siculum bellum, vertendaque postea in Saracenos arma de Aragoniæ & Valentiæ regnis controversiam inter Alfonsum & Carolum Valesium agitatam sedarent, & acerbas fœderis pactiones, pro liberato Carolo Rege Siciliæ vi extortas, mitigarent.

(c) Bern. in chr. Rom. Pontif. (d) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.

(a) Ptol. Luc. MS. hist. eccl. l. 24. c. 26. (b) Lib. 3. ep. cur. 2. (c) Ib. ep. cur. 3. (d) Reg. post eand. ep. (e) Ibid.

Dare operam jussi redintegrandæ concordiæ inter Eduar. & Philippum.

Venerabili fratri Gerardo episcopo Sabinensi & dilecto filio Benedicto S. Nicolai in carcere Tulliano diac. Card.

Pastoralis officii debitum exequentes, circa illa solerter intendimus, & ad felicem promotionem eorum opem & operam vigilantibus studiis adhibemus, per quæ mundi tranquillitas, commoditas Terræ sanctæ, ac salus animarum fidelium producantur. Ad nostrum siquidem pervenit auditum, quod inter charissimos in Christo filios nostros Carolum Siciliæ, & Carolum Aragoniæ Reges illustres, ac nonnullas alias sublimes personas, operante illo, in cujus manu corda sunt principum terrenorum, diligens super nonnullis negotiis tractatus est habitus; de cujus consummatione votiva, favente Domino, proventura, cunctorum pax tranquilla fidelium, optata negotii terræ memoratæ promotio, & humanæ salutis augmentum, prout spes non dubia suggerit, subsequentur.

XIX. Provincia iis demandata prosequendi tractatum inter Siciliæ Regem, & Carolum Valesium.

Cum igitur ab eodem Rege Siciliæ per ejus nuncios solemnes & literas sit a nobis cum instantia postulatum, ut ad partes ultramontanas, ubi dicti Reges cum personis eisdem moram ad præsens contrahere dignoscuntur, pro ipsius prosecutione tractatus aliquem, vel aliquos ex fratribus nostris de benignitate sedis Apostolicæ destinemus; nos ad personas vestras, quarum sunt nobis merita grandia, virtutes multiplices, & laudanda probitatis expertæ studia non ignota, dignæ considerationis oculos extendentes; scientes etiam vos pacis & concordiæ amatores existere, ac honoris & exaltationis dictorum Regum fervidos zelatores; volentes quoque tractatum hujusmodi favore benevolo confovere, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ob reverentiam Dei tanti laboris onus promptis humeris assumentes, vos ad partes illas, quamquam vestra nobis non modicum opportuna præsentia careamus inviti, personaliter conferentes, super hujusmodi negotio & ipsum contingentibus vos gerere studeatis, prout mundi statui, Dei & Apostolicæ sedis honori, animarum saluti, & prædictæ Terræ sanctæ negotio, cordi nobis potissime insidenti, oculatæ vestræ circumspectionis industria viderit expedire. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem X. kal. aprilis anno III.

XX. Alfonsus Aragonius oratores ad Cardinales legatos mittit.

Edoctus de Gerardi & Benedicti Cardinalium legatorum adventu Alfonsus Aragonius, confirmandi solii solicitus, utque Gallorum arma a se averteret, oratores amplissima instruxit auctoritate, ut cum iis de incunda cum Ecclesia, illiusque sociis Regibus, Carolo nimirum Valesio Aragoniæ renuntiato, Carolo Siciliæ, Philippo Francorum, Jacobo patruo Balearium a se regno depulso paciscerentur: *Noverint* (*f*) *universis*; Et infra: *quod magnificus princeps dominus Alfonsus Dei gratia illustris Rex Aragonum, Majoricensis & Valentiæ, ac comes Barchinoniæ fecit & constituit suos procuratores legitimos præsentes, & hujusmodi procurationis onus in se sponte recipientes, venerabilem dominum Hugonem Dei gratia Cæsaraugustanum episcopum, ac nobiles viros Berengarium de Podio viridi, & Raymundum de Anglana, & religiosum fratrem Res de Ripella ordinis hospitalis, & discretum virum Pontium præpositum de Solsone, & Jacobum de Bixyt canonicum Urgellensem, & Maymonum de castro Cuculmo militem, & Eximinum Petri de Salanova militem, Guillelmum Durfortis civem Barchinonensem, Raymundum de S. Clemente civem Ilerdensem, Bernardum Guillelmum de Pinell. jurisperitum, ac Vuillelmum de Jafer judicem de curia dicti domini Regis ad comparendum in præsentia reverendissimorum patrum dominorum, Dei gratia, Gerardi Sabinensis episcopi ac Benedicti S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi Card. sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ nunciorum, seu etiam legatorum, super tractatibus dudum habitis & habendis inter sacrosanctam Romanam ecclesiam & inter magnificum principem dominum Carolum illustris Regis Caroli claræ memoriæ primogenitum, & dictum dominum Alfonsum Aragonum Regem illustrem super reformatione pacis & concordiæ interdictam sacrosanctam Romanam ecclesiam, & magnificum principem dominum Philippum, Dei gratia Francorum Regem illustrem, & dominum Carolum fratrem ejus, & prædictum dominum principem, & dominum Jacobum avunculum præfati domini Regis Aragonum ex parte una, & ipsum D. Alfonsum Regem Aragonum ex parte alia ad prosequendum, tractandum, & complendum & firmandum ipsius*

Quæ partes iis demandatæ.

(f) Lib. privil. Rom. eccl. to. 2. p. 239. & MS. Vallic. sign. lit. B. n. 12. p. 198.

ſius nomine & pro eo tractatum pacis, & concordiæ cum eiſdem omnibus, & cum quolibet prædictorum; & ad tranſigendum, paciſcendum, componendum, conveniendum, pacem ſeu treuguam faciendum cum prædictis & prædictorum quolibet, & ad obligandum ipſum D. Alfonſum Regem & ſucceſſores ipſius ad tenendum & obſervandum fideliter ac inviolabiliter tractatum pacis & concordiæ, in quem præfati procuratores cum prædictis dominis Cardinalibus ac domino Carolo principe, & domino Jacobo avunculo præfati domini Regis Aragonum, una cum procuratoribus illuſtris Regis Franciæ, ac domini Caroli fratris ejus, & quolibet eorum duxerint concordandum: dans idem dominus Rex Aragonum præfatis procuratoribus poteſtatem in animam ipſius jurandi ac præſtandi juramentum de parendo mandatis Eccleſiæ, ſi neceſſe fuerit, & dictis procuratoribus ſuis videbitur expedire; & ad ſubeundum cujuſlibet alterius generis juramentum, & ad faciendum omnem ſecuritatem & cautelam, quæ in præfato negotio, & tractatu pacis & concordiæ prædictis procuratoribus ſuis videbuntur expedire, & quam poſſet idem dominus Rex Aragonum facere, ſi eſſet ibidem perſonaliter conſtitutus, &c. Actum eſt hoc XII. *kalend. februarii anno Domini* MCCLXXXX. [1]

XXI. Rex Balearium pacis tractatu comprehenſus.

Illata eſt Jacobi Alfonſi patrui Regis Balearium mentio in eo tractatu, cum Nicolaus inter cæteras graviſſimas cauſas, ob quas, etſi Carolus Rex Siciliæ deprecator accederet, Alfonſum in gratiam admittere reſpuerat, initaſque eundem inter & Carolum pactiones reſciderat, ea permotus eſſet, ne Regem Balearem, qui ob ſuſceptas adverſus Petrum fratrem & nepotes Eccleſiæ partes regno ejectus fuerat, deſereret: nec propterea Jacobo Aragoniæ & Valentiæ jura reſtituta viſuri ſumus, niſi Jacobus patruus Balearico regno redditus eſſet. Præterea ad cogendum ad id Alfonſum, Philippo Regi Francorum, ut fratrem in Cataloniam, Aragoniam, & Valentiam induceret, attributæ erant decimæ non modo in Galliis, verum in finitimis nonnullis provinciis Romano Imperio obnoxiis. Quod cum Rodulphus Romanorum Rex in ſuam injuriam verti interpretaretur, atque a nonnullis adverſus Francorum Regem incitaretur, quaſi is Imperii jura ſibi vendicaret, Nicolaus Rodulphum mulcere literis ſtuduit, (*a*) & cauſas ob quas id ſedes Apoſtolica conſtituerat, nimirum ad comprimendos Aragonios Siciliæ invaſores, tuendamque Eccleſiæ dignitatem aperuit.

(*a*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 47.

Francorum Regi decimæ ad fratrem in Aragoniam inducendum attributæ in Galliis.

Chariſſimo in Chriſto filio Rodulpho Regi Romanorum illuſtri.

Devotione plenas, & affectione non vacuas regiæ celſitudinis literas, noſtro nuper apoſtolatui præſentatas eo promptius libentiuſque ſuſcepimus, quo mittentem ſincerius gerimus in viſceribus charitatis. Quarum inter cætera tenor habebat, quod principum, magnatum, & baronum Imperii adverſus excellentiam regiam murmura ſuccreſcebant, quaſi dictum Imperium minime tueatur, patienter & indigne ferendo, ut chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum illuſtris excedat limites regni ſui, aliqua contra ipſius ſtatum Imperii, & in depreſſionem ejus non modicam attentando. Tu vero ex eo modernis prægravari temporibus prætactum Imperium reputabas, quod in nonnullis civitatibus, & diœceſibus infra dicti metas Imperii conſtitutis trium annorum decimam Regi perſolvendam eidem duximus imponendam; præſertim cum eccleſiæ civitatum & diœceſum earumdem de bonis ipſius Imperii ſint dotatæ: quare magnificentia regia ſuppliciter poſtulat, ut ſuper ipſius præſtatione decimæ jam dictas minime gravaremus eccleſias, quinimo illas ab hujuſmodi præſtationis onere præfato Regi, ſicut præmittitur, faciendæ prorſus abſolvere dignaremur.

Et in Imperii Germanici parte.

Gravate id acceptum a Rodulpho.

*Sane, fili chariſſime, non ignorare te volumus, quod inter cæteros orbis terræ principes, regalibus titulis inſignitos, te utpote fidelem Eccleſiæ filium & devotum ſpeciali affectione proſequimur, ſinceris complectimur brachiis, tui ſtatus incrementa felicia diligentes: nec ad ejuſdem Imperii vel ſuorum depreſſionem, ſeu diminutionem jurium voluntas noſtra dirigitur, cum illa potius ne lædantur in aliquo vel turbentur, manutenere ac tueri favorabiliter intendamus. Nam licet Apoſtolica ſedes, urgente neceſſitatis articulo, prædictam decimam in civitatibus & diœceſibus impoſuerit memoratis, certis eidem Regi terminis perſolvendam; hujuſmodi tamen impoſitio decimæ, ſi conſideretur attentius, non tam in ipſius Regis commodum, * quam in eccleſiæ Rom. auxilium & favorem adverſus ejus hoſtes publicos & rebelles (quorum præ-*

XXII. Pontifex mulcere illius iras nititur.

* redundat

NOTÆ [1] RAtio anni a martio exordiendi quæ tunc nondum exoluerat, Annaliſta decepit, ut Conventum hunc, cujus publicas tabulas ita conſignatas offendit: *an. MCCXXXX. die XII. Kalen. Februarii* in præſentem annum referret. Verum ambagem omnem tollit Bartholomæus a Neocaſtro, qui Conventum Aquis celebratum notat die II. februarii, indictionis IV. adeoque anno 1290. Ibi pariter deducit conditiones quibus Alphonſus in Romanæ eccleſiæ gratiam rediit. Harum ſumma ut Alphonſus ab auxilio præſtando Jacobo Siciliæ Regi abſtineret, & intra biennium ſummo Pontifici ſeſe ſiſteret ac denique intra triennium arma in terram Sanctam ferret. MANSI

Juſtas cauſas exponit, ob quas id ſancitum.

præſumptiones multiplices & temeritates innumeras, quibus nondum finis imponitur, jam fere totius orbis notitia extitit ſubſecuta) ut hoſtium & rebellium prædictorum infanda præſumptio, quam timor Dei vel reverentia ſedis prælibatæ non reprimit, prædicti Regis potentia ipſius eccleſiæ, cujus præcipue negotium agitur, adjuta ſuffragiis, compeſcatur.

Regalem itaque magnificentiam rogamus, & hortamur attente, ac obſecramus in Filio Dei Patris, quatenus ſedula meditatione recogitans grandem & urgentem ipſius neceſſitatem eccleſiæ multis jamdiu ab hoſtibus & rebellibus ſupradictis, non abſque divinæ majeſtatis contemptu, & opprobrio multo fidelium laceſſitæ injuriis, vexatæ moleſtiis, offenſionibus impetitæ; attendens etiam & diligenter advertens, quod tu tamquam ſpecialiſſimus ipſius eccleſiæ filius defenſorque præcipuus, exaltationem & augmentum ejuſdem eccleſiæ debes non ſolum votis affectare ferventibus, ſed etiam ſibi adeſſe favoribus, conſiliis, & auxiliis opportunis; moleſte non feras, ſed potius ſub devotionis filialis promptitudine patiaris id quod ejuſdem ſedis circumſcripta prudentia de impoſitione ac ſolutione prædictæ decimæ noſcitur ordinaſſe: tanto nobis & eidem ſedi amplius proinde placiturus, quanto libentius te ſuper hoc ejuſdem ſedis conformabis affectibus, & ipſius beneplacitis promptius acquieſces: maxime cum eidem Imperio aliquod exinde præjudicium generari, vel jura ejus in aliquo minui vel lædi nolimus; ſtatuentes, & etiam auctoritate apoſtolica decernentes, ut per hoc in prædictis terris ſeu locis nullum jus eidem Regi quomodolibet acquiratur, aut juribus, quæ inibi præfatum Imperium obtinet, in aliquo derogetur. Datum apud Urbemveterem v. *non. julii anno* III.

Objectæ pertinacibus pœnæ.

(*b*) Ep. cur. 104. (*c*) Lib. 3. ep. 411. 412. & *poſt eamd. ep.*

XXIV. Catanzarum ad Jacobum deficit. A Roberto comite Atrebat. obſidione cingitur. Jacobus ab eodem propulſatus. (*d*) *Jo. Villan. l.* 7. *c.* 133. *S. Ant.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 5. §. 7. *Chr. Sueſſan. MS. Summont. l.* 3. *& alii.* Cajetam obſidet. Adducitur in diſcrimen. Carolus cum eo inducias paciſcitur ad biennium. (*e*) *Bonif. VIII. l.* 5. *ep. cur.* 72. Robertus dux ex iracundia regno abſcedit.

XXIII. Conſtituta hæc, uti vidimus, a Martino IV. ut Aragonios ab invadenda Sicilia diſtraheret. Quos etiam ut facilius divelleret, legatos Cardinales, de quibus memoravi ad reſtituendum in gratiam cum Eccleſia Alfonſum miſſos a Nicolao diximus; cui ad officium redire velle præ ſe ferenti ut paternum ſinum explicuit, ita Jacobum Alfonſi fratrem, qui relictam a patre Siciliæ tyrannidem corripuerat, legum ſeveritatem promulgata hac ſententia diſtrinxit (*a*): *Intendentes adhuc de apoſtolicæ manſuetudinis lenitate, quam in noſtris actibus libenter amplectimur, experiri, utrum in eodem Jacobo quicquam reverentiæ erga Deum, aut aliqua devotionis erga Eccleſiam ſcintilla remanſerit; dictos Jacobum & Siculos præſente hac fidelium multitudine copioſa monemus, ut infra kalendas menſis aprilis proximo venturi ſibi ſalubriter conſulentes, ad noſtra & ejuſdem Eccleſiæ mandata redire procu-*

(*a*) Lib. ep. cur. 103.

Jacobus & Siculi moniti, ut ad Eccleſiæ obſequium redeant.

naſſe reperitur : Berardo enim Card. epiſcopo Prænestino præcepit, (*a*) ne a Cajetanis ob fidei in Carolum constantiam decimas pro Siculo bello exigeret : aliisque literis epiſcopo, clero, & populo illius urbis indulgentiarum præmia propoſuit, (*b*) ſi Jacobi impetus, ut hactenus præſtitere, generoſe propulſarent.

Cajetani omnibus vectigalibus ad decennium liberi pronuntiati.

(*a*) *Lib.* 3. *ep.* 202.

(*b*) *Ibid. ep.* 318.

XXV. Commendati ob fidei constantiam a Pontifice.

Venerabili epiſcopo ac dilectis filiis clero, & populo Gajetano.

Dum perſecutiones validas, & atroces injurias, quas Jacobus natus quondam Petri olim Regis Aragonum, perſecutor Eccleſiæ manifeſtus (qui ſtipatus iniquo populo Siculorum ad occupationem regni Siciliæ, ſpecialis eccleſiæ Romanæ peculii manus avidas extendere non paveſcit) in obſidione civitatis Gajetanæ Deo, & eidem eccleſiæ dudum malitioſe ſubintulit, diligenter advertimus ; dum periculoſa damna & quaſi perpetua detrimenta, quæ ipſi regno ejuſdem civitatis amiſſio, ſi eam ſecum, quod abſit, fatalis caſus adduceret, indicat paritura, jugiter revolvimus in penetrabilibus mentis noſtræ, illa nos convenit excogitare remedia, per quæ in potentia Jeſu Chriſti hujuſmodi futuris periculis occurratur : propter quod vos ad defenſionem dictæ civitatis indulgentiis, & remiſſionibus invitamus.

Ut autem vos, quos mente devotos, fide conſtantes, & omni ſoliditate præclaros hactenus fuiſſe conſpicimus, defenſioni dictæ civitatis fortius inſiſtatis, quo uberius ſpiritualium largitionem munerum vos noveritis percepturos ; nos de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum auctoritate confiſi, vobis omnibus & ſingulis, alias vere pœnitentibus & confeſſis, ſi contra Jacobum, & Siculos præfatos, & adjutores eorum, ſi eos ad obſidionem vel impugnationem civitatis ipſius redire forte contigerit, pro bono fidei, ejuſdem Eccleſiæ devotione, ac defenſione dictæ civitatis vos conſtituetis conſtantes & ſtrenuos bellatores, illam veſtrorum peccaminum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fueritis, veniam indulgemus, quæ proficiſcentibus in Terræ ſanctæ ſubſidium in generali concilio eſt conceſſa. Dat. apud Urbemveterem IV. *id. aug. an.* III.

Cajetanis ſtrenue hoſtem propulſaturis propoſitæ indulgentiæ.

Propoſita eſt Cajetanis ipſis ſequenti anno eadem criminum venia (*c*), ſi pari conſtantia in retundendis hoſtium conatibus obſtrictam Carolo fidem colerent. Meminit oppugnationis Cajetæ chronicon Sueſſanum (*d*), additque ad eam liberandam ingentes a Pontifice ſubmiſſas fuiſſe auxiliares copias; tum addit de Jacobo: *Diſceſſit ex obſidione Cajetæ cum exercitu ſuo, & ivit in Siciliam : & ipſe Rex Carolus venit Neapolim, & ibi militem fecit dominum Carolum ejus primogenitum, & fecit eum principem Salernitanum, & dominum montis S. Angeli, & dimiſit eum vicarium generalem in regno.* De eodem Ungarica corona redimito dicetur inferius. Subdit chronici auctor de parente: *Et ordinata ejus curia iter arripuit verſus Franciam ad tractandum concordiam cum dicto * Anfuſo fratre domini Jacobi,* * *Alfonſo* Hactenus de Siculis rebus: nunc ad eccleſiaſtici principatus res ſermonem traducamus.

(*c*) *Lib.* 4. *ep.* 107.

(*d*) *Chron. Sueſſan. MS.*

Cum animadvertiſſet Nicolaus nimiam illam licentiam, qua urbes ac populi cum aliis contrahebant fœdera, ſeditiones parere, ac ſubitas defectiones invehere, hujuſmodi coitiones, incuſſis graviſſimis pœnis ſubjecto diplomate comprehenſis, conflari vetuit (*e*).

XXVI.

(*e*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 107.

Ad futuram rei memoriam.

Solent conjurationes, & colligationes aliæ inter civitatem & civitatem, vel univerſitates alias initæ graves plerumque turbationes inducere, aliaque grandia corporum & animarum pericula germinare. Hinc talia non improvide ſunt imperiali ſanctione prohibita, & quæ proceſſerant, ejus auctoritate caſſata, pœnis & aliis remediis in ipſius violatores adjectis. Nos igitur, quibus eccleſiæ Romanæ temporaliter ſubjectorum cura etiam ſpiritualis incumbit, ideoque ipſis maxime contra quævis ſaluti animarum adverſa providere tenemur, non immerito hujuſmodi periculis occurrere cupientes, hac in perpetuum valitura conſtitutione de fratrum noſtrorum conſilio diſtrictius inhibemus, in quibuſcunque terris eccleſiæ memoratæ inter civitates, vel univerſitates quaſlibet, ſeu inter ipſarum aliquam, & ſingularem perſonam conjurationem, ſocietatem, confœderationem, ſeu colligationem quamlibet abſque ſedis Apoſtolicæ conſenſu, & expreſſa licentia deinceps iniri, aut contrahi, vel ſub colore quolibet attentari : & ſi contra præſumptum fuerit, conjurationem, ſocietatem, confœderationem, ſeu colligationem ipſas, etiamſi pœnarum, vel juramentorum fuerint adjectione vallatæ, irritas decernimus & inanes : contractas autem hucuſque, etiam ſi pœnarum, vel juramentorum ſimili fuerint adjectione firmatæ, caſſamus ; ſtatuentes, ut ſingulæ civitates, univerſitates, atque perſonæ conſtitutionem hujuſmodi violantes trium millium marcharum argenti pœnam incurrant. Et nihilominus non ſolum cenſura percellentur eccleſiaſtica, ſed & alias temporaliter, & ſpiritualiter punientur, prout qualitas commiſſorum exegerit, & ſedes ipſa viderit expedire, pœna hujuſmodi circa minora loca, ſive perſonas pro ipſorum locorum, & perſonarum qualitate præfatæ ſedis arbitrio moderanda. Moderandi vero pœnam hujuſmodi, vel remittendi, vel ſuper ipſa quomodolibet componendi provinciarum, terrarum, vel locorum rectoribus omnimodam adimi-

Vetiti populi ditionis eccl. coitiones invicem conflare.

Initas juſſi diſſolvere.

Impoſitæ prævaricantibus mulctæ.

mus facultatem. Nulli ergo, &c. Datum apud Urbemveterem XXV. *kal. decembris anno* III.

XXVII. Guido Montiſeretri comes anathemate devinctus.

Patiebatur etiam tunc Eccleſia crudeliſſimum hoſtem Guidonem Montiſeretri comitem, qui plura olim in Flaminiam mala invexerat, ac Piſis Apoſtolicæ ſedis ſtudioſos oppreſſerat : ob quæ ſummus Pontifex, qui ſæpius in judicium rebellem vocarat, imperia apoſtolica detrectantem anathemate devinxit, Piſaſque, ni ille magiſtratu ſubmoveretur, ſacrorum uſu interdixit (*a*) : *Guidonem*, inquit, *præſente hac innumera fidelium multitudine excommunicationis ſententia innodamus, & civitatem eamdem eccleſiaſtico ſupponimus interdicto, eidem Guidoni diſtrictius injungentes, ut infra unius menſis ſpatium, a die noſtræ monitionis hujuſmodi computandum, quem ſuper hoc ei pro peremptorio termino aſſignamus, præfatæ civitatis regimen omnino dimittere, & ad conſinia prædicta redire, ac etiam coram nobis per procuratorem idoneum comparere procuret, beneplacitis, & mandatis apoſtolicis ſuper præmiſſis humiliter & efficaciter pariturus. Nos enim tam contra cives & civitatem prædictos, quam etiam contra præfatum Guidonem, ſi ſecus attentare præſumpſerit, ſpiritualiter & temporaliter gravius procedere, Domino favente, curabimus, prout contumacia eorum exegerit, qualitas facti ſuaſerit, & viderimus expedire. Actum in Urbeveteri in eccleſia Urbevetana in feſto dedicationis baſilicæ Principis Apoſtolorum de Urbe, pontificatus noſtri anno* III.

(*a*) *lb. ep. cur.* 105.

Intentatæ graviores minæ.

XXVIII. Indixit etiam Pontifex judicium Maynardo duci Charinthiæ, eidemque comiti Tyrolenſi ob Philippi Tridentini epiſcopi occupata jura, (*b*) Maguntinum, (*c*) ac Trevirenſem archiepiſcopos legibus agere juſſit (*d*) in Walranium comitem Juliaci, eumdemque præpoſitum eccleſiæ S. Mariæ Aquenſis Leodienſis diœceſis, qui Sifridum archiepiſcopum Colonienſem apud Worinch obſederat, erumpentemque in acie ceperat. Tum Joannem ducem Brabantiæ, & comitem e Matra, alioſque in archiepiſcopum conjuratos graviſſime arguit (*e*).

(*b*) *Ep. cur.* 106.

(*c*) *Lib.* 3. *ep.* 92. 144. 808.

(*d*) *Lib.* 2. *ep.* 858. 859. & *lib.* 3. *ep.* 176.

Tuendi præterea juris eccleſiaſtici ſolicitus, cum illud in Galliis regii adminiſtri principis armati potentia, admodum labefactarent, & clerum in ſervitutem redigerent, Nicolaus Cardinales legatos Gerardum & Benedictum ſuperius memoratos illi redintegrando dare operam juſſit, ac Philippum regii officii admonuit (*f*).

(*e*) *lb. ep.* 860. 861.

(*f*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 32.

Nicolaus, &c. chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Francorum illuſtri.

Attende, fili, & diligenter intellige verba patris zelantis ab intimis tuæ ſalutis profectus uberes, & honoris regii augmenta felicia votis ferventibus cupientis. Revera novimus veritatis amica fore, quæ loquimur, quodque lingua noſtra id aperit, & emittit exterius quod cordis uterus intus habet. Sed, o utinam, fili chariſſime, Romanæ eccleſiæ matris tuæ ſincera præcordia corporeis poſſes aſpectibus intueri ! O utinam celſitudini regiæ, mentis ejus puritas, & intentionis bonæ propoſitum palpanda digito panderentur ! Aperte namque perpenderes, ac ſenſibus regiis clarioribus pateret indiciis, quod inter cæteros regalibus titulis inſignitos, quos vaſti orbis orbita continet, ipſius eccleſiæ affectuoſa ſinceritas te favoribus fovet eximiis, ſpecialibus proſequitur gratiis, ac prædilectum gerit & ſervat ſolicite in viſceribus charitatis, ad tuam, & inclyti regni tui, reverentiæ filios & devotos alumnos more laudabili producentis pacificum ſtatum, & proſperum vehementer aſpirans, ad regalium jurium conſervationem omnimodam paternis ſtudiis intendendo. Nec tibi quis aliud fortaſſis adulando ſubmurmuret, blandiendo ſuggillet, aut diſtillet in auribus complacendo. Scimus enim quod ſermo noſter veris innititur : ſcimus quod noſtræ aſſertionis ſeries nihil falſitatis includit, nihil fictionis innectit : ſcimus quod verborum noſtrorum oracula uberi veritatis adminiculo confoventur.

A cœptis Philippum Regem verbis mollibus revocare nititur Nicolaus.

XXIX. *Sane jamdudum, prout tuam non credimus latere notitiam, validis & adhuc continuatis eccleſiarum & prælatorum regni memorati clamoribus ſuper multis, variis, ac diverſis gravaminibus, moleſtiis, injuriis, & offenſis ſibi per balivos & officiales alios regios indebite irrogatis, ad Apoſtolicæ ſedis perductis auditum, felicis recordationis Honorius Papa quartus prædeceſſor noſter, intendens patris more benevoli providere benignius ſuper iis, tibi præmiſſa per ſuas ſecretas & affectuoſas literas intimavit, rogans & exhortans attentius, ut in hac parte providentiæ regiæ magnitudo congruam & opportunum adhibere remedium non differret. Nos etiam poſt noſtræ promotionis initia, clamoribus invaleſcentibus ſupradictis, tibi, cujus ſalutem exquirimus, ſub paternæ charitatis officio jam pluries ſuper illis ſcripta noſtra meminimus direxiſſe, ut regiæ juſſionis imperio a talibus ceſſaretur. Sed quæ ſit circa hæc ſubſecuta correctio, quæ facta proviſio, quod remedium ſuper eiſdem adhibitum, prædictorum clamorum excrefcentibus vocibus revelatur, cum per balivos & officiales eoſdem, quaſi flamma in eis furentis indignationis accenſa, contra jam dictas eccleſias, & prælatos immanius & horribilius ſit proceſſum, & procedi continue non deſiſtatur.*

Exponit ut Honorius IV. pontificiam ad id operam adhibuerit.

Probant hæc ſiquidem, & apertius exprimunt venerabilis fratris noſtri epiſcopi Pictavenſis, & Carnotenſis, ac Lugdunenſis

Nullum hactenus malo remedium appoſitum. Pictavenſem, Carnoten. & Lugdunen. eccleſias opprimi.

sis ecclesiarum profunda suspiria, profluvia lacrymarum, quibus eorum madescunt oculi, facies irrigantur ob afflictiones & oppressiones innumeras, atroces injurias, auctas molestias, & non facile numeranda gravamina per balivos & officiales præfatos, quasi effrænes per campum licentiæ discurrentes, postquam ad te nostræ super hoc emanarunt literæ, irrogata. Nunquid, fili, sunt hæc tam gravia, & enormitatibus plena multimodis a nobis prætereunda silentio? Numquid patienter, & æquanimiter toleranda? Numquid committenda neglectui, aut dissimulationis cujuslibet obtegenda velamine, ubi Christus offenditur, justitia lacessitur injuriis, salutis detrahitur animarum, libertas ecclesiastica læditur, & ecclesiarum bona enormiter dissipantur? Licet non credamus læsisse in aliquo jura tua, quæ conservare intendimus integra & illæsa, teque in illis, ac etiam laudabilibus consuetudinibus & usuagiis, ut patriæ verbis utamur, favorabiliter confovere proponimus, & honorem tuum, quantum cum Deo possumus, augumentare. Sed nequaquam negligendum, aut omittendum est nobis, conscientia suadente, quin libertatem eamdem, quam te quoque veluti catholicum principem manutenere solicite & convenit & tucri, studeamus, prout tenemur, & pastoralis officii debitum exigit, curis conservare vigilibus, & defensionis continuæ præsidio confovere.

XXX. Æqui debere accipere, si ad eos tuendos apostolicus zelus incumbat.

Nec debet, si solertius attendatur, molestum aut grave succedere votis tuis, si circa tuitionem ecclesiarum necessariam dicti regni, sedulitas nostra fervens invigilat, curiosa desudat intentio, ac opportunus Apostolicæ sedis favor & efficax adhibetur: cum eædem ecclesiæ, ac personæ ecclesiasticæ regni prædicti, tibi & ipsi regno necessitatis articulo ingruente, nequaquam defuerint, prout melius experientia docuit, & facti exhibitio revelavit; nec deerunt, actore Domino, in futurum. Mirandum quoque, si pensetur attentius, non existit, si episcopo & ecclesiis memoratis prætactæ sedis circumspectio provida, quæ in suis processibus a justitiæ tramite, in qua cunctis est debitrix, non recedit, benignius duxerit in aliquo providendum. Nam cum illorum querimonia luctuosa peccatum contra episcopum & ecclesias prælibatos, sic aperte per balivos & officiales eosdem fuisse commissum exprimeret, ut nullo posset verborum velamento celari, constans dictæ sedis, & solida rectitudo æquanimiter pati non poterat, quin super iis, ut peccati saltem sequeretur debita & opportuna correctio, salubre remedium adhiberet: quamquam sedes ipsa magnitudini regiæ quamplurimum, si hæc consideratio recta discutiat, duxerit deferendum; dum sic illis spiritualem gladium, de jure communi sibi proculdubio competentem, restituere non injuste curaverit, ut tuam, tuæque consortis personas, nobis utique prædilectas, & cappellam etiam regiam hujusmodi restitutio non includat; sed excipiantur penitus ab eadem, prout confectæ super hoc apostolicæ literæ plenius profitentur.

XXXI. Commendat ipsi legatos Cardinales.

Quia vero benigna sedis memoratæ clementia, quæ circa filios devotionis exuberat, in iis & aliis personam tangentibus regiam intendit se gerere sicut mater, providit exacta deliberatione præambula, prout tibi per alias nostras clausas nuntiavimus literas, venerabilem fratrem Gerardum Sabinensem episcopum destinandum, cui postmodum ex causa dilectum filium nostros Benedictum sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum Cardinalem adjunximus, sicque ipsos tamquam pacis angelos destinamus, qui tibi, utpote filio prædilecto, piæ matris mentem aperiant, pandant affectum; quique una tecum vias & modos prudenter inveniant, per quos, favente illo qui veritas est & via, zelans pacis, & humanæ salutis augumentum, jam commota quiescant, concitata sedentur, turbata redeant in tranquillum, ac futuris dissidiis, & querelis quibuslibet inter te tuique regni ecclesias, charitatis mutuæ invalescente vigore, quævis materia præcludatur.

XXXII. Regios oratores benigne a se acceptos significat.

Qualiter autem dilectos filios nobilem virum Joannem de Accon, magistrum Gerardum de mala morte cappellanum nostrum, fratrem, Arnulphum ordinis militiæ templi, & Guillelmum de Granceyo militem tuos, & alios comitum, baronum, ac universitatum, seu communitatum regni prædicti nuntios nuper ad sedem Apostolicam accedentes libenter vidimus, & affectuose recepimus; benignam illis audientiam tribuentes, ac propositionem ipsorum coram nobis, & fratribus nostris factam, nostræque responsionis seriem subsecutæ; tibi præfati Cardinales plenius explicabunt. Rogamus itaque regalem magnificentiam, & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus Cardinales ipsos, viros utique profundi consilii, circumspectæ prudentiæ præditos titulis, virtutum dotibus insignitos, ac honoris tui, tuæque salutis, & famæ fervidos zelatores, & eorum quemlibet, cum ad partes Gallicanas pervenerint, pro Apostolicæ sedis & nostra reverentia benigne recipiens, honeste pertractans, & condigna honorificentia prosequens salubribus verbis eorum, & cujuslibet eorumdem tamquam reverentiæ filius humiliter acquiescas, ut in te, prout speramus & cupimus, ea quæ devoti sunt filii Romana ecclesia semper inveniat, tuque in ea maternæ dilectionis affectum quasi per vicissitudinis gratioris officium, te reperisse continue gratuleris. Dat. Rom. apud S. Mariam majorem x. kalen. aprilis anno III.

Ad

XXXIII. Ecclesiarum jura Eduardus Rex in Anglia usurpat. (a) Lib. 3. epist. ep. 46. (b) lib. ep. cur. 43. Corripitur a Nicolao.

Ad asserendam pariter in Anglia libertatem ecclesiasticam, quæ admodum a magistratibus regiis labefactata (a) erat, Bartholomæum episcopum Grossetanum ad Eduardum Regem legavit, quem ut suorum licentiam compesceret, hisce literis hortatus est (b).

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

In suasionibus & exhortationibus nostris accipe, fili charissime, manifestum paternæ charitatis insigne, idque in spiritu devotionis gratanter accepta. Sane per dilectum filium fratrem Guillelmum de Heudon ordinis Prædicatorum super quibusdam, quæ in regno tuo contra libertatem ecclesiasticam regia dicuntur auctoritate committi, nostram & fratrum nostrorum intentionem regiæ celsitudini exponi mandavimus, teque salubribus persuasionibus ad correctionem illorum induci. Super quibus conscientia nos, & ad personam tuam speciali affectione urgentibus, paternis exhortationibus utimur, aliaque opportuna remedia, si res exegerit, exquiremus, quoad illorum nobis desiderata correctio innotescat: præsertim cum in quibusdam literis, ejusdem fratris ministerio tibi missis, id per alias subsecuturas literas & specialem nuntium prædixerimus nos facturos, & de illis agatur, quæ in divinam offensam, & grandem Apostolicæ sedis cedunt injuriam; tuæ saluti obviant, & salutari proposito, quod tanquam princeps Christianissimus de subveniendo personaliter Terræ sanctæ necessitatibus assumpsisti non absque famæ tuæ dispendio adversantur.

In causarum controversiis provocantes ad sedem Apost. vetant.

Intelleximus etenim, & non solum fama communis (ne dicamus infamia) sed & evidentia, evidensque frequentia dicitur facti testari, quod frequenter cum in regno prædicto super negotiis ad ecclesiasticum forum spectantibus literas contingit apostolicas emanare, sicut in aliis Christianorum regnis quotidiano usu emanant, & consueverint emanare; tam in tuo, quam in dictis regnis temporibus retroactis, illas judicibus impune præsentare non licet: & si forsitan præsententur, currit statim breve regium, ut patriæ verbis utamur, & usum illarum sub pœnæ comminatione, immo & executione, si fiat contrarium, interdicit: sæpe namque capiuntur illis utentes, etiamsi ecclesiasticæ sint personæ. Pro levibus insuper offensis personas hujusmodi, absque dignitatis statusve delectu, pro regali & regalium ministrorum libito regius carcer includit, nec personæ ecclesiasticæ permittuntur extra regnum ipsum auctoritate apostolica evocari; regiaque curia se de nonnullis causis ad ecclesiasticum forum indubitanter pertinentibus, quarum cognitio non cadit in laicum, spretis sacris canonibus, intromittit; aliasque in regno præfato multimode libertas ecclesiastica non servatur, nec ipsam servari ministri regii patiuntur.

Senatum regium de spectantibus ad forum ecclesiasticum consulere.

Et nunc igitur, Rex, intellige qui terram judicas: in iis sequere, non voluntatis arbitrium sed judicium rationis; & patenter advertes, quod ista graviter oculos divinæ Majestatis offendunt, in gravem illius, dictæ sedis, & justitiæ, ac nostram injuriam committuntur. Si enim princeps quilibet impedientem suæ jurisdictionis exercitium, cuivis suo ministro commissum, sibi ac eidem ministro injurium non immerito reputaret, multo magis credendum est Redemptorem nostrum offendi, sibi, prædictæ sedi, & nobis contumeliam irrogari, dum singulari pontificio universalis pastoris officio, plenitudini potestatis Apostolorum Principi, & in ipso ejus successoribus, vicariis suis, in clavibus illi traditis, & ovibus creditis indistincte ab eodem Redemptore concessis, ita perniciose detrahitur, sic enormiter contrabitur, sic non solum in oppressionem, sed etiam in subversionem præfatæ libertatis & justitiæ, ac derogationem tui nominis per captionem sive detentionem prædictarum personarum, quæ proculdubio suo domino stant & cadunt, altena messis invaditur, jurisdictio ecclesiastica usurpatur, animadversione canonica provisa contra violatores personarum hujusmodi non vitata, cum multo sit gravius æternam, quam temporalem offendere majestatem. Advertes insuper quantum hæc tuæ saluti sint obvia, quantumque a laudabili tuo proposito memorato dissideant: quinimo ei prorsus obsistant, cum illud ad obtinendum æternæ salutis præmium dirigatur, ista vero id præpediant obtineri: quia non sufficit vacare piis operibus, nisi peccata & vitia deserantur, & pro errantis possibilitate corrigantur errata.

XXXIV. Infringi ea re ecclesiasticam auctoritatem queritur Nicol.

Ideoque serenitatem regiam rogamus, & obsecramus per viscera misericordiæ Dei nostri, nihilominus in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus, si consonent in iis facta relatibus, circumspecte considerans per te ipsum quam sit absonum, quam absurdum sic detestanda in tam catholico regno patrari, sic damnanda sub tam orthodoxo Rege permitti, quam sit periculosum patrantium, & permittentium animabus; quodque in talibus prolixitas temporis peccatum non alleviat, sed aggravat, non extenuat sed augumentat; circa ea nullius temporis consuetudini, quæ potius reputanda esset abusio, innitaris: cum secundum veritatem justitiæ nulla usus diuturnitas, nulla longævitas malas consuetudines, maleque adinventa confirmet, sed tuæ saluti providens, tuæque famæ consulens, ipsa sic celeriter, sic omnino corrigas, & emendes ea edicto generali, omnibus prohibens, omnibus interdicens, quod illa de ipsius finibus penitus effuges, prorsus

XXXV. Hæc sine discrimine in tanto regno permitti non posse.

Urget Eduardum, ut lege regia ea emendet.

sus explodas ; & correctionis ac emendationis plenæ celeritas corrigentis & emendantis puritatem insinuans & commendans, sic te Altissimo gratum reddat, sic ad gratiam divinæ retributionis habilitet, quod salutem, quam, ut præmittitur, tuo præfato commendando proposito sequeris, ipso præduce assequaris.

Alioquin scire te volumus, quod circumspectio dictæ sedis non poterit talia sub dissimulatione transire : quin contra eos, qui culpabiles fuerint in præmissis, justitia suadente procedat, prout viderit expedire. Cæterum quia saltem iis, qui literalis scientiæ studio non vacarunt, absentium vota solet apertius exprimere lingua, quam litera, & expressa imprimere pressius vivus sermo quam scriptus ; venerabilem fratrem nostrum B. episcopum Grossatensem, virum utique probatæ fidei, ac virtutis, latorem præsentium, ob hujusmodi expressionis & impressionis ministerium circa nostrum & fratrum nostrorum beneplacitum, proculdubio spiritualiter & temporaliter commodis tuis accommodum, in præmissis diligentius prosequendum ad excellentiæ regalis præsentium destinamus. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem XIII. *kal. junii anno* III.

Grossetanum episcop. ad rem perficiendam mitti significat.

Utinam Christiani illi principes, qui libertatem ecclesiasticam labefactare nituntur, optimi Pontificis monita perpenderent coferentque : certe regiæ dignitati præclarius consulerent, cum sacerdotalis splendorem tuerentur.

XXXVI. Aliis porro literis Nicolaus querenti Eduardo sacerdotii cujusdam redditus ex Anglia percipiendos basilicæ S. Petri attributos fuisse, atque alterius etiam xenodochio S. Spiritus conjunctos, id jure a se factum respondit (*a*) : *Non negamus, nec etiam diffitemur, quin ob reverentiam Dei, & beati Petri Apostolorum principis, super quem universalis Ecclesiæ structura consistit, præbendarum ipsarum alteram eidem basilicæ, ut ad laudem & gloriam summi Regis decentius & honorabilius conservetur, ac præbendam reliquam hospitali prædicto ad sustentationem infirmorum & pauperum, quorum illuc, prout intellexisse te credimus, innumera confluit multitudo, pietatis affectu suadente duxerimus concedendas, futuris possidendas temporibus ab eisdem.* Et infra : *Rogamus igitur excellentiam regiam, hortamur, & requirimus in Filio Dei Patris, quatenus præmissis solicita consideratione pensatis, & attenta meditatione discussis, tam pia tamque laudabilis, & Deo grata præbendarum collatio prædictarum pro divina & ejusdem sedis, ac nostra reverentia non molesta seu gravis, sed placita, & accepta sit potius votis tuis : spes enim non dubia nostris suggerebat affectibus, quod tu tamquam filius benedictionis & gratiæ, Rexque catholicus & devotus, jus si quod in præbendis eisdem tibi forte competeret nobis pro divina & Apostoli reverentia prælibati de munificentia regia promptis offerre animis debuisses. Datum apud Urbemveterem* XV. *kalend. octob. an.* III.

(*a*) *Lib.* 3. *ep.* 436.

In Scotia ingravescere intestinæ turbæ, regnumque a pluribus æmulis, qui affinitate ultimum Regem contingebant, ambiri cœpit. Qui tamen ut litem dirimerent, unanimi consensu publicisque editis literis, quæ apud Walsinghamum extant (*b*), Eduardum Regem, ut supremum regni dominum, judicem constituerunt, sanxeruntque illum, cui sceptrum adjudicatum esset, ejusque successores Regis Angliæ stipendiarios futuros. Eduardo itaque postea a Nicolao flagitante, ut quod ii principes decretum de ipsius sententia admittenda ediderant, apostolica auctoritate confirmaret, denegavit Pontifex (*c*), ne sedis Apostolicæ in Scotiam jura labefactaret. Nec tamen cœpta abjecit Eduardus, qui, ut tradit Westmonasterienſis, cum rem discussisset, Scotiæ sceptrum in Joannem Baillol, accepto ab eo fidei sacramento, transfudit, ac reges Scoti Angliæ vectigales constituti. Quæ licet an. MCCXCII. perfecta historiæ auctor mandarit, nos tamen, ne eadem repetenda essent, hic congessimus. [1]

XXXVII (*b*) *Vall. sing. in Eduard. Hector Boeth. hist. Scot. l.* 14. Exortæ in Scotia graves seditiones. Controversiæ arbiter delectus Eduardus, agnitusque supremus Scotiæ dominus. (*c*) *Lib.* 5. *ep. cur.* 1.

Inter hæc in Ungaria Christiana religio in maximum discrimen adducta est ob Ladislai Regis vesaniam, qui Tartaris & Saracenis, quorum nefarios imbiberat mores, se addixit, nec a Nicolao III. & Honorio IV. correptus e vitiorum se erexit cœno. Quem tristem casum ita deplorat Nicolaus (*d*) : *Sicut sæpius inculcata fide digna relatio publicavit, charissimus in Christo filius noster* * . . . *Rex regni præfati*, nimirum Ungariæ, *suæ salutis immemor, ac proprii prodigus honoris & status, in devium lapsus erroris, & a fide exorbitans, Tartarorum, Saracenorum, Neugeriorum, & paganorum nefandos ritus amplectitur, cum quibus in dispendium fidei, & exterminium dicti regni horrendo fœdere est conjunctus : quos etiam contra fideles in numero gravi in regnum ipsum inducere non expavit, nobili muliere E. Regina Ungariæ filia claræ*

Joannis Balioli jura ab Eduardo potiora in regnum judicata. XXXVIII. Benevenutus ep. Eugub. in Ungar. legatus missus. (*d*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 48. * Ladislaus.

NOTÆ [1] QUæ hic leguntur de Scotiæ regno Joanni Baillol ex sententia Eduardi Angliæ regis adjudicato, non statim post Alexandri obitum acciderunt. Nam eo defuncto regni hæres, ipso assentiente Eduardo, Margharetа Alexandri ex filia neptis renunciata fuit, ut in nota ad A. 1289. 73. ex Trivetto animadverti. MANSI

ræ memoriæ Caroli Regis Siciliæ uxore, sua a se prorsus abjecta ; unde ejusdem regni multimode turbato regimine, ecclesiarum jura & aliorum piorum locorum temere usurpantur, ac bona fidelium in regno ipso multis direptionibus ac vastationibus exponuntur, & libertas ecclesiastica conculcatur : ex iis animarum deplorandæ pericula, & horrenda contingunt excidia personarum, multiplicatis in regno ipso diffidiis alia non facile numeranda diserimina subsequuntur, &c. Dat. XIII. *kal. junii pontificatus nostri anno* III.

XXXIX. Ladislaus in fratrem Andream iras graves concipit. (*a*) *Longin. hist. Pol. l.* 7.

Infecisse etiam Ladislaum regium nomen immani alio scelere, fratricidio nimirum, scribit Longinus (*a*) : cum enim procerum studia in Andream ducem inclinarent, Ladislaus fratrem in suspicionem affectati regni adductum, ex insidiis tollere est meditatus. Quibus cognitis Andreas in Poloniam transfugit ad materteram Cunegundem ducissam, feminam vitæ sanctitate illustrem, quæ illum Præmislao Cracoviæ & majoris Poloniæ duci commendavit : sed Ladislaus mox subornatos promissis sicarios submisit, qui fingerent se a Ladislao ob studia in Andream ad mortem quæsitos fugisse ; eaque de causa humaniter excepti, atque Andreæ socii traditi, correpta occasione, Andream comprehenderunt ac flumine Nida mersere. Repertum vero a nautis cadaver, in monasterium, ubi agebat ducissa Cunegundis, delatum est. Subdit auctor ingens prodigium, nimirum sanctissimam ducissam, cum jam precibus suis ad vivos Andream excitasset, edoctam divinitus ipsum sine lethalis criminis labe obiisse, ac si vixisset, peccatis pluribus inquinatum iri, iterum mori imperasse.

Fugientem in Poloniam opera sicariorum necat.

Chunegun. ducissa nepotem ad vitam suis precibus revocat.

XL. *Pro cujus*, inquit, *a morte resuscitatione sanctimonialium importunis precibus devicta ferventissima supplicationis oratione in privato oratorio insistente, tres monniales variis, & vicariis exanditis vocibus, videlicet Hertrudis, & Aldegundis, & Grizimislava ad oratorium prædictum, in quo & corpus præfati ducis Andreæ jacebat exanime, accurrunt, & videntes feminam beatam Cunegundim splendore cœlesti illustratam, etiam illam cum quibusdam personis, quorum neque essentiam neque personam videre poterant, colloquentem ; quærentem quoque & responsa accipientem percipiunt. Vident & in corpore Andreæ ducis pridem undis apud Chroberz suffocati filii Stephani Ungariæ Regis vivificationis & resurrectionis signa : ad quod benedicta femina Cunegundis Cracoviensis ducissa accedens, & pedes illius tangens, surgere illud prohibuit : Quiesce, inquit, quiesce, quoniam ita clementissimo tuo & meo Salvatori beneplacitum est, & tuæ salvationi congruum, in pace. Et illico signis vitæ ad imperiosa*

verba evanescentibus, funeri sua & mortis signa reddita sunt, corpusque sepulcro mandatum. Cum autem femina benedicta Cunegundis per religiosas & devotas sui ordinis sorores, cur mortuum corpus nepotis sui ducis Andreæ resurgere non fecisset, quæreretur ; silentio multifariis vocibus absolvit quæstionem. A sororibus autem identidem vexata rupto silentio quærentium molestiam evasura, tres fuisse causas divinitus sibi revelatas, propter quas mortui ducis Andreæ cadaver ad preces suas vivificatum non exitit, edixit : unam, quod mors illi salubris, & nullo peccato mortali pro ea vice irretito accideret, cui si vita donaretur plerisque scitus erat inquinandus sceleribus : secundam, quia multus Christianorum sanguis sui occasione veniebat fundendus : tertiam, quod vivificatio illius in vulgarem gloriam apud Polonici & Ungarici generis populares homines, quæ meritum præteritorum operum benedictæ feminæ mutilasset, verteretur.

Redivivum mori iterum jubet.

Vide Lucium in exord. Hist. Dal. pag. 90.

Nec diu Ladislaus nefarium crimen impune tulit : qui enim fratrem insidiis sustulerat, insidiis occubuit : atque in ultionem contemptæ religionis ab ipsis Cumanis, quos fidissimos habuerat, trucidatus. De quo hæc apud Steronem (*b*) : *Hoc anno dominus Ladislaus Rex Ungariæ sine heredibus obiit.* Ipsum vero defunctum hoc ipso anno ex literis a Nicolao exaratis constat (*c*). Ex quibus auctorum illorum sententia refellitur, qui vel insequentem annum, (*d*) vel longe post in annum millesimum ducentesimum nonagesimum nonum (*e*) retulerunt. Cum enim hoc anno Ladislai mortis nuntius in pontificia aula percrebuisset, Nicolaus maturandam legationem, quam Benevenuto episcopo Eugubino commiserat, censuit, (*f*) tum ut leges pro regni statu optime componendo temperandoque editæ, quæ vivo Ladislao, etsi jurejurando ab eo confirmatæ, servatæ non fuerant, eo mortuo vim haberent : tum ut pacem inter Ungaros, qui graviori inter se intestinoque bello dissentiebant, conciliaret. Quibus literis VII. id. septembris dies ascripta est : in eamque sententiam ad regni præsules scriptum est, excitatusque Romanorum Rex, (*g*) ut legato contra Tartaros ac Saracenos, qui in Pannoniam confluebant, opem porrigeret. (*h*)

XLI. Divina de Ladislao ultio.

(*b*) *Stero in annal. inter Script. German.* Cædis illius tempus statuitur. (*c*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 81. &c. (*d*) *Long. hist. Pol. an.* 1291. (*e*) *Bonf. rer. Ung. dec.* 2. *l.* 8. *in fin.* (*f*) *Ead. ep.* 81. Exorta gravis inter Ungaros de regni successione contentio. (*g*) *Reg. post eand. ep.* (*h*) *Ib. ep. cur.* 82.

Charissimo in Christo filio Rodulpho Regi Romanorum illustri.

Considerantes attentius eximiæ devotionis affectum, & zelum reverentiæ filialis, quibus ab olim erga Romanam matrem ecclesiam claruisti, firma fiducia ducimur, speque non incerta tenemus, ut tu tamquam princeps catholicus circa illa te promptum exhibeas & paratum, quæ superni Regis sint accepta conspectui, sedis Apostolicæ beneplacitis consonent, tuæque salutis pro-

XLII. Solicitatus Rodulphus ut periclitanti Ungariæ subveniat.

fectum, & fidei orthodoxæ respiciant incrementum. Porro etsi circa salubrem statum regnorum quorumlibet, in quibus catholicæ fidei cultus viget, prædictæ sedis curiosa solertia studium gesserit solicitudinis diligentis; a longis tamen anteactis temporibus erga votivum & prosperum Ungariæ regni statum se curæ propensioris instantia, & quadam solicitudine speciali vigilem & attentam exhibuit (multisque interjectis de Firmano episcopo a Nicolao III. misso subdit:) *Dispositimas dum adhuc essemus in Urbe, ac præfatus Rex* (nempe Ladislaus) *viveret, nostris literis super hujusmodi legatione confectis venerabilem fratrem nostrum Benevenutum Eugubinum episcopum, virum utique providum & discretum, zelatorem justitiæ, ac nobis & fratribus nostris merito suæ multiplicis probitatis acceptum, latorem præsentium ad præfatum regnum, commisso sibi in eo & nonnullis provinciis plenæ legationis officio, destinare.*

Cum autem propter obitum dicti Regis præfatum regnum non minus ipsius indigere legati præsentia dignoscatur, & propterea legatus ipse ad regnum se personaliter conferat supradictum; ac timeatur quod Tartari, Saraceni, pagani, Neugerii & hæretici etiam & alii infideles, quorum ad partes illas, prout fide dignorum habet assertio, innumera conflait multitudo, execrabili ducti vesania, & damnatæ temeritatis ausibus excitati ad ejusdem regni turbationem, occupationem, & invasionem nefariam & offensam Dei, Christianitatis opprobrium, dispendium fidei, & fidelium gravissimum detrimentum, in regno prælibato degentium, moliantur; serenitatem regiam rogamus & hortamur in Filio Dei Patris remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus eidem legato tamquam Dei ministro & operario Jesu Christi contra Tartaros, paganos, & alios supradictos veluti Rex inclytus & fidelis, princepsque catholicus & devotus, pro divina & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia, regiæque salutis & honoris augmento, cum super hoc ab eodem legato contigerit te requiri assistas consiliis, auxiliis, & favoribus opportunis, ut illorum damnatis repressis erroribus, prava intentione frustrata, & perversis conatibus penitus vacuatis, tibi exinde præmium ab alto proveniat, & laudis humanæ præconium augeatur, nosque ad devotionem regiam, quam in hac parte inveniri cupimus efficacem, uberibus in Domino laudibus attollamus. Dat. apud Urbemveterem v. id. septembr. an. III.

Comprimat infideles illi imminentes.

Provinciam vero eidem legato imposuit (*a*) Pontifex, ut si necessarium fore putaret, contra eosdem infideles crucis signa explicaret. Cæterum cum postea Nicolaus pertimuisset, ne si commoverentur Tartari, Ungaria in periculum conjiceretur, legationi supersedendum putavit, ut in margine codicis ad epistolam XLII. legitur: *Legatio ista non habuit effectum, forte propter periculum Tartarorum, de quo in epistola LXXXII.* Nec a Tartaris modo, verum ab ipsis Ungaris, qui de legitimo successore erant certaturi, periculum imminebat.

(*a*) *Ib. ep. cur. 85. 91.* Legatum ne Tartaros commoveret mittere prætermittit Nicol.

XLIII. Et sane historici testantur (*b*) Carolum II. jussisse filium suum majorem natu Ungarica corona solemni ritu Neapoli redimiri, cum ad illum materno jure spectaret: sed Andreas Venetus remotiore gradu Ungarica stirpe satus ad solium irrepsit (*c*). De quibus hæc S. Antoninus scribit (*d*): *In Neapoli Rex fecit magnam solemnitatem, militem creans filium suum primogenitum* [1] *vocatum Carolum Martellum; ac per legatum Papæ fecit eum coronari: nec reliquerat filium masculum, qui in eo regno succedere posset, nec alius erat heres, nisi Regina Maria uxor Caroli Regis Siciliæ, & mater Caroli hujus Martelli, cui jure hereditario succedebat deinde regnum Ungariæ. Quidam tamen Andreas sua nomine, de progenie genitus Regum Ungariæ, ingressus dictum regnum majorem partem sibi acquisivit vi, vel voluntate se subiicientium ei, & fecit se fieri & vocari Regem Ungariæ.*

(*b*) *Summont. l. 3. & alii.* (*c*) *Bonf. Joan. Bapt. Fign. l. 3. & alii. dec. 2. l. 9* (*d*) *S. Anton. 3. p. tit 20. c. 6. §. 7.*

XLIV. In Polonia ob violatam ecclesiasticam libertatem, aliaque inflicta damna eximium pœnitentiæ specimen dedit Henricus IV. Wratislaviensis & Silesiæ dux, qui adversa valetudine ex veneno a Silesitis propinato contracta hoc anno obiit. Cum enim morbi vim ingravescere sentiret, res suas partim ecclesiis, partim egentibus, partim uxori distribuisse scribit Longinus (*e*): at Pontifex in suis ad episcopum & clerum Wratislaviensem literis refert (*f*) Henricum dolore animi tactum ob divexatas a se & majoribus ecclesias publicis literis erepta restitui jussisse, pristinamque ipsis libertatem concessisse: quæ omnia Pontifex ipse apostolica auctoritate corroboravit.

Henricus dux Wratisl. veneno necatus.

(*e*) *Long hist. Po l. 7.* (*f*) *Lib. ep. 397.*

NOTÆ [1] Dies qua Carolus Martellus eques renunciatus fuit, a Joanne Villani indicatur dies VIII. septembris. An vero ipsa pariter die Hungaricam coronam manu legati apostolici acceperit, nec Villanus tradit, nec me legisse usquam succurrit.

De Andrea vero seu Andreatio Veneto in additionibus ad Dandulum, quas ex Ambrosiano codice vulgavit Muratorius rer. Italic. to. XII. memoriæ mandatur regni ejusdem coronam, *jussu Nobilium, atque Magnatum Hungariæ*, accepisse die III. augusti. Andream hunc dedit Stephanus Andreæ II. Hungariæ regis & filiæ Marchionis Estensis filius; qui sane Stephanus a matre jam vidua editus, & a regno a fratre majore Bela exclusus, uxorem duxit Thomasinam sororem Albertini Mauroceni Veneti, quo ex conjugio Andreatius natus est. MANSI

Erepta ecclesiis jura restituit.

XLV. Magni Regis Sueciæ mors. (*a*) *Magn. hist. Gothor. & Sueon. l. 20. c. 9.*

Nec caruit funeribus Gothia. [1] Magnus enim Rex ut refert alter Magnus (*a*) cum eximia pietatis laude vita functus est. *Currente anno a nato Christo MCCXC. Rex Magnus, considerans vitæ suæ terminum advenisse, complures regni proceres ad se convocavit, eosque ex lecto ægritudinis, quo decumbebat, multis & saluberrimis consiliis adhortatus est ad publicam & domesticam concordiam, ac pacem, quæ sola atque unica spes esset patriæ conservandæ. Hac exhortatione præmissa, unum ex præsentium procerum numero Turgillum Canuti, regium dapiferum regni gubernaculis usque ad maturam filii sui Birgeri ætatem admovit, cui etiam præsentem Reginam ac liberos sub multa verborum elegantia & gravitate per manus commendavit. Postremo, non sine astantium lacrymis, veniam erratorum precatus, rogabat suum funus apud pauperes fratres S. Franciscii in Stocholmia sepelirt: sicque sumptis more Christiani principis Christianæ fidei sacramentis, transitorii Imperii solicitudinem æterna felicitate feliciter commutavit.*

Birgero Turgillus tutor datus.

Magni pietas in extremo vitæ actu.

Plura pietatis Magni insignia monumenta recensetque (*b*) auctor; atque inter alia monasteriorum virginum in honorem S. Claræ excitatum, cui filiam septem annos nondum egressam addixit. Tum subdit: *Vix in amplissimo Gothorum & Sueonum principatu ecclesia aut monasterium, immo vix sacellum aut altare aliquod inveniebatur, quod non fuerat ejus liberalitate ornatum, aut magnifice dotatum. Cæterum in clerum & ecclesiæ libertatem pio atque integerrimo studio ferebatur, summopere contendens, Christianum sacerdotium per omnes terminos Imperii sui adeo felix efficere, ut nec Dani, nec Theutones, aut aliæ terræ liberaliores in Christi Ecclesiam videri potuissent. Fatendum tamen est inter eum & divum Brynolphum Scarensem episcopum, ex illustri Folchungorum familia natum, aliquando gravem controversiam incidisse. Sed cum Rex multis argumentis consideraſſet ejus sanctimoniam, & vitæ integritatem, prostratus ad pedes ejus suppliciter veniam impetravit. Quas autem*

(*b*) *Eod. l. c. 7.*

Ut filiam S. Claræ institutis addixerit.

Brynolphus Scaren. episcop. magno ardore jus eccles. tuetur.

Ut Rex ad ejus pedes veniam petiturus acciderit.

Ann. Eccl. Tom. XXIII.

& quam gratiosas literas sub suæ majestatis sigillis in favorem & conservationem cleri, atque Ecclesiæ libertatem edidit, hic forte in medium afferrem, ostenderemque Gothorum & Sueonum principes semper fuisse sempiterna laude dignos, quod suæ gentis sacerdotes in summo honore præ cæteris nationibus habuerint, nisi hac nostra infelici tempestate tam infamis licentia subirrepserit, ut inter præclara opera habeatur antiquorum Regum privilegia, in favorem ecclesiarum concessa, rumpere aut rapidis flammis abolere. Sed an hæc bonum finem sortiantur, futura tempora palam ostendent. Hæc scribebat Joannes Magnus, cum hæresis in Suedia furere cœpisset, acceptaque ab Adriano VI. conscribendæ Gothicæ historiæ ac religionis tuendæ provincia, (*c*) impiorum furori se subducere coactus esset. Ipsi vero ætate nostra lugere satis non possumus, post calcatam ibi libertatem ecclesiasticam religionem pessumdatam fuisse.

Lutheranı Regum privilegia concessa eccl. Sueciæ dissiparunt.

(*c*) *Magn. in præfatione operis.*

Scribendæ ab Adriano IV. Gothicæ Magno provinciæ data.

XLVII. Cæterum defuncto Magno, cum Birgerus sceptro sustinendo impar foret, gessit Turgillus pro dignitate regiæ Suediæ procuratoris munus: arma enim Gothica consecravit Christo, & in Carelios barbaros, qui Suediam multis irruptionibus infestarant, sacram expeditionem movit, ut narrat memoratus auctor, (*d*) additque illos (*e*) feliciter ad cultum veri numinis traductos, ac baptismo lustratos fuisse a Petro episcopo Arosiensi; tum Careliæ situm, moresque his verbis describit: *Sunt autem Careli populi limitanei inter Moscovitas & Sueones, qui hactenus gentilitatis errore decepti idolis sacrificia offerebant, omniumque vicinorum Christianorum persecutores erant acerrimi & pertinaces. Hos igitur Sueones potenti manu aggressi superaverunt, atque regno Sueonum adjecerunt, erecto in ejus confinibus munitissimo præsidio, videlicet oppido & castro Viburgensi contra insultum Sarmatarum & Moscovitarum: quæ omnia Turgillus consilio & prudentia Petri episcopi Arosiensis feliciter consummavit. Hic enim Petrus, cum esset in omnibus rebus gerendis prudentissimus, eodem tempore geminam & memorabilem utilitatem effecit: quippe totam Careliam baptizavit, eamdemque munitissimis præsidiis confirmatam Sueonum imperio subjecit.*

Adjuncti Suedico Imperio.

(*d*) *Magn. hist. Goth. & Sueonum l. 20. c. 10.* (*e*) *Eod. l. 20. c. 11.* Careli ad fidem adducti.

NOTÆ [1] De obitu Magni Sueciæ regis meliora tradit chronologus Danus a Ludevvig to. IX. Reliquiarum vulgatus num. IX. scribens. *In mense decembris XV. Kal. januarii in VVysingæo obiit vir magnarum virtutum & memoria dignissimus rex Magnus dictus Ladelaus: & regnavit Byrgerus filius ejus pro eo, XI. annum agens ætatis.* Cum vero ætate imbecillior esset Birgerus iste, quam ut ferre regnum posset, ideo Turgillus Canuti rerum administrationi ita admotus fuit, ut vel ipsa Birgeri in regem coronatio differretur. Nam in eodem chronologo legimus anno 1299. coronatum fuisse Birgerum regem Sueciæ in Sudercopia.

Quæ vero hic n. 47. in Annalibus traduntur de expeditione Suecorum in Coreliam an. 1293. ab eodem chronologo assignantur his verbis: *MCCXCIII. expeditio Birgenii, fidem susceperunt* (id est christianam,) *& facti sunt tutelarii domino regi Sueciæ & ædificatum est castrum VViberghe in Kaveliæ.* Chronologus iste historiam suam ad annum usque MCCCCXXV. perducit. MANSI

XLVIII. Rodericus Minorita creatus Marrochitan. epiſc.

Inter hæc ad amplificandum in Africa Chriſtianæ religionis cultum Nicolaus Caſtellæ, & Luſitaniæ Regum precibus adductus Rodericum Minoritam eccleſiæ Marrochitanæ præfecit; (a) ac legationem in eas terras, Sarracenorum erroribus infectas, decernendam ratus, id munus eidem Marrochitano epiſcopo injunxit: quem datis literis ad nobiles Chriſtianos, alioſque ſtipendiarios, qui in Tremiſeno, Marrochitano, & Tunetano regnis verſabantur, ipſis commendavit, (b) hortatuſque eos eſt, ut vitæ exemplo, ac morum ſanctitate Mauros ad religionem Chriſtianam, pellicerent.

(a) *Lib. 2. ep. 771.*

(b) *Lib. 2. ep. 844. 845.*

Dilectis filiis nobilibus viris baronibus, proceribus, militibus, & cæteris ſtipendiariis Chriſtianis in Marrochitani, Tuniſii, & Tremiſii Regum ſervitio conſtitutis.

Etſi omnes, qui Chriſtianæ fidei cultum tenent, ut ſuas Deo lucrifaciant animas, ad rectè vivendi regulam dirigi cupiamus; illos tamen, qui in regionibus infidelium, & cum infidelibus converſantur, ut fide, opere, ac veritate perfecti ſe incontaminatos coram Deo & hominibus exhibentes laudabilis vitæ meritis & exemplis infideles etiam pertrahant ad ſalutem, potiori deſiderio exoptamus; omnem in ſeipſos juſtitiam, rectitudinem, & modeſtiam adimplere; ipſoſque abſtinere ab omnibus, per quæ fidei Chriſtianæ religio poſſit in populis blaſphemari. Sane cum illius, licet immeriti, vicem gerentes in terris, qui pro humani generis ſalute de ſuæ ſolio majeſtatis a ſummo cœlo in mediam exterminii noſtri terram exiliens, trabea noſtræ humanitatis aſſumpta, ut temporali morte legem mortis aboleret æternæ, pro nobis dignatus eſt, proprio ſanguine fuſo, mori, & diros crucis perpeti cruciatus, ad animarum profectum intentionis noſtræ aciem totaliter dirigamus; & pro incredulis convertendis, apoſtatis revocandis, confirmandis nutantibus, & fidelibus roborandis omni ſolicitudine laborantes, quia repugnante natura præſentialiter diverſis locis ſimul adeſſe non poſſumus; venerabilem fratrem noſtrum Rodericum Marrochitanum epiſcopum, virum utique providum & diſcretum, ad partes Africæ, commiſſo ſibi plenæ legationis officio, deſtinamus. Ideoque nobilitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus eundem legatum & nuntios ejus devote recipientes & honeſte tractantes, eis in iis, quæ ad cultum divini nominis pertinent, ampliandum impendatis conſilium & auxilium opportunum; & verba vitæ æternæ, quæ vobis proponent, cum gaudio audientes, eorumque ſalubribus conſiliis acquieſcentes, Chriſtianæ profeſſionis propoſitum firmo ſervetis animo & conſtanti: ut ſic inter incredulos vos exhibere vita & converſatione probabiles ſtudeatis, charitate magiſtra, & pietate præduce in divinis beneplacitis vos jugiter exercendo, ac abſtinendo ab omnibus, per quæ detrahi valeat nomini Chriſtiano, quod tam fideles, qui in partibus ipſis degunt, quam etiam infideles ad frugem melioris vitæ veſtro proficiant & informentur exemplo; & nos in veſtris laudibus delectabiliter in Domino gloriantes, vobis pro veſtræ devotionis & fidei ſinceritate reddamur favorabiles & benigni. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem v. id. febr. an. 11.

Legati dignitate in Africa auctus.

Chriſtiani ei parere juſſi.

XLIX. Judæi ſua ſuperſtitione fideles inficiunt.

Ne vero Chriſtianam religionem Judæorum, atque hæreticorum erroribus labefactari in Europa pateretur, cui ſuum ſplendorem in Africa inter Saracenos conciliare exoptabat, graviter in eos exarſit, qui a Judæis adeo faſcinati erant, ut pro divino implorando auxilio ad ſynagogas confugerent. Quod malum eum in Arelatenſi, Aquenſi, & Ebredunenſi archiepiſcopatibus, & comitatu Venuſino ſerperet, Minoritis fidei cenſoribus in eos animadvertendi provinciam demandavit (c). Sed querentem de his Nicolaum audire juvat: *Ad noſtrum pervenit auditum, quod in nonnullis locis, veſtræ juriſdictioni ſubjectis, quamplures ſacri renati fonte baptiſmatis utriuſque ſexus, per erroris invium incedentes, dum languorum afflictionibus, & tribulationum periculis a Domino viſitantur, ad Judaici ritus vanum auxilium errando recurrunt, in ſynagoga Judæorum lampades & candelas tenentes accenſas, & oblationes inibi facientes; vigilias quoque die præcipue ſabbati protrahunt, ut infirmi recuperent ſanitatem, naufragantes ad portum ſalutis perveniant, exiſtentes in partu abſque periculo pariant, & ſteriles prolis fœcunditate lætentur; ibi pro his & aliis ſuffragia implorantes dicti ritus, rotulo quaſi per idololatriæ modum nefarium devotionis & reverentiæ ſigna patentia exhibendo, non abſque multa fidei orthodoxæ injuria, noſtri non modica contumelia Creatoris, ac univerſalis Eccleſiæ gravi opprobrio & contemptu. Volentes igitur hujuſmodi tam funeſtis abuſibus manifeſtis remediis obviare, diſcretioni veſtræ, per apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus de præmiſſis, & quolibet præmiſſorum, ac etiam aliis hujuſmodi erroribus diligenter & ſolicite inquiratis; & ſi quos tales inveneritis Chriſtianos cujuſcumque conditionis aut ſtatus exiſtant, tam contra eos quam alios, etiam ſi Judæi vel Chriſtiani eſſe noſcuntur, qui eis talia ſuadeant;* Et infra: *procedere tanquam contra idololatras ſeu hæreticos pœna canonica nullatenus omittatis, ut ſeveritate juſtitiæ cognoſcant quantum Chriſtum humani generis Redemptorem offendant taliter deviando. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem x. kal. martii anno 11.*

(c) *Ib. ep. 848.*

Statutæ in confugientes ad ſynagogas pœnæ.

Ea-

L. Juſſa eorum contumacia reprimi.

Earum etiam regionum præſules ſaluberrimis monitis ad agendas excubias erexit, (a) ne gregem ſuum laniari a fidei hoſtibus, vel hæreſeos Judaicæque ſuperſtitionis labe infici paterentur: *Noſtis quod inconſutilem tunicam Dei noſtri diſſuere conantur hæretici: contra quos profeſſionis Chriſtianæ catholici præſules præclucent nitore fidereo in orthodoxæ fidei firmamento, & ſunt nihilominus ipſius veluti columnarum ſtabilium fortitudo: nam in virtutem & decorem fidei conſtitutæ cenſentur a Domino perſonæ dignitate pontificia præpollentes, quæ ſicut dum illam fulciunt, & ſe operoſos exhibent in illius dilatatione miniſtros, fama creſcunt & meritis; ſicque ipſis deperit & ponitur in eorum gloria macula, cum eadem fides vim patitur, & hæreſi laceſſitur morſibus venenoſis.*

(a) *Ib. ep. 783.* Præſules ad ſervandam fidem incorruptam inducere juſſi.

LI. Et antea ab Honorio IV.

Vibratæ quoque fuere cenſuræ in nonnullos mendiculos impoſtores, qui ſectam Apoſtolorum cœtus nomine inſignitam conflarant, quæ licet jam ab Honorio diſtolvi eſſet juſſa, contemptis tamen pontificiis imperiis diverſas terrarum oras ad eleemoſynas corradendas peragrabant, in quos Nicolaus præſules inquirere voluit (b).

(b) *Lib. 3. p. cur. 1.*

Nicolaus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus univerſis patriarchis, archiepiſcopis, & epiſcopis, & dilectis filiis cathedralium eccleſiarum electis, & vicariis eorundem, ad quos literæ iſtæ pervenerint, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Dudum felicis recordationis Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter in concilio Lugdunenſi omnes religiones & ordines mendicantes adinventos, poſt generale concilium, qui nullam confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni ſubjecit, & quatenus proceſſerant, revocavit. Unde cum ad piæ memoriæ Honorii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri, fama querula deferente, notitiam perveniſſet, quod quidam, qui poſt generale, & ante Lugdunenſe prædictum concilium ſub nomine ordinis Apoſtolorum habitum novæ religionis aſſumpſerant, quamquam nullam aliquando confirmationem ſedis Apoſtolicæ meruiſſent, prohibitionis & revocationis prædictæ temerarii contemptores eumdem habitum, ſeu ei conſimilem ſub eodem nomine jugiter deferentes; quamplures etiam alii aſſumpto poſt dictum Lugdunenſe concilium hujuſmodi habitu, per diverſas mundi partes mendicando diſcurrere minime verebantur, facientes ea, quæ non conveniebant in animarum ſuarum periculum, & grave ſcandalum plurimorum, præſertim cum nonnulli pravitatis hæreticæ vitio laborantes ſub hujuſmodi habitu aſſevererentur inventi; præfatus prædeceſſor Honorius volens talium prævaricatorum inſolentem audaciam refrænari, & prædictam non tam religionem, quam periculoſam ſectam penitus aboleri, ne forte menies fidelium ſimplices falſa ſanctitatis eorum imagine ſeduci contingeret; vobis per ſuas dedit literas diſtrictius in mandatis, ut quoſcunque de prædictis in veſtris civitatibus & diœceſibus inveniri contingeret, eos ad deponendum hujuſmodi habitum, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, cogeretis; monentes eoſdem, ut ſi religioſam vitam deducere cuperent, ad aliquam ſe transferrent de religionibus approbatis: & ſi aliqui eorum cenſuram prædictam contemnerent, vos contra ipſos ad pœnam carceris, ſeu aliam, prout videretis expediens, procedere curaretis, invocato adverſus eos, ſi opus exiſteret, auxilio brachii ſæcularis.

Et ut prædicti eo facilius a ſua inſolentia reſilirent, quo magis a Chriſti fidelibus ſe viderent abiici & contemni, voluit dictus prædeceſſor Honorius, ut hujuſmodi mandatum ſuum veſtrarum civitatum & diœceſium populis iteratis vicibus publicantes, ac facientes per alios publicari, eoſdem populos auctoritate ſua monere, ac inducere attentius curaretis, ne aliquem de prædictis præfatum deferentibus habitum recipere hoſpitio attentarent, vel eis aliquas eleemoſynas elargiri, nec ad deferendum habitum ipſum, ſeu ei conſimilem impenderent conſilium, auxilium, vel favorem. Nos itaque præfati prædeceſſoris Honorii ſuper hoc veſtigiis inhærentes, & intendentes ob animarum evitanda pericula providere ſalubriter in hac parte, univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus omnes, quos de prædictis in civitatibus & diœceſibus veſtris contigerit inveniri, ad deponendum hujuſmodi habitum, & reſpondendum de articulis fidei, ſuper quibus illos examinari volumus diligenter, & ad faciendum pœnitentiam, ſi velint, de ſuorum voluntate & conſcientia prælatorum, monitione præmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, cogatis; nec permittatis quod tales per ſæculum evagentur, aut quod officium prædicationis exerçeant, vel audiant confeſſiones fidelium, ſeu quod apoſtoli nominentur, contra eos ſi ſecus præſumpſerint, prout exegerit exceſſus eorum & expedire videritis, proceſſuri, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Examinationem autem illorum fieri volumus per vos una cum inquiſitoribus provincialibus hæreticæ pravitatis, quos ad hoc a vobis præcipimus penitus evocari. Datum Romæ apud S. Mariam majorem pont. noſtri anno 111.

Data in eos inquirendi provincia, an recte de fide ſentiant.

LII. Excitata eſt Ulyſſipponenſis academia hoc anno Dionyſii Luſitaniæ Regis auſpiciis, quæ hiſce prærogativis a Nicolao exornata eſt.

Uni-

Universitati magistrorum & scholarium Ulixbonensium.

Academia Ulyssipponensis.

De statu regni Portugalliæ tanto solertius cogitamus, quanto majori desiderio ducimur, ut in regno ipso, submotis quibuscumque obstaculis, divini cultus observantia vigeat, salubribus intendatur operibus, & fidei catholicæ puritas ad laudem divini nominis, & salutem fidelium in illo degentium invalescat. Sane ad audientiam nostram pervenit, quod procurante charissimo in Christo filio nostro Dionysio Portugalliæ Rege illustri, cujuslibet licitæ facultatis studia in civitate Ulixbonensi sunt de novo, non sine multa & laudabili provisione, plantata: quorum magistris, ut liberius possint vacare studiis & doctrinis, a quibusdam prælatis, abbatibus Cisterciensibus, ac prioribus S. Augustini, & S. Benedicti ordinum, & rectoribus quarumdam sæcularium ecclesiarum regnorum Portugalliæ & Algarbii promissum esse dicitur certum salarium, & statutum.

Condita a Dionysio Rege.

Nos autem diligentius attendentes, quod per hujusmodi studia, cooperante, illo, a quo bona cuncta procedunt, in regnis ipsis divinus cultus augebitur, crescet devotio, & fidei orthodoxæ cultores informationem suscipient, virtutum decorabuntur insignitis, thesauros scientiæ vendicabunt; & idcirco ad augumentum & corroborationem studiorum ipsorum solicite intendentes; desiderantes quoque, ut per apostolici favoris auxilium studia ipsa firmis radicibus fulciantur; quod super hoc factum est ratum & gratum habemus, præfatum Regem rogantes attentius & hortantes, ut cives Ulixbonenses domos vacantes ad inhabitandum scholaribus sub competenti pretio, taxando a duobus clericis & totidem laicis, viris discretis, catholicis, & juratis, communiter electis a vobis & civibus ipsis, locare regia potestate compellat; quodque ballivos, officiales, & ministeriales suos civitatis ejusdem personis & rebus scholarium, ac etiam nunciis eorumdem securitatem & immunitatem promittere faciat, super hoc ab eis præstito juramento.

LIII. Ornata privilegiis a Nicolao IV.

Statuimus præterea, ut universi magistri, actu regentes in civitate prædicta, proventus præbendarum & beneficiorum suorum, etiamsi personatus & dignitates existant, quotidianis distributionibus, quæ iis qui divinis intersunt officiis assignantur, dumtaxat exceptis, integre percipere valeant & habere. Sancimus insuper, ut nulli magistri & scholares ac servientes ipsorum si, quod absit, contigerit eos in quocumque maleficio deprehendi, ab aliquo laico judicentur, vel etiam puniantur, nisi forte judicio Ecclesiæ condemnati relinquantur curiæ sæculari; quodque scholares in artibus, & jure canonico, & civili, ac medicina, quos magistri reputabunt idoneos, possint per Ulixbonensem episcopum, qui pro tempore fuerit; vel Ulixbonensi sede vacante, per vicarium ab Ulixbonensi capitulo in spiritualibus constitutum, in studio licentiari prædicto. Et quicumque magister in civitate præfata per episcopum, vel vicarium supradictos examinatus & approbatus fuerit in facultate quacumque, theologica dumtaxat excepta, ubique sine alia examinatione regendi liberam habeat potestatem. Nulli ergo, &c. Dat. apud Urbemveterem v. id. augusti anno III.

LIV.

Absolvamus hunc annum celeberrimo prodigio, quod divinum Numen Parisiis ad expugnandam eorum perfidiam, qui sanctissimi Sacramenti detrahunt dignitati, edidit, dignissimamque admiratione historiam a sancto Antonino (*a*) audiamus: *Eodem*, inquit, *anno insigne miraculum accidit Parisiis circa Eucharistiam: nam cum quidam Judæus mutuaßet sub usuris cuidam mulieri certam quantitatem pecuniæ super pignus cujusdam vestimenti sui, illa ut ea posset vestiri in Paschate de propinquo advenienti, accessit ad Judæum ad concedendum tunicam suam. Sed perfidus Judæus ausus est dicere mulieri: Si tu portas mihi corpus Christi, quod dicitis esse in hostia consecrata, ego tibi restituam vestem sine aliqua pecunia. At mulier cupiditate devicta, plus amans pecuniam, quam animam, hoc ei promisit. Unde die Paschatis accedens ad communionem, in ore retinuit Sacramentum, non glutiens, nec purificationem sumens; sed recedens ab ecclesia Judæo detulit. Qui ut perfidissimus & sacrilegus posuit Sacramentum in patella super ignem cum aqua bullienti: & cum Sacramentum illæsum permaneret, ille gladium accipiens, pluries percussit hostiam; indeque sanguis exivit, quo aqua tincta effecta est rubea tota. Extrahens autem de patella, misit hostiam illam in aquam frigidam, quæ etiam tota effecta est rubea. Christiani autem pervenientes, ut acciperent ab eo sub usuris, & domum intrantes ejus, perpenderunt sacrilegium maximum Judæi: hostia nempe per seipsam evolavit super quandam tabulam. Captus ergo Judæus, confesso scelere, combustus est, & Sacramentum reverenter acceptum a sacerdotibus cum multa devotione fidelium & honore deportatum est ad ecclesiam, & ex domo Judæi fabricata est ecclesia, & vocatur ecclesia Salvatoris Delbolgente.*

(*a*) S. Antonin. 3. P. tit 20. c. 5, §. 8. Joh. Villan. l. 7. c. 14. Naucler. gen. 44. & alii.

Inclis

I. Christiana res in Syria excidio proxima. (*a*) *Ayton. hist. orien. c. 53. & alii.*

INclinatæ in Syria continuis cladibus Christianorum res, crescente in dies Saracenorum potentia ac rabie, captaque & eversa (*a*) Accone, quæ Christiano nomini in Terra sancta cum paucis aliis arcibus, supererat, anno decimitertii sæculi nonagesimo primo indictione quarta, penitus conciderunt. Sed antequam funestam historiam aggrediamur, primum nobis ea exponenda, quæ Pontifex ad retundendos Saracenos pertentarit. Urgebat ipse cœpta instruendæ expeditionis consilia, atque omnibus Christi fidelibus literis apostolicis indixit, (*b*) ut si quis pietatis sensus erga orientales Saracenorum insultibus oppressos in pectore resideret, si quis ardor bellicus in nobilium animis inesset, sub signa Eduardi Anglorum Regis coirent, ejusque exempla sequerentur, qui licet olim ab Assassino ex insidiis sauciatus esset, vitam tamen ob Dei amorem in nova pericula conjicere non verebatur.

(*b*) *Lib. 4. ep. cur. 8.*

Pro ea instauranda Pontifex expeditionem promovet.

II. Fideles ad arma sacra incitat.

Nicolaus, &c. universis Christi fidelibus ad quos præsentes literæ perverint.

Cum terra ipsa (nimirum sancta) *per nefandissimos Saracenos sit, prob dolor! pro parte maxima occupata, & ad occupandum residuum iidem impiissimi suos conatus dirigant, & impugnatione continua viribus & dolis insistant, quem non pudebit ingratitudinis argui; quin potius quasi de infidelitate notari, si Creatori proprio, tam beneficio Domino, ad recuperationem occupatorum de terra eadem, quam ipsa Scriptura sacra testatur omnium charissimam, & protectionem dicti residui non assistat? cum etiam secundum juris humani censuram, subditos suis dominis, & ad tuenda quæ possident, & ad recuperanda injuste subtracta debitum fidelitatis astringat. Quis non compassione pia movebitur ad revelandas continuatas ab olim, immo quasi continue augumentatas ejusdem terræ pressuras? An quod communis notitia publicat, & manifestat evidentia facti vos latet? Num ignoratis civitates, castra cæteraque illarum partium loca solemnia, & novissime Tripolim civitatem nobilem, situ & circumstantiis diversis amœnam, fœcundam opibus habitantium, ope refertam, eversa per impios ad nihilumque redacta, ipsorum incolis immaniter trucidatis? Profecto, cum secundum Apostolum omnes simus unum corpus in Christo, non immerito cum illis de quibus scriptum est: Percussisti eos, & non doluerunt; insensibilitatis arguitur quisquis tantam hujusmodi nostri corporis mutilationem, prædictorum videlicet incolarum non sentit excidium, & tam graviter argui non veretur.*

Acceptas a barbaris clades ob oculos proponit.

III. *Accingimini ergo Christi fideles, & qui Christiana religione censemini, vos Christianos esse operis prosecutione monstrate. Accipite devotione, qua decet, vivificæ crucis signum; illud in considerationis vestræ scrutinium deducentes, quod viris quantumcumque magnificis, quantacumque dignitate præditis, & virtute, ad gloriam magnam ascribitur, si eis quovis in bello dominorum insignia gerere concedatur, sub quibus contingit frequenter non sine salutis æternæ discrimine mortis subire periculum, sub cujuslibet remunerationis incerto. Quanto igitur gloriosius, quanto securius, Regis regum in ejus bello victoriosum gestare vexillum, salutiferam videlicet Christi crucem, sub qua devotione congrua puro corde suscepta conceptum prosequentibus munditia continuata propositum, mori est vitæ perennis initium, transitoriæ mortis finis, retributionis inæstimabilis certitudo? Festinate itaque, festinate ad salutis vestræ properare compendium; corpora vestra, & corda pariter ejusdem vivificæ crucis signo in terræ sæpefatæ subsidium insignite: nunc præcipue dum ipsius terræ subventio, multis ab olim per sedem Apostolicam exquisita vigiliis, multis laboribus & oneribus procurata, sed diversis & adversis eventibus diutius impedita, divina, ut supponit devota credelitas, provisione dirigitur & ad expiandas terræ ipsius angustias, eamque quatenus occupata tenetur, de ipsorum manibus eruendam efficaciter sub spe divini numinis præparatur.*

Nil gloriosius quam Christi insignibus ornari.

Id salutis esse compendium.

Siquidem charissimus in Christo filius noster Christianissimus princeps Eduardus Angliæ Rex illustris vulnerum in eadem terra sibi Assassini cujusdam insidiis inflictorum, quæ mortem proximam potius minabantur, quam spem vitæ prætenderent, quasi post tergum abjecta memoria, vitam sibi a Domino non solum misericorditer, verum etiam mirabiliter reservatam, debita gratitudine recognoscens, illam exponere ipsius obsequiis terræ præfatæ personaliter subveniendo disposuit, accepti beneficii non ingratus. A multis namque retro temporibus ad id desiderio ardenti suspirans, frequenter apud sedem Apostolicam institit ad nonnulla, quæ putabat subventioni prædictæ verisimiliter opportuna: sed post tractatus varios super iis diversorum Pontificum Romanorum temporibus habitos, novissime tanquam devotionis filius nostris beneplacitis acquievit: & ut post Christum juxta consilium ejus eat, seipsum abnegans, ac tollens, ut eundem sequatur Dominum, crucem suam, terminum, festum videlicet nativitatis beati Joannis Baptistæ, quod erit an. ab incarnat. Domini MCCXCIII. & ei ad transfretandum personaliter, necnon

Eduardum Regem etsi olim fauciatum ab Assassino, bello sacro se devovisse.

Indictam altero post anno profectionis diem.

non & ad generale passagium crucesignatis & crucesignandis omnibus duximus præsigendum, humiliter acceptavit; negligens natalis soli dulcedinem, prætermittens regni sui terrarumque divitias, spernens delitias & gloriam inibi dominandi.

IV. *Hæc quippe Deo auspice processura feliciter, illud etiam evidens superni favoris indicium suggerit de misericordia divina sperandum, quod cum sicut habet missa de partibus illis fida relatio, impiissimus soldanus Babyloniæ, qui partium illarum Christicolas proditoriis infestabat insidiis, & apertis ac infestis insultibus impugnabat; satagens totis viribus orthodoxæ fidei abolere totaliter & nomen & cultum, ipsiusque memoriam prorsus delere de terra prædicta; nuper in mense novembris exacto novissime jam de Babylonia cum exercitu, & apparatu terribili processisset ad suum nequissimum propositum contra eosdem Christicolas, ut in sua sperabat superbia, consummandum, obstitit perversis ejus conatibus divina potentia, benigne permittens ipsum, ne suum conceptum impiissimum prosequeretur ulterius, miserabili quidem, sed meritissima sorte succidi. Eja ergo Christo militent, qui sunt Christi, &c.* Quo magis ad persequendum præclarum consilium fideles incendat, amplissimam criminum veniam iis proponit, qui vel cruce induta stipendia fecerint, vel suis sumptibus militarint, vel profecturis necessaria suppeditarint, qua etiam sint potituri, quamvis ante expeditionem mortem objerint; tum profecturos, eorumque bona in clientelam Apostolicæ sedis suscipiens, diœcesanis jubet commendatos esse, imperat ut creditores ipsis fœnora relaxent, atque ad id censuris maxime vero Judæi vi compellantur. *Datum apud Urbemveterem* IV. *kalend. aprilis anno* IV.

Melec Messor superiori anno in belli procinctu extinctum significat.

Indulgentiæ arma sumpturis propositæ.

V. Devoverat jam diu arma Eduardus defendendæ in Syria religioni, deque ea re cum Martino, Honorio, & Nicolao summis Pontificibus egerat, ac demum iterum se propugnandæ Christi causæ addixit: præterea significavit literis, se propter receptas decimas ex præscripta forma pontificiæ securitati cavisse: quas sibi redditas literas rescripsit Eduardo Nicolaus, (*a*) atque toto Christiano orbe promulgatum, ut omnes ad traiiciendum in festo S. Joannis Baptistæ anno MCCXCIII. se compararent; aliisque literis concessit, (*b*) ut eandem criminum condonationem assequeretur, quamvis crucem ab illorum manibus, quibus ea provincia ab sede Apostolica non erat demandata, accepisset, quam ii obtinerent, qui ab iis, quibus id munus a Pontifice permissum erat, cruce induti fuissent. Incendendi vero pro concione populi ad sequenda crucis signa officium archiepiscopis & episcopis in Anglia imposuit (*c*). Excitati vero sunt plures viri principes Eduardi exemplo ad sacræ militiæ nomen adscribendum, atque inter cæteros Willelmus (*d*) e Monteforti, & Guido Flandriæ comes, idemque Namurci marchio, cui annorum sex decimas a Tornacensi episcopo dari jussit (*e*).

Datæ Eduardo pro instruendo apparatu decimæ.

(*a*) *Ib. ep. cur.* 1. 2.

(*b*) *Ib. ep. cur.* 3.

Præsules Christianam juventutem ad bellum sacrum incitare jussi.

(*c*) *Ep. cur.* 9.

Willelmus e Monteforti & Guido Flandr. comes crucis symbolum accipiunt.

(*d*) *Reg. post ep. cur.* 4.

(*e*) *Lib.* 4. *ep.* 380.

VI. At nimium sero parata sunt hæc auxilia, cum jam immensa Christianorum crimina divinas iras adeo provocassent, ut satius esset terram Christi domini sanguine imbutam & consecratam a Saracenis obtineri, quam ipsius Christi cultorum gravissimis sceleribus inquinari: & quæ superfuerat post tot clades Christianis Ptolemais, a recentioribus Accon dicta, excisarum aliarum urbium scelera imitabatur, ac plena, ut deplorant auctores, (*f*) mulierculis impudicissimis erat, quæ omni exuto pudore, lenociniis suis tot perdendis animabus laquei dæmonum erant. Si vero humanæ illius excidii causæ spectentur, confluxerat in eam urbem innumera Christianorum multitudo, qui post Antiochiam, Tripolim, & alias urbes, arcesque expugnatas, & eversas eo confugerant, atque in tot factiones erat scissa, (*g*) illius dominatum inter se Rege Hierosolymitano & Cypri, Gallis, Venetis, Genuensibus, Pisanis, Anglis, Germanis, præfectis equitum templi & xenodochii S. Joannis Hierosolymitani, aliisque sine ordine partientibus: ac ne maturandæ cladis deesset occasio, octodecim crucesignatorum millia, qui ad defendendam urbem concurrerant, extremam illi perniciem attulerunt: cum enim nulla stipendia ad vitam sustentandam a ducibus elicere possent, in Saracenos excursiones, violatis induciis, agere, prædas avehere, mercatores Saracenos Ptolemaida venientes intercipere ac trucidare cœperunt. Qua de re Soldanus conquestus, cum supplicium de violatoribus induciarum sumi non obtinuisset, furore exarsit, quas causas perstringit Ptolemeus Lucensis his verbis (*h*): *Causa autem istius captionis duplex fertur, una fuit diversitas voluntatum in dominis, quia non simul concordabant in regimine sive defensione terræ: erant autem ibidem sex vel septem dominia, videlicet Templarii, Hospitalarii, Teutonici, consul Pisan. Rex Cypri, Rex Carolus, item patriarcha. Propter hanc igitur diversitatem Soldanus invalescit ad expugnandum civitatem, cum tamen inexpugnabilis diceretur. Secunda causa fuit stultitia crucesignatorum. Nicolaus enim Papa post perditionem Tripolitanam fecit prædicari crucem per regiones, & subito transeunt sine capite in Achon; cumque viderent Saracenos portantes merces, injuriabantur eisdem, & aliquando spoliabant eos, interdum vero occidebant;* pro-

Stero comparata hæc auxilia.

Eversionis Ptolemaidis causæ.

Incolarum scelera.

(*f*) *Jo. Villan. l.* 7. *c.* 144. *& alii.*

(*g*) *Id. ib. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.* 24. *c.* 23. *S. Anton.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 6. §. 9. *Bern. in chr. Rom. Pont. Vvestm. Flor. hist. Guid. in annal. Flandr. Contin. hist. belli sacri l.* 5. *& ex eo Novat. cent.* 13. *c.* 3. *col.* 22. *& alii.*

Variæ earundem factiones.

Initæ cum Saracen. induciæ violatæ.

(*h*) *Ptol. Luc. l.* 24. *c.* 23.

propter quam causam provocatus est Soldanus. Adactum etiam jurejurando ferunt (*a*) barbarum a morituro patre Melecmessor, antequam is infelicem animam evomeret, cadaver sepulturæ non traditurum, antequam excidisset Ptolemaidam, Christianorumque reliquias delevisset.

(*a*) *In epist. Soldani* [illegible] *apud* [illegible] *antiq.* [illegible] *pag.* 37.

VII. Conflato itaque florentissimo exercitu, Ptolemaidam obsidione cinxit, tantamque hominum multitudinem secum traxit, ut castra duodecim milliaria tenerent. Nec fregere initio animos Christiani, quandiu animis inter se conjunctissimi sub Guillelmo e Bellojoco Templariorum magistro supremo Christianarum copiarum duce coaluerunt: at ubi ille, dum brachium ad feriendum hostem excrebat, venenato telo a Saraceno vibrato in ipsa commissura transfixus occubuit (in cujus strenui viri laudem exaratæ reperiuntur pontificiæ literæ, (*b*) quibus illum Nicolaus, cum nonnullis aliis pugnando in Saracenos martyris instar obiisse prædicat) mox eo extincto pavor omnium invasit animos: *Ex ejus morte,* inquit S. Antoninus, *tota civitas commota est & contrita: & quia ubi multitudo ibi confusio, cum scilicet non inest ordo, ideo cum multorum essent ibi dominia, & sine ordine orta inter eos discordia de custodia, cum omne regnum in se ipsum divisum desoletur secundum doctrinam Christi, ideo deserta defensione civitatis quilibet conatus est evadere manus Saracenorum, ne caperetur.* Conglobatus hostis in urbem victor irrupit: qui ad portum confugere, partim fluctibus hausti (*c*), cum orta tempestate navigia appellere ad terram non possent, plurima Christianorum millia cæsa, spoliorum numerus pene infinitus, urbs a barbaris funditus deleta. [1] Quam cladem his verbis luget Pontifex (*d*): *Quantumcumque mater Ecclesia casum eundem prævenire stu-*

Sultanus injuria provocatus cum immensis copiis urbem obsidet.

(*b*) *Lib.* 4. *ep.* 391.

Magister templi telo confixus moritur.

Saraceni urbe vi potiti.

(*c*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 61.

(*d*) *Ib. ep. cur.* 61.

due-

NOTÆ [1] PTolemaida urbs nobilis Palæstinæ, ac totius regni Christianorum in iis regionibus post amissionem Jerosolymæ caput, hoc anno armis Soldani impugnata Saracenis cessit. Obsidionis hujus historiam annalista ex Sanuto potissimum describit; sed illam peculiari libro persecutus est author quidam anonymus vulgatus a PP. Martene, & Durand in Collect. monum. to. V. Præsens ille quidem minime interfuit, rem tamen se ex oculatis testibus didicisse profitetur, scriptisque redegit ea quæ ab illis audivit non diu post casum acerbum & miserabilem. Nam in codice manuscripto abbatiæ S. Victoris legisse se se affirmant collectores illi volumen dono datum fuisse abbatiæ S. Victoris Parisiensis ab Arnulfo de Anagnia præposito S. Audomari canonico atque electo Parisiensi, qui ante consecrationem suam obiisse fertur an. 1298. Lucubrationem eamdem expilasse Nangius videtur, cum ejus de Acconensi excidio narratio authori huic per omnia congruat. Anonymus iste nonnulla refert a Sanuto plane diversa; quædam diligentius exponit, ut absolutam plenamque obsidionis hujus historiam scribendam si quis susceperit, utrumque scriptum præ oculis habuisse necesse sit. Narrat igitur author obsidionem hanc aliquandiu ante cœpisse quam Soldanus cum toto exercitu veniret. Præmiserat enim Saracenus septem duces suos cum 4000. equorum, ac peditum 20000. in singulos; atque ab his militibus cœpta Acconensis urbis obsidio *a medio martii usque ad medium aprilis* perseveravit. Anticipatæ hujus obsidionis Sanutus non meminit; at sermonem de illa facit Arsenius monachus Basilianus, qui sequenti anno cum Nicolao pontifice ea de re sermonem fecit, cujus verba recitat Bartholomæus de Neocastro in historia Sicula cap. CXX. quamquam in textu mendose legitur venisse Saracenos die XXV. mensis martii, cum legendum sit die XV. Interea Soldanus advenit, cujus agmen constituebant duces deni, quibus singulis equitum quatuor millia, & peditum vicena millia commissa erant. Cum vero barbari triduo quievissent; dein admovendis propius urbem machinis & copiis operam contulerunt, qua in re ad diem usque IV. maii laboratum fuit. Tunc cœpti sunt per fundibularios & jaculatores submoveri propugnatores; donec tandem die XV. maii Saraceni urbem aggressione tentarunt; atque tunc demum contigit ut rex Cypri succedente nocte fuga dilaberetur cum tribus millibus armatorum. Narrat hæc anonymus noster & Nangius, nec dissentit Sanutus, qui nonnisi unicam aggressionem diei XV. maii describens, eidemque attexens urbis casum, discessumque regis Cypri simul commemorans, confundere hæc simul omnia in speciem videtur. Reipsa tamen sedulo hæc distinguenda sunt; aggressio nempe diei XV. & post illam fuga regis Cypri; tunc sequenti die iterum tentata a Saracenis mœnia, quæ cum perfodissent, ne urbem eodem impetu caperent, Matthæi Claramontani Marescalchi hospitalis virtus bellica qua ingredientes hostes repulsi sunt, prohibuit. Quod semel & iterum ab eodem viro strenuo, redeuntibus die XVII. ad aggressionem hostibus, præstitum est. Die XVIII. iterum in mœnia perrumpunt Saraceni, iterumque pelluntur a nostris; sed renovata per apostatas, qui ad Saracenos desciverant, aggressione, supremus christianorum copiarum ductor Joannes de Gerliaco ab urbe turpi se fuga subduxit, magister hospitalis lethali vulnere confossus in navim translatus fuit; patriarcha invitus ad mare cum cæteris rapitur: atque ita defecti viribus aggressores impetum victorum sustinere non valentes, passim cæsi ac trucidati sunt. Urbs capta, & qui superfuerunt e conflictu christiani in domum Templi se receperunt. Equites Templi, magistro suo in pugna amisso, monachum Gaudini substituerunt. Hic deditionem eorum, qui ad templum confugerant, pactus fuit; eodemque suasore Saraceni, quos Soldanus miserat ut christianos tutos dimitterent, neci traditi sunt. Secundum hæc nullum non movit lapidem ut barbarorum furorem placaret; sed cum frustra se niti intelligerent, nocte succedente proripuit sese in Cyprum una secum pretiosis sanctorum lypsanis transvectis. Hinc optime Sanutus mareschalcum Templi, non vero magistrum capite truncatum a Sultano notavit. Hæc majoris momenti ex authore, quantum conjectura assequi possum, accurato decerpsi, quibus lux non modica historiæ Sanuti affunditur. MANSI

duerii, incolis illarum partium in galeis, bellatorum multitudine, ac subventione pecuniaria juxta persuasum ab eis denuntiatæ necessitatis exigentiam, & oblatæ super hoc petitionis instantiam; succurrendo; nihilominus civitas Accone sic ejusdem matris Ecclesiæ studio communita, quadraginta & quatuor diebus arctissimæ Babyloniæ potentiæ obsidione circumdata, terribilibus machinis die noctuque vexata, imperita crebris & diris insultibus muris etiam ipsius per cuniculos arietatis occultos, quadragesimo quarto die obsidentium viribus, Dei permissione admirabili & stupenda, succubuit capta per eos & igni exposita, Christicolis inibi existentibus cæsis innumeris, & cæteris, qui habere nequiverunt, ad maritima vasa recursum, in captivitatem abductis, ut jugum barbaricæ servitutis horribile dispendiis civilis mortis addicti naturali etiam diutius moriantur. Et deinde Tyrensis civitatis deditio secuta, &c. Datum apud Urbemveteram kal. augusti anno IV. At si stupenda fuit divina illa permissio, attamen justa, ut S. Antoninus subjectis verbis ostendit (*a*): *Neque hoc accidit sine magno & justo judicio Dei: nam habitatores ejus, & si nomine Christiani, re autem infidelibus erant deteriores, repleti omni iniquitate & lascivia; ideo in præsenti Deus supplicia reddidit, ne in æternum eos puniret, qui in tam sæva morte ad Deum sunt reversi; & ne impœnitentes ex eis diutius viventes majores sibi acquirerent cruciatus.*

(*a*) Anton. 3. p. tit. 20 c. 6. §. 9.

VIII. Sultanus Seraf LX. millia equitum & CLX. mil. peditum in Christianos educit.

(*b*) Sanut. l. 3. p. 12. c. 21. Alia ex Sanuto Ptolem. descriptio.

Describit accuratius idem excidium Sanutus (*b*), ac singula in eo gesta suis temporibus distinguit; cujus verba in re adeo memorabili consignanda visa sunt historiæ, ut secutura aliquando Christiana posteritas, propositis hisce cladibus, ad recuperandum sacrum regnum, delendumque Saracenum nomen accendatur: *Cum carnalia, inquit, cæteraque peccata continue augerentur in fractoribus fœderis baptismalis, nec de malis vellent conteri, nec per pœnitentiam ad viam redire justitiæ, assumsit Seraf paternum propositum, eo ardentius commotus, quod novemdecim Saracenos mercatores Ptolemaide in loco vocato Lafunda, juxta cambium, contra fidem treuguarum crucesignati gladio peremerunt; ac poscenti justitia denegata sit & quasi instrumentum, licet dirum, severi judicis negligentibus misericordiæ tempus, MCCXCI. quinto aprilis undique obsedit Ptolemaidam civitatem: in exercitu enim suo habuisse dicitur LX. millia equitum, & CLX. millia peditum. Erexit autem in locis variis machinas multas, demolientes muros civitatis & turres. Fecit quoque plures minas seu cuniculos respondentes ad terram novam factam nuper ante turrem Maledictam, & ad sbaralium, sive barbacanum Regis Hugonis, & ad turrem comitissæ de Blois, & ad turrem S. Nicolai. Et postea fecit approximare orificio fossarum boachiers multos, multumque sibi vicinos a turri S. Nicolai usque ad sbaralium domini Odoardi, & post leboanchiers fecit erigi plures carabagas, proticientes magnos lapides & frequenter; ita, ut prosternerent muros cum turribus. Venit autem Rex Henricus in succursum obsessis IV. madii cum ducentis militibus, & quingentis peditibus, & octavo die ejusdem mensis distruxerunt sbaralium Regis Hugonis, impsueruntque ignem: pontem quoque muro adhærentem similiter, quia aliquibus videbatur quod hæc defendere non valerent. Saraceni autem XV. madii violenter ceperunt turrim rotundam novam Regis, quæ erat ante turrem Maledictam, & ipsam electis bellatoribus muniere.*

Ut machinis mœnia quassarit.

Cypri Rex in auxilium cum levibus copiis applicat.

Turris rotunda occupata a Sarracenis.

XVIII. autem ejusdem mensis in sexta feria Soldanus durissimum civitati dedit insultum, omnem apponens exercitus sui virtutem contra totum muri circuitum, a mari videlicet usque ad mare, & intraverunt Saraceni per dictam turrim novam toto conatu usque ad barbacanum, & obtinuerunt inde per pontem lapideum, quem fecerant Christiani, ut per eum a magno muro ad barbacanum transirent: civitatem ingressi sunt, divertuntque aliqui versus portam S. Nicolai, alii versus portam legati. Tunc Christiani fugam capiunt versus mare, & Saraceni per scalas libere muros ascendunt, & infra civitatem jam omnia occupant. Rex autem & magistri templi & hospitalis Alemannorum, Joannes de Grelli, & cæteri bellatores processerunt ad portam civitatis, ut exirent ad barbacanum: sed major fuit potentia resistentium; magister enim templi cum aliquibus confratrum suorum, ulteriorem moliens insultum, spiculo percussus interiit, & ad templum usque delatus est.

IX. Universo admoto exercitu in mœnia affiliunt.

Ex iis plures irrumpunt.

Propulsant aliorum impetum Christ. copiæ.

Post hæc videntes Turchi, quod nulla esset defensio ad portam turris Maledictæ, in civitatem intrantes, quoscumque reperiunt gladio secant. Cernentes autem Rex & capitanei, qui secum erant, illorum liberum introitum, cunctosque perimere, versus mare pergant, & cum majoribus galeas ascendunt: eorum vero, qui gladios effugerant impiorum, nonnulli ad templum habuere recursum.

Deseritur a nostris porta turris Maledictæ.

Turci ingressi obvios obtruncant.

Patriarcha (c) solus quasi pastor bonus solicitus erat de ovibus, & cum propinqua illi esset galea ad recipiendum parata, ut gregem salvaret commissum, cunctos per aquam ambulantes ad se in parvo suo navigio recolligere cupiebat, donec nimia fuit repletione submersa: sic animam pro ovibus suis & simul cum ovibus suis dedit, soluque evasit, qui portabat crucem & crucifixi imaginem ante eum. Multitudo itaque ad maritimam partem

X. (*c*) Id. ib. & Jord. MS. Vat. sign. n. 1960. Christianorum fit fuga.

Nicolaus patriarcha, fugientes colligere tangens, ductibus cum iis mergitur. Os maris tempestatem plures hausti fluctibus.

tem concurrerat, & cum parva navigia vellent ascendere, ut ad majora confugerent, seipsos impedientes (nam ubi multitudo, maxime timore mortis perterrita, ibi confusio) in mare alterutrum impellebant. Erat quoque in mari tempestas valida, ut ad magna navigia accedere non valerent: undique erat tremor & pavor, & gemitus mortis. Soldanus quoque ad quatuor partes civitatis fecit ignes accendi, ut ferro & igne consumeret universa.

XI. Ignes urbi injecti. Conjurasse in Acconitanos ob eorum scelera omnia elementa visa. Non inanæ inditi Maledictæ turri nominis præsagium.

Nunc luit peccata, sed non abluit, civitas scelerata, gratiis divinis ingrata. Ad ipsam confluebant Reges & principes terræ. Ad ipsam mittebant succursum tributariæ cunctæ partes occiduæ: & nunc contra eam pugnant omnia elementa. Terra enim ejus sanguinem devorat, quæ sanguine ejus tota madescit: mare absorbet populum: ædificia consumit ignis: aer fumo & caligine tenebratur. Juste proinde Maledicta vocata est turris illa, qua maledicta gens Saracenica subintravit, & qui illi nomen imposuit, eventum tam diri infortunii, nesciens quid diceret, prophetavit. Subdit nonnullis interjectis auctor, ut altero ab expugnata Ptolemaide die Templarios, qui in arcem ordinis se receperant, deditionem facere jusserit, funestosque inde casus secutos ita exponit (*a*).

(*a*) Eod. lib. p. 12. c. 22.

XII. Templarii arcis deditionem facere parant.

In crastino quoque Ptolemaidæ captionis Soldanus misit ad eos, qui ad templum confugerant, ut locum reddant, salvosque conduci faceret, quo ipsi elegerint. Firmata conventione, Soldanus admiraldum quendam cum trecentis transmittit ad locum, quorum nonnulli Christianas capiunt mulieres, cum eis affectantes turpitudinem operari. Tunc Christiani arma capiunt, & interficiunt universos. Soldanus dissimulata ira iterum priora requirit, culpatque suos, quasi negligat, quod evenit. Accedit proinde ad Soldanum marescalcus templi cum aliis pluribus ignarus perfidiæ, capiteque truncatur. Quod cernentes, qui in templo remanserant in turri, quæ magistri vocabatur, se reduxerunt. Saraceni vero turrim suffoderunt trabibus sustentantes, & tunc cum Christiani se redderent, tot Saraceni turrim ascenderunt, ut ruptis scalis ex pondere turrique ruente cum Christianis non solum qui intra, sed etiam multi, qui erant exterius, Saraceni extincti sunt. Hactenus auctor de Ptolemaidis eversione: in qua insigne virtutis exemplum editum silere non possumus.

Ptolem. leges initas Saraceni, cæsique a Christianis. Sultani perfidia. Christiani cum Saracenis turris casu obtriti.

XIII. Templarii Sydone abscedunt metu Templarii.

Capta urbe, cum Saracenus victor per domos discurreret satiaretque libidinem & crudelitatem, Clarissarum præfecta, sorores ad æris crepitum convocatas monuit duplex animæ & corporis periculum ab hostibus imminere: post illatum enim ruprum gladio sævituros, suasitque & voce & manu, ut animæ pulchritudinem, accersita ultro corporis deformitate, redimerent. Quod viraginis insigne facinus S. Antoninus his verbis narrat (*b*): *Anno Domini MCCXCI. civitatis Achon capta fuit per Saracenos, occisis ibi vel captis plusquam triginta* (alibi habet (*c*) LX.) *millibus Christianorum utriusque sexus. Cum autem esset Achone solemne monasterium S. Claræ sororum, & abbatissa captam civitatem audisset, & Saracenos intrasse, zelo castitatis virilis effecta omnes sorores ad capitulum convocavit, & prima facto sermone salubri, ne a Saracenis deluderentur, omnes ad martyrium animavit, & ait: Filiæ meæ & sorores contemnamus vitam istam; & ut immaculato sponso immaculato corde & corpore fortes in fide domino nostro Jesu Christo nos valeamus offerre, & pretio proprii sanguinis vitam interminabilem comparemus, quod me videritis facere, hoc & vos faciatis. Virilis ergo mulier gladio suo sibi nasum proprium mutilavit & fluente sanguine totam faciem cruentavit. Animantur sorores ad similia, & facies suas diversimode vulnerantes ex cruore virgineo aspectum horribilem aspicientibus intulerunt. Quid plura? Intrant Saraceni monasterium, evaginatis gladiis sanguinem Christianum sitientes. Occurrerunt virgines sacræ intrepide non decorem, sed horrorem canibus illis offerentes: qui primo videntes obstupuerunt, deinde horrentes omnes gladiis peremerunt. Nempe in eo quod se vulneraverunt, nisi excusentur ex speciali instinctu Spiritus sancti hoc fecisse, secundum communem legem graviter peccassent. Fratres etiam Minores conventus, qui ibi erat, interfecti sunt a Saracenis.*

(*b*) Ant. 3. p. tit. 24. c. 9. §. 11. & Vuad. in annal. ex chron. antiq. ord. (*c*) Tit. 20. c. 6. §. 9. Insigne castitatis servandæ exemplum.

XIV. Tyrus a Christianis deserta.

Traxit secum Ptolemaidis excidium aliarum urbium, & arcium jacturam, quas fideles in Syriaci maris ora obtinebant; cum victoris potentiæ impares se putarent, ac subitus terror animos fregisset. De Tyro quidem hæc Sanutus scribit (*d*): *Eodem die, quo Ptolemaida capta est, Tyrii civitatem vacuam in vesperis relinquentes, victoribus sine ictu gladii absque tumultu belli occupandam libere, ascensis navibus, reliquerunt. In crastino vero Saraceni intraverunt nemine prohibente, feceruntque, quod libuit.* Reliquas etiam arces metu a custodibus desertas, vel sponte victori deditas, vel occupatas dolo & perfidia impiorum ita describit idem auctor (*e*): *Templarii, qui prius fugerant, Sidonem adeunt, & muniunt castrum maris. Contra quos Soldanus unum admiratum transmisit nomine Segei: qui cum eos ex parte terræ superare non posset, in Lycia præparavit navigia. Quod cernentes Templarii timore percussi ad Tortosæ insulam primo, Cyprum deinde confugerunt: admiraldus vero castrum dirui jussit. Tunc*

(*d*) Sanut. l. 3. p. 12. c. 21.

(*e*) Id. ib.

Berithenſes dolo necati, aut in ſervitutem rapti.

qui Barutbi erant nuntios illis tranſmiſerunt, petentes quid de eis intenderet; reſponditque ſubdolus Segei, cum inter eos eſſet treguæ conventio & Soldanum, ideo ſibi per confines ſuos tranſeunti feſtive occurrant. Illi dum juſſa perficiunt, trucidantur, capiuntur, cateniſque nectuntur, diruitque muros civitatis & caſtrum.

XV. Caſtrum Peregrinorum (olim æquatum).

Poſt hæc parvo elapſo tempore, caſtrum Peregrinorum a Chriſtianis relinquitur, & a Saracenis deſtruitur. Tunc omnis Syria amiſſa eſt, cunctique Chriſtiani habitatores terræ Promiſſionis aut morte extincti ſunt, aut profugi exuleſque ſuis demeritis inde ad inſulam Cypri habuere refugium, illicque ſecum habentes, quam ſecum in conſcientia portaverant, ſarcinam peccatorum, & cauſam deſolationis præfatæ, in multa anguſtia multoque tremore miſeram vitam agunt. Sic referente Iſaia IX. *cap. Primo tempore (ſcilicet Saladini) alleviata eſt (ab onere hominum peccatorum) terra Zabulon & terra Nephthalim. In ipſis enim locis ad literam Saladinus victorias inchoavit ſupra par.* IX. *cap.* IV. *cum per partes Tyberiadis & Nazareth ſui equites diſcurrerunt. Et in noviſſimo tempore (ſcilicet Bendocdar M.ſſor & Seraph) aggravata eſt via maris, trans Jordanem Galilææ gentium. Hæc Galilæa gentium vicina eſt mari & Tyriis ſicut Tiberiadi altera Galilæa: ſub prædictorum enim trium ſoldanatu adverſus omnia, quæ eis Jordanem maxime in regione maritima relicta fuerant Chriſtianis, aggravata eſt divinæ ſeveritas ultionis.* His conſentiunt, quæ in epitome bellorum ſacrorum traduntur apud Caniſium (*a*) his verbis: *Tyrenſes & Sydonenſes, relinquentes civitates eorum fortiſſimas, effugerunt. Barutenſes vero credentes verbis pacificis Saracenorum, proditorie detenti ſunt & in Babyloniam miſſi; & ſic tota Syria poſſeſſa erat per Saracenos.*

(a) Caniſ. antiq. lect. to. 6. p. 278. Inſignis Syrorum ignavia.

XVI.

De eodem funeſto Syriæ excidio hæc addit Jordanus (*b*): *Intra annos autem quadraginta capta ajunt hæc loca, Jeruſalem, Aſcalonem, Zaphan, Nazareth, Gazaram, Cæſaream, Buleviam, Antiochiam, Zibelet & Biblium, Tripolim, Achon Suriæ, & Tyrum, Sydoniam, Baruthi Tortoſam caſtra* XII. *nobiliſſima amiſſa ſunt.* Deſcribit accuratius earundem urbium excidia, quæ ab eo tempore, quo occidens civilibus bellis arſit, contigerunt, Ptolemæus Lucenſis (*c*): *Achon deleta, delentur omnes in circuitu regiones: & ſic de regno Jeroſolymitano, nec de terra promiſſionis remanſit aliquid, quod non ſit a Saracenis occupatum. Et attende (d) hic, quia ut tradunt ii, qui dictas exploraverunt regiones, ab eo tempore, quo fuit capta Achon, quod fuit anno Domini MCCXC. uſque ad L. omnes iſtæ civitates & caſtra, quæ erant Chriſtianorum, a Saracenis ſunt occupata. Prima eſt Jeruſalem, civitas Dei ſummi. Secunda Aſcolocia. Tertia Ciaffa verſus Achon. Quarta eſt Nazareth. Quinta eſt Gaza. Sexta eſt Cæſarea. Septima eſt Lalertio, nobiliſſima civitas. Octava eſt Antiochia, quaſi altera Roma. Nona eſt Gibelletum, quod antiquitus Biblium vocabatur. Decima eſt Tripolis, civitas amœniſſima & delectabilis; civitas, quæ prope Libanum juxta mare ſita. Undecima Achon, quæ antiquitus Ptolemaida vocabatur, quæ portum maris nobiliſſimum habebat, & propter ſuam nobilitatem tot habebat dominia, ut ſupra eſt dictum. Duodecima eſt Suri, quæ alio nomine Tyrus vocatur, civitas famoſiſſima. Fuit tempore Ezechiel prophetæ, & fuit inſula tempore ejus: ſed poſtmodum per Alexandrum Macedonem continuata eſt terræ. Tertiadecima fuit Sydonia, quæ modo Sacra vocatur, quam cum Tyro Dominus in Evangeliis multum commendat. Quartadecima eſt Baructi, quæ habebat ſuum principatum per ſe, & vocabatur dominus de Baructi, qui occiſus fuit in Cypri in CCCX. & erat frater Regis Cypri. Quinta decima eſt Tertoſa, ubi eſt regio Cancadus.*

(c) Ptol. Luc. l. 24. c. 23.

(d) Eod. l. 24. c. 24.

Sed & (e) caſtra nobiliſſima multa ſunt perdita: multis vero omiſſis ſolum famoſa. Primum quidem Monforte a comitibus ſic nominatum ædificatum caſtrum nobiliſſime munitum. Secundum autem caſtrum de Monreale, fortiſſimum caſtrum. Tertium Baltelbianchbo, caſtrum fortiſſimum. Quartum Archibocha, fortiſſima. Quintum Zafettum, caſtrum munitiſſimum. Sextum Archinferum, caſtrum nobiliſſimum. Septimum Malacrea caſtrum fortiſſimum. Octavum Locroſale, caſtrum potentiſſimum. Nonum Botrone, caſtrum fortiſſimum. Decimum Nemphinum, caſtrum nobiliſſimum. Undecimum Nagacum, caſtrum potentiſſimum. Duodecimum caſtrum Peregrinum, quod erat caſtrum Templariorum, & alia plura caſtra in principatu Antiochiæ, & aliis pluribus locis, ſed in confinibus præcipue Armeniæ minoris, quæ fuerunt Templi hoſpitalis. Sola autem inſula Cypri nobis remanſit. Armenia vero minor, quæ antiquitus Cilicia vocabatur, & Georgia Chriſtianorum eſt; ſed ritu Græcorum vivunt. A mille CCL. uſque ad XC. ſunt captæ. Sed tempore iſtius Papæ quinque civitates ſunt captæ videlicet Tripolis, Achon, Tyrus, Sydonia, Baructi cum aliquibus caſtris. Lugemus ipſi propagatam ulterius Mahometanorum tyrannidem, atque Armeniam, Cyprum, aliaque vaſtiſſima regna, & imperia ab impiis debellata, dum fideles omiſſo bello ſacro, enſes mutuo cruore, pro quo Chriſtus ſuum effudit, fœdare non perhorruerunt.

XVII (e) Cap. 25.

Nec levia funeſtæ illius cladis prænuntia defuere prodigia: Pachymerius (*f*) enim

(f) Pachym. l. 7.

Prodigia apud Græcos dum Syria vaſtatur. Mutatus Euchar. color. Deiparæ imago flevit. Fluxit e S. Georgii imagine cruor. Ut ea Græcis imminens excidium portenderint.

nim de Antiochia, Tripoli, & Ptolemaide ſub Andronico everſis locutus, hæc affert: *Sacer panis Latinum typum præ ſe tulit*, ita ſchiſmaticus loquitur, *niger & teter theriacæ colore. Deiparæ imago per dies complures lacrymavit. E Georgii martyris imagine ſanguis ebullit. Antiochia, Tripolis, Ptolemais, tota denique Syria a Babylonio Sultano everſa, cæſis & deletis habitatoribus Italis.* Tum ſubdit hanc notatu digniſſimam ſententiam: *Solemus quidem terrores prodigiorum, ſpe & mora nobis ipſi blandientes, ad alios transferre: verum apud quos malorum ſignum apparuerit, apud eos etiam eventum rarum fore conſtat.* Quæ enim Græcos ex Syriæ clade, cui numquam auxilia ſubmittere voluerunt, manebant mala, videmus: cum poſtquam Latini inde pulſi fuere, belli Saracenici moles Græcos oppreſſerit. Ne vero Saraceni ob deletum in Syria Chriſtianorum nomen ſuperbia inſoleſcerent, eamque victoriam ſibi adſcriberent, inflictas a vindice Numine brevi pœnas ſenſerunt. Tradunt enim Aytonus (*a*) Marinus (*b*) Sanutus, aliique auctores, Sultanum Babylonium in venatione a ſuis fuiſſe interemptum, illius duces mutuis diſſenſionibus exortis invicem cædibus graſſatos, majoremque infidelium illorum partem fame periiſſe. Sed de iis iterum anno ſequenti.

(a) Ayton. hiſt. orien. c. 53. (b) Sanut. l. 3. p. 13. c. 1.

XIX. Occidens e Syriæ excidio conſternatus.

Interea concuſſit terrore occidentem orientalium clades, planctuque omnia implevit: cujus dolor præ cæteris communem Chriſtianorum parentem confodit. Nicolaus itaque crudeli nuncio fauciatus, mox imbutas lacrymis literas ad omnes principes Chriſtianos ſcripſit, ut ipſos in Saracenos concitaret. Extant in primis ad Philippum Gallorum Regem datæ, (*c*) quibus deplorat Ptolemaidam (recentiori nomine Acconem appellatam) quadraginta quatuor dierum oppugnatione captam, omnes obvios gladio cæſos, præterea plures, dum in naves evadere nitebantur, undis abſorptos, Tyrumque ex Acconis excidio tanto metu percuſſam, ut deditionem hoſti fecerit. Tum ſummis precibus contendit, ut in extremo illo caſu conſentanea auxilia ſubmittat.

(c) Lib. 4. ep. cur. 51. & Formul. Mar. Ebu. MS. Vatic. p. 298. n. 3052.

Chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Franciæ illuſtri.

XX. Pontifex Regi Franc. acceptam recenter cladem exponit.

Recordare, princeps inclyte, quod Chriſtianis in partibus tranſmarinis acciderit, tntuere, & reſpice totius Chriſtianitatis opprobrium. Hereditatis dominicæ funiculus Terra ſancta verſa eſt ad alienos: ad extraneos ſacratiſſima & alia loca ejus, inter quæ civitas Acconenſis venit, proh dolor! noviter in ruinam; quam licet Romana mater eccleſia ſtudioſe vitare ſtuduerit, civitati eidem, ut paſſagii generalis adventum ſufficeret expectare, in vaſis maritimis, copia bellatorum, pecuniario ſubſidio, ſubveniendo ſolicite, prout ſuggeſſit exinde nuntiata neceſſitas & feries ſuper hoc oblatæ petitionis exegit; nihilominus tamen civitas eadem ſic prompto ipſius Eccleſiæ fulta ſuffragio, ſic diligenter inſtructa poſt arctiſſimæ obſidionis inſtantiam, quam contra eam in gravi multitudine quadraginta & quatuor diebus Babylonicæ perſecutionis pertinax continuavit inſtantia; die noctuque ipſam frequentibus terribilium machinarum ictibus atterendo, renovando infeſtos, quaſi continue ſibi ſuccedentes inſultus, & ipſius etiam mœnia occultis arietando cuniculis; heu ante faciem perſequentium cecidit occupata & igni expoſita per eoſdem, Chriſticolis ipſam inhabitantibus pro parte maxima in gladii ore cadentibus, reliquis præter illos, qui fugæ navalis evaſere præſidio, captivatis; & Tyrenſi civitate valido proinde terrore concuſſa, quaſi e veſtigio ejus eſt deditio ſubſecuta.

Ut Ptolemais quadraginta quatuor dierum ſpatio expugnata ſit. Tyrus ſolo terrore ad deditionem compulſa.

XXI. Hortatur Philippum Pont. ut Syriæ everſæ miſereatur.

Cum igitur hujuſmodi Dei, & totius Chriſtianitatis negotium cuncti catholici Reges, & principes orbis terræ cordi potiſſime gerere debeant, & vehementer affici circa illud opere, & operam impendendo ſolicitam, ut votivum auctore Domino exitum ſortiatur; ſerenitatem regiam rogamus, & hortamur attente, inſtanter requirimus, & obſecramus in Filio Dei Patris, quatenus clara progenitorum tuorum veſtigia, eorumque opera imitans pietatis, qui zelo devotionis, & fidei fervore ſuccenſi pro terra ipſa expoſuerunt, totaliter ſe & ſua, ob reverentiam Jeſu Chriſti, qui pro te ſe diræ mortis expoſuit paſſioni, ſic te ipſum & regnum tuum, tibique ſubjectos ad prædictum negotium, & pro ipſo diſponas, ut illud tuo & aliorum Regum & principum auxilio circumfultum ad optatum effectum ad laudem Dei, & totius Chriſtianitatis honorem feliciter perducatur.

XXII. Triremes mittat.

Et quia provida cunctorum conſilia, qui noverunt conditionem Terræ ſanctæ, conveniunt & fieri perſuadent, ut ad terram ipſam navale, ſeu galearum ſubſidium curſu celeri dirigatur, cum per hoc eidem terræ in tantæ neceſſitatis articulo poſſit utilius & efficacius ſubveniri, ac reſiſti conatibus & debilitari potentia inimici, quæſumus ut eidem terræ ſuper tam lugubri, tamque miſerabili ſtatu ejus piæ mentis affectione compatiens, ſuiſque profundis doloribus condolens, hujuſmodi ſubſidium juxta potentiæ tuæ vires, & exigentiam neceſſitatis inſtantis ad prædictam terram cum ea, qua fieri poterit acceleratione tranſmittas. Nec ſit, fili, excellentiæ tuæ grave quod petimus; ſed illud tamquam princeps catholicus, ad quem ſuper hujuſmodi Terræ ſanctæ negotio cæterorum Chriſtianorum Regum & principum, & aliorum ſub religione Chriſtiana degentium

tium oculi diriguntur, promptis animis, & munificentia regia exequaris, ut præter divinæ retributionis præmium tibi exinde proventurum glorioſæ laudis in ſæculo ſonora præconia conſequaris. Dat. apud Urbemveterem x. *kal. ſeptembris anno* IV.

(a) *Eod. l. 4. ep. cur. 52.* Monet vel expeditionem ſuſcipiat, vel decimas acceptas refundat.

Tum poſtridie ejus diei aliis repetitis literis (*a*) Regem ipſum adhortatus eſt, ut vel crucem pro re Syriaca recuperanda indueret, vel decimam parenti crucesignato conceſſam reſtitueret. Qua de re ad Pariſienſem epiſcopum ſcripſit (*b*), ut ſi Gallorum Rex crucis ſigna in Saracenos attollere reſpueret, collectas e decimis pecunias a patre acceptas refunderet.

(b) *Ib. ep. cur. 53. 54.*

XXIII. Genuenſes in Saracenos concitare ſtudet Nicolaus.

Imploravit etiam Genuenſium opem, quorum olim virtus in comparanda Chriſtiano nomini Syria emicuerat, ut inimicitias cum Venetis ponerent, induciaſque firmiſſimas contraherent: verterent arma in Saracenos, atque in ea republica leges in concilio Lugdunenſi ſanctas promulgarent, ac ſumma religione ſervarent, quibus vetabatur, ne Chriſtiani ad Saracenos arma, ligna ad conflandas naves idonea, aliave, quibus offendi Chriſtiani poſſent, deferrent. Quo vero eorum animos ad hæc infringeret, funeſtum rerum Chriſtianarum lapſum hiſce verbis in eorum oculis defixit (*c*).

(c) *Ib. ep. cur. 55.*

Dilectis filiis, poteſtati, capitaneis, conſilio, & communi Gianuenſibus.

Diræ amaritudinis calicem, nuper nobis de Syriæ partibus propinatum, non ſine lacrymarum profluvio deguſtantes, in amara nimis & triſtia valde prorumpere cogimur, voceſque depromere lugubres, ac vehementem, quem ſentimus intrinſecus, quo durius perturbamur in intimis revelare, ac inſinuare dolorem, quamvis forſitan præſentis paginæ curſum greſſus celerior præcurrentis famæ prævenerit, & jam rumoris præloquentis affatibus ad notitiam veſtram pervenerit, quod noſtrarum lingua proloquitur literarum. Sæpe quidem illa orientalis plaga profundas Eccleſiæ plagas impoſuit, ſæpe illam poculis amaricavit abſynthii, ſæpe felleo cibo pavit, ſauciavit vulneribus, & turbationis validæ acerrima punctura confodit. At nunc ei amariſſimæ potionis hauſtus uberrimos intulit, nunc illam mœroris immenſi ferculo copioſo replevit, eamque furoris feralibus gladiis crudeliſſime pupugit; quin potius ad ejus uſque interiora pervenit. Superfundimus itaque illato calici acrem fletum, & tam amaro potui tam acerbo inundantem lacrymarum pluviam immiſcemus. Audivimus etenim, mœſtiſque relatibus aperitur, quod diebus proximo jam tranſactis aucta quamplurimum Babylonici perſecutoris immanitas, Chriſtianum ſanguinem ſitientis, & in Chriſtianitatis exterminium aſpirantis, extremum ſuæ nefandæ potentiæ viribus, innumera videlicet multitudine armatorum machinis plurimis & aliis inſtrumentis bellicis congregatis, contra civitatem Acconenſem in ira ſpirituque furoris procedens hoſtiliter, civitatem ipſam multo revera populo præditam, multæ nobilitatis inſignitam titulis, & bonorum affluentia opulentam, quæ univerſis Chriſticolis tranſitum ad partes illas habentibus potiſſimum, & principale refugium exiſtebat, obſedit, ipſam anguſtans arctius, ac eam, & non modicam fidelium copiam tunc inibi morantium ſic infeſtis & validis impugnationibus machinarum, ictibuſque miſſilium, modiſque aliis bellicis per non modici temporis ſpatium die noctuque inſultibus violentis impetiit, cunctiſque conatibus indefinenter oppreſſit, quod eam tandem, incolarum ipſius & cæterorum tunc ibidem præſentium viribus ſuperatis in arcu & pharetra, furentibus gladiis comprehendit. In cujus tam ſiniſtri, tam flebilis, tamque doloroſi eventus articulo, cum religionum Chriſto militantium fratres aliique armis accincti quamplurimi, viri quippe ſtrenui athletæ Domini, & propugnatores electi, pro defenſione civitatis ejuſdem interius vigilantes, tolerare diutius irruentium undique ac inſilientium Agarenorum terribiles impetus & aggreſſiones nefarias non valerent; demum poſt infandum fidelium multorum excidium, poſt captionem miſerabilem plurimorum; ut cæteros, quos in terra marique ſæviens trucidabat gladius, furor devorabat hoſtilis, manuſque inimica necabat, quouſque præ magnitudine timoris attonitos, & in deſperationis anguſtia conſtitutos incertis & ambiguis paſſibus, ut a necis eruerentur exitio, fugientes, fluctus obduxit æquoreus, ſilentio relinquamus; civitatem prædictam, quod non abſque amaritudine copioſa referimus, & profundis ſeduliſve ſuſpiriis recenſemus, auſu damnabili occuparunt, illam flammis voracibus exponentes. O nefanda rabies paganorum! O immanis feritas! O execrabilis & funeſta ſævitia, quæ in Chriſti pugiles, in ſervos Dei, & in fidei orthodoxæ cultores ſic efferbuit, ſic deſæviit, tantæque crudelitatis horrorem, tamque nefariæ impietatis exceſſum dira perpetratione peregit!

Recentem iis Ptolemaidis everſionem exponit.

Ut Seraph Sultanus in eam ſuos converterit impetus.

Succubuerint ſub illius potentia religioſi equites.

Ferro, fluctibus, flammis perierint fideles.

XXIV.

Dolet igitur, & amarius eadem perturbatur Eccleſia, dolet & ejulat tantis & tam acerbis vulneribus ſauciata: perfunditur lacrymis vultus ejus: undique ſibi gemitus & lamenta conſurgunt, dum quos regeneravit in filios, feralis hoſtis voravit impietas, & in fidelium populos ſævit immanius gladius impiorum. Quis igitur orthodoxæ fidei zelo fervens ad tantam ſui Redemptoris ulciſcendam injuriam non exurgat? Quis renatus fonte baptiſmatis ad tantum non excitetur Chriſtianitatis opprobrium vindicandum, aut non ſtabit adverſus nequitiam, & inſultantem audaciam ho-

Indignum viro Chriſtiano Chriſti injurias non ulciſci.

ſtium crucifixi? Profecto poſſet non indigne redargui, ſi quis fidelium, ſi quis Chriſti ſanguine pretioſo redemptus ſe ad hoc non exhiberet ultroneum promptum non exponeret, ſpontaneum non offerret. Unde nos conſiderantes attentius, quod pro ejuſdem terræ tuitione continua, ſicut veſtram non credimus latere notitiam, prædicta Eccleſia labores plurimos, curas innumeras, & gravia onera pertulit expenſarum, ſic ut expectare ſufficeret paſſagii generalis adventum in galeis, aliiſque vaſis maritimis, copia bellatorum, & etiam pecuniarum ſummis ſubveniendo ſolicite, prout ſuggeſſit exinde nunciata neceſſitas, & ſæpius ſuper hoc oblatæ pluries petitionis exegit; ac eidem terræ tam diris, tamque crudelibus ſubactæ diſpendiis, & tantorum diſcriminum mole preſſæ, ac periculoſis convulſæ turbinibus paterno compatientes affectu, & pietatis zelo ſibi ex intimo condolentes, cunctos ſub religione catholicæ fidei militantes, ſed vos potiſſime, quos ad hoc efficaciores & utiliores agnovimus ad ejuſdem terræ ſubſidium decrevimus excitandos, ut illa, cœleſtis auxilii ope confota, jugum ſervitutis effugiat, & de manibus recuperetur hoſtilibus, ac recuperata ſalubriter & ſtabiliter conſervetur.

Suadet, ut civiles ſopiant diſcordias, ac pacem cum Venetis ineant.

Solicitat triremes navesque ſubmittere in Syriam.

Prohibeant ne Soldani terris vectitæ merces inferantur.

XXV.

Rogamus igitur univerſitatem veſtram, & hortamur attente, confidenter requirimus, inſtanter petimus, & obſecramus in Filio Dei Patris, quatenus infra clauſtra pectoris meditatione ſolicita revolventes, quod Dei eſt quod agitur in hac parte negotium; quodque, licet illud totius Chriſtianitatis exiſtere dignoſcatur, vos tamen & civitatem veſtram, conſideratis attentius quæ conſiderationi ſe offerunt, quadam ſpecialitate contingit. Attendentes inſuper, quod non ſolum ad ſalutis veſtræ profectus exuberes, ſed etiam ad veſtrum, veſtræque civitatis honorem grandem & gloriam redundabit, ſi ad terram prædictam, prout tanta & tam urgens ejus neceſſitas exigit, promptum celereinque ſuccurſum duxeritis deſtinandum ad recuperandam, favente Domino, terram ipſam congruum, juxta potentiæ veſtræ vires, pro divina & Apoſtolicæ ſedis, ac noſtra reverentia, tamquam filii benedictionis & gratiæ, Deoque devoti feſtinum & efficax galearum ſubſidium (ſuper quo ad partes illas dirigendo celeriter cunctorum conſilia, quæ conditionem ipſarum agnoſcere conveniunt, idque fieri perſuadent, cum per hoc eis utilius & melius ſubveniri valeat, ac veſtiſti conatibus, & debilitari potentia inimici) ſtudeatis penſato tantæ neceſſitatis articulo deſtinare, ut eidem terræ, veſtro, & aliorum fidelium adjutæ præſidiis, ſuffragiis circumfultæ, dies votivæ recuperationis & celeris, cooperante ſuperni Regis auxilio, illaceſcat.

XXVI. *Et quoniam in abundantia pacis, & tranquillitatis tempore tractantur utiliter & aguntur fructuoſius quæ ſunt Dei, quæſumus ut mentalibus oculis erectis ad ſuperos, & ſtudiis directis ad bonum, inter vos invicem pacis fœdera, & ſpecialiter cum communi Venetorum firmam pacem, firmamque concordiæ unitatem, pulſo procul cujuſvis diſcordiæ nubilo, reformetis, aut ſaltem treguam firmetis longo tempore duraturam. Cæterum ad ſubtrahendum lucra, reditus, & proventus, quibus Babylonicus hoſtis inſanus fortior redditur ad impugnationem fidelium, & retinendum Terram ſanctam ac alia Chriſtianorum loca, quæ nequiter occupavit, firmiter ſtatuatis, certis gravibuſque pœnis appoſitis, ut nullus omnino veſtrorum concivium, veſtrique territorii, ſeu diſtrictus ad terras Soldano ſubjectas accedat, mercationes aliquas ferri, armorum, lignaminum, vel aliarum rerum quarumlibet deferat, ſive mittat, ſibique vel ſuis præſtet auxilium, vel favorem; eos, qui ſecus attentare præſumpſerint, per exactionem pœnarum adhibitarum efficaciter puniendo; eaque contra tales tam in generali concilio, quam in Lugdunenſi poſtmodum ſubſecuto, nec non & per nos ſtatuta noſcuntur firmiter obſervantes, & facientes a veſtris ſubditis obſervari; & patienter feratis, ut præſumptores hujuſmodi tam per Eccleſiæ, quam per aliorum galeas, aliaque vaſa fidelium juxta ordinationem ſeu diſpoſitionem Apoſtolicæ ſedis impune, ac libere perturbentur offenſis, & a talibus compeſcantur, ut per auctæ punitionis remedium eorum temeritas facilius reprimatur.*

Extant in regeſto pontificio ea conſti- XXVII.
tutio (*a*) qua ſubjectæ pœnæ prævari- (*a*) *Ib. ep.*
catoris incuſſæ ſunt: *Qui contra hujuſmodi ſtatutum noſtrum quomodolibet venire præſumpſerint, præter pœnas prædictas*, 56.
contentas nimirum in diplomate alio aliquot ante annis edito, *quas illos ipſo facto incurrere volumus, perpetuo ſint infames, & inteſtabiles habeantur, ita quod nec teſtari, neque legata eis ſeu relicta percipere valeant. Et inſuper ad ſucceſſiones tam ex teſtamento, quam ab inteſtato ſint prorſus & reddantur inhabiles, nec ad publica quælibet admittantur officia, ſintque illis omnes actus legitimi penitus interdicti, & tamquam excommunicati hoſteſque catholicæ fidei, poſtquam de ipſorum hujuſmodi temeritate conſtiterit, diebus dominicis & feſtivis publice nuntientur, & in fiſcum bona eorum omnia devolvantur. Nulli ergo &c. Dat. apud Urbemvet.* x. *kal. ſept. anno* IV. Pergunt ſuperiores literæ.

Volumus inſuper, ut ambaſſiatores veſtros XXVIII.
viros quidem providos & diſcretos, ac tam ſuper pace & treugua & aliis præmiſſis veſtrarum conſcios voluntatum, & informatos plenius ac inſtructos; quam ſuper

viis

Pœnæ iis, qui Saracenis operam commodarint aut merces invexerint, objectæ. Mittant oratores ad agitanda de amissis recuperandis consilia. Reginensis archiep. ad eos missus.

viis & modis, quibus melius & facilius terra recuperari, & recuperata conservari prædicta, ejusque hostes usque ad tempus generalis passagii valeant impugnari, ac super aliis etiam, quæ hujusmodi contingunt negotium, ad nostram præsentiam quantocyus destinetis: in prædictis vos taliter habituri, quod præter amplum laudis humanæ præconium æternæ beatitudinis præmia, nostræque commendationis titulos uberes exinde non immerito consequi valeatis. Et ecce venerabilem fratrem nostrum G. archiepiscopum Regin. latorem præsentium, virum utique prudentem, circumspectum, & providum, ac nobis & fratribus nostris merito suæ multiplicis probitatis acceptum, ad vos propter hoc fiducialiter duximus transmittendum, qui vobis super præmissis nostræ intentionis propositum plenius explicabit. Dat. apud Urbemveterem id. aug. an. IV.

XXIX. Scriptæ eadem verborum forma ad Venetos lit. (a) *Reg. post eand. ep. cur.* 55. Indicta a Nicolao provincialia concilia. (b) *Ib. ep. cur.* 58. *& in formul. Mar. Ebuli MS. Vat. pag.* 300. *n.* 3057. (c) *Chron. Salisb. apud Caniſ. antiq. lect. to.* 6. *pag.* 1275. De Templariis Hospitalariisque in uno ordine conjungendis agitatum. (d) *Eberardi annal. apud Caniſ. antiq. lect. tom.* 1. *p.* 322.

Eadem literarum sententia ad Venetos, quæ ad Genuenses missa (*a*). Cum vero Veneti cum patriarcha Aquilejensi bellum gererent, Nicolaus ad eos conciliandos episcopum Urbevetanum misit, ut ad recuperandam Terram sanctam incumberent. Eam etiam Pontifex ad prompta conflanda auxilia rationem iniit, ut in singulis provinciis episcoporum concilia celebrarentur, in quibus de parando auxilio decerneretur: quo argumento ad Mediolanensem archiepiscopum ac suffraganeos episcopos datæ literæ (*b*), adiiciturque in regesto eam literarum seriem ad omnes alios archiepiscopos, primates, patriarchas esse missam. Quibus ea consentiunt quæ in Salisburgensi chronico traduntur (*c*), jussu nimirum pontificio Salisburgi habitum concilium provinciale, visumque patribus fuisse, ut Templarii & Hospitalarii in religiosam unam equitum familiam redigerentur; ferebat enim fama, numquam Acconem expugnandam fuisse, si mutuum inter eos amicitiæ fœdus coaluisset: tum ut Romanorum Rex cum principibus ad ferendum Terræ sanctæ auxilium exciretur, idque Romano Pontifici rescriptum: sed antequam oratores ad sedem Apostolicam accederent, Nicolaum obiisse. Quæ iisdem verbis in Eberhardi annalibus (*d*) reperiuntur.

Cæterum non ea Salisburgensium tantum patrum sententia fuit: Nicolaus enim Calaritano archiepiscopo in Sardinia injunxit (*e*), ut in provinciali concilio de Hospitalariis ac Templariis in unum ordinem cogendis agitaret: *Cum fide dignorum pandat assertio, quin potius communis vox habeat, quod dilectos filios fratres hospitalis S. Joannis & militiæ Templi Jerosolymitani ad unius ordinis unitatem, seu religionis unionem auctoritate apostolica reducamus, ut sincerius & uniformius in vinculo charitatis & pacis tendentes ad unum, efficacius possint prosequi negotium memoratum; super quorum unione hactenus etiam tempore Lugdunensis concilii specialis mentio & collatio facta fuit, volumus & per apostolica tibi scripta mandamus, quatenus cum suffraganeis tuis in provinciali concilio, quod a te fieri volumus, prout tibi per alias nostras literas injungimus, habito super hoc consilio diligenti, & exacta cum illis deliberatione secuta, nobis quod per te, ac eosdem, ac suffraganeos deliberatum fuerit in hac parte plene, fideliter, seriatim, & expresse per tuas literas, harum seriem continentes tuoque sigillo munitas, procures quantocyus intimare. Dat. apud Urbemveterem* XV. *kal. septembris anno* IV.

(e) *Lib.* 4. *ep. cur.* 59. *& in Form. Mar. Ebuli MS. Vat. p.* 301 *n.* 3058.

Cum hujusmodi conjunctio Syriæ rebus utilissima videretur, eoque argumento ad Gallorum & Anglorum Reges (*f*) tum ad priorem (*g*) Venetum Hospitalariorum S. Joannis Hierosolymitani atque ad præceptorem (*b*) Templariorum scriptum fuit. Cum vero antea Nicolaus encyclicis literis fideles omnes esset adhortatus, ut sub Eduardi Anglorum Regis signa, qui anno MCCXCIII. S. Joannis Baptistæ natali die trajecturus erat, confluerent, accepta Acconensi clade ipsos magis ad sacræ militiæ dandum nomen incendere est conatus. Quæ literæ (*i*) cum in annalibus Eberardi ac bullario typis cusæ sint, ac parum a superioribus discrepent, has sententias ex iis decerpere sufficerit.

XXXI. (f) *Reg. post eand. ep.* (g) *Ib. ep. cur.* 60. (b) *Reg. post eand. ep.* Fideles novis literis ad Regem Eduardum in Syriam sequendum concitati. (i) *Ib. ep. cur.* 61. *& in Formul. Mar. Ebuli MS. Vat. pag.* 294. *n.* 3043. *& in bullar. in Nicol. IV. & in annal. Eberard. apud Caniſ. antiq. lect. to.* 1. *pag.* 345.

Quis absque amaritudine summa commoreat tot Christianorum castra, civitates, & alia loca solemnia destructa penitus, ad nihilumque redacta, & eorum incolas eorumdem Saracenorum immanitate peremptos, prob dolor! quis novitatis, quoniam deplorare libet potius quam narrare, solers censor & discriminum, quæ comminari videtur, discussor attentus per noctem & diem quasi torrentem lacrymas non deducat? Secuta finitimorum regnorum eversio hæc non irrita cecidisse demonstrat: *Cujus pupilla tacebit? Cujus pectoris penetrale continebit suspiria, vel in singultuum frequentiam non erumpet?* Interjectisque nonnullis de Ptolemaide quadraginta trium dierum obsidione expugnata, quamvis ingentia ad eam propugnandam auxilia submisisset Ecclesia, ac Tyro amissa subdit: *Quis igitur de cætero marcebit otio? Quis non exurget? Quis ad recuperationem terræ prædictæ non promptus exiliet? Quis tardabit? Quem non pudebit ingratitudinis argui, quin potius quasi de infidelitate notari, si Creatori proprio, tam benefico domino ad redemptionem terræ illius, quam ipsa sacra Scriptura testatur omnium chariorem, qua potest promptitudine non assistat, cum*

Pontificis oraculum insigne.

Admoti Christianis ad bellum sacrum stimuli.

cum etiam secundum juris humani censuram subditos suos dominis & ad tuenda quæ possident, & ad recuperanda injuste subtracta debitum fidelitatis adstringat? Quis tot fidei orthodoxæ cultoribus tam immaniter trucidatis, de tot calamitatibus captivorum, & aliis Christianitatis opprobriis non ex tota mente movebitur, non suspiret, non anxiabitur ad vindictam? Profecto, cum secundum Apostolum omnes simus unum corpus in Christo, non immerito cum illis, de quibus scriptum est: Percussisti eos & non doluerunt; insensibilitatis arguitur quisquis tantam hujus nostri corporis mutilationem, prædictorum videlicet Christicolarum non sentit excidium, & graviter non mœret. Accingimini ergo Christi fideles, & qui Christiana religione censemini, vos Christianos esse operis prosecutione monstrate. Accipite devotione, qua Rex, vivificæ crucis signum illud, in considerationis vestræ scrutinium deducentes, quod viris, quantumcumque magnificis, quantacumque dignitate præditis & virtute, ad gloriam magnam ascribitur, si eis quovis in bello dominorum insignia gerere concedatur, sub quibus contingit frequenter, non sine salutis æternæ discrimine mortis subire periculum sub cujuslibet spe remunerationis. Quanto igitur glorioſius, quanto securius Regis regum in ejus bello victoriosum gestare vexillum, salutiferam videlicet crucem, sub qua devotione congrua puro corde susceptæ, conceptum prosequentibus munditia continua propositum mori est vitæ perennis initium, transitoriæ mortis finis, retributionis inæstimabilis certitudo. Festinate itaque, festinate ad salutis vestræ properare compendium. Et infra: *Siquidem charissimus in Christo filius noster Christianissimus princeps Eduardus Angliæ Rex illustris post tractatus varios super generali suo passagio in ipsius terræ subsidium faciendo, diversorum summorum Pontificum Romanorum temporibus habitos, novissime tamquam benedictionis filius nostris beneplacitis acquievit; & ut post Christum juxta consilium ejus eat, seipsum abnegans, ac tollens, ut eundem sequatur Dominum, crucem suam, terminum festum videlicet nativitatis B. Joannis Baptistæ, quod erit anno Domini MCCXCIII. & ei ad transfretandum personaliter, nec non ad dictum generale passagium crucesignatis & crucesignandis omnibus duximus præfigendum, humiliter acceptavit semetipsum exponere sui Redemptoris obsequiis terræ præfatæ personaliter subveniendo disposuit, negligens natalis soli dulcedinem, prætermittens regni sui terrarumque delicias & gloriam inibi dominandi. Non igitur cunctemini amplius, prædicti gloriosi vexilli dominici charactere insigniri mercantes fervi commercio perpetuam post defunctionem*

Certus in eo bellatores manet triumphus.

corporis vix momentaneo labore quietem, & permutatione consulta terrena pro cœlestibus commutantes, transitoria pro manſuris, temporalia pro æternis. Impositaque etiam archiepiscopis, primatibus, patriarchis vocandi ad crucis signa Christiani populi provincia: qua de re literæ ad Remensem archiepiscopum datæ (*a*) in regestro leguntur, easque Eberardus etiam adducit; ac tradit Salisburgensem archiepiscopum A. S. L. ipsas Henrico Ratisponensi transmisisse, munusque illi indicendæ expeditionis sacræ injunxisse. Quid porro sua solicitudine perfecerit Nicolaus, describit Sanutus (*b*) submissse viginti triremes, quibus se quindecim Cyprii adjunxerint. Immo addit annalium Colmariensium auctor (*c*), illum in Terræ sanctæ subsidium sexaginta crucesignatorum millia submisisse, quod vero addit illis omnibus suis sumptibus stipendia suppeditasse, intelligendum videtur decimas, quarum administrandarum summus præfectus erat, in eos usus derivasse.

(a) *Lib.* 4. *ep. cur.* 62. (b) *Sanut. l.* 3. *p.* 13. *c.* 1. (c) *Annal. Dominic. Golmar. ann. supr.*

XXXII. Orientales Imperatores & Reges solicitati a Nicolao in Sarac. (d) *Lib.* 4. *ep. cur.* 66. *&c.* Argon. Rex Tartar. (e, *Ib. ep. cur.* 31.

Nec solum principes occidentales in victores Saracenos commovere nisus est; verum etiam orientales (*d*), ut Andronicum Græcorum Imperatorem, atque Armeniæ, Hiberorum, & Georgianorum Reges, quos ad gerenda magno ardore animi pro defendendo Christiano nomine arma sacra solicitavit. Tum etiam Argonem Tartarorum Regem, cujus literas Chagani oratoris opera acceperat, ad susciplenda (*e*) quamprimum Christiana sacra, crucisque vexilla in Saracenos explicanda est adhortatus.

Magnifico viro Argoni Regi Tartarorum illustri grattam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Præcurrentis (f) famæ relatibus, quæ literarum & nuntiorum de more prævenit missionem, ad notitiam regiam credimus jam perductum, qualiter etiam non sine totius Christianitatis opprobrio Terra sancta funiculus hereditatis dominicæ ac sacratissimæ, & alia loca ejus ad manus devenerunt alienas, inter quæ prob dolor! Acconensis civitas venisse dignoscitur in ruinam; pluribusque in eam sententiam, deque Tyri deditione adductis, quæ iisdem verbis in literis ad Regem Francorum concepta sunt, ut Persidis vires cum Eduardo conjungat, preces adjicit: *Cum igitur ad recuperandam de manibus impii terram ipsam ferventibus studiis intendentes, cunctos orbis terræ catholicos Reges & principes per nostras literas excitemus, ut ob reverentiam Jesu Christi opem pro viribus impendant & operam ad hujusmodi negotium celeriter & feliciter promovendum; & charissimus in Christo filius noster Eduardus Rex Anglorum illustris, prout ad tuam notitiam forsitan jam pervenit, vivificæ*

(f) *Reg. post ep. cur.* 68. Pontificia ad illum adhortatio.

vificæ crucis assumpto signaculo in brevi, actore Domino, in manu potenti transfretare intendat; ac per universas Christianitatis provincias contra nefandissimos Saracenos ordinaverimus facere proponi solicite verbum crucis; firmaque nobis credulitas suggerat, quod prætactum negotium, si tuæ potentiæ brachio fulciatur, votivum & festinum sortietur effectum; magnitudinem tuam rogamus & hortamur attente, instanter petimus & requirimus confidenter, quatenus promptis, & reverentibus animis sacrum baptisma recipiens & divinis beneplacitis te coaptans, ad recuperationem celerem dictæ terræ, ac etiam ad suorum hostium nequitiam & superbiam conterendam tuæ potentiæ vires exerceas, prout utilius regiæ magnitudo prudentiæ viderit expedire; ad id subditos tibi populos solicitis studiis inducendo, ut tuo & aliorum Regum & principum, ac aliorum fidelium auxilio suffragante, celerius recuperatio eadem valeat provenire; tuque ab eo, qui dat gratias & præmia elargitur, condignæ retributionis impendia consequaris, & præter humanæ laudis sonora præconia tibi exinde proventura nos magnitudinem regiam non immerito commendemus. Ad hæc multæ benignitatis affectum, quem Christianis in partibus ipsis morantibus favorabiliter exhibes, uberibus gratiis prosequentes, petimus ut hujusmodi affectum regia celsitudo continuet circa illos, &c. Matthæi & Guillelmi Minoritarum commendatione concludit, quorum monitis ut assentiatur, consulit. *Dat. apud Urbemveterem x. kal. septembr. anno* IV.

XXXIII. Certiorem quoque eum fecit, se literas, quas ad Eduardum scripserat, transmisisse. Tum maxime ipsum commendavit, filium suum Nicolaum baptismo initiari permisisse, cui Pontifex recenter Christianorum cœtui aggregato has literas dedit (*a*).

(*a*) *Ib. ep. cur. 72.*

Dilecto filio nobili viro Nicolao, nato magnifici viri Argonis Regis Tartarorum illustris, salutem & apostolicam benedictionem.

Argonis filius baptismo lustratus.

Exultat cor nostrum in Domino, a quo universorum charismatum dona manant, quod sicut fide dignis aperitur affatibus, tu supernæ claritatis radio illustratus, & cœlestis gratiæ benedictione præventus, ad fontem baptismatis non sine laudum sonoro præconio promptis animis convolasti. Quod eo acceptius & gratius nostris accidit affectibus, quo te sincerius gerimus in visceribus charitatis, tuæque salutis & honoris augmentum votis ferventibus affectamus. Rogamus nobilitatem tuam & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus circa dona & laudabilia opera, & virtutes, per quæ cœlorum regnum acquiritur, tamquam benedictionis filius vigilantibus & continuis studiis te exercens, Christianam fidem, cujus præcelsis insigniis te salubriter decorasti, sub mentis constantiæ & sinceræ devotionis affectu studeas observare, ut clara tuæ professionis initia observationis continuæ laudabilis commmendet effectus, cæterique tuo salubri exemplo inducti, ad ejusdem assumptionem fidei propensius excitentur; tuque post vitæ præsentis curricula, quæ nullius certitudinem status habent, æternæ beatitudinis præmia, quæ suis electis reservavit Altissimus, consequaris. Cæterum tibi affectuose consulimus, & attentius suademus, quod in habitu seu vestibus vel in victu, ne inde materia dissensionis, aut scandali contra te forsitan in gente tua valeat suboriri, nullam mutationem facias; sed in eis consuetudinem illam serves, quam ante baptismi lavacrum observasti. Ut autem ipsius fidei series tibi plenius innotescat, eam tibi annotatam inferius destinamus, quæ talis est: Credimus sanctam Trinitatem, &c. Subiicitur fidei forma, quam Romana profitetur ecclesia superius a nobis allata (*b*). Cæterum dilectos filios fratres Guillelmum de Cherio pœnitentiarium nostrum, & Matthæum de civitate Theatina ordinis Minorum, latores præsentium; quos ad tuam præsentiam, & etiam partes tuas pro gentis tuæ salute dirigimus; pro Apostolicæ sedis & nostra reverentia benigne recipias, & favorabiliter prosequaris, impendendo eisdem super commissis sibi negotiis, cum ab eis fueris requisitus, auxilium, consilium, & favorem. Dat. apud Urbemveterem* XII. *kal. septemb. anno* IV.

(*b*) *Anno Christ. 1267. n. 73.*

Acceperat is Nicolai nomen in baptismalibus sacris, cum antea Carbaganda appellaretur, fueratque ad Christi cultum pellectus a matre Erockcaton pientissima femina, qua superstite Carbaganda in Christiana fide perstitit: ea vero vita functa, Saracenorum familiaritate inquinatus a religione defecit. Hæc Aytonus (*c*) & Sanutus (*d*). Cæterum augendæ divinæ gloriæ cupidus Pontifex Ozolum Pisanum, apud Tartaros auctoritate florentissimum, ut ad fidem propagandam conferret studia, excitavit (*e*): *Accidit*, inquit, *gratum & acceptum quamplurimum votis nostris quod, sicut fide dignis aperitur affectibus, te gerens laudabiliter & prudenter ad dilatandos fidei Christianæ terminos solerter intendis, ad agnitionem ipsius alios, qui nondum sunt ejus lumine illustrati, solicite inducendo: de quo tuæ solicitudinis studium tanto commendamus amplius, quanto magis salutem omnium affectamus. Nobilitatem itaque tuam excitandam attente duximus & hortandam, quatenus ob divinam & Apostolicæ sedis ac nostram reverentiam circa hujusmodi salubres tuos actus & opera solerter intendas, & invigiles diligenter, ut exinde tanto acceptior & gratior reddaris Altissimo,*

(*c*) *Ayton. hist. orient. c. 45.*
(*d*) *Sanut. l. 3. c. 8.*
(*e*) *Ep. 69.*

mo, quanto plures ab erroris invio ad veritatis semitam, & ab infidelitatis nubilo ad claritatem catholicæ fidei revocabis, &c. Datum id. augusti anno IV. Callaudati (*a*) iisdem sententiis nonnulli proceres, Joannes nimirum e Bonestra, Xanctus prætorio Persico præfectus, Suffridinus Argonis medicus, ipsos operam pro amplificanda fide, Tartarisque ad Christum adducendis collocasse.

(*a*) *Reg. post cand. ep.*

XXXIV. Solicitavit (*b*) præterea summus Pontifex alios duos Nicolai fratres Saronem & Cassanum ad Christianam religionem fratris exemplo amplectendam hisce literis.

(*b*) *Ib. ep. 68.*

Saronem & Cassanum principes Tartar. ad sacra Christiana pellicere nititur Nic.

Nobili viro Cassiano, nato magnifici viri Argonis Regis Tartarorum illustris, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Pastoralis officii commissi nobis a Domino debitum exigit, ut te ad ea, quæ tuæ salutis profectus, & honoris incrementa respiciunt, tibique in orbe terrarum laudum titulos afferunt, solicitis inducamus studiis, & affectuosis exhortationibus excitemus. Sane tuæ magnitudini cupimus aperiri, quod Salvator noster Dei Filius Jesus Christus de summis cœlorum ad ima mundi, ut hominem, quem plasmarat, de nexibus servitutis eriperet, in quos ipsum impegerat maligna suggestio, clementi dignatione descendens, vestem nostræ mortalitatis assumpsit, ut proprii aspersione cruoris incendia perpetuis cruciatus extingueret, ac suos, mortis æternæ tenebris obvolutos, vitæ perennis efficeret possessores. Qui mundum salutaribus institutis informans, tandem post sanctæ conversationis & operationis exempla, post evangelicæ institutionis eloquia, & doctrinæ salutaris effectum diræ mortis ultro supplicium subiit, & die tertia resurrexit a mortuis glorioſus. Qui priusquam pateretur, regni cœlorum claves B. Petro Apostolorum principi, & per eum suis duxit successoribus committendas, per hoc eis tam sublimis potestatis auctoritatem impendens, ut quodcumque super terram ligatum redderent, ligatum haberetur in cœlis; & quodcumque solverent super terram, solutum existeret in eisdem. Unde nos, licet insufficientibus meritis, Christi vicarii & ejusdem Petri successores in terris, disponente Domino constituti, affectu desideramus eximio, ut fidei Christianæ cultores salutaribus actibus immorentur; ac ii quos fides eadem non agnovit, ad rectitudinis semitam, auctore Domino revocentur, eaudemque solicite servent fidem; cum ipsa, sit vera fides & recta, sine cujus comitante suffragio placere Domino nemo potest: quæ reatus expurgat, salutis commoda tribuit, quæve corda mentesque purificat, & infidelitatis obscurum suæ radiis expiat claritatis.

XXXV. *Excitamus itaque nobilitatem tuam & attentius exhortamur, sano & sincero tibi consilio suadentes, quatenus sedula meditatione recogitans, quam sit fragilis & caduca humanæ naturæ conditio, quam plena periculis, quantis exposita casibus, quam instabilis status ejus; considerans etiam quod magnifici principis Argonis Regis Tartarorum illustris tui patris affectio sincera dirigitur ad Christianam fidem, prout lætantes accepimus, assumendam; quodque dilectus filius nobilis vir Nicolaus frater tuus, de sua salute solicitus, & divinis beneplacitis se coaptans, sacrum baptisma susceperit; seduloque recogitans, quod a lege mortis mordentis omnia nullus excluditur, cum omnino quod nascitur necessario moriatur; promptus assurgas, præsto te offeras, paratus accedas ad agnitionem Christianæ fidei, ac suscipiendum baptismatis sacramentum, ad laudem divini nominis, tuæ salutis profectum, & augmentum fidei supradictæ: ut lucis suæ radio illustratus te solerter exerceas ad ejus fines Laudabiliter ampliandos, ut post vitæ præsentis engastulum a porta inferi libereris, & ejus diris cruciatibus, pœnisque gravissimis evitatis, æternæ beatitudinis præmia perpetuis duraturaque temporibus consequaris, & extollatur glorioſe in sæcula nomen tuum. Ad hoc multæ benignitatis affectum, quem Christianis in partibus ipsis morantibus favorabiliter exhibes, uberibus gratiis prosequentes, petimus ut hujusmodi affectum tua nobilitas continuet circa illos, &c. Dat. apud Urbemveterem* X. *kal. septemb. an.* XV. Hactenus Pontifex. Cæterum Cassanus postea, ut visuri sumus, ambitione ductus (*c*) a Tartaris Mahumetana peste infectis excitus adversus Baydo Christianum Persidis Regem conjuravit, liberas tamen Imperii habenas nactus rei Christianæ adversus Saracenos favit.

(*c*) *Ayton. hist. orien. c. 40. & 41. Saput. l. 3. p. 13. c. 8.*

XXXVI. Eadem est literarum (*d*) sententia ad Saronem fratrem illius, & Tagharzar Tartaricarum copiarum ducem datæ. Quinetiam Tartarorum Reginam Anichohamini (*e*) religione Christiana imbutam incitavit, (*f*) ut ad reliquos duos Argonis filios ad Christi cultum traducendos incumberet.

(*d*) *Reg. post cand. ep.*
(*e*) *Ib. ep. 67.*
(*f*) *Reg. post cand. ep.*

Charissimæ in Christo filiæ Anichohamini Reginæ Tartarorum illustri.

Reginæ Tartarorum Christianis sacris imbutæ.

*Gaudemus in Domino, a quo universorum charismatum dona manant, quod tu, sicut habet fide digna relatio, Christianæ fidei radio illustrata, ipsam & intentis observas studiis, & ad ejus agnitionem ac terminos ampliandos attenta & solicita exhibes opem & operam efficacem. Revera, charissima filia * pro hujusmodi laudanda opera, & salubria studia in conspectu Regis æterni grata * reddaris & accepta, & * dilatant in seculo sonora præconia famæ tuæ. Excitamus igi-*

* per

* redderis

* dilatantur

tur in Domino magnitudinem tuam, & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus mentis tuæ oculis erectis ad Dominum, cujus obsequiis salubriter adhæsisti, præmissa de bono in melius prosequaris, ut eo gratior, & præmiis digna majoribus occurras domino Deo tuo, quo uberiores bonorum operum in ejus horreum manipulos introduces. Cæterum cum nobiles viros Saronem & Cassianum fratres, filios viri magnifici Argonis Regis Tartarorum illustris ad assumendam fidem catholicam per nostras exhortatorias literas excitemus, eos ut precibus nostris animis promptis obtemperent prudenter inducere studeas, prout tibi Dominus ministrabit. Et interjecta præconum Evangelii, Guillelmi nimirum & Matthæi Minoritarum commendatione *benedictionem nostram tibi tenore præsentium in tuorum remissionem dirigimus peccatorum. Dat. apud Urbemveterem id. augusti anno* IV. Conceptæ iisdem verbis sunt hortatoriæ literæ (*a*) ad Dathanaticatum Reginam Tartarorum, ut fidem Christianam proferret, atque Saronem & Cassanum principes ad eam pelliceret.

(*a*) Reg. post cand. ep.

XXXVII. Cherius & Matthæus Minoritæ ad Tartaros convertendos missi.

Quod ad Guillelmum Cherium & Matthæum Theatinum Minoritas ad Tartaros missos spectat; plura in regesto pontificio diplomata ad eos data extant, quibus evangelica luce eos populos collustrare jussi sunt, (*b*) ac pluribus prærogativis ornati (*c*): commendati insuper principibus, quorum terris iter erant habituri, ut Constantiæ (*d*) Petri Aragonii viduæ, atque Andronico (*e*) Constantinopolitano & Trapezuntino Imperatoribus, Armenorum Regi & Catholico, Bersaumæ in oriente episcopo, ac Persarum proceribus, ut ipsos benigne exciperent. Cæterum Argonem, ad quem evangelici præcones mittebantur, haud diu fuisse superstitem videtur; cum nulla post illius mentio a nobis reperiatur. Attulit vero illius mors, ingens damnum rei Christianæ, cum expeditionem in Saracenos conjunctis sibi Georgiæ, & Armeniæ Regibus instrueret, ut refert Aytonus, (*f*) qui de successore in Imperio addit: *Quidam frater ejus nomine Regayto sibi successit, sed homo fuit nullius valoris.*

(*b*) Ib. ep. 32. & 42.
(*c*) Ib. ep. 63.
(*d*) Ib. ep. 70.
(*e*) Ib. ep. 71. & post cand. ep.
(*f*) Ayton. hist. orien. c. 38.

XXXVIII. Georgium Bulgarorum Imp. ad ecclesiæ Rom. conjunctionem revocare nititur Nicol.

Ut porro convertendorum ad Christum Tartarorum sacro studio ardere Nicolaum vidimus, ita non minorem operam ad cogendos in sinum Ecclesiæ schismaticos collocavit. Georgium quidem Bulgarorum Imperatorem ad amplectendam Romanæ ecclesiæ conjunctionem provocavit (*g*), gravissimisque sententiis ob oculos proposuit veram illam sinceramque fidem, quam Romana teneret ecclesia, quæ nullis erroribus infici, nullis conatibus labefactari unquam poterit, extra cujus complexum æterna salus comparari a nemine possit.

(*g*) Lib. 4. ep. cur. 21.

Magnifico principi Georgio Imperatori Bulgarorum illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Ad curam dominici gregis, ejus dispositione vocati, qui cœlestia & terrena virtutis suæ magnitudine provide moderatur, jugi reddimur attentione soliciti, ut universi mortales sic in semitis mandatorum Domini gressus suos dirigant, quod post cursum vitæ transitoriæ felicitatis æternæ bravium assequantur. Sane ad hujusmodi bravium assequendum necesse est cuilibet, ut observet & teneat firmiter fidem catholicam, quam tenet, profitetur, & docet sacrosancta Romana ecclesia mater fidei & magistra, sine qua nemo potest Deo placere, nec ad perpetuæ beatitudinis gaudia pervenire. Hæc siquidem fides charitatis est vinculum, & totius religionis sanctissimæ fundamentum. Hæc reatus expurgat, mentes purificat, tenebras infidelitatis fugat, nubem erroris eliminat, commoda salutis impendit, & æternæ vitæ præmia suis sectatoribus repromittit. Hæc, ut vera tenet religio, alibi quam in communione ipsius ecclesiæ Romanæ, quæ disponente Jesu Christo nostræ salutis auctore, sola super omnes ecclesias summum & præcipuum obtinet principatum, ad salutem haberi non potest: sicut in arca Noe, per quam catholica Ecclesia designatur spiritualiter extitit figuratum, in qua cæteris pereuntibus, ii dumtaxat, qui se receperant infra ipsam, salvi superinundante generali diluvio extiterunt. Fidei orthodoxæ elogia.

Quia vero, princeps egregie, nos qui licet immeriti ejus, qui de supernis cœlorum sedibus ad ima mundi descendens, carnem nostræ mortalitatis assumpsit, ut proprii aspersione cruoris humanum genus perpetuæ morti obnoxium a mortis nexibus misericorditer liberaret, vices in terris gerimus, illa quæ tuæ salutis augumentum respiciunt, tuumque nomen apud Deum & homines magnificant & extollunt, totis desideriis affectamus; serenitatem tuam cujus in hac parte salutem exquirimus, attente rogandam duximus, & in Jesu Christo Dei Filio salutaribus monitis exhortandam, quatenus fidem hujusmodi quam sicut præmittimus, tenet ipsa Romana ecclesia & observat, inconcusse teneas, ipsam totis nisibus, totisque affectibus amplecti studeas, & populos imperio tuo subjectos ad tenendam eamdem salubriter dirigas & inducas. Per hæc enim te Deo reddes acceptum, tibi æternæ retributionis acquires meritum, & magnificabis multipliciter in gentibus nomen tuum. Cæterum ut fides hujusmodi & ejus forma serenitati tuæ plenius innotescant, ipsas fecimus præsentibus annotari quæ tales sunt. Credimus sanctam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum &c. Illius formam exhibet.

Allata est jam ante a nobis ea fidei formula loco in margine annotato (*h*). *Dat. apud Urbemveterem* X. *kal. aprilis an.* IV.

(*h*) Ann. Christ. 1267. n. 75.

Ad

XXXIX. Solicitatus Bulgaror. arch. ad præstitum olim sacramentum de agnoscendo Rom. ecclesiæ primatu servandum.

Ad perficiendam eam optatissimam conjunctionem archiepiscopum Bulgarorum excitavit (*a*), in memoriam revocans, olim coram Palæologo Imperatore ad agnoscendam Romani Pontificis supremam auctoritatem sacramento se obstrinxisse.

(*a*) Lib. 4. ep. cur. 22.

Nicolaus, &c. Archiepiscopo Bulgarorum gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Misericors & miserator Dominus pia miseratione; & infra nonnulla de redemptionis humani generis mysteriis præfatus addit: *ne gregi dominico tanti aspersione cruoris redempto cura deesset pastoris, beatum Petrum Apostolorum principem, & post eum omnes ejus in perpetuum successores vicarios suos in terris constituens, eis decrevit sui gregis curam & solicitudinem committendam. Sane cum nos, licet insufficientibus meritis, simus ipsius Dei omnipotentis vicarii, & ejusdem Apostolorum principis successores, ex debito pastoralis officii jugi solicitudine attenti reddimur, ut universi, quos per propagationem carnis, humanæ naturæ produxit in esse, ii potissimum, quos sacri baptismatis unda consperserit, actus suos disponant in lumine veritatis, & per rectam mandatorum Domini gradientes semitam, æternæ beatitudinis gaudia consequantur.* Interjectisque superioribus fidei orthodoxæ, quam Romana ecclesia profitetur encomiis sine qua felicem immortalitatem assequi nemo possit, subjungit: *Quia nos ea, quæ salutis tuæ ac populi, cui præes, incrementum respiciunt, totis desideriis affectamus, fraternitatem tuam rogandam duximus & in Christi visceribus exhortandam, quatenus fidem hujusmodi, quam, sicut præmisimus, Romana tenet ecclesia & observat, inconcusse prædices & teneas, ipsam promptis affectibus amplecti studeas, & magnificum principem Georgium Imperatorem Bulgarorum illustrem, cui super hoc, salutem zelantes ipsius, nostras literas exhortatorias destinamus; nec non & populos tuæ, ac ipsius ditioni subjectos ad fidem tenendam eandem efficaciter dirigas, & induces. Tenet enim probabiliter nostra credulitas, quod in iis juxta Dei & nostrum beneplacitum prosequendis exhibebis te voluntarium, facilem, atque promptum: cum tu (si tamen ille sis, qui tunc erat archiepiscopus Bulgarorum) olim coram quondam magnifico viro Michaele Palæologo Imperatore Græcorum illustri, eo tempore Constantinopoli residente, professus fueris in palatio de* * *Blachauria coram nobis, sicut a tua excidisse memoria non credimus, oraculo vivæ vocis te Papæ Romano immediate subesse; tuncque ad hoc, ad quod te nunc inducimus, dispositus videbaris. Exhortationem igitur hujusmodi, frater charissime, quæ de charitatis radice procedit, devote suscipias, & studio efficaci adimplere procures, ut retributione justorum extrema tanto remunerari donis potioribus merearis, quanto in horreum patris familias uberiores in te ac aliis bonorum operum manipulos introduces. Cæterum ut fides & ejus forma fraternitati tuæ plenius innotescant, ipsius fecimus præsentibus annotari, quæ tales sunt: Credimus sanctam Trinitatem, &c. ut supra.*

* Blacherna.

XL. Helena Regina Serviæ, ut rem urgeret monita.

Eas porro ad Bulgaros ad Ecclesiæ gremium adducendos hortatorias literas scripsit Helenæ Reginæ Serviæ precibus solicitatus, quæ Pontifici significarat se proxima æstate cum Georgio Imperatore de tanta re colloquium habituram, quam suscepto consilio diligentissime insistere hortatus est (*b*).

(*b*) Ib. ep. cur. 20.

Charissimæ in Christo filiæ Elenæ Reginæ Serviæ illustri.

Gaudemus, filia charissima, ac Patri luminum proinde ad gratiarum assurgimus supplices actiones, quod sicut per dilectum filium Marinum archidiaconum Antibarensem tuæ celsitudinis nuncium læta mente suscepimus, tu lumine fidei Catholicæ divinitus illustrata, ipsam non solum observare devotis affectibus comprobaris; sed alios etiam ad illius agnitionem, & ejus terminos propensius dilatandos opem & operam multæ solicitudinis studio non desinis exhibere: propter quod in conspectu Dei omnipotentis, cujus causam prosequeris, te nimirum reddis acceptam, & attollis in gentibus multipliciter nomen tuum. Sane cum dictus archidiaconus nobis ex parte tuæ celsitudinis duxerit supplicandum, ut magnifico principi Georgio Imperatori Bulgarorum illustri, cum quo super reductione ipsius ad devotionem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, ac ad fidei catholicæ unionem proponis habere colloquium hac æstate, nostras exhortatorias literas scribere dignaremur; nos hujusmodi tuæ serenitatis salubre propositum condignis laudum præconiis attollentes, eidem Imperatori juxta præfatæ supplicationis oraculum; necnon & venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Bulgarorum, qui ut nostris ac tuis in hac parte desideriis satisfiat, potest existere plurimum fructuosus, nostras exhortatorias literas, prout expedire vidimus, duximus dirigendas. Celsitudinem itaque tuam, filia charissima, rogamus, & in Jesu Christi visceribus paternis affectibus sinceris que mentibus exhortamur, quatenus ad eum, qui potest facere mundum de immundo, quique montes, viros videlicet eminentes de suæ dignitatis fastigio præsumentes tangit, eorum cordibus sanctæ inspirationis gratiam misericorditer infundendo, & fumigant, Deo devotionis sacrificium offerendo, erigens oculos tuæ mentis, & in ipso ponens anchoram tuæ spei, negotium hujusmodi tam laudabile, tam salubre ad Dei laudem, catho-

tholicæ fidei exaltationem, & tui nominis honorem viriliter prosequaris, ut quanto in horreum dominicum uberiores bonorum operum manipulos in te & aliis reportaveris, tanto a retributore bonorum omnium remunerari donis potioribus merearis. Datum apud Urbemveterem x. kalend. aprilis anno IV.

XLI. Stephanus Rex Serviæ acceptus in clientelam Ap.

Complexus est eandem Reginam multis Apostolicis beneficiis Nicolaus, atque una cum Stephano viro Rege in Apostolicæ sedis clientelam accepit (*a*).

Charissimo in Christo filio Stephano Regi Serviæ illustri.

Quanto devotiori studio sacrosanctam Romanam ecclesiam revereris; quanto propensiori affectu conjungeris ad nostra & ipsius Ecclesiæ beneplacita prosequenda, tanto circa tuum & regni tui statum prosperum in posterum conservandum libentius apostolici favoris præsidia apponimus, tuis providendo utilitatibus & indemnitatibus præcavendo. Ut igitur nostri manuum auxilii tua serenitas sibi sentiat in suis opportunitatibus favorabiliter adjutricem, personam tuam & regnum tuum cum civitatibus, castris, terris, villis, & bonis aliis, quæ in præsentiarum juste & rationabiliter possides, sub beati Petri nostraque protectione suscipimus, & præsentis scripti patrocinio communimus; statuentes, ut ea omnia integra permaneant & quieta, nec quisquam in iis te perturbare præsumat, aut quomodolibet molestare. Nulli ergo, &c. Dat. apud Urbemvet. id. martii an. IV.

(*a*) Ep. cur. 18. & reg. post fund. ep.

XLII. Sava instaurata.

Flagitantibus etiam eadem Regina atque archiepiscopo Antibarensi, ut in urbe Sava, quæ antea bellorum injuria eversa conciderat, dein fuerat instaurata, episcopalem sedem erigeret, annuit; ac Petrum, qui ab urbis illius clericis electus fuerat, si nil aliud obstaret, consecrari jussit (*b*).

In ea episcopalis sedes instituta. (*b*) Lib. 4. ep. 281.

Archiepisc. Antibarensi.

Per tuas, & etiam charissimæ in Christo filiæ nostræ Elenæ Reginæ Serviæ illustris literas nuper nobis transmissas accepimus, quod in Albaniæ partibus juxta Sclavos quædam habetur civitas, Sava nomine, & quæ jam longi temporis spatio destructioni succubuit, ejus incolis per diversa loca dispersis; sed de novo in civitate prædicta quamplures viri catholici de incolarum ipsorum progenie, ut dicitur, existentes, & alii etiam diversarum partium convenerunt, moramque in illa continuam contrahunt, episcopum cum instantia postulantes; propter quod prædictæ civitatis clerici ad electionem procedentes episcopi, quendam presbyterum Petrum nomine, virum utique catholicum & fidelem, in suum & ejusdem civitatis elegerunt episcopum & pastorem, petendo a se, utpote metropolitano ipsorum, humiliter & instanter, ut electionem hujusmodi auctoritate tibi tradita confirmares; sed petitioni eorum annuere noluisti, nisi prius super hoc a nobis licentiam obtineres. Quare tu, & præfata Regina nobis supplicastis humiliter, ut per hoc providere de benignitate solita dignaremur.

Petrus primus illius episcopus designatus.

Nos igitur, ad augmentum catholicæ fidei sollicitis studiis intendentes & volentes, ut expedit, salubriter & mature procedere, ac tuis & ipsius Reginæ desideriis benigne annuere in hac parte; gerentes quoque de tuæ circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus si inquisita de modo electionis, eligentium studiis, & electi meritis diligentius veritate, dictam electionem canonicam, & de persona idonea inveneris celebratam, ipsam de consilio dilecti filii . . prioris Prædicatorum, & . . guardiani Minorum fratrum ordinum de Ragusio, auctoritate nostra confirmare procures, ac eidem electo munus consecrationis impendas, faciens sibi a suis subditis obedientiam & reverentiam debitam exhiberi. Alioquin, electione prædicta rite cassata, eisdem clericis de aliqua persona catholica, idonea, & Apostolicæ sedis devota, quæ tanto congruat oneri & honori, hac vice auctoritate prædicta, de ipsorum tamen prioris & guardiani consilio, providere non differas in episcopum & pastorem; contradictores &c. Dat. apud Urbemveterem III. *id. junii anno* IV.

Ab archiepiscopo Antibarensi consecrari jussus

XLIII. Serviæ Rex in Bosnia censores fidei auctoritate Rom. ecclesiæ instituti et flagitat

Insignis sane Regis ac Reginæ Serviæ ad servandum religionis primævum florem zelus extitit: qua enim cura Bulgaros ad Latinæ Ecclesiæ obsequium pellicere studuerunt, ea hæreseos lues, quæ in Bosnia eorum sceptris obnoxia serpebat, delere contenderunt; atque oratorum opera flagitarunt, ut fidei censores ad excindendos hæreticos constitueret. Nec mora, Nicolaus enim egregio in Romanam ecclesiam eorum studio est gratulatus (*c*).

(*c*) Lib. 4. ep. cur. 23. & reg. post eam ep.

Charissimo in Christo filio Stephano Regi Serviæ illustri.

Quoniam inter cætera mentis nostræ desideria illud insidet potissimum cordi nostro, ut fides catholica, quam tenet, profitetur, & docet sacrosancta Romana ecclesia mater universorum fidelium & magistra, votivum & Deo acceptum suscipiat, eo propitio, nostris temporibus incrementum; grandi nimirum exultatione perfundimur, cum ad nostrum pervenire contingit auditum, quod mundi Reges & principes Regis æterni, cujus negotium geritur principalius in hac parte, se beneplacitis coaptantes, ad ampliandum cultum fidei orthodoxæ magnitudini suæ colla subiiciunt, & ascendentibus ex adverso virtute indutis ex alto promptæ solicitudinis studio se op-

Piis ejus votis assentitur Pontifex

ponunt. Sane cum tu, fili charissime, zelo fidei, ac devotionis accensus per dilectum filium Marinum archidiaconum Antibarensem, tuæ celsitudinis nuncium, apostolatui nostro duxeris humiliter supplicandum, quod, cum in partibus Bosnæ tuæ ditioni subjectis sint quamplurimi hæretica pravitate infecti, qui a semita veritatis aversi per falsitatis devium damnabiliter oberrantes, in æterni Regis contemptum, animarum suarum, evidens periculum, & scandalum fidelium fidem catholicam depravare perniciosis seu pestiferis suis assertionibus multipliciter moliuntur, aliquas personas idoneas, regionis illius idiomatis non ignaras, quorum conversatio cum salutari eorum doctrina concordans, intuentibus normam honeste vivendi tribuat, & exemplum præbeat puritatis, mittere dignaremur ad partes easdem; ut hujusmodi erroris eliminata caligine, ministerio eorumdem habitatores illarum partium ad agnitionem veræ fidei, superni luminis irradiante gratia, salubriter reducantur, tuum offerens consilium, & auxilium ad errorem eundem de dictis partibus radicitus extirpandum; nos, qui licet immeriti Jesu Christi Regis æterni humani generis redemptoris vices gerentes in terris grandi desiderio singulorum salutem appetimus, & ad ampliandum cultum fidei Christianæ submotis quibuslibet obstaculis totis desideriis aspiramus; de hujusmodi tuo laudabili & salubri proposito intra mentis nostræ præcordia exultantes multiformiter, & Regi Regum pridem ad gratiarum actiones supplices assurgentes, supplicationi hujusmodi ex fervore magnæ devotionis, & integritate fidei procedenti favorabiliter duximus annuendum, &c. Subdit se Minoritarum Sclavoniæ supremo magistro dedisse imperia, ut duos religiosos viros ad id obeundum munus deligat, quos apostolica instruit (*a*) auctoritate, ac Stephano Regi commendatos esse rogat. *Dat. apud Urbemveterem x. kalend. aprilis anno* IV. Solicitata est etiam Helena (*b*) Regina Serviæ, ut in excindendis in Bosnia hæresibus regia studia conjungeret, fideique censoribus studeret quibus eam provinciam imponebat.

(*a*) Ib. ep. 25.

(*b*) Reg. post ep. 23.

XLIV. Minoritæ & Prædicatores infectandis hæreticis præfecti a Nicolao.

Utebatur etiam in insectandis hæreticis Pontifex Prædicatorum opera, quos prædecessores summa utilitate Ecclesiæ in ea re adhibuerant: sed cum ambæ religiosæ familiæ conjunctis animis in hostibus fidei persequendis consentire debuissent, nonnulli ex iis livore suffusi se lacessere mutuo cœperunt, atque hæreticorum, ut queritur Pontifex, (*c*) ludibrio exponere. Qua de re ad Veronensem episcopum, ut ipsos conciliaret, datæ literæ (*d*). Inter cæteros Thomas ex S. Dominici instituto cum pro concione panegyrim B. Petri martyris texeret, illumque cum S. Francisco inepte (nec enim mortalium est sanctorum merita discutere) conferret, subjecerat Dei vivi signa in beato Petro martyre emicare; Dei vero mortui in S. Francisco: ob quam insulsam & absonam distinctionem accusatus apud Pontificem quasi stigmatum illius sancti detraheret dignitati, ad septennium exercendo prædicandi verbi divini munere est interdictus. Hæc vero Nicolaus ad asserendam S. Francisci gloriam testatus est (*e*): *Attendimus*, inquit, *quod Romana ecclesia de B. Francisco & stigmatum ejus infixione solicita, illa in carne ipsius non superficialiter, sed in interiora per carnem & nervos & ossa in quinque partibus manum, pedum, & lateris in certos, & congruos fines ingressa, ita ut non virtute naturæ, sed miraculoso gratiæ dono, sic fieri vel esse potuerit, per testes legitime comprobatum accepit: & ut sic de stigmatibus ipsius beati Francisci teneatur, & venerabiliter observetur, irrefragabili sanctione firmavit. Ex quo ambiguum videri non potest, sacrilegii subire discrimen, quicumque negare vel improbare audeat, quod ipsa mater ecclesia tantæ sanctimoniæ spiritu non omisso humanæ justitiæ molimine confirmavit.* Diploma (*f*) etiam pontificium ad universos fideles dedit, quo Alexandri IV. de veritate stigmatum S. Francisci literas confirmavit. Sed de his religiosorum virorum controversiis satis: jam ad majores principum de Ungariæ regno certantium contentiones & pugnas derivanda est oratio.

(*c*) Lib. 4. ep. 574.

(*d*) Reg. post eand. ep.

B. Petrum martyr. cum B. Francisco inepte comparans coercitus.

(*e*) Ib. ep. 596. De veritate stigmatum S. Francisci Nicolai PP. testimonium.

(*f*) Ib. ep. 500.

XLV. Ungariæ civili bello laniata.

Trucidato a Cumanis Ladislao, ut vidimus anno superiori, nulloque ex eo filio relicto Ungaricarum rerum funestissimus status extitit; cum hinc Cumani Tartarique regnum illud invadere niterentur, hinc Rodulphus Romanorum Rex Imperio obnoxium esse contenderet, illudque Alberto filio duci Austriæ jure fiduciario traderet; contra Romanus Pontifex sedis Apostolicæ regnum vectigale esse affirmaret, Carolus II. Siciliæ Rex illud regnum filio suo Carolo Martello ex Ladislai sorore nato jure debitum proclamaret, id sibi denique Andreatius vendicaret. Ut porro Nicolaus in ea Ungarici regni jactatione se gesserit, intueamur. Imposuit Joanni episcopo Æsino legati apostolici munus, (*g*) jussitque Ungariam petere, miserum illius statum diligenter circumspicere, atque rationes & modos explorare, quibus ad pristinum florentem statum adduci posset: eoque argumento regni præsulibus, quorum dignitas sub Ladislao oppressa fuerat, scripsit, (*h*) præcepitque ut legato opera non deesset (*i*).

Ut illud regnum affectarint Tartari & Cumani. Rodulph. Rex Rom. & Albertus filius. Carolus Martellus, Andreas Venetus.

(*g*) Lib. 3. ep. cur. 113. & 121. Joannes ep. Æsinus in Ungar. legatus designatus a Nicolao.

(*h*) Reg. post eand. ep. 113.

(*i*) Ib. ep. cur. 124.

Venerabili fratri Joanni episcopo Æsino.

Etsi Romana ecclesia cunctorum mater & ma-

De munere ipsi demandato literæ.

magistra fidelium circa salubrem regnorum totius Christianitatis statum solicitudinis studium gesserit diligentius; a longis tamen retro temporibus circa statum regni Ungariæ prosperum & votivum se cura pervigili, & quadam solertia speciali attentam exhibuit, & exhibere non cessat; & tam per legatorum & nunciorum missiones accommodas, prout temporum qualitas exigebat, quam alias etiam multifarie multisque modis laborare studuit, ut status ejusdem regni devotos soliti producere filios, pacificis & tranquillis successibus fulciretur, Deo gratius existeret, ac salubris haberetur & utilis incolis dicti regni: & ut fides catholica, per quam cœlestis beatitudinis acquiritur gloria, radicibus solidis firmaretur, & stabilibus manuteneretur studiis in eodem. Unde felicis recordationis Nicolaus Papa III. prædecessor noster, perducto ad ejus notitiam validæ turbationis discrimine, quod in regno ipso, tempore quondam Ladislai Regis Ungariæ nuper sublati de medio imminebat, & alia, quæ damnatis ausibus perpetrabantur ibidem in derogationem non modicam fidei Christianæ, conculcationem ecclesiasticæ libertatis & oppressiones multiplices prælatorum, ecclesiarum, & monasteriorum, & aliorum piorum locorum regni prædicti; volens tantis & tam gravibus obviare periculis, & cleri, ac baronum, & populi ejusdem regni dispendiis compatiens ex affectu; ad regnum ipsum venerabilem fratrem nostrum Firmanum episcopum, virum utique providum & discretum, virtutibus præditum, & justitiæ zelatorem cum plenæ legationis officio destinavit, ut indirecta dirigeret, errata corrigeret, & deformata prudentius reformaret, ac evelleret & destrueret vitia, plantaretque virtutes, ac juxta gratiam a Domino sibi datam hujusmodi periculis obviaret, per cujus ministerium providum, & prudentiam circumspectam multæ, prout in partibus illis non habetur incognitum, ad bonum & laudabilem statum personarum ecclesiasticarum & sæcularium dicti regni statuta & ordinata fuerunt, oculis divinæ Majestatis accepta, & ipsi regno ac ejus habitatoribus fructuosa: quorum aliqua per jam dictum Regem promissa & jurata fuerunt sub obligatione sua, & etiam dicti regni.

Sed idem Rex promissione, juramento, & obligatione hujusmodi omnino contemptis, prædicta non servavit dum viveret, & se recognovit etiam non servasse, sicut ea per patentes apparent apertius literas, quæ in archivio sedis Apostolicæ conservantur. Propter quod in eodem regno turbationes multiplices, dissensiones & scandala gravia contigerunt; & adhuc status ejus fluctuat & vacillat. Cum autem nos tam periculoso ipsius regni statui, more pii patris compatientes ab intimis, te ad præfatum regnum fiducialiter destinemus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus ad partes illas te personaliter conferens, de statu ipsius regni ac ejus circumstantiis & conditionibus universis, & qualiter in melius dirigi, & salubrius valeat gubernari, fideliter, plene, ac solicite informes; & nos, quibus regni prædicti, utpote ad Romanam pertinentis ecclesiam, cura peculiaris incumbit, per te de statu, conditionibus, & circumstantiis supradictis certificati, tandem plenius & instructi circa præfatum regnum & statum illius possimus ad laudem Dei, & quietem fidelium utilius & efficacius providere. Dat. apud Urbemveterem, IV. non. januarii anno III.

Regni statum explorare jussus, ut illi consulatur.

Cum vero Ladislaus non levi infamiæ nota inustus fuisset, atque etiam abjuratæ Christianæ fidei ob inita fœdera cum Tartaris cæterisque infidelibus, quorum familiaritate & sceleribus se inquinarat, nec ab Honorio monitus mores nefarios exuere fategerat, suspicione laboraret; Nicolaus legato suo partes injunxit, (*a*) ut inquireret, num eo tempore, quo interemptus fuerat Ladislaus, ad fidem catholicam se convertisset, ac sedem Apostolicam totius rei faceret certiorem.

XLVI. Inquirere an Ladislaus a fide catholica alienus obiisset.

(*a*) *Ib. ep. cur. 114.*

Venerabili fratri Joanni episcopo Æsino.

Dudum fide dignis relatibus ad Apostolicæ sedis perducto notitiam, quod quondam Latizlaus Rex Ungariæ nuper, ut dicitur, sublatus de medio, vesanis adhærens consiliis, & a catholicæ fidei recta semita gressibus ruinosis exorbitans, & in devium delapsus erroris, suæ salutis consideratione postposita, se in divinæ majestatis contemptum, & totius Christianitatis opprobrium cum Tartaris, Saracenis, Neugeritis, & paganis, conversationis damnatæ commercio confœderationem duxerat ineundam, nefaria vivendi specialiter cum eisdem Neugeritis norma sumpta, reddendo se proinde Redemptori omnium, & hominibus odiosum; felicis recordationis Honorius Papa IV. prædecessor noster præfatum Regem ad vitæ laudabilis studia, & salubris conversationis effectum revocare desiderans, sibi paternas & affectione plenas suas literas destinavit, eum ad hoc per se, ac alios etiam salutaribus monitis, & attentis exhortationibus inducendo, ut a Tartarorum, & aliorum prædictorum damnatis erroribus penitus resiliret. At idem Rex, utpote in sensum reprobum deditus, per abrupta indevotionis oberrans, & ad inobedientiæ detestandæ duritiam se convertens, hujusmodi monitis & exhortationibus, quas pii patris producebat affectus, parere humiliter, prout nobis clamoris validi pridem revelavit assertio, non curavit.

Adducebatur in suspicionem sensisse cum infidelibus.

Pontificia monita contemperat.

Cum

Cum autem de ipsius regni & incolarum ejus statu solicite cogitantes, te ad præfatum regnum fiducialiter destinemus, volumus & per apostolica scripta tibi districte præcipiendo mandamus, quatenus solerter attendens, & diligenter considerans, quod Apostolica sedes hujusmodi negotium ex certis considerationibus specialiter cordi gerit, cum te ad partes illas pervenire contigerit, per te, vel per alium, seu alios, de quibus expedire putaveris, solerter indagare procures, & inquirere diligenter, utrum præfatus Rex, dum adhuc viveret, ad cor reversus, mortis suæ tempore fidem teneret catholicam & servaret, dimissis erroribus, & sectis infidelium abnegatis, ad quos, seu quarum observantiam dicebatur, dum viveret, transitum habuisse.

Certius rei veritatem indagari jubet Nic.

Procures etiam certitudinem habere plenariam, utrum Rex ipse decesserit tanquam catholicus Christianus, non hæreticus, nec schismaticus, neque a fide exorbitans supradicta. Studeas quoque diligenter inquirere quod super iis sciunt, credunt, & tenent prælati & religiosi, magnates & clerus, ac populus dicti regni, de quibus & prout videris expedire: & tam de eo, quod super præmissis & eorum singulis tam de fama quam de veritate contigerit inveniri, quam quod etiam de prædictis in regno tenetur eodem a prælatis & religiosis eisdem, sic te plene, seriatim, distincte, ac lucide studeas informare, ut per tuum processum plenariam habere possimus certitudinem præmissorum. Dat. apud Urbemveterem IV. non. januarii anno III.

Mœrentem etiam ex viri morte Ungariæ Reginam apostolicis literis demulcere, atque ad constantiam excitare est conatus: (*a*) tum etiam legatum patrocinium illius suscipere jussit (*b*).

(*a*) *Ib. ep. cur. 118.*
(*b*) *Ib. ep. cur. 117.*

XLVII. Denuntiari Germanis princip. Ungariam sedis Apost. beneficiariam esse.

Ad comprimendas vero in Ungaria de sceptri successione seditiones, coercendosque Germanos principes, Rodulphum nimirum Regem ejusque filium Albertum Austriæ ducem, qui Ungariam affectabant legato provinciam demandavit (*c*), ut Apostolicæ sedis nomine iis denuntiaret Ungariam ecclesiæ Romanæ fiduciariam esse, vetaretque in eam aliquid illos moliri: idque aliis literis legato inculcavit: (*d*) ni parerent, incussis censuris potentiorum etiam principum implorata ope temerarios conatus repressuram: quam rem etiam archiepiscopis & episcopis, ut Romanæ ecclesiæ jura tuerentur, indicere jussit (*e*).

(*c*) *Ib. ep. cur. 115.*
(*d*) *Ib. ep. cur. 116.*
(*e*) *Ib. ep. cur. 116.*

Venerabili fratri Joanni episcopo Æsino.

Nuper (f) ad nostrum pervenit auditum, quod cum quondam Latizlaus Rex Ungariæ rebus sit humanis exemptus, turbationes, pericula, & scandala gravia in regno Ungariæ sunt exorta, diversis aspirantibus ad solium dicti regni. Cum itaque regnum ipsum ad Apostolicam sedem multipliciter pertinere noscatur, te ad partes illas pro certis inibi exequendis negociis fiducialiter destinamus, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus cum ad partes illas te contigerit pervenire, coram charissimo in Christo filio nostro Rodulpho Rege Romanorum illustri, & dilecto filio nobili viro . . duce Austriæ insimul, vel disjunctim per te, per alium, seu alios ex parte nostra expresse manifesteque denunties, prædictum regnum ad nos & Romanam ecclesiam ex causa multipliciter pertinere; aperte & publice nostro & ipsius ecclesiæ nomine protestando, ut nullus cujuscumque sit præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, jura quælibet in eodem regno ad nos & ecclesiam ipsam spectantia quomodolibet invadere, occupare, vel usurpare præsumat; aut in nostrum & ejusdem ecclesiæ præjudicium & gravamen aliquid attentare. Alioquin contra præsumptores hujusmodi, prout qualitas facti suaserit, & expedire viderimus, procedemus. Dat. apud Urbemvet. IV. non. januarii anno III.

(*f*) *Ead. ep. 115.*

Data ea in causa legato imperia.

At Rodulphus jam spe Ungariam invaserat, ac tanquam ex Cæsarum aula illud regnum penderet, Albertum filium illius Regem Imperii fiduciarium creavit, quem Nicolaus ob violata in ea re ecclesiæ Romanæ jura perstrinxit (*g*), cœptisque absistere jussit.

XLVIII. Rodulphus Rex Rom. Albertum filium Regem Ungar. creat.

Nicolaus, &c. charissimo in Christo filio Rodulpho Regi Romanorum illustri.

Licet, fili charissime, intentionis nostræ non sit juri, si quod tibi in regno ipso competit, derogare; nolumus tamen ignorare celsitudinem regiam, quod regnum ad Romanam ecclesiam matrem tuam ab antiquo etiam dignoscitur pertinere; propter quod circa illud aciem solicitæ considerationis extendimus, & de statu ejus solicite cogitamus: ideoque regalem magnificentiam rogandam attente duximus & hortandam, quatenus pro divina, & Apostolicæ sedis, ac nostra reverentia, jura quælibet ad nos & eandem ecclesiam in regno memorato spectantia, per te vel per alium, seu alios non invadas, aut occupes, vel usurpes, sive aliquid facias in nostrum & ipsius ecclesiæ præjudicium vel gravamen, quæ potius manutenere solicite ac illibata & integra plenis favoribus servare te convenit, utpote specialem advocatum ejusdem ecclesiæ, ac præcipuum defensorem. Sic ergo super hoc precibus nostris obtemperes, sic nostræ instantiæ acquiescas, ut devotionem regiam, quæ semper erga præfatam ecclesiam claruisse conspicitur, uberibus in Domino laudibus attollamus. Dat. apud Urbemveterem II. kal. februarii anno III.

(*g*) *Ib. ep. cur. 118.*

Corripitur a Nicolao jura Ecclesiæ ipsum invasisse.

Hortatur ut re ipsa patrocinium illius gerat.

Conceptæ sunt iisdem sententiis lite-

XLIX.

(a) Ib. ep. cur. 119.

(b) Ep. cur. 122. Strigoniensis archiep. ut regno tuendo operam daret excitatus.

Denuntiet de regni successione contendentibus, clientelæ nomine illius imperium ad sedem Apost. spectare.

ræ ad Albertum Austriæ ducem (*a*). Ad infringendas vero magis principum injuria Ungaricum diadema affectantium cupiditates, in literis ad archiepiscopum Strigoniensem datis (*b*), ubi ipsum paterne increpuit, in solito Romanam erga sedem studio ac publicæ utilitatis curandæ ardore videri tepuisse, dum qui vivo Ladislao de invectis regno scandalis & improbis consuetudinibus Apostolicam sedem, ut mederetur, admonebat, qua ex re summam ab ea gratiam inibat; nunc sublato Rege, cum pluribus tumultibus fluctuet Ungaria, nullas literas miserit, neque de Regis morte, num in fide Christiana obierit, quive regno sint successuri, *an bellum ingruat, sintne gentiles in Ungariam grassaturi, aliaque scitu necessaria ad averrenda imminentia mala nondum significarit.* Tum subjungit: *Cum autem præfatum regnum ad Romanam ecclesiam ab antiquo etiam pertinere noscatur, & per dictum Regem sub obligatione sua & regni sui tempore, quo venerabilis frater noster. Firmanus episcopus in ipso legationis officio fungebatur, nonnulla promissa & jurata fuisse, quæ postmodum non servavit; volumus, tibique præcipimus, ut ad personarum ecclesiasticarum & sæcularium regni prælibati notitiam, quantæcumque seu cujuscumque præeminentiæ, conditionis, aut status extiterint, ad illarum maxime, quæ sibi dicunt jus aliquid competere quomodolibet in regno præfato, perducere studeas, regnum ipsum, ab antiquo etiam, ad Romanum ecclesiam pertinere, sibique fore, prout præmittitur, obligatum ut hæc illæsa & integra eidem ecclesiæ in posterum conserventur; & ne quivis illa quomodolibet invadere, occupare, vel usurpare præsumerent in nostrum, vel ejusdem ecclesiæ præjudicium & gravamen aliquod attentare. Volumus autem, quod ea, quæ in hac parte feceris, nobis per tuas literas plene & seriose ac fideliter studeas intimare: ac nihilominus super denuntiationem & protestatem hujusmodi confici facias duo publica similia instrumenta quorum unum tibi retineas, & reliquum per fidelem nuntium nobis mittas. Dat. apud Urbemveterem* II. *kal. febr. anno* III. Ut vero a Bonifacio VIII. Ungaricum sceptrum Carolo Siciliæ Regis nepoti adversus æmulos adjudicatum sit, dicemus inferius.

L. Rodulphus Rex Rom. moritur non accepto imperiali insigni.

Inter hæc Rodulphus Romanorum Rex anno regni decimoseptimo e vivis discessit. Imperialem utique dignitatem, quæ Pontificum Romanorum manibus confertur, adeptus non est, ut enim Joannes Villanus notat (*c*) firmandæ in Germania potentiæ suæ intentus, res Italicas sprevit, quam quidem adeo egregie stabilivit, ut suis Austriam ac Sueviæ partem hereditariam pepererit, illique Ungariam, ut vidimus, adjungere meditaretur. Cæterum hoc ipsum anno obiisse, Bernardus, (*d*) Ptolemæus Lucensis, (*e*) Siffridus (*f*), auctor hist. de Langraviis (*g*), Stero, (*h*) Eberhardus, (*i*) Joannes Villanus, (*k*) S. Antoninus, (*l*) Albertus Argentinensis, aliique consentiunt; quibus suum Card. Baronius calculum in MS. notis adiicit his verbis (*m*): *Anno Christi MCCXCI. Rodulphus Imp. obiit pridie kalend. octobris. Interregnum menses tres.*

(c) Joan. Vill. l. 7. c. 145. (d) Bern. in chron. Rom. Pont. (e) Ptol. Luc. in annal. (f) Siff. epit. l. 2. (g) Hist. de Langr. (h) Stero in annal. (i) Eberhar. in annal. (k) Jo. Vill. ubi sup. (l) S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 6. § 10. (m) Baron. in schedis

Huic regio funeri alterum regium funus Alfonsi Aragonii conjungendum videtur, [1] quem dum ad conciliandam sibi Ecclesiæ gratiam incumbebat, obiisse Nicolaus Papa testatur: (*n*) cujus etiam mortem hoc anno Surita, (*o*) Mariana (*p*) aliique collocant, ac Pontificis dicta illustrant: ait enim ineunte februario a Cardinalibus, quos Nicolaus in Galliam legarat (ii Gerardus Parmensis episcopus Sabinensis, & Benedictus Cajetanus diaconus Card. erant) inter Galliæ & Aragoniæ Reges præsentibus Carolo II. Siculo atque utriusque oratoribus fœdus percussum, dictaque has pacis leges. Veniam commissorum a Pontifice Alfonsus supplex poscoret, vectigaliaque nomine, uti proavus pactus erat, triginta auri uncias ecclesiæ Romanæ penderet. In Syriam belli sacri causa cum exercitu navigaret: & quidem quod ad hoc spectat, annales Colmarienses (*q*) tradunt Nicolaum ardentissime urgisse ipsum, ut crucem indueret, atque ob id omnium Aragoniæ ecclesiarum decimas ad triennium concessisse: verum eam pactionem Surita (*r*) præter.

LI. Alfonsus Aragon. ad firmandum sceptrum fœdus cum Rege Francor. & Ecclesia init.

(n) Lib. 4. ep. cur. 41. (o) Surit. l. 4. annal. c. 122. & indic. l. 2. (p) Marian. l. 4. c. 14. Summont. in hist. l. 3. Concordiæ leges. (q) Annal. Dominic. Colmar. (r) Surit. ind. l. 2.

NOTÆ [1] SI annalista mensem & diem singulorum principum emortualem diligentius adnotasset; historiam obitus Jacobi funeri Rodulphi Imperatoris utique præposuisset. Jacobus enim decessit die XVIII. junii, ut præter authores Hispanicos, quos Spondanus consuluit, testatur author horum temporum æqualis Bartholomæus a Neocastro Hist. Sicul. cap. CXV.

Sed de mense & die, quo Rodulphus Romanorum imperator decessit, apud Historicos etiam coævos intercessit discrimen; quamquam enim Albertus Argentinensis vetus author ex epitaphio sepulcrali ejusdem Rodulphi deducit obiisse pridie kal. octobris; non desunt tamen veteres scriptores qui diem XV. julii assignent, inter quos Stero aliique Germani scriptores his temporibus haud remoti. Martinus minorita, cujus historiam ad annum usque 1346. deductam Eccardus inter historicos medii ævi tom. 2. vulgavit, ad hunc annum 1291. scribit: *Idib. julii rex Rodulphus obiit.* Inter has ambages quæ tenenda sit sententia non satis exploratum mihi est, cum præsertim epitaphii, quod Albertus Argentinensis allegat, fides apud chronologos subiesta sit, ut Pagius non semel in sua ad annales Baronii critica adnotavit. MANSI

Carolus Valesius regni Aragonii jure & actione decedit. Andium & Cœnom. comitatus recipit a Carolo.

(a) Sanit. l. 4. annal. c. 121.

Excluso eo fœdere Siculi.

termittit. Jussus quoque matrem fratremque ad restituendam Siciliam hortari, ac armis cogere Aragonios proceres ac milites severo edicto ex ea revocare, atque obsides adjectum, ut Carolus Valesius concesso in Aragoniam a Pontifice jure actioneque decederet, cui ad reponendam gratiam Carolus filiam Clementiam, Andium & Cœnomanorum comitatuum attributa dote, uxorem pactus est: (*a*) Pontifex vero Aragonium in gratiam reciperet, atque incussas regno censuras dissolveret. Excluso eo fœdere rebelles Siculi, adeo ut Carolus brevi recuperandæ Siciliæ spe efferretur. Sed dum hæc in opus perducere parabat Alfonsus, importuno tempore mors eum oppressit. Tum sane proditos se ab eo querebantur Siculi, ac nil propius aberat, quam ut ab Aragoniis destituti, quorum auxilii spe rebellionem moverant, immo a quibus, ut in Martino vidimus, fuerant concitati; totque cincti hostibus, Jacobo cæterisque Aragoniis ejectis, sibi consulerent. Urgebat ad id ipsos etiam Pontifex, jactoque anathemate ni Jacobum pellerent, sacram in eos militiam indicebat (*b*).

(b) Lib. 4. ep. cur. 13.

LII. Alfonsus in ipso perficiendæ rei conatu obit.

Consenuit mora illud bellum, sublatoque Alfonso Aragonio, Siculi belli mala, quæ sopienda sperabantur, recruduere: Jacobus enim Siciliæ occupator, fratris successione auctus ac tumidus magis quam antea Ecclesiæ formidandus apparuit. Ad cujus elidendos conatus, Pontifex, ut occupatum ab Alfonso Baleavium regnum, quo Jacobus Rex principis Jacobi patruus ob Pontificis & Gallorum partes adversus Petrum fratrem secutas depulsus fuerat, a Jacobi Aragonii tyrannide eriperetur, Majoricanum episcopum, atque alios præsules literis (*c*) hortatus est, ut ad veteris Regis legitimi fidem redirent, ac nulla ratione alteri Jacobo tyranno Siculo sacramento se obstringerent, sed potius ad arcendos ejus impetus strenue se compararent: *Universitatem*, inquit, *vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta sub spiritualibus & temporalibus pœnis, singulariter & generaliter juxta nostrum arbitrium inferendis, districte præcipiendo mandantes, quatenus mentes vestras & oculos ad Deum & Ecclesiam devotis spiritibus erigentes; & attendentes provide, quod fermentum pravæ commixtionis regnorum & populi concordiam in dispendia dissensionis evertit, pacem turbat, fidem inficit, famæ decorem obnubilat, damna rerum, animarum pericula, & excidia personarum inducit; præfatum Jacobum, vel alium pro ipso, vel ejus nomine ad regnum Majoricarum, seu insulas adjacentes eidem, aut aliquam earum partem, sicut nostrum, & ipsius Ecclesiæ benedictionem, & gratiam affectatis, & nostri turbationem animi cupitis evitare; nec irritari vultis contra Deum & prædictam Ecclesiam nexibus offensarum, pro Rege vel domino non recipiatis ullatenus, nec alias etiam admittatis; neque sibi, vel alii pro ipso homagium, fidelitatem, vel obedientiam aliquam faciatis: quinimo ad devotionem & fidelitatem vestri domini naturalis charissimi in Christo filii nostri Jacobi Regis Majoricarum illustris prudenter redire, sibique intendere, ut tenemini, & parere curetis; ita quod inter vos & eum gratia reconciliationis adveniat, vosque gratiosum & propitium vobis habeatis eumdem.*

(c) Ead. l. 4. ep. cur. 41. Hortatur Pont. Baleares, ut ad Regiam fidem redeant. Datæ eo argum. literæ;

Sic itaque nostris studeatis parere monitis & obedire præceptis, quod exinde vobis universis & singulis, ac prædictis regno & insulis apud Deum & præfatam Ecclesiam commendationis & commodi proveniat incrementum; nosque devotionis vestræ promptitudinem condignis gratiarum actionibus merito prosequamur. Dat. apud Urbemveterem v. *id. augusti anno* IV. Balearium porro episcopus cui hæ missæ literæ, Pontius erat, ob fidei erga Romanum Pontificem constantiam insignis, qui olim ab Alfonso ob promulgatum in Petrum anathema sua sede depulsus erat, cui Nicolaus plura privilegia contulit (*d*).

Majoricanus episc. pluribus ornatus privilegiis.

(d) Lib. 4. ep. 143. 144.

Ut porro Balearibus vetuerat Nicolaus, ne Jacobum exciperent; ita nervos omnes contendit, ut amittendæ fraternæ successionis metu a Sicilia avelleret: archiepiscopis enim, episcopis, abbatibus, cæterisque ecclesiastici ordinis (*e*) Aragoniis, Valentinis, & Catalanis, ac pluribus aliis, (*f*) incussis gravissimis pœnis prohibuit, ne Jacobum Regem admitterent. Simillimaque imperia Jacobo adjecto pœnarum terrore imposuit, ne quamdiu censuris sententiisque præteritis esset irretitus, Aragoniæ, Valentiæ, Barcinonis, & Cataloniæ possessionem inire, pertentarer, eumque hisce literis ad resipiscentiam est adhortatus (*g*).

LIII. Nicolaus Aragonios Jacobum in Regem admittere vetat.

(e) Ib. ep. cur. 50. (f) Ep. cur. 51. Data Jacobo imperia, ne ante adeptam Ecclesiæ gratiam sceptrum Aragonium capessat. (g) Ep. cur. 48.

Jacobo filio quondam.. olim Regis Aragonum, spiritum consilii saniori.

Seriosæ repetitionis ad præsens non expedit oraculis aperire, cum sit longe lateque diffusum, & in singulorum quasi notitiam jam deductum, qualiter quondam Petrus olim Rex Aragonum pater tuus factus ecclesiæ Romanæ, ac claræ memoriæ Caroli Siciliæ Regis, & heredum suorum hostis publicus & persecutor hostilis, contra dictam ecclesiam & ipsum Regem regnum Siciliæ ab ecclesia prædicta tenentem, ejusque de illo vassallum notorios & detestabiles commisit excessus, insulam Siciliæ, terram peculiarem ipsius ecclesiæ, temerariis ausibus occupando; & postmodum ipso Petro sublato de medio, tu inimici humani generis, pacis æmuli seductione deductus,

* Petri Nicolai ad ipsum ea de re literæ.

Commissa a parente Petro in Ecclesiam scelera exponit.

Ut injuria Siculum sceptrum post patris mortem invaserit. Siciliam citeriorem oppugnarit.

& paterni vitii imitator, immediate insulam invasisti eamdem, ac deinde in Regem Siciliæ te coronari, vel potius execrari procurans, ac te faciens Regem Siciliæ nominari, prædictam insulam detinuisti, & detines contra prohibitionem ejusdem ecclesiæ nequiter occupatam, & gravibus contra Deum, & dictam ecclesiam, ac charissimum in Christo filium nostrum Carolum ipsius Siciliæ Regem illustrem, prædicti quondam Caroli Regis filium & ipsius in præfato regno Siciliæ successorem, longo tempore continuatis excessibus, etiam ad alia loca dicti regni occupatrices manus extendere conatus es hactenus, & quotidie damnabili temeritate præsumis. Propter quod dicta ecclesia dudum contra dictum Petrum & te, ac ipsius & tuos in hac parte fautores diversos processus fecisse dignoscitur, & sententias protulisse, quos præsenti serie aliter non duximus repetendos.

LIV. *Verum quia, sicut nuper accepimus, quondam Alfonsus de Aragonia frater tuus, qui per consilia saniora procedens ad Deum & eamdem ecclesiam reconciliationis suæ remedia procurabat, solemnibus nunciis super hoc ad eamdem ecclesiam destinatis, diem clausit extremum, nos experiri volenter, utrum tu in tantis excessibus ac sententiarum laqueis, quibus nosceris involutus,* hoc enim anno in ipsum vibratas antea censuras festis cœnæ (a) & ascensionis (b) dominicæ, tum dedicationis basilicæ Principis Apostolorum renovavit, *in morte obdormiens, possis per apostolicæ benignitatis studium excitari, te præsentium tenore monemus & hortamur attente, per apostolica tibi scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus tanti erroris invio derelicto, ad viam rediens veritatis, ne dissimules, sed diligenter advertas tam graves, tamque perniciosos excessus, quibus morbum tuum non sentire videris, nec futura pericula pertimescis; quodque nonnulli Reges & principes, qui olim ipsius fuerunt persecutores ecclesiæ, non absque confusionis improperio decesserunt, meritorum suorum stipendia recepturi. Alia quoque quamplura, quæ consideranda in hac parte noscuntur, diligenter attendens, & a præmissis excessibus, tuisque erroribus resipiscens, infra quatuor mensium spatium a præsentatione præsentium tibi facta, quod tibi pro peremptorio termino assignamus, redeas ad ecclesiæ memoratæ mandata, & præfatam Siciliæ insulam, aliaque terras & loca dicti regni detenta per te, regnumque ipsum Ecclesiæ prælibatæ, dictoque Regi absolute, ac libere, & in pace dimittas; & prædictis Ecclesiæ ac Regi, cæterisque per te, vel occasione tui ratione dicti regni passis damna & injurias plenam & debitam satisfactionem impendas, talia, vel similia contra eos nullo unquam tempore præsumpturus: tibi nihilominus districtius inhibentes, ne tot involutus processibus, & ligatus sententiis de quorumlibet regnorum, seu terrarum administratione sive regimine, præsertim Aragoniæ, Valentiæque regnorum, comitatus Barcinoniæ, & universæ Cataloniæ, vel alicujus partis eorum, ac omnium & singulorum, quibus prædictus pater tuus per sæpedictam ecclesiam sententialiter est privatus, te aliquatenus intromittas. Quibus si prudenter attenditur, ex dicti patris tui tuisve demeritis indignus es redditus vel reddendus, ac privatus vel ecclesiæ supradictæ auctoritate privandus: & nihilominus tibi aperte prædicimus, quod te in incepta rebellione & contumacia persistente ad privationem, seu denuntiationem privationis hujusmodi, & alias contra te spiritualiter & temporaliter procedemus, prout viderimus expedire. Prætextu autem dilationis, & termini præfixionis hujusmodi, quæ potius ex gratia seu misericordia, quam ex juris necessitate procedunt, processibus dudum contra te habitis, vel alias occasione tui nolumus in aliquo derogari, neque differre, vel etiam abstinere proponimus. Quin etiam, ipsa dilatione ac termini præfixione pendentibus, tam ex præteritis tuis & illorum contumaciis & excessibus & offensis, quam ex futuris, si quas te vel illos committere fortasse contigerit, contra te ac ipsos spiritualiter & temporaliter, prout & quando videbimus fore expediens, procedamus.*

Censuris juste devinctus fuerit.
(a) Ep. cur. 14.
(b) Ep. cur. 33.

Indicit, ut excurrente quadrimestri ad Ecclesiæ obsequium redeat.

Ne regnorum, quibus juste ipsius parens fuerat privatus, administrationem suscipiat.

Spernenti imperia minæ intentatæ.

LV. *Cæterum ut nulla tibi excusationis materia relinquatur, ecce dilectum filium magistrum Guillelmum de Mindagoto notarium nostrum* (extant ad eum in regesto datæ plures literæ, (c) quibus ea provincia ipsi demandata est,) *virum utique providum & discretum, de cujus industria & circumspectione confidimus, ad te, ac prædicta Aragoniæ & Valentiæ regna, comitatum Barcinonæ, ac universam Cataloniam, & etiam loca vicina & circumpositas regiones providimus destinandum, ut super præmissis te hortetur attentius, instantius excitet, ac ea tibi vivæ vocis oraculo seriosius exprimat, & alias super eis nostrum beneplacitum exequatur. Dat. apud Urbemveterem kal. augusti anno* IV. Parum valuere pontificia monita: accurrens enim Jacobus in Aragoniam Cæsaraugustæ, ut scribunt Surita, (d) Mariana (e) & alii, regias infulas suscepit.

Missus eam ob causam in Aragoniam nuntius.
(c) Ep. cur. 47. 49. 50. 51.
Jacobus contemptis apostolicis minis, insigne regium Cæsaraugustæ accipit.
(d) Surit. indic. l. 2. hoc an. & l. 4. annal. c. 123.
(e) Marian. l. 14. c. 15.

LVI. Attollere in eum signa moliebatur Philippus Francorum Rex, ac fratrem Carolum Valesium, qui ad Caroli & Alfonsi Regum gratiam Aragonici regni jure & actione abscesserat, eo extincto, pristina jura repetentem Aragoniæ Regem imponere meditabatur; missisque ad Nicolaum oratoribus, flagitavit, ut sacram militiam adversus Aragonios indiceret, ac decimas

mas

sexennales in sacri belli sumptus conferret. At Pontifex, qui Jacobum ad Ecclesiæ obsequium pellicere nitebatur, & ad declinanda bellorum mala rem æquitate potius, quam ferro componere studebat, atque ob amissam recenter Syriam difficile bellum, quo aliud Asiaticum disturbaretur, non suscipiendum ratus, Philippi Regis petita in aliud tempus extraxit, (a) utque rem æqui acciperet, facti rationem his literis exposuit.

(a) Eod. l. 4. ep. cur. 83.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Philippus Rex sexennales decimas pro comparanda Aragonia flagitat a Pontifice.

Religiosam in Aragonios militiam indicit.

Venerabilis frater noster P. episcopus, tunc electus Carcassonensis, & dilecti filii magister Joannes de Foresta clericus, ac Ægidius de Compendio laicus serenitatis regiæ nuncii, quos mittentis & suæ probitatis obtentu benigne recepimus, prudenter, ea, pro quibus asseruere se missos, in nostra & fratrum nostrorum præsentia exponentes, ex parte regalis celsitudinis inter cætera petierunt, ut ad negotium Aragoniæ prosequendum tibi per sex annos concederemus decimam omnium ecclesiasticorum reddituum regni tui, & faceremus contra illos de Aragonia crucem in omnibus ejusdem regni partibus prædicari. Sane, fili charissime, licet antiquam tui generis continuatamque diutius, & per te, Deo auctore, continuandam solicite ad Romanam ecclesiam, & ecclesiasticam libertatem devotionem, & affectionem dignis laudibus attollendam memori memoria recensentes, non indigne ad singularem erga tuam personam & regni ejusdem statum prosperum moveamur affectum; non immerito ad efficaciter promovenda tua & tuorum commoda, exaudiendaque desideria excitemur; quia tamen non semper ratio cum affectione concurrit, diligenti super dictis petitionibus cum eisdem fratribus deliberatione præhabita, exauditionem ipsarum consideravimus ex causis variis differendam. Infaustis siquidem rumoribus ad sedem Apostolicam de civitatis Acconensis captione perlatis, nos & iidem fratres de statu miserabili Terræ sanctæ totius, totaliter expositæ manibus impiorum, profundi & immensi tacti doloris aculeis, quem ex hoc opprobrii nominis Christiani profunditas, & dispendii Christianitatis subministrat immensitas; inter cætera quæ ad reparationem tantæ ruinæ cum anxietate multimoda providimus exequenda, considerantes reparationem ipsam omnes contingere fidei Christianæ cultores, & præcipue Reges & principes, prælatos, cæterosque magnates, ipsos super viis & modis, per quos reparatio eadem tam necessaria, tam Christianitati toti votiva provenire celerius & efficacius, Deo auspice valeat, duximus consulendos, tibi & aliis Regibus & principibus, prælatis, cæterisque magnatibus, nostris super hoc, prout expedire vidimus, literis destinatis. Per diversas etiam mundi partes in ejusdem Terræ sanctæ subsidium proponi mandavimus verbum crucis.

Differt Pontifex petitis annuere.

Significat omnes Christianos principes de instauranda re Syriaca consultos.

Decet itaque, proculdubio, decet & expedit super consultatione prædicta expectare responsum, ne ipsa pendente, petitionibus supradictis ad gratiam exauditionis admissis, consultis dandi consilii videremur adimere libertatem; dum per exauditionem ipsarum certum de subveniendo terræ prædictæ propositum ad aliud tam grande convertendo negotium, præsumeremur forsan avertere ab incepto, & crucis prædicatio adversus alios indicendam, tam chariss. in Christo filii nostri Eduardi Angliæ Regis illustris, quam aliorum, qui ejusdem crucis vexillum ad subveniendum terræ præfatæ necessitatibus receperunt, certo ad transfretandum termino acceptato, non solum debilitaret animos, & in acceleranda suscepta subventione remissiores efficeret; sed & ipsam forsitan totaliter impediret, non absque gravi totius Christianitatis scandalo, quæ ad illam affectibus intensis afficitur, ad illam anxia intentione suspirat.

Non fore prudentiæ alia bella re pendente suscipere.

Retardandum inde expeditionis Eduardi consilium.

Differendam insuper dictarum petitionum exauditionem illud etiam persuasit, quia sicut ad excellentiæ regalis notitiam jam forte pervenit, dilectum filium magistrum Guillelmum, dictum Mandagotum, notarium nostrum ad Jacobum natum quondam Petri olim Regis Aragonum destinavimus, per ipsum notarium monentes eumdem, eique mandantes, ut ad mandata Ecclesiæ, præcise rediens, a solita perversitate desistat: & ideo ejusdem notarii reditum, quem speramus proximum, absque innovatione aliqua credidimus expectandum. Concessioni quoque petitæ decimæ non mediocriter refragatur ecclesiarum ejusdem regni clamosa querela, quæ se a tuis officialibus gravibus injuriis affectas hactenus, & affici quotidie conquerentes, non videntur ad præsens esse dispositæ ad novum solvendæ prædictæ decimæ onus æquanimiter subeundum. Nostra itaque præsens responsio, quæ licet nunc petitionibus prædictis non annuat, non tamen omnino præcidit easdem, mansuetudinis regalis obtutibus, quæsumus, non molesta, sed grata proveniat: poterit enim succedente tempore, opitulante divina clementia, opportunitas grata succedere, quæ nostris & tuis votis accommoda circa præmissa aliud fieri suadebit, prout futurorum eventuum qualitas suggeret, & videbimus expedire. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem id. decemb. anno IV. LVII.

Expectandum, an Jacobus redire in gratiam cum Ecclesia respuat.

Gallicanos præsules a regiis administris oppressos adversari.

His Aragonium bellum dissuasit Philippo Nicolaus, qui Siculi conficiendi cupidus ab eo maximis contendit precibus, (b) ut Carolo II. tum ad retundendos hostium conatus, tum ad amissa recuperanda auxilia submitteret. LVIII.

(b) Ib. ep. cur. 74.

Cha-

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

Hortatur Nicolaus Francor. Regem ut Carolo Sic. Regi opem ferat.

Pulsat instanter ad ostium cordis nostri, mentemque propensius excitat affectuosa dilectio, qua charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem sumus hactenus prosecuti, & continuatis benevolis studiis prosequi non cessamus, ut apostolici favoris auxilium, quod libenter ad filios devotionis extendimus, ei vigilantibus studiis in suis negotiis impendamus; dignum & juri consonum existimantes, ut sedem ipsam sibi favorabilem & propitiam sentiat, quam finceris devotionis filialis affectibus reveretur. Sane quantas & quam atroces injurias, quam gravia & dispendiosa, quam plurima damna rerum, non utique brevi numero includenda, olim claræ memoriæ Carolo Regi Siciliæ patri Regis ejusdem sibique, patre ipso sublato de medio, intulit rebellium detestanda perfidia Siculorum, plene, ut credimus, regalis magnificentia didicit, facti evidentia divulgante: propter quod illa in præsentiarum duximus prætereunda silentio, ne multiplicatione verborum aures regias graveremus. Sed nondum Siculorum ipsorum elata & jamdiu continuata rebellio tam temerariis ausibus finem dedit; cum in rebellionis nequitia persistentes, & in sua obstinati perfidia mala malis, & excessus excessibus adiicere non formident, eundem Regem suosque fideles offensis multimodis pro viribus impetendo. Et quamquam per sedis memoratæ solertiam jampluries moniti fuerint, ut debita pœnitudine ducti seque ad saniora consilia referentes rebellionis hujusmodi devio, per quod gressibus periculosis oberrant, penitus derelicto, ad devotionem Regis ipsius, a qua inconsulte recedere præsumpserunt, redire consultius non differrent, ejus mandatis humiliter parituri; ipsi tamen extollentes in superbiæ verticem mentes suas, & prava studia imitantes, hujusmodi monitis temere obauditis, id efficere contempserunt. Quod si diligenter attenditur, tam tibi, quam cæteris dicto Regi cognationis nexibus copulatis tanto molestius & horribilius esse debet, quanto id non absque tua & eorum injuria & contemptu temeritate præsumitur ampliori.

Exponit Siculorum pervicaciam.

LIX. Inferre quotidie novas Siciliæ Regi injurias.

Cum itaque Rex ipse tot pulsatus injuriis, tot confossus doloribus, passusque multiplicia damna rerum, multorum sed tua potissime deposcat auxilia, favores expetat, & subventiones confidenter exquirat; excellentiam regiam rogamus & hortamur attente, quatenus infra claustra pectoris sedula meditatione recogitans, quod in tantæ tamque urgentis necessitatis articulo præfato Regi, cujus in hoc spes & fiducia in tuæ potentiæ viribus præcipue requiescunt, te deesse non convenit; sed potius, ut debitum sanguinis impleas, promptis adesse consiliis, favoribus, & auxiliis opportunis; considerans etiam quod si, ope cœlestis Numinis suffragante, hujusmodi prætacti Regis negotium tuis fultum præsidiis votivum & prosperum exitum sortiatur, regiæ celsitudinis honor glorioso exinde suscipiet incrementum, & in orbe terrarum dilatabitur amplius nomen tuum, quodque multum, immo quamplurimum favoris accrescet negotio Terræ sanctæ, cum de regni Siciliæ partibus ipsi terræ copiosum proveniat fulcimentum; memorato Regi favoribus & auxiliis pecuniariis & aliis munificentia regalis assistat, ut tuo fultus munimine & terram quam tenet defendere, ac aliam quæ ad hostibus de facto tenetur, recuperare valeat loco & tempore opportuno; tanto nobis proinde potius placiturus, quanto magis nostris in hoc affectibus complacebis, & statum Regis ejusdem utpote devoti Ecclesiæ filii felicem, & prosperum votis ardentioribus affectamus. Sic ergo, fili, precibus in hac parte nostris obtemperes, & exhortationibus efficaciter acquiescas, ut præmium exinde consequaris a Domino, qui pro minimis grandia recompensat, & præter laudis humanæ præconium titulis regiis proventurum, devotionem tuam uberibus in Domino laudibus attollamus. Dat. apud Urbemveterem kal. octobris anno IV.

Restituta Carolo Sicilia rem Syriacam facilius instauranda.

Nec Gallorum modo, sed etiam Genuensium auxilia Carolo Siculo conciliare nisus est: Rheginensi enim archiepiscopo, cui provinciam cum reipublicæ proceribus de recuperanda Syria agitare consilia imposuerat, injunxit ut ad juvandum etiam Carolum ipsos flecteret, (a) atque Genuenses, intentatis censuris, a commercio cum Siculis ineundo revocaret; (b) eam rem antea ipsis permissam, ut Siculos delinirent atque ad obsequium Ecclesiæ pellicerent; sed cum in pervicacia sint obfirmati, commercii commodis prævandos videri. Collegerant enimvero Siculi novos in Carolum & Ecclesiam animos, cum Fridericus tyrannidem corripuisset, dum Jacobus frater ad Aragoniæ & Valentiæ sceptra sibi asserenda provolasset.

Genuenses a Siculorum studio abducere nititur Pont.

(a) lib. ep. cur. 76.

(b) Ep. cur. 75.

Cum Siculas res tractemus, insigne decretum silentio prætereundum non est, quod Gerardus Sabinensis episcopus A.S.L. ad expurgandos ecclesiasticorum mores edidit. Jussi enim omnes clerici intra bimestre concubinas, quarum turpi consortio infecti erant, a se abiicere, incussis intermittendi muneris atque sacerdotii amittendi pœnis, si eas in sua alienave domo tenerent. Ne vero archiepiscopi, episcopi, aliique præsules in exercenda legis severitate remissiores essent, sacrorum usu atque ingressu ecclesiæ, si deessent muneri, interdixit: si muneribus corrumpi se paterentur, accepti duplum in

LX. Gerardi episc. Sabinen. pro Siculi cleri moribus excolendis constitutio.

Incussæ concubinariis pœnæ.

Et Præsulibus in eos non animadvertentibus.

Temperata a Nicolao legis severitas.

in pios usus derivandum, atque ab officio submovendos sanxit. Querentibus vero mox præsulibus hujus legis acerbitatem majora parituram discrimina, nimisque facile exercendi muneris potestatem ereptum iri: tum iniquum videri nullam ipsorum dignitatis habitam rationem, ac patriarchas, archiepiscopos, episcopos iisdem ac cæteros inferioris ordinis clericos pœnis subiici. Iis querelis permotus Nicolaus sanxit, (a) ut lex in inferioris dignitatis clericos valeret: in præsules vero ex canonicis dumtaxat sanctionibus animadverteretur. [1]

(a) Lib. 4. ep. 344.

LXI. Philippus Rex imperii in dimidiam Avenionensis urbis partem jura in Carolum Siculum transfundit.

(b) Lib. 3. ep. 747.

(c) Lib. 3. ep. 748.

Addenda hic nonnulla videntur, quæ ad Regem Carolum spectant: Philippum Francorum Regem dominatu, quem in mediam Avenionis partem obtinebat, in Caroli gratiam cessisse, (b) adeo ut is jam tota urbis ditione potiretur. Qua causa motus est Nicolaus, ut decimarum mediam partem, ex Avenionensibus sacerdotiis redigendam, attributamque Francorum Regi, ad Siciliæ Regem derivarit (c).

Carolo Regi Siciliæ illustri.

*Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod civitatis Avinionensis medietas, quam charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris hactenus obtinebat, ad te nuper ex certa causa dignoscitur devenisse, jam te totius civitatis ejusdem dominium obtinente; cum autem ad prosequendum negotium regni Siciliæ dudum tibi omnium ecclesiasticorum redituum & proventuum decimam in Tarantasiensi, Ebredunensi, Aquensi, & Arelatensi provinciis, terra comitatus Venesini ad Romanam ecclesiam nullo mediante pertinente, ac terra, quam in eisdem provinciis Rex obtinet memoratus, dumtaxat exceptis, per tres annos ab instanti tunc festo nativitatis B. Joannis Baptistæ numerandos, duximus concedendum, suppliciter postulabas a nobis, ut ad præfati prosecutionem negotii decimam ecclesiasticorum proventuum medietatis prædictæ tibi benigne concedere dignaremur. Nos itaque diligenti consideratione pensantes, quod negotium ipsum eo commodius & efficacius prosequi poteris, quo per nos uberioris auxilio fueris subventionis adjutus, tibi pro jam dicti prosecutione negotii præfatam decimam medietatis ejusdem percipiendam a te * ex * quæ nunc usque ad sexdecim menses sequentes restare * noscuntur de triennio supradicto, * noscidummodo prædictus Rex Francorum decimam ex concessione nostra in medietate non percipiat supradicta, præsentium auctoritate concedimus de gratia speciali, &c. Datum apud Urbemveterem XIV. kal. martii anno III.* tur

Ut Avenionio postea ad sedis Ap. ditionem devoluta sit.

Cæterum quod ad Avenionem spectat; demum a Joanna I. Clementi VI. addicta est pretio, quo illa amissum Neapolitanum regnum recuperavit, Romanorumque Imperator Carolus IV. ad quem supremus dominatus in Avenionem spectabat, sua jura pro ecclesiasticæ seditionis amplificandæ studio ad Romanos Pontifices transfudit: de quibus inferius suis locis agetur. Nunc nonnulla a Nicolao collata sacra beneficia adjungemus.

LXII.

(d) Lib. 4. ep. 398.

Prosecutus est Joannem ducis Brabantiæ majorem natu filium (d) ea prærogativa, ut in ara portatili divinam rem a sacerdote peragendam curaret: *Devotionis tuæ precibus benignum impartientes assensum, auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut capellanus tuus habere possit altare portatile cum debita reverentia, & honore, & in illo tibi & familiæ tuæ ubicumque fueris, in loco videlicet congruo & honesto, absque juris alieni præjudicio, missarum solemnia celebrare. Datum apud Ur-*

NOTÆ [1] RES conciliaris anni hujus illustratione, correctione, atque additionibus permaxime indiget. Igitur, ut hinc ducamus exordium, constitutiones Gerardi, quarum meminit annalista, easdem illas esse credo quas idem Gerardus A. S. per Siciliam legatus in Melfitano concilio habito anno 1287. vulgavit; de quo concilio, a PP. Martene & Durand in collect. monum. to. VII. producto, ad eundem annum 1287. egi.

In collectione Labbeana to. XIV. col. 1197. Ven. edit. anno huic assignatur concilium Londinense, in quo Judæorum ejectio decreta fuit. Hujus chronologiæ assertor hic exhibetur Bzovius in annalibus; sed forte viro docto non satis exploratus fuit verus annus, cui Concilium istud alligaretur. Ex chronico Trivetti, qui tunc in Anglia florebat, discimus anno 1289. Eduardum Angliæ regem conventum Procerum, *Parliamentum*, tenuisse Londini, in quo Judæorum expulsio decreta fuit; quin & pro illa indulsit populus regi *quintadecimam partem bonorum*. Hoc ipsum esse concilium, quod præ oculis habuit Bzovius, vix dubito; nec tamen abnuo fieri potuisse ut aliæ leges conderentur quas Bzovius commemorat, & præterit Trivettus, quas leges, velut ecclesiæ iniquas, superveniens post biennium legatus abrogaverit, prout idem Bzovius testatur. Cæterum huic anno forte assignandum erit concilium Andegavense ab episcopis Turonensis provinciæ celebratum die dominica ante festum purificationis B. M. V. Mentio hujus superest in literis capituli Majoris monasterii directis decano & capitulo Turonensi, excusantibus abbatem suum, si legitime impeditus, a concilio abfuerit. Datæ sunt *illa die Jovis ante conversionem B. Pauli apostoli anno* 1291. Forte tamen concilium istud ad sequentem annum referendum est, cum Galli non raro veterem stilum exordiendi annum a martio, sequerentur. Præsertim cum concilium illud authoritate apostolica celebratum fuerit, quod designare videtur indictum illud fuisse ad obsequendum jussionibus Nicolai pontificis, qui post casum Ptolemaidis nempe post diem XVIII. maii anni 1291. encyclicis literis archiepiscopos omnes ad habenda provincialia concilia invitavit. MANSI

Urbemveterem kal. auguſti anno IV. Congerenda hic alia videntur beneficia, quæ Nicolaus hoc anno aliis impertiit. Archiepiſcopo Biſuntino in primis permiſit, (a) ut Grajaci academiam excitaret; Bononienſi vero academiæ, (b) ut qui in eo collegio approbatus eſſet, in cæteris omnibus academiis docere poſſet.

Academia Grajaci inſtituta a Biſunt. archiep. (a) Lib. 4. ep. 55. (b) Ib. ep. 435.

Præterea ampliſſimam criminum condonationem iis impertiit, (c) qui baſilicam Lateranenſem ſtatis diebus daturi preces numini adirent.

(c) Ib. ep. 108.

LXIII. Lateranenſem baſilicam adituris propoſitæ indulgentiæ.

Ut renati fonte baptiſmatis Apoſtolorum ipſorum, ac aliorum ſanctorum, quorum ſacræ reliquiæ in eadem baſilica, nempe Lateranenſi, *requieſcunt interceſſione, ac noſtræ remiſſionis munere mereantur in loco æternæ paſcuæ collocari, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui ad præmiſſam baſilicam ſingulis diebus, in quibus in ipſa ſacroſancta icona aperta permanet Salvatoris; necnon in ſingulis prædictorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & beatæ Agnetis, Romanis videlicet, Campanis, & Marchianis, & aliis de provinciis circumadjacentibus, de omnipotentis Dei miſericordia & eorumdem Apoſtolorum auctoritate confiſi, quatuor annos, & quatuor quadragenas, Tuſcis, Apulis, & Lombardis quinque annos & quinque quadragenas; Ultramontanis, & maria tranſeuntibus ſeptem annos & ſeptem quadragenas; illis vero qui in ſingulis beatæ Mariæ virginis, necnon Bartholomæi, Thomæ, & Mathiæ Apoſtolorum, ac ſanctorum Laurentii, & quadraginta martyrum, ac beatæ Euphemiæ feſtivitatibus, & per octo dies feſtivitates ipſas immediate ſequentes cauſa devotionis acceſſerint annuatim, duos annos, & duas quadragenas, & illis qui ſingulis diebus totius anni, unum annum & quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Dat. apud Urbemveterem x. kal. aprilis anno IV.*

Indulgentias etiam iis tribuit, (d) qui eleemoſynas ad principis templi Urbevetani fabricam perducendam conferrent, cujus ipſe primum in jaciendis fundamentis lapidem apoſtolicis manibus conſecrarat, poſueratque, ut ipſe his verbis teſtatus eſt: *Noſque in ipſius eccleſiæ fundamento pro reverentia ipſius Virginis glorioſæ primarium lapidem benedictum, dilectis fratribus noſtris ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalibus nobis aſſiſtentibus, propriis manibus duximus collocandum.* Suſcepit quoque Pontifex idem clientelam virorum religioſorum urbani xendochii S. Mariæ in Saxia (e). Hæc de privilegiis ſuffecerint. Jam nonnulla nobis de ejus ſeveritate, atque in tuenda libertate eccleſiaſtica & clericis a potentiorum tyrannide vindicandis ſunt attexenda.

(d) Ib. ep. 450. Urbevetani templi fundamenta a Nicolao jacta.

(e) Ib. ep. 298.

Non parum ipſi laborandum fuit, ut Salisburgenſis eccleſiæ jura contra Othonis ducis Bavariæ potentiam defenderet, qui nonnulla fœdera iniquiora cum proceribus archiepiſcopi ſtipendiariis percuſſerat, quæ ſcriptis ad Othonem ipſum, (f) ac patriarcham Aquilejenſem literis convulſit: (g) aliiſque literis graviores querelas in eos proceres effudit, juſtiſſimaſque ob conflatam contra archiepiſcopum de ſubiiciendo Othoni Salisburgo conjurationem minas incuſſit (h).

Otho dux Bavariæ Salisburgum ſibi ſubiicere tentat. (f) Ib. ep. 532. (g) Reg. poſt eand. ep. Archiepiſcopi cauſam tuetur Nicolaus. (h) Ib. ep. 531.

LXV. Arguit Salisburgenſes iniqua cum Othone fœdera iniiſſe.

Circa curam quarumlibet eccleſiarum juxta paſtoralis officii debitum ſolicite vigilantes, contra illos, qui eccleſias ipſas earumque prælatos, præſertim eos, qui apud ſedem Apoſtolicam de ipſius ſedis beneplacito moram trahunt, in ſuis bonis, libertatibus, ſeu juribus offendere moliuntur eiſdem eccleſiis ac prælatis, tenemur defenſionis præſidio aſſiſtere opportuno. Sane venerabilis frater noſter Salzeburgenſis archiepiſcopus nobis graviter eſt conqueſtus, quod vos, non attendentes, ut convenit, quod ex debito fidelitatis, quam Salzeburgenſi eccleſiæ ac prædeceſſoribus dicti archiepiſcopi pro ipſis eorumque ſucceſſoribus dicimini præſtitiſſe, teneamini non ſolum eccleſiam & archiepiſcopum prædictos moleſtiis ſeu injuriis non afficere, ſed eos ab aliorum oppreſſionibus ſuper ejuſdem eccleſiæ bonis, immunitatibus, & juribus, ipſos temere impetentium, pro viribus defenſare, cum nobili viro Othone duce Bavariæ conjurationes, confœderationes, & pacta inire, voſque civitatem Salzeburgenſem, nec non caſtra & oppida ad ipſum archiepiſcopum & eccleſiam pertinentia, in quibus omnibus iidem archiepiſcopus, & eccleſia temporalem & ſpiritualem juriſdictionem obtinere noſcuntur, eidem duci ſubmittere, quantum in vobis extitit, nonſine damnabilis temeritatis audacia, præſumpſiſtis; promittentes nihilominus, datis ſuper hoc patentibus literis, ſeu corporaliter præſtitis juramentis, quod dicto duci uſque ad unum annum cum civitate, caſtris, & oppidis ſupradictis, ac omnibus munitionibus, viis, & clauſuris, quæ ad archiepiſcopum & eccleſiam prædictos pertinent in Bavaria, obedietis & plenarie intendetis, & quod nullum in civitate, oppido, vel caſtro eodem inducetis, vel etiam recipietis in ipſis per præfatas vias ſive clauſuras contra ducis ejuſdem beneplacitum voluntatis.

Poſt pacta vero hujuſmodi taliter attentata officiales dicti ducis, cui alias meminimus preces per noſtras literas direxiſſe, ut haberet pro Apoſtolicæ ſedis reverentia præfatos archiepiſcopum & eccleſiam commendatos; propter quod decuiſſet eumdem

Occupari eccleſiæ Salisburgen. arces a duce Bavar. paſſos.

dem per ſe ſuoſque miniſteriales ſaltem ab ipſorum eccleſiæ ac archiepiſcopi gravaminibus abſtinere; partem civitatis prædictæ, caſtrum Foramis, & in Raſtat, & quædam alia oppida, poſſeſſiones, & jura eccleſiæ memoratæ præfati ducis nomine per violentiam occuparunt: ſicque occaſione præmiſſorum ſubditi eorundem archiepiſcopi & eccleſiæ ab obedientia & fidelitate, ipſi archiepiſcopo debitis, ſubtrahuntur; eique facultas adimitur non ſolum percipiendi ſuos archiepiſcopales reditus & proventus, ac utilitates ipſius eccleſiæ procurandi; verum etiam ad eandem eccleſiam ejuſque terras libere accedendi. Quare idem archiepiſcopus nobis humiliter ſupplicavit, ut providere in hac parte ſibi, & eidem eccleſiæ de opportuno remedio curaremus. Nos igitur attendentes, quod ſi præmiſſi veritate nitantur, hujuſmodi conjurationes, confœderationes, ſubmiſſiones, promiſſiones, ſeu pacta in ipſorum archiepiſcopi & eccleſiæ præjudicium ſic de facto præſumpta; nec non & literæ exhibitæ, ac juramenta præſtita ſuper illis de jure nullam obtinent firmitatem; & ideo ſubmiſſiones, promiſſiones, confœderationes, pacta, & juramenta ipſa non ſunt aliquatenus obſervanda: diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus illa tanquam cujuſlibet robore firmitatis omnino carentia nullatenus obſervetis; ſed, ipſis nequaquam obſtantibus, eidem archiepiſcopo tanquam patri & paſtori animarum veſtrarum, veſtroque domino temporali obedire, ac intendere ſtudeatis. Alioquin venerabili fratri noſtro patriarchæ Aquilejenſi noſtris damus literis in mandatis, ut vos ad id, ſi ei de plano & ſine ſtrepitu judicii conſtiterit de prædictis modo prædicto, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellat; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis: non obſtante ſi vobis a ſede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, aut interdici non poſſitis per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. apud Urbemveterem x. kalend. octobris anno IV.

Refcindit ipſorum coitiones & pacta.

Significat demandatam patriarchæ Aquil. provinciam, ut ipſos ad archiepiſcopi obſequium adigat.

LXVI. Maynardus Tyroli comes Brixienſis & Tridentini epiſc. jura invadit. (a) Lib. 3. ep. 171. (b) Reg. poſt eand. ep. (c) Ibid. (d) Lib. 4. ep. 129.

Nec minus tunc in Brixienſem ac Tridentinam eccleſias graſſante Maynardo Tyroli comite eodemque duce Charinthiæ, fuit Pontifici deſudandum: protervum enim principem, diripiendarum Crucifixi opum avidum, graviſſimis verbis monuit (a), ut erepta Brixienſi epiſcopo bona reſtitueret, ejuſque culpæ ſocium Albertum Goritiæ comitem arguit: (b) tum apud Regem Romanorum, atque Albertum ducem Auſtriæ inſtitit, (c) ut reddi ablata imperarent. Cumque hæc parum proficerent, ſolicitavit Rodulphum (d), dum ſuperſtes erat, ut Maynardum, ni ablata reſtitueret, imperiali aula depelleret.

Nicolaus &c. chariſſimo in Chriſto filio Rodulpho Regi Romanorum illuſtri.

Fili chariſſime; ſi debita conſideratione diſcutias, patenter advertes, dictum ducem (nempe Maynardum Charinthiæ eundemque comitem Tyrolenſem) *gravi ſacrilegio involutum, per tam juſtam excommunicationis ſententiam a communione fidelium ſeparatum, ab omnibus tuis conſiliis & ab omni tuæ participatione curiæ, hujuſmodi ſua durante perfidia, ſeparandum. Decet enim excellentiam regiam, immo etiam juris neceſſitas interpellat, tam manifeſtum ſacrilegum, tam notorium clavium Eccleſiæ ſibi ſubditum compeſcere contemptorem, ut temporali confuſione coactus, ſatisfaciendo de ſic manifeſtis, ſic damnatis exceſſibus ad ſinum matris Eccleſiæ redeat, viam ſalutis repetat, & ipſam, quam in eo cunctiſque fidelibus affectamus, æternaliter Deo propitio conſequatur. Ideoque rogamus ſerenitatem regiam, & hortamur attente, quatenus ad reductionem dicti ducis a tantæ averſionis invio, inſtar Samaritani vino uſurus & oleo, ut ad noſtra & Eccleſiæ mandata humiliter redeat; ac epiſcopo & eccleſiæ memoratis eorum bona & jura plene reſtituat, eiſque de tantis injuriis atque damnis debitam ſatisfactionem impendat, & ſalubribus perſuaſionibus inducere ſtudeas, & ipſum, ſi tuis conſiliis & exhortationibus non acquieverit in præmiſſis, hujuſmodi ejus averſione durante, ab omni tuo & ejuſdem curiæ participio excludere non omittas. Scire quidem regiam excellentiam volumus, & explicite duci memorato prædici, quod niſi beneplacitis dictæ ſedis & noſtris ſe celeriter coaptaverit in prædictis, præfatis epiſcopo & eccleſiæ reſtitutionem plenariam faciendo, & ſatisfactionem, ut præmittitur, impendendo, nos præter ſpirituales & temporales proceſſus contra eum habitos & habendos in poſterum, prout, ejus contumacia & protervia indurata meruerit, contra eundem ad executionem omnium proceſſuum adverſus eum habitorum, & etiam habendorum, regalis tuæ potentiæ brachium, & etiam aliorum, quos ad hoc putabimus opportunos, diſponimus invocari; omni via, quam Dominus miniſtrabit ad coercendam ejus malitiam proceſſuri, quouſque ad cor rediens ſatisfaciat de commiſſis. Illam itaque in iis diligentiam & ſolicitudinem circumſpectio regia ſtudeat adhibere, ut devotionem tuam, quam in hoc promptam cupimus inveniri, condignis laudibus attollamus; tuque advocatum eccleſiarum ſolicitum, & ſtrenuum defenſorem ipſorum per effectum operum te oſtendas, ac præfata Romana eccleſia, quæ te gerit in viſceribus charitatis, di-*

Cenſuræ illi incuſſæ.

Imploratа adverſus ipſum Regis Romanorum potentia.

gnæ præsumere meritoque sperare valeat, quod sub tuæ præsidentiæ tempore libertas ecclesiastica reflorebit, statu lætabitur prospero, & votivis proficiet incrementis, repressis & conculcatis omnino temerariis ausibus malignorum. Quidquid autem super iis actum fuerit, regiæ serenitatis apicibus nobis petimus intimari. Dat. apud Urbemveterem x. kal. junii anno IV. Cæterum recurrente dominicæ ascensionis die sacro, Nicolaus Maynardum ducem, sistere se Apostolicæ sedi respuentem, defixum anathemate pronuntiavit; Tridentinæ ecclesiæ clientes sacramenti ipsi præstiti religione exolvit; vetuitque, objectis censuris, ulla ipsi obsequia exhiberi. Vicit tandem Maynardi pervicaciam Nicolai constantia: cujus resipiscentis, in gratiam Ecclesiæ restituendi, ubi fecisset satis, provinciam Ruffino abbati tradidit (*a*). Multis etiam pro defendenda in Anglia libertate ecclesiastica literis repetendæ (*b*) eædem querelæ fuerunt apud Eduardum Regem, non licere nimirum, ut vidimus, pontificia diplomata judicibus deferri; atque alia mala grassari, quæ nondum sustulisset.

Subditi Maynardi comitis fidei sacramento soluti. Erepta restituere pollicetur ecclesiæ.
(*a*) *Lib.* 4. *ep.* 364. Defensa in Angl. libertas eccles.
(*b*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 28.

LXVII. Brixiani ejectæ factionis odio vetant jungi inter cives & exitiosos affinitates.

Supereſt ut nonnulla de Pontificis studio in seditionibus populorum, quæ hactenus Italiam laniarant, extinguendis asseramus. Ejecerant eo furore perciti Brixiani civium partem quos tanto sunt odio infectati, ut vetuerint, ne quis cum iis, aut nepotibus, vel ipsorum studiosis affinitatem contraheret. Quæ res cum æterna odia altura esset, iniquam legem Pontifex hoc diplomate rescidit (*c*).

(*c*) *Lib.* 3. *ep.* 714.

Dilectis filiis potestati, capitaneo, antianis, populo, consilio, & communi civitatis Brixiæ.

Ad audientiam nostram non sine admiratione pervenit, quod olim civitate Brixiensi, instigante humani generis inimico, in duas partes divisa, & per vos parte altera partim exbannita, & partim ad confinia relegata, omni prorsus humanitate abjecta, contra legem divinam ausu temerario dicimini statuisse, seu ordinasse, ut nullus civitatis & districtus ejusdem cum aliquo partis prædictæ extrinsecæ, vel * *eis descendente, seu conjuncto, vel adhærente parti prædictæ matrimonium aliquod seu sponsalia, aut parentelam contrahere, vel inire, vel inita perficere audeat, & quod nullus publice vel occulte ad hoc operam, consilium, auxilium, vel favorem dare præsumat: contrahentes vero & consentientes, necnon hujusmodi matrimoniis, & sponsalibus operam dantes graves pœnas incurrant. Quorum quidem statutorum & ordinationum occasione contra præceptum Dei vestras injustitias facere præsumentes, nonnulla matrimonia ac sponsalia inita & contracta inter aliquos de parte prædicta, de facto ausu temerario divisistis & impedire præsumitis, ne contrahentes remaneant in matrimoniis sic contractis; & nonnulla alia statuta edidistis in odium partis extrinsecæ supradictæ, ac etiam alia, quæ ecclesiasticæ obviant libertati, ac redundant in animarum vestrarum periculum, & scandalum plurimorum, ac derogationem ecclesiasticæ disciplinæ.*

* ab

Correpti a Nicolao æterna alere odia.

Quia vero nostra interest super hoc de salubri consilio providere, cum matrimonia debeant esse libera, & in hujusmodi spiritualibus causis nulla sit vobis disponendi attributa facultas, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus statuta, reformationes, seu prohibitiones, & ordinationes hujusmodi, quocunque nomine censeantur, vel quæcunque alia in odium dictæ partis extrinsecæ contra ecclesiasticam libertatem edita, quæ ex nunc revocamus, & nullius decernimus esse momenti, de capitularibus vestris abradi, & aboleri penitus faciatis; illis non utendo de cætero, nec ipsa, vel consilia in capitularibus ipsis faciendo inseri, vel rescribi. Alioquin dilectis filiis archipresbytero Veronensis & archidiacono Pergamensis, ac Dalfino de Cabiaueta canonico Cremonensis ecclesiarum damus nostris literis in mandatis, ut ipsi, vel duo, aut unus ipsorum per se vel per alium vos omnes & singulos ad id, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, auctoritate nostra compellant. Dat. apud Urbemveterem id. februarii anno III.

Iniquam legem rescindere jussi.

Objectæ ni pareant censuræ.

LXVIII. Claudimus hunc annum insigni prodigio sæculorum omnium futurorum admiratione ac prædicatione celebrando. Eodem hoc anno quo amissam Syriam luximus, contingit, ut fert traditio, sacram illam domum, in qua, salutante Angelo, B. Virgo Christum Spiritus sancti virtute conceperat, olim ab Apostolis in sacelli formam redactam, in Europam ministerio Angelorum translatam fuisse, atque Tersactum inter & Flumen Dalmatiæ oppida in montis leviter assurgentis imminentisque Adriatico mari æquata planitie collocatam, quod loci spatium ab eo, unde translata est (*d*) vastissimo intervallo distat: Nec est, ut cum Baronio (*e*) loquar, *quod quis de re gesta dubitet, qui memoria repetat illic dictum esse ab Angelo non esse impossibile apud Deum omne verbum. Fidei Christianæ esse prædixit Christus, ut & montes Christianorum imperio e loco in locum transferrentur: præstiterunt hoc complurures sancti, & inter alios Gregorius ille magnus cognomento Thaumaturgus: complura enim id generis certa auctorum fide reperiuntur miracula edita: sed in his modo non immorandum. Qui Nazareth inviserunt, ejusdem domus situm eadem omnino mensura signatum inspexerunt, accolis quod factum est fideliter attestantibus.*

Nazarethana domus divinitus e Syria in Dalmatiam translata.
(*d*) *Baptista Mantuan. Hieronym. Angelit. in opusc. Canis. l.* 5. *de Maria Deipara c.* 25. *Blond. l.* 1. *de illust. Ital. regione quinta.*
(*e*) *Bar. in annal. to.* 1. *ad ann. Christ.* 9.

De-

LXIX. Non detrahenda miraculo fides.
(*a*) *Turfell. Lauretan. hist. l.* 1. *c.* 2.

Describit pluribus dignissimam fide historiam Turfellinus e vetustis publicis monumentis, e quo (*a*) hæc a nobis visa sunt delibanda: *VII. id.* inquit, *majas Nicolao IV. Pontifice maximo, ut Illyrici annales perhibent, Deiparæ domus asportatur in Europam, cladem orientis tanto occidentis bono compensans. Sunt qui facultates Joachimi patris B. Mariæ spectantes, non tam domum ejus, quam cubiculum putent a cætera segunctum domo. Me quidem haud pœnitet eorum sententiæ esse, quibus simul cubiculum fuisse & domum Virginis, id est, tecti paterni partem præcipuam placet. Argumento est, ut de fictilium armario, quod inibi visitur, janua longe major, quam pro modo cubiculi a cæteris ædibus separati. Nec Joachimi fortunæ movere nos debent: Nicephorus quippe Callistus tradit, Deiparæ virginis parentes propter bellicos Judææ tumultus ex oppido Bethlemo, avita sede, in Galilæam commigrasse, & Nazarethi domicilium collocasse, ut intelligamus hanc non avitam, sed paternam Virginis fuisse domum, parum fortasse dignam paternis opibus, cæterum ut temporis causa parata haud sane incommodam, nec ab antiquæ illius simplicitatis studio abhorrentem. Omnino talis est, ut eximium illum B. Mariæ amorem paupertatis spirare videatur. Sed sive illud cubiculum, sive domicilium Deiparæ fuit; certe ab Apostolis dedicatum, ut supra diximus, & in templi formam redactum Christiani deinceps excoluerant ornaverantque.*

In quo loco sita sacra ædicula.

Hac igitur ædes ejus vi ac potestate, qui ad preces D. Gregorii Thaumaturgi montem olim sede sua motus alio transtulit, in gratiam cœlitum Reginæ a fundamentis avulsa est, atque haud dubio Angelorum ministerio inde usque a Galilæa, mirum dictu adituque, per ingentes terrarum marisque tractus in Dalmatiam translata: quippe id spatium patet amplius vicies centena passuum millia, Tersactum inter & Flumen (oppida sunt Dalmatiæ) leniter acclivis mons eminet, quo in summo æquata agri planities sedem efficit peramœnam, Adriatico imminentem mari, quod olim crebris fœdisque tempestatibus infame ex eo tempore satis mitigatum ferunt. Credas Virginem insanos freti illius æstus cellæ suæ objectu cohibere voluisse, ut vel hinc coniceremus quid ipsa effectura esset in mortalium vita, quæ variis quotidie casibus, & quasi procellis agitatur. Hic igitur Nazarena domus velut præcipua tutela periclitantium a cœlestibus ministris Deiparæ jussu sita est secunda circiter noctis vigilia.

Descriptio illius uti tum erat.

Ut primum divinæ liberalitatis donum accolis lux ostendit, enimvero animos rei novitate attonitos, non admiratio tantum, sed etiam religio incessit. Ergo qui prius aberant, ut quisque primus rem notaverat, certatim visendi studio accurrunt. Ædiculam conspiciunt fastigiato tecto, & simul camini culmine sublimi tintinnabulo insignem: at nulla re magis quam vetustate visendam. Protinus limen ingressi prosternere humi corpora: Deum venerari, sacro quodam horrore pariter gaudioque perfusi; inde, orato Christo Christique Parente, quorum simulacra cernebant, cuncta otiose contemplari, & perlustrare oculis cœperunt. Sacellum animadvertunt figuræ quadrangulæ ob longæ e vulgari structum lapide. Tectum perbelle laquearibus concameratum, quod modicis distinctum quadratis, cæruleoque colore obductum inauratæ stellæ, velut in cœlo quodam intermicantes honestabant. Sub tecto laqueato eminebant undique e parietibus modica specie semicirculi se mutuo contingentes, quos medios pictæ adornabant capedines. Parietes cubitali ferme crassitudine, non ad perpendiculum, neque ad regulam exacti, loricati tamen opere tectorio. Huic superinducta antiquitus pictura ædis ipsius mysteria referebat: quæ superne multis locis hodie manet, inferne temporis vetustate defluxit. Ædis longitudo pedum amplius XL. latitudo minus XX. altitudo circiter XXV. in medio ferme pariete, qui olim, ut reor, faciem obtinebat domus: janua satis ampla, sed a vulgari usu haud sane abhorrens. Pro superliminari trabs rudis superjecta est. Ad lævam armariolum miræ simplicitatis, asservandis fictilibus aptum. Ad dexteram in proximo pariete fenestra non magna, e regione fenestræ caminus humilis, tenuisque opere, ut cætera vulgari. Inibi sublime loculamentum columellis in orbem striatis latera cingentibus conspicuum, arcusque ejusdem operis, quinque junctas pariter lunas imitante fastigiatum. In loculamento B. Mariæ stantis ac puerum Jesum altera manu medium amplexantis, altera sustinentis effigies cedrina fere bicubitalis: cujus facies electro argentum referente oblita, sed luminum infuscata fumo. Cæterum illa ipsa infuscatio antiquitatis ac religionis index, impense auget virginalis oris majestatem. Gemmata corona sublimem distinguit verticem. Discriminati crines Nazarenorum ritu per nuda colli & humeros fluunt: simulacrum stola aurea tegit latiore zona gentis more succincta, demissaque ad pedes. Palla cœrulea stolæ superinducta pendet ex humero: utraque in eodem trunco cœlata pictaque. Insistit maternæ dextræ puer Jesus mortali specie augustior, divinæ cujusdam majestatis indolem vultu præferens. Priores dextræ digitos bene precantis in morem tollit. Sinistra aureum tenet globum. Et ipse discriminato capillo, tunica talari, zonaque Nazarenum habitum refert. Ante Deiparæ effigiem ara solida e saxo quadrato vi-

Dalmatarum in ea visenda stupor.

situr, spirans sanctitatem. Dalmatæ igitur cuncta per otium contemplati, etsi quid tandem rei esset ignari, communi tamen consensu ita statuunt, quidquid sit, profecto donum id esse divinum: neque enim ædem illam repente humo excitatam, sed aliunde Dei nutu, ac voluntate utique advectam. Igitur inde digressi, ut quisque obvius fit ab se visa commemorant. Nec mora, mortalium plerique, atque in his ægrorum nonnulli ad novum tantæ rei spectaculum confluere, aliquid inde opis expectare: nec sua eos spes fefellit. Loci religio sanis corporibus mentis fere sanitatem, ægris etiam morborum curationem impertiebat.

LXX. Affecti divinis ad eam accedentes beneficiis.

Æstuantibus Dalmatis, quæ illa tandem ædicula esset, vel unde advecta, Virgo Alexandro episcopo Tersactensi ægro in ancipiti vitæ discrimine trahenti animam, poscentique opem, nuncupato voto, cœleste hoc visum objecit: *Intempesta (a) nocte somnum inter & vigiliam Dei Parens repente cœlo delapsa, cœlestibus latera tegentibus, se illi obtulit, cubiculumque omne clarissima luce complevit. Mox benigno vultu: Bono animo, inquit, esto fili. En vocata adsum, præsentem tibi optatæque rei notitiam ferens. Sic igitur habeto, sacram ædem vestris nuper illatam finibus illam ipsam esse domum, ubi ego olim genita, ubi ferme educata sim. Hic ego Archangeli Gabrielis nuncio Spiritus sancti opera divinam concepi sobolem. Hic verbum caro factum est. Ergo post nostrum excessum, domum talibus mysteriis insignem Apostoli consecrarunt celebrarunt que, certatim rem divinam inibi factitantes. Ara pariter cum æde allata ea ipsa est, quam Apostolus Petrus sacris initiavit. Christi crucifixi imago, quæ cernitur, olim ab Apostolis inibi posita: simulacrum porro cedrinum effigies nostræ est, Lucæ Evangelistæ manu, qui pro familiaritate, quæ illi nobiscum intercesserat, nostram similitudinem coloribus, quantum martuli fas erat, expressit. Hæc igitur dilecta cœlo domus, per tot ætates in Gali-*

(a) Cap. 3. ex annal. Flumen & Hieronym. Angelit.

Deiparæ species Tersactensi episcopo objecta.

lææ maximis honoribus culta, nunc demum, deficiente cum fide cultu, ex oppido Nazaretho ad vestras migravit oras. Nec dubia fides: Deus facti auctor, apud quem impossibile non est omne verbum. Cæterum ut horum tu ipse sis testis, idem præcove, sanus esto. Tua ex longinquo morbo subita valetudo fidem miraculi faciet. Hæc effata sublimis abit in cœlum, cœlesti quodam odore in tectis relicto. Id vero non ludibrium sopitæ, aut ægræ mentis, sed veram fuisse speciem rei ostendit eventus. Protinus antistes, mista pavori lætitia evigilans, totus sudore fluere cœpit, depulsaque repente febri, valens ac vegetus surgit e lectulo. Mox non magis valetudine, quam Nazarenæ domus indicio lætus submittit genua & oculos pariter, manusque in cœlum tollens, Deo ac Deiparæ Virgini pro duplici beneficio multiplices grates agit.

Rei certiorem facit.

Valetudinem ægro restituit.

LXXI. Missi exploratores in Syriam.

Motus eo miraculo Nicolaus Frangipanius Dalmatiæ, Croatiæ, & Istriæ præ tor ad indagandam avectæ e Syria sacræ domus veritatem fidos exploratores mittere Nazarethum constituit. Quæ vero retulerint visa, ex annalibus Fluminis oppidi & Hieronymo Angelita refert memoratus auctor (b): *Impensius inquirentes comperiunt ex incolis non tam re, quam verbo Christianis domum natalem B. Virginis inde paulo ante sublatam.* Et infra: *Cernunt, eisdem monstrantibus, aream ubi sacrosancta domus steterat: cernunt fundamenta recentia sanctæ domus avulsæ vestigia. Dimensi longitudinem ac latitudinem areæ, fundamentorumque crassitiem reperiunt omnia cum translatæ in Dalmatiam ædis, parietumque mensuris, quas ad id secum attulerant, prorsus congruere, tempus quoque augusti sacelli illinc ablati avectique in Illyricum convenire. Ergo effusa cum lætitia & gratulatione domum revecti Frangipanio prætori explorata renuntiant.* Ut vero augusta illa domus e Dalmatia in Picenum divino nutu deportata fuerit, ingentibusque miraculis illustrata suo loco dicemus.

(b) Eod. lib. c. 4.

Visa congruere veritati referunt.

E Dalmatia in Marchiam Ancon. postea deportata eadem sacra ædicula.

Con-

I.

COnfudit conceptam de repetenda armis Syria Christianorum spem atque expectationem Nicolai sanctissimi Pontificis obitus, qui Servatoris anno millesimo nonagesimo secundo supra millesimum ducentesimum indictione quinta, ingentem universæ Ecclesiæ luctum attulit. Mox enim Christi fidelium ardor, qui illius hortatibus sub crucis signa coibant, defervebuit. Sed prius quæ in extremo vitæ suæ actu perfecerit, quantumve studii pro instauranda in Asia Christiana re posuerit, exponenda sunt. Ejectis e Syria, vel servitutis jugo oppressis Europæis, Saraceni victorias in vicina Christianorum regna proferre pararunt; & Armeniam, quæ hactenus occidentalium auxiliis armisque conjunctis munita eorum conatus fregerat, undique armis ac periculis circumfuderunt. Illico Armeni supplices ad Romanum Pontificem ac principes Christianos manus tendere, ut opem Christi cultoribus, & eodem quo ipsi Redemptoris sanguine ablutis maturarent. Functi sunt legatione apud Nicolaum Armenorum Regis nomine nonnulli Minoritæ, & Gaufridus Comitissæ, quos Pontifex ad Galliarum Regem dimisit, ut ipsum ad fidei Christianæ in Asia periclitantis patrocinium suscipiendum permoverent, precesque apostolicas cum Syrorum Armenorumque suspiriis conjunxit (a): *Regni Armeniæ statum miserabilem attendentes.* Et infra: *Charissimi in Christo filii nostri Regis Armeniæ illustris nuncios tuæ magnificentiæ in Domino commendamus, rogantes quatenus eosdem, ad celsitudinis tuæ præsentiam accedentes, pro divina & Apostolicæ sedis reverentia benigne suscipias, & in negotiis præfati Regis, quæ tibi exposuerint, prout regiam decet mansuetudinem, aurem pietatis adhibeas, & animum regiæ propitiationis impendas. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem* x. *kal. feb. anno* IV.

Saraceni in Armenos impetus convertunt.

Missi ad occidentalium auxilia imploranda ab Armen. Rege oratores.

(a) Lib. 4. ep. cur. 85. Nicolaus Regem Francorum ad ferendam Armeniæ laboranti opem excitat.

II.

Parum valuere hæ preces apud Philippum, cum aliis bellis se implicuisse visuri simus. Porro Pontifex Templariorum & Hospitalariorum equitum magistros, ac Rogerium e Thodinis classis Romanæ ecclesiæ pro Syria tuenda præfectum triremes egregie instructas in Regis Armeniæ auxilium submittere jussit (b). Tum etiam, ne in ullo ad servandas Christianorum reliquias muneri suo deesset, literis apostolicis fideles ad crucis signa excivit, (c) ut in Armeniam ad religionem defendendam contra impetus Saracenorum provolarent.

(b) Ib. ep. cur. 86. & 87.

(c) Ib. ep. cur. 84.

Universis Christi fidelibus, ad quos literæ istæ pervenerint.

Tua mater Ecclesia super filios in manus impiorum datos tenera dilectione deplorans, si quas invenit illorum reliquias non consumptas, illas conservare conatur, & maternæ pietatis auxiliis confovere. Cum igitur regnum Armeniæ in medio perversarum nationum positum, & sicut oves inter lupos inimicos crucis noscatur inclusum, & ad sui tuitionem fidelium egeat subsidiis adjuvari; nos, qui ipsius matris Ecclesiæ gubernacula, Domino disponente, suscepimus, præfati regni notificatum nobis statum miserabilem attendentes, & paterno illi compatientes affectu, universis Christi fidelibus, qui signo vivificæ crucis assumpto de cismarinis partibus ad defensionem præfati regni contra hostes crucis accesserint, indulgentias, privilegia, & gratias concedimus, quæ transfretantibus in Terræ sanctæ subsidium sunt concessæ. Regi vero, & incolis dicti regni ac aliis de ultramarinis partibus ad ipsius regni defensionem convenientibus, qui in defensionem hujusmodi sub confessione catholicæ fidei, quam Romana tenet, & docet ecclesia, vitam finierint, indulgentias, & gratias concedimus memoratas; concessionibus hujusmodi usque ad futurum proximum in prædictum subsidium generale passagium valituris. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem x. *kal. februarii an.* IV.

Propositæ indulgentiæ sacrum bellum pro defendenda Armenia inituris.

III.

Professos plures fideles sacram in Saracenos, accepto crucis symbolo, militiam, instructamque Pontificis jussu classem conscendisse, ut Ptolemaidis excidium ulciscerentur, lapsasque res instaurarent, refert Sanutus; (d) ac munitissimam Turcorum arcem Quandelorium dictam tentasse iterum, sed irrito ut antea conatu: deinde invectos in Ægyptum Alexandriam oppugnasse, sed nostrorum impetus eludente hostium peritia, recepisse se in Cyprum; ac tum Sultanum efferatum in iras bellum Cypro inferre meditatum; cumque religionem ex universo oriente pararet excindere, non sine Dei providentia trucidatum a suis. Quæ ex eodem auctore in medium lubet adducere. *Cum ad aures summi Pontificis, Romanique capituli nova tam infelicia pervenerunt, afflictis fidelibus in insula Cypri viginti galeas continue transmiserunt, Cyprenses vero quindecim alias munierunt: quarum viginti quinque ad præoccupandum quoddam castrum, vocatum Quandelor, perrexerunt. Quod Turchi præsentientes taliter munierunt, ut nihil eis nocere potuerint. Inde autem recedentes, Alexandriam perrexerunt, & diebus aliquot immorantes, cum nihil egissent, in Cyprum reversæ sunt: pœnitentiæ enim lamentis noviter a Deo percussis potius, quam victoriis decebat intendere. Ille quoque sibi punitionem Saracen-*

(d) Sanut. l. 3. p. 13. c. 1.

III. Adornata expeditio.

Quandelor & Alexandria a Christiano exercitu frustra tentatæ.

cæ

cæ crudelitatis retinuit, qui in Deuteronomio ait: Videte quod ego sim solus, & non alius præter me. Percutiam, inquit, & ego sanabo, quoad fideles, quoad infideles autem sequitur: Reddam ultionem hostibus meis, & iis qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus devorabit carnes. Sequitur: Sanguinem servorum suorum ulciscetur, & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui. Quod utinam celeriter perficiat miserator & misericors Dominus. [1]

IV. Seraph Sultanus Cyprum expugnare meditatur.

Cernens autem Seraph, magnus ille persecutor nominis Christiani, post tantas victorias se ad bella iterum provocari, ubi maxime erat ipsius dominii principatus, ira exarsit: & convocatis admiraldis suis ait, quod capere vellet insulam Cypri, ter furiose replicans: Cypri, Cypri, Cypri. Propterea mandat parari centum galeas, ut opus hoc posset celeriter expediri. Illi sub ejus arrogantia timidi promittunt jussa perficere. Offusus quidem tantus est terror Cypriis, ut communi consensu decretum sit ad comparanda regno præsidia duos bysantios in singula capita ab insulanis contributum iri, ut literæ Bonifacii ad Regem Cypri excurrentis sæculi nonagesimo octavo anno datæ (*a*) testantur: *Tu dudum sex annis elapsis propter metum hostium fidei ad manutenendum armatos equites & pedites, nec non vasa marina ad tutamen & præsidium regni tui, quandam generaliter de assensu omnium ipsius regni collectam, vel talliam annuam, quæ testagium dicitur, ordinasti, videlicet duorum bysantiorum pro capite cujuslibet incolæ dicti regni, prælatis & clericis Latinis, Hospitalariis, Templariis, & Alemannis exceptis, &c.* Liberavit Cyprum ab imminenti periculo Deus, ac superbum Sultanum furori suorum objecit, ut prosequitur Sanutus: *Post spatium vero dierum paucorum, eisdem vocatis iterum ait, quia cogitatio ascenderat in cor ejus, post conquisitionem Cypri Baldacensem sibi subiicere regionem. Admiraldi videntes, quod tam arduæ præsumeret, talibusque eos laboribus periculisque exponeret, eum tradere morti deliberant, perficiuntque: dum enim ille ad venationem pergeret, per insidias trucidatur.* Tullisse meritas excisi Christiani cultus pœnas, ac male periisse consentit Aytonus. (*b*) *Melatesseraff ille fuit, qui cepit nobilem civitatem Accon anno Domini MCCXCI. postquam vero prædictus Soldanus Melatesseraff rediit in Ægyptum & quadam die iviſſet venatum, per quendam servum suum, fuit in nemore interfectus: qui dum crederet futurum se Soldanum, fuit statim ab aliis detruncatus.* His addit memoratus Sanutus, ut maxima inter barbaros concitata fuerit discordia, atque hostes de protrita fide Christiana exultantes justis a Deo pœnis affecti sunt.

(*a*) *Bonif. l. 4. ep. 217.* Novum vectigal impositum Cypriis ad comparanda armorum subsidia.

Sultanus Cyprum subigere meditatum.

Et Baldacensem regionem. A conjuratis necatur.

(*b*) *Ayton. hist. orien. c. 53.*

V. Barbari proceres, Ægyptium regnum affectantes, se mutuo trucidant.

Magna exinde inter admiraldos contentio oritur, quis eorum major esse debeat; & in plures vota dividunt, & tandem Bedeyre principatum vi obtinuit: sed in crastino cum suis extinguitur. Simili forma Gothbega successit illi, quem Leschin cum suis conformiter occidit. Qui similiter infra spatium dierum paucorum cum suis gladio percussus est, simulque Segay maximus admiraldus, quod Christianis multa mala intulerat: ac per hunc modum omnes pene magni admiraldi regni Ægypti cum suis fautoribus interempti sunt.

Fame & peste Saraceni afflicti.

Eodem etiam anno universus populus fame percussus est, ita ut major pars inedia periret; secutaque est pestilentia gravis, quæ etiam divites, & qui erant in deliciis occupavit. Licet enim voluntatem Dei fecerint in desertores evangelicæ legis, propter quod & justa fuit eorum potestas; voluntas tamen fuit iniqua, non enim servire intendebant decori justitiæ, sed Christianum nomen de terra eradere: unde & destruxerunt ecclesias, per terram & lutum trahentes cruces & sanctorum imagines, & hujusmodi multa agentes, quæ vindictam cœlestis Judicis merito provocarent.

Divina in eos obdeletum Christianum in Syria nomen ultio.

In

NOTÆ [1] CUm Nicolaus anno superiori missis undique literis Metropolitanos singulos monuisset ut habito Provincialium episcoporum concilio, quid opportunum esset ad rem præsentem terræ sanctæ consulerent; Nordricus, sive Rodericus Terraconensis archiepiscopus suffraganeos convocavit septem, absentibus cæteris & misso procuratore se se excusantibus. Concilium istud celebratum fuit Tarraconæ idibus martii hujus anni die sabbati, eademque occasione plures disciplinæ, & immunitati ecclesiasticæ apprime utiles canones editi sunt, quorum nonnulli sub expresso nomine canonum concilii sub Nordrico anno 1292. relati sunt in collectione canonum Tarraconensis provinciæ probata a concilio Tarraconensi anni 1329. quæ ex anecdotis Martenii recitatur in to. XV. concilior. edit. Veneto-Labbean. col. 364. Postmodum Martenius in collect. monum. to. VII. col. 289. Concilii hujus canones XIII. ex MS. codice vulgavit. At cum in XI. ex his canonibus laudetur *constitutio sanctissimi patris domini Bonifacii VIII. quæ incipit: Alma mater*; hinc discimus canones istos non plane omnes ad idem concilium anni 1292. pertinere; sed quos Martenius sub nomine canonum concilii anni 1292. vulgavit canones, fragmentum esse collectionis canonum in variis sub Nordrico, seu Rodrico conciliis editorum. Id enim perspicue demonstrat canon ille XI. superius indicatus, qui in collectione concilii anni 1329. tanquam editus in tertio concilio Roderici exhibetur. MANSI

VI. Eduardus Rex Angl. crucesignatus nova a Nicolao exigit pro Asiatica expeditione conficienda.

In hac rerum conversione præ se tulit Eduardus Christianæ rei in oriente redintegrandæ desiderium: sed præteritis non contentus, petiit omnium regnorum ac terrarum decimas, quorum principes in Syriam non proficiscerentur: tum omnes, qui voto profectionis obstricti essent, censurarum religione ad navigandum adigerentur; demum Cardinalis legatus itineris comes sibi tribueretur. At Nicolaus, collaudato ipsius zelo, subjecit (*a*), hæc sine aliorum præcipua injuria concedi non posse. Alfonso attributas Hispaniarum decimas; Galliarum, Germaniæ, & septemtrionalium regionum non posse: ita vero liberaliter cum ipso egisse Ecclesiam, ut cæteri principes queri possint; decimas nimirum Walliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Angliæ ipsi attribuendas: eos qui ad bellum futuri sunt idonei adactum iri, nec legatum defuturum est pollicitus.

(*a*) *Lib. 4. ep. cur. 88.*

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

Ferventis desiderii magnitudo, quam de recuperanda celeriter de manibus persequentium Terra sancta concepimus, pulsat animum, mentemque solicitat, ut tibi, qui velut athleta Christi, & Christianitatis propugnator egregius non sine divini numinis grandi dono & sonoro laudis humanæ præconio ipsius terræ negotio assumpsisti, & gratiosi favoris impendamus auxilium, & petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, annuamur. Venientes ad Apostolicam sedem dilecti filii nobiles viri Joannes de sancto Joanne ac Rogerius dictus Lestrange milites, regalis magnitudinis nuncii, tuas nobis literas de credentia præsentarunt. Nos autem, licet tam grandia & ardua, tamque gravia sub literis de credentia mitti, vel peti sine speciali causa mittentis, & recipientis, ac negotiorum qualitate pensata, non deceat; ac id, & merito, votis non accesserit nostris gratum; nihilominus nuncios ipsos, & literas affectione paterna recepimus, & tam quæ coram nobis, & fratribus nostris ex parte regia iidem proponere nuncii voluerunt, quam quæ prædictæ literæ continebant, benigne audivimus, & intellexisse diligenter.

Omnium regnorum decimæ, quorum Reges inter Asiaticum non suscipe-rent, postulatæ.

VII. Nuntiorum ad Pont. & Cardd. oratio.

Sane nunciorum ipsorum habuit discreta relatio, quod tu tanquam Rex inclytus princepsque catholicus, in quo devotionis & fidei plenitudo coruscat, perductis hactenus ad audientiam regiam infaustis mœstisque Terræ sanctæ rumoribus, quam, proh dolor! orthodoxæ fidei hostium non sine multo Christianitatis excidio, feralis occupavit immanitas, ac in desolationem, & ruinam ipsius scelestius furibunda desæviit; tanto propensius ad ipsius Terræ subsidium stabili firmoque proposito animum regium roborasti, tuæque mentis fervention affectus invaluit, & zelo uberioris extitit devotionis accensus; quanto majoris necessitatis articulis imminere, dictæque Terræ sanctæ necessaria potius fore dignoscitur accelerata subventio passagii generalis. Revera, fili charissime, in hujusmodi tam celebris tam felicis & acceptæ relationis auditu eo fœcundiorem concepimus infra pectoris arcana lætitiam, quo ad recuperationem celerem dictæ terræ votis ferventioribus aspiramus, exolventes propterea Deo Patri, a quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum, gratiarum devotas & humiles actiones; apud ipsum insistendo suppliciter, ut in hujusmodi subventionis auxilium mentem regiam de bono semper in melius igne desiderii propensioris inflammet.

Verum quia tibi tam verbo quam opere, sicut & nos decet & te, sicut etiam tibi hactenus manifestavit ecclesia animum nostrum, ac ipsius possibilitatem ecclesiæ intendimus ad tui certitudinem & nostri exoneretionem clarius aperire, super tua petitione, quæ nobis per tuos nuncios hactenus, & noviter per præfatos nuncios, quos misisti, fuit cum instantia repetita, ut de decimis, & obventionibus regnorum & terrarum, quorum quarumque Reges vel domini personaliter in Terræ sanctæ subsidium non transibunt, tibi provideret ecclesia, non videmus quod aliud respondere possimus, quam quod tibi & tuis nunciis ecclesia ipsa respondit, videlicet quod de decimis collectis in præfatis regnis & terris pro ipsius Terræ sanctæ subsidio, sublatis impedimentis, quæ tunc obstabant, nec novis supervenientibus, siquid erit de decima ipsa residuum, sic ipsius terræ negotio ac tibi in eodem providere disponimus, quod merito debebis & poteris esse contentus.

VIII. Respondet Pontif. ut eæ indictæ a concilio Lugdun. decimæ vel consumptæ, vel non colligi potuerint.

Et quidem, fili charissime, ne vagari possit tua cogitatio in incertum, latere te nolumus, quod tamen te ignorare non credimus, quod de decima regni Franciæ ad manus ecclesiæ nil pervenit. De terris vero Regi Castellæ subjectis, nihil unquam percepit ecclesia, cum felicis recordationis Gregorius Papa prædecessor noster, claræ memoriæ Alfonso Regi Castellæ ipsam decimam ex certis causis duxerit concedendam. De decima vero partium Alemanniæ & terrarum, quas continet regio aquilonis; sicut ipsius aquilonaris gentis non ignota conditio potest omnibus verisimiliter indicare, ac nobis hoc realiter patefecit, modicum respective ad ipsam ecclesiam noscitur pervenisse. Decimam siquidem Angliæ, Scotiæ, Vualliæ, ac Hiberniæ tu ipse nosti, tibi pro dicto Terræ sanctæ subsidio esse concessam. Quantum igitur sit in reliqua parte residuum, & ad quæ & quanta sufficere possit pro ipsius Terræ sanctæ subsidio, facile potest experientia tuæ claritatis computare. Nam

etiam

Quæ in Syriæ subsidium profuderit exponit.

etiam præter alia onera, & quasi profluvia expensurum, quæ pro attenuandis inimicorum viribus, ipsorumque commodis & potentiis minuendis, & pro commoditate, utilitate, ac effectu futuri passagii sustinuit hactenus, & assidue portat ecclesia, & habuimus hactenus, habemus & nunc pro ipsius terræ subsidio non modicum gentium numerum, & etiam galearum. Pro habendis autem decimis & obventionibus supradictis, & ad omnia impedimenta tollenda, quibus sublatis decimæ, ac obventiones ipsæ facilius habeantur, eadem ecclesia vigilavit hactenus, & laborare non desinit, ac successive opportuna studia & labores impendet, tibi & ejusdem Terræ sanctæ negotio de eo, quod ad ipsius manus ecclesiæ inde pervenerit, juxta suæ possibilitatis exigentiam, ut prædicitur, provisura.

Consulturam ipsi in quibus potuerit ecclesiam.

IX. Alteram partem decimæ constitutis legibus suppeditatum iri.

Super eo vero, quod petis de solutione residui decimæ Angliæ, Scotiæ, Vualliæ, ac Yberniæ, in proximo festo beati Joannis Baptistæ præstanda; tibi taliter respondemus, quod licet nec sciamus, nec adhuc scire possimus hujusmodi residui quantitatem, cum de istis nullam per eos, quibus commisit ecclesia, vel aliis adhuc certitudinem habeamus, tamen parati sumus implere: & ecce mandamus cum effectu, quicquid de hujusmodi residuo inter te & ecclesiam promissum extitit vel conventum, tibi sub modis & conditionibus appositis in præfato termino totaliter adimpleri. Petitionem vero tuam de decima Cisterciensis ordinis præteriti temporis sex annorum, qualiter cum effectu possimus admittere, non videmus; cum de ipsa decima, quæ in centum millibus librarum turonensium fuit gratiose taxata, nil adhuc ab ecclesia sit habitum vel receptum: & ipsum licet non habitum sed speratum est, pro galeis jam missis & transmittendis pro ipsius terræ subsidio necessitate urgentissima deputatum.

X. Compellendos crucesignatos, cum de tempore & loco ad quem confluant, sanctum erit.

Ut autem crucesignatos, qui personaliter in Terræ sanctæ subsidium transfretare tenentur, ad id auctoritate apostolica compellamus, nos sicut dudum tibi obtulimus, sic nos paratos offerimus compellere, quos temporis qualitas, & ipsorum conditio suadebunt, ac ipsa ecclesia expedire viderit compellendos. Sed ante ipsius compulsionis edictum decere putamus & congruum, ne tantæ multitudini illudatur, ne ex hoc aliquid ecclesiæ impingatur, quod tanta habeantur certitudo passagii, quod crucesignati possint spe certa sentire tempus & locum, in quo & ad quem debeant transfretare: nam alias & ipsi passagio & crucesignatis omnibus videretur illudi.

XI.

Quod vero ut legatum de fratribus nostris pro ipsius terræ negotio deputemus; sic sentire te volumus, quod cum passagium tuum senserimus præparatum, & legatum ipsum congruo modo petitum, aliquem de fratribus nostris, vel alium ad hoc deputabimus, prout Dei & ipsius ecclesiæ honori, & Terræ sanctæ negotio deliberatione provida videbimus expedire. Te autem, ut postulas, & omnes barones, & nobiles, ac militer, & alios qui tecum in Terræ sanctæ subsidium transfretabunt in Apostolicæ sedis protectionem & gratiam, quæ crucesignatis ex causa hujusmodi fieri solet & congruit, favorabiliter admittemus. Ad hæc scire te volumus, fili charissime, & attendere diligenter, nam & nos diligenter attendimus, quod non vidimus, non videmus, non intelleximus, nec audimus cuiquam Regum, vel principum nominis Christiani etiam pro tali negotio sic liberaliter, sic effuse, sic affluenter & abunde subventum fuisse ab ecclesia, vel provisum, quod etsi tuis præclaris meritis digne cedere videatur, non tamen sine murmurationibus & obloquutionibus plurimorum factum arguitur, qui de tam effusa largitate mirantur. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem II. *id. februarii anno* IV. At demum agitatæ tot annis sacræ expeditionis consilia Eduardus abjecit, stringendumque in Saracenos ferrum convertit in Gallos, ut sequenti anno dicetur. Nunc cœptam de eo orationem prosequamur.

Adjunctum iri ipsi legatum Cardinalem.

Angliam & crucesignatorum terras in clientelam Apost. sedis suscipiendas.

XII. Ferebat ille gravate, Angliam sedis Apostolicæ vectigalem esse, utque jura illius clam infringeret, petiit, ut census, qui Romano Pontifici solvendus erat, a nonnullis ecclesiis, quas ob id bonis amplissimis augeret, penderetur. Sed Nicolaus id ecclesiæ dignitati non congruere respondit. (*a*)

(*a*) *Lib.* 5. *ep. cur.* 2. Postulat Eduard. ut census pro regno Angl. solvendi onus in nonnullas ecclesias derivetur.

Eidem Regi Angliæ illustri.

Inter alia nuper nobis dilecti filii nobiles viri Joannes de sancto Joanne, & Rogerius dictus Lestrange tuæ celsitudinis nuncii ex parte Regia petierunt, quod cum providere intenderes, ut census annuus mille marcharum sterlingorum, ad quem ratione regni Angliæ ac Yberniæ nobis & ecclesiæ Romanæ teneris, non solum tuo, sed & successorum suorum temporibus pacifice persolvatur, concederemus quod census ipse in aliquibus ipsius regni ecclesiis de cætero persolvatur. Profecto, fili charissime, felicis recordationis Nicolao Papæ prædecessore nostro petitionem similem factam per te fuisse comperimus: qui tibi, cum fratribus suis præhabita deliberatione, respondit quod, cum id nec sedis Apostolicæ conveniret honori, nec tuis etiam utilitatibus expediret, non proponebat circa ea, quæ super eodem censu per suos prædecessores & tuos erant acta solemnius, & servata diutius, aliquid immutare. Licet igitur satis faciamus libenter, in quibus cum Deo possumus, votis tuis; scire tamen te volumus, quod hujusmodi prædecessoris ejusdem cum fratribus nostris responsione diligentius recensita, & super præmissis deliberatione præhabita diligenti, patenter advertimus, quod talis concessio non congruit præfatæ sedis honori, nec tuis videtur commodis salubriter expedire: propter quod non proponimus aliquid immutare circa ea, quæ super eodem censu per nostros prædecessores & tuos acta solemnius, & servata diutius dignoscuntur. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem kal. martii anno V.

Repulsam obiicit Nicol. ne Rom. ecclesiæ jura infringat.

XIII. Repulit quoque Nicolaus alia Eduardi petita, cum flagitaret ut Pontifex sua auctoritate publicas tabulas (*a*), quibus Scotiæ principes, qui de Scotici sceptri jure disceptabant, Eduardum, ut regni illius supremum dominum controversiæ arbitrum designarent, confirmaret; ne eo pacto Apostolicæ sedis perspicuis in Scotiam juribus detraheret.

(*a*) *Extat apud Vualsing. in Eduard.* Scotor. sanctio de supreme Eduardi dominatu.

Charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri salutem &c.

Oblata nuper nobis per dilectos filios nobiles viros Joannem de sancto Joanne ac Rogerium dictum Lestrange nuncios regios tua petitio continebat, quod submissionem, ut dicitur, in te factam a quibusdam, qui in regno Scotiæ se vendicant jus habere, confirmare auctoritate apostolica dignaremur. Sane, fili charissime, quantumcumque satisfactamus libenter, in quibus cum Deo possumus, & tibi expedire cognoscimus, votis tuis; attendentes tamen hujusmodi arduitatem negotii, & quod negotium ipsum multas contingit ecclesiasticas & seculares tam in generalitate, quam specialitate personas; ac dubitantes, quod per hoc, si sic a nobis inconsulte procederetur, posset tibi & eis magna scandali provenire materia, nolentes quoque aliquorum juri, & specialiter juri, quod in regno ipso Romana habet ecclesia derogari, super iis cum fratribus nostris deliberatione præhabita diligenti; petitioni regiæ in hac parte non duximus annuendum. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem kal. martii anno V.

Confirmandam negat Nicol. ne Rom. eccl. in Scotiam jura labefactet.

XIV. Hæc ne comparata in Scotiam jura læderet Nicolaus: qui ut amissa in Sicilia recuperaret, omnem operam adhibuit, omniaque perduellibus auxilia abscindere studuit. In primis enim oratoris Minoritæ opera nisus est Genuenses a Siculorum communione ac fœdere abducere, ad quos graves eo argumento literas dedit, (*b*) ne Jacobi aut Friderici Aragoniorum commercio se inquinarent.

Genuenses Jacobo & Friderico, Ecclesiæ hostibus judicatis favere visi.

(*b*) *Lib.* 5. *ep. cur.* 4.

XV. Exponit iis Nicol. majorum in sedem Ap. studia.

Nicolaus, &c. dilectis filiis Potestati.. capitaneo, consilio, & communi Januensi.

Quantis persecutionibus & impugnationibus quondam Petrus Aragonum Rex eamdem Ecclesiam (Romanam scilicet) attentarit, vulgaris fame præloquium publicat, & ipsorum excessuum perpetratio notorie manifestat. Nec est alienum a communi scientia, quod Jacobus natus ejus, hostis publicus, & persecutor ecclesiæ manifestus, in quo paterni criminis experimur exempla, vitiorum successor & heres, ac Siculi cum eodem præfatam ecclesiam enormiter ac multipliciter offenderunt: propter quod varii & horrendi processus per sedem Apostolicam contra dictos Petrum & Siculos habiti inter cætera patenter inhibent, & sub inflictione pœnarum excommunicationis & ecclesiastici interdicti, quas ipso facto contrafacientes incurrunt, expressius comminantur, ne cum ipsis societatem, conjurationem, vel fœdus aliquod quævis civitas, communitas, vel specialis persona Italiæ inire præsumerent quomodolibet, vel tentarent; quodque nullus ad eundem Jacobum nuncios, vel literas destinet, vel recipiat ab eodem, nec aliquod sibi consilium, auxilium, vel favorem impendat publice vel occulte, sicut in ipsis processibus plenius continetur.

Petri olim Regis in eam injurias. Jacobi illius filii & Siculorum. Pontificum censuras in sentientes cum ipsis.

XVI. *More igitur pii patris volentes vestris & aliorum Christi fidelium præcavere periculis, cum processus dicti Jacobi scandala pariant, producant dissidia, & ex iis impediatur subsidium Terræ sanctæ, universitatem vestram rogamus & hortamur attente in domino Jesu Christo, vobis nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus nullus vestrum ad eundem Jacobum nuncios, vel literas destinet, vel recipiat ab eodem; nec aliquod sibi consilium, auxilium, vel favorem impendat, publice vel occulte; nec ulla fœdera, societatem, conjurationem, pactionem, treguas vel inducias cum eisdem Jacobo aut Siculis, Friderico Jacobi præfati germano, vicariis, officialibus, ministris, aut satellitibus eorumdem inire quomodolibet præsumatis, per quæ incidatis in pœnas processuum eorumdem. Quod si secus fecoritis, nos singulares personas, super hoc consilium, auxilium, seu favorem præstantes, excommunicationis sententia innodamus, & civitatem Januensem ecclesiastico supponimus interdicto. Et cum a malo non sufficiat abstinere, nisi quod bonum dignoscitur esse fiat, nobis & ipsi ecclesiæ, ac charissimo in Christo filio nostro Carolo Siciliæ Regi illustri, cujus causa est ejusdem ecclesiæ, ac status, cura & solicitudo ad nos præcipue spectare noscuntur, in imminentibus nobis & ipsi casibus, tamquam filii benedictionis & gratiæ promptis studiis, & efficacibus auxiliis assistatis. Ecce quidem pro iis dilectum filium fratrem Nicolaum de Camplis ordinis Minorum, zelatorem vestri honoris & commodi, ad universitatem vestram providimus destinandum, quem mittentis intuitu, & suæ ad vos charitatis affectu sinceritas vestra devote recipiat, patienter audiat, & præmissa ad effectum laudabilem voti-*

Vetat ullum cum ipsis ac Friderico & Jacobo fœdus iniri.

Hortatur ut opem Carolo Regi & Ecclesiæ explicent. Missus ea de causa Nicolaus minorita orator. Nicolai Pontif. mors. Pontificatus tempus.

væ executionis abducat. Dat. Romæ apud S. Mariam majorem XI. *kalend. martii anno* V.

Beneficiis eos sibi Pontif. studet devincire.

Ut beneficiis ipsorum amicitiam sibi Nicolaus conciliaret, plures prærogativas contulit, nimirum Gregorii IX. exemplo ipsos in clientelam suscepit, (*a*) & Innocentium IV. imitatus concessit, ne sine pontificio imperio anathemate percelli (*b*) possent. Hæc in Genuenses beneficia conferebat Nicolaus, qui Venetos hortatus est ad porrigendam fidei censoribus (*c*) Minoritis in hæreticis insectandis operam. Nec in Veneta modo ditione, sed etiam in Viennensi comitatu Minoritas zelum in evellendis hæresibus explicare jussit (*d*).

(a) Lib. 4. ep. 683.
(b) Ib. ep. 684.
(c) Lib. 5. ep. 11.
(d) Ib. ep. 24.

XVII.

Interea summum Pontificem in moderando Christiano orbe occupatum mors acerba abstulit, atque Ecclesiam diu rectore orbam in dissensionum fluctus conjecit. De quo hæc apud Jacobum (*e*) S. Georgii ad velum aureum diaconum Cardinalem: *Anno Domini* * MCCXC. *Nicolaus Papa IV. Pontificatus sui annum quintum agens, ipsiusque quinti principio senio confectus Romæ obiit*. Eum vero in parasceve sancta vita functum docet Bernardus (*f*) cui consentiunt ii, qui ipsum pridie nonas aprilis decessisse scribunt: dies enim parasceves in diem IV. aprilis incidit. A quibus forsitan non discrepat appendicis ad Martinum Polonum (*g*) auctor, dum mortuum affirmat Paschæ die: etenim nonnulli Pascha appellare consuevere etiam parasceves diem: idemque in epitaphio recentiori ejus mausoleo insculpto confirmatur. Exornat illum S. Antoninus (*h*) hoc nobili elogio, quod paucis verbis absolvit: *Reputatus rectus homo & sanctæ conversationis*. Præditum singulari religiosa demissione fuisse, & fastu vacuum, cum ad honores invitus raptus est, idem sanctus tradit (*i*): *Cardinalis effectus humilitatis gloriam, quæ prius in eo relucebat, ita prudenter servavit, ut miro modo communiter, & humiliter ageret, & honorem nihilominus dignitatis maturitate honestissima retineret. Confessus est sæpe, multum tamen sobrie, sed certo ut dicebat sermone, quod potius vellet quinam fratribus facere, quam Cardinalatus fastigio præeminere, seque aliter obstiturum fuisse gradui illi, nisi offensum ordinis timuisset*. Servasse eandem animi modestiam in augustissimo honorum apice, nimirum pontificatu summo testatur vetus illius epitaphium humili olim sepulcro incisum, in quo non versuum inelegantia, sed sententiarum dignitas, veritasque historiæ spectanda.

(e) Jac. S. Geor. ad vel. aur. diac. Card. lib. in Cæles. Vvestm. Flor. hist. hoc ann. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 21.
* MCCXCII.
In ecclesia S. Mariæ majoris sepelitur.
(f) Bern. in chron. Rom. Pont.
(g) Mart. Pol. l. 4. in Nic. IV.
(h) S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 7. in princ.
Vitæ sanctitate spectabilis fuit.
(i) Tit. 24. c. 9. §. 7.
Ab arrogantia longe abhorrens. Affertur a Vvad. hoc ann. n. 6.

Hic tumulus tumulat humilem, qui fascibus auctus,
Sic moriens statuit ossa manere sua.
Hunc Franciscus alit, cardo ut sit, almaque Petri
Sedes magnificat; gratia Dei beat.
Quartus Papa fuit Nicolaus: Virginis ædem
Hanc lapsam reficit, sitque vetusta nova.
Petrus Apostolus socium, Franciscus alumnum
Protegat Omnipotens, Matre rogante beet.

Vetus illius epitaphium.

Ex humili eo sepulcro dein a Felice Peretto e Monte alto Franciscani instituti, tit. S. Hieronymi presbytero Card. qui demum summi Pontificatus apices indito sibi Sixti V. nomine gessit, in nobilius mausoleum illius cineres in eadem S. Mariæ majoris basilica illati fuerunt. Prætereundum de eo non est confirmatum (*k*) ab ipso tertium ordinem S. Francisci de pœnitentia nuncupatum, vitæque sanctioris præscriptam formam (*l*).

(k) S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 9. §. 11.
(l) Ext. ea de re diplomata in Bullar. in Nic. IV.

XVIII.

Quid vero a Cardinalibus tradito sepulturæ Pontifice gestum sit, exponit Jacobus Cardinalis (*m*): *Cardinales vero numero duodecim Romani sex, Italici quatuor, Gallici duo erant, qui Pontificis persolutis obsequiis, propositoque clausim inter eos, secluso extraneis per Latinum tunc Ostiensem episcopum Romana stirpe clarum exhortationis verbo perlucido, adeo haud concordes, ut nec loco consistere eodem convenirent, nec ante secundum annum, tertiique partem tertiam vacationis hujusmodi antistitem summum crearent; sed nunc uno, nunc alio Urbis loco, vicibusque interceptis pro electionis ministerio conveniebant*, Discordiæ præcipuam eausam affert Joannes Villanus, (*n*) cum alii, quorum princeps erat Matthæus Rubeus Ursinus, studiosum Caroli Regis Siciliæ Pontificem creare vellent; altera vero factio, cujus anteesignanus erat Jacobus Columna, contrarium affectaret. Quibus addit S. Antoninus (*o*): *Et propter hoc, quærentibus illis quæ sua & non quæ Jesu Christi tantum dilata est electio*. Ut porro Latinus Ostiensis episcopus elegantem ad ipsos orationem habuerit, ut omnium animos in concordiam ad præficiendum Ecclesiæ pastorem adduceret, prosequitur non in venusto carmine Jacobus (*p*) Cardinalis S. Georgii ad velum aureum.

(m) Jacob. S. Georg. diac. Cardin. in præf.
De fubrogando Pontif. dissident inter se Cardinales.
(n) Jo. Vill. l. 7. c. 150. Dissensionis causæ.
(o) S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 7. in princ.
(p) Jac. S. Georg. ad vel. aur. diac. Card. l. 1. c. 1.

XIX.

Ergo ubi confectum senio mors æqua recepit,
In sua jura patrem Nicolaum nomine quartum,
Romanæ sponsum ecclesiæ, de more solutis
Exequiis, dignum reputans veneranda senatus
Congeries, tractare novo de præside, sacras

Latini episcopi Ostiensis oratio ad Cardinales.

Indixit libare preces, quas ipse Latinus
Ordine pontificum primus virtute coruscans,
Et generis titulis radiatus fudit ad aram
Virgineam, psallente choro. Mox omnibus una
Seclusis patribus suscenso pectore fatur.
Quis poterit stellas fulgentes jungere cœlo,
Plejadas Deus ipse potest; sic corda potentum
Concordi vincire jugo, gliscitque futurum
Pollicitus vati, quod se donante ministrum
Suscipient populi. Ne cœlo lumina recta
Deflexisse juvet, præsto est, qui cognita cordis
Inspicit, & pensans justo libramine damnat
Degeneres: gemmis inter lucentia serta
Imperitans cingi meritos. O quanta potestas!
Namque datum paucis ad summi culminis arcem
Sublimare virum, qui Christi nomine præsit,
Succedatque Petro, nec non cœlestia claudat,
Dum ligat in terris; referet convexa polorum
Vincula, dum solvit, tanto depellere culpam
Præstat. Sed votis celsæ fastigia molis
Quis cupiat nisi mente vagus? Quis dignus haberi
His queat? At, patres, quos excellentia præfert,
Desperare nefas; nam sacris inclyta virtus
Christus adest, volitis complens optata piorum,
Quos optare fuit: siquidem tendamus in unum,
In quo fundatis nexis radicibus arbor,
Virtutum patulis ramis subcreverit altum
In culmen, varie florum distincta colorem,
Præcipue roseo mentis fervore micante,
Atque pudicitiæ niveo candore coæquans
Fructus justitiæ, cujus prudentia ramos
Duxerit in rectum, nostro quia tempore clades
Invaluit: peccata premunt, virtusque recessit.
*Tendimus * in Latium, prob claram funditus Accon*
Obruit & Tripolim vincens Babylonicus hostis!
Instant Aragones, gens effera, plurima terræ
Cis mare concutiens, Siculas quæ possidet urbes.
Nec minus Aragonum proles, Petrejaque regnum
Occupat, in Gallos collatum; deducus illis,
Et nobis, qui regna damus, nos undique turbant.
Subjecti vigiles plebi succurrite patres,
Castibus his tantis vestrum succurrere vestrum est.
Dixit: & haud aliter diffusum vocibus ignem,
*Frigida corda premunt, possit ne erumpere * flammis,*
Quam tellus prohibet nova semina ducere germen,
Quo fuerint matura loco; tamen agnita dudum
Commemorant veteris moris discuntque minores.
Talibus his paucis decursis rite diebus,
Montis Aventini rursus fastigia poscunt.
Per his quinque dies Nicolai præsulis haud non
Deseruere domos erectas circiter aram
Virgineam patres, quas nec reverentia struxit,
*Digna sequi, nec causa potens nec * missibile mundo*
Exemplum. Nam quisque suas educet in altum
Ædes, & capitis Petri delubra relinquet,
Ac Lateranenses aulas regalia dona
Despiciet, gaudens proprios habitare penates, &c.

Desideratæ in Pontifice dotes.
* Tendimus Propositæ infidelium victoriæ.
Et Siculorum bellum.
* flamma
Repetita apud S. Mariam majorem Card. comitia.
* missile.

Pergit auctor ut a S. Mariæ majoris ædibus ad S. Mariam, ubi olim Minervæ templum surgebat, se receperint, vicissimque sibi mutua ambitione & invidia Cardinales obstiterint, ne Pontifex renuntiaretur: utque recurrente festo Apostolorum Petri & Pauli, Romanos aspera seditio invicem ad prælia concitarit, (*a*) Urbemque rapinis, cruore, incendiis deformarit. Contentionis causa nimia erat inter æmulos proceres senatoriæ dignitatis adipiscendæ ambitio: quæ mala morbi auxere accensa æstate, & Cardinales, ut saluti consulerent, ex Urbe diffugerunt. Quæ idem auctor soluta oratione in præfatione operis (*b*) his verbis prosequitur: *Intestina Romæ interea, proh dolor! exorta bella affligensque ultra solitum æstas morbum ingruebat, unoque e patribus Gallo febribus deficiente, Campanus ex illis unus, idemque posthæc futurus Bonifacius VIII. gravi longaque chronica concussus infirmitate, ita ut de ejusdem diffideretur curatione: Dei tamen nutu ad majora reservatus, ad patrium solum Anagniam*

XX.

Romani de creando senatore inter se dissident.
(a) Id. c. 3.
(b) Jac. S. Georg. ad vel. aur. in præf.

gniam discessit. At alter Hugo Alvernus unicus superstes Gallus, & tres alii e patribus Italici timore perculsi, Roma digressi, Reate æstivavere. Romani vero sex patres consanguinitate juncti, sed volitis discreti, urbe constitere præcipua. Septembris autem transactis caumatibus, Campanus, Portuensis quoque natione Tuder, Sabinensis etiam paschate, nimirum insequentis anni, *e patribus unus Parmensis natu, Romam reversi, nec adhuc consensu unanimes reperiuntur fore*. Sed de his iterum suo loco: nunc de novo Cæsare creato hoc anno sermonem instituamus.

XXI. Defuncto, ut diximus, superiori anno, atque Spiræ in regum monumento condito Rodulpho, [1] cum de principe ad solium evehendo esset agitatum (*a*), dissensisse electorum vota, atque Albertum Austriæ ducem ab aliis expetitum ferunt (*b*), ab aliis Wenceslao Regi Boemiæ honorem delatum (*c*), sed eo per summam animi moderationem intra fines regni Boemiæ curas continente, molemque Imperii in se suscipere detrectante, demum versa (*d*) omnium studia in Adolphum Nassovium, sustinendæ regiæ majestati opibus imparem, sed virtutum principe dignarum fama conspicuum. De quo hæc Prolemæus Lucensis historiæ ecclesiasticæ consignavit (*e*): *Anno Domini MCCXCII. adhuc Nicolao Papa vivente, convenerunt electores Alemanniæ tam laici quam clerici, & Imperatorem eligunt comitem Adolfum de Nassou, virum strenuum in armis, sed in potentia deficientem, tum quia paucos habebat introitus, tum quia non multum radicatus in parentela: sed in corde totus fuit magnificus & virtute plenus*. Redimitum Germanica corona Aquisgrani, recurrente die S. Joannis Baptistæ natali sacro, narrat Hocsemius (*f*), aguntque de eodem plures Germanici scriptores. Sed hæc nobis sufficerint: jam pium nonnullorum sanctorum obitum prosequamur.

XXII. Migravit hoc anno in cœlum beata Kinga sive Chunegundes olim Boleslai Pudici Cracoviensis & Sandomiriensis ducis conjux, quæ in ipso conjugio virginitatem, viro consentiente, servavit: enituitque miraculis adeo, ut Andream ducem Regis Ungariæ fratrem a morte excitarit ad vitam, iterumque ob salutem animæ mori imperarit, uti diximus. Insignes vero ejus virtutes atque elogia ex Longino repetere visum est: *Magna*, inquit, (*g*) *sanctitatis & religionis, miræque devotionis in Deum femina, & virgo ducissa Kinga, Boleslai Pudici Cracoviensis & Sandomiriensis ducis relicta, & filia Belæ Regis Ungariæ, cum annos tredecim in monasterio Sandecensi in magna abstinentia & proprii corporis mortificatione exegisset, gravi infirmitate anno prope uno vexata vigesima quarta julii devotissime moritur, & in monasterio Sandecensi sepelitur, diem & horam mortis suæ habens multo ante tempore divina revelatione patefactam. In hora transitus sui felicis Christianus canonicus Visticiensis, vir religiosus & devotus, Visticiæ in oratione positus, vidit animam ejus ex corpore egressam niveo candore in cœlum, canentibus agminibus sanctis: Regnum mundi; deferri. Quod cum admiratione magna cerneret, dictum illi est, animam beatæ Cunegundis esse in illo momento a corpore solutam. Quæ quidem visio etiam pluribus aliis devotis personis monstrata est*.

(g) Long. hist. Pol. l. 7. hoc ann.

Illius anima triumpho in cælum invehitur.

Canunt angeli hymnum: Regnum mundi.

Quemadmodum in vita pietas agni cœlestis stupendis miraculis eam extulerat, ita & post felicem obitum amplioribus prodigiis varios curando languores, coruscabat. Ab anno siquidem mortis suæ usque ad annum Domini MCCCXXIX. meritis suis octoginta mortui vitæ pristinæ redditi sunt, sexaginta cœci illuminati, quindecim captivi a vinculis soluti, septingenti insuper homines utriusque sexus a variis ægritudinibus curati. Ut satis mirandum sit, ætatis illius prælatos & principer Polonia canonizationem tam sanctæ, tamque venerabilis ducissæ propter candorem virgineum, quem annis multis in thoro conjugali servavit, inter martyres computandæ, non procurasse. Tantam siquidem circa illam Regis æterni benignitas magnitudinem suæ gratiæ, consolidando contractos, restaurando paralyticos, suscitando mortuos, mundando leprosos, libe-

Pluribus miraculis illustrata ejus sanctitas.

(*a*) Albert. Argentin. in chron. Hist. Austral. hoc ann. Baron. in Sched. MS. ad hunc annum & alii.
(*b*) Hist. Austral.
(*c*) Dubrav. hist. Boemic. l. 18.
(*d*) Albert. Arg. Chr. Austr. & alii.
(*e*) Ptol. Luc. l. 24. c. 26.
(*f*) Hocs. l. 1. c. 17. Comitia principum pro creando Rege Rom. celebrata. Adolphus Nassovius ad solium Germanicum evectus.

NOTÆ [1] REnunciatur hoc anno Romanorum rex & futurus imperator Adolfus Nassovius. De anno electionis nullum est inter scriptores dissidium. Electionis mensem quidam januarium designant; sed ipsis maii Kalendis electum annalium Colmariensium scriptores asserunt, & Martinus minorita confirmat. Coronam regni accepisse die natali S. Joannis cum annalium scriptore convenio. Porro quæ statui de die electionis Adolfi, probari etiam possent ex diplomate ejusdem Adolfi vulgato a Ludewig reliq. to. V. pag. 434. Eo diplomate declarat Adolfus decretas fuisse nuptias inter filiam Wenceslai regis Bohemiæ, & Rupertum filium suum pacta dote ibidem expressa. Consignatur vero charta illa *Frankenfurt V. idus maii anno Domini MCCXCII. regni anno primo*. Agebat igitur tunc Francofurti Adolfus, cujus electio cum inibi decreta fuerit, vix credo alia de causa quam electionis tunc peractæ eo se contulisse. Insuper cum annus primus regni exprimatur, nec annos ab electione sed a coronatione reges electi supputare consuevissent; hinc suspicio oritur, num coronatio multo ante diem XXIV. junii anticipanda sit. MANSI

liberando energumenos, illuminando cœcos, erigendo claudos, collapsosque & multiplices ægritudinis suis sanando meritis multipliciter noscitur effudisse, ut ex illis præstetur certa & evidens fiducia, quod quæ in vita præsenti dignitate præfulgebat regia, per gratiam Regis cœlestis glorificationem sit amplissimam inter superos consecuta. Nec mirum; coluit enim & custodivit assidue integritatem mentis, & nobilissimo pudore integerrimæ virginitatis castimoniam sub nimio & arduo labore transegit, expers palmæ non credendæ martyrii, quæ puritate mentis duplici cum mortificatione, carnis suæ videlicet & mariti, assidue cum oculis, cum naribus, cum cæteris sensibus, cum quiete & otio, cum silentio & solitudine, cum ipso denique fastu & apparatu regio, cum cibis, & potibus opipare conditis, cum rerum temporalium affluentia & successuum felicitate, vestium, gemmarum & unionum pompa confligens, noctu atque interdiu, momentisque singulis animi & corporis perferebat cruciatus; sanguineam rosam præ se ferens centeno fructu, & geminata laurea, virginitatis videlicet & sanguinis, meruit coronari. Virginitatem enim magnopere custodiens, mente & spiritu hostem sævum, quocumque se verteret, secum ferebat, assiduo premebatur certamine, sine indutiis bellum gerens, non vespere, non nocte, non diluculo, non meridie, non mane respirasse permissa; sed singulis diebus atque horis fornacis medio succensa, auri instar probata, purior prodibat. Cogita quanti officii labor sit, & fatiga. Hæc constante matrimonio vixit modeste, castigate, abstinenter, non cultus in ea luxuriosior, non conversatio cum viris, sed nec cum viro licentiosior, non convictus splendidior: de qua sane & ejus virtutibus atque sanctis operibus tanta dici possunt, ut ad longum usque volumen excresceret.

Insignis ipsius castimonia.

XXIII. Obiit eodem anno, ut Cardinalis Baronius notat (*a*), B. Albertus Carmelita Siculus, miraculis illustris, quem ajunt aliquando ficco pede torrentem calcasse, ut Judæos liberaret, mox ereptos periculo in ipsa ripa torrentis baptismo lustrasse. (*b*) Consensit vitæ sanctissimæ pia mors, in qua plurima virtutum exempla ipsum explicuisse, refert rerum gestarum illius scriptor (*c*): *Cum*, inquit, *mortis suæ tempus adventare cognovisset, gravi correptus morbo, rogavit Dominum, ut ipsum ad se evocare dignaretur. Utebatur autem hac precandi formula: Si proprio Filio tuo non suam, sed tuam mandasti facere voluntatem, non mea Domine, sed tua voluntas fiat. Ita ergo ille in orandi fervore positus, & quasi mentis ecstasim patiens, audivit vocem ejuscemodi: Anima tua in sanctorum confessorum consortium admittetur, gaudiis perpetuo duraturis fruitura. Quamvis ergo magna esset antea usus precandi assiduitate, at nunc porro diutius in ea perseveravit. Legebat prophetarum oracula, divina in eis mysteria contemplans, dulceque illi erat cum sanctissima Dei Matre miscere colloquia. Cernens autem prope adesse extremum vitæ suæ diem, accivit ad se fratres, & exemplo sanctorum patrum mitissima voce eos compellans: Cupio, inquit, dissolvi & esse cum Christo; additque tamquam vaticinans: Hoc ipso die spiritus meus e carnis ergastulo liberabitur, & ad Dominum, qui creavit eum, dirigetur: eodem autem temporis puncto mecum pariter emigrabit soror mea. Quæ quidem aberat a loco, in quo tum erat vir sanctus, ad ducenta & sexaginta milliaria: compertumque est postea, de ejus obitu vera Albertum prædixisse.*

Sororis obitum prædicit.

*Deinde orante illo, & graviter laborante, fratres apud illum vigilabant, & precibus suis animam ejus Deo commendabant. Sub horam autem vespertinam, sentiens imminere corporis dissolutionem vir sanctus, in genua se submittit, & coram fratribus sic orat: Domine Jesu Christe, qui cuncta creasti, & omnia pro tua voluntate dispositisti, conservasque ea sapientia & providentia tua, conserva animam meam ineffabili misericordia tua, tuere illam ab hoste maligno, & perduc eam in consortium electorum tuorum. Deinde legit psalmum: Deus in nomine tuo salvum me fac; cui adjunxit psalmum: In te Domine speravi. Illo absoluto cum dixisset semel orationem dominicam, & bis angelicam salutationem, iterum repetiit psalmum: In te Domine speravi. Inde ad extrema tendens, sublatis in cœlum oculis, animam suam Deo & beatissimæ Matri ejus commendavit, eorum implorans opem, & paulo post alta voce dixit: In manus tuas Domine commendo spiritum meum: quibus dictis a fratribus orantibus animæ ejus instar * nebulæ candidissimæ visa est uno volatu ex ore illius recta in cœlos contendere. Corpus ejus præclaro cilicio indutum in terra relictum est.*

Pie animam efflat.

* columbæ

Ad ejus obitum campana, quam ille fieri curarat, per seipsam, nullo movente insonuit; & ordor suavissimus, omnia vincens aromata, ab ejus corpore manavit, adstantes omnes mirifice afficiens. Quamobrem etiam omne mortalium genus non modo Christiani, sed etiam Judæi tantæ rei admiratione permoti, ad illud confluebant. Et infra: *Quotquot vero illic aderant, sacrum corpus contingere nitebantur: exibat enim de illo virtus & sanabat multos. Vestes ejus causa devotionis ab omnibus lacerabantur & diripiebantur, singulis particulam aliquam inde sibi vendicare cupientibus, quod multa admiranda*

Populorum concursus ad ejus reliquias facti.

per

(*a*) Baron. in not. ad martyr. Rom. 7. aug. & in sched. MS.
(*b*) Apud Sur. to. 4. die 7. aug. B. Alberti Carmelitæ mors.
(*c*) Ibid. In extremo vitæ actu orationi incumbit.

Ex iis suavis odor spirat.

per eas Deus efficiat ob merita sancti viri. Et infra: *Cum corpus B. viri summa populi devotione in mediam majorem ædem deportaretur, & exequiarum missæ celebrandæ essent, odor longe suavissimus e corpore diffundebatur, cunctis non mediocriter id admirantibus: multi enim morbidi eo odore sanabantur, ita ut corpus illud quoddam sanctitatis receptaculum a turbis omnibus pro certo haberetur.* Consignatur demum, nonnullis interjectis, mortis illius tempus: *Obdormivit autem in Domino vir Dei Albertus anno a partu Virginis MCCXCII. VII. id. augusti.* Hæc acta, quæ tamen in aliis pluribus censura egent.

Illustrata pluribus aliis miraculis decursu temporum illius sanctitate, fideles in honorem B. Alberti plures aras ac templa æterno Numini posuerunt (*a*): cum vero canonicis legibus vetitum esset, ea veneratione quemquam publice prosequi, nisi a Romana ecclesia ea decreta fuisset; ac plures fideles nonnulla religio ab eo cultu revocaret, cum non ita esset exploratum id ecclesiæ Romanæ auctoritate niti, Joannes e Soreth supremus Carmelitarum magister a Callisto Papa III. contendit, ut pronuntiaret an B. Albertus sanctis exibendo cultu affici sine ulla conscientiæ labe posset: cui Callistus vivæ vocis oraculo, ut altaria in B. Alberti memoriam Deo dicarentur, permisit (*b*): quod ejusdem Pontificis jussu Guillelmus tit. S. Martini in montibus presbyter Cardinalis Rothomagensis anno MCCCCLVII. literis (*c*) suis promulgavit. Dein recurrente anno MCCCCLXXVI. Christophorus Carmelitarum magister, augendæ B. Alberti gloriæ zelo permotus, a Sixto IV. flagitavit, ut Apost. auctoritate cultum eidem B. Alberto impendendum confirmaret: cujus precibus pontificio diplomate (*d*), cui insertæ sunt Guillelmi Card. literæ, assensit.

(a) MS. Val. sign. lit. Ω. pag. 120.

Ut illius cultus auctus sit.

(b) Ibid.

(c) Ext. ib. pag. 121.

(d) Ext. ib. pag. 120. XXIV.

Explicuisse eodem anno divinum Numen ingentia miracula Florentiæ, ad imaginem Deiparæ depictæ in columna, fori frumentarii, ubi olim templum surrexerat, asserit Joannes Villanus (*e*); adeo ut ex tota Etruria eo ingentes populi concursus quotidie celebrarentur, quibus etiam consentanea affert S. Antoninus (*f*): *Eodem*, inquit, *anno*, nimirum MCCXCII. *mense julii patrata sunt quædam miracula Florentiæ ex quadam figura Virginis gloriosæ, quæ erat in pariete picta atrii, seu horti S. Michaelis, ubi tunc erat forum frumenti, & aliorum bladorum. Nam concepta devotione ab hominibus, ad figuram illam infirmis devote orantibus ad imaginem illam, plures sanati sunt ex variis languoribus, claudi erecti, contracti sanati, & obsessi a dæmonibus liberati. Fratres autem Prædicatores & Minores, quia parum fidei dabant dictis miraculis, populus, qui leviter movetur, eis detrahebat, & absquebatur contra eos, adscribens invidiæ quod erat veræ pietatis. Ex devotione igitur ad illam imaginem ab artibus fuit provisum, ut ibi cantarentur laudes divinæ in vulgari: & ita aucta est devotio populi ad illam imaginem ex miraculis patratis & enarratis, quod de tota Tuscia in festis B. Mariæ fiebat ibi concursus populi, & in processu temporis repletus est locus imaginibus cereis, ibi positis a gratias & beneficia sanitatum recipientibus ex votis ibi factis. Inde creata est ibi quædam societas multorum civium, etiam notabilium, & in tantum eleemosynæ multiplicatæ, & legata dictæ societati facta, ut ad sex millia librarum ascenderent reditus pauperibus dispensandi, non habendo adhuc aliquas possessiones: sed postea creatum est officium eorum, qui dicuntur capitanei Misericordiæ, & legatæ sunt loco multæ possessiones; & postmodum ædificatum est ibi oratorium pulcherrimum circa illam imaginem, sculpturis sanctorum magnifice exornatum: in quo oratorio celebrantur quotidie decem missæ, vel circa.* [1]

Florentiæ patrata plura miracula ad Deiparæ imaginem.

(e) Jo. Villan. l. 7. c. 154.

(f) S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 7. initio.

Con-

NOTÆ [1] INter res in ecclesia anno isto gestas collocandum est concilium a Joanne archiepiscopo Spalatino, & suffraganeis in ipsa urbe Metropoli Spalato celebratum. Concilii hujus collectoribus ignoti mentio occurrit in solemni quadam protestatione, quam idem Joannes archiepiscopus sequenti anno 1293. habuit die martis duodecima maii indictione VI. Legas illam apud Lucium in commentario rerum Tragurensium pag. 134. Quid in eo concilio decretum fuerit prorsus latet. Id unum tantummodo ejus decretum in eadem protestatione sua Joannes archiepiscopus commemorat, interdictum scilicet fuisse episcopis suffraganeis, ne clericos alterius diœcesis initiarent, neve alter alteri episcopalia munia præriperet. Occasionem canoni huic edendo præbuerant Sebemniceni, qui subjecti licet episcopo Tragurino, ordinationes tamen sacras ab alio episcopo sibi procurabant. MANSI

I. Romani in creando senatore divisi.

CONtrariis Romani populi factionibus in creando senatore pugnantibus, hinc Cardinalibus non animis modo, sed ne quidem de loco pro celebranda electione consentientibus, ingentium malorum metu suspensa erat universa Ecclesia anno a Virginis partu millesimo ducentesimo nonagesimo tertio, indictione sexta. Impendebat enim schismatis periculum (*a*) ne tres Cardinales, qui Romæ versabantur, ad creandum Pontificem concurrerent, ac vicissim alii, qui plures numero erant, alium sibi præficerent: sed divina tandem providentia factum est, ut Cardinales arbitrorum opera de celebranda Perusii electione convenerint; ut recenset Jacobus Cardinalis his verbis (*b*): *Schismatis incessit timor, ne vel Romani tres tunc in Urbe commorantes loci, ut fatebantur, privilegio, ut qui alios non Romanos scriptis præsolicitaverant: neve etiam alii Romani tres, ceterique patres Reate longe numero plures in electionem prorumperent: sed nolens suam, quam pretioso Unigeniti redemit cruore, perire Deus Ecclesiam, schismatis pericula ademit. Nam ex compromissi vi, in exteros communiter collata, patres pro electionis instantis negotio, electo per arbitros Perusii loco, perque eosdem festo videlicet beati Lucæ Evangelistæ tunc satis proximo, secundo scilicet vacationis anno, termino assignato convenerunt: eoque Perusii quo Cardinales convenere tempore Romæ sub quadam pacis umbra quies apparebat, dum partium concordia ad gubernacula Urbis in senatores generis nobilitate clari duo assumpti Petrus siquidem Stephani actoris genitor, de quo supra diximus, & Oddo de sancto Stacchio alter.*

(a) Jacobus Card. S. Georg. ad vel. aur. Cardinales Perusium pro celebranda electione eligunt.

(b) Id. ib.

II. Agente Perusii sacro Cardinalium senatu, ait auctor (*c*) Carolum extrema hyeme e Galliis (quo profectum vidimus, ut fœdus cum Aragonio & Gallorum Rege, & Carolo Valesiorum comite componeret, liberosque obsides Catalana custodia liberaret) in Italiam redeuntem una cum Carolo Martello Ungariæ Rege majori natu filio, qui patri obviam ex Apulia procurrerat, Perusium accessisse, & Cardinales salutasse, hortatumque esse, ut quamprimum mœrenti Ecclesiæ patrem darent. Qua vero pompa & apparatu a Cardinalibus Reges excepti fuerint, Jacobus supra laudatus ita canit (*d*).

(c) Ibid. Carolus II. una cum Carolo Martello Rege Ungar. Cardinales Perusii adit. Hortatur ad creandum Pontificem.

(d) Jacob. Card. de Cœlest. e. lect. l. 1. c. 8.

*Forte modum scripsisse juvat * quo cardine fulti,*
Servarint. Nam clara dies ubi lampade solis
Illuxit, theatrum subeuntes turba senatus,
Levitas gèminos mittunt non longius urbe
Regis in occursum. Series diffusa caparum
Hos sequitur, seu turba, duces, mandante senatu.
Procedunt laici, crescit distensa sequela
Elistæa, suas variatis vestibus hastas
Cursibus infestis equites effringere jussit.
Cæterа communis complere palatia patrum
Turba, moram firmans: decet hanc servare quietem.
Dum vacat heu sedes Papæ, nam pondera gestant.
Hos siquidem viridi susceptos germine fulcit,
Et duo Levitæ sortiti corpora Regum,
Alterutro comitante suum majore parentem,
Atque minore fatum illo passim mœnibus urbis
Deducunt, quoad alta domus, plateasque subintrant.
At sacer, interna præstolans parte theatri
Hinc cœtus processit iter longamque per aulam
Egreditur, qua parte domus fastigia parvum
Extendunt scalæ spatium, quod sedibus instat.
Tunc inibi veteri stantes ex ordine patres,
Oscula condouant Regi, Regique minori,
Cui primum vidisse datum est tunc temporis omnes
*Cardineos proceres: aulæque * sedibus ambos*
Constituunt, dextraque patrem lævaque minorem,
Pontificum patrem medium, mediumque secundum
Inter levitas primos. Paulumque morati
Applausere jocis vultu, risuque, loquela,
Et nutu sibimet Reges patresque, fideli
Assistente manu, cupientum visere morem.
Inde domum Reges comites habuere priores
Levitas. Non longa dies, & tendere cursum
Parthenopem decrevit herus: sed primitus omnem
Alloquitur cœtum . . . sermone profatur

Qua pompa ab iis excepti fuerint Reges.

* sedilibus.

Quis ordo sedium iis datus.

Rex

Rex pater, & precibus rogitans spiramine sacro
Affari, populoque Dei pastore quietem
Imponi. Responsa duci digesta Latinus
Attulit, & placido diffudit verba lepore.
Post lapso celeri spatio Rex mane secuto,
Visere supremum cœtum, dictoque valete,
Corripuit gressum sociatus ab ordine fratrum
Usque foras urbem, rediere in tecta parentes.
Mens quibus adversa est, quamvis per plura sequendi
Consilium visum est, variasque requirere formas
Ut sibi concordes animo factisque placerent.

Caroli Perusio discessus,

De Carolo adeunte Perusium, & purpuratis patribus ab eo solicitatis, ut proximo tempore Pontificem crearent, meminit Jordanus, (*a*) additque asperioribus verbis Benedictum Cajetanum, ab ipso exceptum: *Tunc etiam*, inquit, *Rex Carolus de provincia veniens, per Perusium transit: ad eligendum Pontificem Cardinales precibus inducit. Dura quoque verba cum domino Benedicto Gaitani habuit; nihil tamen profecit.* Ut vero postea Benedictus Cardinalis, conciliato sibi Carolo pontificatum cedente S. Cælestino, sit assecutus, dicetur inferius: jam reliquas Italicas res prosequamur.

(*a*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*

Ut asperiora verba cum Benedicto Card. contulerit.

III.

In Etruria (*b*) pax Pisanos inter & Florentinos, Lucenses ac Senenses composita: cum jam Florentia ad maximas opes ac potentiam assurgeret, Pisani bello Genuensi attriti pacem flagitarent, ac Guidonem Montisferetri comitem gubernaculis reipublicæ amoverent.

(*b*) *Jo. Vill. l.8, c.2. S. Ant. 3. p. tit. 20. c.7. §.3. & alii.*

Pisanos inter & Florentinos pax firmata.

Guido Montisferetri comes a Pisanis magistratu dejectus.

At si parti Italiæ pax feliciter affulsit, dæmonum rabies ad perdendam rem Christianam funestum & atrox bellum Gallos inter & Anglos inflammavit. Cujus belli adeo obscura fuere principia, (*c*) ut ex aliquorum nautarum Normannorum & Anglorum, vino ac mente captorum, jurgiis originem traxerit. Ex jurgiis enim aucto furore Normanni aliquos Anglos morte affecere: eoque audito Angli & Aquitani maritimi, conflata classe, aliam classem Gallorum partim cepere, partim mari mersere, victus ad unum cæsis: atque inde in maritimam Francorum oram excursionibus actis, prædas avexere, Rupellamque (*d*) plurimo impetu oppugnarunt: exinde Reges aversi ab invicem animis, ad quos conciliandos antea a Nicolao IV. Cardinales legatos vidimus transmissos, facile in novas discordias coorti sunt. Monitus in primis a Philippo Rege Eduardus, ac jussus subditos comprimere, prædam restituere, quæ in ipsius regno inventa esset, ac reos onustos vinculis mittere, ut supplicium de ipsis ex legibus sumeretur. Quæ imperia cum sprevisset Anglus, dies ei ad tractandam causam ex parium consilio constituta est; cujus rei diploma regium affert Westmonasteriensis, (*e*) in quo Philippi hæ querelæ expressæ:

Leges belli causæ.

(*c*) *Vvalsin. in Ypod. Neustriæ.*

(*d*) *Vvestm. Flor. hist.*

Postulatus judicio Eduardus a Philippo.

(*e*) *Vestm. ibid.*

Nulla potest tergiversatione celari, quod homines de Bajona, coadunatis sibi quamplurimis aliis, qui de regno vestro Angliæ assumptis navibus, & armis, ac hominibus armatis in magna multitudine ibidem palam, & publice collectis, vobis non insciis, vel probabiliter ignorare non valentibus, exierunt animo nefando, homines ac subditos nostros de Normannia, & de quibusdam aliis partibus regni nostri, tam in terra quam in mari, in locis etiam nostræ jurisdictioni subjectis nequiter invaserunt; innumeros ex eis inhumaniter occidendo, stragemque horribilem in eis faciendo, multos ex eis capiendo, & adhuc captos detinendo, ac eosdem navibus, & mercibus quasi inæstimabilibus ex diu ante concepta nequitia deprædando, confractis quampluribus ex dictis navibus, & submersis. Et infra: *Manifestum similiter, quod quamplures dictorum hominum de Bajona, adjunctis sibi nonnullis malefactoribus aliis, villam nostram de Rupella proditionaliter invaserunt, insultus, quamplures in eam facientes, &c.* Ob hæc Jordanus (*f*) adducit Eduardum in crimen, consecrata Christo arma in Gallos exacuisse: *Eduardus Rex*, inquit, *Angliæ fingens se ad terram sanctam proficisci, magnum apparatum faciens, Normanniam terram Regis Franciæ invasit, & in Rocellam plures fecit insultus.* At Angli historici ab Eduardo eam labem abstergere nituntur, (*g*) ipsoque inscio a præfectis repetendæ a Normannis, quos violati fœderis accusabant, ultionis cupiditate rem gestam, pacisque consilia eum missis oratoribus ad sopiendum nascens bellum consectatum tradunt: quamquam Westmonasteriensis innuat Eduardum, cum *illi* ut fiduciario Gallicæ coronæ dies dicta est remissiorem initio in agenda causa fuisse, atque ita qua par erat celeritate bellum exitiale extinguere initio non studuisse. Non expertem pariter culpæ Philippum in pernicioso rei Christianæ bello suscipiendo notat Villanus, (*b*) dum ait missio ab Eduardo Rege fratre Eadmundo causæ suæ actore in Gallico senatu Philippum illum admittere detrectasse, ne invadendæ Aquitaniæ deesset occasio. Ac sane lugere satis non possumus, Philippum qui nullis adhortationibus a Nicolao IV. ad ulciscendas Christi injurias suscipiendumque labentis Syriæ patrocinium permoveri potuerat, in hoc bellum ultro irruisse (*i*).

IV. Quæ ipsi objecerit.

(*f*) *Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.*

(*g*) *Vvest. Flor. hist. hoc ann. Vvalsing. in Eduard. I. & in Ypod. Neu. Polyd. Virgil, l.17.*

Rex uterque commissæ in bello conflando culpæ non expers.

(*b*) *Jo. Vill. l.8, c.4.*

(*i*) *Bonif. l.9. ep. cur. 52.*

Pari infeliciter casu Veneti & Genuenses

De Normannis bello petitis ab Aquitanis & Anglis.

Tentata proditione Rupella.

V.

Veneti & Genuenses in Oriente classes infestas committunt.

(*a*) *Sanut. l.2. p.4. c.24.*

Victi Veneti.

ses in oriente arma adversus Saracenos stringenda in mutuas strages verterunt, [1] præliumque atrox apud Ajacium urbem nobilem Armeniæ minoris, quæ olim Cilicia erat, commiserunt; in quo Veneti etsi viribus superiores succubuere, ut narrat subjectis verbis Marinus Sanutus (*a*): *In Armenia apud Ajacium;* Et infra: *Veneti, qui habebant circa vigesimum octavum numerum galearum, dum assisterent inimicis, deposuerunt vela, prostraveruntque ea, & quasi minime collegerunt antequam ad hostes pergerent remigando: postmodumque insultum Januensibus intulerunt; propter quod quædam ex Venetorum galeis ob ventum flantem vehementer, & mare quod ipsius commovebatur impulsu, sive causa etiam utriusque, recto aggressionis tramite ferientes latera proris galearum hostium præbuerunt se opponentes inter galeas suorum hostium, quæ vigintiduæ erant numero computatæ, & ut jam diximus præparatæ, & suarum residuum galearum; ita quod medietas earumdem nec suis conferre auxilium, nec hostibus damnum inferre potuit, interpositis antedictis: ex quo fuerunt Veneti capta majori parte suarum galearum devicti, & Januensibus debellati anno MCCXCIII. mensis martii.* Auctum furorem, fuso Christiano sanguine, postea exercuere in Dalmatico mari, de quo inferius.

NOTÆ

[1] Pugna navalis quam Veneti ac Genuenses iniverunt, ab hoc anno in sequentem transferenda; quamquam enim hoc ipso anno velitatio quædam inter duas illas gentes intercessit, hæc tamen paucorum navigiorum congressio fuit, cum Genuensium vela septem non superarent; Venetorum vero triremes quatuor. In hac vero concertatione Genuenses victorunt, quamquam victis Venetis sua omnia restituerunt, professi se nunquam commissuros ut fœdus, quod antea compositum erat inter utramque gentem, dissolverent. Veneti nihilo secus armis insistendum sibi rati, ingentem classem armarunt; quod cum Genuensibus nunciatum fuisset, & ipsi pariter classem validam instruxerunt; hæc tamen ad januarium sequentis anni pertinere discimus ex continuatore Caffari, qui historiæ suæ telam hic relinquit imperfectam, nec eventum rei tanto molimine inceptæ describendum sibi censuit. Porro de hoc eventu intelligendum esse Marinum Sanutum, loco in annalibus laudato, non dubito, & confirmat Jacobus de Varagine in chronico Genuensi part. V. cap. III. rer. Italic. to. IX. col. 14. Ideo vero ab eodem Sanuto anno 1293. assignatur, quod illi veterem stylum sequuto res martio mense anni 1294. gesta anno 1293. labenti attribuenda fuerit.

Cæterum hoc ipso anno 1293. Genuensis archiepiscopus Jacobus de Varagine, cujus ætate etiam nostra nomen est non incelebre, ex ea, quam scripsit, historia sub titulo *Legenda sanctorum*. Jacobus inquam, de Varagine concilium provinciale Genuæ in ecclesia majori S. Laurentii habuit assidentibus ex episcopis suffraganeis quinque cum abbatibus aliisque prælatis inferioribus. *In ipso autem concilio ferunt multa utilia statuta & multæ constitutiones editæ, quæ usque hodie observantur*, scribit idem Jacobus de Varagine in chronico Genuensi part. XII. cap. IX. ex quo concilii hujus, collectoribus ignoti, notitiam accepimus. Cum vero de corpore S. Syri dubitatio quædam suborta esset; ideo arca coram patribus recluſa eorumdem SS. lypsanorum vestitas patuit. MANSI

I. ANnus, ad quem pervenimus, millesimus ducenteſimus nonageſimus quartus indictione ſeptima, Cæleſtini Pontificis maximi admiranda electione, qui e ſpecu ubi latebat, ad ſolium apoſtolicum tractus eſt; ac rurſus auguſtiſſimæ omnium dignitatis voluntaria abdicatione, ut ſacro otio ac rebus divinis facilius vacaret, inſignis ingentem univerſo orbi Chriſtiano ſtuporem injecit: ſed quæ prius a Cardinalibus geſta ſint, perſtringamus. Deſtituta Paſtore Romana eccleſia, nonnulli ejus clientes ab officio diſceſſere, ac jura eccleſiaſtica invaſere. Inter quos Urbevetani Vulſinum explicitis hoſtilibus ſignis, occupare ſunt meditati; cumque metueret Cardinalium ſenatus, ne Viterbienſes ſtuderent perduellibus, hæc illis imperia dedit (*a*).

(*a*) Ext. in arce S. Ang. & in lib. privil. Rom. eccl. to. 1. p. 331. & inter MS. collect. Platin. to. 1. pag. 298.

Miſeratione divina Gerardus Sabinenſis, Joannes Tuſculanus, & frater Matthæus Portuenſis epiſcopi prudentibus viris prioribus, conſilio, & communi Viterbien. eccleſiæ Romanæ fidelibus, ſalutem in Domino.

Credimus ad veſtram notitiam perveniſſe, quod cives Urbevetani, tanquam in reprobum ſenſum dediti, ſpiritu rebellionis aſſumpto, jura & bona Romanæ eccleſiæ, ipſorum matris & dominæ; quam præſertim hoc tempore, quo ipſa paſtoris præſidio cavere dignoſcitur, deberent pro viribus ſolicitis in ſtudiis defenſare; nefariis occupare conatibus ſatagentes, contra terras vallis lacus, & ſpecialiter caſtrum Bulſen. ad eandem eccleſiam pleno jure ſpectantia, monitis, precibus, exhortationibus, & præceptis ſacri collegii reverendorum patrum dominorum Cardinalium ipſius eccleſiæ, propter hoc directis eiſdem, penitus vilipenſis, hoſtilem proceſſum habere feſtinant in divinæ majeſtatis offenſam, Apoſtolicæ ſedis grandem injuriam, & contemptum, & non modicam turbationem fidelium, & grave ſcandalum circumpoſitæ regionis.

Cum itaque tam temerarium, tamque deteſtabilem, & ſuperbum hujuſmodi exceſſum civium prædictorum præfatum collegium ferat non immerito graviter & moleſte, ac proinde plurimum perturbetur; nos ipſius auctoritate collegii, nobis in hac parte commiſſa, univerſitati veſtræ ſub excommunicationis pœna in perſonas, & interdicti in civitatem veſtras, ac duorum millium marcharum argenti pœnis, quas ipſo facto incurrere volumus, ſi ſecus feceritis, in hac parte diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus præfatis Urbevetanis nullum contra caſtrum & terras eccleſiæ Romanæ prædicta, & habitatores eorum, per vos, vel per alium, aut alios impendatis conſilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum: & ſi forte ipſum præbuiſtis eiſdem, illud pro poſſe infra quatuor dies a receptione præſentium revocetis. Et nihilominus vobis auctoritate prædicta præcipimus, ut ad requiſitionem diſcreti viri magiſtri Petri de Piperno rectoris patrimonii B. Petri in Tuſcia ſedis Apoſtolicæ capellani, eidem eccleſiæ ſuper hujuſmodi negotio, prout tantæ neceſſitatis articulus exigit, veſtrum tam in equitibus quam peditibus favorem & auxilium promptis & efficacibus ſtudiis præbeatis; ſic noſtris, immo potius memorati collegii ſuper hoc mandatis humiliter & efficaciter pariturі, ut de promptitudine devotionis poſſitis exinde merito commendari. Alioquin ad exactionem pœnæ ſupradictæ, ac alias etiam contra vos, & terram veſtram ſpiritualiter & temporaliter, prout expediens fore videbitur, & qualitas facti ſuaſerit, actore Domino, procedetur, &c. Dat. Peruſii v. kal. junii anno Domini MCCXCIV. Apoſtolica ſede vacante.

II. Perſtitere in Cardinalium fide Viterbienſes, ac ſubjectis tabulis (*b*) non ſenſiſſe cum Urbevetanis ſunt profeſſi, atque etiam edicto propoſito vetuere ne quis perduellium caſtra ſequeretur: *Memoratis literis diligenter lectis, expoſitis, & publicatis in palatio communis Viterbienſis, dicti priores incontinenti nomine ſuo, totius conſilii, & communis Viterbienſis reſponderunt, quod mandatum dominorum Cardinalium, & quæ in prælibatis literis continentur, pro viribus adimplebunt; & quod Urbevetanis non dederunt, nec dabunt conſilium, auxilium vel favorem, publicum vel occultum; & ſi aliqui publice vel occulte de civitate, vel diſtrictu Viterbii dediſſent dictis Urbevetanis aliquod auxilium vel ſubſidium, publicum vel occultum, illud infra quatuor dies ſub pœna capitis revocarent: & ſtatim indixerunt exercitum, & fecerunt præconizari, quod omnes eſſent parati equis & armis ad ſervitium prædictorum dominorum Cardinalium, & ſanctæ matris eccleſiæ. Actum & datum ut ſupra*, nimirum anno Chriſti MCCXCIV ind VII. die penult. maii Apoſt. ſed. vacante. At de his hactenus: nunc initi a Cæleſtino pontificatus hiſtoriam aggrediamur.

(*b*) Ext. ibid.

III. Interpontificii tempus.

Caruerat jam rectore eccleſia annis duobus menſibus tribus, die uno (Nicolaus namque pridie nonas aprilis anno MCCXCII. naturæ conceſſiſſe traditur, Cæleſtinus vero, ut ex actis conſiſtorialibus infra reddendis conſtabit, creatus fuit quinta die menſis julii hujus anni) cum tandem poſt diutinas contentiones Pontificem extra collegium quæſivere, ac repente mutatis animis divinitus, ut viſum eſt, afflati, Petrum e Murrone eremitam, novæ religioſæ familiæ (quæ poſtea Cæleſtinorum dicta eſt) ſectantis S. Benedicti inſtituta patriarcham, in remota Apuliæ ſolitudine macerando corpori ac rebus cœleſtibus contemplandis intentum, elegerunt. De quo hæc Ptolemæus Lucenſis: (*a*) *Anno igitur Domini MCCXCIV.* Et infra: *ad perſuaſionem domini Latini Oſtienſis epiſcopi, & poſt receſſum Regis*, nimirum Caroli Siciliæ, *vota ſua dirigunt Cardinales in quendam eremitam de Abrutio, cujus nomen frater Petrus de Murrone; ipſumque in ſummum Pontificem eligunt, qui vocatur eſt Cæleſtinum* v. *Hic Regi Carolo multum devotus in quadam ſylva ſuum habuit habitaculum: vir maximæ abſtinentiæ & orationis, totus Deo conſecratus.* His conſentanea Jordanus (*b*), Cæleſtini vitæ ſcriptor (*c*), Bernardus (*d*), Martini Poloni appendicis auctor (*e*), S. Antoninus (*f*), Card. Baronius (*g*) & alii tradunt; e quibus Jacobus (*h*) Card. S. Georgii ad velum aureum in præfatione operis hæc commendat hiſtoriæ: *Lapſis vacationis confeſtim annis duobus, quartaque tertii parte, menſis julii principio infra Apoſtolorum octavam, nacta mirifice fratris Petri de Murrone eremitæ viſionis cujuſdam occaſione, eodem Latino inter fratres patreſve cœtus viſionis ipſius ex inopino verbum movente, ſubito Dei nutu idem religioſæ & miræ ſanctitatis vir frater Petrus de Murrone eremita ordinis S. Benedicti, in cella in monte de Murrone ſupra Sulmonem ſita manens, in ſummum unanimi voto, & conſenſu patrum eſt electus in Pontificem.*

Petrus e Murrone eremita creatus Pontifex.

(*a*) Ptol. Luc. hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 29.

(*b*) Jord. MS. Vat. ſign. n. 1960.

(*c*) Caleſt. PP. vita MS. Vall. bibl. ſign. lit. C. n. 25. & 79.

(*d*) Bern. in chr. Rom. Pont.

(*e*) Mart. Pol. in append. l. 4.

(*f*) Anton. in 3. p. tit. 20. c. 8. in princ.

(*g*) Baron. in notis MS. ad hunc ann.

(*h*) Jacob. Card. S. Georgii ad vel. aur. de electione Cæleſtini l. 2. c. 1.

Quæ fuerint cœleſtia illa viſa idem auctor exponit carmine hexametro, & Cardinalium in conclavi ſermocinationes deſcribit.

Solverat obſcuras pallentes æthere noctes.
Sol radians egreſſus aqueis, roſeiſque quadrigis.
Invectus, cum turba patrum de more ſedentum
Convenit, dextrumque latus namque ordine primi
Pontifices tenuere ſacri, levitæque lævum.
At latus objectum ſubductæ hoc tempore ſedi,
Presbyteri rubris, quos luſtrat cardo galeris.

Nonnulliſque interjectis de immatura morte germani Neapolionis Cardinalis, quæ omnes mœrore perculerat, inducit unum e Cardinalibus ita loquentem.

——— cur protinus, inquit,
Unus mente gemens procerum, caligine tetra,

Differimus lacrymas mœſtæ detergere matris?
Curque ſacerdotem ſummum præponere mundo
Negligimus? Cur tanta patres diſcordia nobis?
Hæc cum dicta forent, lætique noviſſima ſermo — Inſperatus electionis modus.
Longior exprimeret, præſumpta relinquere verba
Incipiunt. Sed corde vigil ſuccenſus amore, — Divina viſio de ultione cœlitus impendente expoſita.
Et domitus terrore Dei dimiſſa Latinus.
Aſſumpſit, referens. Ferventi lampade viſa
Res mihi comperta eſt fratres, quos patris honore
Aitollo, memoranda metu, quam dicere fas eſt.
Spiritus omnipotens devotis clauſa revelans,
Et pandens ventura ſuis hoc tempore viſu
Oſtendit: dicitque viro, qui conſonat actu
Et volitis cum lege Dei, quod ni properemus
Sumere Pontificem, mundo qui præſit & orbi,
Ira Dei graviter deſæviet, ixaque fervens
Juſtitia mandanto furet: nec tempora longa.
Nam neque vindictæ motus protenditur ultra
Bis geminum menſem, cum feſta celebria cives
Agglomerant ſuperi plauſu, ſanctiſque colenda
Redditur una dies. Fratres hæc dicta cavendum
Admoneant, reddantque Deo per ſingula charos.

V. Conferunt inter ſe de Petri virtutibus Cardinales.

Addit auctor mox Cardinales, auditis Latini verbis, inter ſe plures de egregiis Petri virtutibus ſermones contuliſſe & quæſiiſſe, num gerendo pontificatui idoneus eſſet: atque omnium primum Latinum Card. ſuffragium ſuum illi addixiſſe, mox alios ſuum adjeciſſe, diſtuliſſe nonnullos, donec Petrus Card. qui ægritudine laborabat, conſuleretur; eoque aſſentiente, ipſos quoque cæteris ſe adjunxiſſe: atque ita omnibus ingenti gaudio ac pietatis ſenſu delibutis, & lacrymis ob rei novitatem ex oculis manantibus electionem celebratam. Cum ergo omnium vota & ſuffragia conſonarent, a Cardinalium collegio provinciam Latino demandatam, ut Petrum omnium nomine eligeret, ut Jacobus verſu proſequitur.

Hunc iterum legere Petrum, prodente senatu
Unanimem sensum, vocemque per ora Latini,
Et Patris, & Geniti, sancti quoque Flaminis unam
Interpellantis deitatem cunctipotentem
Auxilio, dum tuta crucis signacula dextra
Assumit. Sic iste Petrus cognomine Murro
Eligitur. Proceres pariter dehinc laude resultant,
Hincque simul psallunt, dum primus in ordine lævo
Panderet in populum, quem clausit silentia norant.

Communis eorundem consensus in ipso eligendo.

VI. (a) Ext. apud Monach. Celestin. & Vwad. hoc ann. n. 1. ex tab. mon. S. Spiritus de Mugella.

Similia continet decretum, (*a*) quod Cardinalium collegium edidit, ut facti rationem omnibus fidelibus exponeret.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii, & Spiritus sancti; Amen.

Nos miseratione divina frater Latinus Ostiensis, Gerardus Sabinensis, Joannes Tusculanus, & frater Matthæus Portuensis episcopi; Hugo tit. S. Sabinæ, Petrus tit. S. Marci, & Benedictus tit. S. Martini presbyteri; Matthæus S. Mariæ in portica, Jacobus S. Mariæ in vita lata, Neapoleo S. Adriani, & Petrus S. Eustachii diaconi Cardinales, notum facimus quod anno Domini MCCXCIV. mense julii, die lunæ, v. mensis ejusdem Apostolica sede per obitum felicis recordationis Nicolai Papæ IV. vacante, post diversos tractatus diversis temporibus habitos per nos super electione summi Pontificis, quibus non accessit effectus, in communi consistorio solito more convenimus, absente venerabili fratre nostra Petro tit. S. Marci presbytero supradicto, qui erat in hospitio suo infirmitate seu debilitate detentus; demum inter nos ex insperato seu improviso de venerabili ac religioso patre, fratre Petro de Murrhone ordinis S. Benedicti, celebris sanctitatis viro, habita mentione, omnes, qui tunc præsentes eramus in consistorio supradicto, ad personam ejus intentæ considerationis intuitum dirigentes, in ipsum quasi divinitus inspirati, non sine lacrymarum effusione, nullo prorsus discordante consensimus: & venerabiles fratres nostros dominos Joannem episcopum Tusculan. Hugonem & Jacobum prælibatos ad præfatum Petrum presbyterum Cardinalem transmissus ad perscrutandum super hujusmodi negotio votum suum: qui ejusdem fratris Petri audito nomine, devote consensit similiter in eundem, prout iidem Cardinales ad eum transmissi, sicut præmittitur, in nostra præsentia retulerunt: nosque volentes efficacius procedere in hac parte, venerabili fratri episcopo Ostiensi prædicto eligendi suo & omnium nostrum nomine memoratum fratrem Petrum de Murrhone in ecclesiæ Romanæ Pontificem & pastorem plenam, & liberam viva voce concessimus potestatem. Qui, potestate ipsa recepta, nobis præsentibus, ut præmittitur, eam illico efficaciter adimplevit, eundem suo & nostro nomine ex potestate sibi tradita in Romanum Pontificem eligendo; ac nos, electionem de dicto fratre Petro factam per eundem episcopum Ostiensem ratam habentes eundem fratrem Petrum de Murrhone, licet absentem, devote recipimus in nostrum & ejusdem Romanæ ecclesiæ episcopum & pastorem. In cujus rei testimonium & evidentiam pleniorem præsentem scripturam fieri fecimus, nostrisque muniri sigillis & subscriptionibus roborari. Actum Perusii anno, mense, & die prædictis.

Decretum ea de re editum.

Decreti etiam a Cardinalium collegio oratores archiepiscopus Lugdunensis, Urbevetanus & Portuensis episcopi cum duobus notariis apostolicis, qui ipsi Cardinalium literas (*b*), quarum series inferius subjicitur, afferrent, atque ad excipiendum pontificatum adducerent.

VII. Missi ad Petrum e Murrhone nuntii ut dignitatem oblatam admitteret. (b) Ext. ibid.

Sanctissimo patri, & domino reverendo fratri Petro de Murrhone ordinis S. Benedicti, divina providentia in Romanæ ecclesia summo electo Pontifici, miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi sacrosanctæ ecclesiæ Cardinales pedum oscula beatorum.

Purpurati senatus ad Petrum literæ,

Si diffusam facti memoriam soliciti calami prosequeremur officio, & præsentis negotii qualitatem condigna serie ponderaremus, prolixi utique telam dictaminis nos ordiri contingeret, amplique tenoris formare paginam, vestræ sanctitatis clementiæ dirigendam: sed ne prolixitate verborum, aut multiplicatis eloquiis vestrum prægravemus auditum, processum per nos in eodem negotio habitum vobis sub compendio referemus. Vacante siquidem Apostolica sede, per obitum felicis recordationis domini Nicolai Papæ IV. nos post diversos tractatus diversis temporibus per nostræ solicitudinis studium super electione summi Pontificis habitos, quibus optatus non accessit effectus, in communi consistorio solito more convenimus; & tandem inter nos ex insperato seu improviso de vobis habita mentione, omnes ad personam vestram, meritorum virtute conspicuam, intentæ considerationis aciem dirigentes, in vos, operante illo, qui fidelium mentes unius efficit voluntatis, non sine lacrymarum effusione consensimus, prout in decreto super hoc facto plenius & seriosius continetur.

Cum itaque decretum ipsum vobis per venerabiles fratres archiepiscopum Lugdunensem, Urbevetensem & Portuensem episcopos, & dilectos filios magistrum Franciscum Neapoleonis de Urbe, ac Guillelmum de Mandagato Apostolicæ sedis notarios

rios exhibitores præsentium fiducialiter destinemus; sanctitati vestræ instantissime supplicamus, & ex intimo cordis affectu deposcimus, quatenus profunda & sedula meditatione pensantes, quod hujusmodi celebrata de vobis electio, illo qui ubi vult spirat inspirante, processit; attendentes insuper necessitatem multiplicem non solum Romanæ ecclesiæ, quæ longæ vacationis dispendia pertulit, sed etiam totius gregis dominici jamdiu pastoris commodo destituti; innumera quoque pericula, quibus universalis Ecclesia subjacere dignoscitur, nisi in eis per Jesu Christi domini nostri vicarium obvietur, vos divinis dispositionibus, prout decet sanctitatem vestram, mente humili coaptantes, electioni prædictæ tam laudabiliter tantaque concordia celebratæ, pium velitis accommodare consensum; lætificaturi subinde per vestram desideratam præsentiam filiorum vestrorum, qui sumus nos, animos sitibundos, ut quod per nos pia intentione noscitur inchoatum, per vos votivum & celebrem sortiatur effectum. Datum Perusii v. idus julii anno Domini MCCXCIV.

VIII. De admirandis ejus primordiis. (a) Jacob. Card. S. Georg. ad vel. aur. cod. l. 2. c. 7.

Insolitum atque admiratione dignissimum spectaculum fuit, in abditissimo montis recessu Pontificem a Cardinalibus quæri: ut vero plena erat prodigio illius ad pontificatum promotio, ita nec ejus primitiæ miraculis caruerunt (*a*). Natus erat in Molisii comitatu, humili quidem genere, sed pietate conspicuo, atque ex materno utero secundinis in religiosæ vestis morem efformatis, tectus non sine summa admiratione prodierat, & instar Beniamini fratrum duodecim postremus erat. Nec dubia post, cum adolesceret, pietatis ac futuræ virtutis signa explicuit. Cumque literis operam dare jussus esset, non defuit dæmon, qui magnum aliquid de eo præsagiebat, conatus suos adhibere, ut ipsum ab earum studio abduceret: matri enim ementita vatis specie male illi futurum persuadere est conatus. Sed defunctus pueri pater, mulieri cuidam præcepit (*b*), ut uxorem serio moneret, ne filium a literarum studiis revocaret. Quibus vero cœlestibus blanditiis puerum Numen ad sui amorem cultumque alliceret, describit vitæ auctor: (*c*) *Erat puer iste simplicissimus adhuc, & jam primum brevi in tempore psalterium didicerat legere, cum beatissimam Virginem & S. Joannem Evangelistam stantes juxta crucem Jesu sæpe videret, visus est ad ipsum descendere, eumque consolando psalmos cum ipso dulcissime decantare. Angelos quoque de cœlo lapsos, velut pædagogos suos eum instruendo, vidit in somnis sibi assistere, & si quid forte puerili more cum suis cœtaneis minus decens aut dicere aut facere a diabolo tentatus fuisset, suavi cum increpatione piaque castigatione corripere.* Pueritiam egressus cum summo pietatis colendæ desiderio arderet, atque ancipiti cogitationum æstu de vitæ instituendo genere fluctuaret, Romam se contulit, ut ab Apostolica sede consilium exposceret. Profectus in solitudinem ac S. Benedicti institutum sectatus, magno animi ardore corpus macerare, mentemque excolere virtutibus cœpit; cum divina providentia suo servo suffragaretur, quæ inter cætera admiranda noctu edito divinitus campanæ suavissimæ signo ad recitandum divinum officium excitabat. De cujus mira abstinentia ac vitæ genere hæc cecinit Jacobus Cardinalis. (*d*)

Excitari divinitus noctu ad preces fundendas solet.

(d) Jacob. Card. l. 1. c. 7.

IX. Asperrimum vitæ genus Cælestini.

Est complexa cohors, Benedicti dogmata spondens,
Cujus & hic habitusque fuit, moresque professus.
His neque contentus juvenis, nam strictius ipse
Vincebat mores, vitam pertingere gliscens,
Ægypti patrum soli ipsi carpere cellam.
Mos erat & clausam muris ut nullus haberet
Ingressum, solique Deo servire paratus
Continuo parvo celebrabat carcere missam.
Astabatque foris manibus per lustra ministrans
Frater, & affectans fluidam restringere linguam,
Temporibus certis penitus discedere verbis.
Jusserat alloquii. Stratum, cui lignea lectum
Præbebat series scalæ tabulis sibi nexis.
Seu tellus non culta jacens, sed pulvere versa;
Cuique catenarum ferri dent pondera zonam, Castitatis amor.
Succinctis lumbis, ne carnis, pullulet ardor.
Et lapis, aut durum firmumque resistere lignum
Cervicale: rudens nodosis crinibus asper,
Retibus innexus forma paleisque repletus.
Hæc eadem nudis præstabunt tegmina membris Parti de delitiis triumphi.
Hispida, quæ ut gravius stimularent morsibus artus
Ferrea loricæ moles contexta premebat.
Desuper hoc variis peragebas mensibus anni.
Ille die nulla capiebat carnibus esum:
Sed feriis jejunus erat, cunctisque diebus.
*Sola dies Domini huic bis * sumere pastum,* * mer.
At veneris martisque die jejunia pane
Solvebat, calidamque sitim labentibus undis.

Dæmon ingens aliquid de eo præsagiens a studio literar. ipsum abducere nititur fraudes illius a parentis animadversas. (b) Petrus Card. de Aliaco l. 1. c. 2. apud Sur. to. 3. die 19. maii. (c) Id. ib. c. 3.

Divinæ erga eum blanditiæ.

Ut monasticum institutum sectatus sit.

Hunc que modum servare jubet, qui dogmate patris
Arcentur; vir semper aquam, vir limpida puri
Gurgitis hauribat, vitans applaudere Baccho,
Sexque quaterdenas addens, quo fortius omnem
Ingluviem superare queat, carnemque refrænet,
Compellatque ipsam menti per singula subdi,
Illarumque tribus panem, lympham, ac sine nullo
Condimento alio gustans; plerumque refutans
Cocta manu, phœbe noctu, quo cingeret orbem
Non cicer atque fabas lymphis liquidantibus udas,
Non teneras crudas rapas, aliudque legumen,
Castaneas seu poma sibi dulcentia succo.
Sat tribus illarum solitus conjungere missum
Insipidumque cibum, fructusque modestius. Auctis
Contemplationis rerum divinarum assiduitas. *En vigiles peragendo dies noctesque quietas,*
Versibus orabat psalmi, manibusque, genuque
Sæpe solo flexus callosa pelle ferebat,
Carnem: nec dubium, quin claro proximus orbi
Contemplando Deum fieret, Christique saporem
Melliflui vicibus speculando lamberet ardens,
Ne qua mora obtusum, segnem, vel forte periclis
Redderet expositum manibus munuscula doctis
Cilicium eremi texebat, opuscula fratrum,
Insuper & varios, quamvis religaret habenis;
Attamen & parvo sese submittere norat
Abbati famosus herus: quem fama fugacem
Insequitur, populusque volens hunc cernere clausum,
Post hæc tempestum reputamus scribere metro.
Constantia in suscepto instituto. *Vix credenda viris, quæ dudum tempore prisco*
Novimus. En decies quadrato subdere corpus
Menti jussit amor, divino fonte relabens
Taliter, ut spretis, quæ gustus organa mulcent
Omnibus, ipse cibum viridis plantaginе caulis
Sumeret, aut coctis foliis, sed stipite crudis
Proferit, ut palmes crispatis undique nervis,
Inque sitim vivi torrentis gurgite lympham,
Hauriret, non plura feram. Vir ille supernus
Cilicio est pro veste usus, soloque tegente
Corpus, & interdum loricæ pondere fractum,
Mira senis, sed mira viri sic septa voluntas.
Admiranda tamen virtutis gloria præstans,
Quæ potuit priscam servare ad tempora vitam,
Gratia languentes firmabat nexibus artus.
Quis titulos castæ laudis, quis fortia grandis
Virtutis, quis septa gulæ jam lubrica, quisque
In lacrymis gemitusque modum præscribere promptus?
Quis tua longanimis perquirere singula Miracula patrata. *tentet?*
Sunt qui te variis referant micuisse sub æthra
Miraculis: quod fama loquax non occulit urbes,
Sæpe novis tantis agitans, hæc sæpius ipse
Audieram dederamque fidem. Nunc limite metri,
Sufficiat narrasse, patrem fulgoribus illis
Intendisse animum decies tribus amplius annis,
Forte decem geminis, vero si consona fama est.

Ducentem igitur hoc vitæ asperrimum X. genus adiere oratores, ac venerandum senem inculta veste horridum, squalidum macie, tumentibus ex continuo lacrymarum profluvio palpebris conspicati, se ad illius genua demisere. Quibus ille attonitus vicissim ad eorum genua procubuit. At illi exposita adventus causa, & Cardinalium suffragiis e scripto prolatis, vix a colendæ solitudinis suscepto consilio Petrum abducere, atque ejus constantiam in respuenda summa dignitate infringere potuerunt. Scribit Petrarcha augustissimæ dignitati fuga se subducere meditatum, e qua illum accurrentium populorum retraxit pietas (*a*): *Statim*, inquit, *ab initio tentavit fugam cum discipulo quodam suo Roberto Salentino tunc juvene; sed inopinata & subita populi multitudine circumventus, cum evadendi nulla spes esset, in discipulum versus quæsivit, an se ad excelsa tractum & cou-*
Tentat fugam Petrus. (*a*) *Petrarch. de vit. solit. l. 2. sect. 3. c. 18.*

Magnis precibus fatigatus, ac Numinis tantum metu pontificatum admittit. *coactum sequi vellet? Ille autem, qui a magistro didicisset mundum spernere, Christum vero, & quibus ad Christum itur, virtutem, pacem, silentium, & solitudinem amare: Quæso, ait, ut & labori & periculo meo parcas, meque potius cellæ inopis & tuti otii successorem, quam divitis, ac solicitæ gloriæ participem velis: quod & factum est.* Cum itaque viro Romanæ ecclesiæ nuncii aliique pii viri divini judicii metum, ac religionem incuterent; atque inter cæteros Petrus Columna diaconus Cardinalis qui eo injussus provolarat, instaret, ne divinæ voluntati reluctaretur; pontificium munus admisit. Mox qui aderant in genua provoluti, pedibus oscula supplices libavere, ac magnifico comitatu deduxere. Carolus enim Martellus, ut Jacobus refert, (*a*) Ungariæ Rex ac Siculi sceptri heres, eo accurrerat. Queritur vero auctor inverso ordine, dum graderetur, dextrum latus Regi Carolo, Cardinalibus vero sinistrum dedisse, atque in ipsius consilia laicos irrepsisse, quorum prudentiæ Ecclesiæ negotia permittebat.

(*a*) *Jacob. Card. l. 2. c. 4. & l. 3. c. 1.*

Pontificis magni dextrum latus ordine verso
Excepit Carolum Regem, qui præsidet arvis
Appuliæ; laicæque manus subrepere passim
Consiliis tentant divi in præcordia Patris.

Negat equo, sed tantum asino vehi. Addit inde eas graves literas ad Cardinales Perusii agentes emanasse, quibus ob æstatis fervorem longius progredi non posse rescripsit. Suscepto vero summo Pontificatu tantum a fastu abfuit, ut ne equum conscendere, sed asinum exemplo Christi voluerit, cujus potius sapientiæ quam humanæ conformandum se arbitrabatur: atque in ea pompa quam describit, (*b*) Aquilam Regibus Siciliæ & Ungariæ asini fræna tenentibus est ingressus.

(*b*) *Id. ib.* Siciliæ & Ung. Regibus asini fræna tenentibus, Aquilam ingreditur.

Intumidus vilem Murro conscendit asellum,
Regum fræna manu dextra lævaque regente
Pontificis. Plures visu stupuere, videntes
Sic humilem memorando Deum, cui præbuit omnis
Obsequium natura, placens sedisse benignum
Hoc animal, dum Juda suas effusa coronas
Obvia prostravit vestes, ramosque recisos
Rettulit in laudem Christo viridantis olivæ.

XI. Non defuere qui Cælestini consilium damnarent, cum ad servandam Ecclesiæ majestatem sanctissimi viri regiam pompam, a qua penitus alieni erant, passi essent. Et quidem Cardinales, ac Siciliæ & Ungariæ, Reges, qui accurrerant, ab eo demissionis Christianæ consilio frustra revocare conatos, narrat Petrus Cardinalis de Aliaco his verbis (*c*): *Cum audita ejus electionis fama Reges Siciliæ & Ungariæ veloci cursu ad eum pervenissent, & relicta cella ad monasterium S. Spiritus cum eis descendisset, & peractis ibi aliquot diebus ire Romam disponeret, non magnum equorum apparatum, sed parvum asellum sibi adhiberi præcepit. Quod Reges admirantes, ac alii Cardinales viæ ejus comitantes vestigia, suadebant ne hanc ecclesiæ Dei inferret injuriam. Sed ab incepto humilitatis proposito eum frustra conantur abstrahere, nam usque ad civitatem Aquilæ super asellum sedens, honorabili ac innumerabili turba comitatus accessit. Hoc autem ab eo factum est non quidem superba singularitate, quasi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit, sed singulari humilitate, qua a sanctæ rusticitatis monastica consuetudine nec facile nec cito avelli potuit. Hos quippe magnificos apparatus sive in equis, sive in vestibus ac aliis exterioribus ornamentis, quos plerique pompas vocant, a tempore B. Silvestri Papæ sancti patres non solum summi Pontifices, sed & alii minores episcopi non ad suam, sed ad Christi & Ecclesiæ ejus gloriam extollendam introduxisse credendi sunt: quos exterius cum temperantiæ moderamine observare, interius tamen servata humilitate, non est vanitatis aut vitii, sed est virtutis ac meriti. Unde graviter increpandi sunt illi, & præcipue monachi, qui sub prætextu humilitatis propter hujus consuetudinis observantiam statui episcopali superbe detrahunt: multa namque in talibus decent episcopos, quæ non decent monachos, aut eorum abbates, vel prælatos sicut B. Bernardus testatur, dicens: Alia quidem est causa episcoporum, alia monachorum. Scimus enim quod illi sapientibus & insipientibus debitores cum sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis. Quod autem Christus illam singularem hujus servi sui humilitatem non sibi ac Ecclesiæ suæ imputaret ad injuriam, sed ad honorem, singulari voluit declarare miraculo. Nam cum multi post eum infirmi portarentur, ut saltem possent ejus tangere fimbriam vestimenti (erat enim totius populi mira erga eum fidei devotio) homo quidam, filium suum ambobus pedibus claudum portans, cum ad virum sanctum præ multitudine non valeret accedere, asellо de quo descenderat puerum imposuit, qui, sanitate recepta, ab illa hora firmiter ambulavit.* De restituta pedum firmitate inopi
(*c*) Petr. de Aliaco l. 2. c. 11.
Quibus ex causis Pontifices externam pompam fuerint passi.
Demissio Cælestini insigni miraculo divinitus commendata.

pi contracto, qui magnis precibus obtinuit asino imponi, cui Cælestinus Christi, cujus vices gerebat, exemplo insederat, meminit etiam Westmonasteriensis (a).

(a) Vvestmon. Flor. hist. hoc ann.

XII. Interea a reliquorum Cardinalium collegio missæ ad Cælestinum literæ (b), quibus precabantur, ut Perusium veniret: leniri humana industria itineris labores posse: ingruere innumera pericula. Apuliæ ob Siculorum & Aragoniorum bellum. Imitaretur exemplum Martini prædecessoris, qui rebellantibus Siculis, licet ad suos defendendos comprimendosque hostes ferretur, consilio tamen Cardinalium in Apuliam non esset profectus: ac si Perusium adire nollet, vel saltem ex Siculo regno tumultuum ac periculorum pleno discederet. Sed nihil apud ipsum Cardinalium preces potuere, in Neapolitano enim regno ad confirmandas res suas eorum opera, qui in aula pontificia erant, detinere Carolus nitebatur, qua de re hæc Ptolemæus Lucensis (c): *Attendendum, quod ipso creato simul cum decreto Cardinalium literas eidem transmittunt, & suæ sanctitati significant, ut ad locum communem, ubi sua facta erat electio, dignaretur venire. Ille vero ad instantiam Regis venire recusabat: quinimo eisdem mandavit, ut ad ipsum veniant. His igitur peractis dominus Latinus graviter infirmatur, [1] in quo totum pondus incumbebat super electione Cælestini. Hic enim dominus Latinus vir fuit magnæ religionis & sanctitatis, & ex devotione specialiter conjunctus fuerat fratri Petro de Morrone, eidemque singulis annis a tempore suæ notitiæ specialem eleemosynam transmittebat, suosque confratres, qui morabantur Romæ, ubi claustrum habebant prope sanctum Petrum. Ex hac ergo familiari devotione & confidentia bonitatis fuit motus ad suadendum de ipso, ut in summum assumeretur Pontificem. Aggravatus igitur ægritudine moritur Perusii, de quo magna & virtuosa dicuntur & exemplo digna. Sed redeundum est ad Cælestinum, quia sibi persuaderi non potuit ut veniret Perusium, sed in Aquila aliquo tempore pedem fixit. Tantus autem fuit ibidem concursus ad ipsum de villis & castris, quod stupor erat videre; quia magis veniebant ad suam obtinendam benedictionem, quam pro præbendæ acquisitione: unde oportebat eum sæpius ad fenestram accedere ad benedicendum populum, victus eorum clamoribus: quod & ego vidi, & præsens fui quando ista fiebant. Interim autem Cardinales aliqui præcedunt ad Papam, aliqui subsequuntur versus Aquilam: ultimus tamen ad veniendum fuit dominus Benedictus Gaytani, & dubitabatur quod non veniret, quia Regem verbis offenderat in Perusio. Venit igitur ultimo, & sic scivit deducere sua negotia, quod factus est quasi dominus curiæ.*

(c) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.24.c.30.

Latinus episc. Ostien. moritur.

Mirus populorum ad Cælestinum concursus.

XIII. Cum Aquilam confluxissent Cardinales, agitata de sacrando Pontifice consilia. Quæ celebritas die decollationi S. Joannis Baptistæ sacro perfecta, ut refert Petrus de Aliaco Cardinalis (d): *In dicta*, inquit, *civitate Aquilæ, vocato Cardinalium cœtu Pater sanctus in festo decollationis S. Joannis Baptistæ coronam aliaque apostolica suscepit insignia: & quia in terris habitans, jam cœlestis erat, & cum Apostolo vere dicere poterat: Nostra conversatio in cœlis est; in sua coronatione Deo, ut credimus inspirante, Cælestini nomen accepit.* Describit pluribus carmine Jacobus (e) Cardinalis servatos ritus, utque Latino Ostiensi episcopo, ad quem Pontificis sacrandi vetere instituto spectabat defuncto, Hugo Cardinalis ea dignitate ornatus sit & sacratus a Beneventano archiepiscopo. Dein prosequitur, ut novus Pontifex papalia insignia induerit.

(d) Petr. de Aliaco Card. l.2. c.12. Ptol. Luc. l.24. c. 29.

(e) Jacob. Card. l.3. c.5.

Cur Cælestini nomen acceperit.

Est modus inventus magnæ novitatis & urgens,
Spernere consilium promptum, quo præsulis almi
Funere vix gelido cœtu distante sacrari
Mandarit Murro post hæc sacrandus Hugonem
A patre Samnitum, necnon insignia rubra
Sumpserit, & mantum, mithram, cinctumque, lapillum
Obrizoque auro. Fuerant hæc danda per armum,
Levitæque manu Rubei; sed tanta vetusto
Confert Neapoleo. Transfert tunc nomina Petrus
In Cælestinum, quod vulgat plebibus idem
Neapoleo. Subjecta pedum dant oscula proni

Servati in eo sacrando ritus.

Pon-

NOTÆ [1] Obiit hoc anno Latinus cardinalis Ursinus Ostiensis & Velitrensis episcopus, vir pietate, scientia, dexteritate agendi insignis. Ejus elogium habes in annalibus ex Ptolemæo Lucensi desumptum. Unum hic addendum censeo, eo tempore, quo legatum in Romandiola agebat, constitutiones ad disciplinam ecclesiasticam reparandam aptissimas dedisse, quibus episcopos Italiæ opportune usos fuisse non dubito, cum Bernardus Aquilejensis patriarcha in synodo provinciali Aquilejensi anni 1339, de qua in nota ad eundem annum, earum meminerit atque servandas edixerit. MANSI

Pontifices, Reges, clerus, comites, procereſque.
Ipſe tamen copulo dextra proſpectus ab alto
Exhibuit ſublimis apex ſignacula Chriſti.

Et infra:

(a) lb.c.6. *Veſtibus (a) ornati byſſis, auroque decoris*
Inſiſtunt operi proceres, præſulque novellus
Velletrenſis Hugo liquidam fundebat olivam
In caput electi, cui pallia candida lanæ
Inſuper altari grandis levita Mathæus
Et in conferenda papali corona. *Obtulit, & phrygium gemmis auroque coruſcum.*
Poſt celebrata Deo miſſæ ſolemnia, Papæ,
Impoſuit capiti, populo ſpectante, coronam.
Deforis en thalamus campo ſublimis aperto
Structus erat juxta templum, quo turba ſedentem
Cerneret hunc apicem, nimium populata pedeſtris.
Hinc albo provectus equo proceſſit in urbem,
Quam dixere Aquilam, ſervat proceſſio ritum,
Ante ducem tendens longis clamoribus actum.
Diſcubuitque ſuis cum fratribus ordine præſul,
Ut decet antiquus regni mos feſta peragrans.

Concurriſſe ad eam celebritatem tantam hominum multitudinem, ut ad ducenta hominum millia aſcenderet, teſtis eſt oculatus Ptolemæus Lucenſis (b). Ad conſecrandam vero poſteris rei geſtæ memoriam eccleſia, in qua peracta celebritas, ſacris indulgentiis exornata eſt. Quarum quidem literarum forma inuſitata ſubjectis verbis concepta eſt (c): *Nos qui in ipſius ſancti decollatione capitis in eccleſia S. Mariæ de colle Madio Aquilano ordinis S. Benedicti ſuſcepimus diadema impoſitum capiti noſtro inſigne * hymnis, & canticis, ac fidelium devotis * oraculis cupimus venerabilius honorari: ut igitur ipſius decollationis feſtivitas in dicta eccleſia præcipuis extollatur honoribus, & populi Domini devota frequentia tanto devotius & ferventius honoretur, quanto inibi quærentium Dominum ſupplex poſtulatio gemmas eccleſiæ donis micantes ſpiritualibus ſibi reperiret æternis tabernaculis profuturas, omnes vere pœnitentes & confeſſos, qui a veſperis ejuſdem feſtivitatis vigiliæ uſque ad veſperas feſtivitatem ipſam immediate ſequentes ad præmiſſam eccleſiam acceſſerint annuatim, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, a baptiſmo abſolvimus a culpa & pœna, quam pro ſuis merentur commiſſis omnibus & delictis. Dat. Aquilæ XII. kal. octobris pontificatus noſtri an. I.* Sed cum hoc beneficium in perniciem potius quam ſalutem animarum vergere a Bonifacio crederetur, ſequenti anno ab illo revocatum eſt (d): ac poſtea animadverti in eos juſſit, qui eam eccleſiam prætextu indulgentiarum adirent (e).

(b) Ptol. Luc. hiſt. eccl. l.24. c.29.

(c) Ext. in libell. Vall. MS. privilegior. eccl. Aquilanæ p.13. * cum * orationibus

(d) Bonif. l.I. ep. cur. 120.

(e) Ib. ep. 155.

XV. Confirmatus Cælestin. ordo.

Reſciſſa (f) ſunt plura alia Cælestini geſta a ſucceſſore, ſicque in ſilentio & tenebris jacuere, quæ eruenda in lucem nobis viſa ſunt, cum tanti Pontificis ſanctitatem, ac divinam qua excellebat ſapientiam redoleant: pervenit enim in manus noſtras MS. tabularii Vaticani, in quo inſignia Cælestini monumenta deſcripta ſunt ac primum encyclicæ ad præſules de ſuſcepto pontificatu occurrunt ipſius literæ, hiſce verbis conceptæ (g).

(f) Ptol. Luc. l.14. c.36.

(g) Ext. in MS. Arch. Vat ſign. n. 539. ep.1. & in MS. bibl. Vat. ſign. n. 3977. p. 186.

Cælestinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus archiepiſcopo Ravennati, ejuſque ſuffraganeis ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Mirabilia Dei judicia, quorum ſcrutationes multa tremenda pariter & ſtupenda mortalibus ſic ingerunt ſic intellectum tenuem noſtræ imbecillitatis excedunt, quod cum ſit ſuper omnes terræ terminos, lumen ejus ad contemplandam altitudinem divitiarum ſapientiæ ac ſcientiæ ſuæ immenſæ nec comprehenſiones humanæ ſufficiunt, nec depreſſi ſenſus noſtræ humilis fragilitatis attingunt. Ipſe quidem, terribilis in conſiliis ſuper filios hominum, dominatur in virtute ſua in æternum: & cum ſit ſpectator omnium, cunctorum præſcius, viſionique, ejus præſens ſemper æternitas, ſic cum noſtrorum actuum futura qualitate concurrit, ut cuncta ſuaviter diſponat recto judicio, & creata ſingula arbitrio moderetur æterno. Ipſe cœlos, terram creavit, & maria; ac pro ſoliditate firmiſſima ſacroſanctam Romanam eccleſiam ſupra petram fidei ſoliditate firmavit, illud ei tribuens in apoſtolicæ profeſſionis fortitudine fundamentum, ut quamvis ſtantibus ventis fluctuare videatur interdum; ingruentibus tamen fluctibus, nequeat procelloſæ tempeſtatis mergi. Licet enim vel crebra decedentium mutatione ſanctorum in varias fluctuationes frequenter inciderit, & per mundanæ malignitatis incurſus perſecutionibus gravibus fuerit fatigata frequentius; nunquam tamen eam cœleſtis conſilii altitudo deſeruit, quo minus robur ipſius, in hujuſmodi tribulatione proficeret, & inde obtineret ſpei ſuæ gaudium, unde receperat fidei firmamentum.

Cælestini de inito Pontificatu literæ.

Ut diu Cardinales circa deligendum Pontificem dissenserint.

Piæ siquidem recordationis Nicolao Papa IV. prædecessore nostro debitum naturæ solvente, ejusque corpore honorificentia debitæ ecclesiasticæ tradito sepulturæ, habitus est a fratribus nostris de futuri pastoris substitutione tractatus; in quo successive, proh dolor! ipsa Romana ecclesia per non modica spatia temporum viduitatis incommoda deploravit: sed benignus sapientiæ Spiritus, in ipsis vespertinis angustiis rigans montes de superioribus suis, eorundem fratrum corda disparia pia inspiratione præveniens, subito & celeriter conjunxit in unum, illud momento quasi perficiens, ad quod diffusi temporis spatium fructum debitum vix adduxit. Ipsi namque fratres denuo de sola providentia summi Patris & ejus permissione mirabili in humilitatem nostram omnes unanimiter concordantes, nos tunc fratrem Petrum de Murrone ordinis S. Benedicti ad summi apostolatus apicem evocarunt, nobis decretum evocationis hujusmodi per speciales eorum nuncios destinantes. Quamquam autem tanti oneris moles, nostris debilibus

Ut pontificatu sibi delato obstupuerit.

importabilis humeris (utpote qui in humili statu positi & solitudine eremi longissimis educati temporibus, mundanorum negotiorum cura deposita, elegeramus semper pro tutiori consilio in domo Domini solitarii abiici) nostram insufficientiam stupore nimium tremendæ discussionis invaderet; considerantes tamen, quod prolixior mora in subrogatione pastoris trahebat ecclesiæ, ac gregi dominico periculosum per universa mundi climata nocumentum; & ne vocationi divinæ resistere videremur, demum confidentes in illo, qui facit fortem ex debili, balbutientibus eloquentiam tribuit, exurgit benignus in occursum timentium & implorantium nomen suum, in semitis suis clementer dirigit & perficit gressus hominis, ac sperantes in eo nunquam deserit inconsultos, & a quo vocationem

Implendi divini imperii studio illum admiserit.

nostram hujusmodi processisse fideliter supponimus, & humiliter confitemur; impositum nobis onus ipsum assumpsimus, ac in eo divinæ misericordiæ nostrum subjecimus imperfectum; sperantes, quod ipsa benignius in beneplacito suo diriget actus nostros ad sui laudem & gloriam, exaltationem ipsius matris ecclesiæ, ac statum prosperum fidei Christianæ; nec nos, inexpertum & humilem in tam grandis maris altitudine positum, sua dispositione derelinquet a fluctuationibus non adjutum.

Commendarit se præsulum & fidelium precibus.

Universitatem itaque vestram monemus, rogamus, & obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus diligentius attendentes, quod vos in quamdam solicitudinis nostræ partem injunctum vobis officium & cura singularis electionis evocavit, sic nobis cum orationum suffragiis aliisque placantibus majestatem divini nominis continuatis intercessionibus assistatis, quod tanti ponderis molem, vix ministerio humano portabilem per illius suffragium supportare possimus; qui ad hoc nos vocavit seu evocari de sua profunda dispositione permisit, ut nos & gregem nobis commissum sic supernus ille Pastor de sua benigna protectione custodiat, quod nostris temporibus nulla sentiat diminutionis incommoda, sed multiplicata recipiant restaurationis augmenta; unde, sedatis undique scandalis, pace firmata, & libertate sanctæ matris ecclesiæ solidis munimentis instructa, virtus Altissimi ruinas impleat, scissuras reparet, & conquassata restauret; sicque probatam fidem catholicam firmet & augeat, quod congregatio adducta fidelium laudabiliter vivat in terris, ut mereatur habere perpetuo gloriam in excelsis. Cæterum, fratres & filii, affectum vobis charitativæ benignitatis expandimus, & sinum charitatis solidæ aperimus, proponentes in quibus cum Deo poterimus honori vestro deferre, ac vestra & ecclesiarum vestrarum commoda, pro quibus ad nos recurrere cum securitate poteritis, in promptitudine benevolentiæ promovare. Datum Aquilæ, &c.

Certiores etiam facti de susceptis ab eo ecclesiæ gubernaculis singuli Christiani Reges, (a) atque ad administrandam æquitatem pacemque publicam alendam solicitati fuerunt: *Excellentiam*, inquit, *regiam monemus, & hortamur attente in Filio Dei Patris, quatenus recognoscens a Domino tibi traditam potestatem, sic insemitis mandatorum suorum ambules & in conspectu ejus linees vias tuas quod per cultum justitiæ, religionis amorem, & observantiam æquitatis, æterno Patri gratum te præbeas, & per tuam utile ministerium firmetur thronus præsidentis in solio, pax & tranquillitas subditis tuis proveniat, & vicinis gentibus quies placida per respersionem quandam fructuosæ alluvionis accedat. Nos enim ad personam domumque regiam, de qua propagabiliter successivis ordinibus filii benedictionis & gratiæ prodierunt, sic affectu præcipuo & zelo charitatis afficimur, quod vehementer appetimus & oramus te in actibus tuis proficere laudandis exemplis, & cum Dei beneplacito crescere continuis incrementis. Datum ut supra.* In supremo autem illo rerum fastigio a Deo positus Cælestinus, quosvis pro re Christiana labores impigre subire paratus erat: eumque animadverteret turbidos Siciliæ motus maximam cladem religioni invexisse, secumque Syriæ traxisse exitium, ac longe graviora damna imminere, ni pristino statui res Sicula restitueretur, eo primas curas convertit, agitatam a Carolo II. & Gallis fœderatis cum Jacobo Aragonio de pace actionem firmavit, suisque distinctas capitibus singulas pactiones subjecto diplomate (b) sanxit.

(a) *Eod. MS. Arch. Vat. sign. n. 539. post ep. 1. Reges ad administrandos pie principatus solicitati.*

Restituendæ in Syria religioni a Cælestino data opera.

(b) *Ext. in eod. MS. arch. Vat. sign. n. 539. ep. 2.*

Cæ-

Cælestinus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Ut Siculorum rebellio orienti attulerit exitium.

*Post commotionis & rebellionis strepitum, in insula Siciliæ ex adipe iniquitatis exortum, & subsequentem invasionem & occupationem ipsius factam per quondam Petrum olim Regem Aragonum, ex ipso rebellionis & invasionis excessu, & continuatione reprobabili posterorum, prout supponunt sana judicia, eventusque declarant * mundo flagitia, fluctuationes, collisiones regnorum, guerrarum dissidia, quæ animarum pericula, corporum strages, facultatum lapsus, & destructiones innumeras induxerunt. Hinc multa non facile numeranda discrimina, hinc graviter deploranda contritio, & in terra Domini gravis admodum pudendaque confusio populi Christiani. In quorum turbinibus, licentia laxata dissidiis, quantum charissimus in Christo filius noster Carolus Siciliæ Rex illustris, idemque regnum oppressi fuerint, & contra Deum & apertam justitiam multiplicibus pressurarum generibus prægravati, volantis famæ notorium publicat, & fere per universa mundi climata ipsa injuriosa transgressionis evidentia manifestat. Verum idem Rex Siciliæ, ambulans in viis Domini, & per semitas charitatis ingrediens, post suam liberationem a carcere, ut hostes ejus & sanctæ Romanæ matris ecclesiæ revocaret a devio, & pacis fructum sibi & multis mundi principibus procuraret, per diversas & remotas orbis terræ provincias laboravit, non parcens laboribus corporis, nec cohibens profluvia in expensis. Post excursiones vero temporum, & tractatus multiplices, diversos, & varios, qui facit concordiam in sublimibus suis Jacobi de Aragonia (præfati quondam Petri olim Regis Aragonum successoris in vitium, præfatam insulam & nonnulla alia loca in regno Siciliæ citra pharum occupata tenentis, hostis ecclesiæ Regisque dictorum, ut insinuatio nobis & fratribus nostris facta continet) animum convertit ad pacem: sicque inter jam dictos Regem & Jacobum tractatus pacis est habitus, qui quatenus tractatus ipse tangit nos & Romanam ecclesiam ejusque in eo includitur interesse, prout ipsius Regis habet assertio, sano ipsius intellectu servato, sed in propriis & superfluis ejus verbis omissis, præsenti serie annotatur.*

* provenerunt.

De inita inter Carolum Sic. Regem & Jacobum Aragonium pacis actione.

Data a Carolo spes de restituenda Aragoniis ecclesiæ gratia.

Habet quidem ex parte dicti Regis in eodem tractatu expressa promissio, quod ipse bona fide cum sacrosancta Romana ecclesia procurabit, quod misericorditer, gratiose, & sine difficultate per ipsam relaxarentur ecclesiam omnes sententiæ excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & quælibet aliæ, quæ latæ fuerunt per eandem ecclesiam ratione guerræ præscriptæ contra Petrum de Aragonia & Jacobum prædictos; nec non Fridericum & quondam Alfonsum filios dicti Petri, & quaslibet alias personas ecclesiasticas vel seculares, cujuscumque dignitatis aut conditionis existant, fautores, valitores ipsorum, capitula, universitates, & loca eorum: dispensatur quoque per ipsam ecclesiam cum illis, qui sic excommunicati immiscuerunt se divinis, vel violaverunt interdictum scienter, vel susceperunt ordines & ministraverunt in ordinibus sic susceptis; ita ut in eorum beneficiis & dignitatibus secure remaneant sicut prius, antequam dictæ sententiæ latæ forent: & pro hujusmodi relaxatione & dispensatione facienda celerius specialem personam ordinabit ecclesia aliquem de prælatis regnorum Aragonum & Valentiæ, aut comitatus Barciloniæ, qui prædicta compleat ex ejusdem ecclesiæ po-

Conventa Caroli cum Aragonio redintegrata.

testate: quodque, facta prius per charissimos in Christo filios nostros Philippum Regem Francorum & Carolum fratrem ejus Aragonum renuntiatione legitima de prædictis regnis & comitatu claræ memoriæ Philippo Regi Francorum ipsorum parenti per ecclesiam ipsam concessis, sententia lata per sedem Apostolicam contra dictum Petrum de Aragonia super depositione seu privatione prædictorum regnorum Aragonum & Valentiæ & comitatus Barciloniæ, & processus ex ipsa sententia habiti, præfato Jacobo dicta regna & comitatum tenenti, & ejus heredibus non noceant, neque præjudicent; sed per restitutionem reddituum, atque concessionem dictorum regnorum & comitatus, faciendam per eandem sedem Jacobo memorato, sint & remaneant idem Jacobus & heredes sui in illo jure & dominio prædictorum regnorum, comitatus, & jurium, in quibus erat præfatus Petrus olim Rex Aragonum pater prædicti Jacobi antequam ipsam Romanam ecclesiam in aliquo offendisset. Amplius ex ipsius promissionis & tractatuum colligitur sententia, quod per prædictas restitutionem, redditionem, & concessionem de dictis regnis ac comitatu, eidem Jacobo per ecclesiam faciendis, nullum jus eidem acquiratur ecclesiæ, nec retineatur in illis occasione retentionis seu reservationis, quam fecit ecclesia in dictis regnis & comitatu, cum ipsa prædicto Philippo Francorum Regi concessit: sed prænominato Jacobo suisque heredibus seu successoribus in eisdem regnis, comitatu, & juribus sua jura firmata & illibata consistant, nec ex his sibi vel suis in aliquo præjudicium generetur.

Ab eodem etiam Rege Siciliæ deducitur in promissum, quod eadem pia mater ecclesia præfatos Jacobum, Fridericum, valitores, & adjutores eorum ad sinum gratiæ suæ clementer recipiet, eisque omnes injurias, offensas, & damna irrogata per ipsos & prædecessores eorum eidem ecclesiæ misericorditer & gratiose remittet; & quod de mobilibus vel se moventibus, quæ dicti

Jacobus, prædeceſſores, valitores, vel adjutores eorum de bonis ipſius habuerunt Romanæ eccleſiæ, vel de aliis eccleſiis, locis religioſis, & perſonis aliis quibuſcumque, poſtquam dicta guerra extitit inchoata, ac de expenſis, quas eadem eccleſia in ipſa guerra, vel ejuſdem occaſione ſubivit quoquo modo, idem Jacobus & heredes ſui per eandem eccleſiam, prout ad eam pertinet, perpetuo quietentur: quodque prænominata eccleſia omnes & ſingulas de inſula præfata Siciliæ & inſulis ei adjacentibus & aliis locis regni Siciliæ, qui ſe publice cum dicto Jacobo tenuerunt, ad benignitatis ſuæ gratiam miſericorditer & gratioſe recipiet, eiſque omnes offenſas & injurias contra jam dictam commiſſas eccleſiam relaxabit: mittetque ſpecialem nuntium ad præfatam inſulam, qui interdictum de ipſa removebit & tollet, omneſque ligatos excommunicationis & ſuſpenſionis ſententiis quibuſcumque locis ratione vel occaſione guerræ præteritæ benigne, gratioſe, & ſine obſtaculo difficultatis abſolvet; diſpenſabit etiam gratioſe & ſine difficultate, cum irregularibus irregularitatis nodo ejuſdem guerræ ratione vel occaſione ligatis; ita quod prælati, clerici, & religioſi remaneant in ſuis dignitatibus, vel beneficiis, quæ juſte tenuerunt ante ſtrepitum dictæ guerræ.

Ut ſolvendæ cenſuræ antea infligtæ.

A præfato vero Jacobo de Aragonia in eodem tractatu pacis expreſſe deducitur in promiſſum, quod ipſe Ludovicum, Robertum, & Raimundum Berengarii natos dicti Regis Siciliæ, obſides omnes, & captivos cujuſcumque conditionis ubicumque ſint, eidem Regi reſtituet: nec non totam terram, fortelitias, & caſtra, quam & quæ tenent ipſe Jacobus, valitores ſui, & adjutores ſeu complices, ſatellites, ſeu miniſtri in tota Calabria & terra, Jordano principatu, Baſilicata, & pertinentiis eorumdem, omneſque inſulas, quæ ſunt circa pharum, videlicet Iſclam, Capcum Procidam, omneſque alias terras & inſulas quas idem Jacobus, valitores ſui, adjutores, ſatellites, ſeu miniſtri tenent circa fretum, ſive habitatæ fuerunt ſive non.

Quæ a Jacobo Aragon. promiſſa.

De liberandis obſidibus.

Reſtituendis Calabriæ arcibus.

Ab eodem etiam Jacobo in promiſſione ſubjungitur, quod ipſe poſt tres annos completos, numerandos continue a feſto omnium ſanctorum futuro proximo, qui erit an. Domini MCCXCIV. eccleſiæ Romanæ immediate reſtituet præfatam inſulam Siciliæ cum omnibus terris, caſtris, caſalibus, fortelitiis, inſula Maltæ, aliiſque omnibus inſulis eidem inſulæ Siciliæ adjacentibus, ubicumque ſint, ſicut bonæ memoriæ Carolus Rex Siciliæ tenuerat ante rebellionem inſulæ Siciliæ memoratæ. Fiet tamen prius per ipſam eccleſiam & præfatum Regem Siciliæ remiſſio omnibus Siculis de omnibus offenſis, injuriis, & damnis factis & irrogatis per ipſos dictæ eccleſiæ & præfato Regi Siciliæ ac nominato claræ memoriæ patri ſuo. Dabitur etiam ipſis Siculis per eccleſiam dictumque Regem Siciliæ ſecuritas conveniens & honeſta, quod de prædictis offenſis, injuriis, atque damnis factis & irrogatis per ipſos Siculis ejuſdem eccleſiæ atque Regibus Siciliæ, viventi ſcilicet nunc filio & patri jam mortuo, per eandem eccleſiam vel Regem præfatum nullo unquam tempore aliquid poſſit peti: & quod de toto prædicto triennio, quo dictus Jacobus inſulam Siciliæ memoratam tenuerit, ab eodem Jacobo nihil peti valeat per ipſam eccleſiam, vel per Regem Siciliæ nominatum. Poſt reſtitutionem vero ejuſdem inſulæ Siciliæ factam per ipſum Jacobum eidem eccleſiæ ipſa eccleſia tenebit præfatam inſulam Siciliæ in manibus ſuis ſuper annum unum, a dictæ reſtitutionis tempore numerandum, nec ipſam inſulam alicui præfata eccleſia illo anno reſtituet ſine conſenſu Jacobi de Aragonia nominati.

Et ſubjungitur

Et Siciliæ inſula & Melitæ.

Et ſi forte dicta inſula Siciliæ rebellis eſſet eccleſiæ Romanæ, vel ejus nollet obedire mandatis, dictus Jacobus ipſam juvare tenetur eccleſiam de perſona & gente ſua ad expenſas ejuſdem Jacobi bona fide cum toto poſſe ſuo per terram & per mare, quouſque dicta eccleſia de præfata inſula Siciliæ intentum ſuum plene obtineat, ejuſque pareat devote mandatis. Tempore tamen reſtitutionis prædictæ inſulæ, faciendæ ab eodem Jacobo præfatæ Romanæ eccleſiæ, omnia mobilia quæcumque dictus Jacobus habet in ipſa inſula, licebit ei pro beneplacito ſuo extrahere, vel aliter exinde ſuam facere voluntatem. Debetque idem Jacobus aſſecurare præfatam eccleſiam meliori, ſaniori, & utiliori modo quo fieri poterit, quod poſt prædictos tres annos completos, quibus dictam inſulam Siciliæ tenere debebit immeditate & ſine dilationis objectu, jam dictam inſulam Siciliæ eccleſiæ reſtituet prælibatæ; cæteris, quæ per dictum Regem Siciliæ juxta præfati tractatus ſeriem eidem Jacobo facienda ſunt & complenda, in ſua remanentibus firmitate.

Obſtrictus Jacobus ad cogendam armis in obſequium Romanæ Eccleſiæ inſulam.

Supplicavit igitur nobis idem Rex Siciliæ devotus filius noſter & ejuſdem eccleſiæ, ut tenorem & ſubſtantiam præſcripti tractatus, prout in prædictis Romanam contingit eccleſiam, acceptare de apoſtolicæ benignitatis clementia curaremus. Nos autem cernentes undique frementia mundi pericula, & quæ inſtant præ foribus ruinam minantia gravia detrimenta ſuper terram ſanctam deſertam incolis Chriſti fidelibus, ipſorumque deſtitutam ſuffragiis, flentes amare cum catholicis principibus diſtractis ad bella civilia, ut non ſit qui conſoletur illam ex omnibus charis ſuis; ad reparationem quoque ſtatus præfati Regis Siciliæ ſpecialem habentes conſiderationis intuitum, ſuprascriptum tractatum pacis, in quantum ad nos & Romanam eccleſiam (prout præmittitur) pertinet, ſi ta-

Conventis aſſentitur Cæleſtinus, & qua de cauſa.

*tamen in prædictis quatenus ad eos pertinet, præfatorum Regis Franciæ & Caroli Regis Aragonum fratris ſui accedit aſſenſus cum conventionibus, conceſſionibus ſive pactis, dudum cum claræ memoriæ Philippo Rege Francorum patre prædictorum & Romana eccleſia initis, quantum ad conventa ſeu promiſſa per ipſam eccleſiam eidem Regi Philippo ſuiſque ſucceſſoribus abſque ſucceſſorum ipſius expreſſo præveniente conſenſu nolumus in aliquo derogare; ex nunc prout ex tunc infra ſequitur acceptamus & approbamus: de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu decernentes & declarantes aperte, quod ſi dictis ſuo loco & tempore, ſicut clarius, commodius, & aptius tractatum ipſum ad ſucceſſivos actus produci divina gratia diſponente, contiget, ad ejuſdem Jacobi heredum, adjutorum, & valitorum ſuorum; ac univerſorum hominum, prælatorum, clericorum, & laicorum dictorum regnorum Aragonum, Valentiæ, comitatus Barcilonæ, & inſulæ Siciliæ cautelam perpetuam, & particulariter ſicut honeſtum & expediens fuerit, & Romanam decebit eccleſiam competenter * de prædictis omnibus & ſingulis relaxatione, diſpenſatione, reſtitutione, redditione, conceſſione, remiſſione, abſolutione, quitatione, & receptione per ipſam eccleſiam (ut præſcribitur) faciendis.*

Galli Regis & ejus fratris expectatus conſenſus.

* providebimus

Adjecta in his admittendis hypotheſis, ſi Aragonius promiſſis ſteterit.

Hæc tamen omnia ſub hac terminatione ſupponimus & conditionis regula limitamus, ſi per præfatum Jacobum & illos, ad quos ea res pertinebat, conventa & promiſſa prædicta per ipſum ſuis temporibus, prout congruum, decens, ſeu rationabile fuerit, bonæ fidei puritate ſervata, ſtrmiter obſerventur; ita quidem, quod ſi in prædictis vel prædictorum aliquibus, quæ agenda ſunt per eundem eccleſiam, in faciendo ipſa eccleſia præveniret, idemque Jacobus vel illi, ad quos ea res pertinebit in præmiſſis per eundem Jacobum & conventis deficerent, iis ex quibus eſſet præventum ab eadem eccleſia, pro caſſis & nullis habitis, præfati Jacobus, omnes de prædictis comitatu & inſula Siciliæ & alii, ad quos ſpectaret negotium, in ſententias & pœnas ſpirituales & temporales factas per Apoſtolicam ſedem contra præfatos Petrum olim Regem Aragonum, Jacobum filium ejus, eorumque fautores ſeu complices, & interdicta poſita per ipſam ſedem in dictis regnis, comitatu, & inſula Siciliæ ipſo jure & ſine aliquo facto hominis ſicut competentius, aptius, juſtius, & decentius fieri poterit, relabantur.

Per prædicta autem vel aliquod prædictorum, quæ vel in conventionibus ſive pactis prædictorum Regis Siciliæ & Jacobi expreſſe vel generaliter, explicite vel implicite, ſeu in acceptatione & approbatione noſtris quomodolibet continentur, non proponimus nec intendimus ſuper ſolutione cenſus & aliis in contentis conventionibus dudum habitis inter Romanam eccleſiam & prædictum quondam Carolum & eundem Regem Siciliæ natum ejus aliqua immutare detrahere, vel etiam innovare: ſed ea omnia & ſingula in ſui volumus perſiſtere roboris firmitate. Nulli ergo, &c. Datum Aquilæ per manus Joannis archiepiſcopi Beneventani S. R. E. vicecancellarii kal. octobris indictione VII. anno Domini MCCXCIV. pontificatus domini Cæleſtini Papæ V. anno 1.

Emicuit in re graviſſima, e qua orbis Chriſtiani publica quies pendebat, Cæleſtini prudentia omni humana ſagacitate auguſtior, quippe qui decernebat non aliter Jacobo Aragoniæ & Valentiæ regnorum ac Barcinonenſis comitatus jura reſtitutum iri, quam ſi bellicos tandiu labores ſubiret, donec Siciliæ inſula in Caroli II. poteſtatem redacta eſſet; ex qua re triſtia bella, quæ eccleſiam diutiſſime concuſſerunt, in ſuo fomite præfocata fuiſſent. Cæterum Cæleſtinus divini cultus amplificationis, inſtaurandæque in Syria religionis cupidus, cum frangendos vi ad officium Siculos prævideret, ſubſidiarias Angliæ & Galliarum decimas, in bellicos ſumptus Carolo II. attribuit hoc diplomate, (a) quo conceptum animo ex terræ ſanctæ ſervitute dolorem candide expreſſit.

Prudentiſſime in re tanti momenti ſe geſſit S. Cæleſtinus.

Indictæ a Cæleſtino ſubſidiariæ decimæ pro ſuſtinendis belli Siculi ſumptibus.

(a) *Eod. MS. arcb. Vat. ſign. n. 539. ep. 6.*

Cæleſtinus epiſcopus ſervus ſervorum Dei, univerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem, &c.

Pius illius ad reſtituendam Syriæ religionem ſtudium.

Inundant in cordis noſtri alveo profluvia lacrymarum, protrahimus amara ſuſpiria, & vehementibus ſingultibus conquaſſamur, dum terram illam cernimus, heu, jugo Agarenicæ ſervitutis ſuppoſitam, & eorum blaſphemiis profanatam: in qua illa Virgo virginum ſplendor ſydereus de Davidica ſtirpe progrediens, Chriſtum dominum angelo nunciante concepit, & dominum incomprehenſibilem peperit Redemptorem primogenitum mortuorum. Quis ergo redemptorum ipſius ſanguine pretioſo ejuſdem terræ afflictioni non conſolatoriis auxiliis & fœcundis ſubſidiis non aſſiſtit? Quiſve Chriſtianæ fidelitatis profeſſor ipſius terræ conculcationi, ut conſurgat in libertatis lætitiam, non aperit viſcera pietatis? Conſidimus quippe, quod gratitudinis ſpiritus, gradiens in azimis ſinceritatis & veritatis, ad vindicandum crucis opprobrium & redemptionem Chriſtianæ confuſionis exurget. Unde cum hæc mentem noſtram jugis & ſingularis augeat ſolertia, ut grandi fortitudine virium & ſubventionum amplitudine grandiori terræ celeriter ſuccurratur eidem, inter loca ipſius apta ſuccurſui ſedulis inveſtigata vigiliis inſulam Siciliæ invenimus aptiorem, utpote ipſi terræ vicinam, victualibus opulentam, & fœcundam cæteris uſibus bellicis opportunis.

Ve-

Debellata Sicilia, meditatur fidelium arma in Saracenos vertere.

Verum, proh dolor! detestabilis memoriæ Petri olim Regis Aragonum damnata præsumptio, ejusque præsumptuosi heredes, non sine horribilis proditionis nota dictam insulam occuparunt & detinent occupatam in offensam Dei, & ecclesiæ Romanæ contemptum, dictæ terræ periculum, ac charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris grandem injuriam, intolerabilemque jacturam, prout extitit notorium auribus universis: propter quod humilium & sublimium personarum bellica brachia ad ipsius terræ parata subsidium hebetantur, ipsius insulæ brachio potentiæ ac desiderabilis assistentiæ consilio destituta.

Nos itaque exquisitis jam datis consiliis, & consulta deliberatione comperto, quod absque, ipsius insulæ continui favoris subsidio desideratæ ipsius terræ saluti nequit plene ac salubriter provideri, desideria nostra effundimus ad educendam ipsam insulam de ipsorum detestabilium manibus detentorum: ac propterea censentes consentaneum rationi, & suasu æquitatis adducti, ut pro ipsa insula, & terra sancta per consequens eripienda de faucibus odientium Dominum, ac potestate & violentia detentorum Christi patrimonium ad ipsius insulæ subsidia requiramus, his consulte pensatis, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum & proventuum in toto regno Franciæ ac in locis aliis & provinciis, in quibus concessa fuit per felicis recordationis Nicolaum Papam IV. prædecessorem nostrum charissimo in Christo filio nostro Philippo Regi Francorum illustri; nec non & in Aquensi, Arelatensi, Ebredunensi, Lugdunensi, Bisuntina, & Viennensi provinciis per quadriennium; in regno vero Angliæ ac in aliis locis & provinciis, in quibus per eundem prædecessorem nostrum fuit decima ipsa concessa charissimo in Christo filio nostro Odoardo Regi Anglorum illustri, per unum annum dicto Regi Siciliæ in subsidium recuperationis præfatæ insulæ, ac pro defensione alterius partis ejusdem regni Siciliæ, peculiaris patrimonii Romanæ matris ecclesiæ, quæ continuis & violentis incursibus vexatur ab hostibus, de fratrum nostrorum consilio duximus auctoritate apostolica concedendam. Nulli ergo, &c. Datum Aquilæ VI. *nonas octobris pontificatus nostri anno* I. Promovendo huic pio consilio intentus sanctus Pontifex Philippum Francorum Regem admonuit, (*a*) ut cum ex compositæ pacis formula Carolus illius frater Aragoniæ Valentiæque juribus se abdicare deberet, ea quæ ad ipsum spectarent, operi mandanda curaret.

(*a*) Eod. MS. ep. 10.

Charissimo in Christo filio Philippo Francorum Regi.

Habet charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris insinuatio noviter facta nobis, quod inter ipsum & Jacobum natum quondam Petri olim Regis Aragonum tractatus pacis est habitus, cujus series per Regem eundem nostris & fratrum nostrorum est sensibus præsentata: cumque, consideratis undique mundi periculis, & confusione terræ sanctæ præcipue, cui ex defectu subsidii Christi fidelium non est spes in relevatione ruinæ, tractatus ipse nobis placidus & gratus occurrat, serenitatem regiam requirimus, monemus, & hortamur attente in filio Dei Patris, quatenus consideratione hujusmodi promptis nobiscum concurrens affectibus, quæ ad consummationem efficacem & perfectam præfati tractatus tam in renunciatione regni Aragoniæ & alterius terræ concessorum claræ memoriæ Philippo Regi Franciæ patri tuo per Romanam ecclesiam, quam in aliis capitulis, quæ circa tractatum ipsum per te facienda fore noscuntur, efficaciter compleas, & celeri executioni demandes, ut tanti boni orditum principium saltem in quantum tuam tangit personam, nulla dilatio morosa præpediat; sed tua sincera devotione ad terminos Deo placidæ consummationis adducatur. Et ecce quod dilectum filium nostrum magistrum Rogerium archidiaconum, &c. capellanum nostrum, &c. ad te propterea providimus destinandum, quem sinceritas regia benigne recipiat, in præmissis patienter audiat, & relata per ipsum ad finem votivum effectu prosequente perducat. Datum Aquilæ III. *non. octobris pontificatus nostri anno* I.

Monitus Gallus ut concordiæ leges ad eum spectantes impleat.

Admissæ a Gallo concordiæ leges.

Paruit Cælestino Francorum Rex, cum jam convenisset cum Carolo, ut comitatus Andegavensis fratri comiti Alenconio ob Aragoniæ jura ad Caroli gratiam Jacobo restituenda traderetur. Decretavero est a sanctissimo Pontifice ad Aragonium legatio, (*b*) ut conventa ad opus perduceret, accederetque ad Isclæ insulam, cum Neapolim pontificiam aulam ipsemet ea de causa traduceret, ut abscissis omnibus anfractibus conglutinandæ paci, resarciendisque rebus Christianis sedula opera navaretur.

Jacobus natus Petri Regis Aragonum tractatus pacis habitus.

Jacobus ut conventa impleat admonitus.

(*b*) Eod. MS. arch. Vat. sign. n. 539. ep. 11.

Cælestinus, &c. nobili viro Jacobo nato quondam Petri olim Aragonum Regis spiritum assumere consilii sinioris.

Insinuavit nobis noviter charissimus in Christo filius noster Carolus Siciliæ Rex illustris, quod (faciente pacit Auctore) inter ipsum & te tractatus pacis sit habitus, cujus series per Regem ipsum nostris est sensibus præsentata. Et quidem cum redemptor mundi dominus Jesus Christus, in cujus lumine lumen inspicitur pro censu hereditario pacem dederit diligentibus nomen ejus, nos ipsius vices gerentes ipsam ferventer amamus, ac in populis vigere cupimus, præcipue inter fideles principes orbis terræ. Quo circa nobilitatem tuam requirimus, monemus, & hortamur attente, consultius suadentes, quatenus dirigens in con-

Datæ ad ipsum ea de re literæ.

Solicitatus ut in Siciliam se conferat.

* Isclam promovendæ pacis studio.

Neapolim Cælestinus se contulit.

*conspectu Domini gressus tuos, ad consummationem votivam & prosperam tractatus ejusdem solerter insistas, & studium efficacis operationis apponas, personaliter propter hoc apud * Isolam te conferens, ubi existentibus nobis Neapoli, complenda in tractatu prædicto brevi manu habilius & aptius, ac sine morosis & periculosis anfractibus mutuo poterunt consummari. Nos enim, qui tractatum ipsum acceptabilem habemus & gratum, circa tocalem perfectionem ipsius, quatenus tangit nos & Romanam ecclesiam, tanto libentius & operosius intendemus, quanto dictum regnum Siciliæ, in quo (annuente divina gratia) fructus pacis seminare disponimus, speciali charitate prosequimur, contemplatione terræ sanctæ præcipue, cui per regnum ipsum magna opportuna suffragia potuerunt provenire. Et ecce quod venerabilem fratrem nostrum episcopum Valentinum natione & familiaritate tibi gratum, & dilectum filium religiosum virum fratrem Bonifacium de Calamandrano generalem præceptorem hospitalis S. Joannis Jerosolymitani in partibus cismarinis mediatorem tractatus ejusdem ad te providimus propterea destinandos: quos tua nobilitas mittentis intuitu humane recipiat, patienter audiat, & quæ ipsi retulerint ad actus laudabiles effectu prosequente perducat. Dat. Sulmonæ* VIII. *idus octobris pontificatus nostri anno* I. Hæc sincere agebantur a Cælestino, quæ postquam e pontificatu abiit, variis intricata anfractibus & confusa fuerunt. Contraxerat porro Jacobus vetitas canonicis legibus nuptias cum filia Sancii Regis Castellæ, ad quas dissolvendas Cælestinus Regum fastui parcere nescius, illum intentato divini Numinis terrore ursit (*a*).*

Christiana res ingens damnum, abeunte e pontificatu Cælestino passa.

(*a*) Eod. MS. p. 3.

Cælestinus episcopus servus servorum Dei, Jacobo nato quondam Petri olim Aragonum Regis ecclesiasticam reverentiam, & spiritum veritatis.

*Peccasti (b)? non adiicias iterum: sed de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur. Instruit hujus scripturæ sacræ mysterium commissis delicta non adiici, & fugientes a facie vitæ per cumulationem scelerum in mortis retia non convolvi. Et quia nec est hoc salutis remedium peccanti naufragia suadere, * pœnitendi consilium; quo plus enim quis vergit in culpam, eo fortius ligatur in pœnam; & dum peccatum non deletur per lamenta pœnitentiæ, ad aliud sua mox attrahit gravitate. Nunquid hæc venerunt ad tuæ considerationis aciem, internæ discussionis examen, mentis atria revolverunt? utique non, cum de commissis nec petieris veniam; sed per tuæ prævaricationis lapsum continue geminaveris offensum. Dolendum pariter & lugendum, quod conversus in arcum pravum sic odis increpationes, & monitiones ecclesiæ contemnis, nec advertens flagitia tui parentis, & propria contra Deum, Romanam ecclesiam, & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem ejusdem ecclesiæ filium specialem injuriose commissa, factus ex gentibus scandalum, terræ sanctæ consumptivum exordium, & toti Christianæ fidei perniciosum exemplum. Filiam namque charissimi in Christo filii nostri Sancii Castellæ & Legionis Regis illustris proximo tibi consanguinitatis gradu conjunctam sub specie conjungalis copulæ & maritalis affectus tibi cohabitatione nefanda, & incestuoso consortio conjunxisti. Ecce qualiter præterita peccata redimis.*

(*b*) Eccl. 1.

Jacobus Aragonius de contractis vetitis nuptiis increpitus.

* sed

Proposita ob oculos præterita flagitia.

Ea illicito matrimonio cumulata.

Ecce qualiter amaris illa fletibus ingemuisti, dum per tuos actus illicitos, & processus exemplo periculoso damnosos honestum pudoris, præcipue a personis illustribus debitum, impudenter infringitur, & immaculata lex Domini damnabilibus actionibus attentatur. Quid dicetur in populis? Quod inter sic conjunctos sanguine nuptiæ contrahuntur incestæ. Qualiter hoc maleficium excusationem recipit, quoniam per tantos viros, generis nobilitate conspicuos, exempla reproba deriventur in posteros & modernos? Certe si te divini amoris instinctus non duceret, aut saltem propter infamiam gentium aliquis morsus conscientiæ non arctaret, sensibus tuis de facili potest occurrere. Quod si prolem ex filia dicti Regis suspicias, tibi non erit ad paternam gloriam, proli prædictæ cedet ad infamiam sempiternam: natis enim ex complexu nefario de juris censura provida non defertur successionis paternæ compendium, dignitatis porta clauditur, & alimentorum exhibitio a parente legitimo debita denegatur. Sed obscurati sunt oculi tui ne videant, & induratum est cor ut non intelligat: apposita est enim iniquitas super iniquitatem, ut prospera te in via mala decipiant, & animum ad devia per fomitem erroris abducant. An nescis, quod ex quo homo supra terram fuit positus, impiorum brevis est laus, & si eleventur & exaltentur super cedros libani, eorum locus quæritur & non invenitur; & si usque in cœlum superbia illorum ascendat, quasi sterquilinium in fine perdetur ipsorum memoria, sicut hospitis unius diei præteruntis transibit in brevi, & consumetur momento nequitia peccatorum?

Tristes Friderici Imp. exitus in memoriam revocati.

In præmissis etsi te possint instruere scripturæ tonitrua, efficacius tamen docere valent nota proximitatis exempla: quantum enim Fridericus olim Imperator ejusque posteri in via iniquitatis excreverint, quantumque contra ecclesiam calcaneum & cervices altas erexerint, ex fama proxima te scire præsumimus, & nullum fere angulum orbis latet: sed manus domini, in cujus manu anima omnis viventis & spiritus universæ carnis hominis eorum lumen extinxit

xit in tenebris, ipsoque de medio sustulit, ac illorum memoriam brevi tempore cum sonitu de terra delevit. Nec ab exemplo reiicitur prædicti parentis tumultuosa nequitia, cui in sui principio scandali applauserunt prospera: & dum adhuc cordiretur, succisus subito præteriit velut umbra.

Monitus ut pactiones cum Castellano initas rescindat.

Te igitur ipsum argue, te consule, testimonium conscientiæ tuæ revolve, ad exonerationem cumulatorum criminum prædictam conventionem illicitam celeriter solve, quatenus de facto dignoscitur processisse, non obstantibus colligationibus, conventionibus quibuscumque super hoc factis per te, etiam si fuerint juramentorum & pœnarum adjectione, vel quovis alio vinculo roboratæ, quas viribus vacuas & inanes esse censentes, & carere decernentes omni robore firmitatis, ad ipsorum observationem quomodocumque seu quantumcumque te astrinxeris, pro observandis eisdem te decernimus non teneri. In tanta quidem implicatione scelerum, & obstinatione peccatorum verisimiliter credimus, quod in furore suo contra te Dominus est iratus ut feriat, & brachium suum sicut ab initio eriget ut allidat. Datum Sulmonæ VII. *idus octobris pontificatus nostri anno* I. Tenebatur tum in Jacobi carcere B. Ludovicus Caroli Regis Siciliæ filius, suæque radios sanctitatis fundebat: quorum nitorem cum suspexisset S. Cælestinus, illum a Francisco Minorita clericali tonsura distingui jussit, eidemque Lugdunensem archiepiscopatum contulit (*a*).

Cælestinus adscribi jubet clero S. Ludovicum Regis Siciliæ filium.

(*a*) *Eod. MS. archiv. Vat. sign. n.* 539. *ep.* 12.

Dilecto filio Ludovico nato charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris.

A pio minorita conferri illi jubet ordines minores.

Cum desideres in clericali habitu Domino famulari, nuper ad tuæ supplicationis instantiam dilecto filio fratri Francisco de Apta ordinis fratrum Minorum, quod tibi, qui apud hostes ecclesiæ detineris at obses, primam tonsuram & omnes minores ordines conferre valeat, per alias literas nostras concessimus facultatem. Eapropter licet ob locorum distantiam, qua separaris a nobis, brevitatem temporis, quo prædicta concessimus, adhuc nequieris ordines prædictos assumere; tamen quia in esse videntur quodammodo quæ fieri sperantur in brevi, tuum honestum & salubre propositum gratiosius prosequentes, procurationem Lugdunensis ecclesiæ vacantis tunc per promotionem venerabilis fratris nostri Remundi episcopi Albanensis, nuper ad apicem Cardinalatus assumpti, olim ipsius ecclesiæ archiepiscopi (quamquam tonsuram & ordines ipsos nondum receperis) ac administrationem ipsius in spiritualibus, & ut temporalibus tibi fiducialiter duximus committendum, & recipere & habere valeas juxta formam aliarum literarum nostrarum tibi proinde concessarum, auctoritate præsentium de certa scientia & speciali gratia indulgemus. Dat. Sulmonæ VII. *idus octobris, pontificatus nostri anno* I.

Eidem Lugdunensem archiepiscopatum concedit.

Movebant plures gravissimæ causæ Cælestinum ad S. Ludovicum Lugdunensis ecclesiæ gubernaculis admovendum, non modo ex illius virtutibus, verum ex ipsius ecclesiæ angustiis petitæ, cum a vicinis magnatibus opprimeretur inique & tanti principis clientela in pristinum splendorem asserenda putaretur: *Attendentes*, inquit, (*b*) *claritatem excellentis generis, eminentiam luminosæ scientiæ, venustatem morum, & multiplicia dona virtutum, quibus clarere dignosceris: depressum quoque ac luceratum statum majoris ecclesiæ Lugdunensis, quæ per vicinorum potentum injurias & pressuras gravem diminutionem suorum jurium & facultatum amaris fletibus ingemiscit; quodque per tui tuorumque favoris auxilium ecclesia ipsa (concedente Domino) reparabit prætacta diminutionis incommoda, & votiva recipiet restitutionis augmenta, &c. Datum in monasterio S. Spiritus prope Sulmonam non. octobris, pontific. nostri anno* I. Rescidit hæc postea Bonifacius VIII. ademptamque Lugdunensis archiepiscopatus dignitatem æquo animo tulit S. Ludovicus: & quamquam in Siculi & Jerosolymitani regnorum spes educabatur, subdiaconum & sacellanum Bonifacii VIII. singulari demissione egit (*c*). Plura de Sancti Cælestini gestis adderemus si integrum illius regestum extaret. Inter cætera vero Cælestinorum ordinem, cujus ipse ut dixi, erat conditor, confirmatum a Gregorio X. maximis auxit prærogativis, (*d*) ut tutius rebus divinis sui vacarent: quod diploma typis cusum est (*e*). Guidonem etiam Montisferetri comitem a Nicolao IV. ob Gibellinorum partes Pisis susceptas, sedisque Pontificiæ studiosos vexatos; tum ob Forolivienses & Cæsenates concitatos ad rebellionem censuris defixum, veniam scelerum flagitantem, quem magno ardore animum a terrenis ad cœlestia traduxisse visuri sumus; in gratiam restitui jussit, ut Bonifacius testatur (*f*): *Dum quondam Cælestinus Papa V. antecessor noster apostolatus officio præsideret, idem Guido senioris spiritu resumpto consilio, personaliter ad Apostolicam sedem accedens, ac rediens ad cor pœnitudinis de commissis, ad ejusdem antecessoris & ecclesiæ prædictæ mandata duxit devotius redeundum, obligationes, satisfactionem, & alia debita velut devotus offerens, & veniam de commissis reverenter implorans. Unde præfatus antecessor misericordiæ januam eidem aperiens, benigne ipsum talia offerentem admisit; & receptis ab eo prius corporaliter juramento, ac postmodum certis cautionibus super iis de parendo suis & ec-*

(*b*) *Ib. ep.* 13. Quæ causæ ad id Cælestinum permoverint.

(*c*) *Eod. MS. ep.* 107.

(*d*) *Jac. Card. l.* 2. *de canonizat. c.* 17.

(*e*) *Ext. in bull. in Cælest. V.* Guido e Monteferetro ab eo veniam impetrat.

(*f*) *Bonif. VIII. l.* 1. *ep. cur.* 141.

clesiæ prædictæ mandatis; ipsum ab excommunicationum sententiis in eum propter præmissa vel eorum occasione per eandem ecclesiam, vel per quoscumque ipsius auctoritate prolatis, duxit juxta formam Ecclesiæ absolvendum. Cum abeunte Cælestino pontificatu solutus non esset censuris, a Bonifacio id obtinuit. *Datum Romæ apud S. Petrum* v. *kal. decembris anno* I.

XVI. (*a*) *Jord. MS. Vat. sign. n.* 1960. *Bern. in chr. Rom. Pont. & alii.* (*b*) *Jac. Card. eod. l.* 3. *de elect. Cælest. c.* 8. Creati Cardinales.

Auxisse præterea Cælestinum Cardinalium numerum, consentiunt historici (*a*) septem nimirum Gallos, Italos vero quinque ad Caroli Regis Siciliæ gratiam sacra purpura donasse testatur Jacobus Cardinalis (*b*).

Venerat ecce dies ignota ad culmina tollens,
Qua Cælestinus proceres augere senatus
Flagitat, & votum complet: nam bis repetitos
Sex creat & Gallos septem, paucosque Latinos
Quinque tamen, binos fratres sub lege morantes
Instituit propria, nullum quem subdita sedi
Immediata parit tellus, ex ordine patrum
Murrho dedit.

(*c*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.* 24. *c.* 19.

Recensentur a Ptolemæo Lucensi (*c*) nonnulla eorum nomina subjectis verbis: *Fecit autem post hoc ad petitionem Regis unam magnam ordinationem Cardinalium, inter quos tres fuerunt de regno, videlicet dominus Landulphus de Neapoli, unus de ordine suo, qui vocatus est dominus Thomas, tertius fuit autem archiepiscopus Beneventanus, qui ante fuerat abbas Montiscassini: fecit & cancellarium Regis dominum Guillelmum de Pergamo, fecit & dominum Joannem Monachi & archiepiscopum Lugdunensem, ac archiepiscopum Bituricensem, primus vocatus dominus Beraldus de Glocho, & factus est Albanensis, secundus factus est Penestrinus.*

XVII. Gregorii decretum de includendis conclavi Cardinalibus renovat.

Offendit ea res admodum, atque abalienavit aliorum Cardinalium animos, quorum consilium Cælestinus spreviisse videbatur. Exasperavit etiam eos magis, dum ob diutinum ecclesiasticum interregnum præteritasque seditiones Gregorii X. decretum de Cardinalibus vacante sede in conclavi continendis justis de causis, quas diuturni interpontificii incommoda ostendebant, renovavit. Similiter ingratum ipsis extitit non Romam, sed Neapolim petisse, de quibus Jacobus Cardinalis hæc in sanctum asperiora scribit (*d*).

(*d*) *Jac. Card. l.* 3. *c.* 9.

Addidit errato diris processibus asper
Insuper hæc Murro, quod cum sibi Romana dedisset
Sceptra sui, dudumque viam succinctus ad urbem
Tenderet eximiam Petri Paulique dicatam
Sanguine subductus Carolo, cœtuque sequente,
Parthenopen deflexit iter. Sed primitus arctam
Gregorii legem statuit, qua claustra subire Constitutio Gregor. X. de conclavi includendis Cardd. renovata.
Cardineos apices jussit, Pastore vacante
Ecclesia: quondam lex illa timenda recessit
Concilii, suspensa prius, renovata per istum,
Quam licet & duro laudent vulgaria plausu; Injustæ auctoris querelæ.
Certa tamen verum docet experientia, casus
Hinc subsistare orbi cleroque pericula grandes.
Antiquis congesta malis incumbere sponte
Heu dolor, heu lacrymæ, patimur sine murmure sævum.

Hæc auctor. Verum non inclusis, ut mos tulit, conclavi Cardinalibus, diuturna interpontificia magno rei ecclesiasticæ damno consecuta, experimento compertum est, sanctusque Pontifex, cum divini Numinis timorem altissimo defixum pectore gereret, quamvis (ut erat moribus suavissimis præditus) in rebus honestis Cardinalium votis annuere paratus esset, in hoc tamen excelsum se animo & constantem præbuit, vitio Cardinalium sua potius quam Christum sectantium lenocinari dedignatus; tribusque edictis Gregorii X. decretum constabilire enisus est. Primum horum hoc fuit (*e*).

(*e*) *MS. arch. Vat. sign. n.* 539. *ep.* 6. Cælestini constantia in Cardinalium iniquis voluntatibus frangendis. * infringatur.

Cælestinus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Gregorii X. leges de conclavi ab eo instauratæ.

*Quia in futurorum eventibus sic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod conjectura probabilis, immo interdum attenta consideratio utile pollicetur, non solum inutile sed damnosum reperiri contingat; nonnumquam quod consulte statuitur, ex sed. nioris inspectione judicii consultius * inveniatur. Probat hoc inferius describendæ suspensionis eventus, in quo etsi suspendentium honestum fuerit, ut credimus, salubreque propositum; per ejus tamen licentiam mundo provenerunt incommoda, & velut antiquorum vulnerum adducere patiuntur iterum cicatrices. Piæ quidem memoriæ Gregorius X. prædecessor noster in Lugdunensi generali concilio constitutionem, quæ post obitum summi Pontificis ad cogendos Cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ pro celeri electione pastoris terminum, modum,*

Adriani V. & Joannis XXI. contraria decreta rescissa.

dum, & formam seriosæ arctationis indixit: sed felicis recordationis Adrianus V. & Joannes XXI. prædecessores nostri successive constitutionem ipsam certis considerationibus, prout tunc suasit eisdem consultæ cautelæ consilii, suspenderunt. Nos autem consultius attendentes pericula gravia, quæ per vacationem diutinam ejusdem ecclesiæ universali statui dispendiosa proveniunt, prout experimento temporæ præteritæ proxime vacationis ostendunt; præcipue cum insident undique dies mali, in quibus terra sancta deplorat desolationis extremæ dispendia, & inter principes orbis terræ aliosque fideles scandala pullulant, fremunt angustiæ, bella crescunt; futuris cupientes obviare periculis, suspensionem constitutionis prædictæ factam per prædecessores eosdem tollentes, vacuantes, & annullantes omnino, de certa nostra scientia & plenitudine potestatis constitutionem ipsam ejusque substantiam & effectum integraliter & in omnibus suis partibus, sicut ab ipso constituente fuit edita, firmum illibatumque decernimus habere vigorem. Nulli ergo omnino hominum, &c. Datum Aquilæ IV. *kal. octobris pontificatus nostri anno* I. Interjectis aliquot diebus, cum advertisset vim hujus edicti a Cardinalibus eludi posse, cum illi antequam Perusio Aquilam venirent, Carolum Siciliæ Regem sacramento obstrinxissent, ipsum Cardinales non detenturum, si Pontificem in Neapolitano regno mori contingeret; vim illius sacramenti convulsit, & a Carolo Cardinales eo casu in conclave adigendos sanxit (*a*).

Contrarium his expresserant Cardinales a Rege Siciliæ sacramentum.

(*a*) *Eod. MS. cap.* 14.

Convulsum illud est a Cælestino.

Cælestinus, &c. charissimo in Christo filio nostro Carolo Regi Siciliæ illustri.

Pridem, dum nobiscum Aquilæ moraveris, & plures Cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ morantes Perusii ad præsentiam nostram venire differrent, certas rationes & causas, quare regnum tuum verebantur intrare, excusabiliter prætendentes, tu per dilectum filium magistrum Guillelmum Agarui canonicum Frigilensem, procuratorem tuum in Romana curia ad hoc per te specialiter constitutum, eisdem Cardinalibus sacramentum in anima tua præstari fecisti, quod si contingeret, nos in regno præfato rebus humanis eximi, tu ipsos ad morandum in regno prædicto nec compelleros, nec compelli per alium procurares; quinimmo expeditus & liber reditus & exitus ex eodem esset illis juxta eorum arbitrium voluntates. Cum autem constitutionem felicis recordationis Gregorii Papæ X. factam in concilio Lugdunensi super arctatione Cardinalium post obitum summi Pontificis velimus sicut constitutio fuit edita, firmum habere vigorem, suspensione ipsius facta per piæ memoriæ Adrianum V. & Joannem XXI. prædecessores nostros omnino sublata; & si casus mortis dicti Pontificis in eodem regno contingeret ad te secundum formam constitutionis ejusdem ipsa coarctatio pertineret, te in casu præmisso a vinculo dicti sacramenti per eundem procuratorem in anima tua præfati absolventes, ad observantiam constitutionis ipsius juxta modum & formam in ipsa distinctos nolumus te teneri. Dat. apud S. Germanum XVI. *kal. novembris pontificatus nostri anno* I. Paucis denique diebus antequam pontificiæ dignitatis apices exueret, Gregorii constitutionem firmam perpetuo esse jussit, (*b*) adjecta ea lege, sive Pontificis obitu, sive voluntaria abdicatione, sive quavis alia ratione sacrosanctum solium vacuum esse contingeret.

(*b*) *Ext. post Martini PP. brevia pag.* 172. *& in MS. arch. Vat. sign. n.* 539. *ep.* 14. Tertia Cælestini constitutio pro reintegrando Gregorii X. decreto.

Cælestinus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Constitutionem felicis recordationis Gregorii Papæ X. prædecessoris nostri factam in generali concilio Lugdunensi, quæ post obitum summi Pontificis ad cogendos Cardinales S. R. E. pro electione pastoris certum modum & formam seriosæ arctationis indixit, per felicis recordationis Adrianum V. prædecessorem nostrum suspensam, & ejusdem recordationis Joannem XXI. prædecessorem nostrum similiter (ut audivimus) revocatam, integraliter & in omnibus suis partibus ejusque substantiam, & effectum, sicut ab ipso constituente fuit edita, firmum perpetuumque decernimus habere vigorem: seu summus Pontifex rebus subtrahatur humanis sive renuntiet, vel quocumque modo sedes Apostolica vacet. Nulli ergo &c. Dat. Neapoli IV. *id. decembris pontificatus nostri anno* I. Exulceravit etiam Cardinales archiepiscopum Beneventanum, post cœnam creatum Cardinalem, fuisse (*c*): adeoque contentio exarsit, ut archiepiscopus dignitate discedere coactus sit, qua postea ex antiquo ritu donatus est (*d*). Nec tacite de sanctissimo Pontifice queri, ac mussitare cœperunt inter sese, ut de viro gerendarum rerum imperito, qui sylvas tantum & scopulos colere assuetus esset, adepto honore indignum: quotidie plures ad dignitates ecclesiasticas obrepere, qui iis gerendis inepti essent. Injecta (*e*) ergo ob hæc viro sancto ab iis religio, qui se otii sacri delitiis, quas olim delibarat, privari ægerrime ferebat, ac rerum divinarum contemplandarum desiderium eo impulit, ut Card. Jacobo teste ad pontificiam dignitatem deponendam tota animi contentione incubuerit. Reficiebatur enim adeo sacrarum rerum cogitatione, ac tanto pietatis sensu erat delibutus, ut appetente dominici adventus tempore, pontificiæ curiæ administrationem in tres Cardinales transfuderit: ipse vero cella humili in palatio se incluserit, (*f*) ut soli Deo vacaret; tum discordias Cardinalium

Beneventanum archiepiscopum creat a cœna Cardinalem.

(*c*) *lib.* 1. 10.

Commoti in sanctum Pontif. Cardinales.

(*d*) *Eod. cap.*

(*e*) *Ptol. Luc. in annal.*

Sanctus Pontifex in festo Domini natalitio ab hominum commercio divinis animum applicaturus se subducit.

(*f*) *Jac. Card. l.* 3. *c.* 11.

lium de se obmurmurantium sopiret. Ipsum enim proditum fuisse ab improbis curiæ administris, quos urebat avaritia, ac diplomata ad plurium gratiam contra fas elicita, atque inde creatam sanctissimo Pontifici invidiam indicat Ptolemæus Lucensis (*a*).

(*a*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.* 24. *c.* 31.

XVIII. Administri curiæ abusi Cælestini candore.

Quamvis, inquit, *Cælestinus faceret opera sancti viri, quia per statum pontificalem non recesserat ab innocentia primi status, sed eadem humilitas, eadem puritas perseveravit in ipso, licet modus vivendi esset immutatus propter dignitatem; decipiebatur tamen in suis officialibus quantum ad gratias quæ fiebant, quorum ipse notitiam habere non poterat, tum propter impotentiam senectutis quia ætatis decrepitæ, tum propter inexperientiam regiminis circa fraudes & hominum versutias, in quibus curiæ multum vigent; unde inveniebantur gratiæ aliquando factæ tribus, vel quatuor, vel pluribus personis, membrana etiam vacua, sed bullata.*

Hoc igitur percipientes quidam de collegio, jam incipiunt querulari, & ecclesiæ fluctuationi attendere, ac etiam eidem Pontifici insinuare sub prætextu suæ sanctitatis quantum sibi periculum imminebat. Interim autem Rex Carolus, ut tradunt, ordinavit cum Cælestino sive cum beneplacito collegii factum est, quod curia transferretur Neapolim. Vadens igitur illuc multum stimulatur ab aliquibus Cardinalibus, quod papatu cedat, quod etiam Roma sub ipso periclitatur, & sub eo confunditur. Quibus stimulis concitatur sanctus Pater. Quod cum perpendisset Rex & clerus, mandat fieri processionem a majori ecclesia usque ad castrum Regis: cui processioni ego interfui. Ubi convenerunt multi episcopi regionis, omnes religiosi, & totus clerus; cumque pervenissent processio ad dictum castrum, ubi dictus Pontifex morabatur, exclamavimus more solito pro benedictione: ipse vero pro reverentia processionis ad fenestram accessit cum tribus episcopis. Data igitur benedictione, unus episcopus processionis prædictæ a sancto Pontifice audientiam petit, loquens in persona Regis, & totius regni quantum ad clerum & populum, me præsente, supplicans humiliter eidem vice & nomine omnium supradictorum, voce altissima & tubali, quia processio tota audierat inferius in platea, Papa autem superius in fenestra; quod cum ipse esset gloria dicti regni, nulla per-

Populi instructo agmine religioso flentes rogant, ne ecclesiam deserat.

Ann. Eccl. Tom. XXIII.

*suasione ad resignandum consentiret. Ad quæ verba ex mandato Papæ unus ex episcopis, qui cum ipso erat, respondit, quod non intendebat, nisi aliud appareret, unde conscientia urgeretur. Tunc dictus episcopus prolocutor pro Rege & regno alte incipit, Te Deum laudamus, & tota processio prosequitur ipsum usque in finem: & ad propria redeunt: quod fuit quidem, ut mihi constat, circa festum beati Nicolai. Hoc autem non obstante, adhuc aliqui Cardinales mordaciter infestant, quod periculum animæ suæ * papatum tenebat propter inconvenientia & mala, quæ sequebantur ex suo regimine: ad quæ verba movetur sanctus.*

His motus assentitur.

* *immineba si*

XIX.

Cum vero hactenus inauditum esset, ut Pontifex Romanus dignitate decessisset, & cæteros præsules, abbates, episcopos, archiepiscopos, patriarchas id quidem, petita ab illo facultate præstare posse, at Pontificem summum id agere non posse videri, cum nullum in terris superiorem agnoscat; doctissimorum virorum consilia, ac nonnullorum præcipue Cardinalium exploravit, reque multum agitata ventilataque, augustissimum onus, sed ipsi intolerandum, excutere decrevit. Edita ergo constitutione, assentientibus Cardinalibus, Romanum Pontificem munere abire volentem posse, pronunciavit, (*b*) ad tollendam ambiguitatem: *Exemplum inducens*, inquit S. Antoninus, (*c*) *Clementis Papæ, qui creatus Pontifex a B. Petro renunciavit papatui, ne illud in consequentiam & exemplum duceretur, ut per voluntatem & electionem prædecessoris succesor in dignitatibus ecclesiasticis institueretur. Unde Linus post Petrum sedit, & post Linum Cletus, post quem Clemens tunc sedem accepit.* Sequenti vero die S. Luciæ sacro promulgatæ legis auctoritate usus, cultuque pontificio ornatus, Cardinalium cinctus corona, imperatoque iis silentio, ne dicentem abrumperent, scriptum protulit, ex quo allatis abdicandi honoris causis, imparibus gerendæ dignitati virtutibus, effœto senio, incompris moribus, inculto dicendi genere, imperitia rerum gerendarum, defectu experientiæ, tenuitate ingenii, judicii inopia, quæ magno Christianæ humilitatis exemplo exaggeravit pontificatu se exuit.

Deliberat pontificatum abiicere.

Mutato consilio sanctionem edit, Rom. Pont. se abdicare posse pontificatu.

(*b*) *Cap. Quoniam ext. de renunciat. in* 6.

(*c*) *S. Anton.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 8. *ante* §. 11.

Allatum Clementis exemplum.

XX.

Concepta est hujusmodi abdicationis [1] forma (*d*) subjectis verbis: *Ego Cælestinus Papa V. motus ex legitimis causis, id*

Inaudito demissionis genere se ut ineptum ad gerendum pontificatum accusat.

(*d*) *Ext. apud Ciacon. in Cælest. V. & alios.*

NOTÆ [1] DE Cælestini abdicatione voluntaria iis, quæ in annalibus narrantur, nihil addendum succurrit. Dies rei gestæ diligenter in annalibus indicatur. Unum supereſt, adnotemus ex historia Ferretti Vicentini, quam ipse ad annum usque 1318. quo florebat, perduxit, ac vulgavit Muratorius rer. Italic. to. IX. nimirum cardinales, ne abdicationem illam acceptarent, diu reluctatos fuisse, cum res nova videretur, plena periculi, nec satis constaret utrum id jure fieri vel admitti posset. Hinc sponte recedentem revocarunt, rogaruntque ne id tandem committeret, ut ecclesia veniret in discrimen; sed perstitit in consilio vir sanctus, atque tunc tan-

Qua verborum forma e pontificatu decesserit.

id est causa humilitatis, & melioris vitæ, & conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, & malignitate plebis, & infirmitate personæ, & ut præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte ac libere cedo papatui, & expresse renuncio loco & dignitati, oneri & honori, dans plenam & liberam facultatem ex nunc sacro cœtui Cardinalium eligendi, & providendi dumtaxat canonice universali Ecclesiæ de Pastore. Hujusmodi porro formam ab ipso Cælestino compositam non fuisse, indicat Jacobus Cardinalis his versibus (*a*).

(a) Jac. Card. l. 3. c. 16.

——— *Clarente per ortum*
Sole die festo Luciæ virginis almæ,
Coccineam clamydem vestitus, signaque gestans,
Cælestinus herus Papæ consedit in unum
Cum patribus thalamum pallens: doctusque latenter
Portabat clausum scriptum; nec defuit hujus
Auctor, &c.

Illum fuisse Benedictum Cajetanum Cardinalem, existimatum est. Et sane ipsum deponendæ pontificiæ dignitatis præcipuum suasorem extitisse præter alios docet Ptolemæus Lucensis his verbis (*b*): *Dominus Benedictus cum aliquibus Cardinalibus Cælestino persuadet, ut officio cedat, quia propter suam simplicitatem, licet sanctus vir, & vitæ magni foret exempli, sæpius adversis confundebantur ecclesiæ, in gratiis faciendis & circa regimen orbis.*

(b) Ptol. Luc. l. 24. hist. eccl. c. 33.

XXI. Obsecrasse Cardinales per sacra omnia, ut quantocyus Pontificem sibi subrogarent, ne Christiana respublica in discrimen adduceretur, tradit Westmonasteriensis (*c*). Et quidem solitas dissensiones renovata Gregorii X. constitutione præverterat sapienter. Westmonasteriensi vero consentit Jacobus Cardinalis, dum S. Cælestinum hæc verba spirantia sanctitatem inducit (*d*).

(c) Vvest. Flor. hist.

(d) Jac. Card. l. 3. c. 16.

——— *Duces primo succurrite mundo,*
Et date Pastorem viridantia pascua dantem,
Præbentemque gregi rectum doctumque perennis
Pandere iter vitæ, nostrosque ut corrigat actus,
Obnixe petimus, cum devius impulit error.
Nam multis variisque modis errasse fatemur.
Audito (c) sermone patris, sustiria dulces
Accipiunt animos procerum, lacrymæque per ora
Decurrunt. Quis mira videns non flectitur? &c.

(c) lb. c. 17. Erratorum veniam poscit.

Excussisse multo magis lacrymas ex oculis Cardinalium S. Cælestinum, addit auctor, cum pontificio ornatu abjecto hirsuta & horrenti veste indutus apparuisset.

Tunc (f) abeunte foras Petro, collegia pensant
His super: & viso, quod cessit, digna volentes
Assumi, referunt placidos admittere cœtum
Discessus: ipsumque rogant ut stare serenus
Eligat, implorans humili suffragia voto
Divina in plebem, populo sine Præsule mœsto.
Nec (g) decerant lacrymæ verbis; nam languidus ille
Secedens, vestes habitus mutaverat omnis
Papalis, clamydem vestitus terga pilosam.
Fit (h) monachus qui Papa fuit, simplexque sacerdos
Præsul: & inclinans aliis, cui regia sceptra,
Imperii diadema sacrum, mithræque bicornes,

(f) Cap. 18. Admissa ejus abdicatio a Cardinalibus.

(g) Cap. 19. Lacrymas iis excutit mutati cultus aspectu.

(h) Cap. 19.

Illu-

NOTÆ tandem post novem ab ea demissione pontificis dies cardinales in conclavim secesserunt. Novendiale istud ante reclusionem servari Cælestinus lata constitutione edixerat, quem morem nostra etiam ætate obtinentem tunc cepisse optime notat P. Franciscus Pagi in breviario ad vitam S. Cælestini. Unica tantummodo die consultatum fuit; ex quo sua fides constat F. Pipino, qui in sua historia, ad annum 1314. perducta, die sequenti, nempe post reclusionem cardinalium, Bonifacium renunciatum pontificem scribit. Hunc ipsum F. Pipinum ætatis hujus historicum damus testem illius vaticinii, quod a S. Cælestino de Bonifacio prolatum ferunt: *In papatu ut vulpes subisti; regnabis ut leo; morieris ut canis.* Cæterum sicut oraculi hujus famam vetustam esse contra opinionem P. Francisci Pagi ex testimonio authoris hujus ostendi, ita & genuinum & a viro sancto editum non facile demonstraverim; cum plura fuerint ætate illa de hoc pontifice sparsa, quæ, vana licet & futilia, pronis tamen auribus a nimis credulis scriptoribus excipiebantur.

Hoc ipso anno Cælestinus cardinales XII. renunciavit, non quidem Neapoli, sed Aquilæ versans, ut Pagius per conjecturam assequutus est; ego vero ex vetusti scriptoris testimonio probare possum. Ita enim scribit author chronici Parmiensis ad annum usque 1309. perducti: *Qui Papa* (Cælestinus) *equitavit asinum usque Aquilam, & ibi fecit XII. cardinales.* MANSI

Illustris spectandus herus, clarissima turba,
Religionis amor, clerus, milesque pedester,
Agricolæ duri, profugus mercator & orbis
Paruerant: si jura colunt, Christumque salutis
Auctorem noverе suum.

De insueto adeo facinore quo, ut ait Jordanus, (*a*) *præbuit humilitatis exemplum stupendum cunctis, imitabile paucis;* varie sunt locuti auctores. Et quidem nonnulli temere rationem illius in degeneris & abjecti animi vitium, alii in tranquillitatis studium, alii in humilitatis Christianæ amorem contulerunt: ac sane Bernardus acutissime attigit, dum abdicationem hujusmodi majori admiratione dignam, quam electionem fuisse affirmat (*b*).

(a) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.

(b) Bern. in chron. Rom. Pont.

Ne vero quis male ipsum pontificatu abiisse arbitraretur, non minus postea miraculis, quam ante effulsit; hæc enim tradit vitæ auctor (*c*): *Ut inter executionem hujus facti, & ipsius laudem & admirationem nulli dubio mentis judicio fluitarent, miraculum quod prima die post ejus renunciationem Dominus per eum facere dignatus est, certum indicium fuit. Nam cum post ejus missam quidam claudus membris contractis sese ad pedes ipsius prosterneret, accepta ab eo benedictione, sanus erectus est: quod profecto non fieret, si quod ab eo gestum erat, tamquam indignum Dominus reprobaret.* Eandem abdicationem, ut virtutis heroicæ exemplum, commendavit postea Clemens V. (*d*) qui ipsum sanctorum catalogo solemni ritu apposuit: ut mittam S. Antoninum, qui refert, Petrarcham factum collaudasse, ac Dantis levitati illius opponit gravitatem, cujus (*e*) verba ornatissima referre placet: *Pontificatu maximo, de Cælestino loquitur Petrarcha, velut mortifero fasce deposito, in antiquam solitudinem tam cupide repedavit, ut hostili compede liberatum crederes. Quod factum solitarii sanctique patris vilitati animi quisquis volet attribuat,* his Dantem carpere videtur, *licet enim in eadem re pro varietate ingeniorum non diversa tantum, sed adversa sentire; ego in primis & sibi utile arbitror, & mundo: utrique enim propter inexperientiam rerum humanarum, quas multa divinarum contemplatione neglexerat, longumque solitudinis amorem periculosa esse, anceps & turbida poterat altitudo. Nam quid Christo visum sit, miraculum quod per eum Deus ostendit die, qui post renunciationem primus illuxit, indicio est; quod profecto non fieret, si quod gestum erat, divinitas non probaret. Ego prorsus altissimi cujusdam & liberrimi, & jugum nescientis, vereque cœlestis animi factum reor: atque ita sentio, non potuisse id ab homine fieri, nisi qui res humanas justo pretio æstimasset, quique tumidum fortunæ caput pedibus subjecisset. Ambrosii patrocinio locus eget, ex eo præsertim libro, quo ad veræ humilitatis observantiam sacram virginem Demetriadem cohortatur: Non ut dilectores, inquit, hujus sæculi putant, parvi cordis, aut segnis est animi terrenas opes spernere, honores occiduos fastidire, nec ibi gloriam quærere, ubi laudatur peccator in desideriis animæ suæ; & qui iniqua gerit, benedicitur. Unde si vere intelligatur contemptus iste rerum præsentium, ad quæ tendat & qualia concupiscat, nihil hujusmodi mentibus rectius, nihil inveniturerectius, quæ sacratissimis desideriis universa transcendunt, neque ad ullam creaturam, quamvis potentem atque mirabilem; sed ad ipsum omnium visibilium atque invisibilium ambiunt Creatorem, cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui servire regnare est.*

(c) Petr. de Aliaco Card. l. 2. c. 13. apud Sur. to. 3. die 19. maii. Proximo a pontificatu dimisso die claudum benedictione curat.

Hujus præconio laudis quis usquam, quæso, seu quis unquam dignior Cælestino? Reliquerunt alii naviculas suas ac retia, alii possessiunculas, alii teloneum, alii etiam regna, vel regnorum spem; secutique Christum dominum facti sunt Apostoli, facti sunt sancti & amici Dei; papatum vero, quo nihil est altius, rem tam exoptatam, tamque mirabilem, ut ab admiratione ac stupore dictam fenant, quis ulla ætate, præsertim ex quo tanto in pretio esse cœpit, tam mirabili & excelso animo contempsit, quam Cælestinus iste, pristinum & nomen & locum, & amicam bonis moribus egestatem appetens, atque dum cœlum suscipit, terræ immemor? Quem in statu quolibet æque Deo placitum quis non videt, qui mira ejus opera, sed alio digna stylo trifariam distincta perlegerit, quæ gessit, aut antequam ascenderet, aut postquam descendit, aut dum sedit? Quid miri autem, si virtus operum non defuit, cujus & animi tenor unus & qua licuit vitæ mutatio nulla fuit? Siquidem in supremo rerum culmine, & inter augustissimum ac papalem thalamum angustam sibi eremiticamque cavernulam meditatus, in alto humilis, inter turbas solitarius, inter divites pauper vixit.* Nonnullisque interjectis addit Petrarcha.

(d) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 35.

(e) Petr. de vit. solit. l. 2. sect. 3. c. 18. Petrarchæ de Cælestini abdicatione sententia.

Vir sanctus exultans abit in solitudinem.

Ad Cælestinum redeo, cujus ascensus quam mœstus, quamque contra animum suum esset, descensus lætus & spontaneus declaravit. Audivi navrantes, qui viderunt, tanto illum fugisse cum gaudio, eaque signa lætitiæ spiritualis oculis ac fronte gestantem, dum a conspectu concilii, jam tandem sibi redditus, ac liber abscederet, quasi non humerum blando oneri, sed collum diris securibus subduxisset, utque ejus in vultu nescio quid angelicum re-

reluceret. Nec immerito, norat enim quid repeteret, nec quid dimitteret, ignorabat. Certe a laboribus ad requiem, ab insanis disceptationibus ad divina colloquia remeabat: linquebat urbem, ibat animo, & nisi successoris fastus obstaret, pedibus ibat in montem hispidum, fateor, ac præruptum, sed unde sibi planum iter esset ad superos. Hactenus Petrarcha. Ex eo vero atque aliis superiori loco dictis refelluntur nonnulla inepta, apocrypha, & fabulosa de voce ab impostore per tubam oblongiorem noctu immissa, atque alia quæ a nonnullis recentioribus historiæ fuere incaute consignata, quæque novatores in centuriam tertiamdecimam contulere (*a*); impudentissimi vero mortalium non erubuere sanctissimum Cælestinum hypocrisis damnare: sed missis blasphemis institutam orationem repetamus.

(*a*) *Cent. 13. c. 7. col. 736. & c. 10. col. 1012.*

XXIII. Refelluntur novatores.

Vacante igitur sede ob voluntariam Cælestini abdicationem, postquam is mensibus quinque, diebus novem pontificatum tenuisset (id enim temporis a quinta die julii qua renunciatum vidimus ad diem S. Luciæ sacrum, qui in XIII. decembris incidit, quo munere abiit, excurrit) Cardinales ex renovata a sancto viro Gregorii X. lege conclavi inclusi, implorandæ Spiritus sancti opi veteri instituto vacaverunt, ac demum Benedictum Cajetanum patria Anagninum, Luitfredi Cajetani filium, presbyterum Cardinalem tit. SS. Silvestri & Martini consentientibus votis Pontificem crearunt: in cujus electione servatos ritus describit Jacobus Cardinalis (*b*).

(*b*) *Jac. Card. l. 1. de consecr. Bonif. c. 1.*

Cardinales conclavi inclusi.

Jam veneranda ducum cleri stipata catervis
Turba, novum lectura Patrem, convenerat aula
Regis: & excurso bis quino lumine phœbi
Lege dato, proceres obstructis marmore valvis,
Carcere clauduntur: nec non servata priorum
Tempora sunt morumque senum, missæque celebres
A patribus, vocesque ducum resonare per hymnos,
Sermoque diffusus. Post hæc procedere visum est.

Divinam precibus implorant opem.

Scrutantesque suum per claustra silentia votum,
Mox referant, patuitque viris haud spiritus idem,
Sed quasi conformis: nam plurima nomina fratrum
In re convcniunt: alii licet altera fassi,
O cardo Benedicte sacer, levitaque quondam
Eligeris: nam digna quidem concordia vocum

Benedictum creant Pontificem.

Accessit, pater alme patrum, ne promptior ausit
His aliud culpam celans finxisse, rubentum
Quisque tuo submissa pedi dedit oscula supplex.
Sic (c) igitur lacrymans, ac molis pondera librans

(*c*) *Eod. lib. c. 2.*

Assensit gestare jugum, jam doctus ab ante
Quis labor & meritum cruciet, quam publica cura

Cur iis Bonifacii nomen sumpserit.

Pontificem roseis spinam substare cruentam
Floribus, haud dubitat sic pastor consetus ævi
Cumque foret Benedictus ei de fonte perenni
Nomen, ut excrescens fieret, majorque secundis
Rebus, & addicto laudem converteret heros
Gestorum laudes præsul, Bonifacius inde
Dicitur: in voces modularis spiritus altas
Concrepat, ac populus festinat currere, miles
Tentat in auditum, &c.

Contigit (*d*) IX. kal. januar. ipso natalis Domini pervigilio creatio Bonifacii, ut observat Jacobus Cardinalis his verbis: *Post hujusmodi Cælestini cessionem die undecima, vigilia scilicet natalis Domini, quæ labentis tunc millesimi ducentesimi nonagesimi quarti anni ultimo decurrebat die, Bonifacius VIII. tunc Benedictus Gajetanus nomine, Anagnia ortus, profundæ juris utriusque scientiæ, longique in illis exercitii, doctæque experientiæ, in Romanæ ecclesiæ moribus veteranus, cardine etiam insignis, in summum Pontificem scrutinio accessioneque eligitur.* Ornat illum simillimo elogio Ptolemæus Lucensis (*e*). Explicare vero primum cœpit rerum gerendarum industriam in Othoboni Cardinalis, postea in pontificatu Adriani V. nuncupati, legatione (*f*) ampliffima, quam is in Anglia obibat. Patroni etiam causarum ac dein notarii Apostolici functus (*g*) munere a Nicolao III. una cum Matthæo Cardinale adhibitus est (*h*), ut fœderis inter Rodulphum Romanorum, & Carolum I. Siciliæ Reges de Provinciæ Etruriæque dominatu contendentes, ineundi formulas conficeret. Tum sacra purpura ornatus, primum diaconus S. Nicolai in carcere Tulliano, dein presbyter tit. SS. Silvestri & Martini creatus, cum eloquentia valeret, a Martino IV. ad Carolum I. Regem missus est, ut ipsum a suscipiendo cum Petro Rege Aragonum singulari certa-

(*d*) *Jac. Card. S. Georg. ad vel. aur. in præf. oper.*

Ejus elogium.

Ipsius primitiæ.

(*e*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 36.*

(*f*) *Bonif. l. 5. ep. 466.*

(*g*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*

(*h*) *An. Christi 1280. n. 2.*

Gesta præcipua munera.

tamine deterreret (*a*), cujus spreviſſe consilia maximo exitio fuit: Nicolao IV. Pontifice, gessit (*b*) in Sicilia citeriori legati apostolici munus ad populos in ecclesiæ & Caroli fide continendos: atque ab eodem Pontif. componendæ gravissimæ inter clerum Lusitaniæ & Dionysium Regem controversiæ præfectus (*c*) paulo post ad transalpinos Reges una cum Gerardo episcopo Sabinensi missus, sanciendæ inter Carolum Siciliæ & Alfonsum Reges concordiæ præfuit (*d*): tum restituendi regno Jacobi Regis Balearium, conciliandi eidem Alfonso Caroli Valesii ac jure actioneque in Valentiæ & Aragoniæ regna decedentem admittendi; sopiendæ inter Eduardum Anglorum & Philippum Francorum Reges dissensionis, tutandæ, in Galliis ordinis ecclesiastici immunitatis a Philippo oppressæ; denique ingentis auxilii pro instauranda pereunte re Syriaca comparandi, provincia demandata est. (*e*) Dum tenebat interpontificium a Nicolai morte, datum eidem Benedicto vitio est, discordias Cardinalium ipsum aluisse; (*f*) unde verbis asperioribus a Rege Carolo exceptus est: quamquam postea Cælestino Pontifice in illius gratiam se insinuavit, ac papalis curiæ administrationem corripuit (*g*). Describit ejus dotes S. Antoninus his verbis (*b*): *Nobilis secundum sæculum, vir utique prudens & literatus, & magni animi, zelator magnus, & conservator jurium Ecclesiæ.* Fastus vitio vulgo notatur ab historicis, (*i*) e quibus Jordanus (*k*) ubi nonnulla de singulari illius industria peritiaque dixit, subjungit: *Sed ex hoc factus est fastuosus & arrogans, omnium contemptivus: unde factus Pontifex prædecessorum suorum Nicolai & Cælestini gratias revocavit.* Omnium vero accuratissime illius primitias describit Jacobus Cardinalis, a quo superius dicta confirmantur, ac primum a patria ita exorditur (*l*).

(*a*) *Ann. 1283. n. 12.*

(*b*) *Anno 1290. n. 24.*

(*c*) *Anno 1289. n. 17.*

(*d*) *Anno 1290. n. 20. & an. 1291. n. 31.*

(*e*) *Anno 1290. n. 18. 19. 20. & 28.*

(*f*) *Ann. 1293. n. 2.*

(*g*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 31.*

(*b*) *S. Anton. tit. 20. c. 8. §. 1.*

(*i*) *Ptol. Luc. eod. lib. c. 36. Io. Villan. l. 8. c. 6. Vita Bonifacii script. MS. Vall. sig. lit. C. n. 25. & 79. Dini Compagni chr. MS. l. 1. Petrarcha l. 2. de vita solit. sect. 3. c. 18. & alii.*

(*k*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*

(*l*) *Jac. Card. S. Georg. MS. Vall. l. 1. de creat. Bonif. c. 3.*

Anagnia patria Bonifacii.

Clara domus genuit, quam nutrit Anagnia colle
Gajetana virum dives, seu carmina vatum
Insinuant, urbs illa fuit dictoque vetusta:
Sed longe majore gradu prælata refertur,
Florida cui triplices nostro producere plantas
Tempore concessum est, quæ Petri sede monarchæ
Imperio cunctas subigunt de jure cathedras,
Quas inter prælucet herus, cui scandere fasces
Jus erat. En legum titulum sortitus ab olim.
Sæpe tulit causis leges, & perculit hostem;
Sæpe repercussus, contundens spicula victor.
Sæpe fuit mens alta viro, facunda juventus,
Et docile ingenium, solers industria, promptum
Obsequium, secura palam prudentia fari
Præsulibus fecere viam, qua tractus in altum
Cresceret: hinc scribæ munus papalis adeptus,
Omnia pertractans, clarus dictamine quondam.
Cardineo fulsit rubeo levita sacerdos,
Cardo manens. Benedictus herus, nunc culmine summo
Imperat. O pietas miserantis in omnia Christi
Ecclesiæ, cujus lacrymis & vulnere diro
Sanamur, gens cæca malo cæcata parentum
Delictis, dum tantus apex, qui sæcula, mores,
Pontifices, clerum, Reges, proceresque, ducesque;
Et Gallos, Anglosque procul, fraudesque minasque,
Terrarumque plagas orbemque rewiderat omnem.
Romanæque statum sedis veteranus in illa
Eligitur, pensata quidem medicina, coæquans
Languores tibi Christe Deus, sed proxima nobis
Tempora prospicimus. Successit in arduæ prudens
Fluctibus in mediis ortus: Campania talem
Edidit, ac tantam produxit Anagnia prolem.

Prænuntiatus Bonifacio Pontificatus.

Prænuntiasse S. Cælestinum Bonifacio pontificatum, scribit versu Jacobus Cardinalis, (*m*) idque se ex ipsius Bonifacii & aliorum ore accepisse: additque in curia apostolica paulo post a sua abdicatione remoratum, ut anteactæ vitæ errata sacra exhomologesi apud Bonifacium expiaret (*n*). Auctoris verba hæc sunt, Cælestinum compellantis.

(*m*) *Jac. Card. l. 2. de canoniz. S. Cæles. c. 18.*

(*n*) *Eod. l. c. 19. S. Cæles. apud illum peccata exhomologesi expiat.*

At tua simplicitas, perfectio, puraque mentis
Religio, devota fides, spes firma salutis,
Illo se referant, quo dulcis in omnia verax,
Cuncta ævo commissa tuo peccamina pandis
Summo apici: quæ causa senem remanere coegit,
Post cessum papale decus discedere promptum.

Nar-

Narrat ſoluta oratione idem auctor, ut Bonifacius ſanctum virum tradere cuſtodiæ meditaretur, iſque curiæ ſtrepitus perofus fuga ſolitudinem repetierit: *Humanæ*, inquit, *cedentem*, nempe Cæleſtinum, *tractans eum ſecum ad Romanas vel Campaniæ partes ducere tentabat, cavens ſibi Eccleſiæque, ne viro ſimplici aliquorum calliditate periculi aliquid ſuaderetur. Sed tamen ſua in tempus fruſtratur opinione: nam in die feſti circumciſionis ejuſve craſtino, Neapoli Romam iter aggreſſurus, præmiſſum ſuas celantem vias Murronem ejus inſciis cuſtodibus diverſiſſe comperit. Iis Bonifacius caute anxius, nec cœptum iter proſequi, nec lutitantem, ac ſi ejus rei non advertiſſet, deſtitit.* Sed de Cæleſtini fuga iterum anno ſequenti.

XXIV. Nazarethana ædicula e Dalmatia in Italiam divinitus advecta.

Nobilitata eſt hoc anno Italia auguſtiſſimo munere ſacra Deiparæ æde Nazarethana, quæ ante annos tres ac menſes ſeptem in Dalmatia conſtiterat. Qua de cauſa in Picenum ſuperato Adriatico mari tranſvecta fuit, haud plane conſtat: maxime certe inde ædi ſacræ dignitas conciliata eſt; divini enim aliquid in ea ineſſe conſpicuum fuit. Cum ita locum mutaſſe compertum eſt, Frangipanis ex primaria veterum Romanorum proſapia ortus Illyrici prætor ſimilem ædem in eodem, ubi ſubſtiterat, loco condidit, ut refert hiſtoriæ Lauretanæ ſcriptor (*a*): *Nicolaus Frangipanius novam ædem Nazarenæ parem ac geminam in iiſdem veſtigiis, ubi illa ſteterat, abs ſe extructam magnifico circumdedit templo. Id templum S. Mariæ a Terſacto vocatur, vel veteri ſanctiſſimi ſacelli memoria, vel novis miraculis nobile, & in eo templo ad januam aſſimulatæ Nazarenæ domus egregium Nicolai Frangipanii monumentum hodie viſitur, qui templi conditor pro ſua erga natalem Virginis domum eximia religione proximum illius veſtigiis ſepulcrum elegit ſibi poſteriſque. Quin etiam marmorea inibi tabula extat perantiqua tanti miraculi ad poſteros teſtis, in qua inciſum:* HIC EST LOCUS, IN QUO OLIM FUIT SANCTISSIMA DOMUS B. VIRGINIS DE LAURETO, QUÆ NUNC IN RECINETI PARTIBUS COLITUR. Conſedit noctu in ſylva Recinetenſis agri paſſus mille circiter a mari diſſita, quæ ad nobilem matronam Lauretam nomine pertinebat, atque inde Lauretanæ domus nomen traxit: quod inſigne prodigium memoratus auctor his verbis enarrat (*b*): *Cœleſte hoc donum mira opportunitate tranſmiſſum Italiæ eſt anno MCCXCIV.* Et infra: IV. *idus decembris inſigni ac ſempiternæ memoriæ commendando die Virgo Deipara pacem, ſalutemque Italiæ ferens, in Piceno ſuæ domui ſedem optavit. Picenum regio Italiæ eſt haud ignobilis & ſatis opulenta, e regione Dalmatiæ ſita, in-*

(*a*) *Turſell. l. 1. hiſt. Laur. c. 9.*

In iiſdem veſtigiis loci, e quo tranſlata, excitatum templum.

Inſigne Nicolai Frangipanii de domo Lauretana teſtimonium. In Lauretæ matronæ agro provinciæ Marchiæ Ancon. conſidet.

(*b*) *Eod. lib. c. 6.*

ſerjecto Adriatico mari, quod etiam ſuperum appellatur. Ergo ſacroſancta domus e Dalmatia trans Adriaticum ſinum, qua trajectus patet millia paſſuum ferme centum, in Picenum delata, conſedit in Recinetenſis agri ſylva mille circiter paſſus a mari. Ea ſylva matronæ cujuſdam Recinetenſis erat divitis juxta piæque. Lauretæ nomen fuit: cujus deinde nomine Lauretana ædes appellata immortalem viciſſim reddidit celebritatem ei, unde nomen acceperat. Tenet fama, nec vana eſt fides, venienti Deiparæ domicilio arbores obvias velut venerabundas inclinaſſe ſe, ac deinde pronas perſtitiſſe quoad ævo, ventis, ferro procumberent. Proinde dum ſtaret nemus, quod hodie exciſum eſt, inclinatas ad ædis adventum longo ordine monſtrari ſolitas peregrinis tanti miraculi teſtes, recens eſt adhuc memoria. Narravit mihi haud dubia fide vir abs ſe complures illarum arborum non fere amplius viginti ab hinc annis, nec ſemel nec ſine admiratione conſpectas; toto videlicet trunco pronas eas fuiſſe, ac proclinatas verſus mare, qua ſacroſanctam domus in deſtinatam ſylvæ ſedem ſublimis invecta tranſferat: eaſdem porro arbores exciſo etiam ſaltu ſuperſtites diu fuiſſe religione tutante; demum annis ab hinc circiter viginti ruſticorum accolarum inſcitia cæſas, ne impedimento arationi forent.

Unde nomen traxerit.

Intempeſta nox erat, cum Virginis domus vacuum ſylvæ ſpatium inſedit. Cuſtodiebant tum armenta Recinetenſium in proximo ſaltu paſtores, diviſis inter ſe de more vigiliis, cum ſubito lux ſacræ circumfuſa domui excubantium oculos eo repente convertit: Mirum eis videri novum in ſolitudine illa tectum, & quidem luce conſpicuum ſubito extitiſſe. Et fuit inter eos, qui eam conſpexiſſe ſe diceret cum ſublimis ſupra mare ferretur. Igitur ſocios ad ſpectaculum excitatis, primo multa inter ſe, ut eſt admirantium mos, ſuſcitari, inde mutuis ſe vocibus ad rem explorandam accendere, omneſque pariter id quod erat conjectare cœperunt ibi aliquid eſſe divini: accedunt, tectum ſubeunt. Limen ingreſſi, cohorreſcere primum animos, mox inuſitata quadam dulcedine perfundi ſentiunt. Itaque venerabundi precibus reliquam exegere noctem, quæcumque ſub tecto erant intentius contemplantes. Prima inde luce ex iis nonnulli Recinetum (aberat ab eo loco millia paſſuum ferme quatuor) iter intendunt: quæ viderint dominis nunciant. Tota res primo ob auctorum ſimplicitatem cum ipſis auctoribus ſpreta, vana ſcilicet ab iis afferri, & fortaſſe objectam in ſomnis imaginem. Paſtoribus deinde omni aſſeveratione affirmantibus, enimvero oculos facturos fidem ſi vellent; domini magis velle credere quam audere. Ad ultimum, ne aut creditum temere tam inſolitum

Inclinatum ad venientis ſacelli aſpectum nemus.

Cœleſtis ſplendor ſacram ædem circumfundit.

Paſtores miraculi teſtes & nuntii.

tum miraculum ruſticorum hominum teſtimonio, aut pro vano prætermiſſum, quod verum eſſet, ipſorum incuria videretur, illis comites addunt ſe, quid tandem rei foret exploraturi. Ubi ventum eſt in demonſtratum nemoris locum, & paſtorum fides extitit; vix ſatis oculis, vix ſibi quiſque credebat. Certe illam ædem ibi nunquam antea viſam, nec recens conditam, quod ejus vetuſtas ſatis oſtendat, divinitus utique aliunde advectam, aut cœlo delapſam. Talia admirabundi inter ſe muſſitantes propius accedunt: tectum cernunt non tam ſpecie quam antiquitate inſigne. Mirantur adeo vetuſtum ædificium ſtare nullis innixum fundamentis, nullis ſuffultum adminiculis. Mox ſuſpenſis animis limen intrant, B. Virginem Jeſum puerum manibus complexam ſupplices venerantur. Nec pietatis defuit fructus. Tantus repente eos lætitiæ miſtus horror inceſſit, nuſquam ut in omni vita præſentius Dei numen ſenſiſſe ſe dicerent. Confeſtim igitur in urbem citato recurrunt gradu, divinum munus inter ſe ſibi & patriæ gratulantes. Præcipuum Lauretæ matronæ gaudium fuit, cujus ſaltum divina illa ædes inſederat.

Piorum ad ſacram ædem concurſus.

Ut primum urbem tanti miraculi fama pervaſit, velut ſigno dato, mirus hominum cujuſque ordinis ac generis inſolito ſpectaculo oculos implere cupientium concurſus fieri in ſylvam. Non pueri, non puellæ, non ſenes, non debiles domi continere ſe poſſe. Ægri quoque relictis grabatis adrepere, viſendi cupiditate, ut fit, vires ſubminiſtrante. Plerique impetu quodam ardoris ruentes certatim ante alios provolabant, ut tale ſpectaculum oculis capeſſerent primi. Quo propius perveniendi ſpes admovebatur hoc magis concurrentium multitudo viſendique cupido creſcebat. Ubi vero ſacroſancta ſedes, cujus conſpectum rami arborum interſeperant, in apertiorem ſaltum ingreſſis ſubito apparuit, confeſtim omnes in unum convolare cœperunt: tantique undique ex ſylvæ ſemitis repente concurſus facti adire, contingere, oſculari ſanctos parietes cupientium, ut ſe mutuo prementes pene alii ſuper alios corruerent. In auguſtæ ſedis ingreſſu, dum venerabundi ſalutant Virginem, ingenti religione perfuſi lacrymarum vim profundunt, conſilia ineunt melioris, vitæ, ab eo loco divelli nequeunt. Inter hæc ingentes undique ægrorum præcipue ac debilium clamores exaudiri, confuſis vocibus patronam, matrem, cœli Reginam, Dei parentem appellantium, valetudinemque ac ſanitatem crebris expoſcentium precibus: nec voces vanæ, nec preces irritæ cadebant. Protinus depulſis morbis, reſtitutiſque viribus multorum divina vis extitit. Tum vero ingeminari clamor cœptus agentium Deo ac Virgini grates, & cœleſtem vim opemque prædicantium in ſe ipſis expertam.

Beneficia divinitus collata opem Deiparæ imploran-tibus.

Ergo ut Recinetenſibus divinæ lux liberalitatis affulſit, certatim ſanctiſſimæ Virgini cella coli ab eis, celebrarique cœpta eſt. Sed privata inter publicos honores Lauretæ ſtudia eminebant, ex quo ædi Lauretanæ deinde nomen factum. Ut vero ex hoc loco in collem proximum atque iterum in alium deportata fuerit, ſequenti anno dicetur.

XXV. Aquitaniam Philippus Eduardo eripit.

In Galliis bellum atrox geſtum, cujus cauſas anno præterito Eduardum inter & Philippum enatas vidimus. Cum enim Eduardus conſtituta die ad dicendam vexatæ populatione Galliarum oræ maritimæ cauſam non affuiſſet, Philippus Rex ipſum Aquitaniæ ducatu, cujus nomine fiduciarium ſe erat profeſſus, edicto privavit, ad quam provinciam recipiendam validum immittit exercitum: ac tum, cum Angliæ Rex Edmundi fratris opera, Joanna & Maria Reginis Franciæ fœderis interpretibus, illatas Gallico nomini injurias, permiſſis Regis Gallorum fidei ſex arcibus ac datis pluribus obſidibus, farciret; ſponderetque Philippus Rex edictum in Eduardum de revocanda ad Gallicam coronam Aquitania abrogaturum; tum etiam Eduardus Philippum ad dirimendas familiari colloquio controverſias aditurus eſſet, atque ideo Angli pacis confidentia a bellico apparatu minus inſtructi eſſent; repente Philippum dolo & vi Aquitaniam imparatam armis & milite ſubegiſſe, queruntur Angli hiſtorici, (*a*) ex quibus Walſinghamus hæc habet: *Ecce, procurante pacis æmulo, immutatum eſt cor Regis Franciæ, conductuſque Regi Angliæ denegatur, & litera conſtabularii revocatoria per poſteriorem literam irritatur. Et * quia per conſtabularium Vaſconiam in manu potenti intrantem, cuſtodibus, & miniſtris juxta tenorem literæ*, nempe Eduardi jubentis ſex arces pacis cauſa Franco dedi, *ſibi apportatæ ſe ſubdentibus in manu Regis Francorum, accipitur terra tota, miniſtri omnes Regi Angliæ terræque cuſtodes obſides, & captivi Pariſios deducuntur. Poſt dies tantum aliquot Edmundus Reginas rogavit, ut juxta promiſſa ſua & pactiones initas Regem Franciæ interpellarent ſuper conductu Regis Angliæ concedendo, citatione revocandu, terra reſtituenda, & obſidibus liberandis. Rex vero Francorum per quoſdam milites ad Edmundum miſſos inficiatur ſe quicquam de talibus pactis ſcire.* Ut vero Bonifacius VIII. qui poſtea controverſiæ arbiter delectus eſt, debellatam hoc dolo Aquitaniam Anglo reſtitui jufferit, dicemus inferius.

(*a*) *Vneſt. Flor. hiſt. & alii. Walſingh. in Eduardo I. ſub an. 1295.*
* *ſic*

Funeſto ita bello, cujus fructus fidei hoſtis in oriente colligebat, impliciti Reges alternis ſeſe cladibus obtriverunt. Gallus enim terra viribus inſtructior: Anglus vero in mari victor plura hoſti mala retu-

Maritimo prælio vincitur. Deficiunt ab eo Flandri.

(a) *Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 35.*

lit; tum periculosissimum Gallo bellum conflavit, Guidone Flandriæ comite nonnullisque principibus Galli clientibus ad defectionem pellectis, de quo hæc Ptolemæus Lucensis (*a*): *Suo autem tempore*, nimirum Cælestini, *guerra inter Regem Angliæ & Regem Franciæ multum fervet, & multa mala sunt commissa in mari; & in terra prævalet Rex Franciæ & circa partes Vasconiæ: in mari autem Rex Angliæ cum adjutorio Bajonensium. Hujus autem guerræ occasione inchoata est discordia inter Regem Franciæ & comitem Flandriæ, eo quod comes contraxerat parentelam cum Rege Angliæ dans filiam filio Regis Angliæ, Rege Franciæ irrequisito, qua de causa pater & filia longo tempore fuerunt detenti Parisiis.* Evasit deinde fuga comes, turbasque ingentes concitavit. Impulsus quoque ab Eduardo Adolphus Rex Romanorum, cujus gratiam magnis muneribus Anglus emerat, ut Philippo bellum inferret: is vero, ut causam prætexeret, regnum Arelatense ac spineam Christi coronam per oratores repetiisse refert Eberhardus: (*b*) verum ex Bonifacii VIII. literis (*c*) ad Philippum Regem Francorum non injustam, judice Pontifice, de Burgundiæ comitatu, qui a Rodulpho Rege defecerat, litem movisse colligitur: *Amantissime*, inquit, *fili, considera quis Rex quisve princeps regnum tuum non impugnatus a te, vel non offensus impugnant. Nonne Rex Romanorum fuisse occupatas a te tuisque prædecessoribus, seu occupatas tenere civitates & terras, seu limites ad Imperium pertinentes cum instantia conqueruntur, & specialiter Burgundiæ comitatum, quod notum est fore feudum descendens ab Imperio & recognoscendum ab ipso? Nonne charissimus in Christo filius noster Rex Angliæ illustris de nonnullis terris Guasconiæ asserit illud idem? Nunquid super iis dicti Reges denegent stare juri? &c.* At de his iterum inferius.

(*b*) *Eberhar. apud Canis. antiq. lect. pag. 319.*

(*c*) *Bonif. VIII. l. 2. ep. 98.*

Indicit illi bellum Adolphus Rex Rom.

XXVI. Fraticellorum & Bizoch. hæresis exoritur.

Emergere hoc anno cœpisse nefandam Fraticellorum & Bizochorum hæresim, referunt Jordanus (*d*), & Baronius (*e*), auctoribus duobus Minoritis apostatis, quos S. Cælestini simplicitati illusisse, cum virus obtensa sanctitatis larva tegerent; atque ab eo obtinuisse, ut eremiticam vitam colerent. Quæ vero venena suis affunderent, quæve inde secuta sint, ex eodem Jordano petamus: *MCCXCIV. Petrus de Macerata & Petrus de Forosempronio apostatæ fuerunt ordinis Minorum & hæretici. His petentibus eremitice vivere, ut regulam B. Francisci ad literam servare possent, Cælestinus sua pura, sed periculosa simplicitate concessit, & sibi adhærentibus: quibus plures apostatæ adhæserunt, qui statum communitatis condemnabant & declarationes regulæ, & vocabant se fratres S. Francisci, sæculares autem vocaverunt bizocios & fraticellos, vel vocatos. Hi dogmatizabant, quod nullus summorum Pontificum regulam B. Francisci declarare potuit. Item quod Angelus abstulit a Nicolao IV.* cœperat is in hos novatores animadvertere (*f*), *auctoritatem papatus, & ab illo tempore non fuit Papa in Ecclesia, nec verus prælatus, vel sacerdos nisi inter eos solum; & quod ipsi soli sint in via Dei, & vera ecclesia: & mutaverunt secundo sibi nomina. Vocaverunt se primus Liberatus, secundus Angelus dictus, quia se fingebat revelationes angelicas habere.* Pullulasse eandem sectam Cælestino Pontifice, cum viro sancto ab hypocritis pietatis specie fraus objecta esset, atque in eam non modo ex Minoritarum familia apostatas, sed etiam ex tertio ordine, atque aliam hypocritarum illuviem confluxisse, Joannes XXII. testatur in illa sanctione, quam adversus eam pestem, cum in Italia, Galliis, & oriente serperet, edidit: *Nonnulli*, inquit, *profanæ multitudinis viri, qui vulgariter Fraticelli, seu fratres de paupere vita, Bizochi sive Biguini, vel aliis nominibus nuncupantur.* Et infra: *Habitum novæ religionis assumere, congregationes & conventicula facere;* Et infra: *quasi eorum secta foret una de religionibus per sedem Apostolicam approbatis, temeritate damnabili præsumpserunt & præsumunt etiam incessanter. Et ut ipsorum error, veritas, & impietas religio reputetur, plurimi eorum regulam, seu ordinem fratrum Minorum, quem S. Franciscus instituit, se profiteri ad literam, * conservare confingunt; quamquam in obedientia generalis, aut provincialium ministrorum non morentur, prætendentes se a sanctæ memoriæ Cælestino Papa V. prædecessore nostro hujus status, seu vitæ privilegium habuisse.* Et infra: *Ipsorum quamplurimi (sicut fide digna relatione percipimus) a veritate catholicæ fidei deviantes, ecclesiastica sacramenta despiciunt, ac errores alios student multipliciter seminare.* Illustrantur superiora a sancto Antonino (*g*) dum tradit jam ante exortos qui paupertatis consectandæ pernicioso zelo multa scandala in sacro S. Franciscí sodalitio Nicolao IV. Pontifice maximo concitarint: *Papa*, inquit nimirum Nicolaus, *misit literas dicto generali*, nempe Raymundo, *ut contra quosdam fratres, qui in provincia Provinciæ schisma videbantur inducere, statum aliorum fratrum damnantes & se spiritualiores cæteris reputantes, procederet. Quorum nonnulli reperti sunt infamiam & scandala in provinciis suscitantes, & doctrinam non consonam veritati tenentes.* Tradit etiam Petrum Olivi plura de ordinis paupertate effutiisse, additque: *Multos*

(*d*) *Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.*

(*e*) *Baron. ex eo in sylva MS. pag. 480.*

Petrus Macerat. & Petrus Forosempron. illius auctores. Damnabant conventuales.

A Cælestino obtinent eremitica instituti sequi. Delirabant Nicolao IV. pontificatum ereptum divinitus.

(*f*) *S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 9.*

Nullum verum præsulem nec sacerdotem nisi inter sectarios fuisse.

* &

Jactabant divina arcana sibi pandi.

(*g*) *S. Anton 3. p. tit. 24. c. 9 §. 11.*

Quæ fuerint hujus hæresis exordia.

tos sequaces in doctrina habuit, zelum nescio quem sine discretione habentes, sub devotionis colore non modicum captiosos, a quibus multa scandala sunt secuta. Scribit idem sanctus (*a*) de iisdem ad insaniam & impietatem paupertatis jactatoribus, qui se ab ecclesia Romana divulserant: *Adhuc reprobi illi inveniuntur in sæculo, constituentes sibi papam vel potius antichristum, episcopos & sacerdotes; & per domos mulierculârum dogmata sua docent, & sacramenta ministrant filii diaboli.* Ut vero ad nefariam sectam, quæ in Italia Fraticelli della opinione vulgo nuncupata est, abolendam Bonifacio primum, ac dein aliis Pontificibus desudandum fuerit justisque ii pœnis conterriti in orientem ad novam illi pestem inferendam aufugerint, dicetur inferius: nunc Græcorum res perstringendæ sunt.

(*a*) *Tit. 21. c. 5. §. 1.*

XXVII. Depulso patriarchali sede Constantinopolitana Georgio Cyprio, quam is flagitio invaserat, subrogatus est a schismaticis Athanasius, ut ait Gregoras (*b*), vir indoctus sed austerus, atque ideo cum sacerdotum collegio haud placeret, Joannes Sozopolita ad thronum evectus. Tanta erat in schismaticis inconstantia, & patriarchæ levissimorum virorum temeritati adeo obnoxii, ex quo Romani Pontificis obsequio se subduxerunt. Joannes porro Michaelem Andronici filium corona redimivit. Subdit vero auctor Michaelem non Balduini Constantinopolitano Imperio exacti e filio neptem ob graviora Caroli petita, sed Regis Armeniæ sororem uxorem duxisse. Meruit forte Aytonus Armenus, qui S. Francisci instituta Joannis nomine accepto sectabatur, ob inita cum schismaticis fœdera a Deo plecti, quæ enim ipsi ac toti Armeniæ funestissima mala earum nuptiarum occasione invecta fuerint, describit Sanutus, (*c*) nimirum dum ipse Mariam sororem Constantinopolim magno apparatu duceret, fratrem Sebath Armeniæ sceptrum corripuisse: *Christiani*, inquit auctor, *transmarini, licet impiorum cladibus lacerati, in Armenia maxima scandala concitant inter se: cum enim Ayton Rex Armeniæ Constantinopolim pergeret, quia filius Andronici ejus sororem desponsaverat ducens secum fratrem Thoros, Sebath alter frater regni diadema sibi imposuit MCCXCIV. ex eo motus, quod Ayton numquam coronari voluit, sed magis fratrum Minorum sumpsisset habitum, & frater Joannes ex tunc communiter vocaretur. Cum igitur rediisset Ayton ab Armenis repellitur. Cognita causa in Cyprum primo, dein in Constantinopolim navigat, & inde pergit ad Tartaros, ut de fratre ponat querelam: sed hunc ille prævenit, & ad gratiam captandam Tartaram duxit uxorem.*

(*b*) *Nicep. Greg. l. 6.*

Michael Andr. filius Mariam Aytoni Reg. Armen. sororem ducit. Divina de Aytono ob inita cum schismat. fœdera ultio.

(*c*) *Sanut. l. 3. p. 13. c. 2.*

Sebath Armen. sceptrum illi eripit.

Affinitatem contrahit cum Tartaris.

I. INeunte anno à Virginis partu milleſimo ducenteſimo quinto, indictione octava, Bonifacius electus Neapoli ſummus Pontifex, ſuſceptis Eccleſiæ gubernaculis, quæ Cæleſtinus poſuerat, orbem univerſum complexus animo, pacare Italiam, Siciliam revocare ad officium, Hiſpanias fœdere cum Galliis conjungere, Philippum & Eduardum Reges ad pacem adducere, Adolphum Romanorum Regem ab invadendis Galliis deterrere, cæteros Chriſtianos, qui in mutua conjurarant funera, tanquam fidelibus perdendis Saraceni non ſufficerent, firmiſſima connectere concordia; initaque armorum ſocietate, ſchiſmaticos Græcos ad obſequium eccleſiæ Romanæ adigere, ac Terram ſanctam ob diſſenſiones occidentalium amiſſam recuperare, eſt meditatus adeo, ut appoſite hanc ſententiam in pontificium ſymbolum acceperit (*a*): *Domine Deus in adjutorium meum intende*. Ob ea vero egregia conſilia jure cum præſtantiſſimis quibuſque Pontificibus conferendus, pluribus videbitur; quamvis triſtes exitus ex lætiſſimis initiis emerſerint; ut Bernardus (*b*) hæc de ipſo prodiderit. *Incepit quadam ſingulari via ſuam potentiam, & papalem magnificentiam dilatare, cujus prædeceſſor Cæleſtinus miracula operatus eſt in vita ſua & poſt mortem: ipſe vero Bonifacius Papa fecit mirabilia multa in vita ſua; ſed ejus mirabilia in fine mirabiliter defecerunt.* Illuſtrabuntur hæc ex univerſa illius pontificatus hiſtoria, quam aggreſſuri primum ex Jacobo Stephaneſco, qui a Bonifacio Cardinalitia dignitate auctus, verſu illius res geſtas, & Cæleſtini ad eremum fugam ac mortem cecinit, exordiemur. Refert imprimis, ut Bonifacius, quamvis precibus a Carolo urgeretur, ut Neapoli conſiſteret, pontificii decoris eſſe arbitratus Romæ inſignia dignitatis accipere, in Urbem Regibus Siciliæ & Ungariæ ſtipatus (*c*) venerit, magnoque plauſu & apparatu a civibus receptus ſit.

Altiora Bonifacii, & laude digniſſima conſilia.

(a) Ep. 284. & aliis.

(b) Rayn. in chron. Rom. Pont. hoc ann. vit. Bonif. in Vall. MS. ſign. lit. C. n. 25. & n. 79.

(c) Jac. Card. de coron. Bonif. l. 2. c. 7.

Attamen (*d*) *ut Petri ſedes compreſſa dolore*
Libertate frui, ſponſumque reviſere poſſet,
Admonitis ſermone gravi dictoque ſalubri
Regnicolis; laudando fidem, Caroloque ſecundo,
Ut pia ſubjectos paſcat clementia regno
Attritor bello, vaſtiſque laboribus actos;
Carpit iter Præſul, Capuam, montemque Caſinum,
Inde Ceperani tranſvexit flumina ponte.
Cumque per effuſos peteretur Anagnia campos,
Obvia multiplici diſcurrit milite pompa. — Delata illi a Romanis ſenatoria dignitas.
Excipienſque patrem rupes nativa pedeſtres
Effudit choreas, juſſas occurrere palmis.
Illic nobilium procerum pars magna vetuſtæ
Urbis in adventum Papæ deferre ſenatum
Venerat. At ſumpto Romana attingere Præſul
Mœnia feſtinans, patriam civeſque relinquens,
Continuavit iter; quoad altam cerneret Urbem.

(d) Ibid. c. 5. Pontificium iter verſus Urbem.

Et infra:

Roma velut ſponſum remeantem carcere ab hoſtis,
* *Exceptum foret, frontem veſtita coronas,* — * Excepturæ
Vadit in occurſum, laudanſque excurrit in arvis
Miles, eques, cleruſque canens ſua thura miniſtrat — Ingenti pompa Urbem ingreditur.
Pontifici. Primum Laterani templa novellum
Suſcipiunt patrem. Confeſtim principis aulæ
Clavigeri Petri gaudens ſuſcepit euntem.
Hic locus, hic thalamus, ſedes quoque feſta ſacrandis.

II. Sacramentum a Bonifacio nuncupatum B. Petro.

Antequam ſacraretur Bonifacius, ad aram B. Petri accedens, ſacramento ſe obſtrinxit B. Petro, ſe nunquam ab eccleſia defecturum: fidem de Deo uno & trino, deque incarnato Verbo, & quæ in conciliis œcumenicis definita erant, ſpreto necis diſcrimine, conſtantiſſime defenſurum: canonicas ſanctiones, ac patrum traditiones, & Pontificum decreta ſervaturum; tum ad reſtituendam eccleſiaſticam diſciplinam Cardinalium conſilio uſurum: opemque divinam ad hæc implenda precatus, juris jurandi formulam (*e*) ſubjectis conceptam verbis ſacris B. Petri reliquiis impoſuit.

(e) Ext. in MS. areh. Vat. Nicolai Card. de Aragon. ſign. lit. C. n. 196. varia de reb. ſedis Apoſt. p. 138.

In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Anno dominicæ incarnationis MCCXCV. indictione VII. *ego Benedictus Cajetanus ſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconus Cardinalis & electus ut fiam, per Dei gratiam, hujus ſacræ Apoſtolicæ ſedis miniſter humilis, profiteor tibi, B. Petre Apoſtolorum princeps (cujus claves regni cœleſtis ad ligandum atque ſolvendum in cœlo & in terra creator atque redemptor omnium Jeſus Chriſtus tradidit, inquiens: Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis) ſanctæque eccleſiæ tuæ, quam hodie tuo præſidio regendum ſuſcipio, quod quamdiu in hac miſera vita conſtitutus fuero, ipſam non deſeram, non derelinquam, non abnegabo, nec abdicabo aliquatenus, neque ex quacumque cauſa & cujuſcumque metus vel periculi occaſione dimittam, vel me ſegregabo ab ipſa: ſed veræ fidei rectitudinem, quam Chriſto auctore tradente per te & beatiſſimum coapoſtolum tuum Paulum, perque diſcipulos & ſucceſſores tuos uſque ad exiguitatem meam profatum in tua ſancta eccleſia reperi, totis conatibus meis uſque ad animam & ſanguinem cuſtodire tam de ſanctæ & individuæ Trinitatis myſterio, quæ unus eſt Deus, quamque de diſpenſatione, quæ ſecundum carnem facta eſt unigeniti Filii domini noſtri Jeſu Chriſti, & de cæteris eccleſiæ Dei dogmatibus, ſicut in univerſalibus conciliis & conſtitutionibus apoſtolicorum Pontificum, probatiſſimorumque eccleſiæ doctorum ſcriptis ſunt commendata; ideſt quæcumque ad rectitudinem veræ noſtræque orthodoxæ fidei a te traditionem accipiunt conſervare: ſancta quoque univerſalia octo concilia, id eſt Nicænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum primum, Chalcedonenſe, Quintum quoque, Sextum, item quoque Conſtantinopolitanum, & Septimum, item Nicænum Octavum quoque, item Conſtantinopolitanum uſque ad unum apicem inviolata ſervare, pari honore & veneratione habere digna, & quæ prædicaverunt & ſtatuerunt omnimode ſequi & prædicare; quæque condemnaverunt condemnare ore & corde diligentius & vivacius quamdiu vixero. Omnia decreta canonica prædeceſſorum apoſtolicorum meorum Pontificum quæcumque vel ſynodaliter ſtatuerunt & approbata ſunt confirmare & indiminuta ſervare, & ſicut ab eis ſtatuta ſunt in ſui vigoris ſtabilitate cuſtodire: quemque vel quoſque condemnaverunt vel abdicaverunt, ſimili ſententia condemnare vel abdicare: diſciplinam & ritum eccleſiæ, ſicut inveni & a ſanctis predeceſſoribus meis canonice traditum reperi, quandiu vita mihi comes fuerit, illibata cuſtodire: & indiminutas res eccleſiæ conſervare, nec alienare, ſeu in feudum aut cenſum vel emphyteoſim dare quomodolibet ex quacumque cauſa, & ut indiminute cuſtodiantur operam dare: nihil de traditione quam a probatiſſimis prædeceſſoribus meis traditam & ſervatam reperi, diminuere vel mutare, aut aliquam novitatem admittere; ſed ut eorum vere diſcipulus & ſequipeda totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonice comperio, ſervare & venerari: ſe quæ vero emerſerint contra canonicam diſciplinam fratrum meorum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalium omnium, quorum conſilio & conſenſu, directione & rememoratione miniſterium meum geram & peragam, emendare, aut patienter (excepta fidei aut Chriſtianæ religionis gravi offenſione) tua & beatiſſimi coapoſtoli tui procurante interceſſione, tolerare: ſacros quoque canones & canonica ſtatuta Pontificum ut divina & cœleſtia mandata (Deo auxiliante) cuſtodire, utpote Deo & tibi ſciens me redditurum de omnibus, quæ profiteor, & quamdiu vixero, egero, vel omiſero, diſtrictam in divino judicio rationem, cui ſanctiſſimæ ſedi divina dignatione (te patrocinante) præſideo, & vicem interceſſionibus tuis adimplebo.*

Obſtringit ſe eccleſiæ.

Ad tuendam fidem de Deo uno & trino, deque Chriſto redemptore.

Ad ſuſtinenda octo œcumenica Concilia.

Ad ſervandas ſanctiones canonicas.

Ut traditiones.

Diſciplinam eccleſiaſticam reſtituendam.

Eris autem mihi in illa die terribili propitius, hoc conanti & diligenter ſervare curanti. Adjutorium quoque & præbeas obſecro in hac corruptibili vita conſtituto, ut irreprehenſibilis appaream ante conſpectum judicis omnium domini noſtri Jeſu Chriſti, dum terribiliter de commiſſis advenerit judicare; & facias me dextræ Partis participem, & inter fideles diſcipulos, ac ſucceſſores tuos eſſe conſortem. Hanc autem profeſſionem meam per notarium & ſcriniarium ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, jubente me ſcriptam, propria manu ſubſcripſi, & tibi, beate Apoſtolorum omnium princeps, pura mente & devota conſcientia ſuper ſanctum corpus & altare tuum ſinceriter offero. Actum Romæ anno, menſe, indictione, ut ſupra. Nuncupato eo jurejurando, Bonifacius ſacratus eſt Pontifex, deſcribitque memoratus Jacobus Cardinalis ſervatos in conſecratione ritus, cultumque, quo magnifice adornatus novus Pontifex ad aram acceſſerit.

Implorat S. Petri opem.

Conſecratur in eccleſia S. Petri.

——— *Roſeo* (*a*) *velamine fulgens*
Ingreditur ſacra templa Petri, mantoque relicto,
Induitur niveum zona ſuccinctus amictum.
Velaturque caput, texto radiante monili,
Haud faciem ſolito colli circundare nuda
Pontificis, fulvo micat & carbunculus auro
Inſitus, & variæ fulgent in pectore gemmæ.
Et ſtola demiſſis pendet conjecta lacertis.
Nec deerat byſſus tunicæ, manicataque veſtis
Levitæ, caſulæque capax a forfice forma,
Poſt longas habitura plicas, contracta miniſtris.

(a) Cap. 1. Sacrandi Pontificis cultus.

Cor-

Cornua fronte gerit, duplicem signantia legem;
Legem quippe novam Christi, veteremque figuram,
Alterius quas nosse suum, quas condidit idem
Omnipotens. Chirotheca manus, digitosque venustat
Annulus, & cubitum lævum cingitque maniplus.
Nec non cardinei proceres, distinctus & ordo
Cuique dabat, sumpsere habitus discrimine fuci
Nullos namque color tingens in sidone vestem
Consimilis. Sic ergo dies ornata refulsit,
Sic & Pontifices vicinæ plebis, in Urbem
Acciti, festis aderant.

Et infra:

(a) Cap. 2. *His (a) comptus sublimis apex sandalia gestans,*
Ornamenta pedum,

Et infra:

——— Mediusque accessit ad altum,
Egregiumque decus fidei venerabile donum,
Christicolis altare Petri de marmore cæsum,
Porphyriisque gerens fulvis a celte columnis
Quatttuor, argenti cœlum, quod tempus in atrum
Accessus ad altare S. Petri. *Verterat; ac subter fusi sub tegmine cupri*
Corpora sacra tenens, totum veneranda per orbem
Ætherei Petri, Pauli quoque gentibus almi
Doctoris, quo solus apex summusque sacerdos,
Chrisma capit flagrans: decet hæc nam gloria patrem
Cumque genuflexo sedi prostratus, & auro
Procubuisset herus, simul omnis & insula circum
Pontificum supplex in faldistoria pectus
Funderet, & læta resonasset murmure . . .
* Pressitque duci ** Atque duci presset sacras in vertice palmas,*
Suspensusque liber capiti non clausus in altum
Servati in consecratione ritus. *Præforet is præsul, cui subditur Ostia Tybrim*
In mare deducens, faciem conversus in illum,
Qui sacrandus erat, præstansque altaribus idem
Incipit, ampullæ liquidum perfundere chrisma
In caput, atque brevi digito complere coronam,
Et complere manus, quidni si balsama fragrant,
Non falsis commixta dolis, sed sponte virenti
Mixta oleo? Cur ista? Notant in præsule famam Eorum mysteria.
Balsamus, inspirans citri vocalentis odorem,
Atque oleum clarere Dei sub lumine mentem.
Quippe decet famam populo Christoque celebrem
Conservare domum. Cur nam uda est sphærica cervix?
Cur manus? En facies operum signata per actus,
Quæ pia, dum blanda palmæ sacrantur oliva,
At capitis summum signans rationis acumen
Balsamus oblimat, faciens incendia sacri
Flaminis. Hæc præter quam sit venoranda potestas,
Illius frons uncta docet, testatur & actum
Officii linita manus. Nam claudere cœptum
Maturabat opus sacrans, ubi mystica fucis
Verba micant, sensusque patent gravitate referti.
Pallia (b) tunc humeris, crucibus cau- (b) Cap. 3.
dentia nigris,
Imposuit lævita rubens, quibus aurea puros
Sapphiros defixit acus, laudansque monile
Fert sublime datum, certo non limite septum
Posse; sed effusas ubertum suscipe vires
In genus omne virum, pulso discrimine sexus.
Ad Patris ingeniti, Geniti quoque, Flaminis almi,
Virginis intactæ matris nascentis ab ortu,
Et Petri Paulique ducum, renovatus honorem,
Ecclesiæ titulum Romanæ suscipe signum.
Hoc tantæ virtutis apex, de corpore sumptum III.
Principis ætherei. Post hæc sacratus adaucto
Insidens, thalamo summus Bonifacius heros,
Atque alios patres susceptit, & oscula passim.

Et infra:

(a) Cap. 4. Peracta solemni pompa sacra res. *His (a) ita consurgens nascentis cantica Christi*
Inchoat, angelicam vocem, sonitumque tubalem
Effert, & celebris missæ solemnia complet.
Haud alii procerum: nam delibuta coronas
Non prius in festis, quam dictet epistola sensum
Turba solet, princepsve canit; sed libat eodem
Tyro novus. Varias impulso gutture voces
Concrepat inde chorus, duplicat sua vulnera pæon.
Hic petit unisonum stabili firmatus in unco,
Et liquidas errore vago modulamine voces
Per medium, perque omne solum, perque ardua firmat.
Ille tonum Romanus avet, clarum diapente
Ille canit, ferit ille gravem quarta diatesseron.
Lubricus in vocem nescit consistere pernix
Italus, hic notas refricans seu nubila guttas.
At flatu melior vox Gallica, lege morosum
Præcinit, & queruli geminans retinacula punctI
Instar habet dure percussi incudibus æris.
Nec tantum clerus, sed divis vestibus ust
Festæ acclamationes novo Pontifici datæ. *Caussarum patroni aderant, magnoque tumultu,*
Dum levita canit, summo præconia Papæ,
* id est exclamavere *Exclamare * pio laudes de more celebres.*

IV. Ut corona papali fuerit redimitus. Prosequitur auctor uti augustissimum missæ sacrificium a novo Pontifice peractum sit; deinde nobiles Romani aureis togis nitentes Ursini, Columnenses, Sabelli, Stephanesii, Annibaldi, aliique spectaculi pompam adornarint; utque postea Bonifacius extra S. Petri basilicæ limina corona cinctus fuerit, ita celebrat [1] (b).

(b) Eod. l. 2. c. 7. *Ut prius insignis casula variante colorem,*
Insedit, sacris pedibus subsellia calcans;
Tunc senior levita manu diadema vetustum,
Imperii signum, pavonis cortice candens
Pennarum, intexto gemmis radiantibus auro,
Vallatum in gyro, cui summo in vertice carbo
Evomit, & cubito gemmarum maxima flammas
Imposuit capiti, sphæræ cubitique figuram
Accipiens, phrygium lapidum fulgoris inane
Quondam; sed niveï pileum candoris acuto
Vertice contemptum, gemmæ nunc temporis auctum.
Hæc Romana tenens quondam fastigia Cæsar,
Imperitans mundo magnus pietate monarcha
Constantinus apex statuit, tum primus in orbe: A Constantino regia insignia data Pontificibus.
Fonte sacro purgatus herus, proprium sibi regnum,
Seu phrygium manibus Silvestri in vertice pressit.
Officiique humilis gessit stratoris ab ipso
Mundatus lepra monitus per somnia princeps.
Qui licet in terris Petri successor apertum,
Et clausum retinere queat procul obice cœlum;
Confessor tamen ipse sacer latitabat in antris,
Martyrii palmam devoto pectore zelans,
Usque quoad vectus coram stetit, atque profantem
Audiit Augustum, Petri Paulique ducatu
Post scelus exosum, postisque in crimine metis,
Ad Christum veramque fidem, sanctum quoque dogma
Venturum, baptisma datur, miracula clarent.
O pietas immensa Dei spatiosa per omnes!
O virtus! O digna salus!

Pergit auctor (c) qua pompa ex ecclesia V. (c) Cap. 9.

NOTÆ [1] PAgius junior in breviario pontificum Romanorum ad vitam Bonifacii num. X. egregie demonstrat hanc fidei professionem suspiciosam esse maxime, & plane confictam; id vero arguit primo quod ibi Bonifacius diaconum se cardinalem appellat, cum re ipsa presbyter cardinalis fuerit. Insuper suspiciosa redditur ex variantibus, quæ occurrunt, collatis inter se variis hujus professionis formulis, quas Bzovius & Raynaldus ex vaticanis codicibus describunt. Ad hæc, nemo veterum fidei professionem istam præmissam a Bonifacio scribit. Nec sane istud moris ante decessores pontifices obtinuisse scimus. MANSI

Qua pompa ad ecclesiam Lateranensem perrexerit.

(a) Eod. lib. c. 8.

sia S. Petri Lateranum triumphantium more petierit.

Principio (a) crux celsa Dei, suffectaque celtis
Ingenio rutilans hastili fertur in altum.
Post ipsum quadratus equus detextus ad ante,
Valetusque rubro scarleti stercora nacto
Cygneus ad dextram vehitur. Vexilla sequuntur
Ordine bis seno tenus, & pluvialibus. Ambo
Navales praefecti adeunt, quos protinus omnis
Insula Pontificum, sacrato vertice candens,
Subsequitur: numerum veniens Romanus & abbas
Aggerat: hos retro lento procedere gressu
Pontificum veneranda cohors, pars una senatus,
Aggreditur clausis pars altera septa planetis,
Presbyterum gravitate sua succedere dignum
His putat: ac longo protensa sub ordine turba,
Scribarum, doctumque simul, legumque professum,
Hos tantos sectare patres, coetusque canentum,
Cum Graecis aliisque viris, qui psallere doctum
Ensiferum potuere ducem, post terga priorum
Incedunt. Similisque manus tunicata per artus
Pontificis Romanae Urbis postrema ferebat
Agmina, qua filum rectae servavimus alae
Nos levitarum cuneus, nos illa senatus
Dalmaticas vestita togas. Pars nobilis una
Ilicet assequitur, scandens mantilibus albis
Tectos undique equos, legio ceu cuncta bicornis,
Ut festo clarere, die, possetque triumphis.
Fecerat ac serie proceres incedere ritus.
Edocet hoc etiam, ne sors abolescat in aevum,
In scriptis monimenta tenent. Sed vadere recto
Tramite quis poterat?

Et infra:

(b) Cap. 9.

Progreditur (b) sic summus apex, cui tanta relucet
Gloria, sublimi phrygio vestitus, & auro,

Euntis magnificus cultus.

Cornipedemque sedens niveum sub tegmine nacti,
Mandentemque genis ibat, quo laetior, aurum,
Adventabat equo candens diademate, palla,
Auratque super palla, nam cuspide plumae
Cypressus consuta nitet. Tunc lora tenebant
Illustres Gallique duces, Caroluque secundus
Rex Siculus, Caroluque puer prolesque juventa,

Reges Siciliae & Ungariae illi fratorum munus exhibent.

Floridus Ungariae materno a stipite nomen
Regis habens. Dextram pater accipit, atque sinistram
Filius, ardentes habitu, quos uvea tinxit
Grana rubens; siquidem Terrae per rura laboris
Hi Reges sociare patrem venere volentes;
Jure tamen: nam sceptra tenet vassallus ab ipso
In feudum Siculus: nec non de more, vicissim
Divisum sortita locum Romana senectus
Id peragit procerum terrae coelique ministro,
Dum pergit sacratus apex, quem circuit amplus
Miles eques post terga ruens, festumque decorans
Appulus & Gallus, Romanus & inclytus omnis,
Nobilitas Campana sequens vestigia summi
Principis. An numerum poterit quis pandere metro?

Et infra:

Sic igitur vadens redimitus tempora regno,
Summus apex propriam signabat acumine dextrae,
Devotamque sibi cupidamque invisere plebem:
Quae laudes exclamat hero, quae & vivere longum
Optat, &c.

Prosequitur, ut Romani varios arcus magnifice, qua iter erat, adornassent; tum subdit (c): VI.

(c) Cap. 13.

Progrediens Princeps Lateranum summus in orbe
Appulit, haud phrygium, mitram sed vertice gestans,

Pon-

Pondere confectus nimio.

Et infra:

——— Primusque sacerdos
Cardineus sacram Princeps dum tendit ad aulam,
Ut levita prius cecinit praeconia, septus
Judicibus, declamat hero, laudesque perorat
Illi. Cum residens Silvestri in limina ductus
Munera divisim largitur cardine sultis,
Praesulibus aliis, clero, laicisque ministris
Summus apex, humeros roseum vestitus amictum.

Data apud Lateranum munera.

Haec ita: ne immemores videamur quaerere fastus,
Ac humilem tempsisse domum, solemnia cleri
Pandimus. En sedes, capiens de stercore nomen,
In platea est circa templum, despecta parumper.
Visa novis, quia foeda loco, qua maximus heros
Hoc fortasse die recubans, ubi primitus illic
Non foret adventu positus ter missile jactat,

De sede stercoraria.

In populum, faturque docens: Non aurea nobis
Argentumque nitens nobis ad gaudia non sunt.
Quod tamen est, hoc prompta manus dispergere tentat.
Ergo potest sine fraude pie de stercore sumptus

* solium.

*Credi summa tenens *, solum & de pulvere nactus*
Principibus relocandus apex a Numine divo
Compositus. Talique die perducitur inde
Ante fores templi, binas ubi purpura sedes
Porphyreas nativa tenet. Super accubat illas,
Et dextra ferulam sancte Pater accipit, aedis
Sanctorum claves, ad sacra palatia vectes

Nonnulli mystici ritus.

Insuper: at laeva positus servanda redonat
Illa viro; zonaque Pater succingitur illic,
Ad quam purpurea bursa est appensa, lapillos
Bissenos referens pretiosos, sculpta sigilla,
Et muscum, quae magna notant praesagia magnum,
Si sensus gravitate sua cernatur.

Ann. Eccl. Tom. XXIII.

Susceptos effusa manus ter spargere nummos

Sparsi in populum nummi.

Inchoat, ac fatur: Justus dispersit abunde,
Pauperibusque dedit, manet haec in saecula saecli
Justitiae virtus. Post haec sub imagine ductus,
Quae mare per liquidum nullo ductore sub Urbem
Pervenit sublimis, apex Laurentia templa
Ingreditur, quae jure sibi meruere capellae
Praecipuum nomen, cleri populique relatu,
Sanctae sanctorum. Quidni? Sandalia Christi,
Et caput aetherei Petri Paulique celebris,
Christiferaeque crucis, maculas ubi sanguine terstt,
Et scelus humani generis Salvator &

Sancta sanctorum, quas reliquias continent.

actor,
Reliquiaeque aliae celebri conduntur in ara.
Hac igitur coram lacrymas in pectora fudit,
*Dulcis amor, pietasque viri, * ceu credere fas est.*

* ideo sicut

Subdit auctor, ut Siciliae & Ungariae Reges coronis regiis redimiti epulanti Pontifici inservierint, ac primis ferculis ab ipsis appositis, inter Cardinales mensae accubuerint.

Perfecta pompa Bonifacius (a), ad praesules catholicos, Reges, principes ac fideles alios datis literis, certiores eos fecit, ut Caelestino sponte ob justas causas pontificatu se abdicante, cessionemque admittente Cardinalium collegio, communibus suffragiis ad summum pontificatum evectus esset, adjecitque preces, ut divina illi praesidia ad gerendum arduum munus moderandaque probe Ecclesiae gubernacula piis orationibus compararent. Exemplum earum, quas ad archiepiscopum Senonensem ejusque suffraganeos episcopos misit (b), infrascriptum est. VII.

(a) Formul. Mar. Ebuli MS. Vat. p. 56. Encyclicas de sua promotione literas scribit.

(b) Bonif. l. 1. ep. 1.

Bonifacius &c. venerabilibus fratribus archiepiscopo Senonensi & ejus suffraganeis salutem &c.

Gloriosus & mirabilis in operibus suis Deus, qui cum sit in misericordia copiosus, in hujus orbis orbita plena malis, conferta dissidiis, innumeras miserationes exercet; Ecclesiam suam, quam ipse summus opifex rerum instituit, ac supra fidei firmam petram alta, solida fabrica stabilivit, opportunis favoribus prosequi non desistit. Assistit enim illi miserator & pro-

De divina in Ecclesia regenda providentia edisserit.

pitiator assiduus, non obdormiens nec dormitans in suorum opportunitatum eventibus pervigil custos ejus. Ipse siquidem sibi est in turbatione placatio, in tribulatione solamen, in necessitate succursus. Tuncque maxime in adjutorium ejus sua pietas larga diffunditur, cum adversus illam mundi nubila tempore caligante levantur, quæ inter molestias & afflictiones intrepida colligens in vexatione, vigorem, in ipsa malorum instantia convalescit. Nam divino semper munita præsidio, nec comminationum strepitu deterretur, nec adversitatum superatur incursu; sed in terroribus tutior, & constantior in adversis, pressa prævalet, passa triumphat. Hæc est arca, quæ per confluentias & multiplicationes aquarum elevatur in altum, & subactis culminibus montium, libera & secura profundas importuosi diluvii calcat undas. Hæc est utique navis, quæ vento contrario irruente, strepentis maris furibundis motibus agitatur: firma tamen & solida fragoribus non dissipatur æquoreis, nec marini furoris rapiditate forbetur; sed elatas procellas obruens, ac spumosa & tumida freta sternens, triumphanter exequitur suæ navigationis incessum, quæ ad vitalem crucis salvificæ arborem rectæ intentionis alis totaliter elevatis, in cœlum semper intenta procellosum intrepide mundi pelagus peragrat, eo quod secum habet sedulæ gubernatoris auxilium marium præceptoris. Unde regente illo & dirigente salubriter, ac spiritu sancto flante, adversitatum quarumlibet nebulis dissipatis, victoriosa peregrinationis liberum agit, iter ad patriæ cœlestis portum superuis nutibus feliciter perducenda: cumque sic adversis innumeris prematur, & turbetur Ecclesia, illa in intimis ipsam acerbius fauciat, duriusque ferit adversitas, cum pastore utili & provido viduatur. Sed licet sæpius Ecclesia eadem, pastoris regimine destituta, longe viduitatis lamenta pertraxerit, expectando gemebunda diutius consolationem plenariam successoris; in hujusmodi tamen mœroris nubilo dignanter illi clementia divinæ pietatis illuxit, doloribus & necessitatibus suis opportune subveniens per substitutionem optatam & delectabilem novi sponsi, ac eam de amissione prioris interdum inutilis per promotionem mulcebrem accommodi successoris instauraus.

Ecclesia adversis non deprimitur, sed assurgit.

VIII. De Cælestini spontanea a pontificatu abdicatione. Ut apostolico decreto licere confirmata sit.

Sane vacante Romana ecclesia per liberam & spontaneam dilecti filii fratris Petri de Murrono olim Romani Pontificis cessionem, coram venerabilibus fratribus episcopis, & dilectis filiis nostris presbyteris & diaconis Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, ex certis rationabilibus & legitimis causis factam ab ipso in festo beatæ Luciæ virginis proximo præterito, & a Cardinalibus prædictis admissam; cum illam posse sic legitime fieri, & primorum gesta Pontificum, & constitutio declarent apertius, & ad eam etiam faciendam expressus accesserit Cardinalium prædictorum assensus; Cardinales ipsi, considerantes attentius quam sit onusta dispendiis, quam gravia malorum incommoda secum trahat prolixa ecclesiæ memoratæ vacatio; & propterea votis ardentibus cupientes per efficacia & accelerata remedia hujusmodi periculis obviare, die jovis x. kalen. januarii post festum subsequentem prædictum, missarum solemniis ad honorem sancti Spiritus celebratis, hymnoque solito cum devotione cantato, se in quodam conclavi apud Castrum novum civitati Neapolitanæ contiguum, ubi tunc idem frater Petrus cum sua residebat familia, incluserunt, ut per mutui commoditatem colloquii ecclesiæ prædictæ provisio, superna cooperante virtute, celerius proveniret. Die vero veneris immediate sequente præfati Cardinales, mentis oculis erectis ad Dominum, pia desideria benignius prosequentes, in electionis negotio per viam scrutinii ferventibus studiis, ut prædicta vitarentur incommoda, procedentes; & tandem, cum divina clementia ecclesiæ præfatæ compatiens, eam nollet ulterioris vacationis periculis subjacere; ad personam nostram, licet immeritam, intentum animum dirigentes, quamquam inter eos quamplures magis idonei, & digniores etiam haberentur; nos tunc tituli S. Martini presbyterum Cardinalem in summum Pontificem canonice elegerunt, gravis oneris sarcinam nostris debilibus humeris imponendo. Nos autem profunda, & sedula meditatione pensantes difficultatem officii pastoralis, continui laboris angustias, & præcellentiam apostolicæ dignitatis, quæ sicut honoris titulis altioris attollit, sic magnitudine ponderis deprimit gravioris; attendentes insuper nostræ multiplicis imperfectionis instantiam, expavimus & hæsitavimus vehementer, nimioque concussum extitit stupore cor nostrum. Nam cum ad toleranda particulares vigilias vix nobis possibilitas nostra sufficiat, ad universalis speculæ solicitudinem vocabamur, & intolerabile apostolici ministerii jugum inferebatur instanter debilitati nostræ cervici, jugiter supportandum; ac meritorum non suffulti præsidio, ad suscipiendas apostolorum principis Petri claves & gerendum super omnes ligandi & solvendi pontificium angebamur. Verumtamen ne divinæ providentiæ opus impedire forsitan videremur, aut nolle nostræ voluntatis arbitrium suo beneplacito conformare; ac etiam ne corda electorum concordia per nostræ dissensionis objectum ad discordiam verteremus, voluntatibus tandem acquievimus eorumdem, ad subeundum jugum hujusmodi nostros impotentes humeros submittendo: non quod de aliqua nostræ probitatis virtute fidu-

De Cardinalium assensu.

De sua promotione.

fiduciam habeamus, sed quia in ejus speramus clementia, qui confidentes in se non deserit; sed eis propitius opportunis auxiliis semper adest, quique de sublimi polorum solio, Ecclesiam sponsam suam intuetur misericorditer & tuetur, suæque illam exaltare non desinit copiosis beneficiis pietatis.

IX. Præsulum implorat preces.

Vestris igitur, & aliorum suffragiis propter imperfectum nostrum propensius indigentes, universitatem vestram affectuose rogamus, hortamur attentius, & requirimus confidenter, quatenus assidua nos apud æterni Regis clementiam intercessione juvetis, humilitatem nostram sibi devotis supplicationibus commendando, ut super nos gratiæ suæ dona multipliter, & rorem uberem solitæ benignitatis effundat, ut actus nostros ad ipsum devotissime dirigentes, Ecclesiam suam, quam nobis committi voluit, salubriter regere, ac de universo ipsius grege, nostræ vigilantiæ credito, curam gerere debitam, sicut expedit, valeamus. Nos vero stabiliter in animo gerimus vobis & vestris ecclesiis benignis adesse præsidiis, ac vestrum & earum profectum condignis favoribus promovere. Dat. Laterani IX. *kal. febr. pont. nostri anno* I.

X. Philippum ad dignas Rege virtutes hortatur.

Conceptas eadem verborum forma magna ex parte literas ad Philippum Regem Francorum misit, quem de Cælestini abdicatione spontanea, suaque promotione certiorem fecit, atque ad colendam æquitatem, & Ecclesiam propugnandam est hortatus. Tum multis verborum officiis revocata in memoriam veteri, dum a Nicolao IV. sedis Apostolicæ missus in Gallias legatus fuit, animorum conjunctione, apostolico ipsum studio complexurum est pollicitus (*a*): *Celsitudinem regiam rogamus & hortamur attente, ac obsecramus in domino Jesu Christo, quatenus diligenti meditatione considerans, quod judicium diligit Regis honor, metas justitiæ curiosus observes, illamque sincere diligere studeas, æquitatem non deserens, clementiam non omittens; ut subjectus tibi populus copiosius in pacis pulchritudine sedeat, & in requie opulenta quiescat. Ecclesiam insuper matrem tuam & ipsius prælatos, nostri utique Salvatoris ministros, cæteraque personas ecclesiasticas ejus obsequiis dedicatas; quin potius in illis Regem cœlorum & dominum, per quem regnas & regeris, incessanter & solerter honorans, ipsos regii favoris ope confoveas, & in plenitudine libertatum, aliorumque suorum jurium efficaciter protegere studeas & tueri, sicque in iis, tamquam filius benedictionis & gratiæ, te geras & dirigas, quod claræ memoriæ progenitores tuos, qui erga præfatam Ecclesiam summæ devotionis & reverentiæ titulis, dum viverent, claruerunt, non solum imitari solicite, sed etiam evidenter excedere dignoscaris ad laudem & gloriam Dei Patris, & celebre magnumque tui honoris & nominis incrementum. De nobis autem utpote patre benevolo & sincero, qui te in minori etiam officio constituti affectuose dileximus, & diligere non cessamus, spem certam, & fiduciam firmam gerens in tuis, & ejusdem regni negotiis, & opportunitatibus quæ occurrent, ad nos recurrere non postponas. Nam in iis super quibus ex parte regia fuerimus requisiti, libenter, quantum cum Deo potertimus, votis regiis annuemus, tuam & ejusdem regni prosperitatem omnimodam, non solum studiis conservare solicitis sed etiam plenis augumentare favoribus intendentes. Datum ut supra.*

(a) Reg. fupr. sup. ep.

Pontificium illi studium pollicetur.

XI. (b) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960. Petrus de Aliaco l. 2 c. 15. apud Sur. tom. 3. die 19. maii.

At licet Bonifacius catholicæ rei administrationem a se susceptam toto orbe vulgaret, haud tamen defuere (*b*) pertinaces viri, qui ambigerent, initum ab ipso legibus pontificatum, ac suadere tentaverint Petro Murrono, ut se tamquam Pontificem gereret, quorum impia consilia vir sanctissimus repulit. Bonifacius vero anxius ex illius fuga perquisitum diligentissime ad se deduci jussit; quæ pluribus Petrus de Aliaco Cardinalis enarrat, ex quo nonnulla memoria & admiratione dignissima repetemus: *Propere misit post eum camerarium suum, & abbatem Cassinensem, qui eum reperientes in cella rogaverunt, ut ad Papam cito rediret, ne ejus indignationem incurreret. Ipse vero protestationem allegans, quam ante renunciationem fecerat, supplex orabat ut summus Pontifex eum in solitudine pacifice vivere permitteret, pollicitus se nulli hominum, nisi solis suis fratribus, locuturum. Qua promissione recepta, camerarius ista Papæ relaturus discessit: sed ecce alius supervenit nuncius apostolicus, literas camerario deferens, ut absque mora virum sanctum, etiam involuntarium, reduceret. Cumque idem camerarius ad cellam non sine impetu & furore rediret, hæc ille fidedigno relatu præsentiens abscondit se, & clandestine fugit.* Et infra: *O miranda, & miseranda persecutio: ipse corporis viribus destitutus, & propter ultimam senectutem otio & quieti, quam itinerum labori habilior, ad partes Apuliæ in obscuram sylvam, ubi quidam servi Dei habitari dicebantur, per loca abscondita & ignota, uno tantum fratre comitatus, latitandi causa fugere cogitur. Sed quod stupendum est, quamvis mutato habitu consueto vilissima chlamyde indutus, aliis quoque, quibus poterat modis absconditus incederet; tamen quocumque pergeret, agnoscebatur: quandoque a pueris, quandoque a provectis viris, qui numquam eum viderant, proprio nomine vocabatur. Cumque in sylva cum fratribus tempore quadra-*

Petrum e Mur. ad se adduci jubet.

Sanctus vir se fuga subducit.

gesimæ remansisset, supervenientibus illis, qui ut invenirent & captivum ducerent, persequebantur eum, inde abire compulsus est: & videns se in illis partibus occultari non posse, mare transire disposuit; paratoque vehiculo, sed male prospero vento, cum per quindecim milliaria navigasset, ad terram iterum impellitur, & juxta civitatem, cui nomen Vestia est, applicuit. Tribuit rem miraculo Jacobus Cardinalis his versibus (*a*).

Parat traiicere in Græciam.

(a) Jacob. Card. de canoniz. Petri de Murrone lib. 1. c. 4.

Sanctior ille
Murro senex tacitos properabat adire recessus,
Occultasque plagas, Græcamque invisere terram,
Ut lateat sibimetque vacet, caveatque futuris
Schismatibus, ne causa foret, tantisque periclis.
Sed mare sylvestrem fugiens, cœlumque perosum,
Ipsiusque Dei pareus obtutibus, alumum
Ter fecit, ter fudit humo, ter carbasa vento
Dispulit, & siccis navim detrusit arenis.
Qua nautæ novitate stupent, mirantur, & hærent,
Inspiciuntque patrem, quis sit, quo tendat, & unde
Digressus rogitant: quidni miracula terrent,
Et facies veneranda senis suffultaque barba,
Florida canities, vestis villosa, relucens
Simplicitas indocta plicas, vulgataque fama
Cedentem latitare patrem, Regisque sonorum
Edictum, quibus exciti condicere tentant;
Conjiciuntque hunc esse Petrum, clausimque revelant.
Sed quis tanta queat, tantumque obducere nomen?
Indubie viget igniculus, sensimque fatiscit,
Et trahit arrectos patris ad spectacula vultus,
Undique visendi causa concurritur, & qua
Perrecturus erat subsistunt; hunc que verentes,
Inclinant flectuntque genu, velluntque pilosum
Quadrupedem sessoris equum, ac asinumque rudentem
Præcidruntque togam: morum fiducia tanta est:
Nam justi meritis tergi sua crimina vulgus

Ter ventis ad littus repellitur.

Captus deducitur ad Bonif.

Sperat, & incolumes reddi languoribus ægros.
Sic fugiens mundum, mundo deducitur. O quam
Mundi crescit honos, laudisque insignia clarent, &c.

Deductum magna veneratione Pontificis, & Regis Caroli jussu a Patriarcha Hierosolymitano, consentit Petrus de Aliaco; (*b*) tantos vero populorum concursus ad eum factos, ut noctu clam iter carpere cogeretur: *Ubique etiam*, inquit, *occurrente sibi innumerabili multitudine, cum tanta cordis alacritate a cunctis susscipitur, ut vix de die, obstante populi importunitate, exire valentes, nocte media iter aggredi cogerentur: nec tamen sic evadere poterant, quo minus ante diluculum rursus circumdarentur a populo.*

(b) Petr. de Aliaco l. 2. c. 16.

XII. Impia consilia respuit.

Erant autem tunc multi, qui viro Dei suadebant, ut se Papam faceret nominari, dicentes eum de jure non potuisse renunciare papatui. Ipse vero constantis animi, & justi rectique indeclinabiliter tenax consilii, licet super hoc iterum, deinde, ac sæpius interpellatus; firmus in proposito perstitit, asserens id, quod juste fecerat, etiam si non fecisset, voluntarie esse facturum. O vocem hominis vere constanter humilis, qui honorem, per quem tam contemptibilem persecutionem evadere potuerat, perseverantur contemnit, & summum sibi honorem in summa humilitate constituit! Ideo Christus, qui humiles exaltare promittit, servum suum in hac persecutione, ita auctor Bonifacii diligentiam in eo pervestigando deducendoque appellat, *clarum fecit, ac multis miraculis gloriosum: quæ omnia hic tacere contentus essem, nisi unum me referre cogeret admiratio. Postquam enim de regno Siciliæ exiverat, postquam a dictis regalibus nunciis camerario Papæ traditus Campaniam intraverat, de nocte occultissime in Anagniam missus prope cameram Papæ in quadam domo arctissime reclusus est. Quo in loco ut quantus esset, qui ibi captivus tenebatur, ostenderet, voluit Dominus hoc eum miraculo declarare. Erat in illa Papæ curia archiepiscopus Consentinus tam intolerabili dolore calculi, variaque gravatus infirmitate, ut eo a medicis derelicto, ipse & omnes, qui eum videbant, de ipsius corporali salute desperarent; jamque familia ejus & sibi vestes lugubres, & magistro suo paraverat exequias; dum ille devotas preces Deo fundens, per sancti viri merita salutis auxilium postulabat; & ecce subito oratione facta perfecte sanus effectus est, ac ita plene convaluit, ut sequenti die hoc domino Thomæ, quem pater ille sanctus de ordine suo Cardinalem assumpserat, ad Dei & servi sui gloriam nunciaret.*

Patrat miracula.

Re-

XIII. Revocatum prudenter ex fuga, traditumque custodiæ iinuit Ptolemæus Lucensis (*a*): *Inventum*, inquit, *ipsum reducunt, ac in custodia ponitur & tenetur, præcavendo scandalo Romanæ ecclesiæ, quia apud aliquos mussitabatur an cedere potuisset: & sic poterat schisma in Ecclesia generari.* His etiam consentanea mandat historiæ hisce verbis Jordanus (*b*): *In custodia posuit ad cautelam vitandi dissidii: aliqui mussitabant quod cedere papatui non potuit.* Addit Jacobus Cardinalis (*c*) S. Georgii ad velum aureum, perhumane habitum a Bonifacio persuasumque, ut in Fumonis arce in Campania sita consisteret; concessosque illi ex suo ordine aliquos religiosos viros, cum quibus divinis rebus vacaret atque omnia illi opipare subministrata: sed virum sanctum, sacri propositi tenacem, a delitiis alienum parce admodum cum suis oblatis usum, totum se rerum cœlestium contemplationi (*d*) addixisse; nec dissentit Ptolemæus Lucensis (*e*). At Petrus de Aliaco Cardinalis in Cœlestini vita acerbe admodum a Bonifacio habitum fuisse tradit, (*f*) atque ab illo contra sententiam Cardinalium, qui libertatem permittendam censebant ut in solitudine ageret, in arctissimum carcerem compactum: *Missus est*, inquit, *ad castrum Fumonis, & fortissima turri reclusus: & adhibitis sex militibus, & aliis triginta satellitibus ad ejus custodiam die noctuque ita tenebatur arctatus, ut nulli hominum ad eum patere posset accessus. Petiit autem ut duo sibi darentur fratres, cum quibus divinum ageret officium: qui ei concessi illius carceris angustiam diu ferre non valentes, inde extrahebantur infirmi: erat enim tanta turris arctatio, ut vir sanctus ubi habebat pedes, dum missam celebraret, ibi caput reclinaret dum dormiendo quiesceret.* Subdit auctor multa in Bonifacium convicia, queriturque virum innocentem, paulo ante Christi vicarium, ac Regum & principum communem patrem, tam tetro carcere damnasse.

(a) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 35.

(b) Jord. ubi sup.

(c) Jac. Card. in præf. & l. 1. de canoniz. c. 5.

Traditur custodiæ.

(d) Idem de Cælest. vita. l. 1. c. 5.

(e) Ptol. Luc. c. 36.

(f) Lib. 2. c. 17.

XIV. Tulit porro summa animi constantia & æquitate Cælestinus carceris tædia, nec unquam ex illius ore querela ulla erupit; utque vitam sanctissime duxerat, ita fine sanctissimo ornavit [1]: *Appropinquante*, inquit auctor (*g*), *mortis suæ agone, exitum suum psalmis & orationibus quantum poterat adversus diaboli insidias munire studebat; & ut secum in eis assidue vacarent, fratres suos instanter & & humiliter hortabatur: unde cum ipsi in divinis pariter perseverarent laudibus ipso die sabbati hora vespertina, eo dicente psalmum; Laudate Dominum in sanctis ejus; statim completo versu: Omnis spiritus laudet Dominum; cum flatu tenuissimo emisit spiritum, cum sanctis & beatis spiritibus Deum in perpetuum laudaturus.*

Magna animi constantia fert carceris angustias.

(g) Lib. 2. c. 18. Sanctissime moritur.

Illustravit illius sanctitatem insigni miraculo Deus, quod enarrare pergit idem Cardinalis Aliacensis (*h*): *Quidam milites, qui eum custodiebant in carcere, tam Papæ quam aliis pluribus retulerunt, quod a feria sexta usque ad horam mortis ejus viderunt ante januam camerulæ ejus crucem coloris aurei, non affixam alicubi, sed mirabiliter pendentem in aere: quo miraculoso crucis signo patenter ostensum est, pœnitentiam, quam ille per carnis mortificationem jugiter portaverat, Domino placuisse.* De quo miraculo deque pia ejus morte hæc cecinit Jacobus Cardinalis (*i*).

XV. Crucis rutilantis prodigium ante carceris januam conspectum. (b) Id. lib. 2. c. 19.

(i) Jacob. Card. de Canoniz. Petri de Mur. l. 2. c. 6.

Febris adest stimulatque senem, sacrisque potitum
Exhalare pium cogit hunc ad sydera mentem
O felix papale decus supremaque calcans!
Quæque supergressus, vincensque per omnia luxum
Ingrederis cœleste solum, terrasque supernis
Commutas, & sine probas te attingere palmam.
Vivis (k) in absessu, rutilans in limine parva: (k) Cap. 7.
Parva tamen, quia parvus erat, nam mente subextans
Crux micat, insignis visa est vertigine versa,
Ut magis cuiteat, jussisque in singula subdi
Hunc doceat, memoremque crucis memoremque laborum:
Hunc que crucifixum mundo, mundumque vicissim.

Con-

NOTÆ [1] CUm Bonifacii coronatio de qua hic agendum suscipit annalista, *solemnissimo*, ut ait Jacobus cardinalis in præfat. ad carmen de vita S. Cælestini lib. 2. quanto alias numquam, ritu peracta sit; juvat aliquid prodere quod ad eam rem illustrandam conducere arbitror. Apud Martenium anecdot. to. I. col. 1271. extant literæ quædam ab episcopis plane multis ex Italia cum Boemundo (male ibi legitur Bermundos) Trevirensi Romæ collectis datæ, quorum singuli quadragenam indulgentiarum largiuntur fidelibus, certis per annum diebus Glandarienſis monasterii in diœcesi Metensi siti templum invisentibus. Consignantur literæ illæ Romæ hoc anno 1295. ignoto mense. Vix credo tam multos Italos episcopos hoc anno alia de causa Romam convenisse, quam ut solemni pontificiæ coronationi adsisterent. Porro diem coronationis hujus, quam filet annalista, indicat Jacobus, nempe diem II. januarii. MANSI

Conspectam illius animam sublimem in cœlum efferri a Roberto Salentino viri sancti discipulo, qui ab eo, dum ad Pontificatum vocabatur, oblatos ecclesiasticos honores respuerat, refert subjectis verbis Petrarcha (*a*): *Animam, e carcere gemino ad sidereas scandentem, sedes conspexisse dicitur* (de Roberto loquitur) *ignarus rerum & miraculo stupens, atque interrogans, an se tum etiam sequi, an quid aliud agere juberet? Quem ille, ut in solitudine perstaret, admonuit: & sic cœlum petens, inter verba disparuit. Discipulus autem ille consilii memor, usque ad tempora nostra perveniens, & dierum plenus ante hos paucos annos post magistrum abiit, magna quidem apud suos sanctitatis opinione, & mirabilium fama operum relicta.* Hoc vero anno MCCXCV. XIV. kal. junii Petrum sanctissimam vitam clausisse, Jacobus Card. refert (*b*): *Catholice, sancte, religioseque defunctus*, inquit, *terram cœlo, calamitatem felicitate, mortem vita commutavit, Ferentini in loco sui ordinis fratrum sepultus reverenter.* Præfuisse celebrandis exequiis Cardinalem a Pontifice missum, atque eundem Bonifacium Romæ divinam rem pro eo peregisse, idem auctor his versibus prosequitur (*c*):

(*a*) *Petr. de vit. solit. l. 2. sect. 3. c. 18. Petrus de Aliaco l. 2. de vit. S. Celest. c. 19.*

Sepelitur Ferentini.

(*b*) *Jacob. Card. in præf. operis.*

(*c*) *Id. lib. 1. de canonic. c. 8. Petr. de Aliac. Card. l. 2. c. 18.*

Exequiis dum Cardo præest a Præsule missus,
Et celebrem sublimis apex Bonifacius heros,
Missam doctus ait Romæ. Reverentia quidni
Promeruit patris, quondam diademate fulsit
Papali, miruspue fuit virtutibus orbi.

Effulsisse ingentibus miraculis post mortem celebrat subjecto carmine (*d*):

(*d*) *Jac. Card. l. 3. c. 22.*

Post obitum secreta tenens cœlestia pauper,
Dives opum, sidusque potens, donisque refertum
Signa novat: nam voce carens, linguaque tremiscens,
Quoque artu tremulus, nec sirmis gressibus hærens,
Lecticulo quia membra fluunt, nec pacta resistunt,
Ad loca deductus, miram quibus ille peregit
Vitam eremi, zonamque patris per singula cinctus
Membra, jacens surrexit ovans, laudesque rependit
Sanus, & ex toto morbi discrimina nescit.

(*e*) *Ib. c. 23.*

Sicque (*e*) *alius standi ac gradiendi commoda sensus*
Perdiderat, celeriseque manus & tristius usum.
Ecclesia recubans noctu, qua corpus humatum
Almifici Murronis erat, de mane resurgens,
Se sanum reperit, te templo, teque fatetur.

Addit nonnulla alia ejus ope patrata miracula, quibus postea Clemens V. permotus sanctorum catalogo nomen illius adjecit (*f*) confecravitque; qua de re inferius. Nunc piam S. Petri Cælestini historiam absolvimus hoc insigni elogio, quo Jacobus Cardinalis illum exornat:

(*f*) *Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 35.*

Si majora velis forsan cognoscere, vitam
Inspice: si vitam, veterataque tempora lustra.
Tempora si prudens complecteris, acci pe famam.
Si famam respersit odor, tu suscipe fratres.
Si fratres & dogma legas, eremi quoque dogma
Si capies perames. Si jam dulcedine captus
Alliceris, metire tuas per singula vires.
Tunc pudor & candor, laxæque modestia linguæ,
Paupertas, virtusque, actus frænantia luxum;
Et modus, & pietas humilis, fraternaque mentis
Integritas imitanda tibi, venerandaque semper
Occurrent, &c.

XVI. Bonifacii gesta. Carolum Regem Sicil. sacramento adigit.

Post ejus obitum Bonifacius crevit auctoritate apud illos, qui perperam in dubium ipsius electionem revocarent; cujus pontificatus exordia splendida admodum & augusta fuere: cum enim orbem Christianum mutuis principum bellis flagrantem cerneret, ad ea sedanda curas applicuit. Utque a rebus Siculis, quæ maxime illius pectus urebant, exordiamur: exegit a Carolo Rege clientelarem sponsionem pro Siciliæ regno ac terris citra Pharum, quæ ad pontificiæ ditionis limitem excepto Benevento excurrunt, formamque sponsionis apostolicis literis, ne qua illam deleret oblivio, inseruit; (*g*) quæ in molis Adrianæ archivo asservantur, cum vero adscripta tantum die ab iis, quas ante attulimus, (*h*) cum Nicolao IV. Carolus regnum Siculum acceptum retulit, discrepent, non repetendæ visæ. Ita vero consignatæ sunt: *Nulli &c. nostræ attestationis, acceptationis, & constitutionis, &c. si quis, &c. Datum Laterani* XIII. *kal. martii anno* I.

(*g*) *Lib. 1. ep. 117. ext. in molis Adrianæ archivo & inter collect. Platin. MS. Vat. l. 1. p. 64. & p. 373. lib. privil. Rom. eccl. to. 2. pag. 109. to. 3. p. 11. 153. 223. & nostris MS. sig. lit. D. 1. p. 94. ad 100. & B. 12. p. 104. ad 172. 267.*

(*h*) *Anno Ch. 1289. n. 1.*

XVII. Solvit Carolum pœnis quas ob non illatum fisco pontificio censum contraxerat.

Cæterum Carolum ob non solutum censum amittendi regni mulcta incaute se

irretiisse, atque a Bonifacio absolutum, scribit his verbis Baronius (*a*): *Hoc etiam anno primo Carolus II. Rex Siciliæ venit Romam, & petiit absolutionem a censuris, & a pœna privationis regni, quam incurrit ob non solutum censum: quem Papa absolvit præbita satisfactione, ut habetur libro privilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Hactenus Baronius. Extant quidem ea de re apostolicæ literæ (*b*) non quæ omnino afferant Carolum iis pœnis obnoxium, sed quæ ipsum conditione adjecta liberent, si qua culpa erroreque sese devinxisset.

(*a*) *Baron. in notis MS.*

(*b*) *Bonif. l. 1. ep. 118. lib. privil. Rom. eccl. to. 1. pag. 232. & to. 3. pag. 179. & ext. in archivis S. Angel. archiv. in collect. Platin. pag. 505. & in MS. Vall. sign. lit. D. n. 1. p. 2. & lib. E. n. 22. p. 53.*

Bonifacius &c. charissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliæ illustri.

Nobis, & fratribus nostris humiliter supplicasti, ut si tu aliquam vel aliquas excommunicationum sententias forsitan incurristi propter conditiones, conventiones, & pacta inter Romanam ecclesiam & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ patrem tuum in concessione regni Siciliæ & terræ, quæ est citra Pharum usque ad confinia terrarum ipsius ecclesiæ sibi facta, per eandem ecclesiam habita, & in nonnullis articulis seu capitulis non servata, aut occasione ipsorum; vel si eadem regnum & terra propter ipsa non servata per ipsum, seu per te, supposita sint ecclesiastico interdicto; vel si idem pater tuus propter hæc a dictis regno, & terra cecidisset omnino, & omni jure, quod sibi competebat in ipsis; aut si etiam tu ipse ab eisdem regno, & terra propter conditiones, conventiones, & pacta præmissa quomodolibet non servata ab omni jure, quod tibi in dictis regno & terra competit cecidisses, ita quod ipsa per hoc libere essent ad eandem ecclesiam devoluta, providere tibi plenarie super his apostolicæ sedis clementia dignaremur. Nos itaque supplicationibus tuis paterno condescendentes assensu, & volentes in præmissis tibi tuisque hæredibus quoad præterita plenarie providere, de ipsorum fratrum consilio & assensu quascumque excommunicationum sententias incurristi; nec non & quaslibet sententias, interdicta, quibus supposita sit regnum & terra præfata propter supradictas conditiones, conventiones, & pacta per dictum patrem tuum, aut per te, sive per utrumque quomodolibet non servata; hactenus penitus relaxamus, & te ab hujusmodi excommunicationum sententiis absolvimus de gratia speciali: omnesque pœnas in conditionibus, conventionibus, & pactis præmissis contentas, & specialiter privationis seu casus a jure regni, & terræ dictorum, si quas & quocumque capite, vel quomodolibet tu vel pater tuus præfatus incurristis hactenus, & totaliter abolemus, & remittimus de plenitudine potestatis: volentes, & nihilominus auctoritate apostolica decernentes, per hæc dictis conditionibus, conventionibus, sive pactis, aut quibuslibet contentis in litera felicis recordationis Clementis Papæ IV. prædecessoris nostri super eis & contingentibus ipsa confectis in nullo in posterum derogari; sed ea per omnia proinde remanere in suo robore firmitatis, ac si nulla tibi super præmissis gratia facta foret. Verum licet ad tuam tuorumque heredum cautelam præmissa fecerimus gratiose, tamen per hoc te non duximus absolvendum ab his, de quibus pro patre tuo vel per te tenereris nobis, Romanæ ecclesiæ, vel aliis quibuscumque satisfacere, si neque ipse neque tu cecidisses a regno, & terra prædictis: sed ad satisfaciendum de eis volumus te teneri, &c. Dat. Laterani VIII. *kalen. aprilis pontificatus nostri anno* I.

XVIII.

Egit (*c*) Pontifici gratias ob acceptum beneficium Carolus Rex, ad cujus in administrando regno levandas curas, multendosque religione populos commisit (*d*) amplissimum Landulpho S. Angeli diacono Card. legati apostolici in Sicilia munus eumque pluribus prærogativis auxit, (*e*) & ipsi Regi Carolo, Mariæ Reginæ, præsulibus regni, proceribus ac populis commendavit (*f*): deque imposita hujusmodi provincia subjectæ literæ ad ipsum datæ sunt (*g*).

(*c*) *Ext. eod. to. 3. lib. privil. pag. 179. & apud collect. Platin. MS. Vat. pag. 505.*

(*d*) *Lib. 1. ep. cur. 47.*

(*e*) *Ib. ab ep. 47. ad 71.*

(*f*) *Reg. post cand. ep.*

(*g*) *Ead. ep. 47.* Demandata Cardin. legato a Bonif. auctoritas.

Bonifacius &c. dilecto filio Landulfo S. Angeli diacono Cardinali in regno Siciliæ Apostolicæ sedis legato.

Levantes in circuitu oculos mentis nostræ, ac pensantes solicite multitudinem gratiarum, quibus personam tuam bonorum dator Altissimus decoravit, cum in te scientiarum magnitudo resplendeat, clareat altitudo consilii, niteat discretionis industria, & aliarum virtutum excellentia relucescat; gerentes quoque de tua circumspectione provida, & providentia circumspecta fiduciam specialem, te, quamvis in conspectu nostro gratiosus appareas, acceptus occurras, placidus habearis, tuaque propterea inviti præsentia careamus, ad præfatum regnum pro ipsorum Regis & regni, ac ejus etiam incolarum statu prospero & tranquillo de fratrum nostrorum consilio tanquam pacis angelum destinamus, tibi in eodem regno plenæ legationis officium committentes, ut evellas, destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes, ac facias auctoritate nostra suffultus quæcumque ad honorem & gloriam summi Regis, ac bonum & prosperum, pacificum & quietum Regis, regni, & incolarum prædictorum statum videris pertinere, &c. Dat. Laterani VIII. *id aprilis anno* I.

XIX.

Cum vero postea Carolus Martellus, jure materno Ungariæ Rex, a patre Carolo, qui in Gallias abierat (*b*), relictus regni Siculi vicarius Neapoli, in

(*b*) *Pandul. Collenut. l. 5. hist. Neap.* Carolus Martell. Ung. Rex moritur.

ipso

ipso ætatis flore, cum jam ad magnas spes adolesceret, obiisset; Bonifacius administrando regno Landulphum Cardinalem, & Philippum Caroli II. Regis filium principem Tarentinum præfecit. At paulo post & Cardinalis legati, & Philippi principis consiliis adductus, cum spes affulgeret melius publicæ rei consultum iri, si Mariæ Reginæ procuratio regni deferretur, illam eo munere exornavit (*a*).

(*a*) Lib. 1. ep. 129.

Charissimæ in Christo filiæ Mariæ Reginæ Siciliæ illustri.

Pridem, non absque gravi nostræ mentis amaricatione, percepto quod claræ memoriæ Carolus Rex Ungariæ charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Siciliæ illustris ac tuus primogenitus, ipsiusque Regis in regno Siciliæ vicarius generalis mortem, sicut Domino placuit, apud Neapolim subierat temporalem, nos attentæ considerationis studio, prout ad nostrum spectat officium, attendentes, quod in regno ipso, Rege absente præfato, non habebatur qui vices exerceret ipsius; ac nolentes, ut prædictum regnum in ejusdem Regis absentia tanto turbine circumdatum, tantis expositum fluctibus, gubernationis temone careret, seu defectum reginiinis pateretur; cupientes etiam, ut ejusdem regni ac ejus incolarum fidelium præcaveatur dispendiis, periculis obvietur; quodque inibi promoveantur utilia, laudabilia procurentur, conquiescant injuriæ, compescantur excessus, reprimantur gravamina, insolentiæ refrœnentur: dilectos filios nostros Landulphum S. Angeli diaconum Cardinalem A. S. L. & nobilem virum Philippum natum ejusdem Regis atque tuum, principem Tarentinum, vicarios & bajulos dicti regni, in quo Apostolica sedes directum & altum habet dominium, de fratrum nostrorum consilio diligenti deliberatione cum ipsis super hoc habita, de apostolicæ plenitudine potestatis sub certa forma duximus ordinandos, sicut in nostris super hoc confectis literis plenius continetur.

Neapolitanæ rei administratio data Legato & Philippo principi.

Ad eorum preces in Reginam collata.

Nuperrime autem fide digno relatu ad nostram perducto notitiam, quod statui dicti regni foret utilius, ac ejus incolis acceptius redderetur, si tu, quam gratiarum omnium elargitor regalium elegantia morum, affabilitatis, prudentiæ, ac circumspectionis multæ virtutibus decoravit, per quas gratam acceptamque redderis plurimum incolis memoratis vicariatus, & bajulatus hujusmodi regimen exercereres; de prædictorum fratrum consilio, & ejusdem plenitudine potestatis te solam dicti regni generalem vicariam & bajulam ordinamus; curam, administrationem, gubernationem, potestatem, & regimen, ac omnem plenamque jurisdictionem in regno prædicto tenore tibi præsentium committentes, donec per eandem sedem aut per Regem ipsum aliud in hac parte ordinari contigerit vel disponi: non obstante, quod super hoc de prædictis legato & principe per nos fuerat, ut præmittitur, ordinatum; omni genere alienationis bonorum seu rerum immobilium in dicto regno, ad Regem ipsum spectantium, tibi primitus interdicto; credentes & pro firmo tenentes, quod præfatus Rex Siciliæ, tamquam devotionis & reverentiæ filius, se in hac parte apostolicis beneplacitis conformabit, & gratum geret non modicum & acceptum, quod per memoratæ sedis circumspectam prudentiam factum & ordinatum noscitur in hac parte. Celsitudinem itaque tuam monemus & hortamur attente, quatenus, tamquam mulier fortis animo, in agendis experta, & multimode virtuosa bajulatum & vicariatum hujusmodi sic prudenter & strenue, sicque solicite gerere studeas, & laudabiliter exercere, quod a Deo præmium, & ab hominibus laudem exinde tamquam benedictionis filia digne consequi mereatis. Dat. Anagniæ III. kal. septembris anno 1.

Regia bona abalienari vetita.

XX.

Discessisse e regno Carolum, ut fœderis cum Aragonio compositi leges ad opus perduceret, refert Joannes Villanus (*b*). Qua etiam de causa Guillelmus tit. S. Clementis presbyter Cardinalis in Gallias missus, ut nascituras dissidiorum causas sua prudentia leniret. Cui imperia data (*c*), ut ad explicanda optima in perplexis rebus consilia animum ad Deum converteret; atque in omnibus consectaretur æquitatem: *sicut te oraculo vivæ vocis instruximus, ubicumque circa explicationem tractatus ejusdem*, nimirum inter Philippum Francorum, Carolum Siciliæ Reges, Carolum Alanconii & Valesii comitem & Jacobum Aragonium, *aliquis se nodus dubitationis ingesserit, quod te forsitan in perplexo deduceret, oculos convertens ad Christum, quantum cum ipso poteris conformes tuæ conscientiæ gremium ad id potius quod prædictæ perfectioni proficiat, quam quod ipsum per obstaculum alicujus ingesti præpedii aliquo modo lædat. Nosti quidem, quod in iis, quæ facta contingunt, de juris providentia determinatio certa non traditur; sed jus dicentis, & exequentis providentiæ committuntur. In præmissis ergo ubi præcipue casus emerserit, qui per commissiones factas tibi, & informationes nostras videatur omissus, sic te geras tractabilem & humanum, quod rigorem mansuetudine tua provisio temperet, & ad æquitatis dulcedinem per modestos & explicitos terminos circumspectio provida secum gratia humanæ amabilitatis inclinet. Dat. Anagniæ II. kal. julii anno 1.* Jussus præterea est Guillelmus (*d*) dare operam, ut Carolus Valesiorum comes

(*b*) Jo. Vill. l. 8. c. 130. S. Ant. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 5.

(*c*) Lib. 1. ep. 213.

Guill. Card. mittitur ad confirmandum fœdus inter Reges.

(*d*) Ib. ep. 216.

Carolus Valesius actione & jure in Aragoniam cedit.

mes vitium tolleret, quod irrepserat in literas, quibus acceptis beneficientia pontificia Aragoniæ & Valentiæ regnis Cataloniæque principatu cesserat; eoque emendato, abeuntis suo jure renuntiationem ecclesiæ Romanæ nomine admittere & confirmare. Quod ad memoratum fœdus attinet, de eo hæc tradit Jordanus (*a*): *Alfonso Rege Aragoniæ defuncto, successit ei Jacobus invasor Siciliæ, & facta pace cum Carolo unam de filiabus ejus accepit: sed Fredericus alter frater Siciliam occupavit eodem anno.*

(*a*) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.

XXI.

Descriptæ sunt ab anonymo (*b*) rerum Sicularum auctore illius pactiones: *Inter ipsum*, inquit, *& Carolum pax & concordia facta extitit & firmata: cujus pacis tractatu Jacobus, recognoscens insulam Siciliæ injuste tenere, ipsam omnino deseruit, omnique juri, si quod in ea & regno prætendebat habere, dictæ Romanæ ecclesiæ & Carolo II. sponte renunciavit & cessit; promisitque eundem Carolum II. bona fide & absque dolo in ipsius insulæ possessionem inducere corporalem: & propterea interdictum, cui regnum Aragoniæ totaque terra ipsius Jacobi erat supposita, extitit penitus relaxatum. Pro cujus pacis observantia firmiori, inter ipsum Jacobum, & dominam Blancam ipsius Caroli II. filiam, interque Robertum ejusdem Caroli primogenitum & jam dictam dominam Yolendam ipsius Jacobi sororem matrimonia solemniter sunt contracta.* Adjectæ etiam aliæ fuere, quarum princeps ea erat, ut Carolus Valesiorum comes, accepta Apostolicæ sedis beneficentia in Aragoniam & Valentiam, & Cathaloniam jura Pontifici permitteret; ac tum Bonifacius, ut supremus eorum regnorum dominus, illa Jacobo Regi in gratiam ecclesiæ revocato restituit, ut e diplomate (*c*) subjecto constat.

(*b*) MS. Frider. com. Ubald. p. 25. Marian. hist. Hisp. l. 14. c. 17. Pandulph. Collen. hist. Neapol. l. 5. Summont. l. 3. Fazet. poster. dec. 1. 9. c. 2. & alii.

Jacob. Rex Arag. cedit Siciliæ jure.

(*c*) Lib. 1. ep. 284.

Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Bonifacianum de ea re diploma.

Splendor gloriæ, & figura substantiæ Dei Patris, in cujus lumine lumen inspicitur operoso mysterio, lenitate pacis amare nos instruit, & quodam exemplari speculo fragilitati nostræ viam humanæ miserationis ostendit. Sane propter injustitiam manifestam quondam Petri olim Regis Aragonum circa occupationem insulæ Siciliæ, terræ peculiaris ecclesiæ, varioque conatus, & insidias ad alias partes regni Siciliæ occupandas, seditionem in ea insula, motam commotionem, & concitationem populi factam inibi contra rempublicam ecclesiamve Romanam, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, non absque strage & occasione multorum; felicis recordationis Martinus Papa IV. prædecessor noster, regnum Aragoniæ, cæteraque terras Petri præfati exponens de fratrum suorum consilio, ipsum Petrum dudum Regem Aragonum eisdem regno & terris regioque honore sententialiter, justitia exigente, privavit; & privans exposuit eadem regnum & terras occupanda catholicis, de quibus, & prout sedes Apostolica duceret providendum. Postmodum vero idem regnum Aragoniæ atque Valentiæ, & comitatum Barcinoniæ, quæ sunt de terris expositis, quæ olim fuerant dicti Petri, claræ memoriæ Philippo Rege Francorum, & dilecto filio nobili viro Carolo nato ejus Alanzoni & Valesii comiti; electo ad dictorum regnorum & comitatus regimen a Rege præfato per ministerium, seu deputationem bonæ memoriæ Joannis tituli S. Cæciliæ presbyteri Cardinalis; de ipsorum fratrum consilio, præhabita deliberatione, concessit.

Ut tolle a Mart. IV. Arag. & Valent. regno Petrus ob invasam injuria Sicil. exagitatus &c.

XXII.

De pace inter Jacobum & Sicil. Regem inita.

Verum præfato Petro sublato de medio, post varios tractatus pacis habitos inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem, ejusdemque Petri posteros sibi successores in vitium, qui facit concordiam in sublimibus suis, Jacobi de Aragonia præfati quondam Petri olim Regis Aragonum filii, præcipue succedentis in culpam, præfatam insulam & nonnulla alia loca in regno Siciliæ citra Farum occupata tenentis, hostis ecclesiæ Regisque dictorum, ut insinuatio nobis & fratribus nostris facta continet; animum convertit ad pacem: sicque inter jam dictos Regem & Jacobum tractatus pacis est habitus & firmatus, in quo ex parte præfati Jacobi illa inter cætera sunt conventa, quod insula memorata Siciliæ cum omnibus terris, & castris, casalibus, fortalitiis, insula Maltæ, aliisque omnibus insulis eidem insulæ Siciliæ adjacentibus ubicumque sint, sicut bonæ memoriæ præfatus Rex Siciliæ ante rebellionem insulæ prænominatæ tenebat, juxta nostri determinationem arbitrii per eumdem Jacobum Romanæ restituetur ecclesiæ; aliis locis, castris & insulis, quæ per ipsum Jacobum, valitores, fautores, complices, & ministros ipsius citra Farum occupata tenentur, restituendis præfato Carolo Regi viventi, juxta nostræ provisionis arbitrium: nec non liberis, & aliis obsidibus dicti Regis, quos idem Jacobus apud se detinet, juxta formam in serie præfati tractatus annexam certis hinc inde pro firmiori pacis nexu & charitatis mutuæ matrimoniis copulandis.

Jacobus ad Siciliam Melitam & alias insulas & terras occupatas restituendas se obstringit.

Caroli Regis liberos & alios obsides dimittendos.

XXIII.

Nos itaque cernentes frementia undique mundi pericula, & quæ instant præforibus ruinam minantia, gravia detrimenta super Terram sanctam, desertam incolis Christi fidelibus, ipsorumque destitutam suffragiis, flentes amare; cum catholicis principibus distractis ad bella civilia, non sit qui consoletur eam ex omnibus charis suis; ac misericordiam potius, quam judicium cantare cupientes Altissimo; ad re-

reparationem quoque ſtatus præfati Regis Siciliæ, filii ſpecialis eccleſiæ, ſpecialem habentes conſiderationis intuitum; & memoratum tractatum pacis paternæ charitatis brachiis amplectentes (facta jam in manibus noſtris per chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Francorum Regem illuſtrem, & dilectum filium nobilem virum Carolum fratrem ejus Alanzoni & Valeſii comitem renunciatione legitima & ſolemni de prædictis regnis & comitatu Barcinoniæ, claræ memoriæ prædicto Philippo Regi Francorum eorum parenti, & eidem Carolo comiti, ut præmittitur, per eccleſiam ipſam conceſſis, omnique jure, & actione eis competente pro illis) eidem Jacobo, & ſuis heredibus de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu reſtituimus, reddimus, atque concedimus jam dicta regna Aragonum atque Valentiæ, ac comitatum Barcinoniæ, honorem regium, ac omnia & ſingula, quæ ſententia dictæ ſedis Apoſtolicæ lata contra dictum Petrum olim Regem Aragonum patrem ſuum continebat expreſſe; & ea, atque verba ſententiæ, vel effectus ejuſdem ſententiæ ſe extendunt: ut ea habeant & teneant eo modo, quo habebat & tenebat dictus Petrus quondam Rex Aragonum pater ſuus, antequam Romanam eccleſiam offendiſſet in aliquo, & de prædictis regnis & comitatu in quondam Alfonſum primogenitum ejus donationem, ut dicitur, contuliſſet. Nec intendimus, quod per prædictas reſtitutionem, redditionem, & conceſſionem nobis vel ipſi eccleſiæ jus aliquod acquiratur, nec retineatur in illis occaſione retentionis, ſeu reſervationis, quam fecit eccleſia in dictis regnis & comitatu, cum ipſe prædicto quondam Philippo Francorum Regi conceſſit; nec ratione conceſſionis factæ de ipſis per Romanam eccleſiam dicto Carolo comiti, aut renunciationis ſeu reſignationis præfatæ factæ in manibus noſtris per eoſdem Regem Francorum & Carolum comitem fratrem ejus: ſed eidem Jacobo, ſuiſque ſucceſſoribus in eiſdem regnis, comitatu, ſeu terris ſua jura firma & illibata perſiſtant, nec ex iis ſibi, vel ſuis in aliquo præjudicium generetur; ſed ea habeant, & teneant, ut prædicitur eo modo, quo habebat & tenebat dictus Petrus, antequam Romanam eccleſiam in aliquo offendiſſet, & de præfatis Regnis & comitatu contuliſſet donationem in Alfonſum, ut dicitur, memoratum; inveſtientes per noſtrum annulum de prædictis omnibus & ſingulis ejuſdem Jacobi & heredum ſuorum nomine dilectum filium noſtrum Guillelmum tituli S. Clementis presbyterum Card. quem pro votiva profectione tractatus ejuſdem verſus partes ultramontanas præſentialiter deſtinamus. Nulli ergo &c.

Carolus Valeſius obtento ab eccleſia regni Aragonici jure decedit.

Reſtituit Jacobo Bonifacius Aragon. & Valent. regnor. jura.

De Pontificis manu Guillelmus Card. Jacobi nomine accepto annulo, iis induitur. Ad rem perficiendam legatus mittitur.

Ego Bonifacius catholicæ Eccleſiæ epiſc. ſubſc.

Ego Gerardus epiſcopus Sabinenſis ſubſcripſi.
Ego Joannes Tuſculanus epiſcopus ſubſcripſi.
Ego fr. Matthæus Portuen. & Ruſinæ epiſc. ſubſc.
Ego fr. Hugo Hoſtien. & Velletren. epiſc. ſubſc.
Ego Petrus tit. S. Marci presbyter Card. cum per me non poſſem, per Petrum Bonægentis cappellanum meum me ſubſcripſi.
Ego fr. Thomas tit. S. Cæciliæ presb. Card. ſubſc.
Ego Joannes tit. SS. Marcellini, & Petri presb. Card. ſubſc.
Ego Guillelmus tit. S. Clementis presb. Card. ſubſc.
Ego Nicolaus tit. S. Laurentii in Damaſo presb. Card. ſubſc.
Ego fr. Robertus tit. S. Pontianæ presb. Card. ſubſc.
Ego fr. Simon tit. S. Balbinæ presb. Card. ſubſc.
Ego Matthæus S. Mariæ in porticu diac. Card. ſubſc.
Ego Jacobus S. Mariæ in via lata diac. Card. ſubſc.
Ego Neapolio S. Hadriani diac. Card. ſubſcripſi.
Ego Petrus S. Euſtachii diac. Card. ſubſc.
Ego Guillelmus S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus Card. ſubſc.
Ego Benedictus SS. Coſmæ & Damiani diaconus Card. ſubſc.

Datum Anagniæ per manum magiſtri Petri de Piperno S. R. E. vicecancellarii XI. *kal. julii, indictione octava, incarnationis dominicæ anno* MCCXCV. *pont. vero domini Bonifacii Papæ* VIII. *anno* I.

XXIV. Lex de conjugiis ad Blancæ & Jacobi gratiam ſoluta.

Ad ſtabiliendam pacem & mutuo amore conjungendos Reges in tractatu fœderis ſanctum fuerat ut vidimus, ut mutuis affinitatibus conjungerentur: quare Bonifacius conſanguinitatis impedimenta, quæ inter Blancam Caroli filiam ac Jacobum erant, ſuſtulit, (*a*) ut matrimonio conjungi poſſent. Tum abrogavit cenſuras, quæ vibratæ in Aragoniam fuerunt; atque univerſi clerici, expoſcente Jacobo, ſententiis anathematis, interdicti, irregularitatis, ſuſpenſionis, & aliis pœnis ſoluti ſunt, ac priſtinæ dignitati, ut in eccleſiis monaſteriiſque eligi, & poſtulari poſſent, reſtituti (*b*). Ad compenſandam porro jacturam Siciliæ, qua cedebat Jacobus, ajunt Surita (*c*) ac Mariana (*d*) a Bonifacio Sardiniæ & Corſicæ regna ex arcano fuiſſe promiſſa; atque ita factum, ut qui fœdus illud exitiale Aragoniæ querebantur, utiliſſimum agnoſcerent. Sardiniam enim recepere Aragonii, atque immenſam pecuniarum vim; nec tamen Siciliam amiſere, quam ſuis artibus tenuerunt, & demum Galli ac Bonifacius fuerunt deluſi. Pollicitus eſt inſuper, ut narrat Surita, Jacobo Carolus centum millia marcharum argenti, quæ partitis vicibus, ſtatuendiſque a Bonifacio temporibus erat ſoluturus, præter viginti quinque millia marcharum, quæ in præſentia erat numeraturus in dotem Blancæ filiæ; triginta alia marcharum millia, quæ Alfonſo Jacobi fratri erant tradita, remiſſa. Cum vero Caroli ærarium exhauſtum eſſet, ac dilationem flagitare (*a*) cogeretur, Bonifacius ejus inopiam levavit: præter enim conceſſas ſolutionis cenſus petitas moras, viginti quinque (*b*) millia marcharum Perpiniani, tum alia ſeptem (*c*) millia librarum turonenſium mutuo dedit, qua de re confectæ fuere tabulæ; ac decimas in eam rem derivavit, ut probant literæ (*d*) ad Aquilejenſem, & Gradenſem patriarchas, Jadrenſem, & Spalatenſem archiepiſcopos, quibus ſignificavit eccleſiam, ob immenſos ſumptus in bello Siculo collocatos, ad eam ex Petri, Jacobi, ac Friderici manibus liberandam, exinanitam eſſe opibus; ac licet tractata jam cum iis pax ac firmata fuerit, ad levanda tamen onera, quæ aſſert, omnium eccleſiaſticorum proventuum decimas colligendas triennio depoſcere, eaſque pariter ſe ex tota Italia repetere; iis tantum exceptis eccleſiis, quibus epiſcopus Cardinalis præeſſet. Indictæ etiam in Galliarum parte eadem de cauſa decimæ, (*e*) ut Carolo Regi ſubſidia compararentur.

Pontifex & Carolus a Jacobo circumventi.

(*a*) *Lib. 1. ep. 128.* (*b*) *Ext. in arch. molis Adriana lib. priv. Rom. eccl. to. 3. pag. 247. & collect. Platin. to. 1. pag. 231. & in cod. Vallic. ſig. lit. B. n. 22. p. 293.* (*c*) *Lib. privil. to. 3. p. 148.* (*d*) *Lib. 1. ep. 497.*

Decimæ a Bonifacio pro Sicilia recuperanda indictæ.

(*e*) *Ib. ep. 369.*

XXV. De Jacobo Rege Majoricarum reſtituendo regno agitatum.

Magna vero contentione inter Philippi Regis & Jacobi oratores certatum de reſtituendo Rege Majoricarum Jacobo, alterius Jacobi Aragonii patruo, qui ob belli ſocietatem cum Gallo initam ab Aragoniis regno depulſus fuerat. Cumque negarent Jacobi oratores, ea ſe auctoritate inſtructos fuiſſe, Bonifacius apud Jacobum Aragonium inſtitit, (*f*) ut patruum reſtitueret: cumque de valle Aragny diſceptarentur, ad cujus jus ſpectaret, decrevit Pontifex, ut ſi ante bellum Gallis paruiſſet, in eorum ditione permaneret; ſi bello parta fuiſſet, mox redderetur: interim dum veritas inquireretur in pontificia poteſtate verſaretur, ut illius legitimo principi redderetur: deque ea re ad Philippum Regem extant apoſtolicæ literæ (*g*) quibus ſignificavit Bonifacius, ejus fratrem jam oratorum opera coram ſe jure omni in Valentiam, Aragoniam, & Barcinonem ceſſiſſe, ut pax confici poſſet; ac ſupereſſe, ut Philippus vallem Aragny Guillelmo Cardinali tit. S. Clementis ſervandam traderet.

(*f*) *Ib. ep. 163.*

(*g*) *Ep. 208.*

Philippo Regi Francorum illuſtri.

XXVI. *Lætamur in te, fili benedictionis & gratiæ, quod de manuum tuarum operibus fructus pacis colligimus, & placidiæ charitatis dulcedinem probatis effectibus deguſtamus. Hos quidem fructus talis arbor debet natura producere, qua genus tuum fide præclarum, ſinceritate prælucens, devotos ad Chriſtum & ſanctam Eccleſiam ſponſam ſuam fundatores in orbem quietis amœnæ produxit, & zelatores fervidos ſtatus proſperi totius fidei Chriſtianæ lactavit. Sane pro conſummatione proſperæ tractatus pacis, habiti inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Siciliæ Regem illuſtrem & Jacobum natum quondam Petri olim Regem Aragonum, venerabilis frater noſter P. Aurelianenſis epiſcopus, & dilectus filius I. abbas S. Germani de Pratis tui procuratores & nuntii, & dilecti filii Caroli Alanconis & Valeſii comitis fratris tui ex parte veſtra renuntiaverunt nuper in manibus noſtris pure, & ſine conditionis adjectu, non ſine motu conſilii, regnis Aragoniæ, Valentiæ, & comitatui Barcillonæ, ac omni juri vobis in illis quomodolibet competenti. Quo fit, ut ſoluto nodo pacis ejuſdem, ad laudem divini honoris & nominis aperta ſit via quieti paratior, & eidem Regi Siciliæ conſanguineo veſtro debitæ compaſſionis amplexu affectus veſter exhibitus amabilis charitatis. Verum cum circa perfectionem pacis ejuſdem ſuper facto vallis de Arany anfractus incideret, quam idem Jacobus ad ſe aſſerens de jure ſpectare, petebat ſibi reſtitui; præcipue cum poſt moram guerram per utriuſque parentes ipſius vallis ſe dicat poſſeſſione privatum; iidemque nuntii tui affirmantes contrarium ex adverſo, de illius reſtitutione a vobis poteſtatem ſe dicerent non habere; poſt diverſas diſcuſſiones & tractatus, ne tanti boni orditum principium per obſtaculum hujuſmodi interjecti præpedii infeliciter ſortiretur eventum, ſuaſit rationabilis cautela conſilii, quod cætera pacis capitula per ordinem debitum ponerentur in terminis, & dictæ vallis articulus per modum, qui ſequitur a cenſura æqui bonique non devium ponatur in ſtatu, ut dilectus filius noſter Guillelmus tit. S. Clementis presbyter Cardinalis, quem pro ipſius tractatus executione votiva in ultramontanas partes deſtinamus ad præſens, celeriter & ſolerter inquirat de ſpoliatione ſeu deſtitutione vallis ejuſdem: & ſi quidem compererit dictum Jacobum, vel præfatum quondam parentem ipſius poſt commotionem guerræ jam dictæ per claræ memoriæ Philippum Regem Francorum illuſtrem tum genitorem, aut te dictæ vallis fore poſſeſſione privatos, ipſi Jacobo ſine dilationis obſtaculo reſtituatur vallis memoratæ poſſeſſio, in ea tibi non in forma vel figura judicii in omnibus dominii jure ſal-*

De ceſſione juris in regnum Aragoniæ a Carolo facta.

De vallis Arany controverſia Gallos inter & Aragonios.

vo: si vero de præfata non poterit destitutione constare, ipsa possessio ad te sine dilatione restituta proveniat, jure proprietatis in ea modo præmisso similiter eidem Jacobo reservato. Et ut amabilius procedat ipsius vallis negotium, in quo nuntii dicti Jacobi difficultatem ingerunt, cum de pacis amabilitate tractetur; excellentiam regiam hortamur attente, & cum interna cordis affectione rogamus, quatenus pro nostra & Apostolicæ sedis reverentia, & debita Regi Siciliæ charitate, donec per Cardinalem ipsum fiat dicta inquisitio super possessione præfata, & ejus terminatio subsequatur, possessionem vallis ejusdem in manu dicti Cardinalis, quem scimus te interne diligere gratuita amabilitate, sequestres. Inconveniens quippe tibi, mundo damnosum, & exempli perniciosi res foret, si per tam modicæ rei objectum, facta jam refutatione de magnis, tua charitas propalata frigesceret; si tam utilis & Deo placida pacis alligatæ jam vinculum dissolutionis, quod absit, dispendium sustineret. Prætores etenim, apud quos viguit rerum summa prudentia, non curavere de modicis, nec lesis minoribus, quibus specialis favor a jure tribuitur, in restitutione rei modicæ, si majori præjudicium afferat, restitutionis beneficium indulserunt.

XXVII. Balearibus insulis restituendis.

Super facto vero restitutionis regni Majoricarum insularum, Evicæ, & Minoricarum, & aliorum locorum faciendæ per dictum Jacobum charissimo in Christo filio nostro Jacobo Regi Majoricarum illustri; cum nuntii dicti Jacobi dicerent se potestatem aliquam non habere, ac per consequens eidem tractatui discrimen dissolutionis instaret; ne tractatus tam Deo placidus, mundoque proficuus perduceretur incassum, quo multa periculosa discrimina sequi possent, negotium restitutionis ejusdem cum satis expressa conniventia nuntiorum præfati Jacobi per nostræ prosecutionis remedium assumpsimus, Deo propitio, per modum, qui sequitur, promovendum. Quod prædictus Jacobus restituat, & restitui faciat dicto Regi Majoricarum præfatum regnum Majoricarum, & insulas cum cæteris omnibus immobilibus sive stabilibus, occupatis per præfatum Jacobum & suos, de terris, villis, & possessionibus Regis Majoricarum prædicti, tenenda & possidenda per ipsum Regem Majoricarum eo modo per omnia, quo

Saracenis in eas insulas non admittendis.

ipse tenebat ea tempore motæ guerræ præfatæ; ita quod per hæc nullum jus dictis Regi Majoricarum vel Jacobo crescat in aliquo vel decrescat, salvo quod Saraceni, qui de ipsa insula Majoricarum per dictum Jacobum suos ejecti fuerunt, non reponentur ibidem; sed de habitatoribus Christianis ipsius insulæ, si aliqui sunt, quos idem Rex Majoricarum suspectos habeat vel odiosos ex rationabili causa, quam arbitrari habebit Cardinalis prædictus, usque ad certum numerum moderandum per Cardinalem eundem de insula præfata recedent; & si nollent recedere, ministrorum manibus expellentur. Verum poterunt, si quas in eadem insula possessiones emerint, vendere & secum portare pretium cum cæteris mobilibus eorumdem: & ad hoc faciendum dabitur eis certus terminus, juxta ipsius Cardinalis arbitrium statuendum. Cæteri Christiani; quibus dicta insula Minoricarum populata est in subjectione dicti Regis Majoricarum ibi si voluerint, remanebunt: sic tamen, quod si per antedictum Jacobum, aut quondam Alfonsum fratrem suum, ipsorumve mandatum in eadem insula Minoricarum aliquæ possessiones traditæ fuerint in feudum, aut emphyteusim, vel ad censum pro minori servitio, aut valore, vel censu notabiliter, quam valeant, & æquum, aut rationabile censeatur; * quod judicium tempore contractus inspecto ad æquum & rationabile juxta dicti Cardinalis arbitrium reducetur, donationes autem simplices factæ per eundem Jacobum, dictum quondam Alfonsum, officiales, seu ipsorum factiones in prædictis & de prædictis possessionibus omnifariam irritentur. Rogatibus itaque nostris, hortationibusque paternis circa sequestrationem vallis prædictæ tua filialis & sincera devotio aurem præbeat, cor inclinet; tenens & sentiens, quod ex complemento præfati tractatus, quatenus ad te spectare dignoscitur, præter id quod æterno Regi te gratum, nobis & Romanæ ecclesiæ matri tuæ placidum & favorabilem exhibebis, per diversos mundi circuitus exurgent laudis tuæ sonora præconia, quod dicto Regi Siciliæ, sanguinis tibi identitate conjuncto, circa reparationem status ipsius auxiliaria, & præcipua impenderis * juramenta. Dat. Anagniæ XII. kal. julii anno I. Repetitæ (a) eædem preces a Bonifacio fuere IV. Kal. julii apud Philippum, ut vallem, cui Arany nomen est, controversam Cardinalis fidei commendaret; iterumque, ne pro levissima re utilissimum fœdus discuteret: Balearium Regem in suam ditionem revocatum iri.

* earum.

* juvamenta.

(a) Ib. ep. 208.

XXVIII. Ad restituendum præterea dignitati pristinæ Balearem Regem Bonifacius convulsit (b) decretum Catalanorum, quo subactis armorum vi Balearibus insulis sanxerant, ut Barchinonensis comitatus ditioni obnoxiæ forent.

(b) Ep. 165.

Bonifacius, &c. ad æternam rei memoriam.

Iniqua sacramenta rescindenda a sede Apostolica.

Obligationes turpes, & contra præcepta judicis initas, etsi sanctio legum improbet, earumque vigorem equitas rationis annullet; pastorale tamen munus fore dignoscitur ad tollendam ambiguitatis cujusque materiam interdum simplice reverentia

im-

improbitatis contractibus se obligatos putantium, ut ipsarum nexum, quatenus saltem de facto provenit, superioris sedis auctoritas auferat, & substantiam nullam fore notabili expressione decernat. Sane post occupationem insulæ Majoricarum factam per quondam Alfonsum natum quondam Petri olim Regis Aragonum certæ conventiones, homagiorum præstationes, & juramenta intervenisse noscuntur inter Jacobum natum quondam Petri olim Regis Aragonum antecessores suos, barones milites, atque cives Cataloniæ, & Majoricarum, quod regnum Majoricarum cum aliis sibi adjacentibus insulis sic comitatui Barcinoniæ perpetuo uniretur, ut sub eodem dominio ac unione inseparabiliter remaneret.

Ut Balearicum regnum Aragonio conjunctum fuerit.

Nos igitur, qui veri Pastoris vices portamus in terris, ad cujus curam specialiter pertinet colligationes iniquitatis dissolvere, ac quarumlibet illicitarum conventionum turpitudinem abolere, advertentes prædictas conventiones, homagiorum præstationes, & juramenta de retentione rei alienæ contra justum & debitum, illicite, ac perperam processisse; ac decernentes propterea ipsa fore irrita, & nullius existere firmitatis, præfatos Jacobum, barones, milites, atque cives Cataloniæ, ac quoscunque alios forsitan obligatos ad hoc a præfatis conventionibus, homagiorum præstationibus, & juramentis dimittimus liberos, & decernimus penitus absolutos; nec pro eo, quod prædicta non servarint iidem Jacobus, barones, milites, atque cives Cataloniæ, seu quicunque alii obligati pro hoc de reatu perjurii, aut ratione pœnarum, vel conventionum quarumlibet adjectarum pro firmitate seu observantia unionis ejusdem possint in judicio vel extra judicium impeti, seu aliquatenus molestari: quinimmo memoratis Jacobo, baronibus, militibus, atque civibus Cataloniæ, & quibuscumque aliis obligatis ad hoc expresse præcipimus & districtius inhibemus, ne de prædictis aliquod compleant vel observent. Incongruum quidem, ac exempli perniciosi res foret, si principali obligatione reprobata de jure, accessoria vel sequela firmitate subsisteret, vel effectum obligationis aliquem per quemcumque circuitum offensa legis sententia parturiret. Nulli ergo, &c. nostræ constitutionis, dimissionis, præcepti, & inhibitionis, &c. Si quis autem &c. Datum Anagniæ VIII. kal julii, anno primo. Hactenus Bonifacius: at egregium eorumdem facinus, cum Saracenos omnes iis insulis pepulerunt, confirmavit (a). Ne vero Fridericus aut Petrus Jacobi fratres initum fœdus confunderent, Jacobum qui pactus erat, eos ex Siciliæ insula a se revocatum iri, nec Siculos auxilio consiliove adjuturum, ursit ut conventa operi mandaret. Divelli ex ingenti præda haud sine magnis difficultatibus poterat Fridericus, qui abeunte in Aragoniam Jacobo Siculorum ora animosque in se converterat: quem ut majorum spe & cupiditate ad pacem, abiiciendamque Siculorum clientelam alliceret Pontifex, ipsum ad colloquium excivit, de quo hæc rerum Sicularum vetus MS. (b) Licet Siculi ejusdem Friderici ad dominum summum Pontificem dissuaderent accessum, idem tamen Fridericus, domini nostri Papæ mandatis potius quam Siculorum consiliis libenter inhærens, cum quadraginta galeis ad maritimam Chirchelli accedens, cum equitum honorabile comitiva ad terram Billitei partium Campaniæ se contulit confidenter. Spopondit illi Bonifacius splendidas Catharinæ Imperatricis Constantinopolitanæ nuptias dotaleque Imperium communibus armis schismatico Andronico eripiendum ostentarat: utque ab Augusta assensum eliceret, subjectis literis illi proposuit avitam hereditatem eo conjugio recuperatum iri, Græcos ad obsequium Ecclesiæ adigendos, ac pace reddita Siciliæ, principibusque fœdere conjunctis arma in religionis hostes vertenda, instaurandæque in Syria rei Christianæ præclaras spes affulgere.

Pactiones de ea re initæ convelluntur.

Jacobus & Catalani conventa illa servare vetiti.

(a) Ibid.

Fredericum mulcere studet Pontifex.

(b) MS. Fred. com. Ubald.

In Campaniam allicit.

Spes illi propositæ.

Charissimæ (c) in Christo filiæ Catharinæ Imperatrici Constantinopolitanæ illustri.

(c) Ep. 174.

XXIX. Solicitat Catharinam Bonif. ut Fridericum virum accipiat.

Postquam divina miseratio nos ad apicem summi apostolatus assumpsit, ferventibus curavimus studiis, & indefessis solicitudinibus laborare, ut catholici principes orbis terræ, ad invicem dissidentes, ad pacis & tranquillitatis commoda reducantur. Sed cum inter alia principum & aliorum ipsius orbis scandala, inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem, patruum tuum, & quondam Petrum olim Regem Aragonum; ac eo de præsenti vita subtracto, inter dilectos filios Jacobum & Fredericum natos ejus super regno Siciliæ suscitata discordia, & gravia quæ contigerunt pericula mentem nostram continuis vexaverunt angustiis; laboriosos deduximus dies ac noctes, nec mirum, insomnes, ut hinc inde firma pax & plena concordia cum beneplacito charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris, auctore Domino, proveniret. Demum itaque, divinæ gratiæ cooperante virtute Jacobo & Frederico prædictis redeuntibus ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ reverenter, tractatus pacis & concordiæ, promissionibus de matrimoniis contrahendis, obligationibus, conventionibus, pactis, & pœnis hinc inde firmatus advenit, sicut in instrumento publico, & apostolicis literis inde confectis plenius continetur: ex quo Terræ sanctæ subventio, pax renatis fonte baptismatis, magnaque tranquillitas, & tibi maxime, proventu-

Exponit, id in tractatu pacis conventum.

ra

ra sperantur. Profecto, filia charissima, dum in hujusmodi tractatu pacis essemus, ac multa & varia, nova & vetera, sicut negocii ministrabat arduitas, in crebram memorationem consideratio nostra deduceret, occurrit memoriæ nostræ frequenter de inclytæ recordationis Balduino avo & Philippo patre tuis Imperatoribus Constantinopolitanis rememorantes, in eis devotionem puram & filialem affectum, quibus ipsi erga Romanam ecclesiam matrem suam efficacibus studiis viguerunt; gravia quoque corporum, rerumque dispendia, quæ a Græcis pertulere schismaticis, laborantibus in opprobrium fidei Christianæ; maternam etiam benevolentiam recensentes, qua ipsos ecclesia prædicta sicut charissimos ejus filios & Christianissimos principes compassionis affectu extitit prosecuta; sicque pensantes infra pectoris arcana solicite de tui status tuæque prosperitatis augumento, cum ab olim etiam, dum nos minor status haberet, ad tui relevationem honoris nostra plurimum intentio versaretur; diffudimus undique, & in longum protendimus considerationis nostræ respectum, qualiter tibi posset salubrius Imperii tui Constantinopolitani recuperatio provenire: qualiter ille schismaticus Græcorum populus, ab olim in devium prolapsus erroris, reduci commodius valeat ad semitam veritatis, & gremium sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac subjectionem Imperatoris Constantinopolitani catholici, veri dicti populi domini temporalis.

Recuperatum iri facilius Constantinop. Imperium.

Cumque inter cæteros mundi magnates ad id utiles circumspectio librata discerneret, cum prædicto Rege Siciliæ patruo tuo, qui te affectu paterno pura sinceritate prosequitur, collatione super hoc & discussione habita diligenti, cogitavimus quod nulli melius pro hujusmodi tuo consequendo commodo jungereris, quam Frederico prædicto, qui pensatis omnibus; & eo maxime, quod inter prædictum Jacobum fratrem ejus, & filiam dicti Regis matrimonium est firmatum; ad prædicti recuperationem Imperii utilior his temporibus videbatur. Sicque tractatu de contrahendo matrimonio inter te ac eundem Fredericum non in discursu, sed cum deliberatione maxima prosecuto, sub firma fiducia, ut a nostris & dicti Regis super hoc tui sensus non discrepent; sed ad id cum promptitudine voluntatis tuus assensus accedat, cum respicere tui culminis incrementa felicia dignoscatur; idem Rex pro parte tua, & procuratores ejusdem Frederici pro eo cum juramentorum præstatione solemniter promiserunt, ut infra mensem septembris proximo futurum per verba de præsenti matrimonium hujusmodi compleatur; nosque præmissorum consideratione pro ipsius recuperatione Imperii eidem Frederico in casu prædicti matrimonii contrahendi magnum pecuniarum subsidium duximus promittendum. Celsitudinem itaque tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus diligenti meditatione consideraus, & prudenter advertens, quod id pro tua utilitate præcipue, ac pro tui relevatione status factum & ordinatum existit, mentem & animum tuum ad ipsius matrimonii perfectionem exponas, & propter hoc personaliter statim ad præsentiam nostram accedas. Et ecce dilectum filium Joannem abbatem monasterii S. Germani de Pratis prope Parisios ordinis S. Benedicti latorem præsentium, virum utique providum & discretum, ac tui honoris fervidum zelatorem, de legalitate cujus & circumspectione confidimus, ad te propterea destinamus; ut te ad præsentiam nostram honorifice ac festinanter adducat, & diligentius super præmissis informet, ac aliis, quæ exponenda tibi secretius sibi duximus injungenda, cui fidem credulam te volumus adhibere. Speramus quidem in illo, qui bonorum est omnium elargitor, quod ex hoc tibi speratus honor & optatus fructus adveniet, idque cedet ad laudem Dei, & generaliter ad statum prosperum populi Christiani. Datum Anagniæ v. kal. jul. an. 1.

Mitti ad ipsam ea de causa oratores.

Inita ab avunculo Rege ipsius nomine sponsalia.

XXXI. Aliis præterea literis Philippum Francorum Regem monuit (*a*), ut Catharinam Imperatricem ad id inflecteret, eam nimirum conditionem inter capita fœderis cum Jacobo & Friderico initi appositam fuisse: verum non perfectam rem, inferius videbimus. Non defuere mox, qui ad optatissimam pacem discutiendam conatus suos converterent: ad quos coercendos Bonifacius solemni ritu anathematis sententiam tulit; contra vero indulgentiarum præmia iis proposuit, qui apud Deum preces funderent, ut in opus perducereretur, vel ad id suam operam contulissent: quæ Friderico significavit, atque ad perficiendum tractatum jam Blancam Caroli filiam in Cataloniam pergere, missosque ad Catharinam Imperatricem legatos, quo eam in Italiam adducerent, ut ipsi desponderent. Qui porro ii fuerint, qui pacem disturbare niterentur, notat Mariana (*b*) Siculos extitisse, qui proditos se ex illo fœdere exclamarunt, ac vetere odio in Gallos imbuti mortem potius, quam eorum jugum pati, in animum induxerunt.

(*a*) Ep. 109. & reg. post ep. 114. Bonifacius censuras in eos, qui pacem inter tam disturbarent, jacit.

(*b*) Mar. hist. Hisp. l. 14. c. 17. Fazell. decad. post. l. 9. c. 2.

Interea Pontifex ad eos placandos Messanensem archiepiscopum misit, eumque Friderico commendavit (*c*), hortatus ut omnia, quæ ad muniendum iter perficiendæ concordiæ conducerent, promoveret. [1]

XXXII. (*c*) Lib. 1. ep. cur. 99.

Significat Friderico Bonif. devinctos anathemate qui tractatum pacis initam disfuserint.

Sententiæ forma.

Dilecto filio nobili viro Frederico nato quondam Petri olim Regis Aragonum.

Nobilitatem tuam volumus non latere, quæ post recessum dilecti filii Joannis de Procida & Manfredi Lance, nuntiorum tuorum circa tractatum pacis & concordiæ, divina favente clementia, jam firmatum atque juratum, facta noscuntur; & specialiter ea, quæ contra impetitiones pacis, & ad promotionem ipsius nuper in festo nativitatis beati Joannis Baptistæ infra missarum solemnia duximus facienda, quæ præsentibus fecimus annotari: Bonifacius Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Nuper, divina favente clementia, tractatu pacis inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem, & nobiles viros Jacobum & Fredericum natos quondam Petri olim Regi Aragonum, de beneplacito charissimi in Christo filii nostri Philippi Francorum Regis illustris ad concordiam, non sine multis vigiliis & solicitudinibus nostris, deducto; de matrimoniis contrahendis, promissionibus & aliis firmato, & juramentorum adjectione vallato, ac per nos publicatos solemniter; ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli pacis æmuli, Christianitatis quietis, subventionis Terræ sanctæ, ac boni publici turbatores, contra pacem & concordiam supradictas quasi membra angeli sathanæ submissiones malevolas faciebant, molientes obfuscare falsis adinventionibus tantum bonum.

Propositæ iis, qui pacem promoverint, indulgentiæ.

XXXIII. Lata in festo natalitio B. Joannis Bapt.

Nos vero, volentes talium iniquis machinationibus obviare, in festo nativitatis beati Joannis Baptistæ proximo præterito, in cathedrali ecclesia Anagniæ, infra missarum solemnia pacem & concordiam memoratas iterato duximus publicandas; excommunicationis sententiam auctoritate apostolica promulgantes in omnes & singulos cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, aut status, qui scienter & fraudolenter verbo vel facto pacem & concordiam hujusmodi impedirent; declarantes aperte omnem animam viventis hominis & mortalis, quantumcumque & qualicumque ecclesiastica vel mundana, regali seu alia dignitate fulgentis, hujusmodi sententiam nostram ligare: non obstantibus quibuscunque privilegiis vel indulgentiis, personis vel statui, verbo vel literis quomodocunque concessis, quibus posset quis contra hujusmodi nostram sententiam se tueri, & de quibus oporteret plenam & expressam, vel sub quovis modo, vel verborum conceptione, vel expressione, seu de status & personarum ac dignitatum nominibus & cognominibus, ac de verbo ad verbum fieri mentionem. Et quia catholicæ fidei dilatandæ, Christianitatis quieti, subventioni dictæ terræ, animarum saluti dictarum pacis & concordiæ complementum creditur profuturum; omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui pro complemento hujusmodi ad Deum devotas preces effundent, singulis vicibus, quibus hoc fecerint, centum dies de injuncta sibi pœnitentia duximus misericorditer relaxandos. Adhæc præmissis adiicimus, ut ab hujusmodi excommunicationis sententia nullus nisi in mortis articulo possit absolvi absque sedis Apostolicæ licentia speciali. Datum Anagniæ v. kalend. julii anno 1.

XXXIV. Certiorem facit Pontif. Fridericum, tractatum pacis in opus perduci.

Scias insuper charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem, & dilectum filium nostrum Guillelmum tit. S. Clementis presbyterum Card. nec non dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Blancam natam Regis ejusdem, sponsam nobilis viri Jacobi fratris tui, jam de Anagnia recessisse pro complemento pacis, auctore Domino, gressus suos versus Cataloniam dirigentes. Nos etiam venerabilem fratrem nostrum G. Anitiensem episcopum, virum utique providum, solicitum, & in agendis expertum, de cujus circumspectione & legalitate confidimus, in Franciam duximus destinandum, ut charissimam in Christo filiam Catharinam Imperatricem Constantinopolitanam ad partes istas festinanter adducat, tibi annuente Domino, prout promissum est & juratum, matrimonialiter copulandam: aliaque ferventibus studiis promovemus, quæ videmus utilia ad pacis hujusmodi complementum. Et ecce quod ad præmissa, & alia tibi seriosius exponenda venerabilem fratrem nostrum Franciscum archiepiscopum Messanensem, virum providum & discretum, ad te personaliter destinamus: quem recipere cures benevole, ac benigne tractare, significaturus nobis per eum, quæ tibi sunt placita, & perficiendæ paci videris fructuosa, tuosque successus, quos cupimus in Domino prosperari. Igitur ea prosequaris

Carolum Regem Sicil. ad Jacobum Arag. Blancam adducere.

Catharinam Imperatricem ipsi desponendam.

Messanensem archiep. ad hoc eum mitti.

NOTÆ [1] S. Cælestini annus emortualis in sequentem annum transferendus est. Cum enim die sabbati obierit, teste Petro de Alliaco in ejus vita; & ex bulla canonizationis constet decessisse illum die 19. maii, ambo hæc nonnisi cum anno 1295. congruunt, ut ante me animadverterunt PP. Bollandiani socii ad diem XIX. maii in vita S. Petri Cælestini. Adductisque ab iis veterum testimoniis ego alterum adiicio eorum temporum æqualem anonymum Parmensis chronici authorem, qui historiam suam usque ad ann. 1309. perducit; scribit enim ille anno sequenti: *eo anno frater Petrus de Morono olim papa in festia domini papæ obiit in curia Romana die XII. intrante* (lege XII. stante) *maio*. MANSI

ris attentius, quæ concordiæ profuturæ cognoſces, & a novitatibus ac actibus ſtudeas abſtinere, qui præſtare poſſent obſtaculum tanto bono, ex quo tibi ſperantur præcipue honor & exaltatio proventuri. Datum Anagniæ III. non. Julii anno I.

XXXV. Diſſolvere pontif. auctoritate cenſuras juſſus. (a) Ext. in archivo molis Adrianæ & in collect. Plat. MS. Vat. to. I. p. 230. & in Cod. Vall. ſign. lit. D. n. 1.148.

Quam vero Meſſanenſi archiepiſcopo provinciam impoſuerit Bonifacius, liquet ex aliis literis ad Fridericum miſſis, (a) ut nimirum cenſuras in Siculos vibratas diſſolveret, ac ſacra, quorum diuturnum juſtitium fuerat, reſtitueret, ut ea occaſione deliniti Siculi pontificiis juſſis ſe ſubmitterent.

Dilecto filio nobili viro Frederico, nato quondam Petri olim Regis Aragonum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ferventibus ſtudiis anhelamus, ut illa, quæ ſecundum Deum pacis, divina fauente clementia, inter charissimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Siciliæ Regem illuſtrem, & magnificum virum Jacobum fratrem tuum ac te de beneplacito noſtro, & charissimi in Chriſto filii noſtri Philippi Francorum Regis illuſtris firmata & jurata ſunt, auctoritate ſedis Apoſtolicæ executioni mandanda congruis temporibus impleantur. Ideoque venerabilem fratrem noſtrum archiepiſcopum Meſſanenſem in Siciliam providimus deſtinare, dantes ſibi plenariam poteſtatem abſolvendi ab interdictis in civitates, caſtra, aliaque loca dictæ inſulæ; & ab excommunicationum in perſonas civium & incolarum ipſorum ſententiis, a præfata ſede ſeu ejus auctoritate prolatis; juxta modum & formam qui in literis noſtris ſuper hoc confectis plenius exprimuntur; ipſumque celerius duximus præmittendum, ut congruo tempore inveniatur paratior, utpote in dicta inſula conſtitutus ad abſolutionem hujuſmodi congruo & ſtatuto tempore, ut præmittitur, impendendam. Quapropter nobilitatem tuam rogamus & monemus, & hortamur attente, quatenus recipias ipſum benevole, & benigne pertractes, & ob divinam reverentiam, noſtram, & ſedis ejuſdem eum & Meſſanenſem eccleſiam, ſuæ gubernationi commiſſam, habeas propenſius commendatos. Dat. Anagniæ VI. non. julii pont. noſtri anno I.

Pontificiæ ad Frid. lit.

De reſtituendo Siculis ſarorum uſu.

XXXVI. Miſſus ad Conſtantiam & Fridericum nuntius pro tractanda concordia. (b) Lib. I. ep. 157. (c) Reg. poſt eund. ep. Joannes Procida pacandas res exaſperat. Juſſus ab inſula diſcedere. (d) Lib. I. ep. cur. 159.

Misit præterea Bonifacius ad Reginam Conſtantiam ac Fridericum religioſum virum e Prædicatorum familia, ut nonnulla ad concordiam ſpectantia capita cum iis tractaret, quem Joanni Procidæ (b) & Rogerio Lauriæ (c), qui ſumma auctoritate in aula Sicula florebant, commendavit. Cæterum hoc anno inclinante turbari res cœpere, & in bellum ut antea erumpere, cum Fridericus pacis conſilia deſeruiſſet, (d) ac regno, quod injuria occupabat, incubare potius, quam imperium ex alienis manibus numquam foxte bello obtinendum repetere mallet: cujus perfidiam ſatis inſinuat MS. rerum Sicularum his verbis: (e) *Ubi cum prædicto domino noſtro ſummo Pontifice facto colloquio, inde recedent, ad inſulam Siciliæ rediit memoratam: in qua propter dicti Jacobi ceſſionem incipiens proprio nomine dominari, titulum, ut infra ſcribitur, ſibi ſumpſit, videlicet: Fridericus infans illuſtri Regis Aragonum & Siciliæ filius, ejuſdem regni Siciliæ dominus. Tabelliones vero in inſtrumentis ſcribebant ſic: Dominante inclyto domino Frederico infante illuſtris Regis Aragonum & Siciliæ Regis filio, dominii ſui anno primo.* His gradibus Fridericus ſibi iter ad ſolium muniebat, ut viſuri ſumus. Porro in ſuſpicionem adductus eſt Joannes procida, ne qui fuerat omnium malorum incentor, præteritis malis, quæ invexerat, nondum ſatiatus ad Pontificis voluntatem non flecteretur; ſed contra potius Siculos exaſperare niteretur: quare poſtea a Bonifacio inſula excedere juſſus eſt (f). Quod vero attinet ad memoratum Rogerium Lauriam florentiſſimum auctoritate, & rebus geſtis apud Siculos ducem; illum ad partes eccleſiæ pellexerat Bonifacius magnis beneficiis. Et quidem creare inter Saracenos principem conſtituit, atque inſulas objacentes Africæ Gerbam nimirum & Cherchinas, quas ille barbaris eripuerat, jure fiduciario ſedis Apoſtolicæ liberalitate poſſidendas attribuit. De quarum expugnatione hæc memoratus auctor (g) anonymus de rebus Siculis refert: *His temporibus inſulam, in finibus Libyæ ſitam, palmarum fructibus copioſam, caricis & oleo abundantem quam ab Iharba Rege Afrorum, qui tempore, quo Dido fundabat Carthaginem, præſidebat in Libya, paululum declinante vocabulo, dicunt Egerbas; Rogerius de Lauria, miſtis aſtu & calliditate cum viribus, ſuæ juriſdictioni ſubegit: in qua ne forte incolæ regionis Libycis, fraudibus innitentes, aliquando reſilirent, nobile caſtrum pro cauſa ſecuritatis domini & pro perpetua poſſeſſione fundavit.*

(e) Jord. MS. Vat. ſign. n. 1960. hoc ann. Collenut. hiſt. Neap. l. 5.

(f) MS. vetus Frid. com. Ubald. de reb. Sic. pag. 28. Urget Conſtantiam Pont. ut Frideri-cum filium ad pacem adducat. Gerba & Cherchinæ inſulæ objacentes Africæ. (g) Ibid. p. 52. Ut eæ ſubactæ fuerint.

XXXVII. Affulgebat inde ſpes religionis Chriſtianæ terminos in Africa proferri poſſe a Rogerio, qui plura hactenus bellicæ virtutis illuſtria exempla explicuerat, cum maxime ſedis Apoſtolicæ clientela tectus fultuſque ſubſidiis foret. Initis itaque ſolemnibus pactis, Bonifacio e Calamandrano Hoſpitaliorum equitum præceptori data provincia, ut Rogerium Lauriam ſacramento fidei in Romani Pontificis verba obſtringeret. (b)

(b) Bonif. l. 2. ep. 125.

Rogerio de Lauria.

*Ex tuorum ſtrenuitate actuum ſuperlaudabiles * nuper proveniſſe percepimus, qui apud Deum & ſedem Apoſtolicam grati redduntur multipliciter & accepti: & proinde*

* fructus

inde grandibus attolli laudibus promereris. Sicut enim ex ſerie tuæ nuntiationis & petitionis accepimus, tu diebus iſtis marinis navigationibus verſus Africam ob reverentiam Crucifixi, non abſque potenti manu progrediens, Gerbi & Karkim inſulas provinciæ Africæ, ſeu civitatis Tuniſii conterminas vel vicinas, divino fretus auxilio, eripuiſti potenter de manibus hoſtium fidei Chriſtianæ, ac in eis proponis ædificari facere eccleſias & altaria, & Chriſto domino deſerviri. Quæ quidem inſulæ, prout aſſeris, non ſunt de regno Siciliæ, nec ad Regem pertinent dicti regni; quodque ab eo tempore, cujus memoria non exiſtit detentæ non fuerunt per aliquem Chriſtianum, quouſque ad manus & poſſe tuum, ut prædicitur, devenerunt. Cum autem nobis duxeris humiliter ſupplicandum, ut præfatas inſulas tibi, tuiſque heredibus concederemus in feudum, ſub annuo cenſu de gratia ſpeciali a nobis & ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus & Romana eccleſia perpetuo a te ac ipſis heredibus retinendas; nos attendentes, quod tu eaſdem inſulas eripuiſti potenter, ut prædicitur, de manibus hoſtium crucis Chriſti; ac pium & laudabile propoſitum, quod habere te aſſeris, ut in inſulis ipſis orthodoxa fides propagetur & vigeat, cultuſque ſervetur inibi divinorum, quamplurimum in Domino commendantes; gaudentes etiam, quod per miniſterium tuum Chriſtianitatis termini dilatentur, tuis ſupplicationibus inclinati ad laudem Dei, tuæque ſalutis augumentum memoratas inſulas, & earum quamlibet cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, in merum & mixtum imperium & juriſdictionem plenariam, temporalem videlicet in eiſdem, auctoritate apoſtolica, & de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis nomine noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, & ipſius eccleſiæ Romanæ tibi, & tuis heredibus catholicis atque legitimis, & in devotione ipſius Romanæ eccleſiæ perſiſtentibus, in feudum perpetuum concedimus ſub annuo cenſu quinquaginta unciarum auri ad pondus dicti Siciliæ regni, nobis & ſucceſſoribus ipſis, ac eidem eccleſiæ annis ſingulis infra octavas beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli in Romana curia perſolvendo. Et ecce dilecto filio fratri Bonifacio de Calamandrano magno præceptori ordinis Hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani in partibus ciſmarinis damus per alias noſtras literas (a) in mandatis, ut te auctoritate noſtra de feudo inveſtiat memorato, & recipiat a te noſtro, & prædictorum ſucceſſorum noſtrorum, & eccleſiæ Romanæ nomine juramentum fidelitatis & homagii ſub forma, quæ in aliis noſtris literis continetur; nec non & publico inſtrumento, tuo nihilominus ſigillo munito, per quod te feudum hujuſmodi pro te tuiſque heredibus a nobis, & eadem Romana eccleſia, ut prædicitur, recipere fatearis; ac prædictos tuos obligabis heredes ad præſtandum ſimile juramentum & homagium, & recognoſcendum, quod feudum ipſum tenebunt a nobis, & ſucceſſoribus noſtris, & eccleſia memoratis; & ad promittendum, quod prædictum cenſum annuum, ſtatuto termino cum integritate perſolvent. Quod ſi tu vel ipſi heredes id facere forſan contempſeritis, omne jus, quod tibi vel ipſis heredibus ex præſenti noſtra conceſſione debetur, vel competet, ex tunc eo ipſo ad prædictam eccleſiam libere devolvatur. Nulli ergo &c. Dat. Anagniæ III. id auguſti anno I.

Earum Imperium beneficio ſedis Ap. obtinendum, poſtulat a Bonif. Rogerius.

Petitis annuit Pont.

(a) Reg. poſt eund. ep.

Fidei ſacramentum exigit.

Abſolvimus Siculas res inſigni facinore Caroli Siciliæ Regis, qui Neapolitani regni opprobrium ſuſtulit, Saracenorum Luceriæ reliquiis diſſipatis, cum jam antea a Carolo I. ſubacti, ſed ut ritu avito viverent permiſſi fuiſſent. Ejectos vero a Carolo II. peractis Regis Ungariæ exequiis, referunt (b); atque edicto regio proſcriptos, ut cuivis impune Saracenos liceret trucidare, qui ſuperſtitionem Mahumeticam ejurare reſpuerent: ac mox partim in fugam ſe proripuiſſe, partim ſacra Chriſtiana amplexos, ſed vitam inquinatam vitiis duxiſſe: excindendæ vero Saracenicæ hujus peſtis e Neapolitano regno provincia demandata eſt Joanni Pipino, de quo Summontius e regio archivo hæc affert: (c) *Joannes Pipinus de Barulo miles magiſter rationalis curiæ deſtinatus ad depopulationem Luceriæ: cujus induſtria, coadjuvante divinæ potentiæ dextera, confuſa eſt Saracenorum præcogitata nequitia, conculcata protervia, & ipſius terræ depopulatio ſubſecuta* (d). Abolitum tunc eſt infame Luceriæ Saracenorum nomen & civitas S. Mariæ nuncupari cœpit; actumque Carolum Regem divino inſtinctu in promovenda Chriſti gloria prædicat Benedictus XI. ſanctitate & miraculis clarus, laudatque eccleſiam cathedralem ampliſſimis ditatam ſacerdotiis condidiſſe. Hactenus de rebus Siculis; inſtituti ratio jam efflagitat, ut alias res Italicas proſequamur.

(b) Summ. hiſt. Neap. l. 3. Collenut. l. 5.

(c) Summ. hiſt. Neap. l. 3.

(d) Ben. XI. l. 1. ep. 519.

XXXVIII. Infederat alte Bonifacii menti, pace firmiſſima Chriſtianos omnes conſtrictos ad Chriſti defendendum nomen conver-

Veneti & Genuenſes mutuo ſe bello appetunt.

tere : quare cum Genuenſes ac Veneti mutuis imbuci odiis [1] alternæque potentiæ æmuli, Chriſtianam rem bellis continuis admodum affligerent, utrique populo Bonifacius inducias apoſtolica auctoritate indixit (*a*), utque oratores ad ſe componendi fœderis gratia mitterent, ſolicitavit. Extant etiam aliæ (*b*) ad Venetos datæ, quibus rogavit, ut compromiſſo publico cauſæ ſuæ jura pro concilianda illos inter ac Genuenſes pace ſedi Apoſtolicæ permitterent. Paruere pontificiis monitis Veneti; quorum pietatem Pontifex collaudavit (*c*): ſed Genuenſes, rerum gerendarum ſpe elati, claſſem ingentem in Venetos conflavere. Ne ergo Venetis ipſorum pietas detrimento verteretur, permiſit Bonifacius (*d*), ut repellendo hoſti ſe compararent, atque ideo editam antea legem remiſit.

(*a*) *Lib. 1. ep. cur. 117.*

(*b*) *Ib. ep. cur. 88.*

(*c*) *Ep. 118. & ep. 158.*

(*d*) *Ep. 127.*

Duci, conſilio, & communi Venetorum.

Magnum ex eo rei Chriſtianæ illatum exitium.

Quam gravis & diſpendioſa exorta inter vos & Genuenſes poſſit eſſe turbatio, quantaque corporum & animarum hinc inde pericula inducere turbatio ipſa valeret, quibus etiam Terra ſancta proinde læſionibus per ſperati ſubtractionem auxilii torqueretur, diligenti meditatione penſantes; & cupientes diſſidentibus filiis paterni cura præſidii, providere treuguas inter vos & ipſos uſque ad feſtum nativitatis B. Joannis Baptiſtæ futurum proxime ſub certa pœna per alias noſtras ſub certa forma literas duximus indicendas. Verum commoveri cogimur, nec indigne turbamur, quod cum ambaſiatores veſtri ſuper tractatu pacis & concordiæ, inter vos & Genuenſes ipſos in noſtris manibus reformandæ, devote ac reverenter exhibuerint noſtro beneplacito ſe paratos, ambaſiatores Genuenſium eorumdem, aſſerentes certum ſuper hoc a præfatis Genuenſibus ſe non habere mandatum parere ſimiliter, ac ſe ad id exponere noluerunt: quinimo Genuenſes ipſi, ut accepimus, congregato magno ſtolio galearum, & marinis incurſibus jam aſſumptis, contra vos progredi hoſtiliter comminantur. Præcavere igitur intendentes, ne hujuſmodi obedientia veſtra nociva vobis quoquo modo reddatur; ac nolentes, ut prædicti Genuenſes de ſua in hac parte ſuperbia glorientur; tenore præſentium declaramus,

Abſtinere armis, & mittere ad pacem concilianda oratores juſſi.

Pontificiis monitis parent Veneti, ac ſe ad pacem propenſos exhibent.

Genuenſes a concordia alieni.

Claſſem in Venetos inſtruunt.

quod ſi, quod abſit, præfati Genuenſes contra vos procederent hoſtiliter, ut minantur, ac treugas hujuſmodi non ſervarent, noſtræ nequaquam intentionis exiſtit per hujuſmodi indictionem treuguarum ac pœnam in eis appoſitam vos arctare, quominus per modos juſtos, & licitos vos defendere valeatis contra Genuenſes ipſos, treuguas hujuſmodi non ſervantes. Dat. Anagniæ id. auguſti anno 1.

Denuntiat Venetis Bonifacius ut ſe in Genuenſes comparent.

Exciviſſe ad ſedem Apoſtolicam Pontificem Venetum & Genuenſem antiſtites, ut concordiæ rationes inirentur, refert Bizarrus (*e*); ſed irrito conatu. Senſere vero mox Genuenſes Dei iras ob ipſius vicarii ſpreta conſilia, eorumque potentia ſenſim defloruit, ut narrat Joannes Villanus (*f*). Cum enim claſſem florentiſſimam inſigni triremium ac navium numero conflatam inſtruxiſſent, Meſſanam prætervecti, ut Venetias invaderent, mutuis diſſenſionibus inter ſe ſubortis, Genuam repetere coacti, magno furore die noctuque ſe invicem contrucidare cœperunt, injectæ tectis faces, partem urbis littori objectam ac plura magnifica palatia abſumpſere. Ita qui pacem adeo Chriſtiano orbi neceſſariam, reſpuerant, mutuis funeribus ſe confecere (*g*). Demum cum furor ille paululum ſe fregiſſet, fallaces inducias pepigere : qui enim Auriæ & Spinolarum factionis erant, pluribus ex Liguria & Inſubria in ſuum auxilium excitis, Grimaldos demum Guelphoſque alios urbe pepulerunt.

(*e*) *Bizar. de bello Veneto l. 1.*

Divina in Genuenſes ultio ob ſpreta pontificia monita.

(*f*) *Jo. Vill. l. 8. c. 14.*

Eorum claſſis nulla re geſta diſſoluta.

Nec Genuenſes modo ac Veneti inter ſeſe diſſidebant, verum laborabant quoque gravioribus diſſenſionibus Flaminiæ populi, eccleſiæ Romanæ clientes : ad quas componendas Rizardus Ferentinus miſſus (*h*), juſſuſque eſt (*i*), cenſuris ſolvere ſequaces Guidonis comitis Montiſeretri, qui diu cum eccleſia bellum geſſerat, atque in defectionem plures urbes & oppida traxerat, Cæleſtino autem V. ad pontificatum evecto, ſupplex ad eum confugerat, ac ſacramento præſtito, datiſque cautionibus in gratiam, ut vidimus (*k*), reſtitutus fuerat : cui Bonifacius, cum illius ambigua eſſet fides, imperavit (*l*) ne Forolivii, Cæſenæ, aliorumque locorum, quæ ab Apoſtolica ſede creandorum magiſtratuum auctoritate dejecta fuerant, adminiſtrationem ſuſciperet. Flagrabat etiam inteſtino bello Inſubria : Joannes enim Montiſerrati marchio Terdonenſes, Papienſes, Alexandrinos, alioſque populos, ſocietate armorum conjunctos, continuis præliis laceſſebat. Ut ergo Bonifacius tot malis mederetur, Raynerium eo legatum miſit (*a*), qui imperaret (*b*) inducias, & adverſas partes inter ſeſe conciliaret, quibus præciperet, ut oratores ad ſedem Apoſtolicam mitterent ad controverſiam non furore, ſed jure decidendam. Imperatumque etiam Mediolanenſibus fuit (*c*), ut indictas inducias obſervarent.

(*h*) *Bonif. l. 1. ep. cur. 41.*

(*i*) *Ib. ep. cur. 40.*

Turbæ in Flaminia exortæ.

(*k*) *A. C. 1294. n. 15.*

Ut Guido Montiſeretri comes ad Cæleſtini obſequium procubuerit.

(*l*) *Eod. l. 1. ep. cur. 145.*

Montiſerrati marchio cum Papien. & Alexandrinis bellum gerit.

(*a*) *Ep. cur. 85.*

Ambæ partes ad tractandam concordiam mittere oratores juſſæ.

(*b*) *Ep. 86.*

(*c*) *Ep. 87.*

XLI.

Periculoſum inter Anglor. & Francor. Reges eorumque fœderatos bellum.

(*d*) *Jord. MS. Vat. ſign. n. 1960.*

(*e*) *Thom. Walſing. Ypodig. Neuſtria Paul. Æmil. in Phil. & alii.*

Ad illud ſapiendum Bonifacius Albanen. & Prænеſtin. epiſc. mittit.

(*f*) *Lib. 1. ep. cur. 2. Prol. Luc. hiſt. eccl. l. 24. c. 36. Walſingh. in Eduardo & alii.*

Urebat Bonifacium longe gravior Tranſalpinos Reges in arma proſilientes, ad pacem adducendi cura. Eduardus enim atque Adolphus pellectis ad defectionem nonnullis Belgii principibus, in Philippum Francorum Regem, qui Jacobum Aragonium in ſocietatem traxerat, conjurarant : Gallica vero arma in Aquitaniam verſa ſunt, cum Regis Francorum, Eduardum judicio poſtulantis, edictum exeunte ſuperiori anno promulgatum, ſpretum fuiſſet, ut refert Jordanus (*d*): *Contempto*, inquit, *mandato, Rex Franciæ per ſuum conſtabularium fecit in manu ſua totam ſaiſire Vaſconiam, ad regni ſui feuda pertinentem, & Regem Angliæ ad ſuum parlamentum citavit. Interea Joannes comes Annoniæ cœpit vaſtare terras, & gentes Regis Franciæ, nec correptus deſiſtere voluit. Unde Rex miſit Carolum comitem Valeſii, cujus impetum Joannes non ferens, ad eum ſupplex acceſſit, & ad Regem perductus de omnibus ſatisfecit. Eduardus vero citationes perſonales contemnens, miſiſſe dicitur Regi Franciæ, quod ei quitabat quidquid ex ejus feudo tenebat, intendens illud, & alia plura ſine homagio poſſidere.* His conſentanea ab aliis traduntur (*e*). Quæ cum rem Chriſtianam admodum affligerent, Chriſti vicarius ut ardua conſilia in opus perduceret, Berardo Albanenſi & Simoni Prænеſtino epiſcopis Cardinalibus legationis munus impoſuit (*f*), ut ſtudium omne ad conciliandos eos Reges converterent : quos ad facilius implendas partes ſuas ſumma auctoritate ad diſſolvenda quæcumque ſacramenta ac fœdera, paci conficiendæ adverſa, inſtruxit.

Bonifacius, &c.

Ad præfatos Reges continuatis greſſibus vos perſonaliter conferatis, ipſos juxta datam vobis cœlitus gratiam ſolicite inducendo, ac inſtando ferventius apud illos, ut ſuper hujuſmodi negotio, quod Romana eccleſia veluti pia mater ſpecialiter cordi gerit, noſtris & Apoſtolicæ ſedis beneplacitis, quibuſvis obſtaculis omnino ſubductis, efficaciter acquieſcant : voſque ſuper hoc illam vigilantiam, & ſolicitudinem impendere ſtudeatis, ut per veſtræ curioſæ ſolertiæ ſtudium noſtrum in hac parte deſiderium impleatur, ad divini nominis laudem & gloriam, ſtatumque fidelium pacificum & tranquillum; ac vos præter ſupernæ retributionis præmium, vobis proinde proventurum, poſſitis non immerito commendari.

Auctoritate ad diſſolvendas coitiones inſtruit.

Ut autem in hujuſmodi negotio eo utilius & efficacius procedere valeatis, quo majori per nos fueritis in hac parte auctoritate muniti, vobis communiter relaxandi juramenta quælibet ſuper negotio ipſo a quibuſcunque præſtita, nec non confœderationes, colligationes, obligationes, & pactiones quaſcunque ſuper hoc factas penitus diſſolvendi, & removendi obſtacula & impedimenta quæcunque; ac etiam tractandi, ordinandi, ſtatuendi, providendi, diſponendi, paciſcendi, firmandi, & omnia alia & ſingula faciendi, per quæ facilius & celerius negotium ipſum expediri & conſummari valeat, prout & quando videritis expedire; contradictores quoque quoſlibet, & rebelles, cujuſcunque fuerint ordinis, dignitatis, conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus, per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendi concedimus facultatem. Dat. Latenani XII. kal. martii pontificatus noſtri an. 1.

XLII.

Decretæ hujus legationis mentionem facit Weſtmonaſterienſis (*g*), atque hoc anno in Angliam duos Cardinales appuliſſe ſcribit, maximoque honore exceptos a Rege Eduardo, [1] atque in conventu magnifico Weſtmonaſterii, habito nonis auguſti, Eadmundum Regis fratrem ac Joannem Lacy belli exordium expoſuiſſe, & qua ratione Eduardus ſponden-

(*g*) *Vweſt. Flor. hiſt. Ptol. Luc. ubi ſup.*

Profecti in Angl. Cardd. honorifice excepti ab Eduardo.

NOTÆ [1] UT totam hiſtoriam de rebus in Sicilia cum Friderico geſtis diligentius explicemus, ſingulis rebus majoris momenti certæ temporis notæ addendæ ſunt. Igitur die ſabbati Octobris die XXIX. Jacobus jure quod obtinebat in regnum Siciliæ ſe penitus abdicavit. Haud diu poſt colloquium inter Fridericum & Bonifacium interceſſit, quo diſſoluto, Fridericus die XII. Decembris anni hujus Regis Siciliæ titulum & jus ſumpſit, cujus tamen ſolemnis coronatio ad diem XXV. martii anni ſequentis 1296. reſervata fuit. Connubium vero Blancæ filiæ Caroli cum Jacobo celebratum die prima Novembris; ac demum interdictum, cui Siciliæ Regnum univerſum ſuberat ab Archiepiſcopo A. S L. die XXX. Octobris ſublatum fuit. Hæc omnia diſcere licet ex literis ejuſdem Friderici ad Siculos datis relatiſque in Chronico Siciliæ, quod PP. Martene & Durand Anecdot. tom. 3. vulgarunt. MANSI

NOTÆ [1] DE diſſidio Venetorum ac Genuenſium meliora docet qui tunc archiepiſcopum Genuenſem agebat, Jacobus de Varagine hiſt. Januenſ. part. 12. cap. IX. & part. 5. cap. III. ſcribit enim januario menſe anni 1295. pacem ſolemni pactione compoſitam fuiſſe inter utramque Genuenſium factionem, Ghibellinos & Guelfos; quam tamen exeunte anno ipſa Dominici natalis die in novum bellum diſſiluiſſe ita fœvum & crudele, ut in ipſum S. Laurentii templum incenſas tædas injecerint. *Duravit autem ſeditio illa a quinta die poſt natalem Domini uſque ad ſeptimam februarii anni 1296.* Quoad bellum vero Genuenſium & Venetorum ſcribit idem archiepiſcopus, miſſos fuiſſe a Bonifacio legatos, nempe Reginum archiepiſcopum Venetias, Meſſanenſem vero Genuam, ut de pace tractarent : interim vero cum Venetorum patriarcha in aula apud pontificem de rebus eccleſiæ acturus verſaretur, eo accitum fuiſſe pariter & Genuenſem archie-

Solicitatus de pace Eduardus inconsulto Rege Rom. negat iniri posse. Inducias relpuit. Alia Cardinalium postulata eludit.

(a) *Lib.* 1. *ep. cur.* 179. Bonifacius ipsum & alios Reges urget, ut paci animos accommodent.

(b) *Ib. ep. cur.* 170. *& post eand. ep.*

dendi clientelaris officii munus in alium transfudisset; tum flagitantibus Cardinalibus, ut pax conciliaretur, Eduardum ipsum respondisse, non consulto Adolpho Romanorum Rege sibi integram rem non esse: cæterum Cardinales popposcisse inducias, nec eas obtentas fuisse: denique institisse ut interea temporis classis in Gallos non immitteretur; ac petitis pariter frustratos Anglia abscessisse. Non propterea tamen despondit animos Bonifacius, quamvis tot difficultates ingruerent: verum legatis iterum munus injunxit (*a*), ut conventiones ac juramenta, quæ paci adducendæ adversarentur robore carere juberent, ac pœnas non servantibus appositas irritas fore pronuntiarent: censurarum etiam terrorem, ubi necessarium foret, pertinacibus incuterent. Tum repetitis literis apud Adolphum Romanorum, Philippum Gallorum, Eduardum Anglorum Reges institit (*b*), ut ad pacem coeundam exulceratos animos infringerent: indignum penitus, Christianos principes populos mutuis cædibus se obiicere: obscurare ipsos regium nomen, seque Saracenorum, & schismaticorum ludibrio exponere: violari majestatem æterni Numinis, deleri christianam religionem, perire animas, corpora contrucidari, opes exhauriri. Quo argumento insignes sunt datæ ad Eduardum, quibus deplorat (*c*), ipsum Christo consecrata ab ineunte adolescentia arma vertisse in fideles, quo potissime tempore collapsa in Syria religio instauranda esset.

(c) *Post eand. ep.* 170.

Bonifacius &c. charissimo in Christo filio Eduardo Regi Angliæ illustri.

XLIII. Lit. ad Eduard.

Fili, sub fera silentii non possumus, cogente nos intima, qua te prosequimur charitate, quin producamus in medium quæ sequuntur. Suntne ista pietatis opera, quæ tuæ jam senescentis instantia deposcit ætatis? Suntne laudanda studia, quæ tui corporis jam grandævi conditio exigit? Nunquid tibi est in oblivionem deductum, quod ab olim te superni Regis obsequiis deputans, Terræ sanctæ negotium votis ferventibus assumpsisti, nonnullis elapsis jam terminis, in quibus juxta expectationem anxiam, & ferventem affectum crucesignatorum fidelium transitus debuit provenisse regius, ut tuarum potentiam virium in blasphemos nominis Christiani, & recuperationem laudabilem dictæ terræ salubri executione converteres, quæ in necem fidelium, & cultorum fidei orthodoxæ perniciem, non sine propriæ salutis dispendio, niteris exercere? Nimirum si diligenter attenditur, & solicita meditatione pensatur, tuis & dictorum Regum non modicum titulis detrahit, honoribus derogat prælibata dissensio. Quid enim putas obloquitur crucis hostis? Quid catholicæ fidei æmulus nefario sermone disseminat? Quid submurmurat infidelis?

Propositæ illi Saracenorum ludibria.

Profecto nimium displicent quæ dicuntur, pro eo quod te ac Reges eosdem Romana mater ecclesia favoris prærogativa respicit, & singularis amoris privilegio prosequi non desistit: cum nos qui, licet immeriti, Christi vices in terris gerimus, antequam tam armatas tamque terribiles Christianorum acies in stragem fidelium permitteremus irrumpere, si daretur nobis fore possibile, tantorum effectum discriminum libenter curaremus pro viribus personaliter impedire. Cum itaque hujusmodi negotium potissime ac præcipue insideat cordi nostro, ac ejus felicem, & optatum exitum votis ferventibus cupiamus, celsitudinem regiam rogamus, & hortamur attente, ac obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus pro divina & Apostolicæ sedis reverentia, tuæque salutis augmento ad pacificum & tranquillum totius Christianitatis statum, & potissime gentium regiæ magnitudini subjectarum de abundantia clementiæ regalis intendens, & ipsarum periculis benigne compatiens, a quovis hostili processu contra præfatum Regem Franciæ ac regnum ejus, habendo præsertim hoc tempore, ac etiam a quolibet contra eos auxilio, consilio, vel favore quomodolibet impendendo, studeas penitus abstinere: tanto amplius nobis, & Apostolicæ sedi proin placiturus, quanto in hoc nostris, & ipsius beneplacitis promptius & efficacius acquiesces. Dat. Velletri v. *kal. junii anno* 1.

Conjungenda in eos Christiana arma.

XLIV. (*d*) *Eod. ep.* 170. Promittit Adolpho Pont. salva Imperii jura futura.

Perstrictus etiam est Adolphus Romanorum Rex, (*d*) intempestiva movere bella in Gallos, quæ rem Christianam labefactarent: missique ad eum placandum Reginensis archiepiscopus, & episcopus Senensis; nec tuendis Imperii juribus defuturam sedem Apostolicam pollicitus est Bonifacius: *Tu*, inquit, *ea, quæ personam tuam, & Imperium ipsum tangunt, per eos serioſe nobis studeas intimare, ut ex*

NOTÆ chiepiscopum, quibus accesserunt missi a Venetis & Genuensibus legati. Injunxit illis pontifex, ut inducias ad festum usque S. Michaelis servarent, interim de pace tractaturi. Sed nullis demum pontificiis suasionibus induci ad pacem sanciendam potuerunt; quare inducirum tempore elapso Genuenses validam classem emiserunt, quæ cum ad Siculas usque oras navigasset nec Venetos offendisset qui se intra portus suos continuerant, vacua & spe victoriæ destituta Genuam rediit. MANSI

ex eorum relationibus informati plenius & instructi curemus illud super hoc adhibere remedium, per quod ejusdem juri Imperii ad tui honoris & exaltationis augumentum illæsa & integra conserventur. Dat. Velletri x. *kal. junii anno* 1.

Inter hæc Adolphus, missis oratoribus, pluribus verborum officiis studia sua sedi Apostolicæ detulit. Cui, actis gratiis, Pontifex rescripsit, (*a*) ut verba ornaret operibus, pacemque cum Francorum Rege componeret.

(a) *Ib. ep. cur.* 171.

Adolpho Regi Romanorum illustri.

Pluribus verborum officiis suum in ecclesiam Rom. studium explicat Adolph.

Serenitatis tuæ nuntios venerabilem fratrem nostrum H. Brixinensem episcopum, & dilectum filium magistrum L. Præpositum Vvormatiensem, & nobilem virum Gerlacum de Isenburg ad nostram nuper præsentiam destinatos paterna benignitate recepimus; & quæ tam publice, quam private ipsi coram nobis pro parte tua exponere voluerunt, audivimus diligenter. Inter cætera quidem nobis exposita per eosdem filialem obedientiam, devotionem puram, & sinceræ promptitudinem voluntatis, quas geris ad nos, & Romanam ecclesiam matrem tuam, quibus devote obsequi, & obedire gratanter animo ferventi disponis, pro te prudenter offerre curarunt; petentes per nos, & eandem ecclesiam tibi solitum Romanis Regibus exhiberi favorem, & benevolentiam consuetam. Nos igitur, hæc diligenti meditatione pensantes, oblationem hujusmodi tam providam tamque charam gratanter accepimus, eaque in libro memoriæ nostræ conscripta providentiam regiam dignis exinde in Domino laudibus commendamus: & personam tuam prosequi affectu paterno volentes, disponimus tui honoris tuique culminis felicia, in quibus digne poterimus, promovere; tibique nobis & eidem ecclesiæ devotum, obedientem, & promptum filium efficaciter exhibenti, & facienti quæ catholici Romanorum principes antecessores tui ecclesiæ supradictæ devoti, veri advocati, & defensores ipsius, quorum laudabilis est & recolenda memoria, prædecessoribus nostris Pontificibus Romanis, & ecclesiæ prælibatæ fecisse noscuntur, assistere auxiliis & favoribus opportunis. Celsitudinem itaque Regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus in hujusmodi tua laudabili dispositione persistens, quod ore cantas, operibus comprobes, ac nostris & ejusdem ecclesiæ beneplacitis perseveranter felicibus actibus te coaptes; ut ex hoc apud Deum tibi bonorum accrescat cumulus meritorum, nostram & Apostolicæ sedis gratiam uberius consequi merearis, statusque tuus de bono semper in melius augeatur.

Mutuam illi operam pollicetur Bonifacius.

Urget ut verba operibus exornet.

Cæterum præfatum præpositum pro imminenti quodam necessitatis, & publicæ utilitatis articulo ad tuam festinanter duximus præsentiam remittendum, quem juxta votum nostrum expeditum a te ad nos rediturum celeriter expectamus. Ad quod etiam efficaciter obtinendum (ne, quod absit, publica evitanda pericula, gravia fugienda discrimina, quæ verisimiliter formidari possunt, evenire contingat etiam in exaltationis tuæ dispendium & perniciem manifestam) ecce venerabiles fratres nostros Reginum archiepiscopum & .. episcopum Senensem nuncios nostros, viros quidem probos, & discretos, de quorum industria, & circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, ad te duximus destinandos, ad tuam præfatum nobilem præsentiam remittendo, ut ad hæc efficacibus monitis, & ferventibus studiis te inducant: tuque plenius prudenter intelligas, quam desideranter appetimus, quamque ferventer optamus, ut inter te & charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Franciæ illustrem, præsertim hoc tempore, actus omnino vitentur bellici, & processus penitus fugiantur hostiles. Actore quidem pacis nobis auxiliante benignius, sub ipsius disponimus laborare fiducia, & indesinenter adhibere remedia, quibus ad Dei laudem, sæpefatæ honorem ecclesiæ, tuam & dicti Regis exaltationem & gloriam, ac prosperum statum orbis, exortæ hinc inde discordiæ pacifica & salubri terminatione quiescant. Dat. Anagniæ v. *kal. julii anno* 1.

Pacem cum Rege Franc. componat.

Extant etiam gravissimæ aliæ Bonifacii ad Adolphum literæ, (*b*) quibus eum paterne objurgat, a majorum gloria defecisse, illumque bellum ex levissimis causis enatum commovisse magis, atque asperasse; cum tamen ad pacem orbi Christiano afferendam electus esset, quodque maximum ipsi deducus inureret, ad movendum Christiano principi bellum mercede conductum fuisse. Deponeret suscepta in Galliarum Regem perversa consilia, nec aliquid in iis Christianæ reipublicæ angustiis, novaret; cum ex eo maxime dignitatis suæ incrementa labefactaret, sedisque Apostolicæ studia abalienaret.

XLV. Arguit Adolphum Bonif. temere se bello implicuisse. (*b*) *Eod. l.* 1. *ep. cur.* 175.

Adolpho Regi Romanorum illustri.

Paternis te, fili, verbis alloquimur, & quæ cordis in utero gerimus, tibi sinceris affectibus reseramus. Pridem siquidem nostræ consecrationis solemnitis celebratis, credulitas nobis suggerebat indubia, ut tu prædecessorum tuorum Romanorum Regum, qui erga Romanam ecclesiam sinceræ devotionis affectu, & zelo filialis reverentiæ claruerunt, laudanda vestigia imitans, solemnes ad nostram præsentiam nuncios destinares, qui & electionis de te factæ notitiam ad Apostolicam sedem deferrent, & ab ea favorem solitum & tuorum directionem processuum postularent, ac alia etiam in actu producerent, & ipsi sedi efficaciter exhiberent, quæ a Romanis Regibus exhi-

A majorum gloria discessisse.

hiberi solent, & fieri a retroactis temporibus ante susceptum Imperii diadema. Sed qualiter in hac parte te gesseris, qualiter prædecessores eosdem usque nunc secutus fueris, non ignoras: de quo tanta potioris admirationis nobis causa suboritur, quanto personam tuam claris titulis insignitam fama celebris publicat, & fidedignorum assertio profitetur. Suntne ista, fili, tuæ magnitudinis laudanda principia? Sunt invitatoria & provocatoria Romanæ ecclesiæ ad tuum negotium feliciter promovendum? Nam cum ad procurandam totius Christianitatis pacem & quietem electus existas, & quasi a Domino evocatus, tu in hujusmodi tuis initiis ad mundi turbationem & bella in Christianos principesque catholicos potenter te præparas, pro viribus te accingis, tuosque conatus non sine multæ instantiæ tuæ derogationis excrescs. Nunquid decet tantum & tam potentem principem, ut tamquam simplex miles sub colore mercedis cujuslibet ad actus bellicos inducaris? Hæc profecto idcirco producuntur in medium, quia tui honoris & famæ ac exaltationis diligimus incrementum.

Adepto regno christianum orbem in tumultus conicere aggressum.

Cum autem personam regiam specialis prærogativa favoris patris more benevoli diligamus, celsitudinem regiam rogamus & hortamur attente, paterno & salubri consilio suadentes, quatenus mentis oculis erectis ad Dominum, per quem Reges regnant, & principes dominantur, adversus charissimum in Christo filium nostrum Philippum Franciæ Regem illustrem nullam hostilem, præsertim hoc tempore, facias novitatem, sicut per alias nostras patentes literas tibi serius scribimus; nec tam periculosas & arduas persecutiones assumas, quæ tui perfectionem honoris, & culminis impedirent: quin potius sic te prudenter & provide in iis & aliis gerere studeas, ut crescas exinde meritis apud Deum, tuus status altius sublimetur, & præter humanæ laudis præconium Apostolicæ sedis favorem & gratiam uberius merearis. Dat. Anagniæ v. *kalen. julii anno* I.

Indigne ab Eduardo accepisse stipendia.

Denuntiat, ni cœptis abstineat, imperialia insignia non adepturum.

XLVI. Adjectæ aliæ ad Dyterium (*a*) Dominicani instituti religiosum virum, auctoritate apud Adolphum florentem, ut ipsum ad amplectenda pacis consilia flecteret: pariterque ad Maguntinum archiepiscopum, ut a cœptis Regem abduceret & si armis temperare renueret, nullis auxiliis juvaret, ac similiter alios ab iis exhibendis avocaret. Quo vero legati provinciam sibi impositam facilius exequerentur, ad conciliandam iis auctoritatem Bonifacius præsulibus virisque religiosis scripsit, (*b*) ut debitis honoribus ipsos prosequerentur, denuntiavitque, sedem Apostolicam sententiam, quam illi juste in pervicaces ferrent, ratam habituram. Qui vero consecuti sint exitus, ex auctoribus accipiamus. Comparasse quidem Adolphum ingentes copias ad Gallias invadendas tradunt (*c*): verum is apparatus dissolutus, dissipataque illius copiæ, quod facile ob indictas a Bonifacio inducias contingere potuit. Extant enim Pontificæ literæ, quibus Reginensis archiepiscopus atque episcopus Senensis jussi (*d*) sunt, inflictis gravissimis censuris Christianos principes adigere, ut ab armis temperarent, cum id bellum in totius Christianæ reipubliçæ perniciem verteretur.

(*a*) *Ibid. ep. cur.* 176. Maguntinus arch. Adolphum armis juvare vetitus.

(*b*) *Ep.* 173.

(*c*) *Chron. Dom. Colm. Eberard. in annal. S. Anton.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 8. §. 7. Adolphi copiæ re infecta dissolutæ.

(*d*) *Lib.* I. *ep. cur.* 172.

Venerabilibus fratribus.... archiepiscopo Reginensi & episcopo Senensi.

Cum nuper inter charissimos in Christo filios nostros Adolphum Romanorum, Philippum Franciæ, ac Eduardum Angliæ Reges illustres treuguas ab instanti festo nativitatis B. Joannis Baptistæ proximo venturo usque ad annum unum completum sub certa pœna duxerimus indicendas, prout in apostolicis literis inde confectis plenius continetur; vosque ad eundem Alemanniæ Regem & ad partes illas certis vobis commissis negotiis destinemus; vobis & vestrum cuilibet, faciendi per idem tempus juxta formam literarum earumdem treuguas hujusmodi observari, & contradictores ad id per censuram ecclesiasticam, & alias spiritualiter & temporaliter, prout expedire videritis, appellatione postposita compescendi; non obstante juramento de recuperandis & manutenendis bonis & juribus Imperii, per eundem Regem Romanorum præstito, & quibuscumque pactis & conventionibus inter quoscunque initis, etiam juramentorum, obligationum, pœnarum, & quarumcumque firmitatum adjectione vallatis; seu si aliquibus personis ecclesiasticis vel secularibus cujuscumque ordinis, præeminentiæ, conditionis, sive status etiam si pontificali vel regali præfulgeant dignitate, a sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, aut eorum terræ supponi ecclesiastico interdicto; & qualibet alia præfatæ sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam, præsentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri; plenam, & liberam auctoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Anagniæ x. *kal. julii anno* I.

XLVII. Spectabant eo Pontificis consilia, ut occidentalibus principibus, arctissimo fœdere conjunctis, Christianorum arma ad Christi nomen ab opprobrio gentilium vindicandum, delendam Mahumetis superstitionem, ac religionem & cultum veri Numinis amplificandum verterentur; Syriaque Christi vestigiis nobilitata, ac tot fide-

fidelium sanguine imbuta ipsius Christi imperio adjungeretur. Hic vero percurrenda sunt, quæ hoc anno ad illas regiones pertineant. Cum res Asiatica non leves clades ab iis acciperet, qui quæstus cupiditate obcæcati armorum subsidia naviumve Saracenis afferebant, Bonifacius gravissimas pœnas in perversos hujusmodi Christianos, qui equos, arma, naves, triremes, ac ligna iis pangendis idonea adducerent; quive in torquendis machinis; exercenda piratica, aliisve, quibus res Christiana lædereturr, operam navarent, fulminavit; (*a*) incussasque a Nicolao IV. atque utroque concilio Lugdunensi renovavit; criminum nexu absolvi vetuit, ni adeo flagitiose partas opes redderent, corpora servituti supposita, atque iisdem pœnis subjecti, qui e portubus merces hujusmodi exire sinerent, consentirentve. Imperatum archiepiscopis atque episcopis, ut magistratus ad hæc in legum suarum codicem referenda adducerent; adjecitque ut fideles ad hujusmodi improbos homines capiendos incumberent, atque ipsa facti infamia dictis pœnis rei astricti essent.

Renovatæ a Bonifacio in merces vetitas Saracenis inferentes censuræ.

(*a*) *Ep. cur.* 83.

Longe aberat ab iis Christiani nominis nefandis proditoribus Alfonsus Tariffæ præfectus Hispanus, (*b*) cujus filius unicus a Saracenis Africanis captus, cum pro muro ostentaretur in oculis patris jugulandus, ni arx dederetur, negavit constans pater admissurum scelus, ne si centum quidem filii jugulandi essent: & gladio projecto muro, ad prandium interritus abiit. Inde cum Joannes Castellæ Regis frater, qui Saracenis copiis a Marrochitano Rege acceptis præerat, puerum trucidari jussisset, excitato ingenti militum non ferentium scelus ululatu, prosiliit e mensa ad arma Alfonsus, ratus ab hoste impetum in urbem imprimi: cognitaque causa, filii nimirum cæde, nulla turbati animi significatione data, ad uxorem & prandium rediit. At barbari cum reputarent bellum cum eo agi, qui morte filii non flecteretur, ut officio discederet, fracti animis, ac victoria desperata, in Africam redierunt. Sed ad institutam de orientalibus rebus orationem, a qua nos tanti heroi virtutis admiratio abduxit, redeamus.

(*b*) *Marian. l.* 14. *c.* 16. Alfonsus Tariffæ præfectus filium prius jugulari patitur, quam arcem Mauris dedat.

XLVIII. Præfecit Bonifacius Landulphum Hierosolymitanæ ecclesiæ, (*c*) eumque Syris, Armeniæ, & Cypri Regibus commendavit (*d*). Eidem vero Cyprio Regi nonnulla apostolica beneficia contulit, (*e*) ut duos scilicet Dominicani ac Franciscani (*f*) institutos religiosos viros ad alendam pietatem in aula haberet; hæc enim ad fratrum in ea provincia magistrum scripsit (*g*): *Nos, ejusdem Regis precibus benignum impertientes assensum, concedimus facultatem assumendi duos ex fratribus tui ordinis, quod idem Rex maluerit, eosque ad sua obsequia retinendi, quorum in iis, quæ Dei sunt, solatio perfruatur; contrariis ejusdem ordinis consuetudinibus vel statutis, nec non privilegiis nequaquam obstantibus. Dat. Laterani* VI. *id. martii anno* I. Concessit etiam eidem Regi ut sacris interdicto regno, modo occasionem vibrandis censuris non moviset, divinis interesse posse: *Tuis devotis supplicationibus inclinati auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut cum generale fuerit in terra interdictum, liceat tibi matri, & fratribus tuis in capella propria, excommunicatis & interdictis exclusis, non pulsatis campanis, clausis januis, & voce submissa divinis officiis interesse, ac ea tibi & eisdem matri & fratribus tuis per capellanum proprium facere celebrari, dummodo causam non dederitis interdicto, nec id vobis contingat specialiter interdici. Dat. Later.* VI. *id. martii anno* I.

(*c*) *Lib.* I. *ep.* 113.

(*d*) *Reg. post eand. ep.*

(*e*) *Ep.* 51.

(*f*) *Reg. post eand. ep.*

(*g*) *Ead. ep.* 51.

Permittit Regi Cypri Bonif. ut in aula religiosos viros detineat.

XLIX. In Perside, quæ Tartarorum ditioni parebat, religio Christiana gravissimam cladem accepit. Cassanus enim, ut tradit Jo. Villanus (*h*), Argonis filius Saracenorum opibus precibusque corruptus in Baidonem Chamum patruum Christianorum amantissimum conjuravit; conflatoque florentissimo exercitu, ipsum prælio commisso fudit, occiditque; ac Perside potitus Saracenos fovit, & Christianos attrivit. Sed mutato postea animo, rem Christianam auxit: quibus consentanea a S. Antonino (*i*), Sanuto (*k*) & Aytono (*l*) traduntur, cujus postremi, ut fide dignissimi, verba quamvis in annorum numerum error, ut interdum alias facile irrepserit, repetenda visa sunt: *Post mortem*, inquit, *Regayto Baydo tenuit dominium Tartarorum. Iste Baydo tamquam bonus Christianus reædificavit ecclesias Christianorum, & præcepit quod nullus auderet dogmata Mahumeti inter Tartaros prædicare: & quia multiplicati erant illi, qui sectam tenebant perfidi Mahumeti, moleste tulerunt mandatum Baydi; & ideo occulte miserunt nuncios ad Casanum, qui fuit filius Argoni, & promiserunt sibi dare dominium quod Baydo tenebat, & ipsum constituere dominum super eos, si vellet renunciare fidei Christianæ. Casanus vero, qui parum curabat de fide, & qui dominium plurimum affectabat, promisit facere quidquid vellent, & propter hoc Casanus fuit rebellis effectus. Baydo vero congregavit gentem suam, intendens Casanum capere & tenere: proditionem enim, quam gens sua sibi fecerat, ignorabat. Cumque ad campum belli veniissent, ecce omnes illi, qui sectæ adhæserant Mahumeti, relinquentes Baydo fugerunt ad Casanum. Baydo quoque, videns se ab omnibus derelictum fugam arripuit, credens evadere: sed perse-*

Cassanus a Saracenis subornatus, patruum Baydonem necat.

(*h*) *Jo. Vill. l.* 8. *c.* 15.

(*i*) *S. Anton.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 8. §. 8.

(*k*) *Sanut. l.* 3. *p.* 13. *c.* 8.

(*l*) *Ayton. hist. Orien. c.* 40.

sequentibus inimicis fugiendo interiit. Addit Cassanum firmato solio Christianos tutatum; ac religionem inter Tartaros illius studiis ac patrocinio amplificatam:

(a) Eod. lib. c. 4. *Post* (*a*) *mortem Baydo, Casanus fuit factus dominus Tartarorum. Initio sui dominii non audebat contraire his, quæ promiserat illis, qui eum in dominio posuerunt, qui Mahumeti sequebantur legem & sectam, & ideo austerum se ostendit nimium Christianis; sed postquam in sede dominii firmus fuit, cœpit honorare & diligere Christianos, multa fecit in vita sua ad commodum Christianorum, &c.* Ut porro egregius princeps bellum susceperit in Saracenos, cum quo occidentales Reges, dum mutua exercebant odia, jungere arma magno religionis damno prætermiserint, inferius dicetur. Nunc de Pontificio in tuenda libertate ecclesiastica zelo sermonem instituamus.

L. Decrevit Bonifacius (*b*) ad Danorum Regem legationem, qua Ysarnus archipresbyter Carcassonensis functus est, ut archiepiscopum Lundensem Sueciæ primatem, calumniis apud Regem circumventum, adductumque in odium e vinculis, in quæ conjectus fuerat, liberaret. De quo ad Regem Danorum subjectæ literæ datæ sunt (*c*).

(b) Lib. 1. ep. 360.

(c) Ib. ep. 358. 359.

Regi Daniæ illustri spiritum consilii sanioris.

(d) Ep. 358. Dania civili bello ardet. *Pulsat* (*d*) *instanter ad ostium cordis nostri, mentemque solicitat paternæ dilectionis affectus, quo personam regiam in Christo prosequimur, ut circa tuum tuique regni statum (quem, proh dolor! pacis æmulo superseminante zizaniam, jam ab olim periculis expositum, convulsum dissidiis, dispendiis conquassatum, & multiplicis nubilo turbationis obductum audivimus) solicite cogitemus, ad ejus reformationem celerem vigilantibus studiis intendentes. Scimus etenim, & facti evidentia innuit, quod dissensionum & turbationum turbine ingruente, pacis Actor non colitur, ut debetur, animarum salus negligitur, pietatis studia evanescunt. Quinimo scelestis non parcitur actibus, patrantur horrenda, nefanda repullulant, facinora committuntur, insurgunt lites, odia invalescunt.*

*Hinc profecto, fili, hinc proculdubio nosci*tur contigisse, *quod serenitas regia pravis, ut creditur, stimulata susurris, & mendaciis provocata suasibus perversorum, qui mala malis adicere satagunt, & in aliorum dispendium labia relaxare maliloqua non verentur, venerabilem fratrem nostrum Joannem Lundensem archiepiscopum, Sueciæ primatem, Christi ministrum idoneum, & magnum Ecclesiæ Dei membrum jamdiu, prout asseritur, capi fecit, qui adhuc carceralibus vinculis detinetur adstrictus, non sine multa divinæ Majestatis offensa, sedis Apostolicæ contemptu non modico, & gravi præjudicio ecclesiasticæ libertatis. Revera si diligenti consideratione discutias, si regalis sublimitas attentius perscrutetur, ab hujusmodi captionis effectu penitus extitit abstinendum, cum & illa regiis admodum titulis derogaverit, ac indigna & indecens archiepiscopi memorati detentio hujusmodi instantiam derogationis augumentet.*

Joannes Lunden. archiep. a Rege Danor. in vincula conjectus.

Cum itaque coepiscoporum nostrorum injuriæ, vel offensæ nostris quamplurimum molestæ reddantur affectibus, & propterea hujusmodi negotium cordi specialiter habeamus, celsitudinem regiam rogamus, & hortamur attente, ac obsecramus in Domino Jesu Christo per apostolica scripta tibi districte præcipiendo mandantes, quatenus solerter attendens, quod in detentione archiepiscopi prælibati Rex gloriæ, per quem regnas, vehementer offenditur, graviter perturbatur Ecclesia, regiis derogatur præconiis, tuæ saluti præjudicatur, fidelibus scandalum generatur; præfatum archiepiscopum ob divinam & sedis reverentiam supradictæ, sublato cujuslibet difficultatis objectu, benigne restituas pristinæ libertati; eum ad nostram præsentiam una cum dilecto filio Isarno archipresbytero Carcassonensi capellano & nuntio nostro, latore præsentium, quem pro jam dicto negotio specialiter destinamus, accedere libere permissurus. Spes enim nobis indubia suggerit, & firma credulitas repromittit, quod regalis benignitas sicut in hac parte nostræ obtemperabit instantiæ, sic efficaciter annuet votis nostris, quod præter supernæ retributionis præmium tibi proinde proventurum, nos ad ea, quæ regiis beneplacitis, consonent constituemur, nec immerito, promptiores.

LI. Solvi eum vinculis jubet Bonifacius.

Cæterum volumus, quod tuos solemnes nuntios informatos plenius & instructos, ut expedit, de statu, & conditionibus dicti regni, ad nos quantocyus mittere non omittas, ut nos, per eorum circumspectam prudentiam recepta informatione ac instructione plenaria præmissorum, sic super hoc providere salubriter & utiliter valeamus, & magnitudini regiæ, nec non prælatis, magnatibus, cæterisque in regno degentibus memorato pacifici status & stabilis læta serenitas illucescat. Dat. Anagniæ x. kal. septembris anno 1.

Missus ea de causa nuntius in Daniam.

LII. (c) Ib. ep. 162. Apamiæ a Rogerio Fuxensi comite occupatæ.

Asserendi pariter juris ecclesiastici studio institit apud Francorum Regem, (*e*) ut Apamias, quæ ad abbatis S. Antonini ditionem spectabant, a Fuxensi comite restitui juberet. Cum vero atrocia dein dissidia Pontificem inter ac Regem emerserint ex hac occasione, adducendæ Bonifacii literæ visæ sunt.

Bonifacius &c. Philippo Regi Franciæ illustri.

Olim, prout notitiam regiam latere non cre-

credimus, felicis recordationis Clemens Papa IV. prædecessor noster ad conservationem villæ Appamiarum benigne intendens, prout ad suum pertinebat officium, recolendæ memoriæ Ludovicum Regem Franciæ avum tuum per suas rogavit literas speciales, ut villam ipsam ad honorem Romanæ ecclesiæ sub sua custodia & defensione reciperet, nonnullis propterea eidem reditibus assignatis, qui sicut asseritur, in ipsius prædecessoris literis exprimuntur. Præfatus autem Ludovicus precibus ipsius prædecessoris obtemperans, prædictam villam sub tutela custodiæ regalis commisit dilecto filio B. abbati monasterii S. Antonini ejusdem loci, cui villa ipsa in temporalibus subjecta dignoscitur, per literas regias promittendo, quod elapso ejusdem custodiæ tempore, in ipsis literis comprehenso prædictam villam in ea libertate, & quasi possessione dimitteret, in qua erat monasterium supradictum eo tempore, quo super hoc ab eodem prædecessore recepit literas prælibatas, prout in eisdem literis regiis plenius & seriosius continetur.

Ut a Clement. IV. ea civitas Ludovici clientelæ commissa fuerit.

LIII. Mortuo S. Lud. Philippus Audax patrocinium illius accepe-rit.

Simili quoque modo claræ memoriæ Philippus Rex Franciæ pater tuus post ejusdem Ludovici decessum custodiam recepit eamdem, sicut ejus super hoc confectæ literæ profitentur; tuque post ejusdem patris tui obitum custodiam recepisti prædictam; sed non in ea libertate, quam præfati avus & pater promiserant, dimisisti. Quinimo ad instantiam nobilis viri Rogerii comitis Fuxi, manifesti & antiqui persecutoris abbatis & monasterii prædictorum, quasdam literas regias senescallo tuo in Carcassonensibus constituto partibus direxisti, quarum occasione, seu auctoritate præfatus comes villam ipsam ingrediens, & ea inibi quæ sunt hostilis detentionis exercens, ab ejusdem abbatis officialibus deputatis ibidem nomine universitatis ipsius villæ fidelitatis juramenta recepit, alia in ea enormia & gravia committendo, non sine divinæ majestatis offensa, ecclesiæ Romanæ contemptu, circumpositæ regionis scandalo, & abbatis ac monasterii non modico præjudicio & gravamine prædictorum.

Dimisit illius clientelam Philippus Pulcher, atque a Rogerio comite subiici permisit.

Urget eumdem Bonifacius, ut abbati S. Antonini pristina jura restituat.

Cum itaque talia Deo displiceant, regiis titulis derogent, & redundent in præjudicium ecclesiasticæ libertatis, nosque illa pati æquanimiter non possumus; serenitatem regiam rogamus, & hortamur attente, ac obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus ob divinam & Apostolicæ sedis reverentiam, tuæque salutis augmentum, abbatem & monasterium supradictos habens favorabiliter commendatos, prædictam villam cum omnibus bonis, juribus, & possessionibus monasterii supradicti, ac etiam fructibus, reditibus, & proventionibus perceptis de eis a comite prælibato, facias eidem abbati, vel procuratori suo ejus nomine cum integritate restitui, & etiam assignari, amotis ab ea prædicto comite, ac aliis quibuscumque per eum positis in eadem, &c. Dat. Anagniæ XV. *kal. julii anno* 1. Insignivit Bonifacius (*a*) Apamias episcopalis sedis dignitate, ad quam memoratum abbatem evexit; qua de re hæc vitæ Bonifacii auctor (*b*): *Idem Bonifacius fecit & erexit villam Appamensem in novam civitatem; constituitque ibidem in abbatia S. Antonii canonicorum regularium esse in perpetuo ecclesiam cathedralem, dominum Bernardum Saisseti abbatem instituens primum episcopum in eadem.* Cum vero is jura ecclesiastica in eam urbem contra administrorum regiorum licentiam asserere niteretur, Philippi odia contraxit, a quo atrociter illum exagitatum visuri sumus. Nec modo episcopali sede, verum nova etiam instituta academia Apamiæ a Bonifacio ornatæ fuerint (*c*).

Apamiæ sede episcopali insignitæ.

(a) Ib. ep. 658.

(b) Vit. Bonif. MS. Vatil. bibl. sign. lit. C. n. 25. & n. 79.

(c) Ead. ep. 658.

LIV. Massilienses vetant lege, clericis exteris ulla bona relinqui a civibus posse. Ad eam rescindendam adacti. (d) Ib. ep. 223. Tyroli comes ob eccles. Trid. oppressam defixus anathemate. (e) Ep. 151. 361. (f) Ep. cur. 149. (g) Ep. cur. 148. (b) Ep. 150. Pisani ob violatam eccl. libertatem censuris perculsi. Restituendæ equitum S. Jacobi veteri disciplinæ operam dat Bonif. Privilegium ab eo concessum Hospitalariis. (i) Ib. ep. 150.

Sanxerant per hæc tempora Massilienses, ut nullus clericis, nisi urbi subditis, bona vel inter vivos, vel ex testamento relinquere posset, ut bonis civitatis non potirentur, qui ejus onera subire atque sumptibus publicis contribuere non tenerentur. Sed cum ea lex parum æqua exteris esset, ac libertatem ecclesiasticam labefactaret, Bonifacius Arelatensi archiepiscopo atque episcopo Massiliensi partes dedit, (*d*) ut ipsam rescindi curarent.

At gravius insurgendum illi fuit in Charinthiæ ducem eundemque Tyroli comitem, possessionum ecclesiæ Tridentinæ invasorem, quem meritis censuris solemni ritu perculit, (*e*). Lucanisque magistratibus Lucanam ecclesiam opprimentibus intendit (*f*) judicium; tum episcopum, qui ecclesiæ suæ injurias ignavo silentio dissimularat, sedi Apostolicæ sistere se præcepit. Eodem quo Lucani crimine infecti erant Pisani (*g*) Urbevetanique, in quos pœnas ecclesiasticas intorsit (*b*).

Ad continendam quoque regularem disciplinam nonnulla sanxit. Et quidem cum temporum successio aperuisset ex nonnullis Nicolai IV. statutis gravissima mala pullulasse, quibus ille Lusitaniæ & Algarbii S. Jacobi religiosos equites a supremi magistri auctoritate (exceptis ut ait, visitatione & correctione) exemerat, Bonifacius hujusmodi Nicolai decreta quamvis a Cælestino approbata essent, convulsit, ne exempli pernicies postea in Templarios, Prædicatores, & Minoritas serperet, ac sacros cœtus dissolveret. Hospitalariis vero permisit, (*i*) ut cum gravissimos labores terra marique susciperent, dum pro Christiano nomine arma gerebant, exceptis quadragesima majori ac feria sexta hebdomadæ, vesci carnibus aliisque cibis uti possent.

LV.

Adjungemus superioribus nonnulla, quæ

Constituta duplicia festa. Apost. Evangelist. & doctorum.

Bonifacius ad augendam pietatem instituit, atque in primis sanxisse ut Apostolorum & Evangelistarum tum quatuor doctorum Latinæ ecclesiæ, Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregorii, recurrentibus annis singulis præcipua religionis pompa, & ritu duplici in divinis officiis, memoria recoleretur. [1] Qua de re hæc Jordanus (*a*): *Statuit*, inquit, *festa Apostolorum, Evangelistarum, & quatuor doctorum Ecclesiæ esse duplicia*. Eademque in vita Bonifacii hisce verbis traduntur (*b*): *Bonifacius pontificatus sui anno primo, anno Domini MCCXCV. statuit festa Apostolorum, & quatuor Evangelistarum, ac quatuor doctorum, videlicet Gregorii, Augustini, Ambrosii, & Hieronymi sub honore festi duplici ab omnibus celebrari*. Extat de his in formulario Marini Ebuli, (*c*) & majori parte in libro sexto decretalium (*d*) subjectum diploma, quod annalibus ob rei dignitatem inserimus. [2]

(*a*) *Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.*
(*b*) *Vit. Bonif. MS. Vall. sign. lit. C. n. 25. & n. 79. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 36. & alii.*
(*c*) *Formul. Mar. Ebuli p. 217. n. 2118.*
(*d*) *Cap. Gloriosus de reliquiis & venerat. sanctor. in 6.*

Bonifacius VIII. episcopus, &c. venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Remensi & ejus suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem.

Licet universos in regnis cœlestibus constitutos studiis honorare solicitis, & sonoris efferre præconiis non desistat (nempe Ecclesia) *gloriosissimos tamen Christianæ fidei principes, athletas Dei electos, justos sæculi judices, lumina vera mundi, videlicet Christi redemptoris Apostolos numero duodeno contentos, qui viventes in carne prædictam ecclesiam suo pretioso sanguine plantaverunt, & ipsam erigendo sublimiter & disciplinis sanctissimis dirigendo, reverendissimos etiam patres viroſque clarissimos quatuor Evangelistas Domini, per quorum diligentissima & fidelissima studia eidem Ecclesiæ sacra Evangelia illuxerunt, egregios quoque ipsius doctores Ecclesiæ beatos Gregorium, qui meritis inclytus sedis Apostolicæ curam gessit, Augustinum & Ambrosium venerandos antistites, ac Hieronymum sacerdotii præditum titulo, eximios confessores, summis attollere vocibus, laudibus præsonare præcipuis & specialibus dicta disposuit Ecclesia honoribus venerari. Horum quippe doctorum prælucida & salutaria documenta prædictam illustrarunt Ecclesiam, decorarunt virtutibus, & moribus informarunt. Per ipsos præterea, quasi luminosas ardentesque lucernas super candelabrum in domo Domini positas, errorum tenebris profligatis, totius corporis Ecclesiæ tamquam sydus irradiat matutinum; eorum etiam fœcunda facundia cœlestis irrigui gratia influente, scripturarum ænigmata referat, solvit nodos, obscura dilucidat, dubiaque declarat. Profundis quoque ac decoris illorum sermonibus ampla ipsius Ecclesiæ fabrica veluti gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia singulari gloriosius sublimata coruscat. Ideoque circumspecta prudentia dictæ sedis, quæ actibus intenta salubribus, & operibus exposita pietatis libenter & solerter exequitur, quæ sunt Dei præmissa solicite digneque considerans, & debita meditatione perlustrans, nuper ad divini nominis honorem & gloriam, exaltationem catholicæ fidei, salutemque fidelium merito censuit, riteque providit Apostolos, Evangelistas, & Confessores eosdem in universali Ecclesia honorificentiæ potioris impen-*

NOTÆ

[1] PTolemæus Lucensis, qui res in ecclesia gestas per hos annos scribebat, decretum illud Bonifacii mandantis ritu festi duplicis coli festa SS. Apostolorum, Evangelistarum, & Latinorum Ecclesiæ Doctorum anno 1297. collocat. Nec falli illum credo; quamquam enim hoc anno 1295. id Pontifex decrevit; atque ad peculiares quasdam ecclesias ea de re scripsit; cujusmodi literas ad Remensem provinciam hoc anno datas hic in annalibus legas; Ecclesiæ tamen universæ servanda hæc tunc primo proposuit, cum decretalium librum, in quo constitutio ea de re habetur, vulgavit. Id vero præstitum anno 1297. satis constat.

Quid vero decreverit ea constitutione sua Bonifacius, diligentius exponendum est. Guillelmus Durandus, qui per hos annos rationale divinorum Officiorum scribebat lib. VII. cap. I. festa per annum omnia distinguit in classes tres; videlicet *duplicia in totum, simpliciter duplicia, & semiduplicia*. Duplicia in totum festa percensens apostolorum nonnisi duo reponit S. Jo. Evangelistæ & SS. Petri & Pauli; inter duplicia minora nihil exhibet quod rem præsentem tangat. Reliquorum Apostolorum & Evangelistarum festa in semiduplicium censum refert. Eo & doctores reiicit. Ex quo intelligas Durandum opus suum ante vulgatam a Bonifacio constitutionem suam, ideſt ante annum 1295. scripsisse. Quod igitur ad id usque neglectum fuerat, ut SS. Apostoli omnes cum Evangelistis & doctoribus majori cultu decorarentur; id demum Bonifacius statuit, edicens ut eorum festa inter duplicia (minora quidem ut censeo) haberentur. MANSI

(*a*) *Mariana, l. 1. c. 16.*

Alfonsus Tariffæ præfectus filium prius jugulari patitur quam arcem Mautis dedat.

[2] IN hoc paragrapho ex annalibus contractis hæc adde *In Hispania &c.* explicuit insigne Christianæ constantiæ exemplum Alfonsus Tariffæ præfectus Hispanus, (*a*) cujus filius unicus a Saracenis Africanis captus, cum ante mœnia ostentaretur in oculis patris jugulandus, ni arx dederetur, negavit constans pater se admissurum scelus, ne si centum quidem filii jugulandi essent: & gladio projecto e muro, ad prandium interritus abiit. Inde cum Joannes Castellæ regis frater, qui Saracenis copiis, a Marrochitano rege acceptis, præerat, puerum trucidari jussisset, excitato ingenti militum non ferentium scelus, ululatu, prosiliit e mensa ad arma Alfonsus, ratus ab hoste impetum in urbe fieri: cognitaque causa, filii nimirum cæde, nulla turbati animi significatione data, ad uxorem & prandium rediit. At barbari cum reputarent bellum cum eo agi, qui morte filii non flecteretur, ut officio discederet, fracti animis, ac victoria desperata in Africam redierunt. MANSI

pendiis attollendos, ut ab ea tanto propensius honorari se sentiant, quanto ipsam præ cæteris excellentius illustrarunt.

LVI. *Nos itaque piis ducti consiliis, dignisque studiis excitati, nonnullos prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, qui speciales devotionis prosequentes affectum aliquorum festa sanctorum sub duplici ordinaverunt officio celebranda, imitari solicite intendentes; eorundem Apostolorum, Evangelistarum, & Confessorum festivitates præcipuas, licet per aliquem prædecessorum ipsorum hactenus fuerit ordinatum, ut ejusdem beati Gregorii simili modo festivitas celebretur; quamquam nulla de hoc testimonium scriptura fidedigna perhibeat, nec alias plenaria innotuerit certitudo: de fratrum nostrorum consilio & assensu sub officio duplici per universas orbis ecclesias volumus, statuimus, præcipimus, & etiam ordinamus annis singulis perpetuis futuris temporibus solemniter celebrari: universitatem vestram rogantes attentius & hortantes, nihilominus vobis per apostolica scripta districtius injungendo, quatenus mentes vestras & animos devote in hoc beneplacitis apostolicis conformantes, & mandatis obedientes humiliter, Apostolorum, Evangelistarum, & Confessorum ipsorum festa prædicta sub ejusdem observatione officii devotis & solemnibus studiis annuatim in vestris ecclesiis celebretis, & faciatis per alias jurisdictioni vestræ subjectas ecclesias celebrari, eam in iis efficaciam & solicitudinem impensuri, ut ipsorum sanctorum suffragia vobis uberius vendicetis, & a benigna illius clementia, qui sibi totaliter reputat exhiberi quicquid ejus famulis erogatur, condigna consequi præmia valeatis, nosque devotionem vestram, quam in hoc promptam cupimus inveniri, plenis in Domino laudibus attollamus. Nulli ergo, &c. Datum Anagniæ XII. kalend. octob. pontificatus nostri anno I.*

Data præfulibus ea de re imperia.

LVII. Judæi insigni miraculo ad fidem provocati.

Hoc anno divinum Numen insigni prodigio, Judæorum pertinaciam infringere atque ad Christianum cultum pellicere miseros voluit: quod quidem majorem admirationem concitat, quo diu ante a Rabinis inter fuæ sectæ homines conspicuis fuerat prænuntiatum. Tantæ rei seriem ex Longino (*a*) repetere placet: *In quarto mense apud Judæos, qui dicitur Chamiz, ultima die ipsius mensis (in qua die prædixerunt Rabini Judæorum, quod Judæi debebant habere signum redemptionis suæ a Deo miraculose factum; ad quorum proclamationem omnes Judæi fecerunt suas pœnitentias in jejuniis multis, cum satisfactionibus, eleemosynis, quasi ad Deum reverse, orantes, ut sibi prædictum signum suæ salutis ostenderet) in quo anno, mense, & die assignatis intraverunt*

(*a*) *Long. hist. Polon. l. 7.*

Conspectum est in eorum vestibus signum crucis.

synagogas suas ad orandum Deum induti syndonibus albis lineis seu sericis, prout est moris apud eos, in die expiationis, scilicet in die decima mensis septimi. Et tunc altissimo Deo cooperante, qui nullum tempus sine bonitatis suæ testimonio reliquit, in syndonibus, quæ servabantur, apparuerunt signa crucis in omnibus, & ubicumque erant, etiam in illis syndonibus, quæ condebantur in suis apothecis. Quo signo viso, multi eorumdem fuere turbati; quorum quidam dicebant, quod hoc fuerat factum diabolica arte, nimirum cum prædecessores eorum de Christo maxima miracula faciente: In Belzebuth eiicit dæmonia; Matthæi nono capitulo, id ipsum dicebant. Nonnulli dubitabant non audentes loqui, nec aliquid circa hoc judicare. Alii vero crediderunt hoc signum fuisse veri Christi crucifixi, & disposuerunt se ad ejus fidem cum baptismo recipiendam. Isti tamen fuerunt pauci juxta illud Hieremiæ capitulo tertio: Assumam vos unum de civitate & duos de cognatione, &c.

Multi ad ad cultum Christi adducti.

LVIII. Collata divinitus Deiparæ ope multa beneficia.

Excitati etiam hoc anno fideles ad Christi & Deiparæ cultum impensiorem pluribus miraculis; ac sacra ædicula in qua Verbum æternum de Virgine humanam induit naturam, sæpius sedes suas divinitus mutavit, demum in eo loco consedit, in quo nunc piorum veneratione exposita patet. Levat nos describendæ rei labore Horatius Tursellinus (*b*) accuratus historiæ Lauretanæ auctor: *Fama*, inquit, *qua nihil talibus in rebus est celerius, ad finitimos populos discurrit, Lauretanam ædem miraculis inclytam ferens. Extemplo igitur, prout sua quemque religio aut necessitas stimulabat, ad nemus accurrere, adducere aut deferre ægros necessitudine aliqua junctos, opem poscere, vota facere cœperunt. Voti eos compotes fuisse, & ipsorum Deo ac Deiparæ grates agentium voces, & votivæ deinde tabellæ, de parietibus vulgo suspense docebant. Facilis quippe ac potens patrona Dei Mater apud Deum erat, quæ & viam impetraturis ostenderet, & ultro opem salutemque supplicibus impetraret.*

(*b*) *Tursel. hist. Laur. l. 1. c. 6. ex Præpos. Toreman. & Hieronym. Angelita.*

Concursus populorum & pius ardor ad Lauretanam ædem.

Porro confluentium populorum religionem commendabat loci solitudo. Nulla tum erat in sylva domus, nullum hospitium, nullum saltem receptaculum, præter arbores, quæ nudatæ per hyemem frondibus tectum peregrinis parum hospitale præbebant. Videres homines, etiam opulentos domi suæ ac delicatos, pernoctare sub dio, quamvis infesta imbribus, frigoribus, nivibus tempestate: populos per contubernia divisos circa sanctissimam ædem super herbam inter arbores vesci, humique cubantes; qua somnum atque quietem capere, qua psalmos hymnosque modulari sine ullo prorsus aut ferarum aut latronum metu: adeo incensa

pietas omnia incommoda periculaque vincebat. At (a) sempiternus humani generis hostis tanto cœlestis Reginæ cultu, tantoque Christianorum bono haudquaquam lætus, effusam Picentium lætitiam, religionemque omni ope disturbare decrevit. Igitur ne convaleſceret pietas populorum priusquam tantum religionis loco esset, quantum futurum apparebat, occupat advenis ac peregrinis inferre bellum. Erat B. Mariæ sacellum in loco devio, ac mari proximo, & frequenti sylva procul que arboribus septo. Adibatur semitis densa inter virgulta, arboresque & plerique inermes ibant, satis sibi præsidii in Virgine loci præside reponentes. Ergo facinorosi quidam projectæque audaciæ homines, non magis prædandi opportunitate illecti, quam ab infernis, ut creditum est, furiis instincti, semitas quæ ad ædem ferebant obsidere, & circa densis obsita virgultis loca in obscuris subsidere insidiis cœperunt. Inde subito exorti venientes peregrinos excipere, adoriri incantos, pecunia vestibusque, & si armis obsisterent, vita quoque spoliare. Itaque brevi totus ille saltus, latrociniis cædibusque infestus atque infamis, absterritis advenis, ad solitudinem est redactus. Jamque obsolescente in dies cultu, sacrosancta ædes evanescebat; cum Deus indignum ratus paratum ab se mortalibus perfugium salutis, inferni hostis scelere in perniciem versum, tutiorem opportunioremque advenis sedem suo Matrisque suæ domicilio delegit.

(a) Cap. 7. ex iisd.

Viæ latronibus infestæ.

Sacra ædicula divinitus locum mutat.

Collis erat leniter acclivis, mille fere passus ab eo loco propius Recinetum, non longe a via militari. Huc igitur sacra domus octavo circiter mense, quam lucum insederat, sublimis auferitur ab Angelis, & in collis fastigio vertice. Possidebant eum collem communiter fratres germani duo Recinetenses concordibus animis, qui cœlesti dono mire læti sanctissimam ædem conjunctis studiis colere cæperunt. Auxit loci mutatio, noviique miraculi fama ut admirationem, sic religionem accolarum æque, advenarumque. Quippe ut Lauretanam ædem locum mutasse, & relicto obnoxio grassatoribus saltu tutum a latronibus opportunum peregrinis occupasse collem, distulit rumor, extemplo finitimis populis ejus revisendæ cupidinem accendit. Proinde sive intermissam latrociniorum metu tanti boni usuram sarcire, sive novam migrationem, quam auribus acceperant, oculis subiicere cupientes, eo summis undique studiis convolant. Horum plerique eandem ædem nuper in sylva coluerant, quam nunc in collis vertice extra sylvam colunt, quo major omnes admiratio & stupor defixos tenebat. Ergo sacellum & veteribus prodigiis, & mutatæ denuo sedis miraculo venerabile certatim accolæ votis vocibusque celebrabant. Grates inde & Deo & Dei Parenti pro se quisque agebant, quod religiosissimam sedem latrociniis violatam non abstulissent alio; sed in tuto colle statuissent, opportuno advenis loco. Porro crescente in dies peregrinorum multitudine, cœpit augeri quotidie celebritas ædis: parietes votivis tabellis, cereis imaginibus, pretiosis vestibus contegi, ara congestis undique donis pecuniaque compleri. Sed aucta sacelli opulentia imminuit religionem eorum, quorum studia maxime augere debuerat. Itaque avaritia breviorem etiam, quam in sylva fecerat, augustissimi sacelli stationem in colle fecit.

LIX.

Erat (b) is collis, ut supra demonstravimus, communis duorum fratrum, qui primo sanctissimum domicilium haud secus, quam par erat, pie ac sancte colebant. Felices si divino munere ad cultum uti, quam abuti ad quæstum maluissent. Cæterum opulentioribus in dies donis religiosissimam ædem cumulari cum viderent, cupido angustos animos vicet, & religionem pietatemque penitus extinxit. Namque hereditatem sibi uterque venisse rati, sacro auro argentoque inhiare primo; inde stimulante avaritia, odio plusquam fraterno inter se dissidere cœperunt. Ad ultimum, dum uterque ad se emolumentum trahit, cum altercatione congressi ab irarum certamine ad arma venere. Itaque haud procul erat quin germani fratres se augustissimamque Deiparæ cellam (adeo nihil sanctum avaritiæ est) fraterno cruore respergerent; cum Deus tantum facinus, sublata facinoris causa, prævertit.

(b) Id. c. 8.

Iterum mutatæ illius sedes.

Ergo non minus fraternæ discordiæ, quam sylvestri latrocinio infensus, maternam domum ad jactum ferme sagittæ ab eo loco in proximum collem versus mare submovit; atque in ipsa via militari, quæ ducit ad portum Recinetensem, locavit a mari millia passum circiter duo. Ita & discordiarum & latrociniorum materies adempta, ac stabilis aliquando ac certa sedes capta. Stetit sacra domus in colle fratrum paucos scilicet menses: constat quippe nondum vertente anno post ejus in Italiam adventum in eo colle, ubi nunc visitur, consedisse. Ita in agro Recinetensi ter intra anni unius spatium sive accolarum vitio, seu potius divino consilio sedem mutavit. Intra quinquennium vero post ejus e Galilea discessum quatuor loca suis vestigiis nobilitavit. Nec tamen mutatis locis religionem mutavit; sed magis magisque auxit. Et infra: Verum enimvero opus fuit ad fidem tam insolito inauditoque antea miraculo affirmandam ejusdem miraculi frequentatio; ut rem per se incredibilem crebra intra paucos annos loci mutatio credibilem faceret. Qui enim ambigerent deinde mortales, an domus illa e Galilæa esset advecta,

Divina providentia ad conciliandam singulari miraculo fidem.

cta, cum eamdem illi ipsi audissent suo ævo ex Illyrico in Picenum migrasse; qui vidissent in ipso Piceno intra spatium vix mille passuum anno nondum circumacto ter mutasse sedem locumque? Incidit quippe tertia hæc & postrema migratio in annum a Christo nato MCCXCV. qui adventum sacræ domus in Italiam est consecutus.

Recru-

I. Petrus S. Mariæ novæ diacon. Card. pacis servator ac legatus creatus.

REcruduere bella inter Christianos principes; quæ pene sopita videbantur, remque Christianam anno a Virginis partu millesimo ducentesimo nonagesimo sexto indictione nona admodum lacerarunt. Nec turbarum expers extitit ditio ecclesiastica, ad quas comprimendas Bonifacius Petrum S. Mariæ novæ diaconum Cardinalem paciarii dignitate auxit, legatumque in Tuscia, Flaminia, marchia Tarvisina, Piceno, Aquilejensi patriarchatu, aliisque circumpositis regionibus creatum summa ad obeundum munus auctoritate, ut subjectum ostendit diploma, (a) decoravit.

(a) Lib. 2. ep. cur. 43.

Bonifacius, &c. Petro S. Mariæ novæ diacono Cardinali Apostolicæ sedis legato.

In quibus Italiæ provinciis.

De te, quem largitor bonorum omnium scientiarum & aliarum virtutum munere decoravit, & cujus magnam in magnis & arduis experti sumus industriam, quique tuæ probitatis intuitu nobis & fratribus nostris charus es quamplurimum & acceptus, indubitatam fiduciam obtinentes; in ejusdem Tusciæ, Bononiensis, Romaniolæ, marchiæ Tarvisinæ, patriarchatus Aquilejensis, totius provinciæ Ravennatis, Ferrariensis, & castallanæ civitatum, & diœcesum, ac Venetiarum nec non Anconitanæ marchiæ partibus constituimus pacis de ipsorum fratrum consilio servatorem, te paciarium in eisdem partibus ordinantes; ut inter quoslibet in ipsis partibus constitutos, quos fœdere pacis videris reformandos, pacem & concordiam reformare & conservare procures. Et ut commissum in hac parte tibi ministerium utilius & commodius exequaris, tam contra pacem facere, jurare, ac firmare nolentes, quam eandem præsumentes infringere; nec non & contra eos, qui in eisdem partibus discordias & scandala seminant, odia suscitant, fovent, & nutriunt; contra illos quoque qui statum pacificum earundem partium, ac hujusmodi paciarii, seu servatoris pacis tibi commissum officium perturbare, vel impedire præsument, pro præsumptione hujusmodi spiritualiter & temporaliter, prout facti suaserit qualitas, & expedire videris procedendi, ac processus tuos executioni mandandi; marchionum insuper comitum, aliorumque magnatum, potestatum, capitaneorum, cæterorumque rectorum, & consiliariorum ac universitatum, & singularium personarum, tam ipsarum partium, quam etiam aliunde ad id quotiens opportunum fuerit auxilium, & potentiam invocandi & contradictores, &c. concedimus facultatem. Dat. Romæ apud S. Petrum V. *kal. maii anno* II.

Instructus adversus obluctantes auctoritate.

II. Fluctuabat Æmilia præ cæteris incerto seditionum æstu, cujus pacandæ solicitus Bonifacius episcopum Papiensem, cui provinciæ curam anno superiori commissam vidimus, omnium ordinum oratores pro tractando firmo fœdere mittere jussit; (b) ac Guidoni montis Feretri comiti, cujus nutu magna provinciæ pars pendebat, hæc imperia dedit: *Cum venerabilem fratrem nostrum episcopum Papiensem pro quibusdam ecclesiæ Romanæ negotiis, statum provinciæ Romaniolæ & regionis circumpositæ contingentibus, destinemus; nostræque intentionis existat, ut quæ sint tranquillitatis & pacis ipsorum provinciæ ac regionum, in quibus procurante inimico humani generis solito superseminantezizania guerrarum turbines, & gravia scandala sunt exorta, solicitis studiis promovere, ac ut celerius & efficacius ad hæc procedere valeamus, tuam & devotorum nobilium & aliarum personarum partium earundem sit nobis præsentia opportuna; nobilitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, infra kal. martii proximo futuras compareas personaliter, coram nobis, ut te ac aliis nobilibus & personis hujusmodi in curia nostra præsentibus, nos per te ac illos de prædictarum partium conditionibus informati, tractare ordinare, disponere, & providere possimus ea, quæ ad vestrum & aliarum ipsarum partium bona, statum, tranquillitatem, & pacem viderimus expedire. Dat. apud S. Petrum* VII. *kal. februarii anno* II.

Ortæ in Æmilia turbæ. Exciti ad eas componendas oratores. (b) Ib. ep. cur. 1.

III. Paruit Pontifici Guido, & ad præterita delenda flagitia, dato rebus humanis repudio, sanctioris vitæ institutis se addicere constituit. Cujus pium consilium collaudavit Bonifacius, viroque religioso qui Anconitanis Franciscanis præerat, præcepit (c), ut in sodalitium suum volentem admitteret: *Dilectus filius nobilis vir Guido comes Montisfeltri, tam per seipsum, quam per fide dignas personas aperiens votum suum, nobis pluries intimare curavit, quod ipse reversus ad cor desiderat & proponit pro diluendis peccatis suis, quibus Deum & Romanam ecclesiam matrem suam offendit, sub religionis habitu finire in Dei servitio dies suos: maxime cum conjugis suæ, prout dicitur, volentis votum emittere perpetuæ castitatis, ad hoc accedat assensus.* Et infra: *Quocirca discretioni tuæ præsentium tenore committimus & mandamus, quatenus ad eundem nobilem te personaliter, si in hujusmodi proposito, sicut credimus, perseverans religionem velit intrare, recipias, & facias in manibus & per manus tuas omnia, quæ circa emissionem votorum & celebrationem divortii prædictorum conjugum, receptionem ipsius Guidonis ad religionem, & prædictorum dispositionem ipsorum mobilium requirentur, & alia, quæ circa id videris facienda, nobis per tuas literas referipturus, &c. Dat. Anagniæ* X. *kalen. augusti pont. nostri anno* II.

Guido Montisferetri comes evocatus ad sedem Apost.

(c) Ex. Apost. lib. apud Vvad. hoc ann. n. 9. ex archivo Anconit. Minor.

S. Francisci institutis se addicit.

Professum esse Franciscanæ disciplinæ formulam, sastumque calcasse, cujus cupiditate tantum sanguinem suderat, Guidonem, refert Ravennatium historia, atque in MS. Friderici comitis Ubaldini traditur his verbis (a): *Guido ex nobilissimis comitibus de Montefeltro strenuus dux bellorum, cum jam declinasset ad senium, anno Domini MCCXCVII. spretis honoribus sæcularibus, induit devotissimi Francisci habitum, in quo terminum vitæ dedit.* Hæc de Guidone e Monteferetro, celeberrimo his temporibus Gibellinorum duce, suffecerint.

(a) MS. Frider. com. Ubald. de viris illustr. in Bonif. & in Guidone.

IV. Pisani in gratiam ecclesiæ revocati.

Cæterum Pisani, qui antea ob concessa illi, dum hostis erat ecclesiæ & censuris defixus, reipublicæ gubernacula sacrorum usu privati fuerant, rediere ad ecclesiæ obsequium: & quo arctiori vinculo se Apostolicæ sedi conjungerent, urbis administrationem Bonifacio contulere, & quatuor millia librarum stipendium pro sustinendis magistratus oneribus dare decreverunt (b). Admisit delatum honorem Pontifex, suasque ad Pisanum rempub. gerendam vices comiti de Colle vallis Elsæ tradidit, ac stipendiaria quatuor librarum Pisanarum millia ea lege attribuit, ut ad servanda Pisanorum statuta sacramento se obligaret, atque ad sustinendam dignitatem quatuor equites socios ascisceret, totidemque judices: duodecim insuper equos aleret, quorum sex ad minimum gravioris armaturæ militem gestare possent.

Præficiunt reip. gubernaculis Bonifacium. (b) Bonif. l. 2. ep. cur. 11.

Suas partes ingerendo eo magistratu demandat Pont. comiti de colle vallis Elsæ.

Tuæ devotionis, & fidei puritatem, qua erga nos & Romanam ecclesiam viguisse diceris & vigere; tuæ quoque probitatis, circumspectionis, & industriæ merita, super quibus apud nos fide dignorum testimonio multipliciter commendaris, benigna consideratione pensantes, dignum duximus, ut personam tuam favoribus, & gratiis honoremus; sperantes, ut quanto favorabilius te a nobis honorari prospexeris, tanto devotius, laudabilius, & utilius quæ tibi committimus, exequaris. Cum itaque antiani, consilium, & commune civitatis Pisanæ ipsius civitatis potestariam & regimen, prout pertinet ad eosdem, nobis duxerint committendum; nos de tuæ fidelitatis, & probitatis industria gerentes in Domino fiduciam specialem, hujusmodi potestariam & regimen pro anno futuro, de mense septembris venturo proxime inchoando usque ad diem alterius mensis septembris ex tunc immediate sequentis, quo regimen inceperis antedictum, cum salario quatuor millium librarum bonorum Pisanorum minutorum a prædicto communi solvendo, præsentium tibi auctoritate committimus; ita quod statuta & brevia, ut moris est, prædicti jurare communis, & quatuor socios milites, & totidem judices, ad duodecim equos, quorum sex ad minus sint ad arma, habere ac tenere tecum propriis sumptibus toto tempore tui regiminis tenearis. Quocirca discretioni tuæ per apostolicas scripta mandamus, quatenus ad præfatam civitatem te congruo tempore personaliter conferens; & diligenter attendens, quod civitatem ipsam, & ejus incolas dilectionis prærogativa prosequimur, & in eorum successibus prosperis delectamur; commissum tibi regimen in eadem sic in iis, quæ ad illud spectare noscuntur, prudenter gerere, ac exercere laudabiliter studeas, quod ex tuæ diligentiæ ac probitatis studio iidem civitas & incolæ votivis amplientur commodis, nosque devotionem tuam commendationis præmio digne prosequi propterea valeamus. Dat. Romæ apud S. Petrum IX. *kal. martii anno* II. Ad dissolvendas vero censuras, quibus erant irretiti, præpositum de Vanza misit, & quingentas marchas quas sarciendæ injuriæ ergo obtulerant, exigere jussit (c).

(c) Ep. cur. 8. & 9.

Quæ attributa illi stipendia.

V. Cum vero anno superiori ad Venetos (d) ac Genuenses (e) ad pacem adducendos diligentem operam navasset, piosque conatus improborum protervia discussisset, ad cœptum opus ardentius hoc anno incubuit Bonifacius, eosdemque Venetos & Genuenses solicitavit, ut oratores ad sedem Apostolicam paciscendi fœderis causa mitterent. Tum adjecta censurarum religione inducias indixit (f): *A die*, Genuenses alloquitur, *præsentationis præsentium usque ad tempus resurrectionis dominicæ proxime futuræ sub pœna excommunicationis in potestatem, capitaneos, abbatem populi, antianos, consilium, & commune, ac singulares personas communitatis vestræ, interdicti in civitatem eandem pœnis & sententiis, quas si secus feceritis, duximus auctoritate præsentium proferendas.*

(d) Ep. cur. 38. (e) Reg. posteand. ep. Ad conciliandos inter se Genuenses & Venetos indictæ induciæ. (f) Ib. ep. 39.

VI. Siculæ res.

Ut porro Bonifacius res Siculas redintegraret, illudque regnum sedis Apostolicæ stipendiarium ad officium revocaret, industriam applicuit. Promulgato, ut vidimus, anno superiori pacis tractatu, Siculi oratores ad Jacobum Aragoniæ Regem decreverant, (g) ut ipsum ab inito fœdere abducerent, quorum princeps ita (h) legationem exposuit: *Si vera fuerant, quæ de renunciatione Siciliæ fama retulerat, scisciatur. Rex, cum respondisset in conspectu omnium, rem sic esse; Cathaldus unus ex nunciis in hæc verba prorupit: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus. Cum dixisset hæc: una omnes qui venerant syndici & comitatus eorum, abscindentes a pectoribus vestes suas, in luctu & lamentationibus Regis atrium compleverunt.* Cum ita ad misericordiam au-

(g) MS. de reb. Sic. p. 47. Sumit. l. 5. annal. c. 13. Fazel. l. 9. post. decad. c. 2. (h) MS. Frider. com. Ubald. l. 2. p. 60.

cu-

cupandam lacerassent vestes, & constantem tamen in susceptо consilio reperissent, postulavere, ut sibi Regem creare liceret, arcesque ipsi datas restitueret, ne hostibus expositi essent. Quibus Jacobus arces redditum iri est pollicitus, verbisque subdolis suasit, ut Fridericum fratrem crearent principem, ut refert Surita (*a*). Reversis itaque oratoribus in Siciliam, omnium ordinum conventus celeberrimi Panormi habiti sunt, & in iis Fridericus insulæ princeps renuntiatus. [1]

(*a*) *Surit. cod. t. 13.* (*b*) *MS. de reb. Sic. p. 28.*

VII. Mulcere nititur Siculos Bonifacius.

Inter novas hasce Siciliæ conversiones Bonifacius, (*b*) ad mulcendos Siculorum animos literas omnibus amoris notis plenas misit, significavitque (*c*) Jacobum Aragonum Regem ex initi fœderis legibus Siciliam sedi Apostolicæ, ad cujus supremum dominium spectabat, restituisse, ac pariter ex Regis Caroli auctoritate illorum administrationem gerere decrevisse, malisque quibus erant immersi eripere: poscerent ergo quem vellent Cardinalem legatum, ipsum se ad eos summa instructum auctoritate ad temperandum optime publicum statum censuraque dissolvendas missurum.

(*c*) *Lib. 2. ep. cur. 164. ext. in arce S. Ang. & inter collect. MS. Platina jussu Sixti IV. edita to. 1. pag. 229.*

Bonifacius &c. universis hominibus Panormi, aliisque per insulam Siciliæ constitutis, spiritum consilii sanioris.

Significat Jacobum restituisse ecclesiæ Siciliæ jura.

Inter cætera tractatus ab Aragonum Rege completa juxta ipsius tractatus seriem insulam Siciliæ, quæ Romanæ ecclesiæ juris & proprietatis existit, cum omnibus juribus & pertinentiis suis præfatus Rex per suas patentes literas nobis & ecclesiæ præfatæ restituit, & ad cautelam nostram & ejusdem ecclesiæ circa hoc se nobis fortius, & firmius obligavit. Et cum fuerit in ipso tractatu, & sit cordi nostro cura præcipua de reparatione status vestri, & securitate plenaria more consulti patrisfamilias, & superioris domini, ad quem spectat præcipue de vobis, sicut de subjectis ecclesiæ, providere ex nostræ præeminentia potestatis, quam habemus sicut superior, obsolefacta corrigere, & liberare confractos ab angustiis, ut quiescant, nec minus ex posse nobis ab eodem Rege Siciliæ tradito; dispositumus firmiter librato judicio tenere vos in manibus nostris, & ejusdem ecclesiæ, & vestro statui animarum, & corporum securitati, & tranquillitati pacis-

Pollicetur ipsos clementer habiturum.

ce, efficaciter, & utiliter providere.

Verum cum populus de facili corruat, ubi deficit gubernator, pro vestra gubernatione utili & humano regimine Cardinalem unum vobis gratum & placidum ad dictam insulam, annuente divina providentia, disponimus destinare: propter quod quis de fratribus nostris per hoc sit vobis acceptus, nobis describite: curabimus enim de ipso vestris affectibus complacere. Et proculdubio redeuntibus vobis ad devotionem sanctæ matris Ecclesiæ sic in vos, qui longe demeriti fuistis ab olim, ubera maternæ dilectionis effundet, ac si prope gratæ devotionis impendiis fuissetis. Peccatorum enim laudanda conversio in cœlis etiam justificatione justorum gratius & jucundius acceptatur, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. *non. januarii anno* I.

Suadet ut Cardinalem legatum ipsis acceptum flagitent.

Alias eodem die ad Fridericum scripsit (*d*), quibus ipsum ad consilia pacis inflectere est conatus, ac primum significavit quid Catharina Constantinopolitana Imperatrix oratoribus, qui de matrimonio cum ipso contrahendo illam interpellarant, respondisset: parum decere connubio conjungi prænobiles adeo personas, si nullam ditionem certam, in qua consisterent, obtinerent: ea vero comparata, dum Græcia recuperaretur, se Pontificis voluntatibus accommodaturam; atque ideo, ne bene cœpta labefactentur, novos legatos se ad rem perficiendam misisse: proinde expectaret tantisper, atque impetus suos refrænaret.

VIII. (*d*) *lib. ep. cur. 162.* Fridericum ut paci tractatæ assentiat, pellicere nititur.

Friderico nato quondam Petri olim Regis Aragonum spiritum consilii sanioris.

De sinu patris in te spargenda semina prodeunt, fructum germinaturæ multiplicem commodi, honoris, & gloriæ, si devotus illa susceperis, & ad susceptionem ipsorum velut agrum purgatum spinis & tribulis paraveris mentem tuam. Nosti quidem, ut credimus, & latendi locum non invenit tantæ veritatis essentia, quod post apostolatus apicem assumptum a nobis, licet immeritis, inter cæteros nostri cordis affectus, fuit ille profundus, & fervens, quod charissimum in Christo filium nostrum Jacobum Aragonum Regem illustrem germanum tuum, tunc in devio positum, & te in umbra mortis sedentes & tenebris, nostra provisio revocaret a lapsu, & pater-

Datæ eo argumento lit.

NOTÆ [1] QUæ toto hoc paragrapho persequitur annalista, de Siculis nempe, qui solemni legatione missa Jacobum scifcitati sunt, utrum in retinendo Siciliæ regno perseveraret; quibus palam respondisse Jacobum se totum regni illius jus ecclesiæ Romanæ restituisse; hæc, inquam, omnia cum referantur in literis Friderici datis anno superiori, die XII. decembris, ut in nota ad annum 1295. 32. animadverti, superiori anno narranda erant. Quid vero responderit Jacobus a Siculis interrogatus de Friderico in literis iisdem exprimitur. *De domino Friderico aliquatenus non rogamus, quia ipse cum miles sit, quod debet agere non ignorat, & vos quid oporteat agere bene scitis.*

Addendum hic censeo errasse Westmonasterienſem apud annalistam hic num. 17. dum asserit Joannem jus regium abdicasse die VIII. id aprilis; nam apud Trivettum recitantur abdicationis hujus patentes literæ signatæ die X. julii. MANSI

terna charitas cum præsidio favoris & gratiæ ad sanctæ matris Ecclesiæ, unde immensus error vos traxerat, reduceret unitatem. Et ut hujusmodi noster affectus votivum consequeretur effectum, monitis exhortationibusque paternis te ad præsentiam nostram perduximus, mutuoque tractavimus, ut charissima in Christo filia nostra Catharina Imperatrix Constantinopolitana cum certis subsidiis faciendis per nos tibi matrimonialiter jungeretur, ad Imperatricem ipsam venerabilem fratrem nostrum G. Anicien sem episcopum, & dilectum filium religiosum virum I. abbatem S. Germani de Pratis, speciales nuncios nostros, destinare curantes, inducturos eamdem ad complementum matrimonii memorati. Quæ per eos proxime redeuntes ad nos super hoc responsum nobis exhibuit, quod cum tu terram non habeas, & ipsa matrimonii sui sit possessione privata, incongruum sibi videretur & indecens, quod tantæ nobilitatis homines carerent domicilio proprio & opportunis aliis qualitate habita personarum: sed si fieret tibi in terra provisio, unde tu & ipsa saltem usque ad recuperationem terræ suæ convenientem vitam possetis habere, circa perfectionem præfati tractatus libenter se nostris inductionibus & beneplacitis coapturet. Nos vero nostrum salubre propositum prosequentes, & quod cœptum est jam forti & fundato principio, finem prosperum & Deo placitum cupientes habere, cum ipsius pacis Auctoris, cujus vices portamus in terris, perfecta sint opera ecclesiæ ac nobis onus adiicimus ut cum effectu perfecti operis te ad gregem dominicum revocemus; sicque orta ex bello Siculo vancorem & scandalum in omnibus suis partibus succidamus ex toto, quod ex eorum reliquiis nullum supersit residuum, & læta pax & tranquillitas in locum adveniat odiorum; ecce quidem ad dictam Imperatricem centos, & speciales nuncios nostros instanter transmittimus, ut cum præfati sui voti concordia per omnes, quos possumus tramites, ejus affectum expeditum & liberum perfectioni dicti matrimonii coaptemus.

De tradenda ipsi in uxorem Constantinopolitana Imperatrice.

Significat illam assensuram, modo aliqua attribuatur ditio.

Mitti alios ad ipsam ut res perficiatur oratores.

IX. Hortatur, ne quidquam interea novet.

Considera igitur, fili, considera paternæ pietatis affectum, & proventurum tibi ex ipsius monitione profectum, & paternis profecto monitis acquiesces. Non enim patris charitas continere se potest, quin præcipitem filium, sicut fama, immo infamia volitat, a manifesta ruina retrahat, in qua, ut dicitur, post cessionem & abdicationem occupationis & detentionis illicitæ prædicti germani tui, laudabiliter ad gremium redeuntis Ecclesiæ, assumendo falsum titulum occupationis injustæ, rationis metas exiliens, prosilire proponis, & a Creatoris tui gratia, graviter ipsum offendendo decidens præceps cadis. Cohibe igitur motus tuos, expecta patris salubre consilium, & obventurum ex eo tibi præ foribus fructuosæ ac honorificæ reparationis effectum: nec ulla te maligna suggestio retrahat, vel avertat astutia, quin nostris monitis aures intentas adhibeas, & realiter filialis accommodes promptitudinis intellectum. Proculdubio quidem, si semina nostra sicut verus cultor exceperis, fructus tibi uberes gratæ prosperitatis adducent. Sed si ut adversus negligendo saltem suscipere illa contempseris, sicut errantem & perditum expositum te videmus periculis, ut in te tamquam præteritarum culparum excessuum successorem vibrans gladium ultionis divina sententia spiritualibus & temporalibus jaculis tarditatem pœnæ compenset judicii gravitate. Et ecce quod venerabilem fratrem nostrum G. episcopum Urgellensem & dilectum filium religiosum virum fratrem Bonifacium de Calamandrana generalem præceptorem sancti Joannis Jerosolymitani in partibus cismarinis ad te propter ea providimus destinandos, quos in præmissis devotio tua humane recipiat, patienter audiat, & relata per ipsos ad terminos votivæ executionis adducat. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. *non. januarii anno* I.

Sperneni monita divinas & humanas pœnas obiicit.

De missis nuntiis certiorem illum fecit.

Eadem sententia Bonifacius ad Constantiam Reginam Aragonum literas (*a*) dedit, paucis immutatis verbis, ut filium ad pacem flecteret: sedem Apostolicam promissa impleturam: mitti ad Imperatricem alteram legationem, remque in opus ductum iri; cohiberetque Fridericum ne a promissis resiliret. Interea pontificii legati Messanam applicuere, qui ut repulsam passi fuerint narrat MS. (*b*) de rebus Siculis. De Bonifacio enim e Calamandrana equite, qui episcopo Urgellensi adjunctus erat comes locutus addit: *Cœpit illico forensibus verbum proponere, causamque adventus ejus Messanensibus intimare, orans, ut illum in civitate susciperet, audituri solemnia gaudia, quæ gerebat. Hic Bonifacius, candidas membranas, quas vulgo pergamena vocant, rudes atque omni scriptura carentes, pontificali solum bulla munitas, universis Siculis prætendebat, ut communicato consilio in eis scriberent absolutiones, remissiones, immunitates, exemptiones, fora, consuetudines, conventiones, libertates, aut alia quæcunque similia sub aliis quibuscumque vocabulis elegissent.* Et infra: *Messanenses annuentibus Rogerio de Lauria & Vinciguerra de Palicio, & aliis magnis viris, qui tum aderant, longe aliter legationis causam intelligunt, & contra, Timeo Danaos & dona ferentes; opponunt. Petrus de Ansalone,* & infra: *omnes Siculos ne coronaretur Fredericus in regem Siciliæ convenisse respondit,* mutarunt postea sententiam, *atque educens ensem hæc pauca subjunxit: Siculi non membranis, sed gladio pacem quærunt, tibique ut universam*

X. Solicitat Constantiam Reginam, ut illum ad pacem adducat.

(*a*) *Exs. in lib. privil. Rom. eccl. to. 1. p. 232. & in MS. Vall. sign. lit. E, n. 12. pag. p. 559.*

(*b*) *MS. Frid. com. Ubald. l. 2. sub fin.* Nuntii Apostolici Messanenſibus optandas quasque concordiæ leges offerunt. Repulsam passi. Petri Ansalonis ferox responsum.

Ann. Eccl. Tom. XXIII.

Siciliam deseras, sub pœna mortis edicunt. His consentanea refert Surita (*a*). At insolentiæ illius cruentas pœnas dediſſe (*b*) Siculos, cum magna ſtrage cæſi ſunt, videbitur inferius. Bonifacius enim ob ſpreta apoſtolica imperia Jacobum Aragonum Regem, ut ad ſe accederet, rogaſſe ſcribit Surita, (*c*) quo ipſos illius opera ad obſequium revocaret: hiſque pontificiæ literæ conſentiunt, (*d*) quibus Jacobum ſolicitat, ut adventum maturet, monetque Carolum ejus ſocerum affuturum, omnibus Chriſtianis ac Terræ ſanctæ hujuſmodi colloquium utiliſſimum fore.

(*a*) Surit. annal. l. 5. c. 16. (*b*) Cap. 38. (*c*) Lib. 5. c. 17. Dejectus ſpe Bonifacius Jacobum Regem Arag. ad ſe vocat. (*d*) Lib. 2. ep. cur. 5.

Chariſſimo in Chriſto filio Jacobo Regi Aragonum illuſtri.

XI. Accepta a ſede Apoſt. beneficia proponit ob oculos.

*Si miſerationis divinæ clementiam, quæ te dudum a profundo quaſi malorum, ne perpetuo damnareris, eripuit; ſi ſanctæ matris Eccleſiæ atque noſtram benignitatem & manſuetudinem, ac ſtudia & labores adhibitos, ut ab invio & præcipitio, quibus eras expoſitus revocareris ad gratiam, & digne inter Chriſtianiſſimos principes connumerareris electus (graviſſimis damnis, injuriis, & offenſis, quibus omnipotentem Dominum & prædictam Eccleſiam ac nos, & per conſequens Terram ſanctam, & fere totum Chriſtianitatis orbem, tui patris, tuique actus noxii provocaverant, ab ultione divina, & ab ipſius matris Eccleſiæ, atque noſtra memoria ſub quadam conniventia revocatis) reverenter advertere ac devote cognoſcere, * ingratitudinis vitio, quod eſt malorum provocatio, beneficiorum exinanitio, & meritorum exterminatio, non poſtponas; revera, fili, te ac ipſam domum, & tuos, ejuſque perpetuo poſteros ipſis Deo, & Eccleſiæ, atque nobis obligatos ex hoc fore fateberis in immenſum, & nullius unquam te retrahere debebit contrarietas, vel ſubjectionis objectus, quin ipſorum Dei, & Eccleſiæ, atque noſtra plenis affectibus, & efficacibus ſtudiis, non excitatus etiam beneplacita proſequaris, indeſinenti curioſitate perquirens, qualiter gratior tuis meritis habearis.*

* abjecto

XII. Hortatur ut accedat ad ſedem Ap.

Cum igitur poſtquam divinis, eccleſiæ, ac noſtris te gratanter affectibus conformaſti, & meruiſti ad optatæ introduci reconciliationis amplexus, deſideraverimus, & cupiamus admodum præſentialibus tecum affatibus recreari, ut ampliori reficiaris ex hoc gratia Salvatoris, & gratificeris fortius Eccleſiæ matri tuæ, ipſiuſque dulcedinem pleniori participio ſortiaris; tuque una cum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Carolo Rege Siciliæ illuſtri ſocero tuo, ſicut ex ipſius Regis aſſertione percepimus, diſpoſueris firmiter in inſtanti vere noſtram perſonaliter adire præſentiam; nos, in hujuſmodi tua grata & provida diſpoſitione lætati, regiam quoque ſuper hoc providentiam ex eo præcipue, quod tua cum noſtris percipimus in hac parte vota concurrere, commendantes; licet ſuper hoc per alias noſtras jam tibi tranſmiſſas duxerimus te literas excitandum, ut tamen, quantum in votis hoc gerimus, percipias manifeſtius, & cognoſcas; celſitudinem regiam rogamus attentius, & inſtantius exhortamur, quatenus hujuſmodi tuum ad nos adventum, quem deſiderabiliter expectamus, ſublato cujuſlibet difficultatis obſtaculo, cum omni, qua poteris, acceleratione feſtines.

Mittit nuntium qui ipſum invitet ac deducat.

Et ecce quod ex abundanti dilectum filium religioſum virum fratrem Leonardum miniſtrum fratrum ordinis Minorum Romanæ provinciæ ad te propterea ſpecialiter deſtinamus, ut animum noſtrum tibi ſuper hoc vivæ vocis oraculo plenius exprimat, teque ad veniendum ex parte noſtra inſtantius excitet, ac prudenter inducat, & ſub regia comitiva demum ad noſtram una tecum præſentiam revertatur. Speramus enim in Domino, quod adventus tuus ipſi Deo placidus Eccleſiæ ac nobis gratus, & nedum tibi ac tuæ domui, ſed etiam præfatæ Terræ ſanctæ, ac univerſaliter cunctis renatis fonte baptiſmatis honorabilis erit & admodum fructuoſus. Ut autem tutior tuus efficiatur eventus, nos tibi & tuis omnibus in veniendo, morando, & redeundo in perſonis, & bonis ſecuritatem plenam, & omnimodam fidantiam, tenore præſentium elargimur. Dat. Romæ apud S. Petrum non. februarii anno 11.

XIII. Siculi exploratores in regnum Neap. ad ſubornandos populos mittunt. Inquiri in eos jubet Bonif.

(*e*) Joan. Vill. l. 8. c. 18.

Contuliſſe hoc anno ſe in Italiam Aragonum Regem ſcribit Joannes Villanus, (*e*) nos vero ea de re ſequenti anno, quo veniſſe certum eſt ob ea quæ ipſum inter & Bonifacium tranſacta ſunt, agemus. Hic vero ingentia Pontificis ſtudia, conſumptaſque curas, ut Siciliam recuperaret, non præteribimus. In primis cum accepiſſet Siculos plures exploratores ad Neapolitani regni ſtatum indagandum, tentandaſque populorum voluntates ſubmiſiſſe, ut eorum fraudes doloſque abſcinderet, Landulpho Cardinali legato provinciam tradidit, (*f*) ut in eos inquireret animadverteretque. Ad edomandam porro Siculorum perfidiam, qui nullis promiſſis, nullave amoris oſtentatione flecti potuerant, cum res ad arma vergeret, ampliſſimam iis criminum veniam propoſuit, (*g*) qui ad retundendos hoſtiles impetus infeſtandamve Siciliam in arma proſilirent.

(*f*) Lib. 2. ep. cur. 16. Armis Siculos frangere ad obſequium aggreditur Bonif. (*g*) Ib. ep. cur. 20.

XIV.

Hæc decernebat Pontifex ad occupanda Siculorum conſilia, qui paucis poſt diebus Fridericum regiis inſignibus donarunt. Refert Surita (*h*) illum die Paſchæ pervigilio magna pompa e palatio ad eccleſiam principem deductum fuiſſe, ut eam noctem in fundendis ad Deum precibus duceret; ac die ſequenti Regem inunctum fuiſſe. Ita vafer princeps religionem ad ſimplicem circumveniendum populum affecta-

(*h*) Surit. l. 5. annal. c. 19. De reb. Sic. MS. Fred. com. Ubald. p. 61. Marian. l. 14. c. 17. Fazell. poſter. dec. l. 9. c. 3. Summont. hiſt. Neap. pol. l. 3.

Fridericus magno religionis ſupercilio regiam inunctionem ſuſcipit. (*a*) Eod. MS. p. 28. Intentatum illi ac ſceleris conſciis judicium.

fectabat. Quibus etiam Sicularum rerum anonymus auctor (*a*) conſentit his verbis: *Anno Domini MCCXCV.* nimirum incarnationis exeunte, *idem Fridericus die* XXV. *menſis martii in felici urbe Panormi regni Siciliæ diadema ſuſcepit: & anno ſuæ coronationis primo in Calabriam potenti manu tranſiens, a terra ſeu civitate Rhegii uſque ad portum Roſeti ſuæ ſubiicit ditioni.* Cum vero Bonifacius præſumpti ſceleris famam audiſſet, dominicæ Aſcenſionis die ſolemni ritu geſta Siculorum reſcidit, regio nomine Fridericum abſtinere juſſit, eique & aliis, qui ad corripiendam tyrannidem conſilio, vel opera juviſſent, excurrentem a feſto Apoſtolorum octavum diem ad dicendam apud Apoſtolicam ſedem cauſam peremptorium indixit, ac ni parerent, eccleſiaſticæ ſeveritatis, tum aliarum pœnarum terrorem incuſſit (*b*).

(*b*) Lib. 2. ep. cur. 37.

Ad certitudinem præſentium & memoriam futurorum.

De latis in Siculos a Pontificibus ſententiis.

Dudum per felicis recordationis Martinum primo, & ſubſequenter Honorium, & Nicolaum Romanos Pontifices prædeceſſores noſtros contra quondam Petrum, olim Regem Aragonum, & natos ipſius, ac Siculos eccleſiæ Romanæ rebelles & hoſtes, ad cujus dominium Siciliæ inſula noſcitur pertinere; alioſque fautores, adjutores, complices, & ſequaces eorum, propter graves, & enormes exceſſus, manifeſtas injurias, contumacias, & contemptus, per eos contra Deum & eandem eccleſiam longo jam tempore damnabili temeritate præſumptos, prout in multorum notitiam non ambigimus perveniſſe, diverſi, & varii, qui in archivio ſedis Apoſtolicæ conſervantur, habiti ſunt proceſſus, monitiones, exhortationes, inhibitiones, citationes, ac ſpirituales & temporales pœnas atque ſententias varias continentes. Poſtmodum vero nos, ex divinæ diſpoſitionis arbitrio ad ſummi apoſtolatus officium evocati, inter alia noſtræ ſolicitudinis ſtudia diverſos & varios tractatus aſſumpſimus, & cogitavimus vias & modos, quibus ad gremium ipſius matris eccleſiæ, nobilem juvenem Fridericum filium dicti Petri, & Siculos reduceremus eoſdem, a cujus inſulæ detentione aliiſque inſolentiis chariſſimus in Chriſto filius noſter Jacobus nunc Rex Aragonum prudenti devotione ceſſavit, ac illam, quantum in eo extitit, expeditam & liberam eccleſiæ memoratæ dimiſit; & voluit, quod ad ipſius manum & mandata eccleſiæ inſula & Siculi prædicti redirent.

Tractatibus pacis a Bonifacio habitis.

Ut Jacobo inſulam eccleſiæ dimiſerit.

Miſſi fuerint in Siciliam nunii.

Deinde nos experiri volentes utrum timor Domini & reverentia prædictæ matris eccleſiæ tangeret Fridericum & Siculos præfatos, ut ſaniori ducti conſilio ad ipſius eccleſiæ mandata reverterentur humiliter; noſtros & ejuſdem ſedis ſolemnes nuncios ad eos propterea in ſignum munifici muneris de ipſius ſedis exuberanti clementia duximus deſtinandos, quos iidem Fredericus & Siculi inflati ſuperbiæ ſpiritu, admittere recuſarunt; immo potius ipſos verbis contumelioſis affectos inhoneſte tractantes, ac prolatis comminationibus gravibus in eoſdem eiicere, & repellere præſumpſerunt, in non modicum dictæ ſedis opprobrium & contemptum: &, quod eſt gravius & horrendum auditu, Fredericus ipſe, pravis paternis inhærendo veſtigiis, ſe præcipuum Siculorum ipſorum fautorem, ducem, & aurigam conſtituit: & nimis propere, quaſi tumidus adoleſcens, ultra ſe ipſum erectus, ad præcipitium promptus ac diſpoſitus ad ruinam, prout famæ veridicus affatus inſinuat, & evidentia facti clamat; propria & Siculorum eorumdem ductus inſania, ipſorumque conſilio, auxilio, & favore non ſine divinæ majeſtatis offenſa, dictæ ſedis injuria, ac chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ Regis illuſtris præjudicio & contemptu; in Siciliæ Regem eligi, inungi, coronari, vel verius execrari ſe fecit, ſoliumque regale conſcendere, verecundia a ſe penitus relegata, præſumpſit, & ejuſdem regni Regem ſe nominat, & cum nonnullis de Lombardiæ, Tusciæ, & regni, ac aliis Italiæ partibus profugis, quos a propriis laribus eorum malitia effugavit, ſe implicat commerciis fraudulentis; non attendens quam ſit graviter puniendus, non ſolum qui regium ſibi nomen uſurpat, ſed etiam qui aſſumit indebite nomen ſimplicis magiſtratus.

A Friderico & Siculis cum contumelia rejecti.

Ut injuſte ſceptrum invaſerit Fridericus.

Coitiones cum exulibus Italis iniecit.

Nos igitur ejuſdem Frederici præſumptionem tam temerariam, & ſuperbam; ac ejus iniquitates, dolos, fraudeſque multiplices abominabiliter deteſtantes; nominationem, electionem, aſſumptionem, inunctionem, & coronationem de ipſo Frederico in Siciliæ Regem de facto præſumptas; & quicquid circa præfatum Fredericum extitit per nominationem, electionem, aſſumptionem, inunctionem, & coronationem, immo verius execrationem hujuſmodi, quas recipere de facto non metuit, & quas utique conſtat nullas eſſe præſumptum; præſente hac fidelium multitudine copioſa caſſamus, irritamus, & juribus vacuamus omnino, immo caſſas, irritas, & vacuas nuntiamus; diſtricte præcipientes eidem, ut ſe nec Regem Siciliæ nominet, nec nomen regium quomodolibet aſſumere, vel uſurpare præſumat, ac de Siciliæ regni regimine, ſive alicujus ejus partis, ſe nullatenus intromittat, nec utatur literis ſub hujuſmodi expreſſione nominis aut ſigillo cum typario regiæ majeſtatis.

Geſta ab ipſo reſcindit Bonif.

Siculo ſceptro abſtinere jubet.

Memoratis inſuper Frederico & Siculis, & aliis quibuſcumque cujuſvis eminentiæ, dignitatis, conditionis, aut ſtatus eccleſiaſtici vel mundani qui Frederico prædicto in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum aſſiſtere, dare conſilium, favorem, vel auxilium præſumpſerunt, expreſſe præcipimus, ut uſ-

Intendit ipſi ac ſequacibus judicium.

que ad octavas festi beatorum Apostolorum Petri & Pauli proximo venturas, quas eis ad hoc pro peremptorio termino assignamus, ad nostra & dictæ sedis mandata redire procurent. Alioquin ipsos excommunicationis sententia innodamus, ac nihilominus contra ipsos spiritualiter & temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus.

XV. Vetat fœdus ullum cum ipso coiri.

Ad hæc universis Christi fidelibus cujuscumque eminentiæ, dignitatis fuerint, sive status, quos Petri claves & Romanæ sedis potestas astringunt, districte injungimus sub excommunicationis pœna, quam si secus fecerint eos incurrere volumus ipso facto, non obstantibus quibuslibet privilegiis sive indulgentiis sub quacumque verborum forma concessis, seu interpretatione, vel voluntate alicujus seu aliquorum prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, quod ipsi hujusmodi generalibus sententiis nullatenus includantur, ut Frederico & Siculis memoratis in præmissis contra Romanam ecclesiam & Regem Carolum suprascriptum in detentione Siciliæ, seu quorumcumque locorum Calabriæ vel regni prædicti, seu occupatione quarumcumque provinciarum, civitatum, terrarum, castrorum, seu locorum, ad dictam Apostolicam sedem & præfatum Carolum Regem Siciliæ spectantium, constitutorum ubilibet, nullum præstent auxilium, consilium, vel favorem; neque nuntium seu literas mediate vel immediate mittant ad eos, vel recipiant ab eisdem. Quod si secus egerint, ipsos simili sententia innodamus, a qua per neminem absolvi valeant, absque mandato sedis Apostolicæ speciali per ejusdem sedis literas, plenam & expressam facientes de præsentibus mentionem.

Privilegia & beneficia Siculis concessa revocat.

Cæterum omnia privilegia, indulgentias, gratias, absolutiones, concessiones, dispensationes, remissiones, restitutiones, donationes, largitiones, & liberalitates dictis Frederico & Siculis, & aliis quibuscunque, cujuscumque fuerint præeminentiæ, conditionis, aut status, ecclesiastici vel mundani, qui in insula prædicta aut locis eidem Frederico parentibus vel subjectis permanserint, & qui dicto Frederico in nominatione, electione, inunctione, coronatione, seu execratione præmissis dederunt consilium, auxilium, vel favorem, a nobis vel auctoritate nostra sub quacumque verborum expressione concessa; propter eorum ingratitudinem auctoritate apostolica revocamus, & nullius fore decernimus firmitatis: prædicentes aperte ipsius Frederico & Siculis, ac aliis qui eidem Frederico, ut prædicitur auxilium, consilium, vel favorem impendere præsumpserunt, quod prætextu dilationis, & termini præfixionis hujusmodi, quæ potius ex gratia seu misericordia, quam ex juris necessitate procedunt, nequaquam differre vel etiam abstinere proponimus, quin etiam ipsa dilatione ac termini assignatione pendentibus tam ex præteritis eorum contumaciis, excessibus, & offensis, quam ex futuris, si quos eos committere fortasse contigerit, procedamus spiritualiter & temporaliter, prout & quando viderimus expediens contra ipsos, &c. Dat. Romæ in basilica B. Petri in festo ascensionis Domini, pontif. nostri an. 11.

Objectæ aliæ divinæ & humanæ pœnæ.

Sprevere pontificias minas Siculi: quare Bonifacius acta publica in eos conscripta, pœnasque intentatas encæniorum basilicæ Principis Apostolorum die renovavit (*a*). Cum ergo omnia in bellum atrox vergerent, nec unquam Siculi ad obsequium essent redituri, nisi vi & armis frangerentur, Carolus spe sua delusus ad bellum se comparavit. Cæterum deerant opes, cum ex fœdere cum Jacobo inito maximam in eum auri vim profudisset; cui Bonifacius non defuit, non enim modo solvendi census diem extraxit (*b*), verum quinque millia unciarum auri submisit (*c*). Præterea remisit (*d*) in Siculi Regis gratiam ex editæ constitutionis rigore, qua caverat, ne principes a prælatis inconsulta sede Apostolica pecuniarum subsidia cogerent: cum enim id bellum in ecclesiæ hostes gereretur, visum est ecclesiasticas opes in eo juste consumendas: atque ideo episcopo Massilienſi injunxit (*e*), ut decimas Regi Carolo pro instruenda classe persolveret.

Spreta a Siculis Bonifacii monita.

(*a*) Lib. 2. ep. cur. 100.

Latæ in eos censuræ.

Carolus in Siculos ad bellum se comparat.

(*b*) Ep. 218.

(*c*) Ep. cur. 18.

(*d*) Ep. 576.

Permittit Pontif. ipsum ab ecclesiasticis subsidia elicere.

Dum tot bellici apparatus ad recuperandam Siciliæ insulam compararentur a Carolo, superstes major natu ipsius filius Ludovicus insigne spernendarum humanarum rerum exemplum orbi Christiano dedit: paternorum enim successione regnorum ac principatuum juribus se abdicavit, ut S. Francisci paupertatem profiteretur. De quo hæc S. Antoninus (*f*): *Rediens de Cathalonia votum, quod de intrando ordinem Minorum, cum erat obses, fecerat, in conventu fratrum de monte Pessulano dicti ordinis adimplere voluit: sed cernens quod timore patris fratres eum recipere nollent, votum ipsum solemniter iteravit. Cum autem vacante ecclesia Tolosana Papa Bonifacius* VIII. *ei suaderet ut provisioni de se factæ de dicta ecclesia assensum præberet, respondit se hoc numquam facturum, nisi prius votum de suscipiendo habitu Minorum adimplesset; quod & fecit: nam habitum ordinis humiliter suscepit, & professionem expressam tunc in manibus ministri generalis fecit. Quo facto prædictæ provisioni suum præbendo assensum, mandatis apostolicis obedivit, & juri primogenituræ, ratione cujus in regno Siciliæ habebat succedere, renuntiavit.* Rem gestam hoc anno e pontificiis literis (*g*) colligitur, quibus episcopus Tolosanus creatus est: cui cum ætas ad

Attribuit ei decimas.

(*e*) Ep. cur. 62.

XVI. S. Ludovicus Caroli filius regni jure se abdicat.

(*f*) S. Anton. 3. p. tit. 24. c. 4. in princip.

S. Francisci instituta amplectitur.

(*g*) Lib. 2. ep. 630. Creatur episcopus Tolosanus.

suscipienda sacra episcopalia deesset, ob insignes virtutes, quæ in ipso emicabant, Bonifacius Papa ad illius gratiam legem canonicam solvit.

Dilecto filio Ludovico episcopo Tolosano nato charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis Siciliæ illustris.

Pridem ecclesia Tolosana per obitum bonæ memoriæ H. Tolosani episcopi, qui apud sedem Apostolicam diem clausit extremum, pastoris solatio destituta; nos dispositionem ipsius ecclesiæ nobis & sedi Apostolicæ reservantes, decrevimus ex tunc irritum & inane, si quid secus super iis scienter vel ignoranter contingeret attentari. Ac de ipsius ordinatione solicite cogitantes, & cupientes illum eidem ecclesiæ per nostræ operationis studium Pontificem præsidere, per quem posset ecclesia ipsa in utrisque salubriter gubernari, post vigilem curam, quam super hoc adhibuimus diligenter, ad personam tuam sublimibus natalibus productam, ex claris utriusque parentis tui progeniebus regalibus præfulgentem, eminenti literarum scientia præditam, vitæ munditia redolentem, gravitate morum & consilii maturitate conspicuam, aliarumque donis virtutum ab Altissimo multipliciter decoratam, convertimus aciem nostræ mentis: & tecum super ætatis defectu, quem pateris; maxime cum defectum ipsum supplere prædictis virtutum donis, & aliis eximiis & laudabilibus meritis, quæ tibi suffragari novimus, dignoscaris; auctoritate apostolica dispensavimus, ut eodem defectu nequaquam obstante, ad episcopalem dignitatem ipsius ecclesiæ Tolosanæ licite possis assumi, teque fratrum Minorum ordinis professorem, ad sacerdotium jam promotum, de fratrum nostrorum consilio, & apostolicæ plenitudine potestatis præficimus ipsi ecclesiæ Tolosanæ in episcopum & pastorem, tibique subsequenter consecrationis munus propriis manibus duximus impendendum; spe firma fiduciaque tenentes indubitata, quod prædicta ecclesia Tolosana per tuam solertem industriam, & prudentiam circumspectam præservabitur a noxiis & adversis, & alias spiritualiter & temporaliter, Deo auctore, augmenta suscipiet commoditatis & honoris; & tam clerus, quam populus tuo commissus regimini, tua salubri doctrina, & piæ actionis exemplo ad salutem ædificabitur animarum.

Illius elogium.

Tu ergo, tuum jactans in Domino cogitatum, ac juxta spem nostram, & gratiam tibi datam a Domino, commissum tibi super gregem dominicum virga vigilantis officium officiose ac diligenter exercens, extirpandis vitiis & plantandis virtutibus solicitudine invigiles efficaci, ut tanquam stella fixa in ecclesiæ firmamento, tibi per vitæ meritum & aliis proficiens per exemplum; dum plures erudieris ad salutem, in æternitatis gloria gratulari, ac reluceres inter alios clarius mereatis; & nos, qui tibi in omni opportunitate favorabiliter adesse proponimus, in tuis delectari laudibus merito valeamus. Datum Lateran. IV. *kalend. januarii pontificatus nostri anno* II.

Auctus episcopali dignitate, obstrictusque cœlestibus rebus arctiori vinculo, majora virtutum exempla explicuit, quæ a sancto archiepiscopo (*a*) audiamus: *Factus ergo episcopus Tolosanus, mira compassione motus ad pauperes, publicas & privatas eleemosynas faciebat, & investigato de suorum quantitate redditum, quantumque sibi sufficeret pro moderatis expensis & rationabilibus faciendis, residuum pauperibus erogabat. Cum autem iret per Parisios pauperi, quem quasi nudum invenit, abscondite cappam contulit, quam portabat, sibique secrete aliam apportari mandavit. Ipse vigintiquinque pauperibus, quos in domo sua reficiebat, quotidie aquam fundebat in manibus, manuque sua ipsis fercula apponebat, panes genuflexus eis scindebat, in ipsis Christo servire, & ipsum recipere se delectans quamplurimum: hospitalia pauperum aliquando visitabat, humili habitu post religionis ingressum semper usus. Pontificatus officium exercebat cum diligentia, missas dicendo assidue, devotissime ordines celebrando. Clericis de beneficiis providebat, examinatis prius de vita & moribus diligenter. Judæos, & gentiles ferventi zelo fidei ad baptismum inducebat.* Miras in eo habebat sanctitas illecebras, ut omnes Christo lucrifaceret, ut addit memoratus S. Antoninus (*b*): *Tanta gratia interius repletus erat, & quasi exterius redundans in corpore, ut aspicientes in eum & fideles & infideles quadam secreta virtute corda emolliendo mutaret: & cum primo factus episcopus Tolosanus civitatem intravit, occurrentibus omnibus ad recipiendum pastorem tam nobilem & perfectum; videntes multi adolescentem regio semine clarum, spiritu devotum, vultu angelicum, scientia præditum, gratia Spiritus sancti plenum esse non dubitantes; quadam vi secreta spirituali alterabantur in melius, & ad peccatorum pœnitentiam, & ad Dei servitium attrahebantur.* Non diu cœlesti viro potiri mundo licuit, de cujus felici obitu dicetur inferius. Nunc ad consanguineos, affinesque illius Reges mutuis bellis implicitos sermonem traducimus.

(*a*) S. Anton. ubi sup.

Insignis ejus erga pauperes humanitas.

(*b*) Eod. c. 4.

Tolosanos in sui amorem concitat.

XVII. Ruebant in arma Philippus Francorum & Eduardus Anglorum Reges, & pertinacissimis animis mutuo se bello atterebant, quod Guidonis Flandriæ, ac Barensis comitum a Gallo, Scotorumque defectione ab Anglo magis inflammatum est. Et quidem quod ad Scotum spectat; is ad astringendum arctius cum Gallis fœdus

dus, Joannam Caroli Valesiorum comitis filiam Eduardo filio desponderat: cumque Anglorum Rex in eum ultionem pararet, is subjectis literis (a) denunciavit ei bellum, nec unquam ipsi regnum Scotiæ acceptum relaturum.

(a) Ext. apud Vualsing. in Ypod. Neustriæ.

Magnifico principi domino Eduardo, Dei gratia, Regi Angliæ Joannes, eadem gratia, Scotiæ Rex.

Cum vos, & infra, *nos jam cum innumerabili multitudine armatorum, vestro exercitu publice convocato, ad exheredandum nos, & regni nostri incolas ad fines regni nostri hostiliter accessistis, & ultra progredientes in regno nostro, strages & incendia, nec non insultus & invasiones violentas, & tam per terram quam per mare, commisistis inhumane. Nos dictas injurias & gravamina & damna, nec non & hostiles impugnationes ulterius sustinere non valentes, nec in fidelitate & homagio vestro, licet per violentam impressionem impressam extortis, manendo, contra nos etiam ad defensionem nostram & regni nostri, cujus defensioni & tuitioni vinculo juramenti, sumus astricti, nos volentes erigere, fidelitatem & homagium tam a nobis, quam ab aliis quibuscumque regni nostri incolis fidelibus nostris ratione terrarum, quas in regno vestro tenebant, & etiam ratione menagii, seu retentionis vestræ, nomine nostro, ac nomine eorundem omnium & singulorum vobis reddimus per præsentes.* Addit Walsinghamus: *Rex Angliæ audita præsenti literæ resignationem homagii sui admisit, & cancellario suo præcepit hanc literam registrari ad perpetuam memoriam rei gestæ.*

Joannes Rex Scot. ab Ang. captus.

Scotici tumultus brevi sopiti, cum Joannes Balliolus Rex suorum proditione Eduardo traditus esset. De quo hæc Jordanus (b): *Eodem anno Scoti, Regi Franciæ confœderati, incursant regnum Angliæ: sed in reditu eorum Rex Joannes a quibusdam præpeditus Regi Angliæ destinatur.* Proditum a Joanne Cumenio refert Hector Boethius, (c) additque de regni jure in Eduardum ab eo transfuso: *Cum in manum Eduardi venisset, metu mortis, quam Anglus minabatur, jus omne regni, in manu dextra album ramum, uti mos est, tenens, in Eduardum Regem Angliæ transtulit, regnoque se abdicavit: quæ continuo diplomatibus, ex arbitratu Angli conscriptis, consignata sunt. Quibus peractis Eduardus Bernicium inde abiens, omnes nobiles Scotiæ evocatos ad se in verba sua jurare coegit.* Affertur id diploma a Walsinghamo, (d) in cujus exordio ita se accusat: *Nos per malum consilium falsumque, simplicitatemque nostram graviter offendimus dominum nostrum Eduardum Dei gratia Regem Angliæ, dominum Hiberniæ, ducem Aquitaniæ, in multis vicibus, in eo quod existentes & manentes in fide sua & suo homagio, alligavimus nos Regi Franciæ, qui tunc hostis ejus erat & adhuc est, matrimonium procurantes fieri cum filia domini Caroli fratris ejus*, &c. Adjungit Walsinghamus in iis literis fractum sigillum commune Scotiæ fuisse, atque Eduardum parti triumphi de Scotia monumentum nobile religioni consecrasse: *In redeundo*, inquit, *transivit per abbatiam de Scone, ubi sublato lapide, quo Reges Scotorum tempore coronationis solebant uti pro throno, transtulit illum usque Vvestmonasterium, jubens idem fieri celebrantium cathedram sacerdotum.* Dicasse præterea sequenti anno alia regni Scotiæ insignia S. Eduardo addit: *In crastino S. Botulphi accedens Rex ad Vvestmonasterium, obtulit B. Regi Eduardo, cujus meritis acquisierat regalia regni Scotiæ, tribunal videlicet sceptrumque aureum cum corona.*

(b) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.

(c) Hector Boeth. hist. Scot. l. 14.

(d) Vvest. Flor. hist. hoc anno Vualsing. in Eduar.

Solium Scoticum sacerdotibus sacratum.

Cæterum Joannem Baliolum decus regium abjeciisse VIII. id. aprilis tradit Westmonasterienſis, illoque bello sexaginta millia Scotorum absumpta affirmat. Ea præmia retulit Scotus, cum bello Gallico se implicuisset. Nec disparibus affectus Flander, qui Anglo accesserat. Auctor est Joannes Villanus, Belgicos tumultus ex eo emersisse, quod cum Guido filiam Eduardi Regis filio inconsulto Francorum Rege despondisset: Philippum indigne ferentem (e) Belgam hosti suo affinitate se junxisse, ipsum Parisios una cum filia ad aulam regiam exciviſse, ac ne Anglo principi nuberet, tenuisse; eaque paulo post defuncta, Guidonem paucis stipatum in Belgium se proripuisse, populos in Philippum commovisse, atque ex Germania auxilia exciviſse. Iis consentiunt alii auctores, e quibus Jordanus (f) hæc habet: *Eodem anno Guido comes Flandriæ per Robertum filium deceptus, ut dicitur, Regi Franciæ mandavit se nil ab eo tenere in feudum.* Arguitur imprudentiæ a Meyero, domitumque sequenti anno visuri sumus.

(e) Jo. Vill. l. 8. c. 19. Hoeſem. l. 11. c. 22. D. Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 6. Meyer. annal. Eland. l. 10. & alii.

Qua de causa in Gallos Flandri concitati.

(f) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.

XVIII. Legati Cardinales ad dissentientes Franc. & Angl. Reges conciliandos incumbere jussi.

Interea Bonifacius nullum optimi Pontificis officium, ut Christianos eos principes ad concordiam revocaret, prætermisit. Lugebat enim iis bellis Christianam rem deprimi, crescere hostium Ecclesiæ potentiam, religionem in oriente extingui, nec ullas copias ad recuperandam Syriam transmitti posse. Quare cum ante Berardum Albanensem & Simonem Prænestinum episcopos Cardinales ad pacem inter Reges conciliandam misisset, hoc anno præcepit, (g) ut apostolica auctoritate utrumque Regem inducias pacisci juberent, ob ingentia, quæ e bello emergebant mala; cum populorum ingentes strages fierent, ecclesiastici prædæ expositi essent, dum principes belli occasione magnam pecuniarum vim ab iis emungerent, denique Christianum nomen in Syria

(g) Ep. cur. 30. 87. 88.

ria extingueretur. Monuit vero Cardinales, ne in tractandis pacis rationibus, Pontificem in Gallias profecturum ad controversiam decidendam sponderent: quamvis enim ad suscipiendos itinerum labores vegetus animus esset, corporis tamen adversa valetudine se gravari: tum collegium Cardinalium, quorum plures senio confecti sub labore fatiscerent, gravissimis incommodis affectum iri: Italiam etiam, quæ tumultibus fremebat, id nullo modo pati: demum Siculorum ferociam non permittere, qui cum Carolum atroci bello urgeant, se absente crudelissime debacchaturos, atque extremam perniciem regno illaturos: at si Reges ad Apostolicam sedem mittere oratores velint, se partes suas studiose interpositurum; denique utrique Regi inducias pontificio nomine indicant, rei gestæ testes accipiant, ac postmodum illas per ea regna satagant promulgari. Quam imperatarum inductarum formam nos ad Christi Vicarii in Imperatores, ac Reges ad eorum prælia Christianæ rei exitialia dirimenda auctoritatem in luce collocandam afferre voluimus (a).

(a) Ep. cur. 31. & lib. privil. Rom. eccl. to. 3. p. 100.

Quas belli causas Adolphus Rex Roman. in Philippum obtenderit.

Bonifacius &c. ad futuram rei memoriam.

Crebris intellectis rumoribus, quos fide dignorum assertio confirmabat, quod & charissimus in Christo filius noster Adolphus Rex Romanorum illustris adversus eumdem Regem Franciæ & regnum ipsius gentem non modicam congregabat hostiliter, alias bellicos faciens apparatus, eo potissime quæsito colore, quod ab ipso reputat se offensum, quasi sui prædecessores & ipse nonnulla occupaverint hactenus jura Imperii, quæ adhuc detinentur taliter occupata; doluimus admodum & duras in intimis sensimus punctiones. Propter quod volentes, prout ad nostrum spectabat officium, hujusmodi obviare dispendiis, ad præfatum Romanorum Regem nostros solemnes nuncios duximus destinandos, rogantes & attentius exhortantes eundem, ut ab hujusmodi hostili processu penitus abstineret: cum nos tandem super iis certificati per eum illud circa hujusmodi negotium intendebamus adhibere remedium, per quod ad sui honoris, & exaltationis augumentum præfati jura Imperii illæsa & integra servarentur. Scripsimus etiam Franciæ & Angliæ Regibus memoratis, ut a quolibet inter se invicem hujusmodi habendo processu hostili prorsus abstinere curarent, dictusque Rex Franciæ contra Regem Romanorum præfatum nullam noxiam faceret novitatem.

XIX. *Attendentes igitur, & infra clausa pectoris meditatione solicita revolventes, quod regum prædictorum commotio turbat Ecclesiam, orbis concutit angulos, animarum corporumque dispendia minatur, fidelibus catholicæ fidei pericula generat, & Terræ sanctæ negotio, ad cujus promotionem felicem celerem votis ferventibus anhelamus, impedimenta multimoda subministrat; & propterea cupientes hujusmodi periculis, & discriminosis initiis remediis obsistere opportunis, treguas dudum ab instanti tunc festo nativitatis beati Joannis Baptistæ proximo præterito usque ad annum unum completum præfatis Romanorum, Franciæ, ac Angliæ Regibus auctoritate apostolica sub pœna excommunicationis, quam ex tunc in scienter venientes contra protulimus expresse, indiximus ab eis per idem tempus firmiter observandas, prout in literis nostris inde confectis plenius continetur. Verum licet prædicto Romanorum Regi per venerabiles fratres nostros Regin. archiepiscopum, & Senen. episcopum de mandato nostro fuerint hujusmodi treuguarum nostræ literæ præsentatæ; prædicti tamen Albanensis & Penestrinus episcopi, quibus præsentationem nostrarum consimilium literarum præfatis Franciæ ac Angliæ Regibus faciendam noscimur commisisse, sumpta fiducia, & spe concepta, quod inter Reges prædictos optata concordia, vel saltem treguæ, seu sufferentiæ voluntariæ in proximo provenirent; supersedere hactenus præsentationi hujusmodi, sicut accepimus, decreverunt. Cum autem nec pax vel concordia, neque treguæ seu sufferentiæ, de quo vehementis non immerito turbationis conquassatione torquemur, inter jam dictos Reges aliquod susceperint firmamentum, & utinam de ipsorum congressu gravior nobis præsumptio non daretur; treuguarum quoque indictio præfata sit jam prope sui finis excursum, nos ex iis, & per ea, quæ frequens fide dignorum assertio nostris instillat auribus, verisimiliter formidantes, ne dictos Reges inter se invicem bellici fluctus impetant, hostiles concutiant tempestates, ac deploranda strages confringat enormiter, & enervet; sicque tam gravem Christianorum scissuram, tam horrendum facinus, & generale periculum, sicut enormem cædem fidelium, & adeo periculosi læsuram vulneris, cui vix unquam adhiberi posset medicina salutis desiderantes salubribus remediis evitare, treuguas ab instanti festo nativitatis beati Joannis Baptistæ proximo futuro in quo prædictarum treuguarum dudum indictarum firmetur terminus, usque ad biennium completum eadem auctoritate jam dictis Romanorum, Franciæ, ac Angliæ Regibus prorogamus, & de novo indicimus, easque præcipimus inviolabiliter observari sub eadem excommunicationis pœna, quam ex nunc in illos, qui scienter contravenerint, promulgamus*, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum id. augusti anno 11.

De induciis inter Adolph. Philip. & Eduard. Reges indictis.

Anathema eas violaturis incutit Bonifacius.

XX. Ne vero recrudesceret bellum, si Adolphus Imperii vires in Philippum converteret, omne studium contulit Bonifacius, ut

Germani præsules Adolphum a bello abducere jussi.

(a) Ep. cur. 25.

ut ipsum ab irruptione omni, impressioneque hostili contineret: quare Maguntino, Colonienſi, Trevirenſi archiepiſcopis, ac Metenſi epiſcopo partes impoſuit, (a) ut ipſum ab hujuſmodi conſiliis avocarent, ac ſi perſtaret in ſententia, nulla ipſi auxilia ſuppeditarent: non valere in ea re cujuſcumque ſacramenti religionem, quo ſe Adolpho vel Eduardo aſtrinxiſſent: navaturum ſe operam, ut ſi quæ læſa ſint Imperii jura reſtituantur. Contendebat enim Adolphus Burgundiæ comitatum Imperii vectigalem a Gallis injuria occupatum teneri, ut ex aliis Bonifacii literis ſuo adducendis loco ad Philippum datis (b) conſtat: quæ vero ad Maguntinum archiepiſcopum tranſmiſſæ, his verbis conceptæ ſunt (c).

(b) Ep. cur. 98.

(c) Ead. ep. 25.

Bonifacius, &c. archiepiſcopo Maguntino.

Datæ ad archiep. Magunt. ea de re literæ.

Cum apud chariſſimos in Chriſto filios noſtros Adolfum Romanorum, & Philippum Francorum, ac Eduardum Anglorum Reges illuſtres pro reformatione pacis & concordiæ inter eos feliciter, dante Domino, proventura, ſicut noſti, per alicujus temporis ſpacium opportuna inſtantia, & continuatis ſtudiis curaverimus vigilare, non ſolum venerabilibus fratribus noſtris Ber. Albanenſi & Simoni Peneſtrino epiſcopis, nobilibus utique Romanæ membris eccleſiæ, ſed & aliis ſolemnibus, nunciis ad hoc ſpecialiter deſtinatis; fraternitatem tuam monemus & hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta diſtricte præcipiendo mandantes, quatenus noſtri oneris, noſtræque ſollicitudinis partem, ad quod ex ſpecialiter evocatus, prudenter aſſumens, & laudabiliter proſequens, prædictum Regem Romanorum efficaciter animes & inducas, ne contra præfatum Regem Franciæ, ac regnum, terras, & gentem ejus ad novitates noxias, vel proceſſus hoſtiles ſeu bellicos actus quoquomodo procedat; quinimo ab iis pro divina & apoſtolicæ ſedis reverentia penitus abſtinere procures, ac ipſum, ſi quod abſit, contrarium faceret, aliquatenus non ſequaris, nec ei ſuper hoc auxilium, conſilium, vel favorem impendas; non obſtantibus juramento fidelitatis quo dicto Regi Romanorum teneris, aut quibuſcunque pactionibus, promiſſionibus, ſocietatibus, vel conventionibus, juramento, vel quacumque alia firmitate vallatis, quibus prædictis Romanorum & Angliæ Regibus, vel eorum alteri ſuper hujuſmodi negotio quomodolibet ſis aſtrictus; ſignificaturus nobis cum celeritate fideliter & ſollicite ac frequenter quæcumque ſuper iis per nos facienda cognoveris, nec non novitates, apparatus, & alia, quæ præſenſeris ſuper hujuſmodi negociis attentari.

Si Adolphus ſigna in Gallias extulerit, ea ſequi vetat Pontif.

Imperii jura aſſerenda ſpondet.

Nos enim ferventer intendimus per vias pacis interponere diligentius partes noſtras, ut dictus Rex Franciæ, ac ſui ab Impe-

rii ceſſent injuriis, & quod ejuſdem Imperii bona & jura conſerventur illæſa. Super iis itaque ſic prudenter, & utiliter datas tibi virtutes a Domino exequaris, quod optati fructus ex tua cooperatione proveniant, tuque in noſtris & præfatæ ſedis affectibus provenire gratioſior mereaſ. Hæc autem, quæ ſcribimus, penes te prudenter & caute ſtudeas tenere ſecreta, donec ea in lucem produci qualitas & conditio exegerint agendorum. Datum Romæ apud S. Petrum II. *kal. aprilis anno* II.

(d) Reg. poſt eand. ep.

Eadem verborum forma ad memoratos Colonienſem & Trevirenſem & epiſcopum Metenſem ſcripſit (d).

XXI.

Graviſſimis etiam hiſce literis niſus eſt Pontifex Adolphum a ſuſcepto conſilio revocare: propoſuitque (e) ob oculos Romanorum Regis eſſe clientelam Eccleſiæ gerere, atque in impios arma exercere, nec poſſe fidei hoſtium impetus propulſari; ſed religionem adductum iri in diſcrimen, ſi alienis bellis ſe involveret.

(e) Ead. l. 29. ep. cur. 92.

Chariſſimo in Chriſto filio Adolpho Regi Romanorum illuſtri.

Lit. ad Adolp. ut paci aſſentiatur.

Noctes inſomnes duximus, labores voluntarios appetentes, ut inter te & chariſſimos in Chriſto filios noſtros Philippum Francorum & Eduardum Anglorum Reges illuſtres per viam pacis vel treuguæ poſſemus præparare quietem, & tranquillitatem dare populo Chriſtiano, ne fideles præcipuos eorumque ſequaces inter ſe ipſos gladios verterent, qui eſſent contra hoſtes crucis Chriſti pro recuperatione Terræ ſanctæ & inimicos fidei exhibendi. Quapropter celſitudinem tuam monemus, rogamus, & hortamur attente, per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti tibi diſtrictius injungentes, quatenus prædictum Regem Francorum, aut regnum ejus hoſtiliter non impugnes; ſed regalis tuus animus condeſcendat & inclinetur ad pacem, vel ſaltem ad treuguas longas & congruas, quibus pendentibus efficaciter poſſit de pace, præſertim in noſtra præſentia, per ſolemnes nuncios partium tractatus haberi; prudenter attendentes, quod Romani Imperatores & Reges, qui pro tempore aſſumuntur ad tantæ faſtigium dignitatis, ſpecialiter aſſumuntur, ut ſint advocati Eccleſiæ ac præcipui defenſores, & ut hoſtes fidei conterant, & ſubdant fidei barbaras nationes ad noſtram & fidelium pacem perpetuam: quæ bona commode provenire non poſſent, inter ſe diſſidentibus principibus & populis Chriſtianis. Datum Anagniæ XV. *kal. ſeptembris anno* II. Quo vero potentius frænum ad coercendos illius conatus iniiceret Bonifacius, incuſſa graviſſimarum cenſurarum religione armis temperare juſſit (f). Tum Francorum & Anglorum Reges urſit, (g) ut controverſias æquitate componerent, mitterentque oratores ad ſedem Apoſtolicam, futuram concordiæ interpretem;

(f) Ep. cur. 88.

(g) Ib. ep. 90. 91.

tem; cujus judicio rem permitterent.

XXII. Eccleſiaſtici a principibus ob nimias exactiones oppreſſi.

Inter hæc; cum hi principes ob graviſſimos ſumptus, qui in bello profundendi erant, aliique (ardebat namque diſcordiis occidens) in eccleſiaſticos graſſarentur, bonaque eccleſiarum diriperent, & Chriſti opes ad perdendos Chriſti fideles converterent, miſerrima erat clericorum conditio, qui ubique principum cupiditati, miniſtrorum avaritiæ, exactorum crudelitati, ac prædæ erant expoſiti: quare Bonifacius, quem tuendarum eccleſiarum onus premebat, ex Cardinalium conſilio conſtitutionem edidit, (a) qua vetuit præſulibus, clericis, ac religioſis viris vectigalia, decimam, vel vigeſimam, aut centeſimam ſub quocumque mutui, doni, ſubventionis, aut ſubſidii nomine, aliove quæſito fuco, & colore ſine facultate ſedis Apoſtolicæ principibus ſolvere: ſolventibus vero atque exigentibus, aut in locis ſacris depoſita occupantibus, anathematis religionem incuſſit, ac legatis apoſtolicis Albanenſi & Peneſtrino epiſcopis partes injunxit, (b) ut eam conſtitutionem in Galliis & Anglia promulgarent, ac præſules ad eam ſervandam adigerent. Literarum porro initium hujuſmodi eſt: *Conſtitutionem de fratrum noſtrorum conſilio nuper edidimus pro eccleſiarum relevatione ac libertate ipſarum quæ incipit: Clericis laicos, infeſtos oppido, &c. Datum Anagniæ* XV. *kal. ſeptembris anno* II.

(a) Eod. l. 2. ep. cur 12. ext. c. clericis laic. de immun. Eccl. in 6. Vetiti ulla præſtare principibus ſubſidia ſine Apoſtolicæ ſedis facultate.

(b) Lib. 1. ep. cur. 89.

XXIII. Obſervatum Bonifacii edictum.

Effudere graves in eam conſtitutionem querelas politici, quam cum in ſenſum iniquiorem detorquerent, ſoluta fuiſſe a Bonifacio pluribus aliis conſtitutionibus exorta ambigua viſuri ſumus. Juſte vero editam a Pontifice teſtatur Jordanus (c), qui de exercitis in Galliis extorſionibus hæc tradit: *Rex Franciæ propter guerras graves exactionem pecuniarum poſuit, quæ malatolta vocabatur: & primo ſupermercatores tantum, poſtea centeſimam, poſtea quinquageſimam tam a ſæcularibus quam a clericis accepit: propter quod Bonifacius in Reges & principes, a clericis & eccleſiis talia auferentes abſque Papæ licentia, ſententiam excommunicationis tulit.* Vexatum æque atrociter in Anglia clerum conſentiunt Angli hiſtorici, quibus Polydorus (d): *Bonifacius VIII. Romanus Pontifex, animadvertens principes Chriſtianos avare, & percrebro ſine juſta cauſa, nova quotidie ſacerdotiorum fructibus imponere vectigalia, atque ſine fine arbitratu ſuo decimam, vigeſimamve eorum partem tributi nomine imperare, immunitatis ordinis ſibi conſulendum ſtatuit. Itaque habito Lugduni concilio*, errat in eo auctor, quem ſequitur Genebrardus, (e) nec enim ob id Bonifacius Lugduni celebravit concilium, ſed Anagniæ e Cardinalium conſilio id ſanxit, *interdixit, ne poſt hac principes ſacerdotibus tributa imponerent, neve illi impoſita conferrent injuſſu Romani Pontificis. Id præſcriptum extat in libro tertio libri ſexti de immunitate eccleſiarum capite tertio: quod tametſi non erat iniquum, fuit tamen apud Anglos magnæ cauſa diſcordiæ.* Et quidem refert Weſtmonaſterienſis (f), dum Angliæ Rex ingentes bellicos inſtruebat apparatus non ad Mahumeticum, ſed Chriſtianum ſanguinem fundendum, a populo ingens aurum ſubſidiarum eliciſſe; [1] a clero vero repulſam paſſum. Tum quæ ſint conſecuta ſubdit: *Commotus*, inquit, *Rex indixit eis tempus conſultandi ſuper meliori reſponſo, ſuæ voluntati gratius, acceptando. Interim fecit Rex ſigillari omnia eccleſiaſticorum oſtia horrentium: quæ dum fierent, manduvit archiepiſcopus*, is erat Robertus Cantuarienſis, *bullam apoſtolicam, inhibentem ſub pœna excommunicationis, aliquam collectam ex eccleſiaſticis proventibus Regi vel cuivis alii principi concedi, per cathedrales baſilicas divulgari.* Pluribuſque interjectis, de habita ſynodo addit.

(c) Jord. MS. Vat. ſig. num. 1960.

(d) Polyd. l. 17.

(e) Geneb. in chron.

(f) Vveſt. Flor. hiſt. hoc anno.

In Anglia adverſus clerum concitati motus.

Laxata militibus ad eos vexandos licentia.

Die S. Hilarii celebravit archiepiſcopus concilium ſuum cum coepiſcopis ſuis ſuffraganeis Londini in eccleſia S. Pauli. Quibus tractantibus per dies octo ſuper poſtulatione regia, non invenerunt iter rectum, nec modum excluſivæ ſententiæ, ſi aliqui vel quæſito colore, vel aliquo titulo, quippiam contuliſſent: etiamſi plurimi clerici aulici curialeſque acceſſiſſent, qui poſtulatis conſilium dederant & favorem: quæ omnia Regi per epiſcopos aliosve nuncios, ſunt relata. Qui ſtatim mutatus in crudelem; perverſa regali æqualitate in tyrannidem, licentiatis ſuis famulis, obviantium clericorum religioſorumque virorum quaſi modo hoſtili equitaturas ſibi arripere meliores; prohibitis inſuper placitatoribus in lege ſua peritis coram baronibus de ſcaccario, ſeu ante quemvis alium juſtiariam ſæcularem pro perſonis eccleſiaſticis allegare; eccleſiaſticos miniſtros eenſuit

NOTÆ [1] Concilium Londinenſe in quo Angliæ præſules deliberarunt, utrum regi collectam ex proventibus eccleſiaſticis poſcenti obtemperandum eſſet, ad ſequentem annum transferendum, non ambigue aſſerit Trivettus, qui in annalibus ſuis anno ſequenti illud collocat, & res ipſa demonſtrat, cum Bonifacii conſtitutio de non ſolvendis ſæcularibus principibus eccleſiaſticorum bonorum collectis data ſit Anagniæ XV. Kal. ſeptembris anno ſecundo pontificatus; id eſt anno 1296. Concilium ergo Londinenſe die feſta S. Hilarii ſeu die XIV. januarii, occaſione hujus conſtitutionis celebratum, ad ſequentem annum 1297. pertinet. MANSI

sua pace indignos. Mandavit etiam singulis ordinatis, sponte offerre sibi suorum proventuum quintam partem, aut invito cedere omnibus bonis suis.

*Huic mandato primitus obtemperaverunt quidam tonsurati in curia regali prælati, in cura vero animarum Pilati manifesti, ut inducerent pari modo animos cæterorum. Quo facto seisita * sunt protinus per manus vicecomitum omnia bona clericorum mobilia & immobilia, super laicum feudum inventa, atque fisco regio titulata cum superabundanti molestia suis ablatis libertatibus, quas prædecessores Reges, Christianitatis conservatores, ecclesiis contulerant auctores bonorum. Et quod nequius est ferendum, appretiabantur ipsorum facultates emptoribus quantocyus exponendæ. Nec securi audebant clerici equitare, nisi in majori conventu, propter militum in clericos violentiam, a Rege licentia data. Sed & omnia bona archiepiscopi, mobilia, & immobilia capta sunt in manu Regis. Ipse quidem sustinuit patienter. Igitur clero, sicut suprædictum est, passo in corpore, passus est & Rex in animo, Hinc dolor & metus omnium prælatorum. Hi namque in perplexitate maxima constituti sunt, ut si quidquam concederent, sententiam excommunicationis incurrerent ipso facto; & si non darent, non effugerent immisericordes manus ipsorum prædonum. His madefacti adversitatibus, pro se ipsis anxiis, pro grege sibi commisso inconsolabiliter mœstificati, tamquam non habente alimoniam ingruente fame, necessario sæculum repetere quæsierunt protectionem Regis, ratiocinio magno * redemptis.* Hujus vero sceleris veniam Eduardum fluentibus ex oculis lacrymis a clero flagitasse publice, sequenti anno dicemus.

* id est occupata

* redimentes.

XXIV. Philip. Rex Franc. ex sup. constitutione in Bonifacium commovetur.

Vetat pecunias e regno extrahi.

Hæc prima origo discordiar. inter Bonif. & Philippum.

Nec minus memorata constitutio pupugit, alios principes, quorum licentiæ frænum iniiciebatur, ac præ cæteris Philippum Francorum Regem cum sibi ea constitutione ecclesiasticorum subsidia eripi putaret, quæ ad sustinendam belli gravissimi molem in se Germania, Anglia, ac Belgio conjurantibus, erant necessaria atque ad repungendum Bonifacium, subducendasque curiæ Romanæ opes, quæ ex Galliis confluebant, per speciem Gallias, opibus ad alias provincias ac sæpius ad hostes deportatis, exhauriri atque ad inopiam redigi, legem tulit, ne quis ex regno pecunias, gemmas, equos, aliaque nonnulla efferret. Attulit ea res graviorem Bonifacio dolorem, ut ex ejus literis querelarum plenis liquet: atque hæc prima origo ingentium discordiarum, quæ postea Bonifacium inter & Philippum magno scandalo eruperunt. Interea post gravia monita, quibus ipsum ad sectanda majorum, qui adeo ecclesiasticam libertatem auxerant, provocavit (*a*), objecit non carere ingrati animi vitio, qui post impensos summos labores in deterrendo ab invadendis Galliis Romanorum Rege hanc vicem rependeret: attenderet quo pede pergerent ipsius ac suorum res, non modo si adversariam sedem Apostolicam experiretur, sed etiam si ab ipsa tantummodo desereretur: Germanis, Anglis, Hispanis, Gallias cingi, totque sustinendis hostibus impares futuras: perpenderet offensos ab eo finitimos Reges, Anglum Vasconiam sibi ereptam repetere, Germanum præter cætera comitatum Burgundiæ annexum olim Imperio reposcere, nec ipsos sententiam sedis Apostolicæ recusare: non sui fuisse animi, subsidia ecclesiarum illi ad tuendum regnum eripere, cum pro eo defendendo cruces, & calices potius Apostolica sedes consumptura esset. Demum hortatus est ne se improbis consiliis circumveniri ac subornari pateretur, seque episcopum Vivariensem ad ea componenda mittere significavit.

(*a*) Lib. 2. ep. cur. 98.

Regi Francorum illustri.

Ineffabilis amoris dulcedine sponso suo, qui Christus est, sancta mater Ecclesia copulata, dotes & gratias ab ipso suscepit amplissimas, ubertate fœcundas, & specialiter inter eas beneficium libertatis. Voluit enim peramabilem sponsam ejus libere fidelibus populis præesse dominio, ut velut in filios haberet more matris in singulos potestatem, ac eam cuncti cum filiali reverentia tamquam universalem matrem & dominam honorarent. Quis itaque illam offendere vel provocare injuriis non paveret? Quis ausum credulitatis assumet, sponsum in sponsæ contumelia non offendi? Quis ecclesiasticæ libertatis infractor contra Deum & Dominum cujusvis defensionis clypeo protegetur, ut supernæ virtutis malleo comminui, & redigi nequeat in pulverem & favillam? Non avertas, o fili, a voce patris auditum, quoniam ad te paternus sermo de dulcedine pectoris cum amaricatione dirigitur, quam audita novi casus emersio introduxit. Tua enim interesse conspicimus, attenta mente suscipere quæ scribuntur. Ad nostrum siquidem nuper, non sine grandi admiratione quinimo turbatione, pervenit auditum, quod tu consilio deceptibili ductus, ut credimus, & maligno, constitutionem talem iis diebus, ut asseritur, edidisti, cujus & si patenter verba non exprimant, suadentium tamen eam fieri (utinam non cedentis fuisse videtur intentio) impingere in ecclesiasticam libertatem, ipsamque in regno tuo, ubi vigere solet ab olim quoad ecclesias & ecclesiasticarum personarum bona (ut de nobis & fratribus nostris sub silentio taceamus ad præsens) voluisse subvertere, non sine gravi tua nota,

XXV. Queritur Pontifex, ecclesiasticam libertatem violari.

Constitutio a Philippo Rege edita.

magnoque discrimine, ac tuorum gravamine subjectorum, & aliorum etiam, qui solent in regno prædicto hactenus conversari.

*Cum igitur interfit veri patris consilium pro filiis capere, bonique pastoris errantes oves a devio revocare, diligentis amici suadere salubria, & in summo militantis Ecclesiæ justitiæ solio præsidentis, non solum omne malum, sed & mali speciem in subditis dissipare; nos, qui Pastoris pastorum & Jesu Christi Filii summi Patris æterni, licet immeriti, ejus faciente clementia, gerimus vices in terris, & in excelso solio, summi apostolatus videlicet, præsidemus; teque præcipua sinceritate prosequimur, & prosecuti sumus ab olim, dum nos minor status haberet; horum circa te officia pio affectu, & efficaci studio providimus exequenda, pro te filio prædilecto salubre capiendo consilium, teque ab invio revocando, in quod consilii te deviasse creditur impulsio * fraudulentis, ac dissipando notam * malum & malis speciem, quæ consulentium malignorum temerarius ausus induxit; præsertim si ad hoc constitutionis præmissæ referatur intentio, ad quod lata creditur secundum eorum intentum, qui eam fieri dolose ac improvide suaserunt.*

* fraudulenti

* mali & mali

XXVI. Perstringit Pontif. eos, qui ejusmodi ferendi decreti suggessere consilium.

Non debuit, fili, anima tanti Regis in tale venire consilium: non decuit excellentiæ tuæ prudentiam abire in consilio talium impiorum, qui, ut fluctues flagitant, & te ut demergaris impingunt: sed saltem postquam super hoc tuos oculos paterno lumine aperimus, stare non debes in via talium peccatorum; sed attentius præcavere te convenit, ne impulsu pravorum actuum tui solii cathedra pestilentiæ dici possit. Nec licuit, nec etiam expedivit, quod ad tuam considerationem pateret ingressus, tua & dicti regni moderni temporis qualitate pensata, tam insolitæ quam indebitæ novitati, per quam de regno non oriundis eodem conversandi in ipso, mercimonia licita, & actus non prohibitos cum libertate solita exercendi via præcluditur & aditus denegatur in multorum & etiam subditorum tuorum non leve dispendium & gravamen.

* solita

*Ipsi quidem subditi adeo sunt diversis oneribus aggravati, quod eorum ad te * solito & subjecta multum putatur refriguisse devotio; & quanto amplius aggravantur, tanto potius inposterum refrigescet: nec parum amisisse censetur, qui corda perdit subjectorum. Habet interdum usus sæcularium principum, vel abusus, hostibus de suis terris subtrahere commoda, & ut ad inimicorum terras subjecti non transeant, nec suarum terrarum bona portentur ad illos: sed sic generalem proferre sententiam, ut tulisti, non solum reprobatur in subditos, sed etiam in exteros cujuslibet nationis. Non * videris oculate,*

* videtur

** fuisse prudentiæ, qui præteritorum non meminit, præsentia non respicit, nec habet ad futura respectum: & si, quod absit, fuerit condentis intentio, ut ad nos & fratres nostros, ecclesiarum prælatos ecclesiasticasve personas, & ipsas ecclesias, ac nostra & ipsorum bona non solum in regno tuo, sed constitutorum ubilibet extendatur, hoc non solum fuisset improvidum, sed insanum, velle ad illa temerarias manus extendere, in quibus tibi sæcularibusque principibus nulla est attributa potestas; quinpotius ex hoc, contra libertatem eamdem temere veniendo, in excommunicationis sententiam promulgati canonis incidisses.*

* fuisse

Invehitur acerbe, si Rex Romanam aulam fraudare stipendiis consuetis deliberarit.

*Vide, fili, ad quod præmissi tui consiliarii te duxerint, ut sacramentorum ecclesiasticorum perceptione ac participatione privatus ad tam periculosi status ignominiam devenires. Vitavit hoc progenitorum tuorum sancta devotio ad ecclesiastica sacramenta, & promptitudo reverentiæ ad Apostolicam sedem, & a te his temporibus maxime vitanda fuissent, dum circa tua, & ipsius regni tui honores & commoda procuranda, & evitanda dispendia sic attente, sic laboriose, sic solicite vigilamus: ad quod enim venerabiles fratres nostros Bernardum Albanensem, & Simonem Penestrinum episcopos, nobilia utique Romanæ membra ecclesiæ, ad te ac tuum ac Angliæ Regem & regna transmisimus: ad quod etiam Senensem, & Papiensem episcopos, ac bonæ memoriæ Regin. archiepiscopum ad Alemanniæ Regem duximus destinandos; multiplicatis nihilominus aliis nuntiis, ad diversas partes propterea destinatis. Nonne pro tua & regni tui procuranda salute, ac adversitate vitanda noctes insomnes duximus, & subivimus intolerabiles quasi labores, postquam ad apostolatus apicem cœlestis dispositio nos vocavit? Nonne quotidianis tractatibus & solicitudinibus pro tuis agendis insistimus sine intermissione laborum? Certe non condignum pro iis nobis offers retributionis effectum, non ecclesiæ matri tuæ pro grandibus tibi, & progenitoribus tuis impensis muneribus gratiarum, & grata vicissitudine correspondes, si prædictæ constitutioni credita ingeratur intentio; quinimo nobis & ipsi mala pro bonis, & amara pro dulcibus reddidisses, versuriis erga nos & illam incautus * inertus, ut a te provocaremur injuriis, & provocati colluctaremur ad invicem in querelis, ac si etiam Dei & ecclesiæ adversantiam non curares; non considerans provide circumposita regno tuo regiones & regna, voluntatem & statum præsidentium in eisdem, neque tuorum conceptus forsitan subditorum constituorum in diversis partibus regni tui.*

XXVII. Præterita in Philippum officia commemorat.

* inhærens Malam pro beneficiis gratiam reponere obiicit.

Leva in circuitu oculos tuos, & vide: cogita & repensa Romanorum, Angliæ, ac Hispaniarum regna, quæ quasi undique

Pontificium illi patrocinium neceſſarium exponit.

te circumdant, eorumque potentias, ac ſerenitatem, & multitudinem incolarum; & paventer agnoſces, quod non fuit tempus acceptabile, non dies ſalutis, diebus iſtis nos & ipſam eccleſiam talibus punctionibus tangere, talibus perturbare punctburis: nec revocare debuiſſes in dubium quod noſtri & eccleſiæ adjutorii & favoris ſola ſubtractio in tantum te debilitaret ac tuos, quod ut cætera tua perinde omittamus incommoda, perſecutiones adverſas ferre non poſſes. At ubi nos tibi & eamdem eccleſiam adverſarios efficeres principales, adeo noſtræ & ejuſdem eccleſiæ, ac aliorum prædictorum provocationis gravior tibi farcina redderetur, quod ad ejus pondus tui efficerentur humeri impotentes. Abſit quod inſolentia conſiliariorum tuorum ad tantum exterminii præcipitium, te deducat. Abſit quod tuis ſenſibus quævis incæleſcat duritiæ ad talia prorumpendi. Abſit quod gratus olim filius tam graviter matri reddatur exoſus, & quod ſuis demeritis ſolita dulcedinis uberæ ſubtrahere ſibi ex neceſſitate cogatur, & quibuſvis periculoſis eventibus exponere vel relinquere non adjutum. Præpara in judicio, fili chariſſime, mentem tuam, & diſcerne ac judica quid Apoſtolicæ ſedi conceptus & conſiderationis advenerit, dum diebus iſtis circa diſcuſſionem & examinationem miraculorum, quæ ad invocationem claræ memoriæ Ludovici avi tui facta dicuntur, cum noſtris fratribus vacaremus, talia nobis xenia præſentaſti, talia præmiſiſti dona, quibus Dominum ad iram provocas, & indignationem non ſolum noſtram, ſed & ipſius eccleſiæ promereris. Cur degenerat tuæ clementiæ juventutis a felicibus actibus progenitorum tuorum, quibus dictam ſedem fide pura, & devotione ſincera ſummis ab antiquo ſtudiis coluerint, ſe ipſius beneplacitis coaptando? Succede virtutibus quæſumus, qui ſuccedis & regno, nullam immixturus maculam excellentis ſui luminis claritati.

XXVIII. Ob conſtitutionem apoſtolicam de non ſolvendis a clero ſubſidiis decretum illud regium ferri non debuiſſe, demonſtrat.

Quod ſi forſan ad iniquæ ſuggeſtionis inſtantiam aſſumpſeris cauſam edendæ conſtitutionis ejuſdem prætextu noſtræ conſtitutionis, quam nuper pro eccleſiaſtica edidimus libertate, talis profecto tam ſuggeſtorum, quam ſuggeſti motus nullus fulcitur auxilio rationis: conſtitutio enim noſtra, ſi ad rivalem ſenſum poſtpoſito conjuge non trahatur, id ſi bene perpenditur ſtatuit, quod alias per ſanctiones canonicas eſt ſtatutum, licet pœnas contra tranſgreſſores adjecerit, nonnullis excommunicatis, quaſi vitio peccare deſinentibus potius formidine pœnæ, quam amore virtutis. Non enim præciſe ſtatuimus, pro defenſione ac neceſſitatibus tuis vel regni tui ab eiſdem prælatis, eccleſiaſticiſve perſonis pecuniarium ſubſidium non præſtari; ſed adjecimus id non fieri ſine noſtra licentia ſpe-

Nixam æquitate fuiſſe oſtendit.

ciali, adductis in conſiderationem noſtram exactionibus intolerabilibus eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis, religioſis & ſæcularibus, dicti regni ab officialibus tuis auctoritate tua impoſitis atque factis; de futuris potius veriſimiliter formidantes, cum ex præteritis certitudo præſumi valeat de futuris: ſed te non novimus ad tales exactiones auctoritate fulcitum, cujus auctoritatis abuſum in te ac quolibet principe ſæculari divina & humana jura, quinimo judicia deteſtantur: cum tibi ſit & eis talis penitus auctoritas interdicta, quod tibi pro tua, & ſucceſſorum tuorum ſalute ad perpetuam rei memoriam præſentibus nuntiamus; nullique ſuggerenti contrarium fidem adhibeas, quinimo nec præſtes auditum.

Regios adminiſtros injuſte ab eccleſiis ſacras opes extorquere.

Obiicias, ſi quando per te vel progenitores tuos pro neceſſitatibus dicti regni ad eamdem ſedem habitus ſit recurſus, & inanis pertranſierit petitio aures ejus, quin fuerit efficaciter exauditi. Ubi regni nempe gravis, quod abſit, prædicti neceſſitas immineret, nedum ab ipſius prælatis, & perſonis eccleſiaſticis tibi vel ipſi ſedes eadem concederet, ac faceret ſubveniri; verum etiam ſi exigeret caſus ad calices, cruces, aliaque propria vaſa ſacra manus extenderet, priuſquam tantum & tale regnum, tam ipſi ſedi charum, immo chariſſimum, & ab antiquo devotum exponeret minoris curæ defectui, quo minus ab ea efficacis defenſionis præſidia fortiretur.

Si regnum periclitaretur, non veſtigalia modo, ſed ipſos etiam ſacros calices Rom. eccleſiam in ipſius auxilium converſuram.

*Nunc autem, amantiſſime fili, conſidera quis Rex, quiſve princeps regnum tuum non impugnatus a te, vel non offenſus impugnat. Nonne Rex Romanorum fuiſſe occupatas a te tuiſque prædeceſſoribus, ſeu occupatas teneri civitates & terras ſeu limites ad Imperium pertinentes cum inſtantia conqueritur, & ſpecialiter Burgundiæ comitatum, quod notum eſt fore feudum deſcendens ab Imperio, & recognoſcendum ab ipſo? Nonne chariſſimus in Chriſto filius noſter Rex Angliæ illuſtris de nonnullis terris Guaſconiæ aſſerit illud idem? Numquid ſuper iis dicti Reges denegant ſtare juri? Numquid Apoſtolicæ ſedis, quæ Chriſticolis omnibus præeminet, judicium vel ordinationem recuſant? Dumque in eos ſuper iis ipſi peccare te aſſerunt, de hoc judicium ad ſedem eamdem non eſt dubium pertinere. Profecto qui contra dictos Reges aſſumptionis, & proſcutionis malum dederunt conſulendo vel inducendo conſilium, dant periculoſiorem progreſſum: nec eſt habenda fiducia ſuper hoc veriſimiliter boni finis, cum ea, quæ * mala ſunt inchoata principio, ut frequentius vix bono exitu peragantur. Pone in recta ſtatera animarum pericula, corporum cædes, expenſarum voragines, damna rerum, quæ occaſione aſſumptionis & tuorum proceſſuum evenerint, rationis ſequens judicium, & non impetum voluntatis, a malorum conſilia-*

Burgundiæ comitatum Imperii beneficiarium eſſe. Vaſconiam ad Anglum ſpectare. Non declinare Adolphum & Eduardum judicium ſedis Apoſt.

Inculcat finitimos Reges ab ipſo læſos conqueri.

* malo

liariorum inſidiis elongatus; & tunc manifeſte cognoſces, te fuiſſe deceptum, nec expediviſſe te talia aſſumpſiſſe.

XXX. Conficere ſe in gravius diſcrimen ſi Romanam in ſe eccleſiam concitarit. * exilia

*Quid ergo tibi accideret, ſi, quod abſit, ſedem ipſam offenderes graviter, eamque hoſtium tuorum conſtitueres adjutricem, quin potius contra te faceres principalem? Cum nos & fratres noſtri, ſi Deus ex alto conceſſerit, parati ſimus non ſolum perſecutiones, damna rerum, & * exilia ſuſtinere; ſed & corporalem mortem ſubire pro eccleſiaſtica libertate. Sunt & alii, ſicut ad noſtram notitiam eſt deductum, qui maligne ſurrepunt, dicentes: Jam non poterunt prælati & perſonæ eccleſiaſticæ regni tui ſervire de feudis, vel ſubventiones facere, in quibus feudarum ratione tenentur: jam non poterunt unum ſciphum, unum equum dare liberaliter Regi ſuo. Non fertur ad tales & conſimiles interpretationes ſubdolas dictæ noſtræ conſtitutionis intentio: tam falſidicos interpretes non admittit, ſicut hæc plenius aliquibus tuis nunciis & familiaribus vivæ vocis oraculo ſæpius duximus exponenda.*

XXXI. Blanda a ſe præmiſſa ſuperioribus remedia.

Quantumlibet autem per ſubdolos impulſus verſatus ſis, ut caderes ob prædicta, & ea nos turbaverint, & ad indignationem non ſine ratione moverint, nos tamen paterni amoris ſoliti, ac eadem eccleſia te ſui uteri filium oblivíſci non poſſumus, quin ſuſpenſo rigore te in benedictionibus præveniendo dulcedinis, & viæ manſuetudinis proſequendo, experiamur primitus quam reverenter, quam efficaciter monita paterna ſuſcipies, & medicamenta curantis illius periti medici Samaritani vicarii, qui ſuper vulnera hominis cujuſdam de Jeruſalem deſcendentis in Jericho, qui inciderat in latrones, & fuerat ſpoliatus, ac vulneratus plagis impoſitis ſemivivus; miſericordia motus oleum & vinum apposuit.

XXXII. Vivarienſem epiſcopum ad hæc infinuanda mitti ſignificat.

*Igitur tali exemplo a fomentis olei benignius inchoantes, ecce venerabilem fratrem noſtrum Vivarienſem epiſcopum, virum quidem probatæ religionis, ſcientiæ eminentis, circumſpectionis maturæ, ex converſatione diutina nobis & fratribus noſtris notum & charum, ac tui honoris & commodi zelatorem, qui & de regno & terra tuis traxit originem; ad te providimus deſtinandum, ut præmiſſa ſolerter & clare celſitudini regiæ oraculo vivæ vocis exponat, & exprimat, ut præmittitur, mentem noſtram, quem ſuper his & ea contingentibus plene duximus informandum. Serenitatem itaque regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes quatenus non * ad animum revoces, ſed gratanter accipiens, quod te inſtanter reducere nititur ad ſalutem, paterna medicamina ſuſcipias reverenter, noſtriſque tibi & tuo regno ſalubribus monitis acquieſcens, errata ſic corrigens per te ipſum, nec per-*

* ab his

mittens in antea per falſa contagia te ſeduci; ita quod a Deo præmium exinde conſequaris, noſtram & dictæ eccleſiæ benevolentiam tibi conſerves & gratiam, & apud homines bonam famam; nec oporteat nos ad alia & minus uſitata remedia, perſeveranter inſtante, ac pulſante, nec non cogente juſtitia, extendere manus noſtras, quamvis hoc inviti, & involuntarii faceremus. Dat. Anagniæ VII. *kal. octobris anno* 11. Non deſtitere propterea politici memoratam de tuenda eccleſiaſtici ordinis immunitate conſtitutionem rodere: ac licet Philippus Rex officii monitus legem de pecunia e regno non efferenda in Italiam reſciderit, eam tamen poſtea cum graviores recrudeſcerent diſcordiæ, renovavit. De quibus ſuis locis inferius: nunc ad Bonifacii zelum in ſedis Apoſtolicæ contra pervicaces auctoritate aſſerenda ſermonem traducimus.

XXXIII. (a) Ep. 83.

Irrepſerat (a) ad Palentinam eccleſiam in Hiſpania Munio, laicorum ſcilicet potentia ac ſolutis eccleſiaſticis legibus; quem cum archiepiſcopus Toletanus, ut vitio creatum removere epiſcopali ſede debuiſſet, magno eccleſiaſticæ rei detrimento confirmarat. At Pontifex, reſtituendæ diſciplinæ avidus, Burgenſi archiepiſcopo dederat imperia, ut Toletano judicium irrenderet, lapſoque trimeſtri apud ſubſellia apoſtolica ſe ſiſtere juberet. Spernentem vero id edictum Toletanum archiepiſcopum Pontifex hujus ſententiæ terrore ad officium compulit: *Nos, qui ſecundum Apoſtolum prompti ſumus inobedientiam omnem ulciſci, ſine Dei & ſedis, cui præſidemus, offenſa diſſimulare amplius non valentes, quin tam longa contumacia, tamque continuata inobedientia ejus, & contemptus notabilis juſtiæ indignationis noſtræ motus ſentirent, & eos debita pœna percelleret, dictum archiepiſcopum, qui nos & dictam ſedem tandiu contempſit, contemptibilem juſto judicio reddere cupientes, ut in quo delinquerat puniretur; a confirmatione & conſecratione ſuffraganeorum ſuorum, nec non a collatione perſonatuum, dignitatum, canonicatuum, præbendarum, portionum, & præſtimoniorum Toletanæ eccleſiæ in præſentia fratrum noſtrorum uſque ad beneplacitum Apoſtolicæ ſedis ſuſpendimus, & volumus manere ſuſpenſum, eæ interim ſedi eidem ſpecialiter reſervantes. Et nihilominus ut ejus pœnæ ſit metus multorum, & tranſeat præceptorum noſtrorum contemptoribus & contumacibus in exemplum; memoratum archiepiſcopum, niſi infra quatuor menſes a tempore denunciationis ſententiarum & proceſſus noſtrorum hujuſmodi eidem factæ ſe perſonaliter noſtro conſpectui præſentaverit, ſuam purgaturus contumaciam, & oſtenſurus innocentiam, ſi poterit, in prædictis, alias promeritis vece-*

Toletanus archiep. intruſum confirmat.

Vocatus in judicium.

Incuſſæ illi pœnæ ob ſpreta apoſtolica imperia.

Intentatæ aliæ graviores minæ.

*receptarus ; archiepiscopali dignitate & administratione Toletanæ ecclesiæ eum decrevimus hoc ipso & * non decernimus fore privatum. Dat. Anagniæ x. kal. augusti anno* II.

* nunc

XXXIV. Exorta nova hæresis. (a) lb. ep. cur. 86.

Ad comprimendam etiam novæ hæreseos luem, quæ sensim in pluribus provinciis gravi Christianæ religionis discrimine pullulabat (*a*), Bonifacius magno ardore incubuit. An illa Fraticellorum [1] esset propago impia, aut alia quædam pestis, non insinuat in literis: præcipuos tamen errores, qui partim Fraticellis, partim Waldensibus, & aliis hæreticis communes fuere, exprimit damnatque. In primis novi cupidinum doctores, ut facile ad sectam feminas, cum quibus impura exercerent lenocinia, allicerent, administrandæ rei sacræ auctoritatem iis contulere, atque in conventiculis ad pascendam oculorum libidinem cum orationi vacandum erat, nudare corpora docuerunt. Sed hæc aliaque fœda horum hæreticorum dogmata e pontificiis literis accipiamus.

Bonifacius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Judiciaria acta in hæreticos.

*Nuper ad audientiam nostram pervenit, quod nonnulli, in viam Caim noviter abeuntes, errore Balaam effusi mercede, & contradictione Chore incendio perituri, quasi nubes sine aqua, quæ circumferuntur a ventis, infructuosi ut arbores autumnales, sicut errantia sydera, quibus in æternum tenebrarum procella servatur; & novis adinventionibus cæcitatis, æternis suppliciis non contenti, conantur in proximos contagionis venena diffundere, ut ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine ipsos deducant, ubi error inhabitat sempiternus. Accepimus namque, quod nonnullæ personæ se contra sanctam catholicam ecclesiam Romanam erigentes, etiam sexus feminei dogmatizant se ligandi & solvendi claves habere, pœnitentias audiunt, & a peccatis absolvunt, conventicula non solum diurna faciunt, sed nocturna, in quibus de suis pravitatibus conferunt, & de erroribus conveniunt in id ipsum, & prædicare præsumunt; tonsura clericali contra ritum Ecclesiæ abutentes, Spiritum sanctum se dare per impositionem manuum mentiuntur, & exhibendam soli Deo, & non alteri, cujuscunque fuerit conditionis, dignitatis & status *: efficaciores etiam illas orationes affirmant, quæ a nudatis toto corpore offeruntur: mulieres invicem se desponsant: dicunt fidelibus operari manibus non licere: mares nudi hujusmodi sectæ damnatæ feminas antecedunt, & in dicta sancta Ecclesia ligandi atque solvendi fore abnegant potestatem; non solum præmissis, & aliis novis inviis obvoluti, quibus erronee adhærentes ipsa sustinent & defendunt, sed & nonnullis erroribus, quos vetustas damnata produxit. Inter quos aliqui esse dicuntur apostatæ, qui professi fuerant in ordinibus approbatis, qui sagittas pestiferas cordibus simpliciorum infligunt* (his videntur notari Fraticelli, qui in eam colluviem confluxerant, de quibus horrenda a scriptoribus feruntur *b*).

Laici & feminæ solvendorum criminum pollere se auctoritate jactabant.

Tribuere Spiritum sanctum per manuum impositionem.

* reverentiam Daturi Deo preces nudabant corpora.

Obscæna eorum gesta.

Negabant Ecclesiam jurisdictionis auctoritate valere.

Conjunxerant se illis nonnulli religionum apostatæ.

(b) Prateol. in elench. ad vocem Fraticelli.

Commissi ergo nobis universalis Ecclesiæ cura regiminis, & apostolicæ solium dignitatis nos angunt & pungunt, & hortantur instanter, ut talibus, qui inconsutilem Domini tunicam dissuere moliuntur, salubribus remediis obviantes, insaniæ tantæ malum nostro intuitu divina nobis assistente gratia, dissipemus. Quapropter hujusmodi sectam, tam hæreticam quam insanam, de fratrum nostrorum consilio omnino damnantes, damnatam & hæreticam nunciamus, & universis Christi fidelibus ecclesiasticis vel mundanis, cujuscumque fuerint dignitatis, conditionis, aut status, districte præcipimus, ut mortale hujusmodi virus abiiciant, & talia nefanda credentibus nullum per se vel per alium publice vel occulte præstent auxilium, consilium, vel favorem, & ut non receptent eosdem: ecclesiarum vero prælatis, & etiam inquisitoribus hæreticæ pravitatis auctoritate apostolica institutis ubilibet, & instituendis in posterum districtius injungentes, ut contra tales, sicut contra hæreticos, auxiliatores, consiliatores, receptatores, & fautores eorum debitum sui officii diligentius exequantur, quos puniri volumus sententiis, pœnis, & mulctis illatis ipso jure, & inferendis per apostolicas canonicas ecclesiasticas & secularium principum sanctiones, præsertim quondam Frederici olim Romanorum Imperatoris tempore, quo idem in devotione Romanæ ecclesiæ persistebat, contra hæreticos seu quorumcumque ratione pravitatis hæreticæ ordinatas. Dat. Anagniæ kalen. augusti. anno II.

Censores fidei ad eam excidendam luem instituti.

Oppressæ eæ hæreses tum diligentia Bonifacii fuere, quæ postea variis temporibus iterum emersere, qua fœce inquinatus videtur impurus Dulcinus, qui lasciviæ ac impudentiæ frena laxavit Clemente V. Pontifice, a quo error profligatus est (*a*), sed ad Bonifacium redeamus. Distrinxit (*b*) is etiam legum severitatem in illos, qui Saracenis merces vetitas inferebant, incussisque pœnis gravissimis, arma, aliaque vetita invehi prohibuit.

(a) Clem. V. l. 6. ep. cur. 37. (b) lb. ep. cur. 36. 99.

XXXV. Merces Saracenis invehi vetitæ. Missi ad Nazarenæ domus veritatem indagandam exploratores.

Hoc anno decreta est in Syriam & Dalmatiam memoranda legatio a Picenis ad explorandam devectæ divinitus in agrum Recinetensem Nazarethanæ domus, in qua Virgo Christum Spiritus sancti opera concepit, veritatem. Permoti ad id fuere monitis Pauli e Sylva pii eremitæ, cui Deipara per speciem objecta id narrarat; tum sedium pluries mutatarum miraculo, tum Dalmatarum sibi ereptam professentium suspiriis, uti Horatius Tursellinus historiæ Lauretanæ scriptor accuratissimus hisce verbis exponit (*c*): *Picentibus vanum primo somnium visum, & auctor a multis pro somniatore habitus: deinde vero, quoniam de dato ademptoque divinitus Dalmatiæ sacello, Dalmatarumque ædem Lauretanam agnoscentium testimonio obscura quædam per eos dies fama emanarat, collegere sese, ac tantam rem minime negligendam existimarunt. Et recens eos admiratio stimulabat, quod eandem ædem ter uno anno sedem in agro Piceno mutasse meminerunt. Ergo internuntii ultro citroque missi: ac demum Recinetensibus auctoribus communi Picentium consilio decretum, ut ære contributo certi homines in Illyricum inde in Galilæam mitterentur rem oculis certisque indiciis exploraturi.* (*d*) *Igitur sexdecim viri fide, religione, auctoritate præstantes, ex omni Piceno lecti. His datum negotium ut Dalmatiam primum, inde Galilæam explorantes rem omnium intentius investigarent, & de natali B. Mariæ domo, quæ illis locis fuisse diceretur, comperta omnia domum referrent. Confestim illi transmisso Adriatico sinu Tersactum delati accolis adventus causa aperiunt sui. Ardebant dolore ex recenti adhuc vulnere Dalmatæ omnes. Talis ergo boni amissi recordatione ingemiscentes, summum ejus desiderium vocibus ac lacrymis testabantur. Legatis amice rogitantibus aream monstrant, quam B. Virgini domus infederat, atque inibi geminam illi ac similem ædem rei monumentum extructam. Et simul integrato fletu queruntur, ea sola Illyricis cœlestis doni reliqua esse vestigia; aliis tam divini muneris concessam gloriam, sibi tantum famam relictam. Itaque Picentium legati ædis Lauretanæ mensura, quam secum ad hunc usum attulerant, quaqua versus ducta, quod vacui erat spatii id Lauretanæ ædi prorsus congruere deprehendunt. Scisciati inde tempus amissi sacrosancti sacelli, comperiunt, id eodem plane tempore Illyricis exceptum, & Picentibus datum. Re satis explorata, cum utrique commemorassent præcipua utrobique patrata miracula, manantibus certatim lacrymis divelluntur; alteri desiderio mœsti, alteri lætitia gestientes.*

(c) Horat. Tursell. l. 1. hist. Laures. c. 12. ex præpos. Turcman. & Hier. Angelita.

(d) Cap. 13. ex iisd.

Illorum in Dalmatiam appulsus.

Quæ fuerint ab ipsis comperta.

Profectio in Syriam.

Legati igitur e vestigio vela faciunt. Et infra: *Nazarethum ut venere, natalem B. Mariæ inquirunt domum. De Christianis, qui qualescumque supererant in medio nationis pravæ sedulo scisciantur. Ab his edocti quæ, vigente adhuc Christiana re in Syria, partim ipsi a majoribus acceperant, partim suis ipsimet oculis viderant, ad optatum ducuntur locum. Reperiunt aream cum fundamentis avulsæ domus in solo relictis, quæ intensiore cura dimensi, omnia omnino cum Illyricis vestigiis ædisque Lauretanæ forma ac parietibus convenire comperiunt. Re utrobique gesta ex sententia, admodum læti conscendunt navim, ac remenso mari Anconam, unde solverant, revehuntur incolumes, Protinus domos repetunt, magistratibusque ac primoribus civitatum, unde missi erant, comperta referentes, suam illis lætitiam impertiunt. Et Recinetenses successu lætilegationis, cujus auctores fuerunt, monumentum extare voluerunt. Rem omnem in publicas tabulas referre placuit, additis sexdecim legatorum nominibus testimoniisque quo res testatior ad posteros foret. Earum literarum exempla, in privatorum ædibus asservata, ad nostram usque ætatem pervenerunt. Hæc autem per legatos cognita sunt anno a Virginis partu MCCXCVI.*

Quæ vita retulerint.

Concludamus hunc annum felici obitu insignis viri Henrici episcopi Ratisponensis, qui illam ecclesiam XIX. annis strenue rexit, muneribusque amplissimis locupletavit, quem Eberhardus, memoriam

XXXVI. Henrici episc. Ratispo. nensis pia mors.

mor-

NOTÆ [1] Hæreticos quos Bonifacius in constitutione sua, hic in annalibus recitata, perstringit ipsos fuisse Gerardi Segarelli Parmensis sectatores compertum est. Porro seductorem illum sub cimentita pietatis ac vitæ apostolicæ specie plures sibi socios comparasse, quibus Apostolicorum nomen indidit, discimus ex anonymo authore additamenti ad historiam Dulcini vulgati a Muratorio rer. Italic. to. IX. Narrat ille hæresim hanc cœpisse circa annum 1260. (Franciscus Pegna in notis ad Eimericum ex Salimbenio, qui vitam Segarelli sequenti sæculo scripsit, hanc epocham repetit ab anno 1246.) eamdemque damnatam notat ab Honorio IV. anno 1285. (legendum 1286. nisi forte anonymus iste veterem stylum sequitur) V. idus martii. Literæ istæ aliæ sunt planæ ab iis, quas Raynaldus eodem anno 1286. contra hæreses tunc glisscentes profert ad num. 37. datæ sunt enim illæ Romæ apud S. Sabinam XII. Kal. maii. Hac pontificia constitutione oppressa quidem, sed non plane extincta hæresis; nec diu abfuit, quin caput iterum erigeret, auctorque ejus Gerardus varias Lombardiæ urbes excurrens longe lateque hæresim suam propagaret. Incidit tandem nec semel in manus Inquisitorum, quorum metu hæresim suam abjuravit; sed libertati restitutus rediit ad pristina, donec in potestatem inquisitoris F. Manfredi Parmensis iterum incidens, ejus sententia sæculari potestati commissus atque ignis supplicio peremptus fuit. Quo anno capitale supplicium subierit, incertum; constat tamen, ipso fatente anonymo sub Bonifacio VIII. pœnam hanc criminis sui luisse. Cum vero inter errores, quos Dulcinius sectator ejus & discipulus asseruit, illi enumerentur apud eundem anonymum, quos pontifex in constitutione, de qua hic annalista, percenset, designari in illa hæreticum Segarellum non immerito suspicor. MANSI

mortis jugiter sibi proponentem, commendat his verbis (a): * *Septimo kalen. augusti Henricus Ratisponensis episcopus filiut comitis de Rotenekke moritur: postquam enim in die B. Jacobi Apostoli, quem speciali consuevit venerari honore, cum multa devotione missarum solemnia processionaliter celebrasset, & cum clero & populo se in mensa refecisset, hora vesperarum incœpit subito viribus corporis destitui, & sic in die altera expiravit. Qui miræ providentiæ & sagacitatis extitit: in tantum etiam, quod anniversarium suum vivus & sanus plusquam ad quatuordecim annos ante mortem suam instituit, & ejusdem celebrationem cum candelarum accensione & pulsatione, quæ consuevit fieri in funere episcopi, vigiliis & missis annis singulis interfuit. Sepulcrum similiter sibi longe ante ad* XII. *annos fabricavit, & provi-*

* al. Jexto

(a) Eberhar. apud Can. antiq. lect. to. 1. p. 331.

*dit juxta altare B. Virginis in majori, veteri tamen ecclesia Ratisponæ. * Trucam etiam, in qua sepeliri debuit, cum vestibus funeralibus ibidem impositis in memoriam continuam mortis suæ per eosdem annos habuit locatam a latere lecti sui. Item in spiritualibus mirabiliter providus extitit, non solum vetera statuta servando, immo & multa nova salubriter condendo. Musicam primus in choro Ratisponæ cantari ordinavit, libros ejusdem artis secundum cantum, & chori consuetudinem providendo. Ecclesiam Ratisponensem etiam multis pretiosis decoravit ornamentis, crucibus, calicibus aureis & argenteis, gemmis pretiosis, mitris, cappis, casulis, dalmaticis, vexillis, cortinis, libris, & aliis, quibus fuit ante sua tempora quodammodo omnimodis destituta.*

* id est loculum.

Salubris mortis cogitatio.

I.

ANno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, indictione decima, Jacobus Aragonum Rex parto anno superiori regno Murciæ clarus (a) Romam applicuit; atque ingenti apparatu ac magnificentia a Bonifacio exceptus est, utque antea insularum Sardiniæ & Corsicæ jurium potiundorum spem illi injectam vidimus, ita demum votorum compos factus, conjunctis iis regnis ad summam potentiam efforuit. Confluxisse etiam Romam Carolum Siciliæ Regem, Constantiam (b) Reginam Jacobi matrem, una cum Joanne Prochita ac Rogerio Lauria, qui a Friderico desciverant, eosque censuris quibus irretiti fuerant, solutos fuisse scribunt auctores; tum magna pompa Roberti Caroli Regis filii una cum Jolanta Jacobi sorore nuptias celebratas (c): Fridericum vero in illud Regum Pontificisque colloquium non modo venire respuisse, sed ad Siciliæ tyrannidem confirmandam incubuisse; ad quem inde divellendum agitata a Regibus ac Pontifice consilia. Addit Surita leges quibus Sardiniæ & Corsicæ regna ab sede Apostolica Regi Aragonum ejusque posteris tradita fuerint, quas ex regestis (d) Pontificiis adducere satius visum est.

(a) Surit. l. 5. c. 22. Marian. l. 13. c. 1. Celebre colloquium a Siciliæ & Arag. Regib. Romæ celebratum cum Bonifacio.

(b) Surit. l. 5. annal. c. 28. & ind. l. 2. & alii.

(c) Jo. Vill. l. 8. c. 18. S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 5. Sur. ind. l. 2. Summont. l. 3. & alii.

Fridericus ad illud accedere detrectavit.

Agitatum de recuperanda Siciliæ insula.

II.

Bonifacius episcopus servus servorum, charissimo in Christo filio Jacobo Sardiniæ, & Corsicæ Regi illustri.

Ad honorem Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti & beatæ, & gloriosæ semperque virginis Mariæ, beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, necnon & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de fratrum nostrorum consilio & assensu regnum Sardiniæ & Corsicæ, quod ipsius ecclesiæ juris & proprietatis existit, cum juribus omnibus & pertinentiis suis tibi & tuis heredibus ex tuo & ipsorum corporibus legitime descendentibus utriusque sexus natis jam, & etiam nascituris, in perpetuum feudum gratiose conferimus, & ex Apostolicæ sedis liberalitate concedimus, & donamus sub modo, forma, tenore, & conditionibus, & conventionibus contentis præsentibus a nobis, nostrisque successoribus canonice intrantibus, & dicta Romana ecclesia tenendum in feudum, & per cuppam auream te de eodem præsentialiter investimus; ita quod tam tu, quam quilibet tuorum heredum in dicto regno pro ipso regno Sardiniæ & Corsicæ nobis & ipsi Romanæ ecclesiæ præstabitis, & præstare tenebimini ligium homagium, vassallagium plenum, & fidelitatis juramentum sub forma inferius annotata: & pro eodem regno Sardiniæ & Corsicæ supra dicto nobis & eidem ecclesiæ servire infra Italiam sitis astricti de centum equitibus, decenter ar-

(d) Ext. l. 3. Bonifac. VIII. ep. cur. 37. & in archivo molis Adriani & lib. priv. Rom. eccl. to. 1. p. 427. to. 2. p. 122. 190. 356. & to. 3. p. 105. & inter collect. MS. Platin. jussu Sixt. IV. edita. to. 1. pag. 244. & in MS. Vallic. sign. lit. D. n. 1. p. 33.

matis, cum uno equo ad arma & duabus equitaturis ad minus per quemlibet, & quingentis peditibus, inter quos sint saltem centum balistarii de bonis balistis armati, & muniti, & reliqui pedites suo modo sint convenienter armati: & tam equites quam pedites sint incolæ terræ vestræ in Aragonia, vel Catalonia, seu aliis partibus eisdem adjacentibus constituta cum sumptibus, gagiis, & expensis vestris per trimestris temporis spatium a die, quo ipsi equites & pedites intrabunt terram ecclesiæ computandum. Erit autem in potestate Romani Pontificis seu dictæ ecclesiæ prædictos equites & pedites ultra præfati trimestris temporis spatium ad similia sumptus, gagia, & expensas ipsius ecclesiæ, si plus eos vel ipsorum aliquos voluerit retinere. Et si Rom. Pontifex, vel etiam ipsa maluerit dictum servitium equitum & peditum commutare totaliter cum stolio vel certo numero galearum, seu vasorum maritimorum armatorum infra maritimam Italiæ, possint hoc facere, & tu & heredes ipsi commutationem eandem facere teneamini, & sitis adstricti; dando infra ipsum maritimam quinque galeas bene guarnitas, munitas, & armatas de bonis hominibus, & aliis opportunis vestris expensis per tres menses, computandos a die, quo ingressæ fuerint maritimam Italiæ, terris ecclesiæ supradictæ vicinam, quas munitas taliter ultra dictos tres menses ad similia gagia & expensas suas, si Romanus Pontifex vel ecclesia ipsa voluerint, poterunt retinere. Præstabitis autem, & præstare tenebimini supradicta servitia equitum & peditum & galearum, ut superius est expressum, semel in anno quandocumque indigebit Romanus Pontifex seu Romana ecclesia, de quo ipsius Romani Pontificis vel ipsius ecclesiæ simplici verbo credetur.

Impositæ illi leges. Militum numerus in ecclesiæ obsequio sustentandus.

Qua ratione terrestres eæ copiæ cum maritimis commutandæ.

III.

Et insuper tam tu, quam quilibet tuorum heredum in dicto regno Sardiniæ & Corsicæ, pro ipso regno censum duorum millium marcharum argenti bonorum & legalium sterlingorum, ubicumque Romanus Pontifex fuerit, ipsis Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & ecclesiæ, vel ipsi ecclesiæ ubi ipsa fuerit sede vacante, recipienti pro futuro Pontifice, & pro portione collegium ipsius ecclesiæ Cardinalium contingente; in festo beatorum Apostolorum Petri, & Pauli annis singulis integraliter pro dicto regno Sardiniæ & Corsicæ persolvetis. Ad quem censum, ut præmittitur, persolvendum tam tu, quam quilibet heredum tuorum in ipso regno tenebimini ut sitis adstricti: Si vero tu, vel quicumque heredum tuorum in ipso regno statuto termino non solveritis integre, ut præmittitur, censum ipsum; & expectati per

Census indictus.

quatuor menses, terminum ipsum immediate sequentes, de illo ad plenum non satisfeceritis, eo ipso eritis excommunicationis vinculo innodati. Quod si in secundo termino infra subsequentes alios quatuor menses eundem censum sine diminutione qualibet non persolveritis, totum regnum Sardiniæ & Corsicæ erit ecclesiastico suppositum interdicto. Si vero nec in tertio termino, nec infra alios quatuor menses proximos per plenam satisfactionem ejusdem census tu & heredes tui vobis duxeritis consulendum; ita quod, transactis eodem tertio termino & quatuor proximo sequentibus mensibus, non sit de hujusmodi censu primi termini ipsi ecclesiæ integre satisfactum; ab eodem regno Sardiniæ & Corsicæ ipso jure cadatis ex toto, & regnum ipsum ad Romanam ecclesiam ejusque dispositionem integre, & libere revertatur: nihilominus pro singulis duobus millibus marcharum singulorum terminorum, si simili modo in eorum solutione cessaveritis, vel illa non solveritis; tu & quivis tuorum heredum in dicto regno Sardiniæ & Corsicæ pœnas similes incurratis, salvis aliis pœnis, processibus, & sententiis, quæ vel qui de jure inferri, vel haberi, sive proferri poterunt per Romanum Pontificem, vel sedem Apostolicam specialiter in hoc casu; sed ad censum ipsum solvendum, & ad ipsum servitium exhibendum dictæ ecclesiæ tunc teneamini cum effectu, cum tu vel heredes tui in dicto regno Sardiniæ & Corsicæ ipsius regni vel majoris partis ejus fueritis possessionem adepti.

Pœnæ non solventi objectæ.

IV. Censuræ ecclesiasticæ intentatæ.

Cæterum quia in quibusdam articulis seu capitulis modi, formæ, tenoris, seu conditionum, vel conventionum ipsorum præsentibus contentorum expressius continetur, quod in certis casibus tu & tui in eodem regno heredes excommunicationis sententiam incurratis, & dictum regnum sit ecclesiastico suppositum interdicto; quodque tam tu quam heredes ipsi cadatis a regno, seu sitis regno ipso privati; nos ex nunc hujusmodi sententias videlicet excommunicationis in te ac eosdem heredes, & interdicti in præfatum regnum Sardiniæ & Corsicæ, & privationis regni ejusdem, si tua vel ipsorum culpa hujusmodi casus emerserit, de dictorum fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica promulgamus. In succedentibus vero tibi tuisque heredibus circa successionem tuam tuorumque heredum in dicto Sardiniæ & Corsicæ regno forma adiicitur, & servabitur infrascripta; videlicet quod ille vel illa dumtaxat, qui vel quæ tibi tuisque heredibus in Aragoniæ regno debebit succedere, in dicto Sardiniæ & Corsicæ regno succedat, & non alius vel alia. Item quod unus & idem sit Rex regni Aragonum, & regni Sardiniæ & Corsicæ prædictorum, & in suis casibus ubi ad successionem femina admitteretur, utriusque regni eadem sit Regina.

Sardicum regnum ab Aragonio non dividendum.

Et si in tuo vel heredum tuorum obitu legitimos heredes, prout sequitur, te & ipsos, quod absit, habere non contingat de tuo vel ipsorum corporibus legitime procreatos, regnum ipsum Sardiniæ & Corsicæ ad Romanam ecclesiam supradictam & ejus dispositionem libere revertatur. Descendentes autem ex te & tuis heredibus, Sardiniæ & Corsicæ Regibus, ex tuo vel ipsorum corporibus de legitimo matrimonio nati, mares & feminæ, in eodem regno succedent: sic tamen quod de liberis pluribus maribus in eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus primogenitus, & de pluribus feminis similiter primogenita, & de mare & femina in eodem gradu similiter concurrentibus, masculinis omnibus aliis præferatur: sed nec mares nec feminæ illegitime natæ succedant. Quod autem de feminis rectæ lineæ dicitur, intelligendum est tam de nuptis, quam etiam de innuptis; dum tamen nuptæ sint fidelibus, & ecclesiæ Romanæ devotis. Et sicut inter has personas gradus serviari volumus, ut scilicet prior gradus posteriori gradui præferatur, sic & in eodem gradu pluribus concurrentibus priorem natu posteriori, & marem feminæ in hujusmodi successionibus volumus anteferri: personarum autem hujusmodi nulla superstite, regnum ipsum Sardiniæ & Corsicæ ad Romanam ecclesiam & ejus dispositionem libere revertatur. Quod si forte, deficientibus masculis, contigerit feminam innuptam regno ipsi succedere, illa maritabitur personæ, quæ ad ipsius regni regimen & defensionem existat idonea, Romani tamen Pontificis prius super hoc consilio requisito; nec nubet nisi viro catholico, & ecclesiæ Romanæ devoto. Et si contra hoc fieret, licebit eidem Romano Pontifici contra ipsum ad privationem regni Sardiniæ & Corsicæ de plano, sine strepitu & figura judicii & absque omni juris solemnitate, in quacumque ætate filia ipsa consisteret, procedere, si hoc ei videbitur expedire. Veruntamen quomodocumque, te vivente, vel quovis tuo herede, in eodem Sardiniæ & Corsicæ vivente, tu vel quivis heredum tuorum in ipso regno volueritis cum consensu expresso Romani Pontificis & Romanæ ecclesiæ de persona, quæ tibi vel ei successura sit, in prædicto regno Sardiniæ & Corsicæ aliter ordinare, illud de hujusmodi persona successura servabitur, quod per te vel quemvis heredum tuorum in ipso regno cum consensu expresso Romani Pontificis & Romanæ ecclesiæ fieri, vel ordinari contiget.

V. Quo casu ad ecclesiam devolvendum.

Qui servandi ad successionem gradus.

Ad hæc tam tu, quam tui in regno ipso heredes regnum ipsum Sardiniæ & Corsicæ nullatenus dividatis; sed semper illud unus tantum sub ipsis modo & forma, tenore, conditionibus, & conventionibus immediate & in capite a nobis & successoribus nostris, & ab ipsa ecclesia Romana tenebit. Forma vero juramenti fidelitatis, vassallagii, ligii, & homagii, quæ tu in nostra præsentia facies, & præstabis pro regno Sardiniæ & Corsicæ sæpedicto; & quam præstari & fieri volumus, ac servari a tuis heredibus in eodem, verbis competenter mutandis, talis est.

VI. Sardicum & Corsicum regna non partienda inter plures heredes.

VII. Sacramenti a Jacobo exhibendi forma.

Ego Jacobus Dei & Apostolicæ sedis gratia Rex Sardiniæ & Corsicæ plenum vassallagium, fidelitatem, & ligium homagium faciens, & juramentum præstans pro dicto regno Sardiniæ & Corsicæ, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro, domino meo domino Bonifacio divina providentia Papæ VIII. suisque successoribus canonice intrantibus, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio, aut consensu, vel facto ut vitam perdant aut membrum, aut capiantur mala captione. Consilium, quod mihi credituri sunt per se, aut per nuncios suos, sive per literas ad eorum damnum, me sciente, nemini pandam: & si scivero fieri, vel procurari, sive tractari aliquid, quod sit in ipsorum damnum, illud pro posse impediam: & si impedire non posem, illud eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri tam in regno prædicto, quam alibi existentia adjutor eis ero ad retinendum & defendendum, ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Universas & singulas conditiones, modos, seu formas, & tenores contentos in literis concessionis dicti regni Sardiniæ & Corsicæ, ac omnia & singula, quæ continentur in eisdem literis, plenarie adimplebo, & inviolabiliter observabo, nec ullo umquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.

VIII. Singulis Pontificibus illud præstandum.

Similia autem fidelitatem, vassallagium plenum, & homagium ligium & juramentum renovabis, facies, & præstabis unicuique Romano Pontifici & dictæ ecclesiæ infra annum a die, quo in Romanum Pontificem electus fuerit, computandum: & similia præstabit & faciet, & similiter renovabit, & facere, præstare, & renovare tenebitur unusquisque heredum tuorum in dicto regno unicuique Romano Pontifici qui erit pro tempore, & ipsi Romanæ ecclesiæ secundum formam præscriptam nomine Romani Pontificis, qui tunc erit, & suum nomen proprium exprimendo. Et postquam tu & heredes in regno Sardiniæ & Corsicæ sæpedicto præstiteritis & feceritis personaliter juramentum, fidelitatem, homagium, seu vassallagium secundum prædictam formam uni Romano Pontifici per vos ipsos, alii Romano Pontifici non astringamini personaliter præstare & facere; dummodo illa præstetis & faciatis infra annum per idoneum vel idoneos substitutos, ad hoc plenum mandatum habentes. Et si plus placuerit Romano Pontifici, vel Romanæ ecclesiæ, juramentum, fidelitatem, vassallagium, & homagium prædicta præstabitis, & facietis tu & heredes tui nomine summi Pontificis & Romanæ ecclesiæ illi vel illis, quem vel quos ad hæc specialiter ipse Romanus Pontifex, vel sedes eadem deputabit. Quandocumque vero tu vel heredes tui in regno prædicto prædicta juramentum, fidelitatem, vassallagium, & homagium præstabitis & facietis per vos, vel per alium, seu alios, ut superius continetur, dabitis infra mensem post Romano Pontifici & eidem ecclesiæ patentes literas aurea bulla bullatas; prædictos & infrascriptos modos, & conventiones, conditiones, tenorem, & formam acceptantes expresse; & formam dictorum homagii & juramenti fidelitatis, & vassallagii similiter & specialiter exprimentes.

IX. Tuenda immunitas cleri Sardici.

Sane omnibus ecclesiis tam cathedralibus quam aliis, regularibus & sæcularibus; nec non & omnibus prælatis & clericis, ac universis personis ecclesiasticis, sæcularibus, & religiosis, & quibuslibet religiosis locis dicti regni Sardiniæ & Corsicæ libere dimittantur, & conserventur integre omnia bona & jura eorum. Omnes insuper ecclesiæ tam cathedrales quam aliæ, regulares & sæculares; necnon & omnes prælati & clerici, ac universæ personæ ecclesiasticæ, religiosæ & sæculares, & quæcumque religiosa loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, & nominationibus, promissionibus, & omnibus aliis, plena libertate gaudebunt; nec ante electionem, sive in electione, vel post regius assensus vel consilium aliquatenus requiratur. Quam utique libertatem tu & tui in eodem regno heredes semper manutenebitis, ac manuteneri facietis ab omnibus subditis vestris, dictæque ecclesiæ ac personæ utentur libere omnibus bonis & juribus suis: salvo tibi & tuis in regno ipso heredibus jure patronatus in ecclesiis in tantum, quantum in hac parte patronis ecclesiarum canonica institutа concedunt; & illis dumtaxat ecclesiis, in quibus tibi tuisque heredibus jus patronatus competere dignoscatur.

X. Permittendæ ad aulam pontificiam provocationes.

Omnes etiam causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes libere & absque ullo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur, coram suis ordinariis & aliis ecclesiasticis judicibus, & terminabuntur per eos: & si ad sedem Apostolicam super hujusmodi causis appellari contingeret, tam appellantes, quam appellati ad eandem venire sedem pro appellationum prosecutionibus libere, & absque inhibitione aliqua permittantur. Omnibus insuper capitulis, collegiis & conventibus, & personis ecclesiasticis, religiosis & sæcularibus, ac communitatibus, vel universitatibus, & personis sæcularibus quorumcumque

que locorum dicti regni, cujuscumque conditionis & status extiterint, quoties per te vel aliquem heredum tuorum tuos officiales, vel ministros, aut alicujus eorum senserint se gravatos, ad Apostolicam sedem liberum super hoc liceat habere recursum; nec præstabitur eis obstaculum, quo minus libere & secure recurrant.

XI. *Sacramenta vero fidelitatis, seu assecurationis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis ecclesiarum prælatis, quorum prædecessores illa antiquitus soliti sunt præstare. Ab illis autem prælatis & ecclesiis, qui temporalia bona tenent, si qui tamen sunt, qui hujusmodi bona teneant a domino dicti regni, & aliis dominis temporalibus; & qui ratione hujusmodi bonorum ab antiquo consueverunt Regibus vel aliis dominis temporalibus, in dicto regno Sardiniæ & Corsicæ constitutis, servitia exhibere, hujusmodi honesta & antiqua servitia eis secundum rationabilem & antiquam consuetudinem, & sicut instituta patiuntur canonica, impendantur, salva semper circa ecclesias cathedrales, & alias regulares, ac personas & loca ecclesiastica, tam in faciendis provisionibus & electionibus confirmandis, quam in omnibus quibuscumque aliis, Romani Pontificis & ecclesiæ Romanæ jurisdictione & auctoritate plenaria, & libera potestate.*

Libertas in electionibus præsulum non infringenda.

XII. *Revocabis quoque omnes constitutiones seu leges, vel statuta per Reges seu principes sæculares Sardiniæ & Corsicæ edita contra ecclesiasticam libertatem, nec statuta vel constitutiones aliquas tu vel aliquis heredum tuorum in dicto regno edetis aut promulgabitis, per quæ seu quas juri & libertati ecclesiasticæ derogetur. Promittes etiam quod tuo vel heredum tuorum tempore nullus clericus, vel persona ecclesiastica ejusdem regni in civili, vel criminali causa convenietur coram judice sæculari, nisi super feudis judicio petitorio conveniatur civiliter, quatenus canonica jura permittunt: sed omnibus ecclesiis & personis ecclesiasticis conservetur libertas, nisi sit de illis personis, de quibus jura permittunt.*

Improbæ contra dignitatem ecclesiasticam leges rescindendæ.

Nova tributa ecclesiis non imponenda.

Nullas insuper tu, aut quisquam alius tuus in regno Sardiniæ & Corsicæ heres tallias imponetis ecclesiis, monasteriis, clericis, & viris ecclesiasticis, vel rebus, seu vassallis eorum, & in ecclesiis vacantibus tu vel tui in prædicto regno heredes nulla habebitis regalia, nullosque fructus, reditus, & proventus; nullas etiam obventiones, ac nulla prorsus alia percipietis ex eis, nihilominus custodia earundem ecclesiarum, jurium & bonorum ipsarum interim libera remanente penes personas ecclesiasticas juxta canonicas sanctiones, salvis tibi dictisque heredibus his, quæ tibi vel eis tamquam Regi vel domino temporali competerent ex præscriptione legitima, consuetudine antiqua & rationabili, privilegiis legitimis, aut alias de jure, quibus jura divina vel canonica non obsistant. Judices vero, comites, barones, milites, & personæ cæteræ sæculares regni ejusdem, tam magnæ quam parvæ, in suis bonis, juribus rationabilibus, & in rationabilibus consuetudinibus servabuntur. Et tam tu quam in prædicto regno heredes per vos, alium, seu alios exercebitis regimen dicti regni secundum jura civilia, quibus canonica instituta non obviant, & laudabiles consuetudines, salvis regiminibus ecclesiarum vel sæcularium personarum, competentibus eis de approbata & laudabili consuetudine privilegiis legitimis, aut alias de jure.

XIII. *Omnes captivos & obsides, præsertim Romanos & alios de terra ecclesiæ oriundos, si quos tu vel tui in dicto regno heredes tempore, quo acquiretis dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ invenietis in eo, ad mandatum Romani Pontificis, seu Romanæ ecclesiæ restituetis pristinæ libertati, de eis facietis quod dictus Romanus Pontifex, vel Romana curia ordinabunt. Nullam etiam confœderationem, seu pactionem, vel societatem cum aliquo Imperatore vel Rege, seu principe vel barone Christiano, vel Græco, aut Saraceno, vel cum aliqua provincia, seu civitate, vel communitate, vel loco aliquo seu personis scienter contra Romanam ecclesiam tu vel tui in eodem regno heredes in damnum ecclesiæ facietis: & si etiam feceritis ignoranter, teneamini ad mandatum Romani Pontificis, seu Romanæ ecclesiæ revocare. Et tam tu quam tui in eodem regno heredes amicos & devotos ecclesiæ habebitis pro amicis & pro devotis, & inimicos & indevotos ecclesiæ pro indevotis habebitis, nec æmulis seu inimicis ecclesiæ auxilium dabitis, consilium, vel favorem. In Urbe, Urbisque districtu, seu in circumposita regione, aut in provinciis, civitatibus, terris seu locis ecclesiæ Romanæ subjectis non recipietis vel assumetis, aut acquiretis dominium, regimen, seu rectoris officium quocumque nomine censeatur; nec de occupandis, vel recipiendis, aut capiendis vel subjugandis eisdem, seu aliis bonis & juribus ejusdem ecclesiæ, tu & quivis tuorum heredum intromittetis vos publice vel occulte scienter: quod si contra feceritis ignoranter, & moniti ab ipsa ecclesia non destiteritis, cadetis a jure dicti regni Sardiniæ & Corsicæ ipso facto, vel eritis illo privati, & regnum ipsum ad Romanam ecclesiam libere devolvatur.*

Fœdus nullum cum hostibus ecclesiæ ineundum.

Nulla præfectura in ditione pontificia admittenda.

XIV. *Quod si forte contingeret te, vel heredes tuos in prædicto regno Sardiniæ & Corsicæ successores, in Regem vel Imperatorem Romanorum, seu Regem Theutoniæ eligi vel assumi, electus vel assumptus nullo modo*

Sardiniæ Rex Rom. Imp. spe exclusus.

do dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ cum dictis Imperio & regno valeas vel valeant retinere: & si moniti ab ipsa ecclesia dicta Imperium & regna Romanorum seu Theutoniæ non dimiseritis, a jure dicti regni Sardiniæ & Corsicæ ipso facto cadatis ex toto, ac regnum ipsum ad Romanam ecclesiam libere devolvatur; nisi forte tu, vel idem electus vel assumptus filius habeat successurum sibi in regno Aragoniæ, quem voluerit emancipare, legitime poterit sine fraude, renunciando dicto regno Sardiniæ & Corsicæ, nihil unquam juris habiturus in eo publice vel occulte, & dicta regna Romanum, seu Theutoniæ, ac Imperium retinere. Quod si contra tu, vel tui in prædicto regno Sardiniæ & Corsicæ heredes feceritis, & moniti ab ipsa ecclesia non destiteritis, a jure dicti regni Sardiniæ & Corsicæ ipso facto cadatis, & regnum ipsum ad Romanam ecclesiam libere devolvatur. Ad hæc, ut tibi plus præsidii & favoris accrescat, te regna & bona tua stabilia ubilibet constituta sub B. Petri & nostræ protectione suscipimus, disponentes te & ipsa gladio spirituali defendere ac tueri, prout expediens fore videbimus.

XV. Profiteri jussus id regnum liberalitate pontificia accepisse.

Demum in nostra præsentia confiteberis, & recognosces expresse, ex gratia & liberalitate nostra & dictæ ecclesiæ dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ tibi tuisque heredibus fore concessum in feudum; & sic te illud recipere vel recepisse sub conditionibus, conventionibus, sive pactis, modo, tenore, ac forma, quæ in præsentibus nostris literis continentur, quos per stipulationem solemnem promittes, & jurabis, te inviolabiliter servaturum: pro quibus etiam servandis dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ, jura tibi in eo competentia & competitura, & bona tua, quæ ibidem consistent, nobis & ipsi ecclesiæ obligabis. Et promittes nihilominus, quod successores tui heredes in dicto regno Sardiniæ & Corsicæ eo tempore, quo facient & præstabunt vassallagium, homagium, & fidelitatis juramentum sub forma prædicta, similia confessiones, recognitiones, promissiones, juramentum & obligationes facient & præstabunt Romano Pontifici, qui erit pro tempore, & ecclesiæ supradictæ.

XVI. *Insuper tam tu, quam quilibet heredum tuorum in dicto regno Sardiniæ & Corsicæ, illis temporibus, quibus feceritis & præstiteritis vassallagium, & fidelitatis juramentum pro eodem regno Sardiniæ & Corsicæ, dabitis infra mensem post privilegium seu literas aurea bulla bullatas, in quo vel quibus fatebimini & recognoscetis expresse dictum Sardiniæ & Corsicæ regnum a nobis, & Romana ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, conventionibus, modo, & forma atque tenore, quæ in præsentibus literis continentur: quos tenorem, modum, conditiones, conventiones, & formam promittetis vos inviolabiliter servaturos: pro quorum observantia obligabitis vos & dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ, jura & bona vobis competentia & competitura in eo. Omnium autem prædictorum, quæ in præsentibus nostris literis continentur, declaratio & interpretatio, quoties opus fuerit, faciendæ ad Romanum Pontificem seu Romanam ecclesiam pertinebunt, quotiescumque super ipsis, vel eorum aliquo, vel aliquibus ambiguitatis aliquid vel dubii oriri continget, cuivis Romani Pontificis vel Romanæ ecclesiæ interpretationi, & declarationi, stabitur verbo seu literis, prout ipsis Romano Pontifici vel ecclesiæ placuerit, faciendis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ collationis, concessionis, donationis, investituræ, promulgationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum pridie non. aprilis pontificatus nostri anno III.*

Dubiorum interpretatio Romano Pont. reservata.

XVII. Adjecta conditio.

Ita porro ea regna concessa, quæ ex Pisanorum aliorumque invasorum manibus erant eripienda, ut si ad recuperandam Siciliam aliis concedenda Apostolicæ sedi viderentur, id intra omnium sanctorum festum ei præstare liceret (*a*).

(*a*) *Lib. 3. ep. cur. 29.*

Jacobo Regi Sardiniæ & Corsicæ illustri.

Cum regnum Sardiniæ atque Corsicæ tibi, posterisque tuis sub certis modis & formis duxerimus concedendum, volumus & præsentium auctoritate decernimus, quod quantumcumque hujusmodi facta fuerit pura concessio, hoc expressum intelligatur & actum, quod si pro pace regni Siciliæ infacto vel ante factum fuerit nobis, & ecclesiæ Romanæ ipsum regnum Sardiniæ ac Corsicæ necessarium, disponendi de ipso Sardiniæ & Corsicæ regno, ac illud aliis concedendi usque ad festum omnium sanctorum proximo futurum sit nobis & eidem ecclesiæ libera & plena reservata facultas; quodque tu super hoc regium præstes assensum per tuas patentes literas, harum seriem continentes, nobis ad nostrum beneplacitum assignandas. Dat. Romæ apud S. Petrum non. aprilis an. III.

XVIII. Jacobus crucesignati exercitus dux creatus.

Præter ea regna Jacobo tradita, Bonifacius ipsum Christiani exercitus in orientem trajecturi ducem (*b*) creavit; ut enim Sicilia perduellis Christianas ibi res labefactarat, ita in spem veniebat Bonifacius, ut si in ecclesiæ obsequium rediret, tunc omnium principum Christianorum arma in Saracenos verrere posset: magnæque Aragoniis gloriæ fuit, ut fedes Apostolica ipsorum Regem Christianarum copiarum ducem eligeret. Cæterum astrinxit se Jacobus in Christiani nominis patrocinium

(*b*) *Ib. ep. cur. 30.*

nium triremes adversus infideles egregie rebus omnibus instructurum. Bonifacius vero omnia ipsius bona in sedis Apostolicæ clientelam suscepit; eunctosque illorum invasores defigendos anathemate, ac terras eorum interdicto subiiciendas decrevit. Præterea Ilerdensi, & Cæsaraugustano episcopis provinciam imposuit, (a) ut Regis Aragonum, in apostolicum patrocinium suscepti res defenderent. Scribit Surita, (b) Bonifacium hæc recuperandæ ex hostium manibus Siciliæ studio perfeciſſe, ut Aragonios & Catalanos omnes a Friderico ea arte abduceret, illiusque opera ad Siciliam expugnandam uteretur. Sed potiſſime Pontificem ad id adductum conſtat ut Sicilia conjuncta ecclesiæ Chriſtiani nominis fines latius circumferret, terraſque orientales recenti clade a Saracenis occupatas vero Numinis cultui reſtitueret.

In clientelam sedis Apost. susceptus.

(a) Ep. cur. 33.
(b) Surit. l. 5. ann. c. 35.

Ad futuram rei memoriam.

XIX. (c) Ead. ep. 30. Bonifacii literæ de creato Jacobo signifero ecclesiæ.

Redemptor (c) mundi, in cujus diſpoſitione univerſa conſiſtunt, civitatem Jeruſalem prævidens ruituram, fleviſſe deſcribitur ſuper eam. Numquid igitur nos ipſius, licet indigne, vicarius poſſumus cohibere lacrymas, continere ſuſpiria, ſingultus arcere; videntes, prob dolor! Terram ſanctam, funiculum utique hereditatis dominicæ, depopulatam immaniter incolis Chriſti fidelibus, expoſitam debachantum incurſibus, & a propriis defenſoribus derelictam? In iis profecto dolemus & premimur, aporiamur aſſidue, & amaræ punctionis aculeo preſſus anxiamur: & cum non ſit fere qui conſoletur illam ex omnibus charis ſuis, catholicis principibus & aliis populis Chriſtianis diſtractis ad concertationes & bella; levamus in circuitu oculos noſtros, & ſcrutamur attente unde ſibi auxilium veniat, & præſidium defenſionis occurrat.

Ad chariſſimum itaque, in Chriſto filium noſtrum Jacobum Aragonum Regem illuſtrem dirigentes conſiderationis intuitum, quem ſuæ devotionis integritas ad ſanctam Romanam eccleſiam, a cujus unitate receſſerat, quaſi novum adoptionis filium nobis placidum reddit & charum; quique de maritimis & mediterraneis gentibus eidem terræ, depopulatione deſertæ, penſata qualitate temporis, opportuno poteſt adeſſe ſuccurſu; ordinamus & facimus ipſum, in devotione eccleſiæ permanentem, vexillarium, capitaneum, & admiratum generalem ejuſdem eccleſiæ in vita ſua in omni armata marina, per ipſam eccleſiam facienda cum ejuſdem eccleſiæ ſumptibus, ac ſpeciali & expreſſo mandato quandocumque & quotieſcumque per ipſam eccleſiam hujuſmodi officii executio injungetur eidem pro ſubſidio Terræ ſanctæ, vel contra quoſlibet hoſtes dictæ eccleſiæ, ſeu rebelles, præficiendo ipſum perſonaliter ſexaginta

Sexaginta triremium classi præficitur.

galeis armandis per ipſum Regem in terris ſuis cum ſumptibus & expenſis eccleſiæ ſæpe dictæ, ad rationem vigintiquinque millium ſolidorum currentis monetæ Barchinonenſis, ſingulis quatuor menſibus pro galea qualibet ſufficienter armata: quibus caſibus ad exequendum hujuſmodi vexillariæ, capitaniæ, & admiratiæ officium modo prædicto dictus Rex Aragonum ſe aſtringit, & in hoc ſe & ſua dictæ eccleſiæ obligabit: & etiam quod ipſe Rex congruam militiam de terris ſuis ad convenientia gagia, nec non & homines idoneos cum ſufficientibus armis de eiſdem terris & dicturum corpora galearum parata habebit, prout exiget qualitas agendorum, & galearum numerus ſupradictus.

Quæ stipendia ad tolerandos sumptus ab eccleſiæ illi attributa.

In aliis autem caſibus, in quibus perſonaliter non præfuerit, ut præmittitur, Rex prædictus, tenebitur idem Rex juxta mandatum eccleſiæ galearum numerum bene armatarum tam de hominibus, quam de aliis opportunis & guarnimentis, & numerum militum ad rationem & gagia ſimilia de terris ſuis ſub capitaneo, vel admirato, quem ponet idem Rex, de quo contentetur eccleſia quotieſcunque, & quandocunque per ipſam eccleſiam, & ſuis ſumptibus requiretur. Quod ſi aliquando ultra quatuor menſes dictas galeas, ac homines & milites in talibus eccleſiæ prædictæ ſervitiis contigerit vel oportuerit perdurare, perdurabunt & ſtabunt ad rationem & gagia ſupradicta. XX.

Si autem in faciendo paſſagio, vel generali ſubſidio Terræ ſanctæ princeps aliquis, quem dictus Rex Aragonum probabiliter ex juſtis rationibus ſuſpectum haberet, unde ſibi, & genti ſuæ veriſimiliter timeretur ineſſe periculum, idem Rex & gens ſua non teneantur in ipſo paſſagio transfretare. Tenebitur nihilominus idem Rex, ad ipſius juſſum eccleſiæ facere guerram tam per terram, quam per mare cum militibus, perſonis equeſtribus & pedeſtribus, & galeis de hominibus, armis, & aliis guarnimentis bene munitis quibuſcunque rebellibus, atque inobedientibus ejuſdem eccleſiæ cum expenſis, & ſumptibus eccleſiæ prælibatæ, quandocumque & quotieſcumque ab ipſa eccleſia fuerit requiſitus, & neceſſitas vel utilitas hoc requiret; & de hoc Romano Pontifici, qui erit pro tempore, ſimplici verbo credetur: ſalvis nihilominus eidem eccleſiæ tam ſervitio præſtando per eumdem Regem ad ipſius Regis expenſas pro regno Sardiniæ & Corſicæ, ab eadem eccleſia ſibi concedendo per temporis ſpatium in conceſſione hujuſmodi diſtinguendum; quam aliis quæ in literis conceſſionis hujuſmodi exprimentur. XXI. Obstringit se Aragonum Rex ad bellum omnibus ecclesiæ hostibus terra marique inferendum.

Cæterum omnium vaſorum, rerum mobilium, captivorum, ſeu capiendorum non eminentium vel minus notabilium, per ipſum Regem vel per gentem ipſius, quæ erit XXII.

Sanctæ leges de præda ex hostibus redigenda vel aliis comparandis.

erit in armatis vel guerra prædictis pro dicto ſubſidio Terræ ſanctæ, media pars deputabitur pro ſubſidio dictæ Terræ, tenenda & expendenda ſecundum rationem & mandatum Romani Pontificis, reliqua dimidia ratione dictorum officiorum lucris obveniet dicti Regis. De perſonis vero captivis eminentibus vel notabilibus fiet quod Romanus Pontifex, qui erit pro tempore, de ipſis diſponet, cujus ſimplici verbo de ipſorum eminentia ſeu notabilitate credetur: & ſi contingat, præfatum Regem vel gentem ipſius in memoratis guerris vel armatis, faciendis pro ſæpe dictæ terræ ſubſidio, vel aliarum terrarum ultramarinarum, capere terram vel acquirere, terra ipſa reſtituetur illi catholico vel fideli, ad quem de jure ſpectabit. Quod ſi in ea jus quis fidelis vel catholicus non haberet, terra ipſa erit ejuſdem eccleſiæ & cuſtodietur ad ejus expenſas, donec Rom. Pontifex de ipſa aliter duxerit ordinandum.

XXIII. Pollicetur Jacobo Pont. dum in Asia cum classe egerit, ejus se regna tuaturum.

Donec autem idem, Rex vel ſuum ſolium decem galearum & ultra erit de ſpeciali & expreſſo mandato eccleſiæ in ſervitiis terræ prædictæ, vel in ſervitiis ejuſdem eccleſiæ, prædictum Regem, ac regnum Aragoniæ, & totam terram Regis ipſius; nec non & regnum Sardiniæ & Corſicæ, poſtquam ſibi fuerit a nobis & eccleſia præfata conceſſum; ſuſcipiemus ſub protectione beati Petri & noſtra, diſponentes ipſa gladio ſpirituali defendere ac tueri, prout expediens fore videbimus eiſque fuerit opportunum. Et quandocunque, & quotieſcunque idem Rex tranſiret perſonaliter in ſubſidium terræ præfatæ de ſpeciali & expreſſo mandato ejuſdem eccleſiæ, concedet eadem eccleſia dicto Regi decimam per triennii ſpatium eccleſiaſticorum fructuum, redituum, & proventuum prædictorum regnorum & terrarum, nec non omnia legata a perſonis regnorum & terrarum prædictorum in ſubſidium Terræ ſanctæ, ac etiam relicta, & male oblata ab eiſdem perſonis, quorum reſtitutio dimiſſa eſt in ultimis voluntatibus, & perſonæ, quibus reſtitutio ipſa fieri debeat, ignoratur. Committet quoque in caſu præmiſſo Romanus Pontifex alicui vel aliquibus perſonis, quas ad hoc duxerit deputandas, quod tempore præcedente dictam commiſſionem componant cum illis de regnis & tota terra dicti Regis Aragonum, qui contra interdictum eccleſiæ portaverunt vel miſerunt prohibita in Alexandriam: & de pecunia recipienda ex compoſitione præfata fiet quod Romanus Pontifex exinde duxerit injungendum.

Triennales erogaturum decimas.

Derivaturum in illius usus pecunias quæ e mulctis male partis redigentur.

XXIV. *In eodem etiam caſu, ubi ſcilicet dictus Rex tranſiret perſonaliter in ſubſidium Terræ ſanctæ de ſpeciali & expreſſo mandato ipſorum Romani Pontificis & eccleſiæ, committet eccleſia certis perſonis, ad hoc per ipſam ſpecialiter deputandis, quod, perſonarum qualitate penſata, poſſint componere cum volentibus ipſorum vota redimere, & votum ſpecialiter Terræ ſanctæ in prædictis regnis & terra Regis ejuſdem pro præterito tempore: & quod recipi ex ipſa compoſitione contigerit, ſignificabitur dicto Romano Pontifici, & fiet exinde quod mandabit. Intendimus autem quod prædicta fiant ad expreſſum & ſpeciale mandatum noſtrum & ejuſdem eccleſiæ: & jam dictus Rex Aragonum, antequam prædicta vel ipſorum quodlibet mandetur eidem per nos vel ipſam eccleſiam per ſpeciales literas & expreſſas, non poſſit aliquid petere a nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, vel ab eccleſia ſæpedicta prædictorum occaſione vel cauſa; & idem Rex ad nihil aliud, & non aliter quam in ſuperioribus dicitur, teneatur per conventa nobis vel eccleſiæ, & acceptata per ipſum ratione vel cauſa eorum, quæ præſentibus continentur. Omnium autem prædictorum interpretatio & declaratio ad Romanum Pontificem pertineant, qui pro tempore fuerit, quoties opus fuerit faciendæ: & ſuper hoc ſtabitur ſimplici verbo ejus. Dat. Romæ apud S. Petrum XII. kal. februarii anno II.*

Affecit pluribus aliis beneficiis Jacobum, ejuſque uxorem Reginam Blancham Bonifacius, atque inter cætera ut a viris eccleſiaſticis, ſoluta conſtitutione, quam antea ediderat Pontifex, ſubſidia munerave acciperent (a). Ad adornandam vero claſſem decimas Aragoniæ Jacobo attribuit (b), quas illi numerandas pollicitus eſt, cum ad ſedem Apoſtolicam acceſſiſſet; urſitque ut adventum maturaret, quo ejus opera adverſus Columnenſes, quos legibus inſectabatur, uteretur. *Quia*, inquit (c), *in inſtanti futuro vere cum felici cœptra Siculos generalis armatæ progreſſu tuam præſentiam præſtolamur, multiſque ſumus ad præſens magnis & arduis negotiis occupati, noſque inſtantia quotidiana ſollicitat efficax executio noſtrorum proceſſuum contra clericos & laicos Columnenſes perfidos habitorum; decrevimus perſonæ tuæ præſtolari præſentiam, quæ auctore Domino cito erit, & tunc facere tibi conceſſam & collectam de terris tuis decimam aſſignari. Dat. Romæ apud S. Petrum III. kal. januarii an. III.* De Columnenſium bellum dicetur inferius: nunc reliqua ad Jacobum Regem ſpectantia conjunginus. Nondum is Jacobum patruum Regem Balearium, qui regno ſuorum proditione ob ſuſceptas eccleſiæ & Gallorum partes depulſus fuerat, ſolio reſtituerat, ut e fœderis legibus erat conventum: qua de re Philippo Francorum Rege conquerente, urgenteque Bonifacium, ut ni Jacobus, excurrente condicto temporis ſpatio, promiſſa perficeret, cenſuris ipſum

(a) Ep. 34.
(b) Ep. 24. 77. 78.
(c) Ead. ep. 77.

Solicitatus Jacobi adventus.

Francorum Rex pro reſtituendo regno Balearico Jacobo ſtudet.

ipsum percelleret; Pontifex, qui ad natalitia Domini rem extraxerat, votis regiis obsecuturum se est pollicitus, si Jacobus fidei defuisset.

Urget Francor. Rex Bonifacium, ut in Jacobum Reg. Arag. censuras ferat.

Philippo Regi Franciæ illustri.

Pridem celsitudini Regiæ duximus intimandum, qualiter ex certis rationabilibus causis inducti charissimo in Christo filio nostro Jacobo illustri Regi Aragonum ad restituendam charissimo in Christo filio nostro Regi Majoricarum illustri terram ipsius, quam idem Jacobus Rex detinere dicitur occupatam, dilationem usque ad festum natalis Domini primo venturum duximus concedendam. Tu vero, prout ex tuis responsalibus collegimus literis, ob reverentiam Apostolicæ sedis & nostram substinuisti dilationem hujusmodi patienter, nihilominus nobis per easdem literas supplicando, ut si forte præfatus Jacobus infra dicti temporis spatium hujusmodi restitutionem non duxerit faciendam, ut ipsum & terras omnes, quas ipse in Aragoniæ & Cataloniæ partibus obtinebat tempore, quo generalis interdicti sententiam, cui partes ipsæ auctoritate apostolica subjacebant, relaxari mandavimus, in pristinas spirituales & temporales pœnas reducere curaremus, certos illuc super iis executores nihilominus destinando.

Respondet Pontif. eas laturum se, nisi aliud æquitas suaderet.

Nos igitur, qui tuæ præsertim contemplatione personæ hujusmodi negotium cordi gerimus, ad expeditionem ipsius solicite intendentes, excellentiæ regiæ super iis taliter duximus respondendum, quod hujusmodi petitionem regiam exauditionis benignæ gratia prosequemur, nisi forsan aliquid interim imminere contingeret, quod nobis & tibi rationabile videretur, propter quod id fieri non deberet. Dat. apud Urbemveterem VI. *id. augusti an.* III. Ut spoponderat Aragonius, fidem exolvit: patruo enim Balearium regnum sequenti anno reddidit (*a*), atque initum ipsum inter & Galliarum Regem fœdus coaluit. Cum etiam Castellæ res impacatæ forent, Pontifex ad componendos illius motus nuntium apostolicum misit (*b*): at de his hactenus. Nunc de gravi Columnensium cum Pontifice discordia, de qua superius mentio edita est, sermonem instituamus.

Redditum Jacobo Balearic. regnum.

(*a*) *Surit. ann. l.5. c.34.*

Firmata inter Arag. & Gall. Reges concordia.

(*b*) *Lib. 3. ep.cur.78.*

Exorta Pontificem inter & Columnenses discordia.

(*c*) *Jord. MS.Vatic. sign. n. 1960. Ptol. Luc. hist. eccl. l.24. c.1. Auctor append. ad Mart. Pol. l.4. Vit. Bonif. MS. Vall. sign. lit. C. n. 25. & n. 79. Jo. Villan. l. 8. c.21. Anton. 3. p. tit. 20. c.8. §.11. & alii.*

XXVI. Objectum a Bonif. anathema suasu Friderici in res novas in Romanam eccl. molitos.

Attulit illa magnum schismatis terrorem, qui postea immissis in Columnenses crucesignatis evanuit. Indicatur ab historicis (*c*) varias, in quibus non moramur, gravioris illius discordiæ causas intercessisse; maxime cum, iis prætermissis, hanc Bonifacius mali causam indefluxisse promulgarit, Fridericum Siciliæ tyrannum Jacobum & Petrum Cardinales Columnas ad rebellionis consilia pellexisse, atque ipsos ad novandas res crebris nuntiis solicitasse; quos cum illi magno Ecclesiæ damno exciperent, atque una cum ejusdem Ecclesiæ hostibus defectionem molirentur, se ad amputanda imminentia mala ac tuendam patriæ concordiam ab iis arces, quas tenebant, repetiisse: quas cum illi tradere respuerint, pontificiisque imperiis fuerint obluctati, anathematis nota inustos, atque omnibus honoribus dejectos fuisse. Fulminavit idem Pontifex plures alias in ipsos atque eorum studiosos pœnas, quæ in subjecto diplomate continentur (*d*).

(*d*) *Ext. in arce S. Angel. Lib. priv. Rom. eccl. to.2. p. 180. Inter collect. Plat. MS. Vat. to.1. p.294. MS. Vall. sign. lit. B.n.12. p. 139.*

Bonifacius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

XXVII.

Præteritorum temporum nefandis Columnensium actibus, & præsentium pravis operibus recidivis, ac futuris de quibus verisimiliter formidabatur, in considerationem prudenter adductis, venit patenter in lucem, quod Columnensium domus exasperans, amara domesticis, molesta vicinis, Romanorum reipublicæ impugnatrix, sanctæ ecclesiæ Romanæ rebellis, Urbis & patriæ perturbatrix, consortis impatiens, ingrata beneficiis, subesse nolens, præesse nesciens, humilitatis ignara, plena furoribus, Deum non metuens, nec volens homines revereri, habens de Urbis & orbis turbatione pruritum, studuit charissimum in Christo filium nostrum Jacobum Aragoniæ Regem illustrem, tunc hostem ecclesiæ ac rebellem, Siculisque perfidis præsidentem de facto, in nostrum, & charissimi in Christo filii nostri Siciliæ Regis illustris grave præjudicium, & gravamen Christianitatis & Terræ sanctæ succursus grande dispendium in rebellione, tenere, tam sibi quam nobili juveni Friderico, nato quondam Petri olim Regis Aragoniæ, in crimine criminoso favendo. Ut illud notissimum omittamus, qualiter quondam Joannes de Columna tit. S. Praxedis presbyter Cardinalis, & Oddo de Columna nepos ipsius pater Jacobi S. Mariæ in Via lata, & avus Petri de Columna S. Eustachii diaconorum Cardinalium, tempore felicis recordationis Gregorii Papæ IX. prædecessoris nostri fuerunt dure & graviter ipsam ecclesiam persecuti, cum damnatæ memoriæ Friderico olim Romanorum Imperatori, supradictæ ecclesiæ publico persecutore & hoste, tempore, quo quondam Matthæus Rubeus de domo filiorum Ursi sororius dicti Oddonis senatus in Urbe regimen exercebat ad honorem & obsequium ecclesiæ memoratæ: a cujus Matthæi domo dictus Cardinalis & Oddo & eorum posteri multa beneficia receperunt; præsertim a sanctæ memoriæ Nicolao III. prædecessore nostro, qui dictum Jacobum juvenem satis & inscium, perniciosum tamen postmodum, hypocrisim tunc temporis periculose gerentem, ad Cardinalatus provexit honorem: quod utinam non fecisset, quia nec sedi Apostolicæ, nec Christianitati, nec dicti prædecessoris Nicolai domui talis promotio expedivit, quam di-

Graves de iis querelæ.

Repetita veterum facinorum memoria.

cti Jacobus & Petrus ac sui, velut ingratitudinis filii, & beneficiorum immemores, multipliciter impugnarunt. Terras etiam subjectas ecclesiæ sibique rebelles in rebellione fovebant in hoc, dantes eisdem auxilium & favorem.

XXVIII. Ut senserint cum hostibus ecclesiæ.

Novissimis vero temporibus dicti juvenis Friderici, latenter discurrentibus nunciis per Urbem & loca vicina, ut immissis scandalis ea possent ipsius subiicere ditioni, licet id procurarent homines dictæ domus Columnensis, & ad hoc eis ministrarent auxilia & favores; mansuetudinis tamen Apostolicæ sedis benigna sinceritas, quæ libentius emendat in subditis peccata, quam puniat; nec exerit ferrum præcisionis in morbos, quos sanare potest mulcebris lenitas medicinæ; eos studuit nunc paternæ lenitatis dulcedine alloqui, nunc verbis charitativæ correctionis inducere: ut a talibus abstinerent, ipsorumque elatam pertinaciam, immo effrænem superbiam, non semel sed pluries in fulgore terrifico comminationis increpavit, tendens ante ipsos arcum justitiæ in rigore, quo sagitta perpetuæ dejectionis solita non converti retrorsum emittitur, ut formidabilis vindictæ significatio eis clementer exhibita stupori eorum sensum timoris incuteret, & fugam ad misericordiam per compendium pœnitentiæ suaderet. Sed nec sic profecimus apud eos: traxit enim illos in desperationis laqueum moles præponderans peccatorum, ut nec rationibus nec correctionibus, monitionibus, sive minis reduci potuerint ad salutem: quin potius velut aspis surdæ suarum aurium obstruxerunt auditum, eligentes quasi pro gloria confusionis opprobrium, & irreparabilis ruinæ periculum pro tutela.

Flecti lenitate ad officium numquam potuerint.

XXIX. Frustra postulata pacis studio ab iis arcium custodia.

*Periculis vero obviare volentes, dictis Jacobo & Petro Cardinalibus districte mandavimus, ut terras, quas Stephanus ipsius Jacobi nepos, & frater Petri præfati tenere vulgariter dicebatur, videlicet civitatem * Perusin. castra Columnæ & Zagaroli, procurarent custodienda ad nostrum beneplacitum assignari, ne per ea Urbis & patriæ possent quies & tranquillitas impediri, & ut ex eis non posset præstari auxilium dicto Friderico hosti ecclesiæ memoratæ; utque ipse hostis, & valitores, seu adjutores ipsius non receptarentur in eis: assignationem quorum non revocabatur in dubium ab ipsorum Jacobi & Petri voluntate pendere, quæ conficto seu quæsito colore teneri per dictum Stephanum dicebantur, ne dilecto filio Matthæo præposito ecclesiæ de sancto Audomaro Morinensis diœcesis, & nobilibus viris Oddoni & Landulpho fratribus dicti I. filii sæpedicti Oddonis assignaretur paterna & hereditaria portio, quæ in dictis civitate & castris competebant eisdem, quam propter duritiem & crudelitatem dictorum Jacobi & Joannis defuncti Petri & fratrum suorum nequiverunt habere, licet quadraginta anni & amplius sint elapsi, quod obiit dictus Oddo; quamvis etiam nos pietate moti pro bono pacis inter eos interposuerimus solicite partes nostras, ut unusquisque de civitate & castris suam portionem hereditariam obtineret, oblationibus magnis factis nepotibus dicti Jacobi in avantagium, ut hujusmodi concordia proveniret; considerantes fore indignum, ut quibus de una substantia competit æqua successio, alii abundanter affluant, alii paupertatis incommodis ingemiscant, quos tamen rationibus, precibus, sive minis nequivimus emollire. Ipsi vero Jacobus & Petrus Cardinales, a nostra præsentia recedentes non facta hujusmodi assignatione, quæ ab eorum beneplacito dependebat, numquam ad nos postea redierunt.*

* Prænestinam

XXX. Detrectantes cogere ad obsequium deliberat Pontif.

Nos igitur attendentes ipsorum Columnensium adeo incalluisse duritiem, adeo fore nequitiam induratam, quod non rationibus dirigi, non blandimentis allici, non fomentis reduci, nec minis etiam inclinari potuerunt ad bonum, ex quo blandimenta non potuerant, nec fomenta valebant; deliberavimus apponere manus ad fortia, & ferro abscindere vulnera, quæ medicamenta non senserant lenitiva: ac præmissis & aliis, quæ nobis & fratribus nostris rationabiliter occurrerunt, provida deliberatione discussis, providimus non solum contra filios dicti Joannis, qui peccabant apertius, verum etiam contra Jacobum & Petrum præfatos, ex quorum adipe prædicta iniquitas & superbia procedunt, juste procedere, qui consentiebant ipsis peccantibus, præstando fomentum, favorem, præsidium, & tutamen: quia culpa non caret, & delicti efficitur particeps, qui non prohibet delinquentem, dum potest: & negligere, cum quis potest perturbare perversos, nihil aliud est quam favere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.

XXXI.

Cumque dictorum Jacobi & Petri Cardinalatus & status dictæ ecclesiæ, ejusque fidelibus esset in scandalum, eorumque potestas non in ædificationem, sed in destructionem; ipsique obessent, quibus prodesse debebant, nec nostram relevarent, per suam particularem solicitudinem, qua vocati sumus a Deo in plenitudinem potestatis, immo potius impugnarent; quantumlibet venerabilibus fratribus nostris episcopis, & dilectis filiis presbyteris & diaconibus S. R. E. Cardinalibus, quantum cum Deo possumus, deferamus, ipsorumque collegium honoremus, eorumdem Jacobi & Petri elegimus domare superbiam in robore virtutis Altissimi, arrogantiam & præsumptionem elatam contexere, eos tamquam oves morbidas a dominico ovili abiicere, ipsosque ut culpa supplicium timeat, & virtus

præ-

præmium retributionis expectet, a loco suo quantumcumque sublimi perpetuo amovere, tam ex eorum culpis & demeritis ac suorum, quam ex causis rationabilibus, quæ nos movent; præsertim cum explorati divini & humani juris existat, unum pro altero interdum ex causa puniri.

XXXII. Jacobum & Petrum cardinalatus insignibus privat.

Eorum ergo absentiam Dei replente præsentia, ad honorem Dei omnipotentis, B. Mariæ semper virginis, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Romanæ ecclesiæ sæpedictæ præfatos Jacobum S. Mariæ in via lata & Petrum S. Eustachii diaconos Cardinales de ipsorum fratrum nostrorum consilio a Cardinalatibus ipsis sanctæ Romanæ ecclesiæ & prædictarum ecclesiarum deponimus, &c. eosdem privat omnibus sacerdotiis & vectigalibus ecclesiasticis, defigit anathemate, ac prævidens ipsos facile schisma molituros, omnes, qui ipsis studerent, postquam in apertum facinus prorupissent, censuris affecit.

XXXIII. Pœnas statuit in eorum sequaces.

Excommunicamus insuper, inquit, *prædictos Jacobum & Petrum, & etiam omnes illos, qui de cætero scienter & deliberate pro Cardinalibus ipsos vel aliquem eorum habuerint; & assensum præstiterint, quod pro Cardinalibus habeantur & quod eos vel ipsorum aliquem in electione Romani Pontificis ad aliquem actum ut Cardinales admiserint, vel vocis eorum suffragium, aut alicujus ex eis. Omnes etiam & singulos cujuscumque eminentiæ fuerint, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi fuerint S. R. E. Cardinales, qui ipsis Jacobo & Petro, vel eorum alteri postquam, quod absit, in hæresim, vel in schisma, & rebellionem ceciderint, in hæresi, vel schismate, aut rebellione stantibus scienter & deliberate, præstiterint, auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte, omni statu ecclesiastico, prælatura, & honore privamus; & omnia civitates, castra, terras, & loca, quæ ipsos vel aliquem eorum in hæresim, schisma, vel rebellionem lapsos scienter susceperint, tenuerint, ecclesiastico supponimus interdicto, &c.* Præterea Joannem & Oddonem Cardinalium nepotes eorumque posteros ad quartam progeniem sacerdotiis excluſit: tum Jacobum & Petrum excurrente ad decem dierum spatio, apud subsellia apostolica se sistere imperiisque Pontificiis se subjicere jussit, ac detrectantibus omnium mobilium & immobilium bonorum, quæ in ditione ecclesiastica Siciliaque citeriori ulteriorive sita essent, mulctam intentavit. *Actum Romæ apud S. Petrum in publico consistorio nostro* VI. *id. maii pontificatus nostri anno* III.

XXXIV. Florebant amicis & opibus Columnenses, qui cum se ea sententia defixos conspexissent, plures alios prænobiles viros, consanguinitate benevolentiaque devinctos, in suas partes adversus Pontificem traxerunt. Qua de re hæc vitæ Bonifacii auctor tradit (*a*): *Dominus Jacobus & Petrus de Columna patruus & nepos Cardinales, videntes contra se motum Papam, libellum conficiunt famosum contra ipsum, quem ad multas partes dirigunt, asserentes in eodem ipsum non esse Papam, sed solummodo Cælestinum:* * Devenit is libellus (*b*) in manus nostras ex Avenionensi tabulario in Vaticanum delatus, quo Columnenses publice sunt professi, gravissimam obortam controversiam, an Cælestinus pontificatu se abdicare potuerit, eique Bonifacius subrogari; ac plura congesserunt argumenta quibus contendere, cessionem Cælestini irritam fuisse. Ad solvendam autem litem, in qua de ambiguo pontificatu agebatur, ad concilium œcumenicum provocarunt.

(*a*) *Vit. Bonif. MS. Vall. bibl. sign. lit. C. n. 25. & n. 75.* * *fuisse*

(*b*) *MS. autographo Avenione in Urbem delato.*

Columnenses adversus Bonifacium schisma moliuntur. Eorum literæ.

Universis præsens instrumentum publicum inspecturis, cujuscumque præcellentiæ, dignitatis, status, vel conditionis existant, ecclesiasticæ vel mundanæ, miseratione divina Jacobus S. Mariæ in via lata, & Petrus S. Eustachii diaconi Cardinales salutem, &c. Respondemus ad ultimum verbum inter alia in mandato nobis facto propositum, si tamen mandatum dici debeat quod volebatis scire, utrum esset is Papa; quod vos non credimus legitimum Papam esse, sacroque cœtui dominorum Cardinalium denuntiamus, suamque provisionem & remedium super hoc exposcimus, cum hoc expediat universali ecclesiæ & fidei fundamento, ut loco domini nostri Jesu Christi & in ejus vices non nisi verus & legitimus vere & legitime pastor præsit, curamque gregis sibi commissi legitime gerat: ne, si (quod absit) non verus pastor insurgeret, seu etiam remaneret, non levem jacturam sed fundamenti talis subversionem reciperet sancta catholica & universalis ecclesia, ecclesiasticis sacramentis indigne (prob dolor!) prophanatis, dum per eum indigne, indebite, & illegitime ministrarentur, qui potestatem & auctoritatem ministrandi legitimam non habere; non enim sacramenta dare possunt, qui ea dandi potestatem non habent; nec ministros creare, qui non sunt. Frequenter namque audivimus a plurimis non levis auctoritatis viris ecclesiastici & secularis status & dignitatis dubitari verisimiliter, an renuntiatio facta per sanctæ memoriæ dominum Cælestinum Papam V. tenuerit, & legitime & canonice facta fuerit: cum verisimiliter contrarium videtur ex eo, quod papatus a solo Deo est: & quæ a Deo vel ab alio superiori committuntur, a nullo possunt inferiori removeri. Et sic papalis potestas, quæ a solo Deo committitur, a nullo inferiori removeri posse videtur.

Sententiunt Cælestinum abdicare se Pontificatu non potuisse.

1. Argumentum.

2 *Item ex eo, quia nullus potest auctoritatem & potestatem aliquam spiritualem auferre, quam conferre non potest. Sed au-*

auctoritatem papalem nullus conferre potest nisi Deus. Ergo neque eam auferre. Sed si teneret renuntiatio, auferretur papalis potestas. Ergo renunciatio non videtur fieri posse.

3 *Item etiam decretalis, Inter corporalia, expresse innuit, quod depositio episcoporum, translatio eorum, & absolutio per cessionem soli Papæ est reservata, nec etiam ipsi conceditur, nisi in quantum Papa quodammodo Deus est, id est Dei vicarius, ut patet ex textu. Ergo remotio Papæ, quia papatus omnes dignitates excellit, per superiorem Papa voluit ipse Deus tantummodo fieri, id est per semetipsum: nulla enim ratio capit, quod Deus voluerit inferiores dignitates per ipsum Deum tantum aut per harum superiorem dignitatum tolli posse, nec per ipsum superiorem nisi in quantum ipse superior, scilicet Papa est Dei vicarius; & tamen voluerit ipsum papatum, quæ est summa dignitas, quæ proprie Christi est, nedum per inferiorem Deo, sed etiam per inferiorem seipsa dignitate tolli posse: & sic solus Deus videtur tollere posse papatum, & nullus alter, sicut multipliciter videtur colligi ex textu prædictæ decretalis.*

4 *Item ex eo, quod summa virtus creata per nullam virtutem creatam videtur posse tolli. Sed papatus est summa potestas in creatura. Ergo per nullam virtutem creatam tolli posse videtur.*

5 *Iterum ex eo, quod nec Papa, nec tota creaturarum universitas potest facere, quod aliquis Pontifex non sit Pontifex. Ergo multo magis non videtur posse facere, quod summus Pontifex non sit summus Pontifex. Nam minus est tollere simpliciter Pontificem, quam summum Pontificem. Ergo cum simpliciter Pontificem nullus possit tollere nisi Deus, nec summum Pontificem videtur aliquis posse tollere nisi Deus: quod fieret, si renuntiare posset ita, quod valeret.*

6 *Item ex eo, quod Papa non est Papa nisi per legem divinam, & non per legem alicujus creaturæ, nec omnium creaturarum simul. Ergo nullo modo videtur, quod Papa possit eximi, quin sit Papa: nec enim Papa ex quo consensit & subjecit se legi sponsæ, potest esse non Papa per aliquam creaturam neque per omnes simul, ut videtur.*

7 *Item eo, quod nullus potest tollere votum alicujus seu ab ipso absolvere nisi ille, qui est supra votum. Sed papatus est quoddam votum maximum super omnia vota: nam vovet Papa de facto ipse Deo, quod curam habebit universaliter gregis sui totius, scilicet universalis ecclesiæ; & quod de ipsis reddet rationem. Ergo ab isto voto solus eum Deus absolvere posse videtur. Ergo de Papa nullus videtur posse fieri non Papa, nisi omnino a solo Deo aliqua ratione: nullus enim alicui obligatus potest ab obligatione seipsum absolvere, qua tenetur obnoxius, maxime superiori obligatus. Sed Papa nullum habet superiorem nisi Deum, & per papatum se Deo obligavit. Ergo a nullo posse videtur absolvi nisi a Deo.*

8 *Item ex eo, quod nullus videtur se ipsum absolvere posse. Sed si valeret renuntiatio, videtur quod seipsum posset absolvere.*

9 *Item ex eo, quod papalis obligatio non videtur posse tolli nisi per majorem potestatem, quam papalis sit. Sed nulla potentia creata est major quam papalis. Ergo fieri non potest per Papam nec per aliquid aliud nisi per Deum, ut qui semel est Papa, non sit semper Papa, dum vivit, ut videtur. Item ex eo quod nulla dignitas ecclesiastica post legitimam confirmationem potest tolli nisi per ejus superiorem. Sed Papa solus Deus est major. Ergo a solo Deo tolli posse videtur.*

10 *Item ex eo, quod Apostolus vult & probat sacerdotium Christi esse æternum; & ad vivere in æternum in sacerdote sequitur ipsum esse sacerdotem in æternum. Ergo nullo modo potest esse vita summi Pontificis & summi sacerdotis sine summo sacerdotio. Ergo renuntiare non potest, ut videtur. Et nimis extraneum & a ratione remotum apparet, quod summus Pontifex, qui est verus successor & vicarius Jesu Christi, qui est sacerdos in æternum possit absolvi ab alio quam ab ipso Deo: & quod quandiu vixerit non maneat summus Pontifex: & quod aliquo modo possit esse vita summi sacerdotis sine summo sacerdotio, ut videtur.*

11 *Item ex eo, quod si diceretur, quod vita summi sacerdotis esset sine summo sacerdotio, argumentum Apostoli, ubi dicit: secundum legem Mosaicam plures facti sunt sacerdotes; penitus nullum videretur esse, sed falsitatem contineret: nam posset argui contra ipsum, quia Christus sempiternum habet sacerdotium. Respondet Apostolus: Eo quod manet in æternum; dico tibi, beate Apostole, non est verum, quia potest in vita sua renuntiare, & non erit sacerdos amplius. Ex hac positione quod Papa renuntiare posset, totius scripturæ sacræ & verbi Apostoli falsitas sequi videretur: & ex multis aliis rationabilibus & evidentibus causis hoc ipsum videtur verisimile & justissime in dubitationem deduci.*

12 *Item ex eo, quod in renuntiatione ipsius multæ fraudes & doli, conditiones & intendimenta & machinamenta, & tales & talia interveniisse multipliciter asseruntur, quod esto, quod posset fieri renuntiatio, de quo merito dubitatur; ipsam vitiarent, & redderent illegitimam, inefficacem, & nullam.*

13 *Item ex eo, quod esto, quod renuntia-*

tiatio tenuisset (quod nullo modo asseritur, neque creditur) plura postea intervenerunt quæ electionem postmodum subsecutam nullam & ineffacem reddiderunt omnino: ex quo vos, qui principaliter tangimini, merito dubitatis & in quæstionem deducitis dicendo, vos velle scire, utrum sitis Papa, prout in mandato per vos facto, si mandatum dici debet, per magistrum Joannem de Peneſtre clericum cameræ continebatur expresse, demodo nos, qui ex vera fide asserimus & illuminata conscientia firmiter credimus, vos non Papam, tuta conscientia silere non possumus, quin in tanto negotio, quod sic universalem medullitus tangit ecclesiam, veritas declaretur. Propter quod petimus instanter & humiliter generale concilium congregari, ut in eodem de his omnibus veritas declaretur, omnisque error abscedat. Et si quidem universale concilium, auditis & pensatis supradictis & aliis negotium contingentibus, declaraverit renuntiationem legitime & canonice processisse, & electionem legitime & canonice postea subsecutam; eidem declarationi, cui stare & parere nos offerimus, a nobis & ab aliis humiliter deferatur & pareatur omnino. Si vero vel renuntiationem non legitime nec canonice processisse, vel electionem minus legitime & canonice subsecutam, dicti concilii declaratione aut deliberatione claruerit, cedat error, & de vero sponso provideatur legitime & canonice universali ecclesiæ sponsæ Christi, &c. Sub anno Domini MCCXCVII. indictione X. *die veneris* X. *mensis maii.*

Ea argumenta Petrus Paludan. ad duo redigit.

Hæc Columnensium argumenta, pluries variis ambagibus verborum repetita, Petrus Paludanus in egregio de ecclesiastica potestate (*a*) commentario redegit ad duo præcipua capita, quod potestas papalis sit a Deo, & quod paparus sit vinculum divinum connectens Papam cum ecclesia sponsa, quæ postea erudite solvit: *Si potestas*, inquit, *papalis est a Deo, sicut potestas characteris sacerdotalis & episcopalis, sicut sacerdos & episcopus nulla renunciatione possunt perdere claves ordinis, quin semper remaneant ille verus sacerdos, ille verus episcopus, quantumcumque perdant curam & regimen suarum ecclesiarum; ita Papa nulla renunciatione perdere poterit jus papatus, nec potestatem papalem, quam habet a Deo, nec claves ecclesiæ commissas Petro per consequens, quin semper remaneat verus Papa: nec poterit esse alius verus Papa eo vivente, ne sint duo capita in eodem corpore. Minor patet quia matrimonium, in quo est vinculum divinum, etiam non consummatum, nulla renunciatione potest tolli. Ergo nec vinculum inter Papam & ecclesiam, quia est vinculum divinum, si papatus est de jure divino, nulla renuntiatione, nec resignatione tolli potest. Dicendum est, quod Papa potest papatui cedere, & cedens definere esse Papa si Cardinales acceptent, alias non: sunt enim in acceptione papatus duo, unum est jus suum quod acquiritur; aliud est jus ecclesiæ, cui obligatur: cuilibet autem licet renuntiare juri suo in omni eo, in quo non est alteri subditus nec obligatus, cap. de episc. & cler. & C. de pact. l. Si quis in scribendo, si qui se semel obligavit non se ad libitum liberaret. Ergo Papa papatui ex parte quidem sua renunciare potest; sed quia semel obligavit se ecclesiæ, ex illa parte renunciare non potest, nisi de assensu Cardinalium, qui in omnibus, quæ ad Papam spectant, vicem ecclesiæ repræsentant: est enim Papa obligatus, ex quo acceptavit, ecclesiam regere nisi ecclesia concordet (concordare est verbum Gallicum, & est idem quod deobligare) ipsum; & consequenter non videtur, quod renuntiare possit: sed consentientibus illis potest. Secundum hanc distinctionem debet intelligi declaratio prædicta de renuntiatione c. 1. ubi dicit Romanum Pontificem posse resignare, scilicet juri suo; sed non se posse excutere a jugo, nisi sponsa sua consentiente.* Eadem sententiam Hugonem tenuisse: verum Vincentium in contraria fuisse refert Joannes Andræas (*b*): *Hugo*, inquit, *dixit quod renuntiabit in manibus Cardinalium & sic dicit Arc. fecisse hunc Cælestinum: sed Vincentius super. cap. 9. In dubiis, dicit quod satis est, quod Papa cesset ab administratione, cum superiorem non habeat, cujus ratificatio requiratur: per quod dicit, quod non habet necesse renuntiare in manibus Cardinalium; sed ex quo per ipsius expressionem constabit qualiter vult cessare renuntiasse intelligitur;* addit auctor nonnulla ex legibus petita argumenta. Sed ad Paludanum redimus. *Ad primam*, inquit, *probationem in contrarium, dicendum, quod non est simile de clavibus ordinis, quæ adhærent ossibus, & ipsa sequuntur; unde character ordinis sacerdotalis & episcopalis sicut & baptismalis sunt indelebiles in animo: unde si resurgeret episcopus vel sacerdos, verus episcopus & sacerdos esset, potens conficere, ordinare, & confirmare sicut prius. Unde prima potestas non debetur sedi nec statui, sed personæ: cum enim moritur caratus vel episcopus, successor non succedit ei in ordine, sed habet necesse ordinari. Sed papalis potestas debetur papatui, non personæ; unde non acquiritur per personalem consecrationem, sed eo ipso, quod aliquis est *, in se acquirit & habet illam potestatem quæ semper remanet in ipsa sede, quæ non moritur, de rescriptis cap. si gloriosæ lib.* VI. *esse autem in sede est humanum & liberum dependens ex voluntate eligentium & acceptantium: & quia nihil tam naturale est, quam unumquodque dissolvi eo genere, quo ligatum est, propter quod*

Opinatur Paludan. sine consensu ecclesiæ cedere non posse Pontificem.

(*b*) Jo. Andr. comm. in 6. decret. de renunc. c. 1.

Ut potestas jurisdictionis papalis distinguatur ab ordine.

* electus

Quænam illa sint.

Ut consensu mutuo contrahatur papatus.

quod omnes obligationes, quæ solo consensu contrahuntur, consensu mutuo distrahuntur, & etiam dissolvuntur re existente integra: unde est, quod vinculum obligationis inter papatum & ecclesiam solo consensu contrahitur, contrario consensu dissolvitur; & renunciando in manibus Cardinalium acceptantium desinit esse in sede, & perdit per consequens potestatem, quæ remanet in sede ex ipsamet successione: quod non potest dici de clavibus ordinis, quia illæ semper sequerentur personam, & nulli statui deberentur.

Ad objectionem de matrimonio respondetur.

Per id respondetur ad aliud de matrimonio carnali, quia in eo per consensum mutuum per verba de præsenti, quæ sunt verum sacramentum, sequitur vinculum divinum, quod est subjective non in anima sed in toto composito: unde tamdiu durat, quamdiu durat utrumque suppositum; sicut tamdiu manet corpus & sanguis Christi sub speciebus, quandiu manent species: unde illud vinculum, quod est quid divinum est res sacramenti sequens nudum consensum. Sed sacramentum, integratum in consensu & verbis & in personis habilibus, non potest ab homine dissolvi secundum illud: Quod Deus conjunxit, homo non separet. Sed consensus Cardinalium eligentium repræsentantium consensum sponsæ ex una parte, & consensus electi quasi sponsi ex altera per quæcumque verba expressus non est sacramentum, nec etiam sacramentale; unde ex opere operato nullum habet effectum divinum quoad vinculum, sed remanet illud vinculum pure humanum solo consensu hominum contractum: unde consensu contrario potest tolli eadem ratione, qua & sponsalia de futuro, quæ non sunt sacramentum; unde non sequitur in sponsalibus aliquod vinculum divinum, propterea quod consensu contrario dissolvuntur saltem auctoritate ecclesiæ: quæ tamen non posset hoc facere, si inde nasceretur divinum vinculum, sicut est in matrimonio per verba de præsenti. Unde obligatio, quæ est inter prælatum quemcumque & suam ecclesiam magis assimilatur sponsalibus, quam matrimonio quantum ad illud, quod dictum est: unde potestas papalis, prout est in sede Romana, habet fundamentum divinum non humanum; & ideo nunquam destruitur: sed prout est in persona, quæ est in sede solum per consensum humanum, habet fundamentum duplex, scilicet ipsum hominem & illum consensum, quæ sunt destructibilia: unde, quolibet illorum destructo, destruitur potestas non in se, sed in illa persona, in qua erat per accidens, per hoc scilicet, quod erat in sede. Hactenus Petrus Paludanus: fusius vero Joannes Andreas jurisconsultus Bononiensis hanc controversiam in utramque partem discussit: adductisque Columnensium argumentis, contrariam sententiam, quam ecclesia amplectitur, primum fulcit illustratque; ac demum priora decem, quæ in Bonifacium contorta fuere argumenta dissolvit, quæ ex ipso decerpimus (*a*).

Papatus non potest destrui quia est a Deo.

In tali persona potest, quia per accidens est in ea.

(*a*) Jo. Andr. comm. in 6. decr. de renunc. c. 1.

Argumenta quæ probant Papam posse cedere.

Ut sequitur, inquit, *in glossa contrarium hic discussum juvatur exemplis & opinione: item adjuvari potest quadruplici via. Prima sumitur ex parte Papæ renuntiantis. Secunda ex parte papatus, cui fit renuntiatio. Tertia ex parte ipsius renuntiationis. Quarta ex parte causæ finalis. Ad primam sic. Non minor libertas danda est Papæ in his, quæ pertinent ad salutem, & in his, per quæ vitare potest detrimentum salutis, quam cuicumque alii; immo plus in quantum a salute sua ut capitis dependet salus in omnibus membris, & in ecclesia universali. Sed aliis pontificibus ecclesiæ conceditur propter suam & subditorum salutem, quod renuncient in sex casibus, quæ habentur sup. c. tit. in fi. cum pridem. In illis ergo casibus, quibus illi licite petunt cedendi licentiam, concluditur Papam licite cedere. Secunda sumitur ex parte papatus, qui non est nomen ordinis, sed dignitatis & officii; unde ante sacerdotium & consecrationem esset aliquis verus Papa, sicut verus archidiaconus vel decanus non habens ordinem huic dignitati annexum. Cum ergo potestas papalis non ordinem sed jurisdictionem addat super episcopalem; & mobilis sit, quia nihil est, quod imprimatur in anima talem potestatem habentis, & jurisdictio sit res, quæ augeri & minui potest, ergo deleri vel tolli; concluditur Papam, quantum ex se est, renunciare posse. Sed quia se obligavit ecclesiæ, quam Cardinales repræsentant, visum est aliquibus Cardinalium consensum necessarium. Tertia ratio, quæ sumitur ex parte renunciationis, fundatur super regula prima sup. de reg. ju. cum concor. creatio enim fit per Cardinales, sic & in eorum manibus resignatio. Et si opponatur, regulam non procedere in matrimonio carnali, ut ibi no. respondetur, quod ibi transit in sacramentum ecclesiæ, propter quod ex consensu sequitur indissolubile vinculum, quod non est in spirituali conjugio. Cujus dicti potest esse ratio: & nunc aggredior. Quartam causam finalem, de qua dixi, spirituale conjugium inter prælatum & ecclesiam respicit bonum publicum & commune. Sed si insufficiens vel ineptus cedere non posset, sequeretur malum reipublicæ & quanto prælatus majus bonum reipublicæ respicit sicut Papa, tanto & majus esset malum. Item quod ex charitate institutum est, contra charitatem militaret, si præsidens inutiliter ad malum & confusionem ecclesiæ & ad damnum animæ suæ resignare non posset. Sed carnale conjugium respicit privatum bonum. Et si consideretur ipsius dissolutio, forte ipsi homini esset bonum, quia meliorem uxorem acciperet: sed sequeretur ex hoc universale malum, quia*

Primum.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Discrimen inter spirituale & carnale conjugium.

quia cum communiter homines plus ducat concupiscentia quam ratio, multi uxores dimitterent, nec sic de prole haberetur cura ut nunc.

Respondetur ad Columnensium argumenta.

Ad contraria & primo ad primum dicitur, papalem potestatem dupliciter considerari: uno modo prout ligatos & solutos in terra ligat & solvit in cœlo, & est hoc simpliciter a Deo: alio modo prout hæc potestas est in isto vel in illo, quæ etiam a Deo est, qui operatur omnia in nobis, Isai XVI. tamen in hoc vel in illo est per cooperationem humanam, scilicet per consensum eligentium & electi: & sic esse in hoc vel illo desinere potest per operationem humanam. Sic & anima rationabilis est a solo Deo per creationem: tamen quod sit in isto vel in illo cooperatur natura, dispensando & organizando: ideo & per operationem naturæ potest desinere naturaliter & violenter. Item solus Deus dat gratiam, & tamen homo potest sibi auferre gratiam per suum actum: quia qui formavit te sine te, &c. & per hoc respondetur ad finem primi. Ad secundum decret. Inter corporalia: facit pro, cum ibi de episcopis prohibeatur, de Papa non. Vel dicatur, quod ibi præsupponitur justa cessionis causa. Præsupponitur etiam Dei voluntas, sicut & in ejus assumptione vel confirmatione. Præsupponimus etiam Dei voluntatem: & per hoc sit responsum ad quartum, quod dicebatur de summa virtute creata. Licet dici possit, papatum esse æqualem vel majorem virtutem certo casu in concilio vel tota ecclesia. Ad tertium responsum est sup. ver. Tertia ratio.

Ad r. ut papalis potestas sit a Deo cooperantibus hominibus in tali persona.

Ad secundum.

Ad tertium & quartum.

Ad quintum.

Ad quintum sit responsum per ea, quæ dixi supra vers. Secunda sumitur, quod Pontifex est nomen ordinis fundatum super charactere. Sed esse summum est nomen dignitatis, cui cedendo desinit esse summus; sed non desinit esse Pontifex. Ad sextum respondetur, quod licet Papa sit Papa per legem divinam, tamen Papa potest non esse: nam & lex divina materialiter est mutabilis in isto vel illo, quia ad hoc operatur creatura ut dictum est; licet sit immutabilis formaliter & in se, scilicet quod inferiora reducuntur in Deum per superiora, & inferiores prælati per Papam. Quod ergo sit Papa super omnes, est ex lege divina & immutabile: sed quod iste sit Papa, mutabile est: procedit enim a consensu eligentium & electi. Ad id quod dicebatur, se submisisse legi; dico in eo perpetuari quæ sunt ordinis, quia semper facere potest quæ sunt spiritualis conjugii propter characterem impressum, ut est dictum: sed Papa, se submittendo legi, non perpetuat in se quæ sunt jurisdictionis, & ideo illi renuntiare potest. Ad septimum respondetur, quod votum Papæ de gerenda cura gregis intelligitur quandiu erit in officio, sic & intelliguntur juramenta re-

Ad sextum.

Ad septimum.

ctorum, qui civitatibus præsunt; & facta etiam his, qui præsunt. De ele. Venerabilem in fi. Et illicitum esset juramentum de officio semper gerendo, quia posset esse contra bonum commune. Ad octavum dico, quod absolvere se a culpa esset ascendere: non procedit autem argumentum, si quis non potest ascendere, Ergo nec descendere. Licet etiam dici possit, quod seipsum quis absolvit per contritionem, & quod confiteri teneatur alteri, a quo absolvatur per Domini præceptum, Jacobo dicente: Confitemini alterutrum, &c. & leprosis per quos peccatores intelligimus, dictum fuit Matth. VIII. & Lucæ V. ut ostenderent se sacerdotibus. Ad nonum respondetur in glossa. Ad decimum respondetur, quod Christi sacerdotium pro tanto dici potest æternum, quia res oblata in Christi sacerdotio est æterna; est enim eadem cum offerente, quia idem sacerdos & sacrificium super; de summa Trinit. Firmiter §. Una. Vel dici potest, quod licet Christus sacerdotium a se non abjecerit, quia non fuberat causa abiiciendi, non propter hoc sequitur, quod renunciare non possit ipsius vicarius, in quo subest renunciationis causa: & ibi Clemens ipse scribit in epistola ad B. Jacobum Jerosolymitanum, quod vivente Petro ab ipso fuerat ordinatus in Papam, ideo voluit forsan resignare. His Joannes Andreas priores undecim Columnensium rationes infringit.

Ad octavum.

Ad nonum.

Ad decimum & undecimum.

Quod vero ad duodecimam attinet qua Bonifacius accusatur, S. Cælestinum subornasse, ut cederet, ita ut cessio non teneret, cum in fraudem inductus sit, respondet Ægidius Columna (*a*): *Comprobari potuisse ex pluribus tunc viventibus, dominum Bonifacium Papam VIII. tunc in minoribus agentem, & Cardinalem tunc existentem persuasisse domino Cælestino, quod non renuntiaret, quia sufficiebat collegio, quod nomen suæ sanctitatis invocaretur super eos.* Quod denique ad provocationem a Columnensibus ad Concilium non ex pietatis studio, sed livore & odio nuncupatam attinet; respondetur iniquam eam fuisse cum pauci de pontificatu Bonifacii cum Columnensibus ambigerent; quare ii universæ ecclesiæ sententiam suis argutiis præferre debuerunt, eosque Bonifacius merito judiciaria actione est insectatus, ut referunt vetusta ejusdem acta (*b*): *unde citate a Bonifacio Papa non duxerunt comparendum, & facti sunt contumaces. Ob quam causam tandem fuerunt per eum in consistorio tamquam schismatici condemnati, & privati capellis rubeis, & omnibus beneficiis ecclesiasticis & omni Cardinalatus tituli commodo & honore. Insuper bona ipsorum, & filiorum Joannis de Columna, videlicet Agapiti & Stephani & Sciarræ fuerunt pariter confiscata.* Repetita nimirum sententia, qua eæ pœnæ jam antea, ob impensa perduellibus Siculis

(*a*) *Ægid. Column. l. de renunc. Papæ c. 23.*

Provocatio ad concilium edita a Columnensibus iniqua demonstratur.

(*b*) *Vit. Bonif. VIII. MS. bibl. Vall. sign. lit. C. n. 25.*

Detrahunt pontificatui Bonifacii.

ac

ac Frederico studia incussæ, ob tentatum schisma confirmatæ sunt: concepta vero ea est subjectis verbis (*a*).

(*a*) *Bonif. l. 3. ep. cur. 8.*

Bonifacius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

XXXV. Pontificia in schismaticos sententia.

Lapis abscissus de monte sine manibus, ab ædificantibus reprobatus, & factus in caput anguli, duos & diversos parietes copulans, pastores a Judæa, & magos ab oriente producens, in se reconcilians ima summis, & ordinans in sancta Romana apostolica & catholica ecclesia charitatem, ipsam sponsam suam statuit esse unam, sicut scriptum est: Una est columba mea, electa mea, perfecta mea: una est matris suæ electa genitricis suæ; per inconsutilem tunicam Domini designatam, desuper contextam per totum. Hanc non diviserunt milites, sed sortiti sunt eam. Hanc impugnaverunt hæretici & schismatici, ac blasphemi a juventute sua: sed non prævaluerunt adversus eam divina virtute protectam, & ut castrorum acies ordinatam. Sed nondum hæreticis, schismaticis, ac blasphemis adeo est finis impositus, quin velut viperei filii, natique degeneres in senectute positum ejus sabbatum perturbare, & unitatem scindere moliantur. De quorum numero fore noscuntur Jacobus de Columna & Petrus nepos ejus, quondam dictæ ecclesiæ Cardinales, quos eorum culpis & demeritis exigentibus ac suorum, pridem VI. idus maii Pontificatus nostri anno III. ex rationabilibus causis mati, de fratrum nostrorum consilio Cardinalibus privavimus perpetuo, & deposuimus ab eisdem, variis processibus & sententiis, comminationes & pœnas continentibus, contra ipsos habitis; nec non & contra natos quondam Joannis de Columna fratris dicti Jacobi & patris Petri præfati, ac contra omnes, qui per masculinam & femininam lineam descenderunt hactenus, & descendunt ab ipso Joanne.

De libello in Pontificem compositio a Columnensibus.

XXXVI. *Ipsi namque Jacobus & Petrus intraverunt ecclesiam sub pelle ovina, operibus tamen & fructibus se exhibuerunt quasi lupos rapaces; & graves, non parcentes gregi dominico, & in reprobum sensum dati, & oculis excæcati malitiæ, ita ut lumen cœli non viderent, nec videant; descendentes in malorum profundum, & contemnentes, exurrexerunt loqui perversa: & acuentes ut gladium linguas suas, in blasphema verba, & schismatica proruperunt, aperte monstrantes quod licet ex nobis prodierint, tamen non erant ex nobis: nam si ex nobis fuissent, utique permansissent nobiscum. Quibus verbis redactis in scriptis, ipsa scripta in diversarum ecclesiarum Urbis ostiis affigi, & super basilicæ principis Apostolorum de Urbe altari poni fecerunt: quæ quidem scripta eorum ab olim præcogitatam & præconceptam nequitiam patenter indicant, ipsosque Jacobum atque Petrum blasphemos atque schismaticos fore manifeste declarant, sanctæ Dei ecclesiæ Romanæ catholicæ & apostolicæ molientes scindere unitatem, & columnam Dei viventis pene ad nutationem deducere, ac sagenam summi Piscatoris procellis intumescentibus ad naufragii profunda submergere, si, quod absit, eis facultas adesset. In hujusmodi namque scriptis, quæ universis eadem inspecturis cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, vel conditionis existant, ecclesiasticæ vel mundanæ, a Jacobo & Petro prædictis mittuntur sub modo scribendi, quo ante depositionem suam uti solebant, & sub sigillis, quibus antea utebantur; inter cætera continentur, nos divina providentia ad summi apostolatus apicem secundum scita canonum, licet immeritos, evocatos; & non solum ab omnibus fratribus nostris & ab ipsis prævia electione canonica, immo ab Ecclesia universali receptos in Papam, consecratos, eis assistentibus, secundum approbatum morem Romanæ ecclesiæ, & etiam coronatos Papam non esse; hæc & alia confingentes, quæ non solum sunt blasphema & schismatica, sed insana, prout eorum scripta indicant manifeste.*

XXXVII. *Post depositionem etiam & privationem processus & sententias supradictos, Cardinales se nominant, & Cardinalitica portant insignia, anulis, & rubeis capellis utentes, & Cardinaliticos actus exercent, sicut antequam per nos de fratrum nostrorum consilio essent depositi, faciebant & hactenus utebantur: ut illud taceamus ad præsens, quod fere per triennium obedientiam nobis & reverentiam exhibuerunt ut Papæ, participantes una nobiscum reverendum dominici corporis & sanguinis sacramentum, ac ministrantes nobis in missarum solemniis & divinis officiis, prout ab antiquo solent Cardinales sæpedictæ Romanæ ecclesiæ Romanis Pontificibus ministrare: in ecclesiarum provisionibus & dispositionibus per nos factis consilia sua dantes, & se in concessis a nobis privilegiis subscribentes, alia faciebant nobiscum & recipiebant a nobis, quæ cum homine & ab homine qui non habuissent ingressum canonicum, nec fieri nec recipi debuissent. Nec possent supradicta metu proponere se feciſſe, qui nos in scrutinio, more memoratæ ecclesiæ Cardinalium, elegerant & nominaverant eligendum in Papam quando de nobis timendum non erat: & post electionem, receptionem, consecrationem, & coronationem præmissas factas de nobis, in castro tunc ipsorum, quod Zagarolum dicitur, & quod per dictum Jacobum tunc temporis tenebatur, cum pluribus ex fratribus nostris hospitati fuerimus confidenter, & ipsi ac sui tunc ibidem exhibuerunt nobis papalem reverentiam & honorem, ubi nulla aderat eis causa timoris.*

Confutatur a Bonifacio.

XXXVIII. *Nos igitur super his & aliis, quæ hujusmodi negotium contingunt, vel contingе-*

Distrida ab eodem pœnarum severitas.

gere possint, habita cum dictis fratribus nostris deliberatione matura, omnes processus, omnesque sententias, comminationes, & pœnas; & specialiter dictam sententiam depositionis & privationis Cardinalatuum, & cuncta alia, quæ in nostris super hoc confectis literis continentur, de eorumdem fratrum nostrorum consilio rata habentes & grata; confirmamus, ratificamus, & approbamus, & etiam innovamus: & propter adauctam eorum contumaciam, schisma, atque blasphemiam, de dictorum fratrum consilio ipsos Jacobum & Petrum sententiando pronuntiamus esse schismaticos, & blasphemos, & excommunicationis sententia innodamus; ipsosque, in hujusmodi blasphemia & schismate perdurantes, tamquam hæreticos puniendos; & tam dictam depositionis & privationis cardinalatuum sententiam, quam omnia, quæ contra ipsos & alios fecimus, & pronuntiavimus, de novo facimus, sententiamus, atque proferimus, & robur habere decernimus perpetuæ firmitatis. Omnibus insuper canonicatibus, præbendis, dignitatibus, personatibus, officiis, & beneficiis cum cura vel sine cura; pensionibus, ecclesiasticis reditibus seu proventibus, quæ prædicti Jacobus & Petrus, & unusquisque eorum habebant, tenebant, & possidebant in quibuscumque seu a quibuscumque ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, religiosis & sæcularibus vel specialibus personis, cujuscumque eminentiæ, conditionis, ordinis, dignitatis, & status, ecclesiastici vel mundani; ipsos omnino privamus, ipsaque collationi sedis Apostolicæ reservamus; decernentes irritum, & inane, si secus a quoquam super iis scienter vel ignoranter contigerit attentari.

XXXIX. Inflicta bonorum proscriptio.

Eosdem quoque Jacobum & Petrum, quondam Cardinales; Joannem dictum de sancto Vito, & Oddonem filios quondam Joannis de Columna fratris dicti Jacobi, & patris Petri præfati omnibus juribus, & bonis mobilibus & immobilibus ecclesiasticis; & tam ipsos quam Agapitum, Stephanum, & Jacobum dictum Sciarram, filios Joannis de Columna prædicti, & alios filios ejusdem Joannis, si qui alii sunt filii eorumdem vel alicujus eorum, omnibus juribus, & bonis, & rebus mobilibus & immobilibus, hereditariis seu quomodolibet acquisitis, quibuscumque ratione, causa, vel titulo ad eos vel ipsorum aliquem seu aliquos pervenerint, seu obvenerint, obvenire vel pervenire possent; nec non communitatibus, baroniis, comitatibus, civitatibus, sive castris, ubicumque illa habeant, teneant, vel obtineant, vel quomodolibet ad ipsos pertineant, privamus omnino, illaque omnia & singula publicamus, & etiam confiscamus; ita quod ad ipsos vel eorum aliquem, heredes ipsorum vel alicujus eorum nullo unquam tempore revertantur, eosque ac unumquemque ipsorum active & passive intestabiles reddimus; ita quod eis & eorum unicuique ex testamento, vel quavis ultima voluntate, seu ab intestato nullus succedere possit, nec ipsi, aut eorum aliquis ex testamento seu ultima voluntate, vel ab intestato succedere, aut aliquod capere possint; nihilque eis, vel eorum alicui ratione legati, institutionis, aut substitutionis, seu quovis titulo valeat quomodolibet obvenire: eosque pronuntiamus infames, & legitimis actibus prorsus indignos; statuentes quod nulli eorum portæ alicujus pateant dignitatis ecclesiasticæ vel mundanæ, & si secus fieret, nullum robur habere, ipsisque civilitatem & incolatum & habitationem Urbis, circumpositæ regionis, & quorumvis civitatum, castrorum, terrarum atque locorum dictæ ecclesiæ subjectorum prorsus interdicimus: eosque omnes & singulos ab Urbe, ejusque territorio & districtu, & ab omnibus civitatibus, castris, terris seu locis subjectis eidem Romanæ ecclesiæ forbannimus: ipsosque Agapitum, Stephanum, Jacobum dictum Sciarram, Joannem de sancto Vito, & Oddonem excommunicationis sententia innodamus: statuentes firmiter, & mandantes, ut nullus dictos Jacobum & Petrum, & præfatos Agapitum, Stephanum, Jacobum dictum Sciarram, Joannem, & Oddonem fratres, eos vel eorum aliquem aut aliquos recipiat vel receptet; nullusque eis aut ipsorum alicui, vel aliquibus præstet auxilium, consilium vel favorem, eos, qui secus fecerint, excommunicationis sententia innodantes. Præcipimus etiam sub excommunicationis sententia, quam contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, ut nullus ab ipsis Jacobo & Petro, & prædictis fratribus, vel eorum altero, in schismate vel rebellione hujusmodi existentibus, nuntium vel literas recipiat, aut mittat ad eos vel ad alterum eorundem.

Renovatum anathema.

Reddimus quoque prædictos Jacobum & Petrum, Agapitum, Stephanum, & Jacobum dictum Sciarram, Joannem de S. Vito & Oddonem, & alios si qui sint filii dicti Joannis de Columna, & filios eorumdem inhabiles ad honorem seu regimen, vel officium publicum, ecclesiasticum vel mundanum, quælibet & quocumque nomine censeantur, per se, vel alium, aut alios quomodolibet exercenda; ita quod nec ad illa vocari, eligi, vel assumi valeant, vel ad aliquod eorundem; nec ipsi, vel aliquis eorum, seu aliqui ea valeant exercere; & si secus factum fuerit, illud decernimus irritum & inane. Si qui vero ex eis, vel ipsorum aliquis, vel quivis per eos, vel pro eis, vel ipsorum aliquem, vel aliquos in potestariæ, capitaniæ, consulatus, regimine, vel quovis officio publico hactenus, ubicumque positi, electi, assumpti fuerint, vel recepti; præsertim quorumcumque provinciæ, civitatum, castrorum, terrarum, atque locorum memoratæ ecclesiæ subjectorum;

XL. Publicis muneribus Columnenses interdicti.

rum illos ab eis penitus amovemus, executionibus ipsis penitus interdictis, eosque præcipimus nullatenus reassumi: & si secus factum fuerit, illud decernimus nullius existere firmitatis.

Civitates vero, castra, seu loca, quæ scienter dictos Jacobum & Petrum, & prædictos fratres receperint, receptaverint, sive tenuerint, aut in quibus publice moram contraxerint, quandiu ipsi vel alter eorum inibi morabuntur, ecclesiastico supponimus interdicto: & personas ipsorum Jacobi, & Petri, & fratrum capiendas exponimus quibuscumque fidelibus, detinendas & custodiendas diligenter, quousque per dictam sedem aliud fuerit ordinatum, &c. Incussæ etiam pœnæ a Pontifice præcipuis Jacobi & Petri excardinalium administris, & aliis, qui in ipsorum post conflatum schisma obsequiis perstitissent: tum vetitum laicis, vel ecclesiasticis, religiosisve, ne iis præstanda Cardinalibus officia deferant. Columnensis etiam familiæ clientes sacramenti cujusvis vel obsequii clientelaris religione soluti, omnesque cum iis initæ pactiones rescissæ. *Actum Romæ in basilica supradicta*, nimirum S. Petri, *in die ascensionis Domini, pontificatus nostri anno* III.

Hostium ecclesiæ oratores Prænestæ excepti.

XLI. Edita quoque est in illos constitutio, quæ inserta fuit in sexto decretalium libro, (*a*) cujus meminit ejus vitæ scriptor (*b*); *In die*, inquit, *ascensionis Domini ipse Papa constitutionem edidit decretalem extra de schismaticis lib.* VI. *Ad succidendos*, &c. Sextum porro decretalium hoc anno editum a Bonifacio refert subjectis verbis idem auctor: *Eodem anno scilicet* V. *non. martii, idem Bonifacius Papa fecit publicari sextum librum decretalium, quem per tres magnos & solemnes viros fecerat compilari, plura nova constituens in eodem.* Eos fuisse Guillelmum archiepiscopum Ebredunensem, Berigarium episc. Biterrensem, & Richardum Senensem S. R. E. vicecancellarium, narrat Bonifacius in literis ad Bononienses, quæ operi præfixæ sunt: sed ad institutum de Columnensibus sermonem redeamus.

(*a*) Cap. *Ad succidendos ext. de schismat. in 6.*

(*b*) *Vit. Bonif. MS. bibl. Vall. sign. lit. C. n. 25. & n. 79.* Sextus decretalium lib. editus a Bonifacio.

Demandatæ mox fuere censoribus fidei partes, (*c*) ut in Columnenses sententiasque cum ipsis legum in hæreticos constitutarum severitatem distringerent: cumque nec his terroribus cederent; imo Friderici tyranni insulæ Siciliæ oratores ad turbandam Romanam rem intra Prænestina mœnia admitterent, sancitæ in eos pœnæ festo dedicationis basilicæ principis Apostolorum recurrente ratæ habitæ, (*d*) ac tertio inflictæ fuerunt: *Cum*, inquit Pontifex, *prædicti Jacobus & Petrus olim Cardinales, Joannes & Oddo, Agapitus, Stephanus, & Jacobus dictus Sciarra adhuc in facti nequitia, duritia, inobedientia, & rebellione persistant ac se, ut debent, ad obtinendam misericordiam non disponant; quin potius, prout in eis est, nostram & Apostolicæ sedis contra se provocent indignationem & iram, ipsorumque domus exasperans (solita personas producere persecutrices Apostolicæ sedis, Urbis, & circumpositæ regionis) adhuc circuire non cessat, nuntiosque transmittere ad Fredericum natum quondam Petri olim Regis Aragonum, hostem nostrum publicum & dictæ ecclesiæ, & charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris, & recipere ab eodem ad Urbem & patriam perturbandam; & sicut verdica habet relatio, Franciscus de Crescentio & Nicolaus Pazzus cives Romani una cum nuntiis Frederici præfati, nuper de Sicilia venientes, ad civitatem pervenerint Prænestinam; nos propter adauctam eorum contumaciam, rebellionem, perfidiam, malitiam, & excessus omnes hujusmodi processus, sententias, comminationes, & pœnas, & maxime præfatam depositionis & privationis Cardinalatuum sententiam, ac omnia & singula, quæ in præfatis processibus & nostris inde confectis literis continentur, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis, præsente hac fidelium multitudine copiosa, ratificamus, confirmamus, & etiam innovamus, &c. Actum Romæ in basilica supradicta, in festo dedicationis ejusdem basilicæ, pont. nostri an.* III.

(*c*) *Lib. 3. ep. cur. 44. 80. 82. 83. & ep. com. 329. 487.* Jussi fidei censores in Columnenses agere.

(*d*) *Ep. cur. 85.*

Indicta in Column. sacra expeditio.

Non se hujusmodi schismate omnes Columnenses implicuere, Matthæus enim Columna præpositus ecclesiæ S. Audomari Morinensis diœcesis religiosam in eos militiam, accepto crucis symbolo, est professus (*e*). Promulgata porro ea fuerat a Bonifacio (*f*) propositis indulgentiarum præmiis, ac Matthæus Card. Aquaspartanus creatus in pluribus Italiæ provinciis legatus (*g*), ut fideles ad crucem induendam concitaret dimicatum acriter, ac demum Columnenses succubuisse visuri sumus.

(*e*) *Lib. 3. ep. 598.*

(*f*) *Ep. 68. 76.*

(*g*) *Ep. 69. ad 76.*

XLII. Eduardus in Flandriam traiicere parat.

Dum Romanus Pontifex, qui principes ad pacem revocare susceperat, gerendo in Columnenses bello implicitus erat, exortum in Gallis bellum auctum, exasperatumque est: Anglus enim in Belgium cum exercitu trajecit. Sed antequam discrimini se committeret, flagitasse a clero Anglicano veniam criminis, quod in permittendis extorsionibus cultæ ab ipsis Bonifacianæ constitutionis odio patrarat, refert Westmonasterienſis (*b*): *Admisso*, inquit, *archiepiscopo Cantuariensi in gratiam Regis, atque reddita sibi baronia sua, pridie idus julii ante magnam aulam regiam Westmonasterii elevatus Rex super gradum ligneum cum filio suo & archiepiscopo, nec non comite Warwic, coram eo astante populo; erumpentibus lacrymis, veniam de commissis humillime postulavit.*

(*b*) *Wvest. Flor. hist. hoc anno.*

Veniam prius immunitatis ecclesiasticæ violatæ posuit.

lavit, dicens se minus bene & tranquille, quam Regem deceret, ipsos rexisse: portiunculas facultatum suarum, quas sibi dederant, seu quas ministri ejus ipso inscio extorserant, ideo acceptasse, ut injuriosos hostium conatus, sitientium sanguinem Anglicanum, sumpta reipublicæ particula massa quietius possidenda potentius expugnaret; & addens: Ecce expositurus meipsum discrimini propter vos peto, si rediero, suscipiatis me velut in præsentia habetis, & ablata omnia reddam vobis: quod si non rediero, in Regem vestrum meum filium coronetis.

Urgebatur a Guidone Flandriæ comite fœderato, ut collapsis rebus (Belgæ enim magna clade attriti fuerant *a*) ferret opem, eoque Adolphus Romanorum Rex progredi cum copiis erat pollicitus, ut conjunctis exercitibus Gallias invaderent: sed is fidem Eduardo fefellit, sive ut ajunt majori pecuniarum vi a Gallis accepta susceptum avaritia bellum damnasset, sive novis turbis in Germania exorientibus occupatus esset: sunt enim qui tradunt (*b*), Philippum cum Alberto Austriæ duce affinitatem jungere pollicitum, tum magnis pecuniis ac promissis ipsum in spem Imperii erectum contra Adolphum concitasse. At Walsinghamus propulsatum providentia pontificia imminens Galliis periculum subjectis verbis refert. (*c*) *Papa Bonifacius scripsit interim principibus Alemanniæ, ut Regem Romanorum Adulphum, qui nuper confœderatus fuerat regi Angliæ, ne transiret in Flandriam in auxilium Regis Angliæ, bellis quibus possent inquietarent, & ab invasione Gallorum modis omnibus impedirent.* Distracto Adolpho, ne se Anglo Regi in Flandriam conjungeret, facilius Francorum Rex Guidonem comitem perdomuit, ac Pontificis opera, qui Regi Siciliæ Philippum & Eduardum consanguineos adducendi in concordiam provinciam demandarat (*d*), induciæ conciliatæ, de quibus hæc Jordanus (*e*): *Flandriam intrans Insulanos obsedit. Robertus autem comes Atrebati, relinquens Guasconiam, ex parte illa Flandriam est aggressus, & multis Flandrensium profligatis & captis, ac Parisiis & per villas aliquibus carceratis, villam de Furnes in deditionem accepit. Deinde castellum cum tota valle sua occupavit. Interea Insulani se Regi dederunt, salvis personis & rebus, Roberto primogenito, inde fugiente apud Bruges ad patrem & Regem Angliæ, qui paulo ante illuc venerat. Ille autem, Rege Franciæ accedente, Rex Angliæ, cum comite Gandavum vadunt propter loci munitionem: ideo Tritiburgenses se Regi Franciæ tradunt.*

(*a*) *Jo. Vill. l. 8. c. 20. S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 6. Mayer. annal. Bland. l. 10. hoc an. & alii.* Pollicitus erat Adolphus copias cum Eduardo conjungere. Fidem Eduardo fregit.

(*b*) *Jo. Vill. sup. c. 20.*

(*c*) *Walsing. in Tpod. Neustriæ hoc ann.*

(*d*) *Jo. Villan. eod. c. 20. Meyer. l. 10. in annal.*

(*e*) *Jord. MS. Vatic. sign. n. 1960. Meyer. ubi sup.* Roberti comitis in Flandriam irruptio.

Progressus Gallorum.

Addit auctor, his elatum victoriis Gallorum Regem adversus Gandavum infesta signa extulisse: *Deinde Rex Franciæ, vadens contra Gandavum, nuncios recipit, petentes induciias duorum annorum, ob imminentem hyemem; & maxime ob amorem Caroli Regis Siciliæ, qui propter hoc veniebat in Franciam: cui Rex vix annuens, circa festum omnium sanctorum rediit.* Quæ de Regis Siciliæ in Gallias profectione dicta pontificiis literis confirmari videntur, quibus Bonifacius Albanensem & Prænestinum episcopos e Galliis excedere vetat, (*f*) donec Siciliæ Rex in Gallias advenisset. Meminit de initis hisce induciis Walsinghamus, (*g*) atque ab Eduardo Rege missos ad Pontificem oratores, qui controversiam omnem, ut æquo pacis arbitro, permitterent: *Anno*, inquit, MCCXCVIII. Scilicet numerari cœpto ab ipso natalitio Dominico hujus exeuntis anni, *tenuit Rex Eduardus festum natalis in Flandria apud Gandavum, ad quem venerunt ex parte Papæ nuncii, rogantes eum sub eadem forma, qua ante ex parte Papæ rogaverant Regem Franciæ, ut nuncios solemnes ad curiam Romanam, concessa eis plena potestate tractandi, ordinandi, & perficiendi omnia, quæ pacis reformationem tangerent, destinaret: & ipse Apostolicus non tamquam judex, sed ut bonus pacis mediator in nullius præjudicium satageret ad pacem & tranquillitatem regnorum, Regum amicitiam in statum pristinum reformare. Et quia hoc absque treguis fieri non posse judicavit summus Pontifex, ideo per hos nuntios biennales inducias, quas per Cardinales imploraverat, indixit de novo sub pœna excommunicationis, & interdicti terrarum suarum. Rex Angliæ perpendens, se in Flandria periculose, commorantem, illucque per informationem comitis Flandriæ minus prudenter attractum, regnumque proprium intestina seditione turbatum, fiduciamque suam de Rege Romanorum per Papam sibi minus benevolum regnum Theutoniæ turbantem frustratam; consensit in treuguas indictas. Transmittunt ergo Reges utrique solemnes nuncios cum plena potestate ad Romanam curiam, ut per mediationem Apostolici, non tamquam judicis sed amicabilis compositoris, discussis negotiis, pax inter Reges & concordia reformaretur.* Conciliatos demum Reges a Pontifice visuri sumus, ac latam ab eo sententiam inferius afferemus. [1]

(*f*) *Lib. 3. ep. cur. 8.*

(*g*) *Walsing. in Tpodig. Neustr. Ægid. Roya in annal. Belg.*

Induciæ inter Reges conciliatæ.

Controversia permissa Pontifici.

Missi a Regibus fœderis interpretes.

Fa-

NOTÆ [1] QUæ in annalibus hoc anno referuntur, nulla illustratione, & modica correctione indigent. Unum vel aliud tantummodo sphalma, quod scriptori irrepsit, leve oppido & parvi momenti emendandum est. Induciæ illæ, quas cum rege Galliarum Anglus conciliavit, non

XLIII. Bonifacius Philippo in eo bello non defuit. Ejus ad Galliæ clerum literæ. (*a*) *Ib. ep. cur. 26.*

Favit Philippi rebus in eo difficillimo bello Bonifacius; qui cum ob editam anno superiori constitutionem exulceratum Regis animum fuisse accepisset, atque interpretatum velle Pontificem decimarum subsidia ipsi eripere, promulgavit novo diplomate superiori constitutione, non vetari præsules, ne Regem in asperrimo illo bello, quod Belgii comitis defectio magis incenderat, juvarent (*a*).

Bonifacius &c.

Si eadem regnum, ecclesias, personas, & incolas, prout modernis temporibus experientia docuit, & nuperrime nobis vestrarum reseravit, in unum conveniens scribendi commercium, series literarum, adversi contingat conditio temporis, exteriores inquietaverint & perturbent impulsus, ac etiam intestini discriminis, quod est dolendum, gravius subversionem eorum comminetur emersio; illo jam immittente illic, ut scripsistis incitamenta dissidii, comite Flandrensi videlicet, qui exterioribus pertubationibus sperabatur adesse repagulum, & ipsis regno, ecclesiis, personis, & incolis, velut de principalioribus membris unus, magnum auxilii fulcimentum; nostra ex hoc amaricantur intrinseca, gravis doloris concussione torquemur, & in amara suspiria commovemur, Regi, regno, ecclesiis, clero compatientes & populo affectione paterna. O divina clementia, quæ cœlestia pariter & terrena irrefragabiliter sub tua potestate concludis, constringe tantarum fremitus tempestatum, coerce habenas humani generis inimico, aresciere fata ejus semina jube, quæ totum fere populum tuum spinis & tribulis jam undique concusserunt.

De Flandriæ comitis defectione.

Apostrophe ad Deum, ut exorta bella compescat.

XLIV. *O pietatis actor & salutis amator, compatere fragilitati humanæ misericors, & Christicolarum tuorum illumina sensus, actus dirige, & opera ut in viam salutis*

Flagitarunt Galli præsules, ut Regi in adverso eo casu opem ferrent.

& pacis reducantur a devio, ne irreparabili subversione confracti, in hujusmodi mundi navicula naufragent fluctuanti. Super eo autem quod vos gravia vobis, & universis ecclesiis & personis ecclesiasticis dicti regni non solum rerum, sed etiam personarum ex iis inflare pericula formidando, vias exquirentes, & modos, quibus vobis & eisdem ecclesiis & personis adversus frementes insultus regali providentia, sine qua impossibile tenetis negocia dirigi, defensionis opportuna remedia præparentur; nobis per easdem literas supplicastis, ut charissimo in Christo filio nostro Philippo Regi Francorum illustri pro hujusmodi communi defensionis suffragio, in qua proprium versatur interesse cujuslibet, impendendi subventionem congruam absque transgressione constitutionis nostræ super hoc editæ vobis & universis ecclesiis dicti Regni concedere licentiam dignaremur; vestram providentiam commendamus.

Laudati a Bonifacio.

*Licet enim constitutionem illam ediderimus pro ecclesiastica libertate, non tamen fuit nostræ mentis intentio ipsi Regi, aliisve principibus sæcularibus in tam arctæ necessitatis articulo; præcipue ubi ab * intrinsecis injustæ timetur invasio, ab intrinsecis ejusdem regni subversio formidabitur, ac etiam prælatorum, ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum evidens periculum imminet; viam subventionis excludi, quominus ipsi prælati, ecclesiæ, ac ecclesiasticæ personæ libero arbitrio atque sponte de nostra licentia pro communis defensionis auxilio, in qua proprium cujuslibet interesse conspicitur, principibus ac sibi ipsis provideant juxta suarum modulum facultatum: & sicut alias dicto Regi, ac nonnullis aliis regni sui tam literatorie quam per nuncios expressisse meminimus si, quod Deus avertat, ipsum in necessitate*

* extrinsecis

Non erigenda justa in rebus angustis principibus auxilia.

NOTÆ non quidem hoc anno exeunte, sed altero incipiente conciliatæ sunt. Quamquam enim a nunciis pontificiis requisitus Edmundus ut inducias tandem ad biennium admitteret, de quibus antea a duobus cardinalibus A. S. L. fruſtra rogatus fuerat; quamquam, inquam, pronas in id aures inclinabat; tamen induciæ decretæ non sunt nisi in exordio sequentis anni ut constat ex Trivetto, qui hoc anno quidem die festa SS. Innocentum propositas scribit, sed admissionem nonnisi sequenti anno narrat. Insuper idem Trivetus a Westmonasteriensi dissidet in assignanda die & mense quo Angliæ in conventu principum virorum coivisse se cum archiepiscopo, facto ipse demonstravit; non enim id actum pridie id. julii sed in festo S. Petri ad vincula notat. Denique ex Walsingano scriptore recenti notat hic annalista Bonifacium turbas in Germania excitasse, ut his sopiendis intentus Adolphus consilium ferendorum in Belgium armorum deponeret. Id autem non sine idoneo teste affertum est; nam Trivettus totidem fere verbis hæc ipsa expressit.

Cæterum cum Nangius scribat regem Galliæ signatis ad biennium cum comite Flandriæ in regem Angliæ induciis *circa festum omnium sanctorum in Franciam rediisse*; in eam opinionem inducor nuncios pontificios nondum Angliæ rege adito ad Gallum se contulisse, ratos, ut si ab illo qui superior in eo bello erat, inducias obtinuissent, facile se ab Anglo impetraturos. Opportunum ad id fore arbitrati sunt, si forte simularent se ab Anglo ad eam rem missos venisse. Hac fraude extortis a Gallo induciis ad Anglum se contulerunt, quem facile in eandem sententiam traxerunt. Insinuat id Nangius, asserens a pontifice & Angliæ rege rogatum Philippum inducias concessisse, tractum præsertim *ob amorem regis Siciliæ, qui propter hoc veniebat in Franciam.* Ex quibus posterioribus verbis non male suspicarer Carolum Siciliæ regem suscepisse quidem transeundi in Galliam consilium, reipsa tamen non venisse; quod valet ad emendanda ea quæ annalista num. 42. scribit. MANSI.

Suum in Gallos studium explicat.

tam gravi & tam importabili conspiceremus expositum, quod ex tenoribus egere subsidiis nosceretur, non solum de bonis ecclesiasticis dicti sui regni sibi ea præstari vellemus, quinimo ecclesiæ Romanæ res, posse, ac bona, ac personam nostram etiam exponeremus pro suorum conservatione jurium, ejusque necessitatibus sublevandis, in quantum secundum Deum noster & ipsius honor ecclesiæ pateretur.

XLV. Permittit clero, ut Regem pecuniis juvet.

Vestris itaque in hac parte supplicationibus annuentes, præsentium auctoritate concedimus, ut si casus communis, & evidentis necessitatis immineat, ut scripsistis; ac idem Rex vestram & aliorum prælatorum, ecclesiarum, & personarum, atque bonorum ecclesiasticorum, sicut & cæterorum personarum, locorum, & bonorum dicti sui regni voluerit defensionem assumere ac assumat, & efficaciter prosequatur, & id expediri videritis; licet vobis & eisdem prælatis, ecclesiis & personis ecclesiasticis absque metu constitutionis nostræ prædictæ ipsi regi pro hujusmodi vestræ, ac ipsorum Regis, & regni intrinsecæ defensionis subsidio subventionem congruam, prout vobis & cæteris prælatis regni præfati, seu majori parti vestrum & ipsorum videbitur, voluntariam, liberalem, & liberam, non coactam absque omni concussione, exactione, ac executione temporali vel laicali exigenda; hac vice præsentis nostra fretis licentia impertiri, eamque similiter Regi liceat recipere memorato. Datum Romæ apud S. Petrum II. *kal. martii anno* III. Aliis etiam literis egregium præsulum in juvando Rege studium commendavit, (*a*) eorumque sancita de attribuendis Regi decimis confirmavit. Permisit etiam (*b*) ut ob sumptuum magnitudinem quos in bello tolerabat, mediam eorum partem, quæ vel indistincte vel pro Terra sancta legata erant, acciperet.

(*a*) Ep. 169.
(*b*) Ib. ep. 54. Plura Philippo a Bonifacio concessa.

Contulit quoque eidem Regi, (*c*) ut in omnibus regni sui cathedralibus & collegiatis ecclesiis clericum sacerdotio donaret: monuit porro (*d*) ne ecclesias a suis administris gravari opprimique pateretur, neve edictum de non extrahendis e regno opibus ad ecclesiasticos porrigeret.

XLVI. Collatio unius sacerdotii in ecclesiis insignibus Regi permissa.
(*c*) Ep. eur. 49.
(*d*) Ep. eur. 1. Rogat ne ab ecclesiasticis efferri e regno pecunias vetet.

Philippo Regi Francorum illustri.

Exiit a te nuper edictum, quo inter cætera pecuniarum & certarum rerum de regno tuo generaliter prohibetur extractio, & de regno non oriundis eodem conversatio solita impeditur. Et quidem si fuit eo dicentis intentio, ut ad hostes tuos non portarentur hujusmodi, ne ad ipsos ex hoc provenirent compendia, nec esset commercium cum eisdem, sub quadam potest tolerantia præteriri: sed sic generalis edicti promulgatio vel statuti, ut textus verborum indicat, proculdubio justæ redargutioni subiicitur, & edicentis in ipso, sicut per alias literas nostras tibi jam scripsimus, culpa notatur; præsertim si eorumdem verborum intellectum patiaris extendi, ut ad ecclesias ecclesiasticasve personas; de quibus disponendi tibi non est attributa potestas, ipsius edicti sententia porrigatur: quin potius per hoc durioris redargutionis morsui subjaces, non ut pœnam promulgati canonis, quod referimus dolenter, evites. In istis equidem si prudenter advertitur, te tuumque consilium sanctorum Patrum scripta non instruunt, & claræ memoriæ progenitorum tuorum exempla laudabilia non adducunt. Suntne ista præsidia, quæ rependis Ecclesiæ? Est iste modus acceptus, per quem regiæ dignitatis fama clarescat, ac te & regnum tuum Deo & hominibus reddas gratum? Profecto non credimus: quinimo hæc iram Dei provocant, comminantur judicium, odia pariunt, regiam famam lædunt.

XLVII. Objurgasse ad salutem edocet.

Super quibus, fili, increpando paterne tibi jam scripsisse recolimus, ut ab iis te prudenter retraheres, & prudentius abstineres; illaque fuit increpantis intentio, ut debitum sui prosequeretur officii, & te charissimum filium in lapsum culpa non duceret, ut in peccatorum semitis deviares. Est namque præcipue officium pastoris, ut increpet, arguat per misericordiam, & corripiat per medelam. Et si quidem intra claustra pectoris hæc debita meditatione revolvas, liquebit apertius, quod salutaris tibi nostra increpatio proficit, & oleum peccatorum tuum caput ungentium adulatio, reprobanda videlicet in hoc saltem tui decipientis consilii, te confundit. Nec credat magnificentia regia, aliter in iis informata quam debeat, quod præmissæ constitutionis nostræ secundum condentis judicium sanus sensus admittat, quod interpretationem habeat sic strictam, sic rigidam, sic avaram, prout nonnullorum, & specialiter de tuo consilio, interpretatur astutia, vel forsitan speculationis claræ durities, utinam malignitas non coloret; sed reducatur humane ad sanum & rationabilem intellectum. Quapropter, dilectissime fili orum, dirigens in conspectu Domini vias tuas, divæ memoriæ prædecessorum tuorum sequendo vestigia, reverentiam consuetam, & debitam eidem ecclesiæ devotus impendas, quod in prædictis & circa prædicta per te aut officiales tuos est factum illicite, tacite vel expresse per reformationem congruam corrigens, & annullans. Nisi enim zelus tuæ nimiæ indevotionis obsistat, ipsa mater ecclesia, tibi tanquam amantissimo filio brachiis maternæ affectionis accumbens, in opportunis subsidiis libenter assistet, & in gratiarum favoribus ubera maternæ charitatis effundet. Dat. Romæ apud S. Petrum VII. *id. februarii an.* III.

Constitutionem in pravum sensum non detorquendam.

Hactenus Bonifacius: qui præterea aliis literis Regem est adhortatus (*e*), ut ecclesiæ monitis obtemperaret.

(*e*) Ib. ep. 2.

Cum

XLVIII. Intentatæ regiis administris censuræ.

Cum vero ob editam anno superiori constitutionem, qua pecunia e regno efferri vetabatur, Rex vinculis anathematis vi canonis se irretiisset, si ejus fuerat consilii legem ad ecclesias, clericos, aliosque in aula pontificia agentes extendere, quamvis Bonifacio a nonnullis significatum esset, regiam legem illos non tetigisse, Antissiodorensi episcopo ac Philippi confessario partes dedit, ut ad omnem religionem facti excutiendam absolverent: legatis vero apostolicis Albanensi & Prænestino episcopis provinciam demandavit, ut si Rex vel ejus administri pecunias ad ecclesiasticos mittendas e regno extrahi vetarent, promulgarent ex canonicis legibus censuris illos implexos, (*a*) ac nihilominus novo ipsos anathemate defigerent.

(*a*) Ep. eur. 3.

Bonifacius, &c. Berardo Albanensi, & Simoni Penestrino episcopis Apostolicæ sedis nuntiis.

Fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus cum ad habendam pecuniam nostram pro causa prædicta ad partes ultramontanas mittamus ad præsens, & hoc procurari solicite per vestrum ministerium præcipue confidamus; si forte, quod absit, inventa ipsa pecunia per charissimum in Christo filium nostrum Philippum Francorum Regem illustrem, vel officiales ejus, aut quoslibet alios ejusdem pecuniæ de regno Franciæ prohiberetur, vel non permitteretur extractia tacite vel expresse; vos ambo vel alter vestrum eumdem Regem, officiales ipsius, & quoscunque alios impedientes, tanquam impingentes aperte in ecclesiasticam libertatem, & destruentes tam pium, tam utile, tam arduum Dei & Terræ sanctæ negocium, ex præteritis culpis per ipsos circa hujusmodi jam commissis; & specialiter impediendo venientes ad Romanam ecclesiam matrem cunctorum Christi fidelium & magistram, denuncietis publice in sententiam promulgati canonis incidisse: & nihilominus in eum & eos de novo excommunicationis sententiam proferatis, non obstantibus quibuscunque privilegiis vel indulgentiis eisdem Regi, officialibus, vel quibuscunque aliis impedientibus ab Apostolica sede concessis, etiam si oporteret de illis expressam præsentibus ac de verbo ad verbum fieri mentionem. Datum Romæ apud S. Petrum V. *id. februarii anno* III.

Censuris liberandi Regis data potestas.

XLIX. Quod ad constitutionem vindicandi ex laicorum tyrannide cleri zelo editam spectat, cujus acerbitate exulceratus Francorum Rex aurum e regno avehi vetuerat; cum illam detorquerent in sensum iniquiorem nonnulli tricarum a vidiores, Pontifex suborta dubia subjecta sanctione solvit (*b*).

(*b*) Ep. eur. 5. ext. etiam in Sext. l. 3. de immun. eccl. cap. Clerici.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri, ad perpetuam rei memoriam.

Romana mater ecclesia in suis actibus veritatem prosequens, lucem amans, nihil agit in cujusquam injuriam, & libenter removet quodlibet de suis processibus captiosum: & si hoc in aliis communiter agitur, in te amantissimo filio specialius evitatur. Sane constitutionem nostram nuper in ecclesiarum favorem editam, imitantem antiquas canonicas sanctiones, ne prælati ecclesiasticæve personæ, cujuscumque dignitatis, status, aut conditionis existant, sub adjutorii, mutui, vel doni nomine Imperatoribus, Regibus, principibus, vel aliis præsidentibus absque auctoritate sedis Apostolicæ præsent subsidia, quocunque nomine censeantur; neve Imperatores, Reges, seu principes, vel aliter præsidentes ipsa impetere, exigere, vel recipere audeant; nonnullorum astutia, vel duritie intellectus plus avare plus rigide interpretari conatur, quam sani sensus judicium habeat, & intentio constituentis admittat, per quod, fili charissime, a prælatis & ecclesiis regni tui, præsertim in instanti guerræ tuæ discrimine ademptum tibi subsidium ingemiscis.

Pontificia constitutio detorta in contrarios sensus.

Quia igitur ejus est interpretari, cujus est condere, ad cautelam tuam heredumque tuorum humana declaratione decernimus, quod si prælatus aliquis, vel quævis alia persona ecclesiastica regni tui, cujuscumque dignitatis, status, ordinis, aut conditionis existat, voluntarie, sine impressione aliqua expressa vel tacita, aut coactionis impulsu donum aut mutuum tibi dare aut præstare voluerit, dum tamen sub exactionis nomine, vel taillie, aut cujuslibet supradicti muneris, aut sub quota hoc non fiat generaliter, vel in fraudem; licet ad id forsan tua vel tuorum officialium curialis requisitio, & amica procedat, te officiales ipsos, prælatos, & ecclesiasticas personas ipsa constitutio non astringat; quodque ad feuda sive regalia, quæ iidem, prælati & personæ ecclesiasticæ sub tuo dominio tenere noscuntur in his, quæ tibi de illis tenentur & debent, & clericos uxoratos, prout sani juris intellectus admittit, ac illos, qui in fraudem causa vitandorum munerum clericale schema recipiunt, se ipsius constitutionis sententia non extandat: & in necessitatis articulo, prout necessitatem jura diffiniunt, ubi evidens esset in mora periculum per te vel tuos nuncios ad sedem Apostolicam recurrendi, si a prælatis & personis ecclesiasticis memoratis per te ac officiales tuos subsidium competens petas & habeas, te ac ipsos ex ejusdem constitutionis verbis, vel sententia declaramus lucide non teneri. Et si forsitan in prædictis, vel circa prædicta, aut alia omissa præsentibus aliquid circa constitutionem ipsam declarandum ulterius tibi vel tuo consilio videatur, in quantum licuerit & expedierit, Deum non offendendo & auctorita-

Suborta dubia illustrantur.

tatem Apostolicæ sedis, promptis affectibus faciemus. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud S. Petrum VII. *id. februarii anno* III.

L. Adverso reipublicæ tempore non valere sanctionem, pronuntiatur.

Illustrata iterum fuere, (*a*) alia ambigua, quæ nonnullos politicos torserant.

Bonifacius &c. ad perpetuam rei memoriam.

Adiicimus insuper hujusmodi declarationi nostræ, quod si præfatis Regi & successoribus suis pro universali vel particulari ejusdem regni defensione periculosa necessitas immineret, ad hujusmodi necessitatis casum se nequaquam extendat constitutio memorata: quin potius idem Rex ac successores ipsius possint a prælatis & personis ecclesiasticis dicti regni petere ac recipere pro hujusmodi defensione subsidium vel contributionem, illudque vel illam prælati & personæ prædicti sæpefato Regi suisque successoribus, inconsulto etiam Romano Pontifice, teneantur & valeant sub quotæ nomine, aut alias etiam impertiri; non obstantibus constitutione prædicta, seu quovis exemptionis, aut alio quolibet privilegio, sub quacumque verborum forma confecto a sede Apostolica interpretato; quodque necessitatis declaratio supradictæ ipsius Regis & successorum suorum conscientiis, dummodo successores ipsius vigesimum ætatis annum exegerint, relinquatur: super quo dictorum Regis & successorum conscientias onerari, eisque innotescere volumus, quod quidquid recipi ultra ipsius defensionis casum contigerit, in suarum recipient periculum animarum: super quo, nisi salubriter sibi provideant, attendere poterunt in quo periculo remanerent.

An premat necessitas, regiæ conscientiæ permissum

Rege impubere ordinum conventui.

Si vero defensionis prædictæ tempore hujusmodi ætatis annum præfati non exegerint successores, declaratio necessitatis, ecclesiæ prælatorum, clericorum, & laicorum, qui de ipsorum successorum stricto consilio, seu majoris partis ipsorum fuerint, conscientiis relinquatur: quorum similiter conscientias onerari volumus, eisque plenius aperiri, quod si quid ultra casum defensionis reciperetur ejusdem, in dispendium salutis consiliariorum reciperetur ipsorum, illudque restituere teneantur: quodque propterea intentionis nostræ non extitit, nec existit, ut per constitutionem prædictam, seu declarationem præsentem jura, libertates, franchisias, seu consuetudines, quæ præfatis Regi & regno, ducibus, comitibus, baronibus, nobilibus, & quibusvis aliis temporalibus dominis editionis præfatæ constitutionis tempore, ac etiam circa illud competere noscebantur, tollere, diminuere, vel quovis modo mutare, aut eis in aliquo derogare, seu novas servitutes vel submissiones imponere; sed jura, libertates, franchisias, & consuetudines supradicta prætactis Regi & aliis illæsa & integra conservare. Nulli ergo, &c. Dat. apud Urbemveterem II. *kal. augusti anno* III. Expressus etiam is casus fuit, (*b*) conferendas a clero subsidiarias opes, si Rex in hostium potestatem veniret, ut pristinæ restitueretur libertati: *Auctoritate præsentium declaramus, quod si charissimus in Christo filius noster Philippus Franciæ Rex illustris, vel ejus filius aut filii, Rege ipso vivente, seu dicti Regis successores sive ipsorum filius aut filii, successoribus ipsis viventibus, ab eorum, quod absit, hostibus caperentur; prælati & personæ ecclesiasticæ supradicti pro dictorum Regis & filiorum ipsius, ac successorum, suorumque natorum redemptione seu recuperatione, non obstante constitutione prædicta, præstare subsidia teneantur. Nulli ergo, &c. Datum apud Urbemvet.* VI. *kal. augusti anno* III.

(*b*) Ep. cur. 48.

Capto ab hostibus Rege, conferre subsidiariam stipem præsules debent.

LI.

Accepere æquiori animo pontificiam constitutionem cæteri Reges, e quibus Wenceslaus Boemiæ Rex, solemni pompa regio diademate cingendus, flagitavit a Pontifice, ut cum ingentes impensas ad regium decus in ea celebritate sustentandum facturus esset, sanctionem de non cogendo a clero subsidiario auro ad ipsius gratiam solveret. Cui Bonifacius respondit, (*c*) constitutionis illius acerbitatem in simili casu molliendam, atque data ab sede Apostolica facultate congrua subsidia a prælatis collatum iri.

Poscit Rex Boemiæ a clero auxiliaris pecuniæ exigendæ potestatem.

(*c*) Ib. ep. 89.

Charissimo in Christo filio Vvenceslao Regi Boemiæ illustri.

Exhibita nobis celsitudinis tuæ petitio continebat, quod cum disponas in proximo coronationis tuæ solemnia celebrare, ac ad id inevitabiliter concurrere habeat importabilis tibi quasi fluvius expensarum, tam ecclesiasticorum, quam secularium locorum, & personarum tui regni subsidium est tibi ad hoc plurimum opportunum, ne in tuum & ejusdem regni dispendium te propter hoc gravia subire oporteat onera debitorum: quare nobis humiliter supplicasti, ut ad hujusmodi tua & ejusdem regni dispendia evitanda, universis prælatis, ecclesiis, & personis ecclesiasticis ejusdem regni, cujuscumque eminentiæ, conditionis, ordinis, sive status, impendendi tibi subventionem congruam pro hujusmodi tuis præfatæ coronationis expensarum oneribus relevandis, tibique subventionem ipsam recipiendi absque transgressione constitutionis nostræ super hoc editæ licentiam concedere dignaremur; maxime cum in tali casu prædecessoribus tuis Boemiæ Regibus a prælatis, ecclesiis, & personis ecclesiasticis dicti regni fuerit ab antiquo subventum.

Profecto licet constitutionem illam ediderimus pro ecclesiastica libertate, nostræ mentis non tamen habuit intentio tibi ac aliis principibus sæcularibus in strictæ ne-

Ob graves in regia coronatione peragenda sumptus concessa a Bonifacio.

*cessitatis articulis viam subventionis excludi, quominus ipsi prælati, ecclesiæ, ac personæ sponte liberoque arbitrio de licentia nostra pro communis honoris, utilitatis, & necessitatis articulis principibus, ac per hoc sibi ipsis, juxta suarum modum provideant facultatum. Regiis itaque supplicationibus inclinati præsentium auctoritate concedimus, ut cum te hujusmodi tuæ coronationis contigerit solemnia celebrare, liceat eisdem prælatis, ecclesiis, & personis ecclesiasticis, absque constitutionis nostræ prædictæ * . . pro hujusmodi tuæ coronationis subsidio expensarum subventionem congruam, prout eis seu majori parti eorum videbitur, voluntariam, liberalem & liberam, non coactam, absque omni concussione, exactione, ac executione temporali vel laicali exigendam hac vice, præsenti nostra freti licentia, impertiri; eamque similiter sit tibi recipiendi licite attributa facultas. Volumus autem, quod si subventionem hujusmodi præstari tibi contingat, formam & modum, & quantitates etiam, ac quicquid super hoc factum extiterit, iidem prælati & personæ ecclesiasticæ nobis per eorum literas seriosius intimare procurent, ut quam discrete vel indiscrete, moderate vel immoderate præmissa processerint, & si acceptationem, vel moderationem exegerint, clarius videamus. Te quoque ac ipsos volumus scire, quod nostræ intentionis existit, ut sine nostra iterata licentia hujusmodi subventio annualem terminum non excedat. Et ecce prælibatis prælatis ac personis ecclesiasticis consimiles super hoc nostras literas destinamus. Datum Romæ apud S. Petrum* II. *kal. aprilis anno* III.

* transgressione

LII.

(*a*) Lib. 3. ep. 90.

Quo vero majori pietate hujusmodi pompam celebrarent, concessit Bonifacius, (*a*) ut qui Wenceslai Regis & Guotæ Reginæ confessiones erat excepturus, omnibus censuris, quibus forsitan se irretitissent, apostolica auctoritate liberaret.

Dilectis filiis de Cefeli & de aula Regia monasteriorum abbatibus Cistercienfis ordinis Burgensis diœcesis.

Personas generositate sublimes libenter prosequimur favore gratiæ speciali. Cum itaque, sicut accepimus, charissimus in Christo filius noster VVenceslaus Rex Boemiæ illustris, & charissima in Christo filia Guota Regina consors sua solemnia coronationum suarum in proximo celebrare disponant; & propterea cupiant sibi solemnius & efficacius de animarum salute consulere, ut divinarum & humanarum laudum incrementa prospiciant; nos eorum desideriis in hac parte potissime libentius annuentes, ut tempore prædictarum coronationum ipsorum Regis & Reginæ confessiones audire, ac eos absolvere a commissis; & etiam ab excommunicationum sententiis ab homine, vel a canone promulgatis, si quas forsitan incurrerunt, impensa prius per eos satisfactione debita super iis, pro quibus excommunicati fuerint, ac injuncta eis, prout animarum suarum saluti expedire videritis, pœnitentia salutari, nisi talia fuerint propter quæ sit merito sedes Apostolica consulenda; vobis & vestrum cuilibet liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Dat. Romæ apud S. Petrum II. *kal. aprilis anno* III. Scribit Siffridus, (*b*) festo Pentecostes die, Regem Boemiæ Wenceslaum Pragæ maximo apparatu, quem principes Imperii ac Poloniæ sua præsentia cohonestarunt, corona redimitum: sed lætitiam in lacrymas versam, Guota, alias Gutta sive Jutta, Rodulphi filia ex partus doloribus, post editum in lucem filium Wenceslaum nomine, defuncta: in ea vero solemni pompa principes electores una cum archiepiscopo Maguntino ac Rege Boemiæ defectionis ab Adolpho consilia agitasse: (*c*) at ea de re nos iterum inferius. Nunc addemus, Bonifacium ad Regis Wenceslai, imbecilli valetudine affecti, preces legem de observanda quadragesima ad illius gratiam solvisse, (*d*) feria quinta & sabbato excepris, cum ex illius salute Boemici regni salus penderet.

Rex & Reginæ censuris omnibus solvi jussi.

(*b*) Siffrid. epit. l. 2. Stero Altahen. in annal. hoc ann. Hiff. Austral. eod. an. Guota Regina e partu moritur.

(*c*) Id. ib.

(*d*) Lib. 3. ep. 91.

Dilectis filiis de Cefeli & de Aulâ Regia monasteriorum abbatibus Cistercienfis ordinis Burgensis diœcesis.

Licet esus carnium, ovorum, & lacticiniorum quadragesimali sit tempore interdictus; super hoc tamen Apostolicæ sedis circumspecta benignitas, in rigorositatibus juris provida dispensatrix, cum personis debilibus & infirmis, & maxime, pollentibus excellentia dignitatis, quarum corporeæ sospitatis defectus aut naturæ debilitas exigit, seu status necessitatis exposcit, aut complexio id requirit, gratiose dispensat interdum de plenitudine potestatis. Cum itaque, sicut charissimi in Christo filii nostri VVenceslai Regis Boemiæ illustris petitio nobis exhibita continebat, idem Rex fore naturæ debilis, ac pati defectum vigoris proprii corporis dignoscatur, & piscium esum abhorreat, ac alia cibaria quadragesimalia suæ complexioni seu dispositioni bene non competant; nos, ipsius Regis supplicationibus inclinati, dispensandi cum eodem Rege ut quadragesimali tempore, præterquam in diebus veneris & sabbati, ac festivitatis B. Matthiæ Apostoli vigilia, possit vesci carnibus, ovis, & lacticiniis, nisi ex voti emissione ad non vescendum forsitan sit astrictus; liberam vobis concedimus auctoritate præsentium facultatem: proviso quod idem Rex illis in occulto & moderate vescatur. Datum Romæ apud S. Petrum II. *kal. aprilis anno* III. Ex his perpendi potest vetus ecclesiæ disciplina, percellendaque corruptela nostri temporis, quo cum gula tot miseros Christianos

Permissus Regi Boem. carnium esus quadragesimæ tempore.

Feria VI. & sabbatum excepta.

nos egerit in hæresim præcipites, adeo plures etiam orthodoxos decipit, ut lenocinii potius quam neceſſitatis cauſa, plerumque vetitos cibos ſibi permittendos arbitrentur: ſed his miſſis, ad inſignem controverſiam, quæ Neapolitano regno minitabatur excidium, ni a Pontifice in ſuo fomite ſopita fuiſſet, ſermonem traducimus.

LIII. Rex Siciliæ Pontificem de regni ſucceſſione conſulit.

Extincto ut dictum eſt, Carolo Martello, qui paterno jure utriuſque Siciliæ ſceptro, materno vero Ungarico ſucceſſurus erat, ſuborta quæſtio eſt, utrum hujus filius Carolus, Caroli II. nepos, an vero Robertus tertius natu filius Siculum ſceptrum poſt obitum parentis correpturus eſſet. Ambigua erant utrinque jura & contraria in regnis pluribus exempla. Conſultus porro Bonifacius, a quo ob ſupremum in Siciliam imperium controverſia dirimenda erat, ſolemnes dati apoſtolica liberalitate regni tabulas interpretatus eſt, (*a*) ut is primogenitus cenſendus foret, qui proximo ſanguinis gradu Regem contingeret, habitaque ætatis ac ſexus ratione ſceptrum capeſceret.

(*a*) *Ib. ep.* 322.

Chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Siciliæ illuſtri.

Incumbit nobis non minus ex patris affectu, quam præſidentis officio, ut ſtatus tui diligentius evitemus incommoda, illaque præcipue, quæ in regno Siciliæ ſubverſionem inducerent, & inter tuos poſteros contentionis amaræ diſſidium implicarent. Habuit ſane, fili chariſſime, tuæ conſultationis oraculum nobis, & fratribus noſtris expoſitum, quod cum plures incolumes liberos, mares & feminas, primi & ſecundi gradus, clementia tibi divina conceſſerit, motibus tuis nodus ambiguitatis occurrit, inter alios jam ſuper hoc dubitatione ſuborta, quis de præfatis liberis ſit tibi in eodem regno Siciliæ, quod per conceſſionem Romanæ eccleſiæ obtines, ſi caſus aderit, ſucceſſurus. Hoc enim ſcire tua intereſſe prætendis, ut quatenus permittitur humano judicio, ſaltem ſecundum parentis affectum habeas ſucceſſoris certi fiduciam, & inter eos poſteros nulla prorſus contentio veniat, & concertationis vitanda materia deliteſcat. Propter quod nobis & eiſdem fratribus noſtris devotius ſupplicaſti, ut ad cautelam tuam heredumque tuorum, & quietum ſtatum ac proſperum dicti regni hujuſmodi dubium noſtra declaratio lucida removeret.

Emerſuras inter filios ac nepotes ex majori natu filio contentiones ſedare ſtudet.

Nos igitur ſuper his cum provida conſilii deliberatione penſantes, & advertentes attentius, quod regimen ipſum tibi non dedere majores, ſed ex conceſſione Apoſtolicæ ſedis obvenit; cum diligentia debita ejuſdem conceſſionis verbis inſpectis, & capitulo maxime de ſucceſſione loquente; conſultationi tuæ reſpondentes aperte de ipſorum fratrum noſtrorum conſilio declaramus, quod de præfatis liberis maribus in eodem gradu per eamdem lineam concurrentibus primogenitus, & de duabus feminis primogenita, & mare & femina in eodem gradu ſimiliter concurrentibus, maſculus omnibus aliis præferatur. Is autem de prædictis liberis primogenitis intelligatur, & in eodem regno tibi ſit ſucceſſor & heres, quem mortis tuæ priorem gradum, & majorem natu reperiri continget, nulla in contrarium interpretatione vel fictione juris admiſſa; cum declarationem hujuſmodi ipſius conceſſionis expreſſa verba recipiant, a quartum textu, in contractibus maxime, non juſte receditur, niſi mens contrahentium, certitudinarie cognita, repugnantem verbum induceret intellectum. Illum tamen primogenitum & ſucceſſorem ab hujuſmodi modo declarationis excipimus, qui per formam aliorum capitulorum conceſſionis ejuſdem, ac conventionum contentarum in ipſa a ſucceſſione regni præfati, aut per culpæ contagium, vel defectum rationabilem ſe redderet alienum. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum VI. *kal. martii anno* III. Succeſſiſſe ob hanc conſtitutionem Robertum Carolo II. ſuperſtitum majorem natu filium viſuri ſumus: Caroli vero Martelli filius, avi regno excluſus, aviæ jure Ungaricum regnum poſtea adeptus eſt. Cæterum recruduiſſe poſtea eam litem proximo tomo videbitur: nunc inſignem aliam de ſummo in Lugdunenſem ditionem imperio commotam controverſiam adjungamus.

Mares feminis in eodem gradu præferendi.

Is major natu pronuntiatur, qui proxime Regem morientem contigerit.

Lugduni archiep. negat a ſuo tribunali ad aulam Gallicam provocari poſſe.

LIV.

Exarſit (*b*) hoc anno Lugduni grave diſſidium inter cives atque archiepiſcopum, cum cives ad Gallorum Regem in litibus provocari poſſe contenderent, archiepiſcopus vero ſupremam in exercenda juſtitia auctoritatem ad ſe pertinere contenderet, atque ob id cives, quorum cauſam tuebatur Galliarum Rex, devinciret anathemate, & urbem interdicto percelleret. Ad dirimendam ergo quæſtionem Bonifacius primum interdicti religionem amoveri juſſit, (*c*) atque anathemate devinctos ſacris reſtitui: exacto tamen ſacramento, ipſos ſedis Apoſtolicæ imperia excepturos. Tum archiepiſcopum ad aulam Pontificiam ſe conferre, cives vero & principis eccleſiæ canonicorum collegium ad diſceptandam cauſam procuratores mittere imperavit (*d*). At demum rem totam poſtea ad Francorum Regis gratiam a Clemente V. compoſitam viſuri ſumus.

(*b*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 67.

Adverſantur cives regiæ clientelæ teſti.

Cenſuris ab illo, orta contentione, defixi.

(*c*) *Ead. ep.*

Diſſolvi cenſuras jubet Bonif.

(*d*) *Lib.* 3. *ep.* 379.

De cauſa cognoſcere inſtituit.

LV.

Nunc ad pontificium in excindendis hæreticis zelum digredimur. Serpente in dies magis Fraticellorum ſecta, qui induta ſanctitatis perſona ſimplices ad impietatem pelliciebant, Pontifex tuendi gregis dominici ſolicitus, Matthæo Minoritæ provinciam dedit (*e*) ut in larvatas illas ſanctioris inſtituti ſimias legibus animadverterent.

Fraticellorum hæreſis graſſatur.

(*e*) *Ib. ep.* 170.

Bonifacius &c. Matthæo de Theate ordinis Minorum inquiſitori hæreticæ pravitatis in provincia B. Franciſci.

Ad noſtram nuper audientiam eſt deductum, quod nonnulli diverſarum religionum æpoſtatæ, nec non & alii nullam de approbatis religionibus profeſſi, qui Bizochi ſeu alio nomine ſe appellant; non obſtante prohibitione ſeu ordinatione, alias tam per nos quam per alios ex prædeceſſoribus noſtris facta & habita circa tales in montibus Aprutinis ſeu in illis finibus Aprutii, & Marchiæ Anconitanæ, ac terris circumpoſitis finibus illis ſe, tamquam in cubilibus ſtruthionum, in veſtimentis ovium receptantes; velut lamiæ nudatis mammis catulos ſuos lactant, dogmatizando palam diverſos hæreticæ pravitatis errores, tamquam diverſas habentes facies, licet caudas habeant invicem colligatas. Hi enim, ab utero matris Eccleſiæ pertinaciter aberrantes, acuunt linguas ſuas, quibus corda vulnerant infirmorum, ſtudentes animas interimere ſimplicium, quaſi una cum ipſis perditionis laqueo ſe ſuſpendant. Quare nos conſiderantes, quod talium peſtis ſerpit ut cancer, manuſque ipſorum ſunt Eſau, quamquam vox eorum vox Jacob aliquando videatur, diſcretioni tuæ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus ad hujuſmodi loca te perſonaliter conferens, ad inveniendas, capiendas, & ad noſtram præſentiam deducendas perſonas hujuſmodi, vulpes quidem demolientes vineam Domini Sabaoth; & ad profligandas eas de ſuis latibulis, velut feras ſylvarum, humanas animas ſitientes, caute, viriliter, & ſolerter intendas; contra dogmatizantes, & peſtilentes hujuſmodi, tanquam contra hæreticos, nec non contra eorum receptatores atque fautores auctoritate noſtra conſtanter, & magnanimiter proceſſurus, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum non. maii an. III.

Excitatus in eos fidei cenſor.

Damnatam a Bonifacio impiam Fraticellorum ſectam, memorat Jordanus: (*a*) *Bonifacius*, inquit, *damnavit ſectam Fraticellorum ſive Bizochorum dictorum: & cum inquireret contra eos per inquiſitores, receſſerunt de Urbe in Siciliam, & ibi, poſtquam ſatis comederunt & biberunt, ſurrexerunt ludere, & tubis arundineis tubicinare, dicentes: Exultet Eccleſia meretrix, exultet; & fractis tubis, & uno calice in contemptum Romanæ eccleſiæ, tranſiverunt in Græciam, & ſuos errores ibi publicarunt. Papa autem prædictus mandavit patriarchæ Conſtantinopolitano, & archiepiſcopis Patracenſi & Athenienſi, ut contra eos & eorum receptatores & fautores procederent, & in Achajam ſe receperunt.*

(*a*) *Jord. MS. Vat. ſign. n.* 1960. *Baron. in ſched. MS.*

Impietas infana Frat cellorum.

Fugiunt in Græciam.

Tunc temporis frater de Bodicis de pro-

vincia Provinciæ fugit cum libris Petri Joannis de Biterris, & in eccleſia S. Petri Romæ per quinque Biguinos & tredecim mulieres in Papam electus eſt, & fuit cum Angelo & Liberato & eorum complicibus.

Antipapa creatus a meretriculis.

Narrat Prateolus (*b*) de Fraticellis damnatis a Bonifacio, larvatam eorum ſanctitatem in ſtupra horrenda deſciviſſe, atque adeo ſpecioſas quaſque mulierculas ſeducere maxime anniſos, ut promiſcuos cum iis concubitus in damnatis conventiculis exercerent.

(*b*) *Prateol. eleuch. har. l.* 6.

LVI.

Quod ad Petri Joannis Olivi Biterrenſis doctrinam attinet, graviora ſcandala ordini S. Franciſci eum invexiſſe, refert S. Antoninus (*c*), ac primum quæſtionem moviſſe inter ſodales ſuos de rerum paupere uſu, ſeque in publicis comitiis Pariſienſibus purgaſſe his verbis: *Ego frater Petrus dico & profiteor, nos fratres non teneri ad aliquem uſum pauperem nec ad aliquem modum vivendi, niſi ſecundum quod dicit declaratio domini Nicolai Papæ III. & ſentit, & ſervat, & intelligit communitas ordinis profeſſorum.* Addit S. Antoninus, multos poſtea ſequaces doctrinæ conceptæ ſententiæ addictiſſimos habuiſſe; cumque erroribus contaminati illius libri reperti eſſent, de iis damnandis agitatum (*d*): *Tunc*, inquit (*e*), *fuit proceſſum contra dictam doctrinam fratris Petri, de quo ſupra aliis eam condemnantibus; aliis vero e contrario eam defendentibus.* Et infra: *Et dato quod erraſſet in octo punctis per ordinem allegatis, ex hoc non erat tota illa doctrina condemnanda.* Illa atque alia capita enumerant alii quorum aliqua in concilio Vienenſi a Clemente V. damnata fuerunt. Cum alii poſtea Petri Joannis peſtiferi commentarii emanaſſent in publicum, fuiſſe illos apoſtolica cenſura notatos a Joanne XXII. obſervat Nicolaus Eymericus in directorio inquiſitionis (*f*): ejuſque percenſet (*g*) hæreſes, quibus ſuadere annitebatur, Romanam eccleſiam, quæ ſancta & apoſtolica a piis nominatur, ob affluentiam opum Babylonia, meretrice in Apocalypſi præſignatam deſtruendamque mentiebatur, atque alia blaſphema, quæ ſtylus horret, evomebat. Quorum librorum auctoritate ex Jordano & Baronio vidimus paulo ante, meretriculas tredecim cum quinque Biguinis Pontificem novum orbi dare meditatas, (*h*) ut novam eccleſiam ſpiritualem rejecta Romana, quam carnalem putabant, excitarent: quare ab directorii indiciis auctore Fraticellorum hæreſiarcha nuncupatur his verbis: *Petrus Joannes hæreſiarcha, caput Begardorum, damnatus, exhumatus, & combuſtus cum ſuis operibus.* Tradita flammis ejus oſſa una cum donariis, quæ a ſimplicibus ad tumulum appenſa fuerant, conſentit Penna (*i*).

(*c*) *S. Anton. in* 3. *p. tit.* 24. *c.* 9. §. 11.

Ut quæſtionem de paupertate primus moverit.

(*d*) *Ead. c.* §. 13.

(*e*) *Ib.* §. 13.

Suſpecta fuerit illius doctrina.

Damnata ab Eccleſia.

(*f*) *Direct. inquiſit.* 2. *p. q.* 9.

(*g*) *Ib. & q.* 15.

Blaſphemas in eam voces effutierit.

(*h*) *Direct. inquiſit.* 2. *par. q.* 9. & 5.

Sectarios nactus fit.

(*i*) *Pen. in comment.* 51. *inq.* 26. 2. *p. direct. inq.*

Verum longe aliter nonnulli alii sentire, atque etiam fulsisse miraculis ex Angelo Clareno Petri Joannis socio tradidere (*a*): at Angelum inter Fraticellos signiferum impietatis fuisse, qui profugit in Græciam ut justæ censorum fidei severitati se subduceret, ex dictis a Jordano (*b*) & Baronio (*c*) colligitur. Pariterque conjicitur ex Eymerico, jactata illa Petri Joannis miracula fuisse vel simplicium ludibria, aut hæreticorum mendacia: ipsumque Petrum Joannem apud Fraterculos multa de divinis visis sibi objectis effutiisse, memoratus Eymericus tradit, vir maximæ fidei & auctoritatis, ut qui eo tempore, quo vigebat adhuc secta Fraticellorum, Pontificum jussu in eos in ditione Regis Aragonum animadverteret. Is ergo de sparsa inter sectarios Petri Joannis fama hæc habet (*d*): *Dicunt & asseverant, quod tota doctrina & scriptura fratris Petri Joannis olim de ordine Minorum est vera & catholica, & eandem credunt, & dicunt fuisse ei a Domino revelatam: & dicunt fratrem Petrum Joannem hoc ipsum, dum vivebat, suis familiaribus revelasse.* Et infra: *Dicunt aliqui ex eis, eundem fratrem Petrum Joannem veritatem tenuisse, & dixisse in eo, quod dixit & tenuit, quod Christus vivebat quando fuit pendens in latere lanceatus, dicentes quod anima Christi secundum rei veritatem adhuc erat in corpore; sed quia Christus erat multum exinanitus, ideo aspicientibus mortuus videbatur. Matthæus autem Evangelista scripsit quod Christus tunc vivus erat, quia secundum rei veritatem ita erat: sed ecclesia abrasit hoc de Evangelio Matthæi, ne Joanni Evangelistæ contrarius videretur.* Hæc erat Fraticellorum insania, ut potius Petro Joanni deliranti, quam Viennensi concilio œcumenico definienti ex sacro Evangelio Christum mortuum fuisse, cum lancea transfossus est, fidem adhiberent: adderentque impudentissimam blasphemam vocem, Matthæum & Joannem contraria scripsisse, atque ecclesiam textum illum e Matthæo erasisse: sed quo auctore id probabant? Non alio quam somniatore.

(*a*) *Vvad. in annal. hoc an. n.* 35. *&c.* Ab iisdem cultus sit.

(*b*) *Jord. MS. Vall. sign. n.* 1960.

(*c*) *Baron. in sched. MS. quæ apud nos ext. De his vide sup. ann. Ch.* 1294. *num.* 26.

(*d*) *Direct. inquis.* 2. *p. q.* 15.

Magnis ornatus elogiis ab impiis.

Insignis hæresis ab eo conficta.

De ipsius commentariis.

Cæterum de Petri Joannis commentariis scribunt nonnulli recentiores, datam fuisse a Sixto IV. eorum legendorum veniam, cum antea fuissent prohibiti, atque ab hæreticis Bizochis & Begardis habiti in pretio: sed non probant, omnes illius elucubrationes, eas maxime, quibus errores confirmabant hæretici, & tradi rogis consuetæ erant, superfuisse: aut si evaserint incendium, expurgatas non esse; vel etiam inter plura ejus opera aliqua sanam doctrinam complexa, quæ ad nostra tempora emanarint, nec licet in iis pie de Romana ecclesia scripserit, in aliis tamen venena non diffudisse: sed in his non moror. Suffecerit e Wadingho (*e*) addere, illum hoc anno e vita excessisse. Nunc a Petro Joanne e Biterris ad Biterrenses, illius exemplo de Pontifice Romano blasphema evomentes, sermonem traducimus.

(*e*) *Vvad. in annal. hoc ann. n.* 33.

LVII. Biterrenses in suspicionem hæreseos vocati.

Laborarunt eo tempore Biterrenses non levi hæreseos suspicione: quare Bonifacius sacræ fidei censori provinciam imposuit (*f*), ut in eos, qui tanti sceleris macula conspersi essent, quæstionem exerceret.

(*f*) Lib. 3. *ep.* 469.

Bonifacius &c. dilecto filio inquisitori hæreticæ pravitatis, in partibus Carcasonensibus a sede Apostolica deputato, vel ejus locum tenenti.

Notæ illius asperſæ causæ.

Ad audientiam nostram pervenit, quod plures ex civibus Biterrensibus, multa dicunt, & faciunt, ex quibus præsumptiones validæ contra eos insurgunt, quod paternæ imitatores perfidiæ velint esse; quid antiquis eorum patribus pro sua perfidia, & ecclesiarum persecutione gladio atque ultoribus provenerit minime attendentes. Libertatem enim ecclesiis a sanctis patribus, & principibus tam ecclesiasticis quam sæcularibus, dudum datam, quantum possint in pluribus articulis evertere moliuntur, tallias & exactiones extraordinarias ecclesiis & personis ecclesiasticis civitatis pro suæ voluntatis libito imponendo, ac unanimiter invadendo personas & bona ecclesiastica, sanguine Christi empta, eaque injuriose suæ ditioni per violentiam submittendo; subtrahendo insuper jura eisdem ecclesiis debita diversis fraudibus exquisitis. Et ut licentius secundum eorum opinionem, atque incessabilius faciant supradicta, se ab eadem facienda statutis, pactis, & conventionibus detestabilibus & iniquis, juri divino contrariis & humano, astringunt; & excommunicationis & interdicti sententias, a nobis contra imponentes & exigentes hujusmodi tallias & collectas hactenus promulgatas, in contemptum ecclesiæ & clavium vilipendunt: nonnullis ex eis asserentibus, quod tempore interdicti, melius quam alio tempore sit eisdem; & quod propter excommunicationem cibus non minus sit eis sapidus temporalis, nec minus bene dormiunt propter ea; innuentes per hæc quodammodo, quod ecclesiastica sacramenta, quæ interdictis & excommunicatis sunt regulariter interdicta, abominabilia sint eisdem, & ipsis etiam magis obsint quam prosint. De successore insuper Petri ac vicario Jesu Christi, qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris, quidam ex iis pollutis labiis obloquentes, proferre turpissima minime formidarunt: & quasi auctoritas ligandi non sit apud Ecclesiam, vel solvendi, cum a suis judicibus ecclesiasticis

Oppressio ecclesiasticorum.

Censurarum contemptus.

eis censuræ ecclesiasticæ constringuntur, pro sententiarum in eos latarum relatione, non ad ipsos excommunicatores, vel sententiarum hujusmodi prolatores, aut illorum superiores ecclesiasticos judices vel prælatos; sed ad curiam temporalem recurrunt, impetrare intendentes, sententias revocari easdem per violentiam & injuriam curiæ sæcularis. Plures etiam ex eisdem biennio & amplius jam elapso in excommunicatione manserunt, & adhuc manent animo pertinaci.

Censor fidei reorum causam cognoscere jussos.

Quia vero supradicta scrupulo non curent hæreticæ pravitatis, discretioni tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus ex tuo procedens officio, de præmissis veritatem inquiras: & si ea, vel eorum aliqua, seu etiam alia, per quæ levi etiam argumento supradictos cives appareat a judicio catholicæ religionis, & veritatis tramite deviare, inveneris esse vera, officium inquisitionis hæreticæ pravitatis in eadem civitate sic solerter studeas exercere, ut perfidiæ filiis, vipereis morsibus contra Deum & ejus sponsam Ecclesiam insultantibus, tanquam materni uteri corroboribus (per quorum seductionem mundus inficitur, & per eos velut per oves morbidas gregi fidelium gravior infligitur corruptela) exterminatis & penitus profugatis, hæreticæ labis zizania non permittatur in necem catholici seminis pervagari. Taliter autem ad prædicta exercere, peragenda te studeas, quod a Deo meritum & laudem merearis a nobis. Contradictores &c. invocato &c. Datum apud Urbemveterem III. *id. octob. anno* III.

LVIII. Lud. IX. Franc. Rex sanctorum catalogo adjectus.

(*a*) *Jord. MS. Vat. sign. n.* 1960.

(*b*) *Serm.* 2. *Bon. VIII. de S. Lud. apud Urbemveterem in festo S. Laur. ext. in append. vitæ S. Lud. a Gall. Carnot. conscriptæ.*

Maturitas consilii a Pontificibus adhibita.

Adjecit eodem anno Pontifex (*a*) sanctorum catalogo Ludovicum IX. Galliarum Regem (cujus nos eximia facinora atque exempla sanctitatis suis locis inseruimus) cum jam a pluribus Pontificibus instituta de cœlitum cultu illi decernendo sacra actio intermissa ac repetita fuisset. Quod ex concione a Bonifacio Papa habita (*b*) referre placet, ut insignis diligentia, qua sanctorum discuti miracula ab ecclesia Romana consueverunt, illustretur.

Quia, inquit, *actus iste, scilicet ascribere in catalogo sanctorum per canonizationem Romani Pontificis, singularis excellentiæ reputatur in ecclesia militante, & ad solum Romanum Pontificem pertineat hoc agere; idcirco summam gravitatem in facto tam singulari sedes Apostolica voluit observare: quamvis & vita sua fuisset ita manifesta, & multa miracula visa, sicut superius dictum est, preces etiam regiæ, baronum, & etiam prælatorum pluries accessissent; nihilominus cum inquisitionibus privatis pluribus jam factis, adhuc voluit inquisitiones solemnes per non parvum tempus facere. Duravit istud negotium jam per* XXIV. *annos, vel amplius: & licet dominus Nicolaus III. ante dixisset, quod ita nota erat sibi vita istius sancti, quod si vidisset duo vel tria miracula, eum canonizasset; sed morte præventus non potuit hoc perducere ad effectum: ex abundanti tamen fuit adhuc commissum negotium inquisitionis viris venerabilibus & discretis, archiepiscopo scilicet Rothomagensi & episcopo Antisiodorensi, & magistro Rolando de* * *Palma episcopo Spoletano, & isti de sexaginta tribus miraculis testes receperunt, examinaverunt, rubricaverunt, & jam sexdecim annis transactis ad curiam remiserunt. Insuper per illos sexdecim annos continue aliqui ex parte Regis Franciæ, nec non prælatorum & principum, & specialiter frater Joannes de Sameſſio, continue institerunt.*

A Nicolao III.

* Parma

A Martino IV.

Tandem pro dicto negotio tempore domini Martini commissum est negotium tribus Cardinalibus ad examinandum, qui viderunt, examinaverunt, & pro magna parte rubricaverunt. Sed cum ante mortem domini Martini non fuisset facta relatio negotii, pervenit tandem ad tempora domini Honorii: & tunc lecta sunt plura miracula, & coram fratribus nostris Cardinalibus diligenter discussa: sed cum ventilaretur negotium, supervenientе morte domini Honorii, negotium sluit.

LIX. A Nicolao IV.

Tempore vero domini Nicolai IV. commissum est negotium tribus aliis Cardinalibus, domino scilicet Hostiensi, domino Portuensi, & nobis in statu cardinalatus adhuc existentibus, quia mortui erant illi Cardinales, quibus negotium prius fuerat commissum. Postea etiam mortuo domino Hostiensi, subrogatus fuit sibi dominus Sabinensis: & ita per tot, & toties examinatum est, rubricatum, & discussum negotium, quod de hoc plus facta est de scriptura, quam unus asinus posset portare: nos & de manu propria scripsimus, & diligenter examinavimus multa miracula fuisse sufficienter probata.

A Bonifacio VIII.

Temporibus autem nostris non sunt mutati examinatores, sed tamen iterum lecta sunt plura miracula, examinata, & rubricata non solum per illos prædictos examinatores, sed etiam per plures alios Cardinales: & voluimus ut quilibet sigillatim daret consilium suum in scriptis, ne odio vel amore, seu etiam timore aliquo aliquis taceret. Ex istis ergo & pluribus aliis potest evidenter concludi, quod servata fuit maturitas, & plus quam maturitas in prædictis, &c. Concludit ascribendum sanctorum catalogo, & reddenda quæ Cæsaris sunt Cæsari, quæ Dei Deo: *Ut*, inquit, *in hoc reddatur Deo quod suum est, scilicet honor & gloria debita, sanctis reddatur & matri nostræ Ecclesiæ triumphanti quod suum est, scilicet debitum laudis; & hoc in isto sancto, qui connumerari debet merito cum aliis sanctis, &c.*

LX. Decreto itaque B. Ludovico Regi sanctorum cultu, edidit summus Pontifex apostolicum diploma, quo illum fidelibus venerandum proposuit; amplissimasque ejus virtutes, ac gesta insignia his verbis descripsit (a).

(a) Ext. in bullar. in Bonif. VIII.

Bonifacius &c. universis Christi fidelibus salutem, & apostolicam benedictionem.

S. Ludovici elogium insigne.

Hic profecto clarissimus genere, sublimis potentia, facultatibus opulentus, præcelsus virtutibus, moribus elegans, conspicuus extitit honestate; inhonestis & turpibus a se penitus relegatis. Nam sic pudicitiæ adhæsit operibus, sic carnis studuit evitare contagia, quod sicut habet certa credulitas plurimorum, nisi ei nexus accessisset uxoris, candore virgineo rutilasset. Longo quippe temporis spatio prædicti regni regimini præfuit, ejusque gubernacula plena curis provida circumspectione direxit. Nulli noxius, non injuriosus alicui, nemini violentus, justitiæ limites sumopere servavit & coluit, æquitatis tramitem non relinquens. Perversorum conatus nefarios pœnæ debitæ mucrone compescuit, malorum molimina conterens, pravorum illicitos ausus frænans: pacis zelator eximius, fervidus amator, concordiæ promotor extitit, solicitus unitatis dissidia fugiens, vitans scandala, dissensiones abhorrens: propter quod sui feliciss regiminis tempore, sedatis undique fluctibus, subductis noxiis turbinibus profugatis, regni ejusdem incolis aurora dulcissimæ tranquillitatis illuxit, lætaque serenitas votivæ prosperitatis arrisit.

* disquisitione

*Et ut de vita ipsius aliqua referamus, licet illa quo majori * dispositione discutitur, examine indagatur, eo referentis afferat gustui plus dulcoris, mentesque delectet obnixius auditorum; ab ineuntis ætatis primordiis Dei Filium tenera mentis affectione dilexit, nec diligere desiit, studia continuando salubria, dum vitæ sibi commoditas affuit temporalis: sed quanto majori profecit ætate, ac in tempora prolixiora prosiliit, tanto ejus exarsit amore fervore spiritus ampliori. Hic quidem, cum esset annorum duodecim, paterno destitutus auxilio, sub claræ memoriæ Blancæ Reginæ Franciæ matris suæ custodia, & gubernatione remansit: quæ circa divina obsequia ferventer intenta, cum prudenter dirigere, ac diligenter instruere satagebat, ut ad præfati regni regimen, quod suæ directionis expetere providentiam noscebatur, dignus & sufficiens fieret, idoneus haberetur. Cumque per incrementa temporum idem Rex ætatis annum quartumdecimum attigisset, prædicta Regina illi magistrum proprium deputavit, qui eum scientia literarum imbueret, ac bonis moribus informaret: ipseque Rex sub ejusdem magistri ferula positus, sic ei obediens & reverens*

De ejus in Christum amore a pueritia.

Observantia erga matrem.

existebat, sicque illius recipiebat humiliter disciplinam, quod superna præventus gratia profecit laudabiliter in utrisque; circa divina sic intentus officia, ut nequaquam ipsorum auditione contentus existeret, nisi ea, quæ coram se diu noctuque a suis faciebat clericis solemniter celebrari, ab ipso cum eorum aliquo attentius diceretur.

LXI. Ut sacræ militiæ se addixerit.

*Demum successu temporis in anno vigesimo constitutus, & quadam sibi ægritudine superveniente gravatus, a Parisiensi & Meldensi episcopis, assistentibus tunc eidem, vivificæ crucis signaculum in Terræ sanctæ subsidium sibi cum multa instantia petiit exhiberi. Et licet hoc ei, rationabili causa moti, præfati dissuaderent episcopi, ipse tamen utpote fervens spiritu erga Dominum, eique votis ardentibus famulari desiderans, illorum salubriter dissuasionibus non admissis, signum hujusmodi de manu præfati Parisiensis episcopi cum multa lætitia & exultatione suscepit, prælatis, nobilibus, & militibus pluribus signum ipsum assumentibus cum eodem. Et tandem amplo præparato navigio, factisque apparatibus aliis, quæ in talibus requiruntur, cum trigesimumquartum annum attigisset ætatis, in prædictum subsidium transfretavit * consortem, & quondam Robertum Atrebatensem, Alfonsum Pictaviæ, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, tunc Andegaviæ comites fratres suos, dum adhuc viverent, secum ducens; multa gravia pericula, quæ solent æquoris fluctus infligere, sustinendo. Cumque ad partes illas ingenti circumfultus potentia pervenisset, & habito de civitatis Damiatæ captione triumpho processisset ulterius, generali quasi totius ejusdem exercitus, sicut Domino placuit, ægritudine subsecuta, & aliis adversis urgentibus, præfatus Rex cum toto fere exercitu supradicto in . . Soldani* (illum Melecsalam vocat Aytonus (b) *& Saracenorum manus ac potentiam incidit, multa opprobria multasque injurias, quæ inferentium fœda conditio* (erant (c) ii Cumani servi emptitii, quos Melecsala a Tartaris, qui Cumaniam expugnarant, auro emerat) *adaugebat, patienter & humiliter tolerando, præfato Roberto comite pro fide Christi ab illis immaniter interempto.*

* Margaritam

Damiatam cepit.

(b) Ayton. hist. Orient. c. 52.

(c) Id. ib. Venerit in hostium potestatem.

Postmodum autem habita cum Soldano, tunc vivente, tractatu de jam dictis Rege & exercitu liberandis, maxima interveniente pecuniæ quantitate, ipsoque Soldano occasione hujusmodi a vassallis propriis interfecto (necatum Melecsalam a Cumanis mancipiis, quos armorum usu exercuerat, ac tum Ægyptium sceptrum a Turquiniano Cumano aliisque servis correptum, narrat memoratus Aytonus d) *Saraceni, qui ejus dominium usurpavant, ad pecuniam anhelantes eandem, cum multa*

(d) Super. cap.

ta instantia postulabant, ut in conventionibus ordinatis concorditer inter partes jurejurando firmandis adderet, quod nisi ipsi pacta servarent, omnino Machometum, quem colunt, ut dicitur, denegarent; ac idem Rex in suo similiter adiceret juramento, quod & ipse Dei negaret Filium, ac extra fidem ejus existeret, si conventiones prædictæ ab eo minime servarentur.

Constantia illius in detrectanda sacramenti indigna forma.

Quod præfatus Rex prorsus abominans, id efficere constantissime recusavit: quin potius quadam indignatione commotus, patenter asseruit, quod talia tam nefanda suis labiis aliquatenus non proferret, neque in tam vesanam & reprobam prorumperet negativam: quamquam id ei jam dicti Pictaviæ & Andegaviæ comites, aliique tunc plurimi circumstantes instantissime suaderent, cum exinde sibi cæterisque Christicolis mortis periculum verisimiliter imminere conspicerent; præsertim cum hoc ageretur cum illis, qui sicut præmittitur, soldanum prædictum occiderant, ejus sibi dominium usurpantes; ipsique Regi apertius diceretur, quod nisi in actum perduceret quod optabant, ipsum & suos crucifigere non differrent: ipsius Regis ad hoc intrepida firmaque responsione secuta, quod si Saraceni prædicti ejus corpus occiderent, ipsius tamen animam non haberent. Et infra.

LXII. *Cumque inter Regem & Christianos, ac Saracenos prædictos de ipsorum Regis & Christianorum, sicut superius est expressum, liberatione tractatus habitus, & conventionum subsecuta ordinatio extitissent: Saraceni pro quadam parte pretii redemptionis hujusmodi, quæ solvenda restabat, securitatem plenariam habere intendentes, in electionem ipsius Regis totaliter posuerunt, ut vel ipse liberaretur a carcere, remanentibus cæteris Christianis in vinculis, donec hujusmodi solutio perfecta succederet, vel quod idem in carcere remaneret, Christianis ipsis omnimode liberatis; præfatus Rex super hoc promptum nec dilatum responsum præbuit, quod ipse quousque solutionis hujusmodi proveniret integritas, remanere in carcere intendebat, Christianis eisdem libertati pristinæ restitutis: quamquam præfati Alfonsus & Carolus, ac alii viri nobiles tunc astantes expresse dicerent, & profiterentur apertius, quod in hoc nullatenus consentirent, supplici adiicientes instantia, quod potius Rex ipse recederet, aliis minime absolutis; Rege ipso firmissime replicante contrarium * assentiente sermonibus eorundem. Et tandem Rege, cæterisque captivis eidem plene redditis libertati, dictoque Alfonso pro ejusdem solutionis perfectione faciendа obside dimisso, præfatus Rex de galea, in qua erat, egredi noluit, donec ipsius solutionis defectus extitit adimpletus, dictusque Alfonsus ad ejus præsentiam rediit, ac omnes etiam Christiani; quos in propinquo carcere detinebat inclusos, quousque in Babyloniam manus inimica non traxerat, liberati a vinculis; ac illi etiam, qui tunc in Damiata similiter tenebantur, fuerunt in navibus collocati.*

Amor erga suos conspicuus.

*, nec

Demum præfatus Rex, cum eodem liberatus exercitu, ad civitatem rediens Acconensem, moramque inibi fere per quinquennium contrahens, & tamquam fervidus humanæ salutis amator, multorum Agarenorum mentes duras quantumlibet, non solum salubribus eloquiis suadens, sed etiam exemplo vitæ laudabili convertit ad Dominum, ipsos faciens ad laudem divini nominis & exaltationem catholicæ fidei honorifice baptizari, eos donis prosequendo largifluis, & gratiosis favoribus confovendo; multosque milites & alios Christianos redimi faciens, eis de magnificentia regia tam vestes, quam cætera necessaria victui, prout singulorum suadebat conditio, ministrabat. Muros quoque seu mœnia civitatum & castrorum quamplurium, quæ in illis partibus a fidelibus tenebantur, fecit reperari solemniter, eaque alias muniri plenarie, prout necessitas suadebat.

Studium in arcibus Palæstinæ reparandis.

LXIII. Reditus in Gallias.

Verum prædictus Rex, processu temporis intellecto, quod matrem ejus mors amara subtraxerat, & eidem regno grave periculum immineret, de procerum suorum consilio ad partes Franciæ remeavit; nunc sanctitatis insistens operibus, nunc monasteria & hospitalia pauperum, nunc domos alias divinis obsequiis dedicandas, quæ longum esset enarrare per singula, construi faciendo, eis de bonis propriis amplis dotibus deputatis; nunc etiam infirmos ac debiles, in diversis monasteriis & xenodochiis decumbentes personaliter visitans, ipsos verbis consolatoriis confovebat, eis manibus propriis flexo genu potum & cibaria ministrando. Cumque in monasterio regali Belvacensis diœcesis, quod idem Rex opere plurimum sumptuoso construxit, & dotibus decoravit eximiis, monachus quidam Leodegarius nomine moraretur, quem adeo lepræ morbus invaserat, quod abominabilis factus ac despectus quamplurimum manebat segregatus ab aliis, in quadam camera positus monasterii memorati, ejusque oculi ob gravis infirmitatis pondus seu malitiam jam consumpti nihil omnino videbant, eorum foraminibus, sive locis rubeis & horridis jam effectis, quique nasum perdiderat, ejus tumefactis non modicum labiis & profunda fixura destructis; ac idem Rex eum, præsente dumtaxat abbate monasterii supradicti, personaliter visitaret, ipsumque sumentem cibum ut poterat invenisset; præfatus Rex, præmisso benigne salutationis alloquio, flexit genua coram ipso, & scindens manibus propriis carnes eidem appositas bolos in os ejus studiosissime immittebat: & hujusmodi non contentus obse-

Leprosis infertur.

obsequio illatis dapibus ejus jussione regalibus, de ipsis eidem monacho ministrabat, loci aut ægri qualitatem horribilem non ewitans, eodem abbate vehementi stupore concusso, quod tanti sublimitas principis talibus, quantumcumque salubribus, involvi studiis ac servitiis potuerit occupari.

Admiranda ejus mansuetudo.

Præterea cum dictus Rex, hospitale Compendiense ingressus, ad impendendum humanitatis obsequium infirmis in illo degentibus, & jam fessus non modicum in labore, infirmum quendam juxta se positum conspexisset morbum, qui S. Eligii dicitur, patientem; & flexis genibus coram ipso morsellum piri, remoto cortice, poneret in os ejus; sanies de illius naribus effluens fœdavit turpiter manus Regis: qui pie benigneque id toleraus, nec in aliquo exinde immutatus, lotis illico manibus salubre, quod inchoaverat, obsequium diligenter exstitit persecutus. Hic re vera circa servos Christi, ac pauperes, aliasque miserabiles ac devotas personas valde compatiens, se ipsis in eleemosynarum largitatem munificum exhibebat. Virginibus insuper, quibus inopia effectum maritalis copulæ denegabat, ne illas in carnis lubricum labi contingeret, de dotibus congruis providebat; illud de bonis regalibus laudabiliter & salubriter expensum reputans, quod in eleemosynas & alios pios usus converti pro tempore noscebatur. Hic prædicationibus & aliis propositionibus verbi Dei attentum accommodabat auditum, non auditor obliviosus factus, sed factor operis occurrebat; hæreticæ pravitatis infectos, ne fidei Christianæ cultores labe hujus contagionis inficerent, de regni prædicti finibus efficacibus studiis expellendo, ac alias circa statum ejus providendo solicite, ut ab ipso fomentis talibus prorsus exclusis in eo fidei prædictæ sinceritas rutilaret. Extat (*a*) lex illius insignis, qua politicæ spretis argutiis, Albigensium opprobrium inductis censoribus fidei sustulit e Galliis: unde agnoscant Francorum Reges, qui avitas laudes æmulantur, quid potissimum sibi pro asserendo religionis splendore firmandoque regno gerendum incumbat. Pergit Pontifex de sancti Regis in egenos misericordia, cum ingravesceret annona, dicere: *Cum vero aliquibus partibus dicti regni ob sterilitatem seu malitiam temporis victualium caristia imminebat, statim de ipsa rumoribus intellectis, certam illuc summam pecuniæ, prout ipsarum exigebat qualitas partium, per fidelem mittebat nuntium, inter pauperes dividendam.*

Zelus in hæresibus excindendis.

(*a*) *Apud biblioth. patr. tom. 4.*

Relictum successoribus Regibus exemplum.

LXIV. *Hic profecto humilitate sublimis, sublimitate humilis in apparatu & vestibus, quas frequenter pauperibus erogabat; post primum potissimum de ultramarinis partibus reditum summæ humilitatis insignia demonstravit: non enim aureis vel argenteis ornamentis, non regalibus vestibus, non variis vel griseis, sed aliis humilibus pellibus usus fuit, sæcularibus pompis a se penitus abdicatis. Et ne fervorem spiritus sociæ carnis ardor extingueret, sed mortificatione & repressione ipsius illum potius accendi contingeret, altiusque sustolli, carnem ipsam assidui asperitate cilicii, prout asseritur, edomans, effræne ipsius libitum arctæ abstinentiæ fræno coercuit, ejusque nexibus alligavit, ut non voti proprii dicta libidine, non sui desiderii directa remigio, sed salubri moderamine spiritus tute ad licita pergeret, provide ab illicitis abstineret. Districtis enim corpus atterebat jejuniis, priscorum observantiæ, a sanctis patribus ordinatæ, novorum austeritatem adiiciens, sibi motu propriæ voluntatis indictam: utm per totum quadragesimale tempus, & quadraginta dies festum natalis Domini præcedentes, ac omnium festivitatum vigilias, nec non & quatuor tempora, quæ catholica indicit Ecclesia, in jejuniis, & orationibus existebat, deliciosis & curiosis cibariis usui proprio penitus interdictis. In festivitatum vero Virginis gloriosæ, ac natalis Domini memorati vigiliis, & sexta feria majoris hebdomadæ jejunium observabat panis & aquæ dumtaxat, modica sustentatione contentus. Qualibet etiam die veneris quadragesimæ supradictæ ac totius adventus ab esu piscium abstinebat; multis præterea se vigiliis occupans, ne aliqua sibi hora temporis inutiliter pertransiret. Post ejus reditum supradictum non in pluma vel paleis jacuit, sed super ligneum lectum portatilem, materacio simplici superjecto, stramine nullo supposito, decumbebat.*

Ipsius voluntariæ corporis afflictiones quam acerbæ.

LXV. *Hic insuper, vitæ puritate prælucidus, sincerus veritatis amicus extitit, hostisque durissimus falsitatis. Cuncta quoque ipsius eloquia salutis augumentum, operaque salubria hortabantur: demulcebant auditorum præcordia, & in eorum ædificationem multiplicem redundabant. Cumque ad incrementa catholicæ fidei & liberationem celerem Terræ sanctæ votis ardentibus anhelaret in ipsius Terræ sanctæ subsidium, assumpsit denuo signum crucis, & denuo potenti & valido congregato navigio, copiosa & strenua comitiva suffultus, cum præfato Pictaviæ comite suisque liberis, & claræ memoriæ Regina Navarræ ipsius Regis filia, quæ in reditu debitum naturæ persolvit, ad partes se transtulit transmarinas, præfato Carolo, qui tunc moram in Italiæ partibus contrahebat, regis memorati vestigia subsequente: ac tandem ad partes Tunitii felici gressu perveniens, inibi de magnatum suorum consilio castra fixit, & adversus Saracenorum incursus exercens potentiæ suæ vires gravissimas; ob labores innumeros, quibus premebatur assidue, infirmitates incurrit. Qui dielus elapsis aliquibus, infirmitatum ipsarum violentia su-*

Miræ ejus dotes.

Secunda ipsius in Africam expeditio.

superatus, sacramenta ecclesiastica cum summa devotione recepit, ac instante sibi verisimiliter hora mortis, oratione pro exercitu Christiano præmissa, suam Domino devotis precibus animam recommendans, ac literaliter exprimens verba sequentia, videlicet: Pater in manus tuas commendo spiritum meum; feliciter migravit ad Christum, supernis deliciis fruiturus.

Pia mors.

Verum cum vitæ hujusmodi functus curriculo verius viveret, quam vixisset, noluit Altissimi Filius, quem idem tota mentis affectione dilexerat, tam devoti principis tantique propugnatoris fidei orthodoxæ mundo supprimi sanctitatem; ut quemadmodum meritorum pluralitate præfulserat, sic miraculorum diversitate clarescerat; & qui cum plenissima devotione coluerat, jam secum in cœlesti palatio collocatus venerabiliter coleretur. Nam contractis artuum extensione subvenit: curvis, terram fere tangentibus facie, plene restituit, eorum sursum erectis vultibus, sanitatem: strumosis beneficium liberationis impendit. Mulierem quandam cujus brachium aridum & omnino impotens existebat, ab infirmitate hujusmodi liberavit. Quidam quoque, cujus velut mortuum pendebat brachium, per ejusdem sancti virtutem gratiam curationis obtinuit; quampluribus paralytico morbo percussis, & aliis, qui diversis languoribus tenebantur, plena reddita sospitate, cæcisque visu, surdis auditu, claudis gressu, illius invocato nomine, restitutis. His & quampluribus aliis sanctus ipse coruscavit miraculis gloriosis, quorum seriem præsentibus non duximus inserendam.

Ut miraculis inclaruerit.

LXVI. *Gaudeat itaque domus inclyta Franciæ, quæ talem ac tantum principem genuit, per cujus merita sublimiter illustratur. Lætetur devotissimus Franciæ populus, quod tam electum, tam virtuosum dominum meruit obtinere. Exultent prælatorum & cleri præcordia, quod præfatum regnum tam claris miraculorum ipsius Regis insigniis propensius decoratur. Jucundentur & procerum, magnatum, nobilium & militum pectora, quod per sanctissima opera dicti Regis ejusdem regni status donis multiplici prærogativa sustollitur, & quasi solis radius elucescit. Cæterum, quia quos superni Regis clementia corona gloriæ in cœlo magnificat, fidelibus in hac terrestri patria convenit venerari; nos de sanctitate vitæ ac miraculorum veritate ipsius beatissimi Ludovici curiosæ ac solemnis inquisitionis diligentia, & districti examinis discussione præmissis, plenariam certitudinem obtinentes, ipsum de communi fratrum nostrorum, & prælatorum omnium, tunc apud sedem Apostolicam existentium, consilio & assensu die dominico III. id. augusti sanctorum catalogo duximus ascribendum. Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus in crastinum B. Bartholomæi Apostoli, cum felix ipsius anima, tunc de carnis cruta vinculis, astra petens, cœlestem aulam adiverit, æternis gaudiis potitura; festum ipsius sancti devote & solemniter venerari colereque studeatis, ut ejus intervenientibus precibus, & hic ab imminentibus possitis liberari periculis, & in futuro salutis perpetuæ præmium obtinere.*

Indulgentiæ sepulcrum adituris propositæ.

Ut autem ad Venerabile sepulcrum ipsius ferventius & copiosius fidelium confluat multitudo, ac celebrius ejusdem solemnitas peragatur; omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui reverenter illuc in eodem festo annuatim accesserint, ejus suffragia petituri, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, unum annum & quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis ad prædictum sepulcrum infra ejusdem festi octavas quadraginta dies de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Dat. apud Urbemveterem III. id. augusti pontificatus nostri anno III.

LXVII. (*a*) *Ext. in append. vit. S. Ludov.*

Reliquiarum ejus translatio.

Edidit aliam ejusdem sancti panegyricam oratione Bonifacius, (*a*) qua illum pluribus argumentis omni laudum genere maximum probavit. Proximo vero anno, cum Philippus S. Ludovici nepos sacras ejus reliquias in regiæ Parisiensis sacellum transferre meditaretur, Pontifex illius piam voluntatem secutus, abbati & monachis S. Dionysii Benedictini instituti dedit imperia, (*b*) ut Philippo avi sanctissimi corpus traderent; brachium tamen sibi, aut tibiam reservarent.

(*b*) *Ext. id. diplom. in notis ad Jonvill.*

LXVIII. B. Ludov. episc. Tolos. pia mors.

Demigravit in cœlum hoc anno (*c*) ejusdem Regis sanctissimi ex fratre Carolo Rege Siciliæ pronepos S. Ludovicus Tolosanus episcopus postea cœlestium catalogo a Joanne XXII. adscriptus (*d*). Hujus viri sancti mentionem edidere Novatores, (*e*) atque in sanctorum numerum relatum a Nicolao IV. inepte collocant: sed errorem hunc graviori longe scelere cumulant, dum hujusmodi Ecclesiæ sacras cerimonias blasphemis vocibus oppugnant, atque in odium & contemptum adducere nituntur. At blasphemis hisce missis, de piis illius vitæ studiis quamvis antea plura dicta sint, ac sanctissima morte Jordanum audiamus (*f*): *Hic*, inquit, *admodum puer in aula paterna & regia, ætatem moribus transcendens, nulli voluptati animum dedit: & cum fratres & socii puerilibus jocis intenderent, ille semotus & orationibus, vel sacris meditationibus intendebat; nilque puerile agebat in opere. Cum vero ad annum XIV. perveniset, pro patre in Cathalonia obses fuit. Exinde semper astiterunt ei viri religiosi de ordine Minorum, a quibus bonæ indolis adolescens sumpsit legem vitæ & disci-*

(*c*) *Sur. to. 4. die 19. aug. Baron. in notis ad martyrol. Vvad. in annal. ex coevo S. Lud. script.*

(*d*) *Jo. lib. 1. p. 1. lit. cur. ext. 156. in bullar. in Jo. XXII. & apud Sur. to. 4. die 19. aug.*

(*e*) *Cent. 13. cap. 7. col. 720.*

(*f*) *Jord. MS. Vat. sign. num. 1960.*

Quam pie se gesserit in pueritia.

Quam patiens in custodia Catalana.

*disciplinæ. Jamque puer, sortitus animam bonam, magno animo suas suorumque portavit injurias & multa humilitate sibi ac fratribus * acceptata opprobria toleravit. Factus annorum sedecim cœpit esse mundi suique contemptor: speculabatur, ut amplius mundus sibi vilesceret, frequenter imagines & formas hominum mortuorum.*

* illata

Ex mortis meditatione mundum spernit.

Quantum porro animarum zelum S. Francisci instituta amplexus, & Tolosano episcopatu donatus explicuerit, ex Surio accipiamus: *Diversas*, inquit, (*a*) *Italiæ & Galliæ perambulans regiones, & ubique verbum Dei prædicans, venit Lutetiam Parisiorum, atque inde proficiscens, superatis Pyrenæis montibus, Hispaniam adit: peragrataque Cathalonia, reversus est in Provinciam. Ad ejus conciones audiendas tanta aviditate accurrebant homines, ut propter turbas sese invicem comprimentes, quidam in mortis discrimen adducerentur.* Cum apostolico fungeretur munere, ac brevi temporis spatio longas ætates complesset, visum est Numini divino illum ad immortalitatem evocare. Quæ vero sanctitatis exempla dederit in extremo vitæ actu, describit subjectis verbis Jordanus (*b*): *Tandem arduis urgentibus negotiis, ad comitatum transit Provinciæ. Cum ad villam quæ Brignola dicitur pervenisset, gravi, de qua decessit, infirmitate gravatus, puram suo more confessionem præmisit, patientissime infirmitatem sustinens. Orationi continue deditus requirebat sæpius crucem Christi, missasque in camera audire volebat. Postremo, putantibus medicis abesse periculum, ipse autem extremum sibi imminere agonem, & orationem illam: Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei, &c. sæpius replicabat; & conversus ad quendam fratrem ait: Vos non creditis, quod mori debeam, & tamen statim videbitis. Et ex tunc amplius locutus non est: sed tam dulciter & quiete emisit spiritum, quod vix hora adverti potuit, qua expiravit. Et factus est post mortem pulchrior, quam ante infirmitatem fuerat, & astantibus dormiens non mortuus videbatur. Sanctissimum autem corpus ejus, juxta quod decreverat, Massiliam deportatum est. Ibi cum agerentur exequiæ, in capite chori cum habitu & mantello pulchra & læta facie visus est a senescalco Provinciæ milite veridico & celebri, & domino R. de Bauso vicario Massiliæ. Et dicto: Requiescat in pace; inde quidem disparuit, sed angelicis sociatus est choris. Post felicem vero transitum cœpit continuo multis fulgere miraculis: inter cætera autem XV. mortui rediere ad vitam.*

(*a*) Sur. to. 4. die 19. aug. ex quod. MS.

Mirus in eo animarum zelus.

(*b*) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960.

Edita in extremo vitæ actu virtutum exempla.

Corpus sacrum Massiliam deportatum.

Conspicitur in exequiis.

Fulsisse pariter ingentibus miraculis scribit Surius, ejusque mortis tempus ita consignat (*c*): *Anno salutis MCCXCVII. XIV. kal. septembris feliciter migravit ad Dominum. Corpus ejus Massiliæ humatum est in ecclesia fratrum Minorum, ubi mirificante Domino sanctum suum, cæcis, surdis, claudis, mutis, paralyticis, hydropicis, cæterisque morbidis præstantur remedia ab eo, qui solus facit mirabilia vivens & regnans per infinita sæcula. Amen.* Prætermittere non possumus insigne castimoniæ exemplum, quod de eo S. Antoninus ex Alvaro refert (*d*): *Corde*, inquit, *& corpore purissimus de sua justitia & continentia non confidebat, sed cautus ad custodiam castitatis ita erat, ut frivola mulierum colloquia, etiam de sua parentela, refugeret. Unde refert frater Alvarus magnus doctor ejusdem ordinis in libro de planctu Ecclesiæ, quod cum ipse S. Ludovicus, de longinquo Neapolim veniens, Reginæ matri suæ, quæ ibi moram trahebat, reverentiam exhiberet; illa, viso eo, gaudio magno gavisa amplexata est eum, & more Gallico ipsum voluit osculari: sed pudicus juvenis faciem suam, ne eum oscularetur, avertit. Ad quem mater: Numquid ego non sum, fili charissime, mater tua, quæ te licite possum osculari? At ille virgo: Scio, ait, domina mea Regina, quod mater mea estis, & mulier, quam servo Dei non expedit osculari.* Tradit Jordanus, (*e*) ut Clemente V. Pontifice maximo Ebredunensis, Arelatensis, & Aquensis archiep. eorumque suffraganei viri sancti miracula ipsi exposuerint, flagitarintque ut sanctorum cultum illi decerneret: sed re ob consilii maturitatem adhibitam extracta, demum relatum ad Joannem XXII. atque ab illo sanctorum numero adscriptum fuisse, nos suo loco dicemus. Nunc ad Margaritam Cortonensem, quæ adeo anteactæ vitæ luxit crimina, ut plurium sanctarum virginum merita ipsam æquasse, incorruptæ illius reliquiæ ac miracula testentur, orationem convertimus.

(*c*) Sur. in eod. MS.

Miraculis fulget.

(*d*) S. Ant. 3. p. tit. 23. c. 4. §. 1.

Insigne illius castimoniæ exempl.

(*e*) MS. Vat. ubi sup.

Decreti illi sanctorum honores.

LXIX. Traductam (*f*) ex impura vita ad meliorem frugem insigni divinæ misericordiæ prodigio, ac tristi amatoris sui cadaveris putridi aspectu, narrat Ferarius his verbis: *Margarita, Laviani, agri Perusini pago nata, carnis illecebris dedita, nobili cuidam, illi serviens, adhæsit. Cum is, domo secedens, catellam secum duxisset; illa sola domum post aliquot dies rediens, ac gemens Margaritam veste apprehensa extra domum pertrahere conabatur. Quæ admirans catellam sequitur, donec ad quandam lignorum congeriem veniens, catella subsistit, ligna respiciens & attingens, quasi dominam, ut ea amoveret, monens. Margarita itaque cum aliquot ligna amovisset, dominum suum mortuum, jamque vermibus scatentem videt. Quo spectaculo adeo commota est, ut anteactæ vitæ pœnitens domum paternam repetierit: sed a patre, novercæ persuasione, domo ejecta, ad orationem, qua se Deo commen-*

(*f*) Ferar. in catal. sanctor. Italiæ die 22. feb. & ex eo aliisque. Vvad. in annal. Minor. to. 2. hoc an. n. 22. &c.

Margarita Cortonensis divinitus ad meliorem vitam revocata.

dan-

dabat, confugiens, interius ut Cortonam ad fratres Minores se conferat, admonetur. Eo profecta, vitam aggreditur valde asperam assiduis vigiliis, jejuniis, orationibus, cilicio induta; humi cubans, & lacrymas sæpissime profundens. Cum aliquandiu ita degens veræ pœnitentiæ signa non dubia dedisset, a fratribus Minoribus habitum, quem Tertianorum vocant, diu expetitum obtinuit. Cumque in eorumdem ecclesia ante Crucifixi imaginem ferventius oraret, dominum Jesum Christum illam: Quid vis misera? allocutum, eamque: Nil aliud præter te Domine; respondisse ferunt.

Præteritas delicias voluntariis cruciatibus expiat.

Insignis illius vox

Solitudinis amans, flere, orare, jejunare, meditari, quæ ad corporalem consolationem facerent, fugere, delicias, suas esse putabat. Et infra; *Cum terminus vitæ, qui ei a Christo Domino prænuntiatus fuerat, instaret, anno Domini MCCXCVII. hoc est vigesimo ab ejus conversione, VIII. kal. martii felicissime ad quem dilexit evolavit. Corpus ejus in ecclesia Minorum integrum adhuc asservatur. Multis autem post mortem miraculis claruit: mortuos enim inter alia decem ad vitam revocasse, visum cæcis sex, loquelam tribus reddidisse, contractos quinque, dæmaniacos quatuor curasse fertur.* His addit Wadinghus (*a*) insignia illa miracula, partim coram Neapoleone Ursino Cardinale sancti Adriani A. S. L. in Italia Clemente V. Pontifice, partim coram aliis gravissimis viris descripta & probata fuisse, ac Leonem X. Cortonensibus permisisse, ut festum illius diem agitarent, & reliquias venerarentur; ac demum Urbanum VIII. Margaritam catalogo beatarum mulierum apposuisse.

Ejusdem pia mors. Claret miraculis.

(*a*) Vvad. in annal. Min. n. 38.

In beatarum feminarum albo describitur.

LXX. Claudimus hunc annum sacris indulgentiis stationum Urbis, a Bonifacio confirmatis, de quibus hæc tradit Card. Baronius (*b*): *Bonifacius stationes Urbis confirmavit, addiditque singulis diebus dies centum indulgentiæ, ut habetur libro privilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Sed ad hæc illustranda pontificium diploma (*c*) afferimus.

Stationes Urbis sacris indulgentiis auctæ a Bonif.

(*b*) Baron. in notis MS.

(*c*) Ext. in archivo arcis S. Ang. & lib. priv. Rom. eccl. MS. Vat. to. 1. pag. 6. inter collect. Plat. MS. Vat. to. 1. pag. 24. & pag. 233. & apud Panvin. in fin.

Bonifacius &c. ad perpetuam rei memoriam.

Frequenti considerationis indagine perlustramus, & infra, *claustra pectoris sollicita meditatione discutimus, qualiter doctor optimus, Ecclesiæ sanctæ lumen B. Gregorius, dum adhuc in terris gereret vices Christi, patriarchalibus & quampluribus aliis ejusdem Urbis ecclesiis primo, prout tradit antiquitas, & alii postmodum Romani Pontifices prædecessores nostri ad honorem Dei & salutem animarum fidelium, quorum ad Urbem ipsam de universis fere orbis provinciis innumera confluit multitudo, de Apostolicæ sedis liberalitate munifica diversorum tenorum stationarias indulgentias concesserunt. Nos igitur prædecessorum ipsorum vestigiis piæ solicitudinis studio inhærentes, & crebrius revolventes in intimis, quod in eadem Urbe, non sine supernæ dispositionis arbitrio, gloriosorum Principum orbis terræ, ac aliorum innumerabilia sanctorum veneranda corpora requiescant; & propterea non indigne volentes ob Divinam, & Principum ac sanctorum reverentiam prædictorum ecclesias ipsas, nec non & eandem Urbem, utpote ipsius Romanæ ecclesiæ filiam specialem, & ad ejus beneplacita exequenda dispositam, quam infra sacrarium pectoris gerimus prædilectam, honoribus condignis attollere, uberibus prosequi gratiis, & præcipuis favoribus confovere, ac animarum fidelium providere profectibus eorumdem; universas stationarias indulgentias supradictas eisdem ecclesiis, sub quacumque forma continentia, sive modo eis a prædecessoribus ipsis concessas, auctoritate apostolica & ex certa scientia confirmamus, easque obtinere volumus perpetui roboris firmitatem.*

Veteres prærogativæ confirmatæ.

Et ut paternæ dilectionis affectum, quem ad Urbem gerimus prælibatum, per effectum operis evidentius ostendamus; ac ipsam, & easdem ecclesias honoris & gratiæ potioris impendio prosequamur, & saluti provideamus uberius fidelium prædictorum; nos de omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem principum beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad prædictas ecclesias a die cinerum usque ad festum Resurrectionis dominicæ inclusive, ex tunc proxime secuturum, venerabiliter visitaverint annuatim, unum annum & quadraginta dies; ac illis etiam, qui in statu hujusmodi existentes ad recipiendum benedictionis munus per summum Pontificem, qui pro tempore fuerit, a prædicto die cinerum usque ad festum ipsius similiter inclusive super peregrinos, prout moris esse dignoscitur, faciendæ devote accesserint, seu alias illi contigerit interesse, præter alias indulgentias consuetas centum dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Nulli ergo &c. Dat. Later. VIII. id. aprilis pontif. nostri anno III.

Lustrati, edito a Pontif. crucis signo, indulgentiis decorati.

I. EXoritur annus salutis nostræ nonagesimus octavus supra millesimum ducentesimum, indictione undecima, quo Bonifacius Papa studia sua, uti cœperat, ad exitiale bellum inter Anglorum, Romanorum, & Francorum Reges extinguendum defixit. Favit pontificiis consiliis, Reges mutuis bellis fatigatos fuisse: Angli quidem, diris ab Eduardo attriti vectigalibus, dum is aberat, ad libertatis consilia spectarunt; ordinumque cœtu habito, antequam res in bellum erumperet, constituerunt, ne Angli Reges nova in posterum vectigalia sine ordinum assensu imperarent, ut Polydorus Virgilius (a) narrat: *Robertus Cantuarienſis*, & infra, *omnium ordinum homines ad concilium per Eduardum Regis filium convocandos Londinum, & in eo de ſumma rei agitandum cuvat. Itaque, inito conſilio, comites data publica fide interſunt præſenti animo*, erant ii Humfredus & Ricardus, *populi nomine poſtulant, ut veteres leges ad priſtinum uſum revocentur: item ne Regi tributum ullum populo Anglico in poſterum tempus indicere liceat, id quod Reges antea ſuo arbitratu ſæpe fecerant, niſi ex concilii auctoritate*. Et infra: *Tam Eduardus princeps, qui aderat per juſjurandum, quam ejus pater per literas approbavit. Cæterum de reſtituendis legibus cauſa facile periit. At de tributo indicendo tam altas egit radices, ut etiam nunc inviolata maneat*. Et infra: *Fuit is annus, quo hæc geſta ſunt, cum regnare cœpit Eduardus* XXIII. *&* MCCXCVIII. Nec minus ingemiscebant Galli, ut vidimus, sub tributorum, quæ Philippus inflixerat, gravitate; plurescque a Gallo principes desciverant vertendaque erant potius ad sua tuenda quam rapienda aliena Regum consilia. Post multa itaque hinc inde agitata, in id tandem principes convenerunt, (b) ut Pontificem totius controversiæ arbitrum eligerent.

Angli ob bellum vectigalibus fessi.

(a) *Polyd. Virg. l. 17. Uvalsing. in Ypod. Neuſtr. an. ſuper.*

Ferunt legem, ne tributa inconsultis ordinibus imponantur.

Ingentes tamen difficultates hisce concordiæ auspiciis se objecere: Flandriæ quippe & Barri comites, tum Burgundiæ proceres eo bello impliciti, cum Eduardo dato mutuo sacramento convenerant, numquam sine fœderatis pacem cum Gallo inituros; atque ob id Guillelmo Dublinensi, & Joanne Wintonienſi episcopis, tum Amedeo Sabaudiæ, Ottone e Grandisono, & Hugone e Ver prænobilibus viris præsente Pontifice dicentibus cum Francorum Rege sine Belgis, Barrensibus, ac Burgundis pacem a se contrahi non posse; ea concordiæ ratio inventa est, ut Robertus & Philippus, Flandrensis comitis filii, Henricus Barrensis, & Gualterus de Monte Falconis, nomine procerum Burgundiæ iis omnibus consentirent, quæ Anglorum Regis oratores cum Francorum Rege statuissent, utque hujusce rei fides publica constaret, de ea re Bonifacius diploma edidit (c).

Galli pariter oppressi.

(b) *Lib. 4. ep. 415.*

Gallipro-ceres, qui a Philippo defecerant, qua forma reconciliati.

(c) *Ib. ep. 416.*

Obstabat etiam Adolphum Eduardumque inter contracti fœderis leges eam addidisse, neutrum sive altero pariter umquam pacem admissurum: atque adeo Anglorum Regis oratoribus significantibus, nondum pacis ineundæ integram potestatem sibi factam, cum Adolphi Augusti oratores abessent; Bonifacius ita eam difficultatem fregit. Decrevit eam rem obstaculo esse non debere, cum præsideret, Adolphum pontificiæ sententiæ non repugnaturum; vimque sacramenti rescidit, ut sine ipso compromissum ederent. Nec Angli, quorum causa ab Adolpho etiam post acceptas pecunias abjecta fuerat, dissensere; atque ita in Bonifacium non ratione pontificiæ dignitatis, sed notæ probitatis; neque ut in judicem, sed ut peramantem pacis conciliatorem compromiserunt, ut e publicis hisce tabulis (d) constat.

II. Adolphi Regis Rom. nulla habita ratio.

Qua forma in Bonifac. a Franc. & Angl. Regibus compromissum sit.

(d) *Ext. apud Bonif. ibid. pag. 107. ep. 432.*

In nomine Domini Amen. Anno Domini MCCXCVIII. indictione XI. *pontificatus domini Bonifacii Papæ VIII. anno* IV. *die* XXVII. *menſis junii, ſanctiſſimus pater & dominus, dominus Bonifacius divina providentia Papa VIII. arbitrium, laudum, diffinitionem, arbitralem ſententiam, amicabilem compoſitionem, mandatum, ordinationem, & alia infraſcripta recitavit, legi fecit, dedit, & protulit in hunc modum: Dudum inter chariſſimos filios noſtros Philippum Francorum ex parte una, & Eduardum Angliæ Reges illuſtres ex altera, ſuggerente inimico humani generis pacis æmulo, ſuper diverſis articulis materia diſcordiæ ac diſſenſionis exorta, tandem iidem Reges per ſpeciales nuntios & procuratores ipſorum, ad hoc ab eis mandatum habentes, in nos Bonifacium, divina providentia Papam VIII. tanquam in privatam perſonam, & dominum Benedictum Gaytanum tanquam in arbitrum & arbitratorem, laudatorem, diffinitorem, arbitralem ſententiatorem, amicabilem compoſitorem, præceptorem, arbitratorem, & diſpoſitorem, & procuratorem ſuper reformanda pace & concordia inter ipſos Reges; ac ſuper iis, quæ ad pacem pertinent, & ſuper omnibus & ſingulis diſcordiis, guerris, litibus, controverſiis, cauſis, quæſtionibus, damnis & injuriis, petitionibus & actionibus, realibus & perſonalibus atque mixtis, quæ fuerant, & erant ſeu vertebantur, & eſſe vel verti poſſent inter ipſos Reges occaſione quacumque; de alto & baſſo abſolute &*

Ut Reges in Pontificem compromiserint.

libere compromittere curaverunt. Nonnullis interjectis, concepta hisce verbis latæ de redintegrando fœdere sententiæ forma subiicitur.

III. De imperatis a Pontifice induciis.

Pronuntiamus hac vice, ut inter eoſdem Reges fiat & ſit perpetua & ſtabilis pax; & quod treuguæ vel ſufferentiæ voluntariæ dudum indictæ, initæ, ac firmatæ inter eos, eo modo & forma, ac omnibus, & illis perſonis & terris, & ſub illis pœnis, conditionibus, & temporibus ſub quibus indictæ, initæ, ac firmatæ fuerint, inviolabiliter obſerventur. Ad hujuſmodi autem pacem confirmandam, roborandam, atque ſervandam infra tempus, & quod duxerimus moderandum, præfatus Rex Angliæ Margaretam ſororem prædicti Regis Franciæ recipere ac ducere cum dotalitio quindecim millium librarum Turonenſium, aſſignando per ipſum Regem Angliæ in locis competentibus, de quibus inter partes fuerit concordatum, vel (ubi partes ipſæ non concordarent) per nos arbitratum fuerit, in uxorem: & idem Rex Franciæ eandem ſororem ſuam eidem Regi Angliæ in uxorem dare, & tradere cum diſpenſatione ſedis Apoſtolicæ teneantur: quodque Iſabellis filia prælibati Regis Franciæ, quæ infra annum ſeptennem dicitur conſtituta, ſuo tempore Eduardo prædicti Regis Angliæ filio, qui jam XIII. *ætatis ſuæ annum exegit, cum ſimili diſpenſatione matrimonialiter cum dotalitio decem octo millium librarum Turonenſium, ſimiliter aſſignando per eundem Regem Angliæ pro dicto filio ſuo in competentibus locis, de quibus concordaverint ipſæ partes; de quibus nos duxerimus arbitrandum, ſi ſuper hoc inter eos non provenit concordia; copulentur, idque firmetur atque valletur ex nunc modis inferius annotatis;* iisque deſcriptis ſubdit.

Iſabella Eduardo juniori deſponenda.

IV. Rapta graſſationibus reſtitui juſſa ab Anglis.

Item dicimus, laudamus, arbitramur, ſeu etiam diffinimus, quod de omnibus bonis mobilibus vel ſe moventibus, ablatis vel alias male ſubtractis, & de omnibus damnis datis hinc inde ante tempus motæ vel ortæ guerræ præſentis; primo de omnibus, quæ extant & conſumpta non ſunt, præſertim in terra, quod Rex Angliæ omnia, quæ de prædictis extant & conſumpta non ſunt, præſertim de navibus, & aliis quibuſcumque bonis per Anglicos, & Vaſcones, & eorum complices ante guerram occupatis in mari vel in terra, quod Rex Angliæ omnia, quæ de prædictis extant bona fide ſine lite & abſque figura judicii, omni fraude ceſſante, ad requiſitionem Regis Franciæ vel nuntii ſui ſtatim faciat ad plenum reſtitui: & Rex Franciæ ſimiliter, ſi qua talia ante dictam guerram capta vel ablata apud ipſum, vel in ſua poteſtate extantia reperta fuerint, ſimiliter ad plenum reſtitui faciat a præfato Rege Angliæ vel ejus nuntio requiſitus. De ablatis vero non extantibus, ſed deperditis, & conſumptis; laudamus, arbitramur, ſeu etiam diffinimus, quod Rex Angliæ ad requiſitionem Regis Franciæ vel nuntii ejus ſatisfieri faciat; & ad hoc faciendum etiam teneatur ſine lite ac figura judicii, bona fide, & omni fraude ceſſante: & Rex Franciæ ſimiliter, ſi qua per gentes ſuas ablata, deperdita, ſeu conſumpta inventa fuerint, ad requiſitionem Regis Angliæ vel nuntii ſui faciat ſatisfieri, taxatione nobis circa prædictorum æſtimationem contra utramque partem; ubi per concordiam partium negotium ſuper prædictis ſopitum non eſſet, plenarie reſervata.

V. Aquitania Anglo reddenda.

Item dicimus, laudamus, arbitramur, ſeu etiam diffinimus, quod idem Rex Angliæ de omnibus terris, vaſſallis, & bonis, quæ ipſe nunc habet, & tenet in regno Franciæ, ſeu tenebat ante motam guerram præſentem, habeat illam quantitatem & illam partem terrarum, vaſſallorum, & bonorum eorumdem, quam ſibi ex virtute compromiſſorum prædictorum laudaverimus, & mandaverimus aſſignari, vel inter Reges ipſos fuerit concordatum; & ſub illis fidelitate, homagio, modis, & conditionibus habeat, ſub quibus ipſe ac pater ſuus habuiſſe hactenus, & tenuiſſe noſcuntur, modis, & temperamentis per nos adhibendis in abuſu, ſi quis ex parte gentis Regis Franciæ hactenus commiſſus inventus fuerit in exercitio reſorti: modis etiam & temperamentis, per nos adhibendis in abuſu partis alterius, ſi quis videlicet ex parte Regis Angliæ vel ſuorum hactenus commiſſus contra jus reſorti fuerit inventus, ne talia in poſterum committantur; conditionibus etiam, modis, & ſecuritatibus per nos imponendis & adhibendis in terris, vaſſallis, bonis, & aliis, quæ per noſtram pronuntiationem, ſeu concordiam partium præfatus Rex Angliæ habiturus eſt de prædictis, ne amodo idem Rex Angliæ vel ſucceſſores ejus contra Regem Franciæ vel ſucceſſores ipſius valeant rebellare.

Afferendum Regis Galli ſupremum in eam imperium.

VI. Parta utrinque bello pontificiæ fidei committenda.

Dicimus etiam, laudamus, & arbitramur, ſeu etiam diffinimus, quod ex nunc omnes terræ, vaſſalli, & bona prædicta, & alia tam quæ tenet Rex Franciæ de iis, quæ tenebat Rex Angliæ ante guerram præſentem; quam quæ tenet Rex Angliæ in regno Franciæ, bona fide, ac ſine omni fraude, abſolute ac libere in manibus & poſſe noſtris ponantur, & aſſignentur, tenenda a nobis nomine Regis Franciæ, quæ ex parte ſua, & nomine Regis Angliæ, quæ ex parte ejuſdem nobis fuerint aſſignata; ita tamen, quod per hoc in poſſeſſione vel proprietate nil novi juris accreſcat alterutri partium, vel antiqué decreſcat: ſuper quorum aſſignatione, ſi qua fuerit exorta dubitatio vel ambiguitas inter partes, illam noſtræ declaratio-

Ni Reges inter se controversa conciliarint, dirimenda a Pont.

ni & arbitrio reservamus. Quod si forsan dicti Reges de ipsis terris, & bonis ad invicem concordaverint, volumus, laudamus, & arbitramur, ex nunc id, in quo concordaverint, perpetuo & inviolabiliter observari: alioquin nos ex compromissi prædicti virtute apponemus ad id illud remedium, quod Dominus ministrabit, & ex tradita nobis potestate licebit. Si vero casu aliquo contingente hoc facere non possemus, volumus, dicimus, & arbitramur, quod utrique parti pristina jura sua salva remaneant & illæsa, &c. Acta, lata, & pronuntiata fuerunt arbitrium, laudum, arbitralis sententia, mandatum, diffinitio, ordinatio, dispositio, & omnia supradicta per eundem dominum Papam, ut superius enarrantur, anno, indictione, mense, ac die prædictis, Romæ apud S. Petrum in palatio papali, in consistorio publico, facto in sala majori, præsente ibi gentium multitudine copiosa; & præsentibus reverendis patribus dominis, Dei gratia, Gerardo Sabinensi, fratre Matthæo Portuensi & S. Rufinæ, & Joanne Tusculano episcopis; Joanne tit. SS. Marcellini & Petri, Nicolao tit. S. Laurentii in Damaso, fratre Jacobo tit. S. Clementis, Thoma tit. S. Cæciliæ, ac Roberto tit. S. Potentianæ presbyteris; Matthæo S. Mariæ in porticu, Nepoleone S. Adriani, Guillelmo S. Nicolai in carcere Tulliano, Francisco S. Mariæ in Cosmedin, Petro S. Mariæ novæ, ac Jacobo S. Georgii ad velum aureum diaconibus S. R. E. Cardinalibus, &c.

Qui cardinales assiderent Bonifacio.

VII. Transmisit pridie kal. julii Bonifacius (*a*) sancitæ a se concordiæ leges ad Philippum Francorum, & Eduardum Anglorum Reges, hortatusque est, ut eas religiose colerent; exegitque ut tum Philippus (*b*) terras, quas Anglorum Rex ante susceptum bellum obtinuerat in Aquitania, tum Eduardus (*c*) quas in Galliis bello subegisset, Arnaldo Tolosano (*d*) episcopo pontificio nomine custodiendas traderent, quo de his, ut visum ipsi esset, decerneret. Obsecutos Francorum & Anglorum Reges sententiæ pontificiæ ex Jordano & aliis, Gallis & Anglis scriptoribus constat, dum Bonifacii auctoritate atque industria in mutuam pacem adductos consentiunt, quibus Westmonasterienſis de firmato Romæ promulgatoque in Anglia eo fœdere hæc historiæ prodidit (*e*).

(a) Ibid.
(b) Ep. 235.
(c) Ib. ep. 236.
(d) Ib. & ep. 237.
Apost. nuntius controversarum arcium custodiam suscipit.

(e) Vvest. Flor. hist. Promulgatæ pacis leges.

Romæ pax per dominum Papam Bonifacium inter Reges Galliæ & Angliæ confirmatur, quæ non fuerat totaliter solidata. Et infra: *Dominica secunda quadragesimæ citatis magnatibus regni apud Vvestmonasterium fecit Rex recitari formam pacis bullatam per Papam Bonifacium, tanquam arbitrum inter Regem Angliæ & Franciæ ordinatum, & alias bullas statum suum tangentes: cui assensum præbuit plebs omnis & clerus.* [1] Cum vero ad firmandum fœdus pronuntiasset Bonifacius, Eduardum juniorem, Anglici sceptri heredem, atque Isabellam Philippi Francorum Regis filiam matrimonio conjungendos, perficiendæque rei plura obstarent; Guidonem in primis Flandriæ comitem Anglo jurejurando se obstrinxisse, ipsius filio majorem natu filiam uxorem traditurum: pontificiis voluntatibus sese accommodante Guidone, Bonifacius idem initas eas pactiones rescidit (*f*): tum legem de consanguinitatis gradibus ad Eduardi & Isabellæ gratiam solvit (*g*), ut enata e præteritis bellis mala sopiret. Quæ quidem extitisse acerbissima, hoc Bonifacii testimonio liquet.

Soluta ad Eduard. jun. & Isabellæ gratiam lex de grad. consanguinitatis.

(f) Lib. 4. ep. 415.
(g) Ib. ep. 234.

Sane guerrarum turbines, scandalorum procellas, turbationum impetus, & fremitus tempestatum, quæ inter charissimos in Christo filios nostros Eduardum Angliæ ex parte una, & Philippum Francorum ex parte altera Reges illustres patres vestros, & utriusque regna & terras jam per non modici temporis spatium pacis æmulus sathanæ spiritus susstavit; ex quibus animarum discrimina, personarum pericula, & damna rerum innumera, proh dolor! contigerunt; foret superfluum enarrare, cum hæc per universa terrarum spatia pateant, & per singulos orbis angulos innotescant. Et infra.

VIII. Quæ causæ Pont. ad id permoverint.

Nos ex prædictis rationabilibus causis moti, & factis nobis in hac parte supplicationibus inclinati, ad præterita mala sedanda, & obliviscendam memoriam eorumdem; ac ad obviandum periculis, quæ possint contingere in futurum, & ad procuranda, & nutrienda veræ pacis & dilectionis

IX.

NOTÆ [1] Annalistæ anachronismus hic emendandus. In paragrapho 2. 3. &c. recitat parentes literas Bonifacii, quibus pontifex exponit conditiones pacis, quas, facta sibi ab utraque parte potestate, inter Galliæ & Angliæ reges iisdem literis suis conciliabat; datæ vero sunt literæ illæ die XXVIII. junii anni præsentis; postmodum vero idem annalista num 7. affert verba Westmonasterienſis narrantis regem Angliæ in publico principum conventu dominica II. quadragesimæ (ideſt martio mense) literas hasce pontificis proposuisse. Quomodo vero id utrumque fieri anno præsenti potuit; ut literæ mense junio signatæ, martio mense ejusdem anni promulgarentur? Igitur Westmonasterienſis de promulgatione literarum anno sequenti in Anglia facta accipiendus est; qua in re consentientem habet Trivettum; ex utriusque vero fide constat, pacem inter ambos reges nonnisi sequenti anno admissam, & confirmatam fuisse. MANSI

nis commoda hinc & inde vobiscum; ut impedimento consanguinitatis hujusmodi non obstante matrimonialiter invicem legitime copulari, & licite remanere possitis, auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus; prolem suscipiendam ex vobis ex hujusmodi matrimonio ex nunc legitimam de apostolicæ potestatis plenitudine nuntiantes. Nulli ergo &c. Dat. Romæ apud S. Petrum kal. julii anno IV. At, ut incerti sunt rerum futurarum exitus, conciliatæ eæ nuptiæ, ut arctissimum Gallos inter & Anglos fœdus sanciretur, atrocissimis bellis facem prætulerunt, Eduardo III. matris Isabellæ jure ad Gallicam coronam contra Valesiam stirpem annitente; de quibus in decimoquinto annalium tomo fuse agimus. Interea Eduardo Philippoque Regibus affinitatum nexibus adstrictis, convertit Bonifacius

Enata ex eo conjugio atrox bellorum occasio.

studia (*a*), ut bellicos fragores, ab Adolpho in Philippum ad Eduardi gratiam concitatos, sopiret. Edicto itaque apostolico interdixit, ne Romanorum & Francorum Reges mutuo se bello lacesserent, alterve in alterius regni fines irrumperet.

(a) Ibid. ep. 418.

Universis præsentes literas inspecturis.

X. Satis juribus & limitibus se contenere jussi Galli Germaniique.

Quietem & pacem ex nostris provenire studiis ubilibet affectantes, & cupientes pericula in hac parte potissime cautius evitari, denuntiamus & dicimus, quod nostræ intentionis existit, ut charissimus in Christo filius noster Adolphus Rex Romanorum illustris, ultra fines & limites regni sui, se de juribus, finibus, & limitibus charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Franciæ illustris, ac regni ejus; ipseque Rex Franciæ extra fines & limites regni sui se de juribus, finibus, & limitibus Imperii, seu prædicti Alemanniæ Regis nullatenus intromittant: sed uterque ipsorum suis juribus, finibus, & limitibus sit contentus; & si aliquid sit ab alterutra partium indebite attentatum, illud in statum debitum revocetur, prout justum & æquum fuerit, vel concordatum extiterit inter eos; aut modo vel modis, quo vel quibus pro quiete mundi, vel alias exigente justitia, salvo honore cujuslibet, fuerit ordinandum. Datum Romæ apud S. Petrum V. *kal. julii anno* IV.

XI. (*b*) Chronic. Colmar. hoc anno.

Cessatum bello est (*b*) a Gallis ac Germanis; excitatæque in Germania novæ rerum controversiones Adolphum non ad invadendas Gallias, sed sua tuenda vires convertere coegerunt. Qui enim ab Eduardo concitatus in Philippum fuerat, præpotentem æmulum Albertum ducem Austriæ plurium principum fretum studiis, in se consurgere expavit. Cujus conjurationis seriem chronicon Colmariense his verbis describit: *Quidam ex principibus electorum Regis, scilicet archiepiscopus Maguntinus, dux Saxoniæ, & dux de Brandeburg, videntes quod Adolphus Rex Romanorum nollet regnum secundum eorum regere voluntatem, taliter sibi mutuo loquebantur: Adolphus Rex pauper est in rebus pariter & amicis: stultus est: regnum sub eo breviter deficiet in divitiis & honore. Tunc unus eorum dixit: Necesse est, ejus solutio procuretur. Alter dixit: Mittamus duci Austriæ defectus Regis, rogantes ut ad curiam,* nempe pontificiam, *literas nostras cum defectibus Regis secum deferat, ejus absolutionem promoveat diligenter. Dicatur etiam duci, quod ut Rex noster efficiatur, omnes in eum pariter consentimus. Tertius dixit: Sanum hoc consilium subito compleatur. Principes hi duci Austriæ voluntatem suam subito transmiserunt. Dux Austriæ literis his ac nuntiis visis, gavisus est valde.* Subdit Alberti auctor, comitem de Hegirloch ab Alberto Romam missum, ac literas arcanas ad electores retulisse: sed eas adulterinas, ut e sequentibus colligitur: *Audiens hæc Adolphus Rex, nuntios misit ad curiam, ut literas ducis Austriæ, seu principum electorum Regis irritas facerent, aut delerent. Cum nuntii Regis ad curiam pervenissent, & Papæ Regis negotia revelassent, taliter respondit: Neque dux Austriæ, neque principes ad petitiones, quas porrexerunt a me literas, poterant impetrare: si autem literas aliquas obtinuerunt, hoc per me non fecerunt: quia hoc dic,* * *me penitus ignorare, & verbis meis credatis: dicatisque secure Regi, ut veniat ad me, & ipsum in Cæsarem consecrabo. Auditis his nuntii Regis ad propria redierunt.* Confirmant Bonifacium principibus electoribus non assensisse, ut Adolphum regio solio deturbarent, literæ apostolicæ, quibus Alberto a Bonifacio judicium ob invasum Imperium intentatum est, (*c*) quæ inferius afferentur.

Alberti ducis Austriæ insignis dolus.

* dicite

(c) Bonif. l. 7. ep. cur. 5.

XII. Patefacta porro Alberti conspiratione, Adolphus illum bello infectari constituit, cujus varios apparatus & congressus ubi laudatus auctor (*d*) retulit, subdit de prima Alberti electione: *Vigilia nativitatis Joannis Baptistæ, cycli lunaris* VII. *tres electores Regis Romanorum Maguntinus, Brandeburgensis, & Saxo Magunt iæ convenerunt, campanas compulsaverunt, populum convocaverunt, quædam, quæ fecerant, quædam facienda fideliter retulerunt. Ascenderunt igitur in ecclesiam, facies suas vertentes ad altare: manus suas elevaverunt: per Deum viventem juraverunt, quod cum ante sex annos regnum Rege caruerit Romanorum, nos electores tres ex parte nostra & ex parte reliquorum electorum, qui in nos eligendi vota sua transtulerunt, jure ac canonice Adolphum de Nassouve, tunc non cognoscentes meliorem, in Regem eligimus Romanorum. Post electionem suam Adolphus Rex sapienter*

(d) Chron. Colmar. ibid.

Prima illius electio, & quo ritu celebrata.

Objecta Adolpho.

Conjuratio principum in Adolphum.

ter se tenuit, electoribus atque prudentibus acquievit. Post breve tempus sapientum consilia sprevit, juvenum consiliis acquievit, & regenda minime terminavit: divitias per se non habuit, nec amicos, qui eum vellent fideliter juvare. Electores videntes hos defectus Regis, & plusquam viginti alios, Papæ significaverunt rogantes, quatenus ipsum nobis dare auctoritatem & alium confirmandi vellet. Id obtinuerant, ut a pluribus dicebatur; nuncii vero Adolphi Regis dixerunt, quod his Papa simpliciter contradixerit, quos vera affirmasse memoratæ Bonifacii literæ demonstrant.

(a) *Lib. 7. ep. cur. 5.* (a) Pergit laudatus auctor chronici: *Auctoritate igitur nobis commissa, Adolphum Regem in sufficientem invenientes, absolvimus eum a regiminis dignitate, & dominum Albertum ducem Austriæ in dominum & Regem eligimus Romanorum; & potestate nobis tradita similiter confirmamus. Et Te Deum laudamus solemniter cantaverunt. Cumque dux præsens non adesset, extra civitatem ad tabernacula perrexerunt: ibi pannum supra equum projecerunt, Regemque desuper sedere præceperunt, & Te Deum laudamus cum magna lætitia cantaverunt.*

XIII. Non dissentit ab his Austrialis historia, quæ addit (*b*) a Gerardo Maguntino archiepiscopo pronunciatam in Adolphum sententiam fuisse: *Tunc*, inquit, *archiepiscopus Maguntinensis Regem Adolphum per sententiam justam & condignam*, ita loquitur Alberti studiosus auctor, *Maguntiæ factam, execrat & condemnat: & in vigilia B. Joannis Baptistæ facta electione, Albertus dux Austriæ in Regem Romanorum est electus: ad quem tunc episcopi & alii multi nobiles confluunt, comites & potentes.* Verum chronici Colmariensis auctor (*c*) tradit, Imperii urbes non Alberto, sed Adolpho adhæsisse, atque adeo Adolphi exercitum florentem & validum fuisse, ut Alberti copias viribus longe superaret: sed commisso prælio, cum Adolphus regiis insignibus decorus sub vexillo imperiali inter primos incurrisset, Alberti exercitum in se unum vertisse: ita enim Austriacus præceperat, ut prælii moles in Regem incumberet, isque unus omnium gladiis & telis peteretur; eo prostrato partam victoriam fore: at vero Albertum insignia mutasse ne dignosceretur: quæ cum alteri commisissent,

(*b*) *Histor. Austral. hoc ann.* Populi Adolpho, principes Alberto studeant.

(*c*) *Domin. Colmar. annal. ubi sup.* Adversas committunt acies. Adolphus in prælio occumbit.

illum ab hostibus in æstu certaminis trucidatum (*d*). De quo prælio hæc inter alios scribit Hocsemius (*e*): *Anno domini MCCXCVIII. Adolphus Romanorum Rex contra ducem Austriæ Albertum, Rodulphi Regis filium & monoculum, secunda die mensis julii cum multis nobilibus cecidit interemptus.* Sepulturæ traditus est (*f*) in cœnobio Rosembal; ejusque filius, qui patrem in discrimine deserere detrectarat, (*g*) ab hoste captus (*h*). His consentanea de Adolpho interfecto tradunt Jordanus, Australis historia, vitæ Bonifacii auctor, (*i*) Ptolemæus Lucensis (*k*) in historia ecclesiastica, Martinus Polonus, Bernardus, Siffridus, Stero, Westmonasterienſis, Eberhardus, chronicon Colmariense aliique plures.

(*d*) *Jo. Vill. l. 8. c. 22. S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 10. Mar. Pol. l. 4. Bern. chr. Rom. Pont. Ptol. Luc. in annal. Siffr. epit. l. 2. Stero inter auct. Germ. Vvest. Flor. hist. Eberh. apud Can. antiq. lect. to. 1. p. 334. & prater alios, Novatores cent. 13. c. 26. col. 1352.*

XIV. Cæso Adolpho, Albertus, ut solium firmaret, cum se legibus Regem non creatum nosset, principes ut ipsum in comitiis Francofurtensibus Romanorum Regem renuntiarent, adduxit, de quo Australis historia (*l*): *Albertus electus*, [1] *resignata electione per triduum, apud Frankefurt in vigilia B. Laurentii ab omnibus electoribus in Romanorum Regem secundario est electus: qui subito Aquisgrani glorioſe coronatur.* Secundam hanc electionem damnavit aliquot post annis Apostolica sedes, (*m*) ut visuri fumus, cum iniquum videretur, ut cliens Regis sui sanguine delibutus cruentam illius coronam corriperet. Qua de re hæc Ptolemæus Lucensis: (*n*) *Albertus prædictus dux Austriæ, filius quondam præfati Rodulphi Regis, fuit electus in Regem Alemanniæ ab electoribus, congregatis Aquisgrani, anno Domini MCCXCVIII. missisque solemnes nuncios ad Bonifacium Papam VIII. pro confirmatione electionis suæ: quam idem Bonifacius Papa primo multis juris & facti rationibus allegatis repulit prima vice, & asseruit nullum esse.* Nunc reliqua Alberti post Imperium occupatum gesta adjungamus.

(*e*) *Hocsem. l. 1. de epit. Leodien. c. 22. in Hugone Cabilonen.* (*f*) *Hist. Austral.* (*g*) *Chron. Colmar.* (*h*) *Chron. Austral.* (*i*) *Ext. in MS. Vall. sign. lit. C. n. 25. & n. 79.* (*k*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 37.* Albertus post Adolphi necem iterum electus Rex Romanorum principibus. (*l*) *Hist. Austral. hoc anno.* (*m*) *Bonif. l. 7. ep. cur. 5.* (*n*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 37.*

Acceptis Aquisgrani regiis insignibus, Nurembergenses conventus celebrasse refert Australis historia (*o*), atque in iis uxorem corona Germanica cinxisse: *Domina Elizabeth in sequenti proximo festo B. Martini, apud Nuremburg multis principibus conventientibus, in Romanorum Reginam glorioſe coronatur: ubi Romanorum Rex Albertus filiis suis Rodulpho, Friderico, & Leupoldo terras, quas ante possederat, Austriam, Stiriam, Carniolam, Marchiam, & Portum Naonis contulit, & principes fecit.* Addit vero his chronicon Colmariense (*a*): *Regina more debito coronatur, & pene omnes electores præsentes extiterunt. Ibi dignitas cujuslibet domini coram Rege solemniter recitatur, & quilibet dominorum Regi in officio suo, sicut debuit, ministravit: Rex vero Boemus cum pretioſissima veste & equo, qui ad mille marchas æstimabatur, sedens in scypho aureo sibi porrexit. Audiens Rex Albertus, quod pater suus Rodulphus Rex in die anniversaria sua, ut ejus haberetur, memoria, minime contulisset*, nempe clero Nurembergensi, *contulit eis quinquaginta librarum reditus, ut in altari, quod in ecclesia eorum construxerat, quotidie missam dicerent, aut cantarent.*

(*o*) *Chron. Austral. hoc ann.*

NOTÆ [1] Hoc anno, mense, & die ab annalista constitutis, Albertus dux Austriæ in regem Romanorum eligitur, qua de re æquales omnes scriptores conveniunt. Unum hic addendum, quod in annalibus deest, certa nempe dies, qua regiam coronam solemni ritu accepit; eademque in re scriptores omnes falluntur, rati electum illum in pervigilio S. Laurentii, statim die altera corona donatum. Falli, inquam, illos constat ex vetusto scriptore rerum archiepiscoporum Trevirensium, vulgato a PP. Martene, & Durand veter. monum. to. IV. qui asserit die festa S. Bartholomæi apostoli *intronizatum, consecratum, inunctum, & coronatum fuisse cum solemnitate debita & consueta.* MANSI

Aquisgrani corona redimitur. (*a*) *Chron. Colmar.* Insignes conventus celebrat.

XVI. Sublatum, extincto Adolpho, motum cum Gallis de limitibus Imperii bellum.

Armeniam Saraceni vastant.

(*b*) *Lib. 4. ep. 161.* Rex Sembat Bonifacii & Regum occidentalium opem implorat.

Excitatur ad hostium impetus fortiter sustinendos.

tabit te. Nam oculi ejus super timentes eum, & in eis qui in misericordia ejus sperant: ipse enim de cœlo prospiciens super filios hominum, ac videns, quod sis intelligens & requirens eum, sua tibi propitiatione subveniet; ac causam suam agi conspiciens, tibi non solum defensionis gratiam sed triumphi gloriam per suam clementiam ministrabit. Et ecce pro majori, & præstantiori commodo tuo charissimos in Christo filios nostros Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges illustres, quos invicem hactenus, instigante inimico homine, dissidentes pacificasse Domino favente confidimus, ad tuum subsidium efficaciter per nostras literas excitamus. Dat. Reate III. non. octobris anno IV.

Inter Francos & Anglos confectam pacem significat Bonifac.

XVII. Eadem spe adornandæ in occidente expeditionis Armenorum patriarcham erexit Bonifacius, (*c*) significavitque, pacem inter principes Christianos confectam, Aragonum Regem, qui Siciliam tenuerat, adversus fratrem illius invasorem bello se accingere, ac brevi, Siculis rebus compositis occidentalium vires in Saracenos conversum iri.

(*c*) *Ib. ep. 271.* Meliorum spe Gregorium patriarcham erigit.

Gregorio patriarchæ Armenorum.

Bonifacii ad patriarcham Armen. literæ.

Ex literarum tuarum tenore, & relatu tui nuntii, qui nobis præsentavit easdem, Apostolatui nostro innotuit reverentia & devotio, quam geris ad nos & ad sanctam Romanam ecclesiam, matrem ecclesiarum omnium & magistram. Innotuit etiam vera, & pura professio, qua nos caput universalis ecclesiæ orthodoxæ, successorem Petri, vicarium Jesu Christi, & universalis dominici gregis pastorem humiliter recognoscis. Percepimus etiam de vexatione quasi continua, qua manus hostium crucis Christi Armeniæ regnum impugnat, & solito plus affligit: circa quod tu, ad nostræ & Latinorum subsidia merito gerens fiduciam, pacificationem Latinorum ipsorum nobis provide suasisti. Super quibus præsentibus respondemus, quod nos de tua devotione gaudentes, prædicti regni vexationes, angustias, & ærumnas paternæ compassionis charitate partimur; & relevationem ipsarum eo amplius cupimus, quo magis necessariam, & promottoni negotii Terræ sanctæ plus utilem existimamus. Nos enim ab ipsis nostræ promotionis ad apicem apostolicæ dignitatis auspiciis inter alias solicitudines, quæ ex cura nobis imminet pastorali, vigilias nostras & studia, Deo teste, convertimus ad pacificandos occidentales Reges & principes, illos præsertim, qui consueverunt in ipsius terræ præsidia promptius & utilius militare: & jam per Dei gratiam inter charissimos in Christo filios nostros Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges illustres, qui aspere invicem dissidebant, pacem & treguas indiximus, & Deo perficiemus auctore; & alia cismarina regna studuimus concordare.

Exponit illi quanto studio mutua pace principes connectere nisus sit.

Francor. & Angliæ Reges conciliatos.

Et

Jacobum Regem Arag. ad Apost. sedis obsequium revocatum.

Et charissimus in Christo filius noster Jacobus Aragoniæ Rex illustris, qui longo tempore in rebellione per devium oberrarat, ad nostra & Apostolicæ sedis mandata & devotionem in tanto fervoris spiritu est Domino inspirante reductus, ut qui contra Romanam ecclesiam insulæ Siciliæ fuerat occupator, pro viribus sub vexillo ipsius ecclesiæ sit contra fratrem proprium recuperator ejusdem. Pro cujus insulæ recuperatione non solum cogitatus immensos, & noctes insomnes expendimus; sed & eo largius innumeros sumptus effudimus, quo sine ipsa ad negotium generalis passagii minus proficere credebamus. Ad quod passagium dirigendum præ cunctis nostræ mentis affectibus aspirantes, vias ad id, ut possumus, præparamus. Longe spes suæ Bonifacium, ac tristes rerum exitus, aliaque ex aliis exorta bella fefellerunt: cum Christiani a mutuis inferendis cædibus abduci non potuerint: atque hoc ipso anno Genuenses & Veneti, quorum opera Saracenorum barbaries tundi solita erat, prope insulam Dalmatiæ adjacentem concurrere, cruentaque potiti victoria Genuenses, plurimas Venetorum triremes ceperunt, ut narrat Joannes Villanus (*a*). Quibus consentanea traduntur a Sanuto his verbis (*b*): *Apud Cursolam in Sclavonia fuerunt expugnati Veneti supradicti; & non modo hæc*, nimirum fluctus, & ventos infestos, *verum etiam suis oculis in oppositum solares radios assumserunt; habendo Januenses prædicti circa sexagesimum, Veneti vero circa nonagesimum numerum galearum; excepto quod Januensium prædictarum corpora galearum Venetis erant majora, & eis gens in pluri numero collocata.* Sed a tristi Christianorum discordia ad pontificias, ad patriarcham Armenum datas literas, redeamus.

(*a*) *Jo. Villan. l. 8. c. 24.*
(*b*) *Sanut. l. 2. p. 4. cap. 2. Jo. Villan. l. 8. c. 24. Bizarr. de bello Venet. l. 1. Folieta hist. Genuen. l. 6.*

Occidentalium discordiæ spes eas evertunt.

Veneti cruento prælio a Genuens. deleti.

XVIII.

Hortatur patriarcham ut Armenos fide orthodoxa erudiat.

Rogamus itaque tuæ devotionis constantiam, & hortamur attente, quatenus inter tribulationum angustias viriliter agas, & cor tuum in Domino confortetur. Expecta eum, & custodias vias ejus, saltem donec tibi, ecclesiis, & regno Armeniæ tempus subventionis adveniat, quod dante Domino erit promptius quam credatur. Ipse namque Dominus prope est iis, qui tribulato sunt corde, & oculi ejus super timentes eum, & in eis qui in misericordia ejus sperant. Nos quidem in favorem negotii & succursum pridem præfatis Francorum & Anglorum Regibus apostolica scripta direximus, & illud quod, Domino præstante, poterimus consilium & auxilium intendimus exhibere. Hortamur insuper & rogamus attente, ut studeas Armenorum clerum, & populum in fide, quam prædicta sancta Romana prædicat, docet, & tenet ecclesia, per te & alios informare; ut purgato omni vetustatis errore, in fide ipsa sint stabiles, & in opere efficaces ad animarum suarum salutem, gloriam & honorem Domini nostri Jesu Christi, qui cum Patre, & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Dat. Reate VII. kal. novembris anno IV.

XIX. Solicitat Francorum & Angl. Reges ad ferendam Armeniæ opem.

Nec ad Bonifacium modo, sed ad Francorum quoque & Anglorum Reges suos legavit oratores Armenus, ut ipsos ad ferendam laboranti Armeniæ opem retundendosque infidelium impetus excitaret: quos Bonifacius literis suis, ut justissimam causam amplecterentur, permovere est conatus (*c*).

(*c*) *Lib. 4. ep. 262.* Datæ ad Philipp. Regem eo argumento lit.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri.

Charissimi in Christo filii nostri Sembat Armeniæ Regis illustris nuntiis & literis paterna benignitate nuper receptis, tam ea, quæ ipsæ continebant literæ, quam quæ dicti nuntii coram nobis & fratribus nostris ex parte ipsius voluerunt exponere, vidimus & audivimus diligenter. Ex quibus comperimus, quod ipse Rex, tamquam devotionis filius, Romanam matrem ecclesiam reveretur, & ad Christiani populi dilectionem & honorem aspirans, ad Deum & ipsam ecclesiam fideliter se dirigit & conformat. Cum igitur idem Rex, cui & regno suo adversi conditio temporis per inimicos fidei Christianæ solito durius se nuper exhibuit incitamento multiplicis vexationis infestam, ad te, de quo in hac parte confidit, fiducialiter pro subsidio habendo nuntios suos mittat; nos vexationibus ejus & augustiis intimo compatientes affectu, celsitudinem Regiam rogamus & hortamur attente, quatenus regia circumspectione prospiciens, quod Regnum Armeniæ est, sicut fertur, ipsi Terræ sanctæ propinquum, & per illud ex diversis causis de præfatæ Terræ sanctæ, si fidelium Christianorum crucesignatorum & crucesignandorum ordinatus progressus affuerit, potest faciliori recuperatione sperari, aut grande ex eo subsidium provenire, & benevole ipsos nuncios recipiens, & benigne pertractans, sic te ipsi Regi Armeniæ, secundum quod tibi qualitas temporis se commodam offeret, ac Dominus inspirabit, liberalem exhibeas & propitium, quod digne Deo inde complaceas, regium serves honorem, præconium laudis acquiras, & eundem Regem ad tua beneplacita futuris constituas temporibus debitorem. Dat. Reate III. non. octob. anno IV.

Recuperari facilius Armenorum opera Terram sanctam posse.

Hactenus Pontifex, qui etiam conceptas eadem verborum forma literas ad Eduardum Regem Anglorum dedit (*d*).

(*d*) *Reg. post eand. ep.*

Sembat tyrannus Aythonum orbat oculis.

Porro Sembat, qui sceptrum Armeniæ scelere fratri Ayrono eripuerat, non externo modo, sed domestico etiam bello implicitus erat: ac tum oppressus est insidiis, cum tyrannidem, Ayrono Rege orbato oculis, & præfocato Thoroso fratre, constabiliviſſe arbitrabatur, ut nar-

(*a*) *Sanut. l. 3. p. 13. c. 2.* Restitutus Aytono divinitus oculorum usus.

Thoroso necat.

Regnum Aythonus recuperat.

narrat Marinus Sanutus his verbis (*a*): *In reditu*, nempe e Tartaria, *fratres Aytonem, & Thoros capiens*, fuerant ii proditi a Tartaris, a quibus auxilia eblandiri nitebantur, *& cunctis bonis expolians, in Armeniam duxit; Thoros cum chorda arcus stricto gutture suffocari fecit, & visum Aytoni; quem ille nutu Dei recuperavit. Quod attendens Constans quartus frater, indoluit vehementer, & aggressus Regem Sembat personaliter cepit, & carceri mancipavit, & Aythonem libertati restituit. Ille liber effectus ambos fratres sub tuta custodia misit ad Constantinopolitanum Imperatorem, rogans ne eos sineret evagari.* Recuperasse regnum Templariorum & Hospitalariorum equitum, atque aliorum amicorum ope, refert Bofius (*b*) ex Aythoni literis ad Rogerium e Pinibus ordinis Hospitalariorum magistrum, quibus rogavit, ut Cyprium Regem ad conjungendas pro instaurandis Syriæ rebus vires impelleret: quem præclara multa facinora explicuisse in Saracenos visuri sumus: sed de his inferius.

(*b*) *Bos. p. 2. l. 1. hist. eq. Hosp. ad hunc ann.*

XX.

Nunc Armeniæ rebus adjungemus, Gregorium Catholicon Armenorum professum esse, solvendarum canonicarum legum de consanguinitatis gradibus auctoritatem ad Romanum Pontificem, supremum sacrorum antistitem, spectare: ac principem Sembat, & Isabellam Guidonis Joppensis comitis filiam a Stephano prædecessore Catholico, qui id jus sibi arrogarat, illusos, a Bonifacio contendisse, ut in contracto vitio matrimonio perstare liceret. Ex qua occasione Bonifacius subjecto diplomate pronuntiavit, (*c*) solum in terris Christi vicarium, B. Petri cathedræ insidentem, consanguinitatis impedimenta removendi potestate valere.

(*c*) *Lib. 4. ep. 268.* Auctoritas solvendæ legis de grad. consang. ad quem spectet.

Dilecto filio nobili viro Sembath de Botha, & dilectæ in Christo nobili mulieri Isabellæ natæ quondam G. comitis Joppensis Mamistranæ diœcesis uxori ejus.

Sancta Romana ecclesia non solum venerandorum conciliorum diffinitionibus, & B. Petri æternæ vitæ clavigeri meritis, ecclesiis cæteris est prælata; sed evangelica voce Domini, & Salvatoris nostri eidem Petro dicentis: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, in orbe terrarum obtinuit principatum. Qui siquidem Petrus, quamvis cum ei dixit Dominus: Pasce oves meas; cura & pontificium Christianorum omnium ipsi generaliter collata fuissent, propter quod est Cephas etiam appellatus; tamen huic ecclesiæ peculiariter præfuit, dum postremo Romanis per Spiritum sanctum specialiter datus Apostolus, eis Evangelium prædicavit: ipseque ac sibi associatus beatissimus Paulus, vas electionis, uno die sub Neronе Cæsare in urbe Romana martyrio coronati, eandem ecclesiam suo pretioso sanguine Christo domino consecravit. Qui igitur Romanæ, cui ex dispositione divina, licet immeriti, præsidemus, ecclesiæ præest, Probatur ad Rom. Pontif. spectare. *successor est Petri, & ipsius propterea fungitur potestate: alias Deus & homo Jesus Christus, ad dexteram Patris sedens, suam universalem unam, & militantem Ecclesiam acephalam, id est sine aliquo qui super omnes vices ejus in terris gereret, vel habentem quasi monstrum plura capita reliquisset; quod non tam rationi contrarium etiam in natura, quam hæreticum censeretur. Et hæc Romana sedes mater est fidei, sola auctoritatem ab ipsis exceptam præstat conciliis, jura statuit, & omnibus legem ponit. Hinc sive patriarchatus cujuslibet apicem, sive metropoleon primatus, aut episcopatum cathedras, vel ecclesiarum cujuscumque ordinis dignitatem instituit; inde dispensationum supra jus absolutam obtinuit potestatem, ac verbo, quo cœlum & terra constructa sunt, terreni & cœlestis imperii jura quæsivit. Quo fit ut qui Romanæ ecclesiæ privilegium hujusmodi ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur, proculdubio labitur in hæresim, & illi contumax reputetur. Hæc novissime diebus istis Gregorius in Armenia, quæ olim est dicta Cilicia, unde originem ducitis, Catholicon gerens officium, est professus: hoc etiam sanctorum patrum, & orthodoxorum doctorum habet incommutabilis & vera sententia.* Id Catholicon Armen. profitetur.

Sane pro parte vestra nobis oblata petitio continebat, quod vos, tertio ad invicem consanguinitatis gradu conjuncti, matrimonium contraxistis, vobiscum in hujusmodi copula quondam Stephano, dictum in eadem Armenia gerente officium, dispensante; quodque, credentes hujusmodi dispensationem legitimam, diu insimul in tali permansistis matrimonio, filiosque procreastis ex ipso, quorum aliquos jam dicitis militare. Verum quia viridica assertione memorati Gregorii, in hujusmodi gestione officii successoris dispensantis prædicti, pervenit ad vestram notitiam, quod dicta dispensatio nulla fuit, utpote facta ab eo, qui potestatem hanc non habuit dispensandi, nobis humiliter supplicastis, ut, quod in dicto matrimonio valeatis licite remanere, prolem susceptam & suscipiendam ex eo legitimam, nuntiando, dispensare vobiscum misericorditer dignaremur.

Nos igitur, attendentes quod solus Papa Romanus, qui vocatus est in plenitudinem potestatis, cæteris prælatis in solicitudinis partes assumptis, secundum sacros canones in iis & similibus casibus obtinet potestatem; nec immerito, nam eum matrimonium ad ipsius efficacius vinculum, ampliorem ejus dignitatem, & in privilegium speciale instituerit ipse Deus, indignum fuisset, ut alii quam Romano præsuli Dei

vicario prærogativa dispensationis hujusmodi deberetur; intuentes etiam, quod magnum existat matrimonii sacramentum, & idcirco ejus in dispensando causa, tamquam annumerata majoribus, sit ad Petri sedem solummodo referenda; ac considerantes, quod per instituta canonica in matrimoniis contrahendis est memoratus gradus prohibitus; & ideo cum canones ad sui observantiam omnes astringant, ille solus, summus videlicet Pontifex, qui eos condere potest, quive legibus est solutus, cujusque auctoritas in ipsis sæpius intelligatur excepta, vel etiam aliis, cui per eosdem canones nominatim concessa sit dispensandi facultas super illos, ut per dispensationis lenitatem rigorem eorum ex causa temperet, potestatem habebit; irrefragabili veritate suffulti dicimus, quod dictus quondam Stephanus in hoc dispensare non potuit: propter quod non dispensator extitit, sed deceptor, & quantum in ipso fuit, vis & potestatis canonum in hac parte temerarius dissipator, &c. subdit ex benignitate apostolica ad Sembat & Isabellæ gratiam deprecatore Rege Armeniæ se leges canonicas solvere, ut in suscepto conjugio perstare possint. *Dat. Reate* v. *id octobris anno* IV.

XXI. Orta inter Regem Cypri, & Templarios discordia.

In Cypro graves ardebant discordiæ inter Henricum Regem & Templarios, qui Syria a Saracenis ejecti, ad tutandum id regnum se receperant: ac ne ob ea dissidia Christiana res in periculum conjiceretur, solicitus Bonifacius, tum Jacobum (*a*) de Molai templariorum equitum supremum magistrum, ut cum Rege pacem iniret; tum Henricum, ut debita benevolentia equites complecteretur, ne destituta eorum ope insula barbaricis irruptionibus pateret, est adhortatus: *Fili charissime*, Henricum Regem alloquitur (*b*), *tuam volumus considerare prudentiam, quanta olim ipsis magistro & fratribus*, nempe Templariis, *in dicta Terra sancta pericula contigerunt, quantis eos afflixere pericula ipsa languoribus, quanta eos fiducia duxerit ad confugiendum ad tui regni præsidia, & quibus ipsi, sic inibi fiducialiter respirantes, sint alliciendi favoribus, & mansuetudinibus confovendi. Nec minus advertendum inspicimus, quod mora eorum in dicto regno securitatem maximam contra hostes fidei tibi & ipsi regno producit, & si, quod absit, sive per eorum sive tuæ gentis injuriam recessus ipsorum inde contingeret, magnam sumerent ex hoc dicti hostes audaciam, & grandia tibi ac regno præfato, ac irreparabilia forsitan propterea possent pericula provenire, quorum sancta mater Ecclesia & universus fidelium Christianorum populus non redderentur expertes; sed hujusmodi vitanda procella percelleret universos*, &c. *Dat. Romæ* XIV. *kal. aprilis anno* IV. Exasperarat inter cætera Templarios vectigal a suis familiaribus & mancipiis duorum bysantiorum in singula capita pendi, ac privilegia quibus hactenus erant potiti, labefactari: ad quæ temperanda latam a Bonifacio constitutionem inferius visuri sumus. Jam susceptum in Columnenses bellum sermone perstringimus.

(*a*) *Ib. ep.* 46.

(*b*) *Ibid. ep.* 47.

Sapiendæ illi incumbit Bonifacius.

Tulit in eos plura edicta (*c*) Bonifacius: cumque ipsi arcis Prænestinæ propugnaculis se tuerentur, ac valida præsidia compararent, indictæ jam ante militiæ sacræ legatum Matthæum Cardinalem Portuensem, & S. Ruffinæ episcopum creavit: utque ad illam milites alliceret, indulgentias sacras, in Syriam contra Saracenos profectis olim propositas, in Columnenses præliaturis contulit (*d*): ut vero hostes oppresserit, dicetur postea. Jam nonnulla ipsius in benevolos sacra beneficia collata addimus. In primis Reginæ Siciliæ Margaritæ, Caroli I. viduæ, ad conciliandam conscientiæ serenitatem hæc permisit (*e*): *Tuis supplicationibus inclinati, tibi ut omnem pecuniam, quam te minus licite a quibuscumque recepisse commemoras, si inveniri non possint quibus ejusdem pecuniæ restituto sit facienda, possis de tui confessoris consilio in usus infirmorum & pauperum erogare, auctoritate præsentium indulgemus.* Huic simile est aliud, ad pietatem spectans (*f*): *Tuis supplicationibus inclinati devotioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus, ut monasteria monialium inclusarum, quorumcumque ordinum, cum quatuor honestis matronis devotionis causa ter in anno ingredi valeas; dummodo tu & eædem matronæ in ejusdem monasteriis non edatis, nec pernoctetis.* Pertinet etiam ad res Siculas Pontificem pluribus instituisse (*g*) apud Carolum Regem ac Robertum, majorem natu e superstitibus Regis Siciliæ filiis, Calabriæ ducem, ut Joanni de Procida sua bona, ut antea fuerat promissum, restituerentur.

XXII. (*c*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 3. 6. 8. & 169. Gestum in Columnenses sacrum bellum. (*d*) *Ead. ep.* 3.

(*e*) *Lib.* 4. *ep.* 465. Margaritæ Caroli I. viduæ concessa sacra beneficia.

(*f*) *Ib. ep.* 466.

(*g*) *Ep.* 98. & 99. Joannem Prochitam pristinis bonis restitui jubet Bonifacius.

Concussa est hoc anno Italia ingentibus terræmotibus, adeo ut in pluribus locis templa, tecta, palatia corruerent, ac præcipue ea clade afflictas has urbes Reate, Spoletum, Pistorium recenset Joannes Villanus; (*b*) addirque ea fuisse calamitatum præsagia, quæ postea Italiam merserunt. Dominica vero prima adventus concitatum terræmotum, his verbis describit Bernardus (*i*): *Anno MCCIIC. Bonifacio Papa Reate cum sua curia residente, dominica prima adventus Domini in festo B. Andreæ Apostoli incœpit Reate, & in vicinis partibus vehemens terræmotus, qualem & quantum nullus tunc vivens viderat prius; diruitque multa ædificia in plerisque locis, multisque pereuntibus, multisque diebus & noctibus perduravit; non quidem continue, sed per plures vices pariter in die & in nocte: timoremque non modicum incussit Papæ, & Cardinalibus, & toti curiæ. Confugitque Papa ad claustrum fratrum Prædicatorum Reate, qui in altiori & solidiori loco positi erant, ubi in claustri prato facto tentoriolo festinanter subtilibus assibus conquievit. Homines vero de nocte ibant & fugiebant ad campos, sub dio manentes, ne ædificia super se corruerent formidantes, in timore magno expectantes: cadebantque passim homines & jumenta, cum terra tremeret, & motibus nutaret insolitis.* Subdit auctor Bonifacium eadem hebdomada prima adventus Nicolaum Prædicatorum & Joannem Minorum summos magistros, ac Petrum Hispanum Cardinalatu decorasse: [1] is vero Nicolaus vir pietate & doctrina excultissimus, primum S. Sabinæ presbyter Cardinalis creatus, deinde ad Ostiensem episcopatum promotus, demum accepto Benedicti XI. nomine Bonifacio in summo Pontificatu successit, de quo hæc S. Antoninus in ordinis Prædicatorum insignibus viris refert: (*a*) *Nonus generalis ordinis fuit frater Nicolaus de Tarvisio. Hic in pace & humilitate ordinem rexit duobus annis cum dimidio, magnus amator & sectator communitatis. Hic venerabilis pater dominus & magister quandoque retulit de scripto, qui noverat plenius veritatem, quod decimoquarto ætatis suæ anno ingressus est ordinem, in quo quatuordecim annis primis studuit & profecit magnifice, & aliis quatuordecim sequentibus exercuit officium lectoriæ, & quatuordecim aliis annis in prælationis officio in ordine laboravit & ex magisterio ordinis generali fuit assumptus ad cardinalatum, ex quo demum ad papatum.*

(*i*) *Bern. chr. Rom. Pont. hoc ann. Mart. Pol. l.* 4.

Tres viros insignes Cardinales creat.

Nicolaus Prædic. magister in pontificatu postea successit Bonifacio.

(*a*) *Anton.* 3. *p. tit.* 23. *c.* 12. Ut se in religioso sodalitio gesserit.

XXIV. Ecclesiarum jura a Philippi Regis invasione vindicat Bonifacius.

Adnectanda hic sunt, quæ ad Ecclesiæ jura asserenda Bonifacius gesserit, atque in primis apostolico zelo Francorum Regem a detinendis ecclesiarum Pictavensis, (*b*) & Laudunensis (*c*) bonis compescuit. Exemplum literarum, quas ad ipsum pro

(*b*) *Lib.* 4. *ep.* 471.

(*c*) *Ib. ep.* 259.

Laudunensi ecclesiâ dedit, infra scriptum est.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

De eo lit. ad Phil. Regem.

Cum nuper ex quibusdam causis venerabilem fratrem nostrum Gazonem Laudunensem episcopum fecissemus citari, ut infra centum terminum coram nobis personaliter compareret, sibique mandari, quod in spiritualibus vel temporalibus Laudunensis ecclesiæ nullatenus ministret sine nostra licentia speciali, tu intellecto de interdictione administrationis hujusmodi, prætextu cujusdam consuetudinis, quam appellas regalia, administrationem eamdem temporalium, ac si vacaret ecclesia, per officiales & ministros tuos sicut accepimus, cepisti, eamque exercere assereris & tenere. Nos autem attendentes, fili, quod in hoc tu malo inductus consilio ista agis, non solum in animæ tuæ periculum & grave damnum memoratæ ecclesiæ, sed etiam exempli perniciem, silere non possumus, nec debemus omittere, quin tibi veritatis tramitem, & rectitudinis semitam ostendamus. Cognosce igitur, & firmissime tene, quod per interdictum administrationis, vel suspensionem, seu etiam excommunicationem prælati non vacat ecclesia: & ideo cum de jure aperto & ratione probata administratio non vacantis ecclesiæ ad te nullatenus pertinere noscatur, consuetudo prædicta, quam habere diceris in aliquibus, dum vacant, ecclesiis, ad casus hujusmodi & similes, per quos non vacant ecclesiæ indubitanter, sicut etiam cum tuis nuntiis ista nuperrime in Urbe tractavimus; trahi non poterit nec debebit extendi. Sic ergo hæc in futurum evita, & in præsentiarum ab eis cessa, ac emenda præterita, quod apud Deum laudem acquiras, ut sicut charissimus filius de devotione ad ecclesiam matrem tuam, more patrum tuorum, merito commenderis. Datum Reate IV. *id. octobris anno* IV.

In causa vero quæ inter Lugdunensem archiep. & Regem civesque agitabatur, cum

K k 2

NOTÆ [1] Cardinalium sub Bonifacio VIII. promotiones nedum in annalibus ecclesiasticis; sed & apud Ciaconium turbatas esse ex iis, quæ hic trademus, perspicue constabit. Bernardi Guidonis chronicon pontificium, quod annalista ex vaticano codice identidem laudat, opera cl. Muratorii tandem prodiit rer. Ital. to. III. ex ejus vero chronici inspectione discimus, annalistam nostrum minus sincere ejus mentem, ad rem præsentem quod attinet, expressisse. Ita enim hac de re scribit Bernardus: *In hebdomada prima adventus anni 1298. pridie nonas mensis decembris, Bonifacius papa assumpsit IV. ad cardinalatum, archiepiscopum Toletanum* (Consalvum Rodericum) *dominum Richardum de Senis, dominum Theodoricum Viterbiensem*, (legendum Urbevetanum ex iis quæ Ciaconius affert) *& fratrem Nicolaum de Trivisio, quem fecit primo tunc S. Sabinæ presbyterum cardinalem; & postmodum vero aliter fecit fratrem Joannem de Murro generalem ministrum fratrum Minorum cardinalem episcopum Portuensem, & Petrum Hispani cardinalem episcopum Sabinensem.* In hac ergo renunciatione diei IV. decembris non sex, ut recenset Oldoinius in addition. ad Ciacon. sed quatuor tantummodo assumpti sunt; nec ad eam pertinet cooptatio Joannis de Murro, & Petri Hispani, qua in re annalista erravit. Ex quo etiam Pagi in breviario conjectura corruit, reputantis Joannem de Murro, & Petrum Hispanum hac quidem decembris die renunciatos fuisse cardinales; dein vero anno 1302. in episcopos cardinales evectos fuisse. Cum enim cardinalitiam dignitatem ea die non adierint, ut vulgo hucusque existimatum fuit, superest ut anno demum 1302. primo in cardinales simul & episcopos assumptos agnoscamus. MANSI

cum nondum ea decisa esset, Bonifacius Narbonensi archiepiscopo, episcopo Æduensi, atque archidiacono Rhotomagensi, quos anno superiori templa & sacra civibus restituere jusserat, denuntiare præcepit, (a) ut interdictum hoc etiam anno non teneret. Præterea cum bona, quæ Joannes tit. S. Cæciliæ presbyter Cardinalis in pia opera collocanda, atque ad extruendum Parisiis pauperibus clericis operam theologiæ daturis collegium legarat, a fisco regio invasa essent, Bonifacius Joanni tit. SS. Marcellini & Petri repetendi illa bona, provinciam commisit (b): eaque de re ad archidiaconum Narbonensem & Grimerium Placentinum datæ literæ. Nec tamen regii administri rapaces manus continuere: extant enim ea de re Benedicti XI. querelæ (c). Demum cum Philippus Rex ecclesiastica jura labefactare pergeret, illum inter & Bonifacium atrocissima diffidia concitata inferius visuri sumus.

(a) Ep. 325. & 326.

Joannis tit. S. Cæcil. pia legata a Phil. repetita.

(b) Ep. 233.

(c) Bened. XI. l. 1. epicur. 66.

I. Gestum adversus Siculos bellum.

ANnus a Virginis partu millesimus ducentesimus nonagesimus nonus, indictione duodecima, perduellium Siculorum clade insignis extitit: conflata enim ex Aragoniis & Neapolitanis florentissima triremium septuaginta classe, de illis parta victoria est: quamvis postea victor exiguos admodum ex illa fructus collegerit. Quæ antequam oratione explicemus, nonnulla de Bonifacii in revocando eo regno ad Caroli obsequium studio præmittenda. Cum itaque Pontifex Jacobum Aragonum Regem ad persolvenda socero promissa, ac Fridericum justo bello ex arrepta tyrannide depellendum permovisset, illi ad sustinendos sumptus bellicos decimas Aragoniæ, Valentiæ, Cataloniæ, Balearium, aliarumque terrarum, Sardinia & Corsica exceptis, attribuit (a). Quæ vero justæ causæ ipsum ad id impellerent, his verbis expressit (b): *Quamquam Apostolicæ sedis circumspecta benignitas, quæ piæ matris laudabilem morem servans, in suis processibus pietatis ac misericordiæ lenimenta non deserit, quæve libentius parcit quam puniat, Fridericum & Siculos ab erroris invio, per quod præcipiti passu fluunt, multifarie multisque modis revocare sategerit, & ad gregis dominici caulam reducere paternis affectibus prosequendo; ipsi tamen animis obfirmatis ad malum, & ad actus damnabiles indurato proposito, aures suas surdæ more aspidis obturantes, ne matris voces revocantis audirent, non solum illius salubribus parere suasionibus contempserunt; verum etiam pejora prioribus adiicere non verentur, in animarum suarum periculum & fidelium scandalum plurimorum.* Subdit pio se teneri desiderio vindicandæ e Saracenorum tyrannide Terræ sanctæ, quam magno religionis Christianæ opprobrio barbari contaminant; nec tanto operi vacare posse, nisi prius Siculorum perdomita sit contumacia: intestinis enim tum bellis vacuam Ecclesiam vires omnes ad instaurandas res Asiaticas conversuram. Ad quæ promovenda consilia significat Aragonio, Valentino, Balearico, & Catalano clero sacerdotiorum decimas Jacobo Regi attributas: quæ literæ Anagniæ VII. id. junii consignatæ sunt.

Incitatus in eos Jacobus Rex Aragon.

(a) Lib. 5. ep. 208.

(b) Ead. ep.

Suscepit præterea Bonifacius Jacobum in apostolicam clientelam, (c) prohibuit-

II.

(c) Ibid. ep. 206. 207.

que, ne quis Christianus princeps infesta illius terris signa inferret cum Siculo bello implicitus causam ecclesiæ tueretur. Ad incendendum vero ad rem strenue conficiendam militum ardorem, indulgentiarum præmiis eos omnes affecit, (d) qui Jacobi Regis & Roberti ducis Calabriæ signa sequerentur: tum ut facilius Siculos proficeret ad officium, proposita veniæ spe, Guillelmum designatum episcopum Salernitanum instruxit auctoritate, (e) ut eos, qui transfugerent ad partes ecclesiæ, censuris solveret, adigeretque sacramento pontificijs imperiis parituros: ut etiam militum saluti æternæ consuleretur, sacris illum in exercitu administrandis præfecit, utque viros pietate conspicuos ad exhomologeses excipiendas, aliaque ad divinum cultum spectantia peragenda adhiberet, provinciam dedit (f).

Promissa clientela Apostolica.

(d) Ib. ep. 192. Guillelmus electus Salern. creatus nuntius in exercitu.

(e) Ep. 190.

(f) Ib. ep. 193.

Bonifacius, &c. Guillelmo electo Salernitano.

Discretioni tuæ, de qua fiduciam gerimus pleniorem, deputandi per te, vel alium, seu alios viros idoneos, sacerdotes quot, & quoties, ac de quibus videris expedire: & concedendi illis, quod audire confessiones illorum, qui erunt in prosecutione prædicti negotii contra rebelles & hostes prædictos, eis volentium confiteri; & injungere ipsis pœnitentiam salutarem, & divina officia solemniter celebrare, ac ministrare omnia ecclesiastica sacramenta, & tradere fidelium defunctorum corpora ecclesiasticæ sepulturæ, nec non proponere prout expedire viderint verbum Dei, etiam si in loco fuerint interdicto; interdictis tamen & excommunicatis exclusis, prosecutione ipsa durante, licite ac libere valeant; quodque tu eadem facere ac exequi licite possis concedimus plenam & liberam auctoritate præsentium facultatem. Dat. Anagniæ VI. *id.* * *julii anno* V.

Sacris administrandis præfectus.

Hæc veteri more Bonifacius, qui divini Numinis gratiam in Siculos profecturis conciliare meditabatur, ut ejus auxilio fulsulti, tectique præsidio, de hoste triumpharent. Nec illum spes suæ delusere: cum enim Jacobus cum triremibus triginta Neapolim applicuisset, conjunctisque aliis Caroli Regis soceri ipsius, in Siciliam vela fecit, [1] Nec defuit animis Fridericus ipsius frater, ut imminentis

* junii Jacobus Rex Arag. cum Neapolitana classem junxit.

III. Fridericus maxima clade fusus.

belli

NOTÆ [1] JAcobi regis in Siciliam appulsus uno anno anticipandus est; teste enim anonymo Siculo a Martene vulgato anecdot. to. III. Jacobus ipse cum Roberto Calabriæ duce regis Caroli filio, & Rogerio de Lauria classem in Siciliam invexit die XXIV. augusti XI. indictionis anno MCCXCIII. quo ipso anno in eandem classem impetum facientes Messanenses illam dissiparunt, triremibus sex captis, quibuscum Joannes Rogerii de Laura nepos in hostium potestatem devenit; & ab his judiciaria sententia capite damnatus periit. Anno vero sequenti, nempe 1299. die IV. julii facta rerum conversio est; nam conserto prælio insignis de Siculis victoria ab Aragoniis relata est, quamquam Fridericus mansit incolumis, sive ab Aragoniis dimissus, sive felicitate sua evadens.

Dein

Annus

belli molem sustineret: instructa enim classe, cui Fridericum Oriam præfecit, in Jacobum fratrem, qui in insulam excensionem facere parabat, magna audacia invectus, prælium conseruit, in quo magna clade attritus est, Rogerii maximi me Lauriæ, qui Jacobi classi præerat, insigni virtute ac felicitate. Capta sunt Siculorum sex millia, triremes viginti duæ in victorum potestatem venere; ipsa etiam triremis, in qua Fridericus vehebatur, in Aragonum potestatem ceciderat, eoque prælio confecta res, Siciliaque recuperata videbatur: sed victum Aragonii ex patriæ amore incolumem dimiserunt. Hæc pluribus Joannes Villanus (*a*); M. S. (*b*) vetus de rebus Siculis, Ptolemæus Lucensis (*c*), S. Antoninus (*d*), Surita (*e*), Summontius (*f*), Fazellus (*g*), & alii. Dein Jacobus victoriæ persequendæ, atque occasioni debellandæ Siciliæ defuit, cum qui poterat ea clade consternatos Siculos armis victricibus ad imperium ecclesiæ cogere, in Aragoniam suscepto victoriæ labore, ac parta gloria, sed neglecto fructu, intempestive recessit. Qua de re postea graves querelas Bonifacius effudit. (*h*)

(*a*) *Jo. Vill. l.8. c.29.* (*b*) *MS. vet. de rebus Sic. p.58.* (*c*) *Ptol. Luc. in annal.* (*d*) *Anton. 3.p.tit.20 c.8.§.5.* (*e*) *Sur. ind. l.2. & l.5.ann. c.38.* (*f*) *Summ. hist. Neap. l.3.* (*g*) *Fazel. post dec. l.9.c.3.*

Parta ea victoria Jacobus, cum Siculos cogere ad officium posset, intempestive abscessit. (*h*) *Lib.6. ep.74.*

Lapsis aliquot diebus ab ea Siculorum clade, Bonifacius Gerardum Sabinensem episcopum Apostolicæ sedis legatum ex sacri senatus consilio in Siciliam decrevit (*i*): summaque auctoritate, ut in eos, qui ipsius respuerent imperia, censuras vibraret instruxit; ac pluribus prærogativis, ut partes suas præstantius impleret, ornavit (*k*). Non tamen revocavit Landulphum S. Angeli diaconum Cardinalem, sed utrumque gerendo illi muneri conjunxit. (*l*)

IV. Gerardus Sabin. ep. Landulpho Card. ad gerendam in Sic. legat. adjunctus. (*i*) *Lib.5. ep. cur.6.* (*k*) *Ib. ep. 7. ad 48. & ep.49.* (*l*) *Ep. 51.*

Hæc inter quid gesserit Carolus Neapolitanus Rex, cum se a Jacobo genero destitutum cerneret, atque aliunde fractas debilitatasque Siculorum vires intueretur, indicant literæ pontificiæ: ipsum persequendæ victoriæ filios instare jussisse: sed cum illius vires infirmas ad comparandam armis Siciliam Bonifacius animo reputaret, inhibendos tunc illius conatus censuit ne, si prælio vinceretur, hostem magis in superbiam efferaret. Cumque postea excitis novis auxiliis copias auxisset Carolus, Tarentinus princeps ipsius filius in Siciliam trajicere est meditatus. Quo audito consilio, cum Bonifacius impendentem illius principis cladem animadverteret, Carolo Regi gravissima dedit (*m*) imperia (*n*), ut ipsum temerario conatu abduceret.

Partam victoriam persequi Carolus meditatur. Ob virium imbecillitatem ab eo consilio deterretur. Auctis copiis Philip. princip. Tarent. transinittit. (*m*) *Ep.59.* (*n*) *Reg. post e.and. ep.*

Charissimo in Christo filio Regi Siciliæ illustri.

Subsistentibus certis & rationabilibus causis, per quas dilecti filii nobilis viri Philippi principis Tarentini nedum mutilus, sed nocivus in Siciliam censebatur accessus, accessum hujusmodi mandavimus impediri, & ipsum abinde revocari, si forsan iviset. Unde miramur merito, & valde turbamur, quod sicut accepimus, cum exfortio armatæ novæ idem princeps se disposuit, & paravit ad transeundum in insulam memoratam: an tamen jam transierit ignoramus: sed indubitanter tenemus, quod in Siciliam ejus accessus, & mora multa dispendia parient, & ex hoc damna gravia subsequentur. Quapropter celsitudinem Regiam hortamur attente, per apostolica tibi scripta sub debito juramenti fidelitatis, quo nobis, & ecclesiæ Romanæ teneris, districte præcipiendo mandantes quatenus mandes, & facias cum effectu, quod si dictus princeps nondum in Siciliam eandem se contulit, illuc nullo modo se conferat; & si forte jam se duxerit conferendum, exinde penitus absque dilatione recedat, illuc nullatenus absque nostro & dictæ sedis beneplacito rediturus: Et ecce nihilominus venerabili fratri nostro archiepiscopo Neapolitano damus per alias nostras sub certa forma literas in mandatis, ut tam te, quam eundem principem ad id per sententiam excommunicationis in personas, appellatione remota, compellat. Dat. Laterani IV. non. novembris anno v. Data pariter Neapolitano archiepiscopo imperia, ut Carolum objectis censuris a suscepto consilio abduceret. (*o*)

Jubetur a Bonifacio filium ab ea expeditione abducere. (*o*) *Reg. post eand. ep.*

Nec ingruentis mali conjectura Bonifacium fefellit: cum enim Tarentinus princeps cum triremibus quadraginta exposito in Siciliam exercitu post nonnulla feliciter gesta, dum ad munitæ arcis obsidionem incumbebat, a Friderico ad pugnam lacessitus, temere ad illam ruens, atque ex equo clava dejectus, captus est; (*p*) parte exercitus ex Neapolitanis conflata non consertis cum hoste manibus ex prælio se fuga subducente. Qua re audita postea Bonifacius ardentibus literis ob detrectata apostolica jussa Carolum increpuit (*q*).

V. Philippus trajicit in Siciliam exercitum. Feliciter initio rem gerit (*p*) *Surit. l.5. c.45.* Ab hoste capitur. (*q*) *Lib. 6. ep.72.*

Felicior Tarentino principe extitit in bello ipsius frater Robertus Calabriæ dux, qui plura loca munitissima, quæ M. S. vetus de rebus Siculis enumerat, atque ipsam Cataniam ad deditionem pellexit: (*r*) cui cum Manfredus e Maleta adhæsisset, tradidissetque nonnullas arces, tum ob id, tum ob alia officia sedi Apostoli-

Catania a Roberto recuperata. Manfredoniæ jura Manfredo e Maleta restitui jussa. (*r*) *MS. vet. p.29. Surit. indic. l.2. & l.5. ann. c.41. Fazell. poster. dec. l.9. c.3.*

Dein vero eodem anno prælium novum inter Siculos & Philippum principem Tarentinum Caroli regis filium, ac Fridericum commissum die prima decembris anni hujus; idque felix Friderico obtigit, ipso principe Philippo capto. MANSI

licæ exhibita promeruit a Bonifacio, ut Carolum Siciliæ Regem ad Manfredoniam illi restituendam solicitaret (*a*) ac donationem ab Innocentio IV. factam confirmaret. Exhausit vero adeo in sumptibus iis bellicis ærarium suum Carolus, ut etiam coronas, gemmas, atque alia pretiosa ornamenta pro solvendo censu Bonifacio tradiderit; præterea ad sexdecim millia unciarum auri illi obstrictus (*b*) maneret. Ut rebus Siculis hujusce anni finem imponamus: cum arma Carolus ancipiti successit tentasset, Bonifacius fulmen ecclesiasticum Friderico ac Siculis intentavit, & peremptorium illis purificatæ immaculatæ Virginis diem, ut ad dicendam causam se sisterent, præfixit. (*c*)

(*a*) *Bonif. l.5. ep. 42.* Carolus exhaustus ærario coronas oppignerat. (*b*) *Lib. 5. ep.177.* Intentatum Siculis judicium. (*c*) *Lib.5. ep.cur.66.*

VI. Bellum Columnense. (*d*) *Ib. ep. cur. 57. 58. 67.*

Exeruit etiam in Columnenses cæterosque earum partium feveritatem ecclesiasticam, ac pœnas alias incussit, scriptaque de iis acta publica renovavit (*d*): tum in Prænestinos, qui ab Romana ecclesia desciverant, promulgavit, ut urbem episcopali dignitate murisque exutam & deletam aratro sulcasset, atque aliam condidisset civitatis Papalis nomine, quam episcopatu Cardinalitio potiturum decrevit.

Bonifacius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

In communem notitiam fore credimus jam perductum, qualiter hactenus tempore, quo Jacobus de Columna, & Petrus nepos ipsius, dudum Romanæ ecclesiæ Cardinales, in reprobum sensum dati, effectique schismatici, contra nos & eandem ecclesiam rebellionis spiritum assumpserunt; Prænestina civitas, sequens ingratitudinis vitium, & beneficia grandia, honoresque multiplices, quæ sibi anteactis temporibus ejusdem ecclesiæ tribuit munificentia liberalis, & per quæ uberis exaltationis incrementa suscepit, in oblivionem deducens, & a sui memoria prorsus abiiciens; nobis & eidem ecclesiæ rebellare præsumpsit, præfatis adhærendo schismaticis, eisque favendo in crimine criminoso. Propter quod iram Dei, & nostram, dictæque sedis indignationem contra se non immerito provocavit, & excitavit obnixius ad exercendum gladium ultionis, ne tantæ tamque nefariæ temeritatis excessus cederet aliis in exemplum. Et quamquam prædicta civitas a tempore, cujus non est memoria, juris & proprietatis omnino fuisset, ac esset etiam ecclesiæ memoratæ; illa tamen pravitatis conceptæ nequitiam non solum continuans, sed augumentans, cum Jacobo & Petro prædictis tunc, sicut præmittitur, schismatis labe pollutis, in hujusmodi rebellione ac schismate temerario ausu persistere non expavit. Unde ne tam nefandum & horrendum scelus, & tam abominabile, tantumque flagitium remanere contingat aliquatenus impunitum, civitatem ipsam omnis civilitatis, communitatis, & universitatis jure apostolica auctoritate privamus, ac ipsam, muros seu mœnia, domos incolarum ejus, ac montem, & arcem, qui super civitatem eamdem & etiam infra eam existere dignoscuntur, præcepimus, & fecimus funditus demoliri, episcopatus cardinalatus honore, quem sub nomine Prænestini episcopi hactenus habuit, eam omnino privantes. Decernimus etiam auctoritate prædicta, ut civitas eadem nequaquam habitetur ulterius, nullusque in ea incolatam aut domicilium habeat, vel quomodolibet valeat obtinere: privando nihilominus eam privilegiis, libertatibus, & juribus quibuscumque, ipsamque aratro subiici ad veteris instar Carthaginis Africanæ, ac salem in ea etiam fecimus & mandavimus seminari, ut nec rem, nec nomen, aut titulum habeat civitatis.

Præneste in Columnensium gratiam adverf. Pontificem rebellavit. Sulcatum aratro & sale conspersum.

VII.

Attendentes, quoque quod a sanctorum patrum pia & provida ordinatione processit, ut in præfata Romana ecclesia sex semper existerent episcopi Cardinales; postquam civitatem prædictam episcopalis Cardinalatus honore privavimus, civitatem novam, ut senarius episcoporum numerus impleatur, construi fecimus prope jam dictæ civitatis Prænestinæ destructæ locum, quam appellari volumus & præcipimus civitatem Papalem; ipsamque a cunctis hoc nomine nuncupari. In ecclesia vero B. Agapiti martyris posita juxta eam, quæ quidem ecclesia ante destructionem civitatis Prænestinæ, & privationem episcopalis dignitatis & cardinalatus extitit ecclesia cathedralis, ordinamus erigi & construi altare in honorem beati Bonifacii, ipsumque non illius, sed hujusmodi novæ civitatis Papalis esse volumus ecclesiam cathedralem, eamque habere illa privilegia, jura, actiones, & bona, prælationem, dignitatem, & honorem, quæ habuerat quando erat ecclesia cathedralis Prænestinæ civitatis ante destructionem ipsius tempore nostro factam; statuentes ut civitas Papalis prædicta sub sui expressione nominis episcopum habeat Cardinalem, qui se civitatis Papalis episcopum nominet, & ab aliis hujusmodi nomine similiter appelletur: quodque Cardinalis episcopus, qui hujusmodi præerit civitati Papali, habeat tam in Romana, quam aliis ecclesiis quibuscumque omnia bona & jura, privilegia, dignitates, ac honores, quæ hactenus Prænestina ecclesia & episcopi Cardinales, qui ejus præfuerunt regimini, obtinebant ante destructionem præmissam. Nulli ergo &c. Dat. Anagniæ id. junii an. v. Præfecit (*e*) novæ illi ecclesiæ Thedericum tit. S. Crucis in Hierusalem presbyterum Cardinalem, multisque prærogativis cives ornavit, quas pendendarum vigintiquinque librarum Parisiensium, censu clientelæ nomine imposito, sanxit (*f*).

Civitas alia papalis dicta condita.

In eam episcopatus Cardinalitius translatus.

Omnia jura, quæ olim Prænest. fuere illi addicta.

(*e*) *Ep.63.* Thedericus Card. creatus novæ urbis episcopus. (*f*) *Ep.52.*

Quamvis jam deleti Columnenses, Præne-

Joannes e Ceccano Campaniam & Maritimam infestat.

(a) Ep. 65.

nesteque excisum esset, non tamen ditio pontificia tumultibus vacavit. Joannes enim de Ceccano, qui ipsis adhæserat, graviores in Campania, & maritima seditiones in Pontificem concitavit (*a*). Fuerat sæpe Annibaldorum familia, cui qua Joannes oriundus erat, ecclesiæ partibus infensa: sub Clemente enim quarto contra Carolum pro Conradino steterat, pro quo facinore a Clemente damnati exilio, bonis multati, servituti expositi, posterique sacerdotiorum obtinendorum jure deturbati: (*b*) sed cum eæ pœnæ in ipsos exercitæ non fuissent, Joannes Annibaldi filius, turgidus animis, Campaniam & Maritimam invadere est meditatus: ac Terracinensibus sub Nicolao IV. in arma & seditiones versis, Joannes Annibaldus, urbis ingressu a Pontifice prohibitus, eam armis oppressit, mortuoque Nicolao IV. in Brunfortem Campaniæ & Maritimæ præsidem rebellavit, instructisque insidiis, dum Carolum Regem Ungariæ ad sedem Apostolicam euntem sequebatur, cepit; septemque Pipernates captos ex arboribus laqueo suspensos præfocavit. Demum Friderico tyranno Siciliæ contra Carolum II. favit, & Columnensibus, quamvis in eorum fautores ut in schismaticos pœnæ propositæ essent, se conjunxit; utque tot præterita mala novis cumularet, Campaniam & Maritimam, arrepta occasione, turbavit. In illum ergo Bonifacius justa iracundia concitatus, ejus bona Pontificio fisco addi-

(b) Ead. ep.

Patrata ab illo scelera.

(c) Ead. ep.

xit, (*c*) subditos sacramenti religione absolvit, testandi jure privavit, sacræ fidei censores in eum quæstionem exercere jussit: denique plurium aliarum pœnarum terrorem incussit.

IX. Erici Regis Daniæ oratores missi ad sedem Apost. a comite Hannoniæ male accepti.

Justitiæ etiam zelo Bonifacius, cum Joannes Hannoniæ comes Erici Daniæ Regis oratores, iter ad sedem Apostolicam aggressos, tradidisset vinculis, crudeliterque affecisset; dedit illi ac Philippæ uxori imperia, (*d*) ut illatam eidem sedi ac Regi Danorum injuriam sarciret.

(d) Lib. 5. ep. 160.

Ericus Dan. Rex & Christoph. frater censuris irretiti.

Cum in Regis Daniæ res oratio nostra incurrerit, non præterimus, pœnituisse Ericum Regem [1] & Christophorum illius fratrem patrati sceleris in Lundensem archiepiscopum injuria in vincula abductum, ac flagitasse, ut censuris ecclesiasticis, quibus fuerant irretiti, solverentur; eamque provinciam (*e*) a Pontifice impositam Ysarno Apostolicæ sedis nuntio, ut ipsos fidelium communioni restitueret.

(e) Ep. 157. Crantz. Dania l. 7. c. 25.

Dilecto filio Ysarno archipresbytero Carcassonensi cappellano nostro.

Fidelium cœtui restitui flagitant.

Nuper ex parte magnifici principis Erici Regis Daciæ illustris fuit nobis humiliter supplicatum, ut cum ipse, ac nobilis vir Cristophorus frater ejus, & nonnulli alii eorum in hac parte complices & sequaces, pro eo quod idem Rex per se, vel alium, seu alios, & prædicti Christophorus & alii archiepiscopum Lundensem dudum capere ac detinere captivum ausu sacrilego præsumpserunt, excommunicationis vinculo sint astricti, & terræ ipsorum Regis, & fratris ecclesiastico subjaceant interdicto; nonnulli quoque clerici terrarum earundem, pro eo quod interdictum hujusmodi non servarunt, divina officia celebrando, vel immiscendo se ipsis, irregularitatis maculam incurrisse noscantur, providere ipsis super iis de benignitate Apostolica misericorditer dignaremur. Nos igitur de ipsorum conversione lætati, volentes eis misericordiæ januam aperire favorabiliter, quia de te, quem ad dictum Regem & partes illas pro iis & aliis negotiis duximus destinandum, specialem in Domino fiduciam obtinemus, discretioni tuæ absolvendi hac vice auctoritate nostræ juxta formam ecclesiæ ab excommunicatione prædicta eosdem Regem, & fratrem, ac alios excommunicatos prædictos, cum ab eis fueris humiliter requisitus, impensa prius per ipsos satisfactione passo injuriam competenti; nec non & interdictum hujusmodi relaxandi; dispensandi quoque cum irregularibus memoratis super irregularitate præfata, injuncta eis omnibus pœnitentia salutari, prout secundum Deum animarum suarum saluti videris expedire, liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Dat. Laterani XV. *kal. aprilis anno* V. Instruxit etiam ea Ysarnum auctoritate Bonifacius, (*f*) ut censuris eos omnes, qui pacem in Dania disturbarent, defigere posset.

Data Ysarno nuntio solvendarum censur. auctoritas.

(f) Ep. 158.

Censuris devinciri jussi, qui Daniam armis turbarent.

X. Lex de conjugiis soluta ad Erici Regis gratiam.

Servandæ vero in iis regionibus pacis studio Pontifex matrimonium Regis in vetito gradu contractum firmum esse jussit, (*g*) cum si dissolveretur, gravissimorum cum Suecis bellorum periculum imponderet. *Di-*

(g) Ep. 159.

[1] Si vera tradunt veteres illi Danorum chronologi a Ludevvig reliq. tom. IX. vulgati, oratores illi, quos Ericus Romam ablegavit, ipsi fuerunt Joannes Grand Lundensis archiepisc. & Isarnus apostolicus, per ea regna nuncius. Addunt vero anonymi illi, ab iisdem oratoribus ex Urbe redeuntibus totum regnum subjectum fuisse interdicto, quod duravit annis IV. & hebdomadis X. cessavit enim, *iisdem* adnotantibus, anno 1303. in cœna Domini. An tamen vera ab illis tradantur, suspicor; nam interdictum illud latum mense februario hujus anni scriptores illi affirmant; cur igitur eodem anno mense martio pontifex datis ad Isarnum literis mandat illi ut resipiscentem Henricum cum ecclesia reconciliet? Quæ ergo de *interdicto* hoc anrepsit in chronologiam illorum, quoad mensem lati interdicti. Scribebant illi medio sequenti sæculo; adeoque Crantzio longe antiquiores sunt. MANSI

Dilecto filio Ysarno archipresbytero Carcassonensi cappellano nostro.

Cur duxisset Ingeburgem Birgeri Regis filiam.

*Licet matrimonii contractum in quarto consanguinitatis, vel affinitatis gradu sacri canones interdicant, consuevit tamen interdum sedes Apostolica super hoc devotorum, & maxime personarum sublimium inducta precibus dispensare. Petitio quidem Erici illustris Regis Daciæ nobis exhibita continebat, quod cum olim post mortem claræ memoriæ Erici Regis Daciæ patris sui, per potentiam & malitiam inimicorum ejus regnum oppressum foret multipliciter & collapsum, Rex pro tuitione ac defensione sua & dicti regni, charissima in Christo filia Ingeburgh sorore charissimi in Christo filii nostri Birgeri Regis Sueciæ illustris, de cujus præsidio propter hoc plurimum confidebat, matrimonium per verba de præsenti contraxit, ac etiam consummavit, & jam per plures annos cohabitavit eidem. Verum cum ipse Ericus ac dicta Ingeburgh quarto consanguinitatis gradu ad invicem se contingant, & ex eorum separatione, si fieret, maxima scandala, odia, & guerræ possent de facili exoriri; fuit nobis pro parte * humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de dispensationis gratia misericorditer dignaremur.*

Contingebat illam quarto consanguinitatis gradu.

* ipsorum

Cum igitur te ad dictum Regem Daciæ ac ad partes illas pro certis negociis duxerimus destinandum, discretioni tuæ, de qua fiduciam gerimus in Domino pleniorem, dispensandi auctoritate nostra cum eisdem Erico Rege & Ingeburgh, postquam idem Rex Ericus ab excommunicationis sententia, qua propter captionem, & detentionem venerabilis fratris nostri I. archiepiscopi Lundensis per eum vel officiales suos factas noscitur alligatus, juxta commissionem per alias nostras literas tibi factam per te rite fuerit absolutus, ut in hujusmodi matrimonio licite remanere valeant, prolem etiam susceptam, vel suscipiendam ex eis ex matrimonio supradicto nuntiandi legitimam, impedimento consanguinitatis hujusmodi non obstante; plenam & liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Dat. Laterani XV. *kal. aprilis an.* V.

Suscepti ex eo matrimonio liberi legitimi pronunciati.

(*a*) Ep. 62.

Auxit (*a*) etiam legatum ea potestate ad Erici Regis gratiam, ut postquam ipsum piorum consortio aggregasset, eidem permitteret, ut in locis interdictis sacrorum usu divinam rem coram se peragendam curaret: *Libere*, inquit, *sibi auctoritate nostra valeas indulgere, quod quoties eum pervenire contigerit ad loca ecclesiastico supposita interdicto, possit sibi & familiæ suæ, & aliis comitantibus eos, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, submissa voce, in cappella sua per cappellanum proprium facere divina officia celebrari; dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec id contingat eis per sedem Apostolicam specialiter interdici; liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Dat. Laterani id. martii anno* V. Permisit etiam legato, uti Regi ad alendam pietatem eam facultatem concederet, ut ante surgentem lucem divina a suo cappellano celebrari juberet; verum ea lege, quam mox subjecit: *Proviso tamen, ut Rex parce hujusmodi concessione utatur, quia cum in altaris officio immoletur noster dominus Dei Filius Jesus Christus, qui conditor est lucis æternæ congruit illud non in noctis tenebris fieri, sed in luce. Dat. Laterani id. martii anno* V. Agit de hac legatione Crantzius, & tradit vocatum ad Lundensem archiepiscopatum regio studio Ysarnum postea ab ea ecclesia quam vitio erat consecutus ad Salernitanam traductum (*b*).

(b) Crantz. Dan. l. 7. c. 25.

XI. Estonia infestata a barbaris.

Infestantibus per ea tempora infidelibus Christianos Estoniæ, qui Daniæ Regi erant obnoxii, & Bonifacius Rigensi archiepiscopo, & Tharbacensi Osiliensique episcopis provinciam injunxit (*c*), ut Danis contra barbaros pugnaturis operam omnem, ac studium explicarent, nec religionem Christianam labefactari in iis regionibus paterentur.

(c) Lib. 5. ep. 164.

Venerabilibus fratribus Rigensi archiepiscopo, & Tharbacensi & Osiliensi episcopis.

Paganorum horrenda perfidia, statui Christianæ religionis infesta, fidelium avida turbare quietem, contra magnificum principem Ericum Regem illustrem Daciæ ac vassallos ejus in terra Estoniæ frequenter sicut accepimus, ausibus contumeliosis insurgit, ipsos impugnare præsumens, & satagens exterminare vassallos, ut per eorumdem potentiam paganorum super terram, quod absit, nefariis conatibus dilatetur. Quantum autem detestabile ac perniciosum existeret, quantumve Christicolis, & maxime vobis & aliis illarum partium in dispendium & opprobrium redundaret, si, quod avertat Altissimus, pagani prædicti prævalerent ibidem, & innatæ nequitiæ venena diffunderent, circumspectio vestra neglectui non debet exponere; sed sic considerare prudenter, quod zelus amoris Domini, & cultus fidei Christianæ in vestris ferventer insidere præcordiis dignoscantur.

Concessa Erico Regi nonnulla privilegia.

Quare fraternitatem vestram rogamus & obsecramus in Domino, per apostolica vobis scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus efficacibus studiis, ac viis & modis, de quibus expedire videritis, hujusmodi paganorum nefandis conatibus obviantes, præfatis vassallis ejusdem Regis Daciæ pro defensione dictæ terræ Estoniæ, ac dilatatione fidei memoratæ in eis sic prudenter, sic efficaciter assistatis, quod per

Imposita Rigensi archiep. indicendæ religioseæ adversus infideles militiæ provincia.

ſtudia veſtra fides & religio Chriſtiana habebant inibi, divini auxilii potentia ſuffragante, triumphum, voſque per hoc retributionis æternæ præmium, & laudis humanæ præconium, conſequi plenius valeatis, & conſtituatis Regem ipſum proceſſu temporis in noſtris beneplacitis debitorem. Datum Laterani XV. *kalend. aprilis anno* V.

XII. Greg. archiep. Strigon. Ungar. pacandæ juſſus incumbere.

Intulerant etiam infideles Ungariæ atrociſſimas clades, ac florentiſſimum olim regnum in ſolitudinem redegerant: cujus funeſtum ſtatum ita Pontifex in literis ad Gregorium Strigonienſem archiepiſcopum deſignatum, quibus adeptam ei dignitatem aſſerit, juberque tot tantiſque malis medendis incumbere, ita deſcribit (*a*): *Proh dolor! Dum in præſentiarum regnum ipſum*, nimirum Ungariæ, *reſpicimus, & miſerabilem ſtatum ejus, & quantum a priori felici ſtatu defluxit, & a ſtatu cecidit glorioſo, diligentius intuemur, formidamus merito, & valde timemus, ne regnum ipſum temporaliter in magna diſpendia, & ſpiritualiter in magna pericula dilabatur: quibus niſi dextera Domini faciente virtutem, & per Apoſtolicæ ſedis providentiam obvietur, regnum idem vix adiciet ut reſurgat. Eſt namque circumdatum ſchiſmaticis, hæreticis, & paganis, ac eorum incurſibus frequenter invaſum: numeroſitas populorum in ipſo quodammodo ad puſillum gregem redacta: ſedent quaſi ſola in eo nonnullæ civitates & loca, quæ olim populis erant plena, pluribus interemptis, & multis in captionem deductis. Hæc dum mente revolvimus, & oculis magnæ compaſſionis aſpicimus, movemur ad lacrymas, ad quærenda remedia ſtimulamur, & ſurgere cogimur ad providendum, quod ſæpedictum regnum habeat bonum ſtatum; maxime ut in fide catholica, & Apoſtolicæ ſedis reverentia perſeveret, &c. Dat. Later.* V. *kal. febr. an.* V.

(*a*) *Lib.* ep. 37.

Infelix illius ſtatus.

XIII. Diſcordia Andream inter & Carolum conciliata.

Ad conjungendas adverſus religionis hoſtes in Ungaria Chriſtianorum vires confirmandaſque Bonifacius, cum alii Carolum Ladiſlai poſtremi Regis e ſorore adhuc ſuperſtite pronepotem, alii Andream Venetum remotiorem gradu ad ſolium vocarent, eam iniit concordiæ rationem, ut Carolum, Regem habendum cenſuerit (*b*); Andreæ vero regni Ungarici adminiſtrationem confirmarit (*c*): quod facile ex literis ipſius colligitur, cum in iis ad Carolum Regis Ungariæ nomine exornet, Andream vero non Regem appellet, ſed addat hæc verba: *Qui Rex Ungariæ nominatur*, atque a proceribus Ungaris illius imperia in regno adminiſtrando excipi juſſerit, incuſſis etiam iis cenſuris, ſi Andreæ parere detrectaſſent. Quas cum Joannes comes Caſtri Ferrei contraxiſſet, poſceretque veniam, Pontifex Gregorio Strigonienſi partes dedit, ut illum cenſuris liberaret (*d*).

(*b*) *Ep.* 65. (*c*) *Ep.* 92.

Electo Strigonienſi.

(*d*) *Ead. ep.* 92.

Porrecta nobis ex parte nobilis viri Joannis comitis Ferrei caſtri Jaurienſis diœceſis, nati quondam Henrici Bani de Ungaria, petitio continebat, quod cum ipſe olim venerabili fratri noſtro Joanni Auximano tunc epiſcopo & in partibus illis Apoſtolicæ ſedis nuntio, fidem & devotionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ debitam obſervare cum reverentia promiſiſſet; ita quod nulli tanquam Regi Ungariæ pareret, aut intenderet, ſeu obediret niſi deſtinato, ſeu approbato a ſede prædicta; quia tamen obedientiam & reverentiam Andreæ, qui Rex Ungariæ nominatur, ignorans ipſius regimen per ſedem approbatum eamdem, noluit exhibere, tam idem nobilis vir, quam ſui complices & fautores per bonæ memoriæ L. archiepiſcopum Strigonienſem, & Taurienſem & Vveſprimienſem epiſcopos, ac alios ſuos ſuffraganeos fuerunt auctoritate ordinaria excommunicationis ſententia innodati: quare ex parte ipſius nobilis fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ſibi, & eiſdem complicibus & fautoribus de abſolutionis beneficio provideri miſericorditer faceremus. Nos igitur, ipſorum ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, per te vel per alium præfatos nobiles, complices, & fautores a dicta excommunicationis ſententia ad cautelam juxta eccleſiæ formam abſolvas, injungens eorum cuilibet, quod pro ipſorum ſalute tua diſcretio eis viderit injungendum. Dat. Laterani IV. *id. martii anno* V.

Andreas ut regni Ung. adminiſtrator, non ut Rex a ſede Ap. confirmatus.

Joannes comes Caſtri Ferrei, ob denegatum obſequium cenſuris deſixus petita venia, abſolvitur.

Excitum ab Ungaris Carolum, conſentit Bonfinius (*e*), quorum principes ait Joannem & Henricum Banos fuiſſe, quos perperam conjuratos in Andream vocat, additque flagitantibus iis a Pontifice Carolum Regem, in Cardinalium conſiſtorio Ungaricam coronam illi adjudicatam, hujuſque decreti auctoritate ipſum regni poſſeſſionem iniiſſe: *A Bonifacio*, inquit, *Pontifice maximo Carolum puerum per legatos expoſcunt, Pontifex non ſolum procerum efflagitatione, ſed inſtigante Siciliæ Rege, qui hereditario jure per filium ad ſe regnum pertinere arbitrabatur, in medio ſenatu Carolum Caroli Siciliæ Regis filium, vix annum adhuc natum undecimum, Pannonibus mittendum eſſe cenſuit: atque ſuper hac re graviſſimum apoſtolici ſenatus conſultum factum eſt, cujus auctoritate Carolus anno ſalutis ducenteſimo nonageſimo nono ſupra milleſimum, vivente adhuc Andrea Rege, in Ungariam venit.* Erepto dein e vivis Andrea, maximæ de regno Ungarico contentiones exarſere, cum finitimi principes illud exambirent: qua de re inferius. Nunc ad turbas Scoticas ſermonem traducamus.

(*e*) *Bonif. dec.* 11. *l.* 9.

XIV. Cur Eduardus Angliæ Rex bellum Scotis intulerit.

Movebat in Scotiam magno armorum terrore Eduardus, ut illud regnum, quod Angliæ ſtipendiarium contendebat, ſuæ ditioni ſubiiceret: captiſque nonnullis oppidis, viros quoſdam eccleſiaſticos in carcerem compegerat, quorum aliqui ex incommodis, quæ erant paſſi, lucem reliquerant. Quæ res ubi ad Bonifacium pervenit, mox tuendi juris pontificii, quod ſedes Apoſtolica in Scotiam obtinet, cupidus, Eduardo prolixioribus literis oſtendit (*a*), Scotiam Angliæ nullo modo ſtipendiariam eſſe: ac ſi aliqui principes, quibus regni erat commiſſa cuſtodia, aliquid Scotiæ libertati contrarium tentaſſent, ea ut vi & metu, qui in conſtantem caderet, extorta penitus convellenda ac labefactanda eſſe.

(*a*) *Lib.* 5. *ep.* 466.

Suſcipit Scotorum cauſam Bonifac. atque Eduardum bello abſtinere jubet. Datæ eo argumenti.

Eduardo Regi Angliæ illuſtri.

Scimus, fili, & longi jam temporis ſpatio magiſtra nos rerum experientia docuit, qualiter erga Romanam matrem eccleſiam, quæ te gerit in viſceribus charitatis, regiæ devotionis affectus exuberat, reverentiæ zelus viget; quodque promptus, & ſedis ejus votis obtemperans, beneplacitis acquieſcis: quamobrem firmam ſpem gerimus, plenamque fiduciam obtinemus, quod regalis ſublimitas verba noſtra benigne recipiat, diligenter intelligat, efficaciter proſequatur. Sane ad celſitudinem regiam perveniſſe, & in tuæ libro memoriæ nequaquam ambigimus contineri, qualiter ab antiquis temporibus regnum Scotiæ pleno jure pertinuit, & adhuc pertinere dignoſcitur ad eccleſiam ſupradictam, quodque illud, ſicut accepimus, progenitoribus tuis regni Angliæ Regibus ſive tibi feudale non extitit, nec exiſtit; qualiter etiam claræ memoriæ Henricus Rex Angliæ pater tuus tempore diſcordiæ, ſive guerræ inter ipſum & quondam Simonem de Monteforti, ſuoſque fautores, ac complices ſuſcitatæ a recolendæ memoriæ Alexandro ejuſdem Scotiæ Rege, ac ipſius Henrici genero auxilium ſibi petiit exhiberi: & ne hujuſmodi auxilium jure cujuſlibet ſubjectionis, aut debiti petitum ſeu præſtitum notaretur; præfatus Henricus eidem Regi Scotiæ ſuas patentes duxit literas concedendas, per eas firmiter recognoſcens prædictum auxilium ſe recepiſſe, vel recepturum dumtaxat de gratia ſpeciali.

Scotiam antiquitus non Angliæ ſed Apoſtolicæ ſedis beneficiariam exponit.

Præterea cum ſucceſſu temporis præfati Regis Scotiæ tui ſororii, tunc viventis, in tuæ coronationis ſolemniis habere præſentiam affectares, ſibi per tuas patentes cavere literas curaviſti, quod in ipſis ſolemniis ejus habere præſentiam non ex debito, ſed tantum de gratia intendebas. Et cum etiam Rex ipſe pro Tyndaliæ ac de Peynerre terris in regno Angliæ poſſitis, ſe ad tuam præſentiam perſonaliter contuliſſet, tibi fidelitatem ſolitam impenſurus, idem in præſtatione fidelitatis hujuſmodi, multis tunc præſentibus, vivæ vocis oraculo publice declaravit, quod pro terris eiſdem ſitis tantum in Anglia non ut Rex Scotiæ, neque pro Scotiæ regno fidelitatem exhibebat eamdem; quinimo palam extitit proteſtatus, quod pro regno ipſo tibi fidelitatem præſtare, ſeu facere aliquatenus non debebat, utpote tibi penitus non ſubjecto: tuque ſic oblatam fidelitatem hujuſmodi admiſiſti.

Henricum Regem Eduardi parentem publicis literis faſſum, Scotos ſibi non obnoxios.

XV. Extincto Alexandro, regni cuſtodiam non ab ipſo, ut ſupremo domino, ſed a Scotis ſuſceptam.

A tua quoque creditur non excidiſſe memoria, qualiter eodem Rege Scotiæ ſublato de medio, quondam Margarita puella nepte tua, tunc minoris ætatis herede ſibi relicta, non ad te, velut ad dominum regni pervenit cuſtodia memorati, ſed certi ejuſdem regni proceres ad ejus electi cuſtodiam extiterunt: quodque poſtmodum, diſpenſatione ab Apoſtolica ſede obtenta ſuper matrimonio contrahendo inter dilectos filios nobilem virum Eduardum natum tuum & Margaritam prædictam, dum viveret, ſi ad id procerum dicti regni accederet, vel haberetur aſſenſus, tu eiſdem proceribus per tua ſcripta caviſſe dignoſceris, priuſquam vellent hujuſmodi matrimonio conſentire, quod regnum ipſum penitus liberum, nullique ſubjectum, ſeu quovis modo ſummiſſum in perpetuum remaneret; quodque in priſtinum ſeu talem ipſius ſtatum reſtitueretur omnino, ſi ex hujuſmodi matrimonio contrahendo liberos non extare contingeret, ac nomen & bonorum ut prius pariter retineret, tam in ſuis ſibi ſervandis legibus, & præficiendis officialibus dicti regni, quam parlamentis tenendis, tractandis cauſis in ipſo, & nullis ejus incolis extra illud ad judicium evocandis; & quod in tuis patentibus literis, inde confectis, hæc plenius & ſerioſius contineri noſcuntur.

In tractando Eduardi cum Margarita, dum viveret, matrimonio faſſum, Scotiam Angliæ ſtipendiariam non eſſe.

XVI. Sublata Margarita, proceres literas ab ipſo exegiſſe, quibus Scotiæ juribus cautum eſſet.

Præfata inſuper Margarita de præſenti luce ſubtracta, & tandem ſuper ſucceſſione ipſius regni Scotiæ ſuborta diſſenſionis materia inter partes, ipſius regni proceres, metuentes dictoque regno poſſe occaſione hujuſmodi præjudicium generari, non aliter ad tuam præſentiam extra ipſius regni accedere limites voluerunt, niſi per te patenti ſcripto caveretur eiſdem, quod id non fiebat ex debito, ſed ex gratia ſpeciali; quodque nullum exinde ipſius regni libertatibus poſſet diſpendium imminere. Et licet, ut dicitur, ſuper ſtatu ejuſdem regni Scotiæ, ac ejus partis habita libertate, regno ipſo tunc carente præſidio defenſoris per ipſius regni proceres, tunc velut acephalos, & ducis vel auriga ſuffragium non habentes; ſive per illum, cui præfati regni regimen, licet indebite, diceris commiſiſſe, contra morem ſolitum aliqua fuerint hactenus innovata; ea tamen, utpote per vim & metum, qui cadere poterat in conſtantem, elicita ne-

Si quid novatum, poſtea a proceribus, id vi & metu extortum, non conſiſtere.

quatquam debent de jure subsistere, aut in ejusdem regni præjudicium redundare.

XVII. Romanos Pontifices, cum in Angl. legatos mittunt, variis literis in Scotiam legationem committere.

Cæterum nobis nullatenus venit in dubium, quin potius certi sumus, quod cum Apostolicæ sedis præcellens auctoritas per tuas literas in Angliæ ac Scotiæ regnis simul alicui legationis committit officium exequendum, vel pro quavis causa, quam rationabilem reputat, decimæ solutionem indicit, hujusmodi apostolicæ literæ ad præfatum Scotiæ regnum se aliquatenus non extendunt; speciali prædictæ sedis privilegio Scotis indulto penitus obsistente, prout tempore felicis recordationis Adriani Papæ prædecessoris nostri, tunc Adriani diaconi Cardinalis, & per ipsius sedis literas simul in regnis ipsis legati, cum quo familiariter tunc eramus, contigit evidenter: nam legatus ipse ad præfatum regnum Scotiæ aliquatenus admissus non extitit, donec per literas apostolicas speciales sibi legationis fuit commissum officium in eodem.

Scotiam beneficio reliquiarum S. Andreæ ad fidem conversam. Eboracensem arch. contendentem, Scotos sibi ut metropolitano obnoxios, causa excidisse.

Præterea nosse potest regia celsitudo, qualiter regnum ipsum per B. Andreæ Apostoli venerandas reliquias, non sine superni Numinis grandi dono, acquisitum & conversum extitit ad fidei catholicæ unitatem; qualiter etiam antiquis temporibus Eboracensis archiepiscopus, qui tunc erat, mota per eum super jure metropolitico adversus prælatos Scotiæ quæstione, in qua dictum antiquitas fuisse commemorat: Memento quod sumus tui; ut cætera quæ inde sequuntur silentio relinquamus, pro se sententiam obtinere nequivit; quamvis alia plura & varia, quæ in hac parte rationabiliter proponenda se offerunt, ex quibus etiam ad hæc tibi scribenda movemur, prætereat calamus, ne inde forsitan sensibus regiis tædium generetur.

XVIII. Pendere supremum Scotiæ imperium a sede Ap. nec illud invadere licuisse.

Hæc profecto, fili charissime, infra claustra pectoris solicite considerare te convenit, & attendere diligenter, ex quibus nulli in dubium veniat, regnum Scotiæ prælibatum ad præfatam Romanam ecclesiam pertinere, quod tibi nec licet, nec licuit in ipsius ecclesiæ ac multorum præjudicium per violentiam subjugare, tuæque subticere ditioni. Cum autem, sicut habet fide digna, & nostris jam pluries auribus inculcata relatio, famæque præcurrentis afflatibus divulgatur, tu præmissa, ut debueras, non attendens, neque debita consideratione discutiens; & ad occupandum & subjugandum ditioni regiæ regnum ipsum, tunc Regis auxilio destitutum, vehementer aspiraus, & tandem ad id exercens potentiæ tuæ vires; venerabilibus fratribus nostris Roberto Glasguensi, & Marco Sodorensi episcopis, & nonnullis clericis, & aliis personis ecclesiasticis dicti regni, ut dicitur, captis & carceralibus vinculis traditis, quorum aliquos, sicut asseritur, squallor carceris violentus extinxit; ac etiam occupatis castris; & prout fertur, monasteriis, aliisque religiosis locis quampluribus diruris seu destructis, ac damnis gravibus ejusdem regni habitatoribus irrogatis; in ejusdem regni partibus officiales regios posuisti, qui prælatos, cæteros clericos, & ecclesiasticas, ac etiam seculares personas dicti regni multimodis perturbare molestiis, & afflictionibus variis & diversis impetere non verentur, in divinæ majestatis offensam, sedis memoratæ contemptum, regiæ salutis & famæ dispendium, juris injuriam, & grave scandalum fidelium plurimorum.

Injuste Glasguensem & Sodorensem episcopos traditos vinculis.

Grassati regios administros in Scoticam ecclesiam.

Regulem itaque magnificentiam rogamus & hortamur attente, ac obsecramus in eo, qui est omnium vera salus, quatenus solerter attendens, quod ex debito pastoralis officii nostris humeris incumbentis, ad conservanda & gubernanda solicite bona juraque omnia ecclesiæ suprædictæ tenemur, quodque homini plusquam Deo deferre non possumus, nec debemus; prædictos episcopos, clericos, & personas ecclesiasticas, quos adhuc carcer regius tenet inclusos, pro divina & Apostolicæ sedis, ac nostra reverentia, subluto difficultatis & dilationis objectu; benigne restitui facias pristinæ libertati; dictosque officiales de regno Scotiæ revoces memorato; sic te in iis, prout speramus, & cupimus promptis, & efficacibus studiis habiturus, ut apud cœlestem Regem pro minimis grandia rependentem, non immerito reddaris acceptior, gratior habearis, & præter laudis humanæ præconium, tibi proinde proventurum, Apostolicæ sedis favorem & gratiam possis uberius promereri. Si vero in eodem regno Scotiæ, vel aliqua ejus parte jus aliquod habere te asseris, volumus quod tuos procuratores & nuntios, ad hoc specialiter constitutos, cum omnibus juribus & munimentis tuis, hujusmodi negotium contingentibus, infra sex menses a receptione præsentium numerandos, ad nostram præsentiam mittere non omittas; cum parati sumus tibi, tamquam dilecto filio, plene super præmissis exhibere justitiæ complementum, & si quæ jura habes, inviolabiliter observare. Nos enim nihilominus ex nunc lites, quæstiones, & controversias quaslibet inter te dictumque regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos, & personas seculares ejusdem subortas; & quæ possunt in posterum ex quibusvis causis præteritis exoriri; totumque negotium prædicta contingens, aut aliquod eorundem; ad cognitionem, & determinationem sedis ejusdem præsentium tenore reducimus, & etiam reservamus: decernentes irritum & inane, si secus scienter vel ignoranter a quoquam in hac parte contigerit attentari. Dat. Anagniæ v. kal. julii anno v.

Jubet Eduardum Bonifacius ecclesiasticos Scotos e carceribus dimittere.

Sua jura apud sedem Ap. disceptare.

Eodem argumento alias ad Cantuariensem archiepiscopum literas dedit, (a) quibus

XIX. (a) Ep. 465.

bus Eduardum Regem monere jussit, ut præsules & clericos vinculis relaxaret, suosque e Scotia administros revocaret; ac si aliquod in Scotiam jus obtinere contenderet, controversiamve aliquam cum regno Scotiæ exerceret, causam apud sedem Apostolicam disceptaret.

Archiepiscopo Cantuarienst.

Lit. ad Cantuar. archiep.

Frequens & inculcata fide dignorum assertio, ac famæ divulgantis eloquium nostra patefecerunt auditui excessus, molestias, turbationes, damna injurias, & jacturas per charissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem, & officiales, ac gentem ipsius contra regnum Scotiæ ac prælatos, & clericos & personas ecclesiasticas, religiosas & seculares; nec non ecclesias, monasteria, & alia religiosa loca, & habitatores ac incolas dicti regni, & bona eorum etiam attentata. Nosque nolentes, sicut nec debemus, talia sub dissimulatione transire, Regem ipsum per alias nostras, quas tibi mittimus, per te præsentandas eidem seriosas hortamur literas, ut episcopos, clericos, & personas ecclesiasticas dicti regni, quos adhuc tenere dicitur captivatos, restitui faciat pristinæ libertati, & officiales revocet, quos in eodem regno asseritur posuisse; quodque ad præsentiam nostram suos mittat procuratores & nuncios cum omnibus juribus & munimentis suis, si crediderit in præfato regno, vel aliqua ejus parte jus aliquod se habere; ac nihilominus lites, quæstiones, & controversias quaslibet inter ipsum Regem, & prælibatum regnum Scotiæ, ac prælatos, clericos, & personas seculares ejusdem regni subortas; & quæ possunt in posterum ex quibuscumque causis præteritis exoriri, totumque negocium, ad decisionem & determinationem sedis Apostolicæ per dictas nostras reducimus literas, & etiam reservamus; ac decernimus irritum & inane, si secus scienter vel ignoranter a quoquam in hac parte contigerit attentari. Quocirca fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab administratione spiritualium & temporalium districte præcipiendo mandamus, quatenus præfatas literas nostras eidem Regi, sublato dilationis obstaculo, repræsentes: ac ipsum ad ea, quæ sibi scribimus, & ut nostris exhortationibus acquiescat, efficaciter animes & inducas. Diem quoque, quo sibi prædictas præsentaveris literas, & quicquid feceris, quidve ipse responderit, & fecerit in hac parte, nobis per tuas patentes literas harum seriem continentes fideliter & seriosius intimare procures. Dat. Anagniæ IV. kalen. junii anno v.

Ut monere eundem Regem sit jussus, ne vexaret Scotiam.

Causam apud subsellia apostolica disceptaret.

XX. (a) Westmon. Flor. hist. ad an. 1301.

Affert Westmonasteriensis (a) superiores Bonifacii ad Anglorum Regem datas literas, cum quas ad archiepiscopum Cantuariensem misit, tum ejusdem archiepiscopi ad Bonifacium scriptas, quibus demandatum sibi munus non sine multis laboribus, multa honoris & observantiæ significatione impleviisse ac Regem apostolicas literas excepisse certiorem facit. Addit auctor Regem, perlectis Bonifacii literis, archiepiscopo interpretis opera significasse, rem Scoticam, de cujus supremo dominio agebatur, non tantum ipsum, sed universos etiam Anglos attingere, proinde Pontifici sine procerum consilio respondere non posse; dein e Scotia revocato exercitu Lincolniæ ordinum conventum coegisse. Licet vero hunc conventum anno tantum MCCCI. celebratum colligatur ex anno, qui regiis & procerum literis ad Pontificem datis ascriptus est; ad prosequendam tamen institutam orationem, quid ex iis procerum comitiis Bonifacio responsum sit, asseremus. In suis ergo literis Eduardus demonstrare nititur Bonifacio longa exemplorum inductione, ac serie Regum Scotorum, qui vetustis ac recentibus ætatibus clientum officia demisse Anglorum Regibus præstiterunt, Scotiam Angliæ stipendiariam esse: ultimum vero Scotorum Regem Joannem fidei sacramento pariter se ipsi obstrinxisse, violataque postea fide in Angliam hostili furore excurrisse, inter cætera immania flagitia natos cum puerperis trucidasse, ac ducentos infimæ ætatis clericos inclusos flammis dedisse: plura alia scelera Scotos in ipsum molitos; demum se felicem victoriam de Scotis retulisse, regnumque illud cedente sibi Joanne ut supremo domino, Angliæ adjunxisse: cæterum postea, si qui præsules ac proceres Scotiæ rebellarunt, se tamquam ipsorum Regem ultionem de perduellibus expetiisse, ac jura regia exercuisse. Adiicit auctor, Eduardum ad ea, quæ scripserat Bonifacius, ut si jus aliquod in Scotiam obtinere contenderet, illud coram sede Apostolica disceptaret, non respondisse; sed proceres literas, quas ille affert, dedisse. In quibus, Scotiam Angliæ non alteri cuiquam fiduciario jure devinctam contendunt, Regesque Angliæ coram nullo principe, ecclesiastico vel sæculari in judicium descendere teneri, ac si procuratores ad sedem Apostolicam ob id mitterentur, regni libertati detractum iri: nec etiam si Rex rem adeo novam tentaret, ipsos unquam passuros. A quo etiam Eduardus alienum se ostendit, dum literarum titulo hæc præfixit: *Infrascripta non in forma nec in figura judicii, sed omnia extra judicium.*

Porrectæ Eduardo hæ lit. in Scotia a Cantuar. archiep.

Eduardi responsum.

Celebrati Lincolniæ ordinum conventus.

Scotiam Angliæ obnoxiam esse contendit Eduard. Rex.

Parta de hoste victoria, adjunctam Angliæ Scotiam.

XXI. Joannes Baliolus vinculis laxatus.

Cæterum Eduardus Joannem Baliolum olim Regem Scotiæ ad pontificias preces custodia laxavit, atque episcopi Vicentini Apostolicæ sedis nuntii potestati permisit. Baliolus vero gravissimo jurejurando se obstrinxit, e loco, in quo versare-

saretur, designato fine Pontificis voluntate non discessurum, ne si abiret in Scotiam, nova bella concitaret. Qua de re subjectæ tabulæ editæ fuere. (a)

(a) Ext. in archivo molis Adrianæ & lib. privil. Rom. eccl. to. 2. p. 288. & inter collect. Plat. t. 1. p. 264.

Instrumentum obligationis domini Joannis de Baliolo, dicti Regis Scotiæ, de parendo nuncio Papæ propter causam, pertinentem ad ipsum & Eduardum Regem Angliæ, a quo fuerat intercessione sedis Apostolicæ ipse Joannes liberatus.

In nomine Domini amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo ducentesimo nonagesimo nono, indictione duodecima, die decima octava mensis julii, pontificatus domini Bonifacii Papæ VIII. anno quinto, in præsentia reverendi patris domini R. Dei gratia episcopi Vicentini Apostolicæ sedis nuntii, præsentibus venerabili patre domino Joanne episcopo Carcassonensi, & magnifico viro domino Jacobo de Castellione, domino de Leussa & de Condeto, ac domino Petro de Bellapertica canonico Bituricensi nunciis excellentissimi domini Philippi Regis Franciæ illustris; nec non in præsentia mei notarii, & testium subscriptorum constitutus magnificus vir dominus Joannes de Baliolo, dictus Rex Scotiæ, * asserit *asserens se liberum & libere assignatum ob reverentiam sanctissimi patris domini Bonifacii summi Pontificis ex parte excellentissimi domini Eduardi Regis Angliæ illustris in manibus, potestate, & arbitrio dicti domini episcopi Vicentini, vel alterius ab ipso domino Papa super hoc mandatum habentis; & ire cum dicto episcopo Vicentino, vel cum alio, vel aliis, prout dictus dominus episcopus Vicentinus ordinabit eidem semel & pluries; ac stare & manere in loco seu locis, in quo vel quibus dictus dominus episcopus Vicentinus eum manere, ac stare duxerit ordinandum; & non recedere aliquo modo vel causa ab ipso domino episcopo Vicentino, vel ab alio seu aliis, vel a loco seu locis in quo vel quibus positus esset per eum, vel sibi mandaretur, quod staret sine speciali ejusdem domini episcopi Vicentini licentia & assensu, vel alterius, qui super hoc haberet cum vera bulla dicti domini Papæ speciale mandatum, donec dictus dominus Papa de persona ipsius aliter duxerit ordinandum.*

Ad Romani Pontificis preces.

Spondet designati loci metas non egressurum.

Pro quibus omnibus & singulis firmiter observandis, & adimplendis dictus dominus Joannes, dictus Rex Scotiæ, in manibus dicti domini episcopi Vicentini recipientis, ut dictum est, submisit & obligavit sponte & libere personam suam, & omnia bona sua, jura, & actiones præsentia & futura, ubicumque sunt vel esse possent, specialiter Romanæ ecclesiæ & dicto domino Papæ; ita quod si prædicta omnia & singula non fecerit, & non observaverit plene, ut dictum est, nomine pœnæ omnia bona sua, ubicumque sunt vel essent, deveniant ipso facto in jus & potestatem dicti domini Papæ, & sint Romanæ ecclesiæ confiscata, & contra personam suam procedatur, & procedi possit tamquam contra perjurum, contumacem & inobedientem Romanæ ecclesiæ, & dicti domini Papæ. Insuper ad majorem firmitatem omnium præmissorum dictus dominus Joannes, dictus Rex Scotiæ, juravit ad sancta Dei Evangelia omnia & singula suprascripta, ut dictum est, facere & inviolabiliter observare. Actum apud Voissant de regno Franciæ supra mare in hospitio Joannis Stevari, &c. Adjecta sunt testium nomina, quæ prætermittimus. At de his satis: nunc quæ ad jura ecclesiastica in cæteris regnis asserenda Bonifacius præstiterit, prosequamur.

XXII.

Opprimente Cameracensis ecclesiæ jura Roberto comite Attebatensi, Pontifex illum monuit, (b), ut controversiam apud subsellia Apostolica disceptaret. (b) Lib. 5. ep. 395.

Comiti Atrebatensi.

Atrebaten. comes Cameraci partem, episcopo obnoxiam, occupat.

Querelam gravem Cameracensis ecclesiæ, dolore non vacuam, sed suspiriis plenam, & onustam dispendiis, non sine amaritudine cordis recepimus continentem, quod tu non contentus propriis limitibus, & finium tuorum prædecessorum transgressor, partem Cameracensis civitatis ad ipsam ecclesiam proculdubio non solum spiritualiter, sed pleno jure etiam temporaliter pertinentis, quam tunc ipsa, prout est notorium, possidebat ecclesia, sicut & ante possederat a tempore, cujus non existit memoria, invasisti, occupasti violenter, & detines occupatam: propter quod ecclesia sæpefata a nobis suppliciter petiit, ut opportunum contra hæc adhibere remedium dignaremur.

Monetur a Bonif. ut sua ecclesiis jura restituat.

Nos igitur qui quanto te sinceriori diligimus charitate, & amore intimiori prosequimur, tanto affectione desideramus majori, quod erga ecclesiam efficiaris devotior, crescas virtutibus, & piis actionibus amplieris, ut Deo gratior reddaris & nobis, volentes sic benigni patris morem tenere, quod justi judicis non deseramus officium; nobilitatem tuam rogamus, hortamur in Domino, & paterne monemus quatenus partem eamdem liberam memoratæ dimittens ecclesiæ, ipsam ulterius non molestes, vel turbes, aut quoquo modo impedias, quo minus quiete & pacifice illam possideat sicut prius: ac deinde, si quod jus in ea forte prætendis habere, illud contra eamdem ecclesiam coram nobis, tibi paratis justitiam reddere, prosequaris: non tua auctoritate id facias, quod recti vigore judicii consequi te oportet. Quod si hujusmodi rogaminibus, exhortationibus, & monitis nostris salubribus exauditionis forsitan aures, charissime fili, quod absit, te non præbere contigerit, damus, quia sine Dei offensa hoc præterire non possumus, dilectis filiis S. Martini Tornacensis

Postulatur judicio apud sedem Apost.

sis, & S. Sepulcri Cameracensis, ac de sancto Amando in Pabula Tornacensis diœcesis monasteriorum abbatibus per nostras literas in mandatis, quod te peremptorie citare procurent, ut per te vel procuratorem idoneum sufficienter instructum cum omnibus juribus, & munimentis tuis, hujusmodi negocium contingentibus, compareas coram nobis, facturus & recepturus super iis, quod jus dictaverit, & ratio suadebit. Dat. Laterani XVI. *kal. januarii anno* V. [1]

Gravissimis verbis a Bonifacio corripitur.

Profecto non sunt hæc, quæ pro multis, & magnis per nos impensis tibi gratiis te putavimus Gallicanis ecclesiis munera impensurum; non unquam talia de regali credidimus gratuitate manare, quæ Deum proculdubio provocant, & homines scandalizant. Non ex iis, vel aliis ecclesiarum gravaminibus, & pressuris gloriosi sunt tui progenitores effecti; sed ex munificentiis, & gratiarum actionibus, quibus Deum in ecclesiis, & personis ecclesiasticis honorarunt. Non repromittebant hæc nobis nuntii tui, pro tempore diebus nostris ad sedem Apostolicam destinati. Quis princeps regnans in orbe terrarum laudabile minstrabit exemplum, si tu, progenitorum tuorum gesta salubria deferens, reperiaris ecclesiasticæ libertatis infractor, quam totis deberes viribus prætueri? Quis diu sine tribulatione regnabit, qui se adeo ecclesiis exhibebit infestum, quod sanctorum patrociniis efficiatur indignus? Ex iis quippe, fili, dolemus: & tu sine dubitatione formides quod, nisi a talibus debita providentia resipiscas, nec te Dominus permittet impunem, neque nos ea poterimus æquanimiter tolerare.

XXIII. Rhemensis ecclesiæ bona electo restituere negat Philippus Rex. (a) Ep. 251.

Occuparat etiam Galliarum Rex Rhemensis ecclesiæ bona, cum post episcopi obitum ea custodienda accepisset, eaque electo novo Roberto e Cortiniaco, quæsitis inanibus fucis, restituere recusabat: quem Bonifacius, quantam nomini suo labem eo facto aspergeret, ac malam pro acceptis ab ecclesia beneficiis gratiam reponeret, monuit (a).

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

Angit nos, fili charissime, stimulatque perpensius mentem nostram præcordialis & affectuosa dilectio, qua personam tuam præcipua favoris prærogativa prosequimur & a longis fumus temporibus prosecuti, ut ab iis, quæ tuæ salutis augumentum impediunt, honori regio derogant, tuæque famæ obnubilunt claritatem, curiosa revocare solertia studeamus, ut quemadmodum in orbe terrarum dignitatis altitudine promines, sic & prorutiles excellentia meritorum. Habet siquidem fide dignæ relationis assertio, quod pridem Remensis ecclesia per obitum bonæ memoriæ Petri Remensis archiepiscopi solatio destituta pastoris, temporalia bona, reditus, & proventus, ad Remensem archiepiscopum, qui est pro tempore, spectantia prætextu guardiæ, custodiæ, seu regalium capta, percepta, & detenta per officiales tuos nomine regio extiterunt: & licet ex parte dilecti filii Roberti de Cortiniaco, quem dilectus filius præpositus, decanus, & capitulum ejusdem ecclesiæ ad ipsius regimen unanimiter & concorditer elegerunt, post hujusmodi electionem ipsius cum instantia supplici fueris requisitus, ut regali amota custodia sive guardia, mandares & faceres hujusmodi temporalia reddi sibi, utpote cui ecclesiæ prædictæ in spiritualibus & temporalibus administratio erat a jure concessa; tu tamen inductus, ut creditur, consiliis aliquorum id efficere distuliisti, non sine gravi electi memorati, & ecclesiæ Remensis dispendio, juris derogatione non modica, magnoque libertatis ecclesiasticæ detrimento.

Custodiæ specie latrocinium exercent ejus administri.

Acceptat in regiam clientelam, vacante ecclesia bona electo restituenda.

XXIV.

Cum itaque, sicut regalis sublimitas non ignorat, Apostolicæ sedis consueta benignitas, quæ veluti pia mater bona & jura quarumlibet; præsertim Remensis ecclesiæ supradictæ, quæ eidem sedi se obedientem exhibuit & devotam; plenis favoribus prosequi & tueri solicite non desistit, hujusmodi negotium potissime cordi gerat; celsitudinem regiam rogamus & hortamur attente, tibique paternis affectibus suademus, quatenus tanquam princeps catholicus & de domo Christianissima & devotissima procreatus, quid tuæ saluti, tuoque honori expediat, solicita consideratione discutias, & persuasionibus nostris, quæ de sinceri pectoris archivio prosiliunt, promptis affectibus acquiescas; & prudenter attendens, quod bonorum ecclesiasticorum custodia sive guardia, quocumque nomine nuncupetur, vacationum ecclesiasticarum tempore pro utilitate ipsarum ecclesiarum extitit introducta & per ecclesiam tolerata, debetque cessare postquam vacans ecclesia habet personam legitimam, cui bonorum ecclesiasticorum administratio canonice est permissa; ita quod nec prætextu regalium, vel custodiæ, sive guardiæ persona laica, cujuscumque foret eminentiæ sive status, administrare potest in illis, proventusque percipi-

NOTÆ [1] Hoc anno concilium provinciale Biterris in provincia Narbonensi celebratur; cujus supersunt literæ synodales ad Philippum Francorum regem, quibus de usurpatis a viceeomite juribus ecclesiæ Narbonensis patres illi queruntur. Datæ sunt e concilio Biterrensi die IV. Kal. novembris anni 1299. Ext. Mart. Anec. tom. IV. p. 225. MANSI

cipere, seu temporalia bona tenere; de proventibus seu fructibus, per officiales tuos perceptis a tempore, quo dictus electus in concordia petiit temporalia sibi reddi, tu hanc custodiam, seu guardiam amoveri usque ad tempus, quo idem electus, in nostra præsentia constitutus, omne jus, si quod sibi fuerat ex hujusmodi electione quæsitum; pure ac libere in nostris manibus resignavit, plenam satisfactionem impendi facias electo prædicto, de quo post hujusmodi resignationem providimus Rhemensi ecclesiæ memoratæ, ipsumque illi præfecimus de fratrum nostrorum consilio in archiepiscopum & pastorem; illam in iis efficaciam impensurus, ut apud æterni Regis clementiam, per quem terrenorum principum solia gubernantur, de bono semper in melius reddaris acceptior, tuæque devotionis sinceritas plenius occurrat laudibus attollenda, & regiæ famæ præconium apud fidelium populos gloriosis proficiat incrementis. Dat. Laterani v. *kal. maii anno* v.

Præterea Dolensi episcopo, (*a*) & Guidoni comiti S. Pauli, qui apud Regem multum gratia & auctoritate poterant, scripsit, ut ipsius animum ad id inclinarent. Injunxit (*b*) etiam præposito, decano, & canonicorum collegio, abbati monasterii S. Joannis Senonen. priori S. Mauritii Rhemen. ut Roberto Cortiniaco possessiones illius ecclesiæ restituendas curarent. Commendavit aliis literis (*c*) eidem Regi, atque episcopo Dolensi archiepiscopum Rhemensem, quem, licet suo in eam ecclesiam jure cessisset, ex sacri tamen senatus consilio ob egregias virtutes illi ecclesiæ apostolica auctoritate ait præfeciſſe: *Sicut regiam credimus non latere notitiam, vacante pridem Remensi ecclesia per obitum bonæ memoriæ Petri Remensis archiepiscopi, dilectus filius Robertus de Cortiniaco per dilectos filios præpositum, decanum, & capitulum ipsius ecclesiæ unanimiter & concorditer ad ejusdem ecclesiæ regimen fuit electus. Qui hujus electioni consentiens, ad Apostolicam sedem, ut tenebatur, accessit pro confirmatione electionis hujusmodi obtinenda. Verum electus ipse, postquam sese nostro præsentavit aspectui, ductus saniori consilio, ex certis considerationibus omne jus, quod sibi fuerat ex hujusmodi electione quæsitum, sponte ac libere in nostris manibus resignavit. Nosque hujusmodi resignatione recepta, demum grandibus suæ meritis probitatis, ipsius nobilitate magnifica, & potissimum eximiæ devotionis affectum, quo ad Romanam ecclesiam, matrem ejus, & dominam, & ad domum regiam, de qua processit, fervere dignoscitur, in debitam considerationem adductis; quamvis ut præmittitur, resignasset; de ipso memoratæ Rhemensis ecclesiæ, de fratrum nostrorum consilio providimus, eumque illi præfecimus in archiepiscopum & pastorem; regiam in hoc intendentes honorare personam, & rem regio gratam animo promovere.* Addit preces ut benigne eum excipiat ac diem ipsi ad clientis sacramentum nuncupandum extrahat, *Datum Laterani* IV. *kalen. maii anno* V.

(*a*) Ep. 152. & reg. post cand. ep.

(*b*) Ep. 65. & reg. post cand. ep.

(*c*) Ep. 245. Robertus electus ubi cessisset jure adepto a Pontifice Rhem. sedi præficitur. Commendatitiæ ad illius gratiam literæ.

Monuit quoque eundem Regem, (*d*) qui prærogativis a sede Apostolica concessis abutebatur, atque opes ecclesiasticas in rem suam avertebat, ut administrorum in clerum impune grassantium licentiam coerceret.

XXV. (*d*) Eod. l. 5. ep. 1. Repetita ad Philip. Bonifacii monita.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

Dudum celsitudini tuæ, propter imminentis tunc tibi & regno tuo intrinsecæ guerræ periculum pro salubri defensione intrinseci status ejusdem regni, quod sedes ipsa velut hortum conclusum, in quo divinus cultus præteritis temporibus viguit, inter singula regna mundi dilexit, & diligit; omnes fructus, reditus, & proventus, & obventiones quaslibet primi anni omnium præposituarum, decanatuum, archidiaconatuum, & aliarum dignitatum ecclesiasticarum; archiepiscopalibus, episcopalibus, ac monasteriis seu abbatiis dumtaxat exceptis; & præbendarum & beneficiorum omnium, quæ in regno ipso dicta guerra durante, vacare contingeret; in imminentium tibi expensarum subsidium duximus concedendos, prout in literis seu privilegio, super hoc celsitudini tuæ concessis, plenius continetur. Verum diversas postmodum & luctuosas ecclesiæ Gallicanæ querelas accepimus, quod multa & grandia, quinimo intolerabilia gravamina prætextu concessionis hujusmodi ecclesiis & personis ecclesiasticis, tam regularibus quam sæcularibus dicti regni per executores tibi datos a nobis, vel per subdelegatos ab eis, sive per sæculares balivos, officiales, & ministros regios hujusmodi privilegium plus debito extendentes in diversis casibus; & maxime quando per hujusmodi executores vel subdelegatos invocatur super iis auxilium brachii sæcularis; illata dicuntur hactenus, & quotidie gravius irrogari, &c. Dat. Laterani v. *kal. februarii Pontificatus nostri anno* v. Ad tollenda mala plura a Pontifice sancita sunt: (*e*) sed regii administri, qui opibus Crucifixi inhiabant, in spoliandis ecclesiis perstitere: ad quos demum reprimendos, Bonifacium celebrare concilium meditatum visuri sumus. Nunc cœptam orationem prosequamur.

De comprimendis administrorum in ecclesiis grassationibus.

(*e*) Ead. ep.

Tutatus etiam est Pontifex Appamiensem ecclesiam; cumque Rogerium Fuxi comitem, qui urbem suæ ditioni obnoxiam contendebat, preteritorum scelerum pœniteret, censuris, quibus devinctus fuerat, liberari, atque interdictum solvi jussit, (*f*) modo sacramento se obstringeret,

Rogerius Fuxi comes censuris devinctus.

(*f*) Ep. 24.

Petita venia piorum consortio restitutus.

ret, ex episcopi conscientia ac judicio injuriis illatis satis esse facturum. Dictas etiam pro componenda controversia ab arbitro leges confirmavit, quæ in hanc sententiam sancitæ fuere: obtineret comes urbis arcem cum illius propugnaculis; episcopus vero turrim novam, quæ munitissima erat, teneret; præterea die S. Antonini sacro, qui mense seprembri recurrit, episcopus in arce vexillum ecclesiæ in supremi dominii signum collocaret ac præsidiario milite muniret, cui comes commeatus daret: clientis etiam officia exhiberet idem comes, amborumque nomine dirimendis causis præficeretur judex, & utriusque nomine atque auctoritate leges promulgarentur; ita tamen, ut episcopus prior appellaretur, & obventiones omnes ac proventus ex æquo dividerentur: ad quæ compensanda comes possessionem, quæ mille librarum Turonensium vectigal afferret, episcopo refundere teneretur: in quo pacifcendo fœdere si quod vitium subesset, illud apostolica auctoritate Pontifex suppleri jussit.

Concordiæ inter ipsum & episc. initæ leges.

XXVI. (*a*) Ep. 10. Atestini marchiones Argentam Ravennati ecclesiæ reddere jussi.

Dedit similem operam Bonifacius, (*a*) ut Azo & Franciscus Atestini marchiones munitum Argentæ oppidum, ab ipsis Ravennati ecclesiæ præreptam, restituerent: qui si detractarent jussa apostolica, remota provocationis mora Rogerio capellano Pontificio ipsorum ditionem interdicto percellere imperavit. Cum vero Atestini dolo decreta apostolica eludere molirentur, iis minas intentavit, ni excurrente viginti dierum spatio oppidum restituerent; se Faventino provinciam traditurum, ut subjectas iis pœnas incutiat: *Ad excommunicationis in personas, ac in terras vestras, seu vestro vel eorum subjectas regimini interdicti; ac etiam omnium feudorum, privilegiorum, indulgentiarum, & immunitatum, cunctorumque bonorum & jurium, quæ ab eadem Romana seu Ravennate, & aliis servatis & habetis ecclesiis, privationis sententias sive pœnas auctoritate nostra, appellatione remota, procedat; & alias spiritualiter & temporaliter, prout justitia suadebit.* Quo argumento Faventino episcopo (*b*) iisdem pene conceptas verbis, Reginensibus, Mutinensibus, ac Ferrarienſibus literas misit (*c*).

Objectæ imperia spernentibus censuræ.

(*b*) Ep. 11. Ad pontificias voluntates flexi.

(*c*) Regest. post ep. 10.

XXVII.

His minis perculsi in Pontificis obsequium supplices procubuere, arcemque dedituros, atque in omnibus parituros spopondere: quare Bonifacius Patavino & Ferrarienſi episcopis significavit, (*d*) quid de ea arce statuisset.

(*d*) Ead. l. 5. ep. cur. 54.

Venerabilibus fratribus Paduano, Ferrarienſi, & Reginenſi episcopis.

Contra nobiles viros Azonem & Franciscum fratres, marchiones Estenses, occasione seu prætextu castri Argentæ Ravennatensis diœcesis, quod Ravennatis ecclesiæ fore dignoscitur, & ad Ravennatensem archiepiscopum, qui est pro tempore, pleno jure spectare, tam nostra quam venerabilis fratris nostri archiepiscopi Ravennatensis auctoritate, ut asseritur, diversi habiti sunt processus, excommunicationis, & interdicti, privationis jurium, jurisdictionum & bonorum sententias continentes & mulctas, ac etiam propter hoc ad Apostolicam sedem appellationes aliquæ interjectæ.

*Verum quia marchiones ipsi saniori ducti consilio, prout nobis est oblatum * sunt super negocio dicti castri Argentæ se nostris beneplacitis coaptare; nos super hoc taliter providere volentes, quod & dicta ecclesia Ravennas servetur indemnis, & marchiones præfati cæterique fideles ecclesiæ illarum partium per castrum ipsum lædi nequeant vel offendi; fraternitati vestræ præsentium tenore mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum marchiones eosdem ex parte nostra moneatis & inducatis attente, ipsisque præcipiatis districte, ut roccam & fortellitias præfati castri Argentæ, ipsumque castrum cum suo territorio & districtu, ac homines & habitatores ipsorum nomine nostro & Romanæ ecclesiæ ponant in manibus & posse dilectorum filiorum Ponsardi militis, & Mannecti mercatoris de domo Pulicum de Florentia, per eos communiter, vel per alias personas idoneas & fideles ad hoc deputandas, ab ipsis eodem nomine custodienda usque ad sedis Apostolicæ beneplacitum & mandatum; præstito vobis, aut vestrum alicui, vel aliquibus, nostro & earumdem ecclesiarum nomine recipientibus ab eisdem Ponsardo & Mannecto corporaliter juramento, quod ipsi juxta præmissum modum prædicta fideliter, & legaliter custodient & tenebunt. Quod si alterum eorumdem Ponsardi & Mannecti interim præmori forte contigerit, volumus ut superstes hujusmodi custodiæ & retentionis officium totaliter exequatur. Quibus, ut præmittitur, adimpletis, eadem auctoritate nostra præmissas excommunicationis & interdicti, & quasvis alias spirituales & temporales sententias, pœnas, seu mulctas contra dictos marchiones, & quaslibet alias personas, & quæcumque civitates, castra, vel loca prolatas occasione præmissa, sine difficultate qualibet relaxetis.*

* parati

Argentam pontificiis præfectis committi jubet Bonifac.

Re perfecta pœnas iis incussas dissolvi.

Nos autem homines & habitatores dicti castri ex nunc absolvimus auctoritate præsentium a quibuscumque promissionibus, obligationibus, & fidelitatis juramentis, & homagii quacumque firmitate vallatis, marchionibus ipsis, aut eorum alteri, alii, vel aliis pro eisdem vel eorum altero præstitis sive factis. Ipsis quoque Ponsardo & Mannecto damus per alias nostras literas in mandatis, ut roccam, & castrum, ac alia supradicta recipiant, teneant, & custodiant,

Sacramenta ab Argentanis præstita rescindi.

ut est dictum, nec illa in manus vel posse præfati archiepiscopi, aut alicujus alterius ponant, seu poni faciant, vel permittant sine nostro & sedis ejusdem mandato & licentia speciali. Super iis autem, quæ circa præmissa duxeritis exequenda, confici faciatis publicum seu publica instrumenta, illud vel illa nobis, retentis penes vos simili vel similibus, per fidelem nuncium transmissuri, ac rescripturi nihilominus per vestras literas, harum seriem continentes, quicquid in præmissis duxeritis faciendum. Dat. Anagniæ XV. *kalen. septembris anno* V.

XXVIII. (a) *Lib.* 5. *ep.* 423. Bononienses cum Mutinensibus de Bazano & Savignano certant. Electus controversiæ arbiter Bonif. (b) *Ead. ep.* Bononienses, retentis castris alia pari pretio refundere jussi. (c) *Jo. Vill. l.* 8. *c.* 28. (d) *lb. c.* 27. Sardiniæ & Corsicæ partem Genuensib. Pisani dimittunt. (e) *Jo. Vill. ubi sup. c.* 30. (f) *Lib.* 5. *ep.* 397. Pontificiis partibus adhæserant.

Compositum (*a*) etiam Pontificis opera bellum est, quod diu ab Estensibus, Mutinensibus, aliisque fœderatis civitatibus cum Bononiensibus gestum fuerat: qua flagrante discordia cum Bazanum & Savignanum, Mutinensium quidem ditionis, sed a Bononiensibus occupata essent, nec ob proxima locorum intervalla Bononienses, qui hostilibus inde eruptionibus facile patuissent, ad ea restituenda adduci possent; electus controversiæ arbiter Bonifacius, ita rem diremit: (*b*) ea munita oppida cum omnibus ad ea spectantibus tenerent Bononienses; sed Mutinensibus imperandam ab ipso pecuniam refunderent. Ad conficiendum illud fœdus, Florentinos, qui amicitia cum Mutinensibus & Bononiensibus conjuncti erant, studium navasse scribit Villanus: (*c*) traditque eodem anno Genuenses & Venetos, qui adeo atrociter, ut antea vidimus, mutuis armis se attriverant, ad pacem adductos (*d*), Confecere quoque Genuenses cum Pisanis pacem, qua diuturno bello, quod annos septendecim tenuerat, ac Pisanorum res pene everterat, finis impositus. Inter cæteras porro leges scribit auctor, (*e*) Pisanos partem Sardiniæ & Corticæ Genuensibus cessisse, & cum triremibus ad bellum adornatis navigare prohibitos fuisse. Confirmant literæ apostolicæ (*f*) Pisanos cum Genuensibus pacem iniisse: conceditur enim illi reipub. præteritis bellis exhaustæ, ut ecclesiastici illi pecuniarum subsidia largirentur.

Venerabili fratri archiepiscopo Pisano, & dilecto filio plebano plebis de Subiliano Lucanæ diœcesis.

Dum intra nostræ mentis perscrutamur arcana, grandis devotionis affectum, quo dilecti filii consilium & commune civitatis Pisanæ nobis prudentius adhæserunt, paterno desiderio ducimur, ut more pii patris eorum necessitatibus consulentes, honestate prævia, favorabiliter ipsorum petitionibus annuamus, ut eo amplius ipsorum devotio erga nos & Romanam excrescat ecclesiam, quo ipsi plenius nostrum noverint sibi adesse favorem.

XXIX. *Sane pro parte eorumdem consilii, & communis nuper nobis extitit cum instantia supplicatum, ut cum de gravibus guerrarum, & discordiarum discriminibus ab olim inter ipsos ex parte una, & dilectum filium commune civitatis Genuensis ex altera, procurante inimico humani generis pacis æmulo malorum satore, suscitatis, ex quibus personarum pericula, & damna rerum plurima provenerunt, nuper ad treguarum fœdera, faciente Domino, sit deventum; ac tam propter hujusmodi discrimina, damna, & pericula quam ob tregnas prædictas graves ipsi consilium & commune Pisanum labores sustinuerint, sumptusque fecerint, & importabi lem fere subierint sarcinam debitorum; ac ad ejus ferendum onus commune ipsum insufficiens quasi omnino redditur, & impotens, nisi ei ad id clerici, civitatis, & diœcesis Pisanorum charitativa subventio suffragetur, licentiam ipsi clero super hoc concedere dignaremur.* Flagitarunt a Bonifacio, ut nonnulla a clero subsidia exigerent.

Nos itaque, prædictis consilio & communi Pisano paterno super iis compatientes affectu; & attendentes, quod in præmissis cleri ejusdem in parte interesse versatur, ut dum in dicti communis communicat prosperis, humanitate grata participet in adversis, de discretione quoque vestra gerentes fiduciam in Domino pleniorem; concedendi licentiam liberam eidem clero tam religiosorum quam secularium, prælatis videlicet ac rectoribus universis ecclesiarum, ac monasteriorum, aliorumque locorum ecclesiasticorum exemptorum & non exemptorum, & eorum conventibus & capitulis prædictarum civitatis, & diœcesis, ac districtus etiam civitatis ejusdem, quod possint, quodque etiam vos possitis dare ac præstare ipsi communi Pisano hac vice pecuniarium moderatum subsidium, dummodo vos, & ipsi hoc feceritis voluntarii, non coacti, nec ullus pro parte dicti communis super hoc motus coactionis directe vel indirecte interveniat, vel servetur; & eidem communi Pisano, quod subsidium ipsum per se vel officiales suos licite recipere valeat pro prædictis, constitutione nostra, quæ hujusmodi subsidiorum præstationem inhibet, seu qualibet alia contraria non obstante; vobis & cuilibet vestrum concedimus plenam & liberam auctoritate præsentium facultatem, præsentibus post triennium minime valituris. Dat. Laterani non. decembris an. V. Permisit Pont. publicæ rei studio.

Cæterum cum vacasset Pisana ecclesia Theoderico, qui magna cum laude illi præfuerat, ad Cardinalitiam dignitatem excito Bonifacius ad eam sedem Joannem ordinis Prædicatorum hoc anno evexit, subjecto ad ipsum dato diplomate (*g*). Theodericus Pisanus archiep. ad Cardinalatum evectus. Joannes ord. Præd. illi subrogatus.

Bonifacius &c. Joanni archiepiscopo Pisano.

Pisana ecclesia per promotionem dilecti filii nostri Theoderici tituli S. Crucis in Jerusalem presbyteri Cardinalis ad apicem Cardinalatus assumpti, quem olim eidem ecclesiæ, tunc per obitum bonæ memoriæ R. Pi-

(*g*) *Lib.* 5. *ep.* 8.

Præficitur ecclesiæ Pisanæ. *sani archiepiscopi pastoris solatio destitutæ, præfeceramus in archiepiscopum & pastorem, vacante; nos de ipsius ecclesiæ Pisanæ ordinatione celeri, ne diu viduitatis subjaceret incommodis, solicite cogitantes; ac cupientes, illum eidem ecclesiæ per nostræ providentiæ studium pontificem præsidere, de quo certam haberemus notitiam, & quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimirent, nec dubia esset ipsius charitas erga plebem suo regimini commendandam, & in cujus side fida recumberet securitas subditorum; ad personam tuam generis nobilitate conspicuam, literarum scientia, munditia vitæ, religionis observantia, ac honestate morum, & aliis virtutibus decoratam direximus aciem nostræ mentis: teque, ordinis fratrum Prædicatorum professorem, de fratrum nostrorum consilio, & Apostolicæ plenitudine potestatis, eidem ecclesiæ Pisanæ præfecimus in archiepiscopum & pastorem; ipsius curam & administrationem plenariam tibi spiritualiter, & temporaliter committendo: tibique subsequenter per venerabilem fratrem nostrum M. Portuensem episcopum munus consecrationis impendi, ac postmodum per dilectum filium nostrum Matthæum S. Mariæ in portica diaconum Card. pallium de corpore B. Petri sumptum, plenitudinem videlicet officii pontificalis, a te cum ea, qua decuit, instantia, postulatum, fecimus exhiberi, ut utaris eo infra ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apostolica sede concessis. Datum Laterani* IV. *idus februarii anno* V.

XXX. (*a*) *Ep.* 269. Bonifacii in ecclesiam Anagn. studium. Datæ clero Anagnino leges ab illius patruo confirmatæ. (*b*) *Ep.* 329. De vita honeste ducenda a clericis.

Confirmavit etiam electionem Leonardi, (*a*) qui ad ecclesiæ Anagninæ administrationem vocabatur: quam ecclesiam Bonifacius singulari semper amore ob posita in ea vitæ ecclesiasticæ tyrocinia, suæque magnitudinis jacta fundamenta complexurum, his verbis testatus est: *Anagninam ecclesiam, in qua, dum in minoribus ageremus adhuc infra ætatem adolescentiæ constituti, canonicatum obtinuimus & præbendam, nostræque promotionis initia recolimus recepisse; ac ejus populum, nobis & ecclesiæ Romanæ devotum, ut de benevolentia, natalis soli omittamus, quadam nimirum affectionis prærogativa prosequimur.* Ad cumulum amoris, ac paterni studii urgebat Bonifacium gestæ a Petro episcopo olim Anagnino, patruo suo, illius ecclesiæ memoria, qui cum egregias leges ad canonicos probis excolendos moribus, atque ad pietatem & divina officia frequentanda incitandos edidisset, eas Bonifacius, dato ad electum Anagninum diplomate, confirmavit (*b*). Conceptæ vero sunt eæ leges subjecta verborum forma:

Nos Petrus miseratione divina episcopus & capitulum Anagninum communiter statuimus, ac etiam irrevocabiliter ordinamus, quod omnes canonici & clerici stipendiarii honeste vivant cum tonsura & corona clericali condecenti, ac indumentis clausis: & contemptores hujusmodi sanctionis usque ad emendationem condignam quotidianis distributionibus careant. Item quod canonici ingrediantur chorum ad divinum officium, & de die, vel de nocte calceati cum cappis clausis, vel cottis: quod si aliquis aliquo casu portaverit mantellum: moretur cum guarnacia clausa & talis ultimus in choro sedeat, & non cantet versum responsorii, nec legat etiam lectionem. Et infra: *Item quod in matutinis intrent chorum usque ad finem gloriæ primi psalmi majoris matutini, & inveniatur in choro ad benedicamus.* Et infra. Celebrando rite divino officio. Peragendis rite divinis.

Item quod diebus dominicis semper serviatur in missis cum diacono & subdiacono & acolytho; ita quod diaconus stet cum cotta & stola, & subdiaconus & acolythus cum cotta item quod presbyter, qui cantaverit missam in hebdomada sua, sequentem septimanam perficiat pro benefactoribus & defunctis. Et quando episcopus celebrat, serviatur ei per canonicos, & non per stipendiarios, si fieri potest. Item quod si quando fiant oblationes in missis in denariis & in missis nubentium usque ad summam duodecim denariorum, ministri altaris, qui tunc deserviunt, dividant inter se. Si vero fuerit summa major, assignetur camerario communiter inter canonicos dividenda, salva semper portione domini episcopi: & si pro vigiliis dentur denarii, dividantur inter canonicos, qui interfunt vigiliis, facta stipendiariis aliqua gratia per camerarium. Et infra. De oblationibus.

Item quatuor acolythi serviant episcopo, quando celebrat, scilicet hebdomadarius cum tribus sequentibus. Item quando sacerdos celebrat in ecclesia S. Magni diebus dominicis, habeat unum subdiaconum, vel acolythum, qui serviat & in missis, & oblatio denariorum dividatur communiter inter eos. Item quod canonicus possit quiescere bis in hebdomada de nocte & de die, & habeat duas horas in septimana. XXXI.

Item constituimus & mandamus, quod quando ecclesia Anagnina invitata est ad obsequia mortuorum, omnes canonici vadant, & specialiter ad obsequia illorum, qui sepeliuntur in ecclesia memorata; & stipendiarii omnes interfint ad obsequia prædictorum, sive elegerint sepulturam apud vos sive non, & qui defecerit de stipendiariis, careat candelis. Item quod festivitates, quando veniunt per annum, & fieri debent per episcopum, denuntietur ei per communem camerarium, qui pro tempore fuerit, per unum diem ante; & consuetudines & jura capituli denuntientur per eumdem camerarium, & episcopus teneatur ea adimplere. De exequiis.

Item quod excessus canonicorum puniantur

tur per episcopum & capitulum. Item quod nullus canonicorum deinceps in ecclesia vel per civitatem arma deferat publice, unde possit scandalum exoriri; & quod nullus canonicorum comedat vel bibat in taberna in civitate Anagnina, vel ludat ad aliquem ludum taxillorum in loco publico: & contemptor hujusmodi statuti careat distributionibus unius hebdomadæ. In cujus rei testimonium præsens scriptum sigillorum nostrorum munimine fecimus roborari. Actum Anagniæ sub an. Dom. MCCLXXVII. kal. augusti Apostolica sede vacante per mortem felicis recordationis domini Joannis XXI. Papæ. Addit Bonifacius: *Nulli ergo nostræ confirmationis, & injunctionis &c. Dat. Anagniæ* VIII. *kal. septembris anno* V.

Ne canonici arma gestent.

In popinis non versentur.

XXXII. Lateran. basilicæ canonicis concessa privilegia.

Nec Romanæ ecclesiæ opera & studio defuit, qui suas in cæteras ecclesias curas diffuderat: atque in primis cum Lateranensis ecclesiæ canonici regulares a primævo pietatis flore desciviſſent, atque etiam bona ecclesiæ misere dissipari paterentur, Bonifacius regulares submoveri, & sæculares subrogari ex Cardinalium sententia jussit (*a*).

(*a*) Ep. 475.

Bonifacius &c. ad perpetuam rei memoriam.

XXXIII. De illius dignitate.

Romana ecclesia, quæ super universas ecclesias obtinet divina institutione primatum, circa singulas maternæ diligentiæ curas sedulo vigilans, earum profectibus velut solicita mater ardenter intendit, studens ea penitus submovere, per quæ ipsæ ecclesiæ sustinere possent circa spiritualia, seu etiam temporalia nocumenta; & illa efficaciter agere, quorum suffragio eis in utrisque augumentum, Deo propitio, valeat provenire. Sane inter varias & innumeras solicitudines, quæ nobis ex officio apostolatus incumbunt, ad patriarchalem Lateranensem ecclesiam, quam inter cæteras Urbis, & orbis ecclesias velut caput ipsarum antiquitatis, dignitatis, ac nobilitatis prærogativa fulgentem, utpote a claræ memoriæ Constantino Imperatore Romano eximia devotione constructam, & a beato Silvestro Romano antistite ante quamlibet aliam ejusdem urbis ecclesiam dedicatam, dilectionis & devotionis affectu prosequimur speciali; præsertim ob reverentiam Salvatoris domini nostri Jesu Christi, & beati Joannis, quorum est ipsa ecclesia vocabulo insignita, nostræ mentis aciem convertentes; ac attendentes, quod dicta ecclesia, in qua ordo S. Augustini ab antiquo fuerat institutus, ex eo maxime, quod canonici regulares ejusdem ecclesiæ vivebant enormiter, & impotentes erant ad jura ipsius ecclesiæ defensanda, patiebatur non modicam in spiritualibus, ac in suis bonis & juribus læsionem, nec per alios quam sæculares clericos poterat eadem ecclesia saluberiter reformari; cum propter religionis nexum, cujus observantiæ recipiendos in dicta ecclesia se astringere oportebat, viri potentes, idonei, & literati ad defensionem ipsorum bonorum, & jurium, qui in ecclesia ipsa vellent institui, non poterant inveniri; firmiterque ac indubitanter credentes, quod si ex providentiæ nostræ præsidio ad sæculares clericos transferatur, exinde honor proveniet ipsi ecclesiæ ac profectus; horum consideratione ducti, post deliberationem super hoc cum fratribus nostris præhabitam diligentem, de ipsorum fratrum consilio providimus, & fore decrevimus dictam ecclesiam de hujusmodi solummodo sæcularibus clericis perpetuo ordinandam: ac amotis exinde canonicis regularibus, in eadem ecclesia manentibus, quindecim electas & idoneas personas, per quarum probitatem & industriam, & potentiam eadem ecclesia salubriter poterit in spiritualibus & temporalibus gubernari, & in prædictis bonis & juribus manuteneri utiliter & defendi, auctoritate apostolica instituimus in ipsa ecclesia in canonicos & in fratres. Nulli ergo nostræ institutionis, &c. Datum Trebis VI. *non. septembris anno* V. Præterea pluribus prærogativis ejusdem ecclesiæ clerum ornavit (*b*).

Cur ejecti a Bonifacio.

Subrogati in eorum locum sæculares.

(*b*) Ib. ep. 470. 471. 472. 473. 476.

Nec minus benevolentiam, & liberalitatem in S. Petri basilicam, quam in Lateranensem explicuit: cujus bona auxit, eamque nonis sacerdotiis amplificavit, ut majori sacra pompa ac religione divinus cultus in ipsa celebraretur. Ad hunc enim annum hæc notat in suis schedis Card. Baronius (*c*): *Bonifacius VIII. inter alia ejus insignia opera multa præstitit basilicæ Vaticanæ: nam ampliavit numerum canonicorum, ut qui antea erant* XXII. *essent triginta .. & viginti addidit clericos, quos clericos chori voluit nominari. Addidit & .. beneficiatos ad numerum* XXX. *ut essent* XXXV. *Prædiis, censibus .. & aliis eandem basilicam ditavit, prout habetur in appendice ad martyrologium ipsius basilicæ sub die* III. *id octobris; deditque eidem ecclesiæ indulgentiam anni centesimi jubilæi.* Sed de jubilæo anno sequenti: nunc alia ejus gesta prosequamur.

XXXIV. Basilica S. Petri sacerdotiis & vectigalibus aucta a Bonif.

(*c*) Baron. in notis MS.

Ut Livoniæ ecclesiis ac religioni consuleret, Rigensem archiepiscopum, & episcopum Ossiensem, alterumve ipsorum, una cum aliquot præcipuis equitibus Theutonicis ad se vocavit (*d*).

XXXV. Rigensem arch. ac nonnullos equites cruciferos promovendæ rei Christianæ causa ad se evocat Bonif.

(*d*) Lib. 4. ep. 430.

Rigensi archiepiscopo & Ossiensi episcopo.

De statu, & conditionibus, quibus vos cum cleris, & populis, & terra Livoniæ ac tota Rigensis provincia subjacetis; nec non de studiis, & operibus fratrum ordinis hospitalis B. Mariæ Theutonicorum relationibus fide dignis audito, proposuimus super iis conditionibus & operibus clarius in-

informari, & circa ea facere quod fuerit, actore Domino, faciendum. Propter quod magistrum ipsius ordinis, ac magistrum & tres commendatores Livoniæ ejusdem ordinis, præmissis quibusdam mandatis, ad nostram præsentiam evocamus, prout in aliis literis nostris, eidem magistro super hoc directis, plenius continetur.

Quocirca fraternitatem vestram requirimus & rogamus, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus vos vel alter vestrum infra sex menses, a die receptionis præsentium computandos, ad nostram præsentiam personaliter accedatis, & nihilominus per vos vel per alium, seu alios ex parte nostra reliquos suffraganeos tuos, frater archiepiscope; nec non cleros & populos civitatum & terrarum vestrarum diœcesium, ac totius provinciæ Rigensis, de quibus expedire videritis; citare curetis, ut infra terminum vobis superius assignatum prædicti suffraganei sub excommunicationis per se, vel alios sufficienter; clerus vero & populi per procuratores idoneos sub interdicti pœnis nostro se conspectui repræsentent, ut vobis & ipsis præsentibus, ac magistro & commendatoribus supradictis utilior via nobis appareat super hujusmodi statu & conditionibus providendi.

Volumus insuper, ut tu frater archiepiscope, si te ex causa legitima remanere contigerit, unam de solemnioribus, & fidelioribus personis civitatis vel diœcesis Rigensis, de qua videris expedire, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, loco tui ad præsentiam nostram in termino, quem eidem præfiges, super prædictis bene & fideliter informatam, mittere non postponas; nobis, si non veneris per tuas literas harum seriem continentes, & quicquid in præmissis feceris & quare personaliter non veneris, fideliter resciturus. Dat. Laterani VII. *id januarii anno quarto*, hoc nimirum cum XVII. kal. februarii Bonifacius sacratus Pontifex fuisset.

XXXVI. De sepeliendis corporibus Bonifacii constitutio.

(*a*) Lib. 5. ep. 56. ext. etiam in extra. Detestanda. De sepult.

Eodem anno sustulit, edita constitutione, Bonifacius (*a*) barbarum morem, quo interdum defunctorum corpora, in longinquas terras transferenda, aqua ferventissima decoqui, concidi, vel exuri consueverant; cum id a pietate Christiana abhorreret: *Statuimus*, inquit, *& ordinamus, ut cum quis, cujuscumque status, aut generis, seu dignitatis extiterit in civitatibus, terris, seu locis, in quibus catholicæ fidei cultus viget, diem decætero claudet extremum, circa corpora defunctorum hujusmodi abusus vel similis nullatenus observetur, nec fidelium manus tanta immanitate fœdentur: sed ut defunctorum corpora sic impie ac crudeliter non tractentur, deferantur ad loca, in quibus viventes elegerint sepeliri: aut in civitate, castro, vel loco, ubi decesserint, vel loco vicino ecclesiasticæ sepulturæ tradantur ad tempus; ita quod demum incineratis corporibus, aut alias ad loca, ubi sepulturam elegerint, deportentur & sepelientur in eis. Dat. Anagniæ* V. *kal. octobris anno* V. Ex adscripta die conjicitur, hoc diploma sequenti anno renovatum, cum in cusa typis legatur hujusmodi dies apposita. *Dat. Laterani* XII. *kal. martii pontificatus nostri anno* VI. Invaluisse illum usum apud eos, qui suscepta in orientem peregrinatione, in exteris oris moriebantur, atque S. Ludovici corpus a suis decoctum aqua fuisse vidimus, ut ossa carnibus segregarentur, ac sine putredinis horrore facile transferrentur. (*b*)

Ea laniandi fœdus mos abrogatus.

(*b*) Vide sup. ann. Ch. 1271. n. 2.

Quod ad orientales res spectat, supererat adhuc Latinis Christianis Cyprus, unde belli sacri in Syriam traducendi, atque amissi Hierosolymitani regni recuperandi spes aliqua affulgebat: sed dissensio Henricum Regem ac Templarios invicem exasperarat. Ad quam sopiendam, tum ad illos coercendos, qui Alexandrinis merces vetitas deferebant, Bonifacius subjectas leges condidit. (*c*)

XXXVII. Intestinis discordiis laborat Cyprus.

(*c*) Lib. 5. ep. 234.

Bonifacius, &c. ad futuram rei memoriam.

Ordinamus, providemus, & volumus quod quædam tailliæ seu collecta, quæ vulgariter testagium nuncupatur, & nonnullis annis præteritis proxime fuerat in regno ipso nempe Cypri *recepta per Regem, quantumcumque pro defensione regni posita diceretur, cujus etiam ipsum nomen aliquibus abominabile ac horrendum, cesset, nec amplius exigatur a personis non solum ecclesiasticis, religiosis, & sæcularibus, & nihilominus vel advenis dicti regni; sed nec in posterum etiam personis ipsi Regi subjectis sine Apostolicæ sedis licentia imponatur: dispendium namque inde secutum non expedit, quod habeat recidivum. Et nihilominus ad amputandum omnis dubietatis scrupulum declaramus, quod tailliæ, exactiones, tributa indicta, quocumque nomine censeantur, imponenda per Regem, ad prælatos, magistros hospitalis S. Joannis Hierosolymitani & domus militiæ templi, & religiosas & alias ecclesiasticas personas, cujuscumque fuerint ordinis, conditionis, aut status; & eorum bona, servos, sclavos, homines de corpore, seu angarios eorundem; nullatenus extendantur: sed prælatis & personis ipsis libertates & immunitates, privilegia competentia eis de jure vel de consuetudine rationabili, & præscripta in regno eodem; & præsertim privilegia sedis ejusdem ipsis serventur illæsa. Quin potius volumus, quod dictus Rex, qui nunc regnat in Cypro, & alii, qui in eodem in posterum regnabunt, consideratis prælationum dignitatibus, & conditionibus personarum ecclesiasticarum regni ejusdem, ipsas prout regiæ dignitati con-*

Pronuntiat Pont. concordiæ leges inter Regem & præl. & equites.

congruit, honorare ſtudeant, & benigne tractare: ex hoc enim non ſolum a Deo primum & ab hominibus bonam famam conquirent, ſed & regnum ipſum corroborabitur atque firmabitur contra fidei inimicos, in pacis dulcedine requieſcet, & robuſtior exinde Terræ ſanctæ poterit provenire ſuccurſus, &c. Rex & Templarii jurare juſſi ſe invicem non læſuros. *Dat. Ananiæ* III. *id januarii.*

Iis conciliandis viros religioſos operam navare jubet. (*a*) Ep. 182.

Ut vero ea ſanctio religioſius ſervaretur, præfectis Minoritarum Syriæ, Prædicatorum, & Eremitarum ordinis S. Auguſtini Nicoſienſibus provinciam hanc contulit (*a*): *Mandamus, quatenus efficacibus monitis, inductionibus, & conſiliis inſiſtatis, ſicut viri providi, apud partes, quod proviſionem & ordinationem eandem velint & ſtudeant inviolabiliter obſervare; & nihilominus, ſi opus fuerit, partes ipſas ad id, & contradictores quoſlibet rebelles auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compellatis.* Aliis autem literis ad fideles datis promulgavit (*b*), ſi quid in ea conſtitutione dubii exoriretur, ſedem Apoſtolicam conſulendam eſſe: *Cum in hujuſmodi*, inquit, *proviſione & ordinatione inter cætera de privilegiis, libertatibus, & immunitatibus per nos & Apoſtolicam ſedem conceſſis agatur; volumus & præſentium auctoritate præcipimus, ut ſuper privilegiis, libertatibus, & immunitatibus ipſis, vel aliquibus eorundem aliquod dubium notabile oriri contingat, id ad noſtram notitiam deducatur, declarationem, interpretationem, ac definitionem noſtram ſubituri: cum ad nos pertinere noſcatur, exiſtimare modum, quem privilegiorum, libertatum, & immunitatum hujuſmodi eſſe velimus.*

Si quid dubii exoriatur conſulendam eſſe Apoſt. ſedem. (*b*) Ep. 182.

XXXVII. Cum porro antea lege vetitum eſſet Hoſpitalariis & Templariis, quorum potentiam, ne in regno nimis aſſurgeret, verebatur Rex, immobilia bona ſine Regis & ſedis Apoſtolicæ conſenſu adipiſci, monuit Cyprium Regem Bonifacius, ne legem ſevere adeo interpretaretur, ut non aliquas iis domos, quo habitarent commodius, extruere liceret: tum hortatus eſt (*c*), ut benevolentiam erga eos explicaret, quorum in bello peritiam magno ſibi emolumento eſſe cognoſceret.

(*c*) Ep. 180.

Henrico Regi Cypri illuſtri.

Henricum Regem monet Bonif. ne ſeveritate nimia in eos ea in re utatur.

Pro bono & pacifico ſtatu regni tui, & pro majori & efficaciori defenſione ipſius, & impugnatione hoſtium, & depreſſione falſorum Chriſtianorum, qui arma, ferrum, & alia prohibita deferunt Saracenis, nuper inter te & venerabiles fratres noſtros archiepiſcopum Nicoſienſem & ſuffraganeos ejus, & dilectos filios magiſtros, conventus, & fratres domorum hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani, & militiæ templi in Regno ipſo morantes proviſionem & ordinationem quandam duximus faciendam. Quare ſerenitatem regiam rogamus & hortamur attente, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus pro divina & Apoſtolicæ ſedis ac noſtra reverentia, tuiſque honore, decentia, & ſtatu proſpero noſtris in hac parte beneplacitis acquieſcens; proviſionem & ordinationem eandem, velut tibi & regno prædicto, & per conſequens Terræ ſanctæ neceſſariam & perutilem æquanimiter feras, & inviolabiliter ſtudeas obſervare.

Quantam ipſius regno pariant utilitatem exponit.

Verum licet acquiſitio bonorum ſtabilium regno prædicto ſit per proviſionem hujuſmodi eiſdem magiſtris, conventibus, & fratribus interdicta abſque Apoſtolicæ ſedis conſenſu vel tuo; non tamen ſic ſtricte ſumat regia liberalitas circumſpecta, quin gratioſe & benigne permittat, quod eoſdem magiſtros, conventus, & fratres aliquas modicas, ſeu minutas acquiſitiones & ædificia non ad æmulationem facere, ut poſſint in regno ipſo morari commodius, prædicti magiſtri, conventus, & fratres alias quoque ipſos, quorum mora in regno prædicto poteſt eſſe valde perutilis, ſicut noſti; ſic favorabiliter & benigne, ſic placabiliter, gratioſe, ac manſuete pertractes, quod ipſi de hujuſmodi eorum mora in affabilitate regia & regii vultus ſerenitate lætentur, & efficiantur non immerito promptiores in tuis & regni tui honoribus & profectibus proſequendis; noſque magnificentiam regiam ampliоribus propterea in Domino laudibus attollamus. Dat. Anagniæ IV. *id junii anno* V.

XXXIX. Miſſa Pont. viri religioſi ad fidem propagandam in oriente (*d*) Ep. 20.

Hoc anno miſit Chriſti vicarius ad Tartaros aliaſque gentes, nondum Evangelii luce colluſtratas, nonnullos ex S. Dominici inſtituto religioſos viros, qui fidem Chriſti late diſſeminarent, ut ex pontificiis ad eos datis literis (*d*) liquet, quibus inſerta quædam privilegia, ut majori auctoritate tam præclarum munus obirent.

Dilectis filiis fratribus Sanctio de Bolea, Guillelmo Bernardi, Bernardo Guillelmi, &c. ordinis Prædicatorum ad terras Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Hiberorum, Alanorum, Gazarorum, Gotorum, Zichorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moſcelitorum, Tartarorum, aliorumque terrarum orientalium, & Aquilonarium nationum proficiſcentibus nuntiis noſtris ſalutem, &c.

Fidei Chriſtianæ elogia.

Immaculata lex Domini, veræ lucis venientis in mundum claris irradiata fulgoribus, ſubverſas cauſas ab erroribus & peccatis ſabbatharii magiſtro per ſemitas rectas dirigens, ut de errorum invio ad viam poſſint redire juſtitiæ, lumen eis ineffabilis veritatis oſtendit. Hæc ſiquidem primitus a pa-

triarchis & prophetis prædicta, & apoſtolicis poſtmodum eloquiis mirabiliter divulgata, tanto magis eſt evangelizantium præconiis attollenda, quanto ex ipſius publicatione melliflua animarum fructibus gratioſius ſucceſſione continua prodeunt facultates. Hujuſmodi namque legis etſi præconia ſint longe lateque diffuſa, per nos tamen, qui vices in terris ſingulas ejus partes, ſuper quas humilitatem noſtram, prout ſibi placuit, providentia divina conſtituit, intenta ſolicitudine circuimus; occurrit ſenſibus noſtris, non ſine anxietatis multæ moleſtiis, quemadmodum quædam nationum gentes diabolica fraude veri luminis claritate privatæ, in invium perdentium tenebrarum miſerabiliter deruentes, Jeſum Chriſtum dominum non cognoſcunt; quodque nonnulli ſubtractionis filii ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ inobedientes exiſtunt. Propter quod movetur pietatis paternæ compaſſio, animi noſtri zelus accenditur, & anxio quodam affectu ſitiunt ſenſus noſtri, dum ad memoriam noſtram reducimus beneficia omnium Conditoris, qui ut hominem redimeret, perditum, dominus noſter Jeſus Chriſtus homo naſci, pati voluit, & occidi, quod gentes ipſæ & ſubtractionis filii per illuminantis prædicationis antidotum ad ipſum, qui eſt lux vera, & omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, convertantur; ita quod ignorantiarum & errorum hujuſmodi nebulis & fraudibus profligatis, ipſius æternæ felici commercio participes lucis fiant.

XL. Pontificii eſt muneris religionem per univerſum orbem diffundere. * virtutum

*Quare nos, ut prædicitur, Chriſti vicarius, & beati Petri, diſponente Domino licet immeriti, ſucceſſores effecti, hæc in interna ſæpius, & debita meditatione penſantes, ut pro tantorum populorum procuranda ſalute ſervitutis noſtræ debitum exolvamus; ad vos, quos novimus viros religioſos claritate fulgentes, morum honeſtate conſpicuos, & diverſarum * titulo divinitus inſignitos, ac literarum ſcientia præditos, propriam mentem convertimus, & oculos fiducialiter aperimus; ut vobis, de quorum ſtudioſis operibus fructus utiles, Deo placidos, & nobis acceptos ſperamus & credimus proventuros, ſuper hoc onus noſtræ ſolicitudinis imponamus, vos ad gentes & filios ſubtractionis hujuſmodi ac terras ipſorum pro hujuſmodi proſecutione negocii de fratrum noſtrorum conſilio fiducialiter deſtinando. Quocirca diſcretionem veſtram rogamus, monemus, & hortamur in domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum diſtrictius injungentes, quatenus accipientes devotione, qua convenit, officii ſalutaris onus vobis impoſitum, exurgatis accincti gladio verbi Dei libere ab onere carnalium voluptatum ſtrenui bellatores, contra doloſitates ſubdoli ſathanæ cauſam Domini vindicantes, pro qua mori eſt vitæ perennis initium tranſitoriæ mortis finis, & retributionis æternæ inæſtimabilis certitudo.*

XLI. Demandata a Chriſti vicario evangelicis prædicatoribus auctoritas.

Ut autem miniſterium veſtrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, præſentium vobis & cuilibet veſtrum auctoritate concedimus, ut in terris, quæ adhuc ſedis Apoſtolicæ magiſterio non intendunt, proponere verbum Dei, & ut conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqua ſint excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo, ac in aliis ſacris communicare; & ipſos ſeu etiam alios, converti ad unitatem Chriſtianæ fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare eccleſiæ filiis valeatis; & presbyteri ex vobis ipſos aggregatos poſſint inſignire charactere clericali, & eos ad acolythatus ordinem promovere. Liceat etiam cuilibet veſtrum, ibidem redeuntibus ad obedientiam ſedis Apoſt. qui ſunt excommunicatione nodati, abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſiæ impertiri, & ſuper eo diſpenſare cum ipſis, qui ſacro forſitan ceperint ordines, & divina celebrarunt officia ſic ligati. Hoc ipſum vobis ſit licitum circa illos de terris eiſdem, qui temporibus indebitis, vel infra ætatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel ſuperiores prætermiſſis inferioribus, conferre ſeu recipere ordines præſumpſerunt; ſi tamen in hoc ſervata talis forma extiterit, per quam ordines recepiſſent.

Solvendæ etiam legis de conſanguinitatis grad. inter neophyt. ad jungenda matrimonia.

Vobis præterea diſpenſare liceat, ut illi ex nationibus veſtræ prædicationi commiſſis, qui in caſibus & gradibus a divina minime lege prohibitis matrimonia contraxerunt, remaneant in eiſdem; & ii, qui ad eccleſiæ catholicæ redierunt unitatem, ut inter ſuos habitent, eiſque communicent; nec non quod clerici nationum ipſarum, publice ad obedientiam ſedis Apoſtolicæ redeuntes, gaudeant privilegio clericali. Sic etiam vobis licitum omnium fidelium in terris prædictis confeſſiones audire, ac ipſis injungere pœnitentias ſalutares, & excommunicatos a canone vel alio modo juxta formam Eccleſiæ abſolvere, dummodo injurias & damna paſſis ſatisfaciant competenter. Cum irregularibus inſuper partium illarum in caſibus, in quibus ſolent legati ſedis Apoſtolicæ diſpenſare, ac etiam cum clericis ipſarum partium patientibus defectum natalium, dummodo non ſint de adulterio, vel inceſtu, aut regularibus procreati, ſit vobis diſpenſandi facultas: quam circa illos ſimiliter habeatis, qui ab unitate Eccleſiæ catholicæ, ſeu religione, vel clericali ordine diſceſſerunt, ſi humiliter redire voluerint & digne ſatisfacere de commiſſis; ita quod ipſi religioſi ad ſua loca ſalva diſciplina ordinis reſumantur, ac illos, qui ex jam dictis excommunicationis vinculo ſunt aſtricti, juxta præmiſſam formam, & prædictæ ſatisfactionis modum abſolvere valeatis, & cum irregularibus, ſicut

sicut est expressum superius, dispensare.

XLII. Condendarum ecclesiarum, vel expiandarum.

Ad hæc sit vobis absolvendi facultas occisores clericorum & religiosarum personarum, in prædictis partibus constitutos, fundandi ibidem de novo ecclesias, & reconciliandi ipsas, quæ sunt casu aliquo profanatæ, ac de novo fundatis rectores idoneos providendi, & illis, qui de gentibus vel schismaticis noviter sunt conversi, dandi licentiam, ut uxores suas, cum quibus in gradibus lege divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere; de causis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam vestram deferri contigerit, legitime cognoscendi, & discordantes inter se ad invicem, quod ad pacem & concordiam redeant; nec non quod inordinate viventes de suis excessibus, sicut justum fuerit, ad satisfactionem exhibeant compellendi per censuram ecclesiasticam, vobis libera sit facultas.

Insuper in locis, quibus vos contigerit hospitari, vel in locis partium earumdem, in quibus residentiam facietis, missam & cætera divina celebrare officia, & in eisdem partibus cœmeteria benedicere, ac dare indulgentias, commutare vota ultramarinæ peregrinationis, continentiæ, & religionis exceptis, facultatem & licentiam habeatis. Cæterum vobis concedimus, quod a catholicis patriarchis, archiepiscopis, & episcopis possitis ordines & alia ecclesiastica sacramenta suscipere; & altaria portatilia more ipsorum a præfatis episcopis benedicta habere, & eis uti, si contingat vos aliquo casu vestra altariola non habere, ac vestes sacerdotales altaris, pallas & corporalia per eos, qui ex vobis sunt presbyteri, cum necesse vobis fuerit benedicere, ubi catholicorum episcoporum copia non habetur. Nulli ergo &c. Dat. Laterani IV. *id. aprilis anno* V.

XLIII. Amplificatam admodum inter Tartaros his temporibus Christianam religionem, atque Persidis Regem Cassanum sive Cassianum, quem a Nicolao IV. Pontifice literis solicitatum ad sacra baptismalia amplectenda, (*a*) vidimus; quique ambitione ductus Baydonem Regayti successorem Christianum Regem vita & imperio orbarat; firmato solio, rei Christianæ favisse, ac Mahumetanos infectatum, testatur Aytonus: *Multa fecit in vita sua ad commodum Christianorum sicut in sequentibus audietis. Et primo destruxit quamplures magnates, qui suadebant ei ut Saracenorum fidei adhæreret, & persequeretur undique Christianos.* Subdit auctor, hoc anno exeunte, susceptam una cum Armeniæ & Georgiæ Regibus Christianis, ad Terram sanctam Christi restituendam cultui, in Saracenos expeditionem. Ad quam ab Aytono Armeniæ Rege, qui S. Francisci sanctiorem disciplinam professus Joannis nomen acceperat, incitatum, ut de Saracenis, qui Armeniam vastabant justam ultionem sumeret, tradunt iisdem verbis Marinus Sanutus, (*b*) & Jordanus (*c*): NCCXCIX. *Saraceni Armeniam discurrerunt, castra & loca fortissima occupantes. Rex autem frater Joannes, se suosque in montibus salvans, in arcto positus Tartarorum implorat auxilium, eosque contra Saracenos instigat, ostendens plurimam habituros prædam: nec verendas eorum acies auro argentoque fulgentes, in quibus plus lucri quam periculi invenirent.*

(*a*) *Vvest. Flor. hist. hoc ann.*

Cassanus firmato solio Mahometanos infectatur.

(*b*) *Sanut. l. 3. p. 13. c. 2.*

(*c*) *Jord. MS. Vat. sign. nu. 1960.*

Solicitatus igitur ab Armeno Cassanus Sultano Melecnasser bellum movit. De cujus Cassani florentissimo equitatu e Persida educto refert Joannes Villanus (*d*), qui rem a Florentino horum oculato teste acceperat, illum ad ducenta equitum millia, conjunctis fœderatorum Regum Georgiæ nimirum & Armeniæ copiis, ascendisse. Quibus consentanea a S. Antonino historiæ commendata sunt: *Cassanus*, inquit (*e*), *Imperator Tartarorum venit in Syriam contra Soldanum Babyloniæ secum copias ducens ducentorum millium Tartarorum inter equites & pedites ex conductu Regis Armeniæ & Regis Georgiæ, qui erant inimici Saracenorum & ipsi Reges erant Christiani ad recuperandam Terram sanctam & auferendam a Saracenis. Hoc autem cum cognovisset Soldanus, ex Ægypto descendit in Syriam cum centum millibus equitum Saracenorum absque alia multitudine innumerabili de Syria eum adjuvante, & sibi invicem occurrentes, pugnam horribilem inierunt inter se demum cessit victoria Cassano Imperatori Tartarorum ex industria & sagacitate pugnandi. Nam ipse cum non modica parte & fortiori suorum equitum descendentes de equis in pedibus steterunt quousque Saraceni emittendo continuo sagittas evacuarunt pharetras suas, &c.* Addit Cassanum alia militari arte usum ne Saraceni telis quæ Tartari jaculati essent, retorquere in Tartaros possent telorumque cuspis in sauciatis corporibus hæreret. Accuratissime vero hanc expeditionem in Mahometanæ sectæ cultores susceptam a Cassano ac memoria dignissima princeps Curchi Aytonus qui illi interfuit, his verbis describit: (*f*) *Præcepit omnibus Tartaris, qui in dominio suo erant, quod essent armis & omnibus necessariis præmuniti, quoniam intendebat ingredi regnum Ægypti, & Soldanum destruere, si valeret: & hoc mandavit Regi Armeniæ, & Regi Georgiæ, & aliis Christianis partium orientis. Verum, * vero tempore adveniente, Cassanus suum exercitum congregavit, & direxit gressus suos per viam de Baldach cum exercitu copioso. Quando vero Cassanus pervenit ad terras Ægypti, congregavit insimul gentem suam. Soldanus, qui vocabatur Melecnasser,*

(*d*) *Jo. Vil. l. 8. c. 35.*

(*e*) *Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 8.*

(*f*) *Ayton. hist. orien. c. 41.*

* verno

XLIV. In eos Rex Tartarorum concitatus.

*ser, jamdudum de adventu Tartarorum rumoribus intellectis, congregavit posse suum, & venit ante civitatem Mames cum maximo apparatu, quæ civitas est sita in medio regni Syriæ, ut refertur. Cumque Cassanus intellexisset, quod Soldanus contra ipsum intenderet præliari, ad obsidionem civitatis vel castri noluit perdere tempus suum: sed recto tramite celeriter venit ad locum, ubi erat Soldanus, & se posuit ex adversa parte per unam dietam in quibusdam pratis, in quibus erat abundantia pabulorum: unde præcepit Cassanus omnibus suis, quod in illo campo essent, quousque equi requiescerent a labore, quem passi fuerant in via, celeriter veniendo. In societate vero Cassani erat quidam Saracenus nomine * Calphack, qui fuerat servus Soldani, & fugerat ad Cassanum propter metum Soldani, qui propter excessus intendebat illum carceribus mancipare.*

* al. Carchik

*Iste Calphack a Cassano receperat gratias, & honores, & Cassanus de eo plurimum confidebat. Sed tamquam proditor maledictus per literas notificavit Soldano & Saracenis consilium & intentionem Cassani, & misit qualiter Cassanus intendebat morari in pratis illis, ut daretur requies equis suis, qui erant mirabiliter fatigati; & consuluit Soldano, quod properaret ad pugnam quamdiu adversariorum equi erant fessi, quia facile posset de Tartaris victoriam reportare. Soldanus Ægypti, qui apud civitatem Hames Tartaros proposuerat expectare, acquievit tamen consilio proditoris, & cum electa multitudine suorum equitavit festinanter, ut ex improviso insultum faceret in Cassanum. Speculatores quidem exercitui Cassani notum fecerunt adventum Soldani. Cassanus vero fecit edictum, ut omnes sui equitarent per acies ordinati, & viriliter reciperent inimicos. Cassanus ergo, leone audacior, cum illis, quos circa se invenit, equitavit obviam Saracenis, qui jam tantum appropinquaverant, quod prælium non poterat evitari, & * qui per campum erant dilatati, ut requiem darent equis, non poterant ad ipsum accedere festinanter: unde Cassanus præcepit militibus, qui secum erant, de equis descendere, & de illis in circuitum facere velut murum, & cum arcubus & sagittis impeterent inimicos, qui laxatis habenis ad prælium properabant. Tartari vero descenderunt, & in circuitu ipsorum posuerunt equos suos, & acceptis in manibus arcubus & sagittis, expectaverunt quousque sagittæ possent ad inimicos commode pervenire: & sic omnes simul Tartari sagittantes, qui in arte sagittandi sunt mirabiliter periti, equos inimicorum præcedentes taliter percusserunt, quod ante alios ceciderunt: unde illi qui sequebantur qui cursu velocissimo properabant, invenientes præcedentes prostratos, præcipitabantur super illos: unde de multis Saracenis evaserunt pauci, qui non erant prostrati, aut sagittis Tartarorum lethaliter vulnerati. Soldanus Ægypti, qui in acie illa erat, quam cyus potuit retrocessit.*

Commissum atrox inter Saracenos & Tartaros prælium.

*Cassanus hoc videns, statim præcepit equos ascendere gentem suam & invadere viriliter inimicos, & ipse fuit primus, qui Soldani aciem est ingressus, & tamdiu Soldanus cum modica societate suorum bellum sustinuit prostrando, & occidendo strenue inimicos, quod Tartari muniti, & per acies ordinati venerunt ad pugnam. Tunc incœperunt omnes acies undique præliari, & duravit altercatio inter eos ab ortu solis usque ad nonam. Finaliter vero Soldanus non potuit resistere audaciæ Cassani, qui manu sua mirabilia fecit: & sic vertitur in fugam Soldanus cum omnibus Saracenis. Cassanus itaque cum gente sua persecutus fuit usque ad noctis caliginem inimicos, diversimode occidendo: unde tanta fuit ibi Saracenorum strages, quod tota terra dispersa extitit corporibus mortuorum. Post conflictum nocte illa requievit Cassanus in quodam loco, qui vocatur Cametum, gaudens & exultans ineffabiliter de triumpho, quem contra Saracenos obtinuerat nutu Dei. Actum hoc an. Domini * MCCC. x. die mercurii ante festum nativitatis Domini.* Irrepsit in annorum numerum error exscriptorum incuria, quem nonnulli improvide sunt secuti: ex eodem vero Aytono hunc numerum MCCIC. loco alterius depravati reponendum intelliget facile, qui seriem illius historiæ & distinctionem temporum perpenderit in sequentibus: atque ita secum & Marino Sanuto, (*a*) Matthæo Westmonasterienſi, (*b*) Joanne Villano, (*c*) S. Antonino, (*d*) Bofio, (*e*) ac denique pontificiis literis sequenti anno datis; (*f*) ex quibus colligitur, partarum hoc exeunte, ineunteque proximo anno victoriarum in Syria famam in occidente sequenti jam adulto percrebuisse, consentiet. His circa chronologiam constitutis, quæ a Cassano & Christianis orientalibus gesta sint extremis hujus anni diebus, ex Aytono afferramus.*

Victi Saraceni.

* MCCIC

(*a*) *Sanut. l. 3. p. 13. c. 9. & 10.*

(*b*) *Vvest. Flor. hist.*

(*c*) *Jo. Vil. l. 8. c. 35.*

(*d*) *S. Ant. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 8.*

(*e*) *Bosius p. 2. l. 1. hist. eq.*

(*f*) *Bonif. l. 6. ep. 278*

XLV. *His itaque*, inquit, (*g*) *sic peractis*, nimirum reportato, die mercurii ante natalitia Domini de Melecnasser Soldano triumpho, *Cassanus præcepit Regi Armeniæ & cuidam duci Tartarorum, qui vocabatur Molay, quod cum quadraginta millibus equitum Tartarorum persequerentur Soldanum usque ad desertum Ægypti, quod distabat a campo belli per duodecim dietas & ultra; & præcepit, quod apud civitatem Gazaræ ipsum expectarent, aut ejus mandatum. Rex igitur Armeniæ & Molay prædictus cum quadraginta millibus Tartarorum ante solis ortum recedentes, Soldanum fuerunt celeriter persecuti. Post*

(*g*) *Ayton. hist. orien. c. 42.*

Rex Armeniæ eos infectatur.

*triduum vero Casanus misit ad Regem Armeniæ, quod rediret, & quod intendebat obsidere civitatem Damasci, & præcepit quod Molay procederet, sicut habuerat in mandatis, Saracenos omnes quos capere poterat perimendo. Soldanus vero quoque fugit velociter diu noctuque, dromedarios equitando, & in societate quorundam Beduinorum, qui eum conducebant, Babyloniam mirabiliter est ingressus. Alii vero Saraceni diversimode fugerunt, sicut quilibet opinabatur, se posse melius recepture, quorum magna quantitas perrexit per viam * Tripalis, qui per Christianos habitantes in monte Libani fuerunt interfecti crudeliter. Redeunte ergo Rege Armeniæ ad Casanum, invenit quod civitas * Casana reddiderat se Casano, & totum erarium Soldani, & exercitus sui, quod ibi erat, fuit ante Casani præsentiam deportatum, cujus multitudo extitit infinita. Mirati fuerunt omnes super eo, quod Soldanus tantas divitias secum tulerat dum intenderet præliari. Casanus ergo, congregatis omnibus illis divitiis, & omnibus spoliis, quas lucrati fuerant Tartari post triumphum, divisit omnia liberaliter inter suos, ex quibus omnes locupletes sunt effecti.*

Melecnafer fuga evadit.

* Tripolis

* forte Gazara

Aytonus historicus prælio interfuit.

Ego vero frater Aytonus, qui hanc historiam compilavi, interfui omnibus negotiis & præliis, quæ Tartari habuerunt cum Soldano a tempore Hæoloni; sed numquam vidi vel audivi dici de aliquo domino Tartarorum, qui plura faceret in duobus diebus, quam fecit Casanus: nam prima die belli cum parva societate suorum contra Soldanum & magnam copiam inimicorum prælium sustinuit, & de persona sua taliter se probavit, quod inter omnes alios bellatores famam & laudem merito est adeptus, & de sua probitate inter Tartaros narrabitur in sæcula sæculorum. Secunda vero die tanta erat libertas & liberalitas cordis sui, quod de omnibus divitiis & infinitis thesauris, quos acquisiverat, sic inter suos distribuit & divisit, quod in sua sorte non retinuit nisi ensem unum & quoddam marsupium, in quo erant scripturæ terræ Ægypti, & numerus exercitus Soldani, & similia: & omnia alia distribuit liberaliter, ut est dictum. Et hoc præcipue erat admirandum, qualiter in tantillo corpusculo tanta virtutum copia inveniri poterat: nam inter viginti mille equites vix potuisset statura minoris aliquis reperiri, neque turpioris aspectus; omnes tamen alios in probitate & virtutibus excedebat. Et quia iste Casanus tempore nostro fuit, dignum est, quod de suis gestibus plenius enarremus, & ille Soldanus, qui per Casanum extitit debellatus, adhuc vivit. Præterea illi, qui ad Saracenorum intendunt præcipitium, & gravamen inferre volunt, multa poterunt sumere documenta, his historiis plenius intellectis.

Postquam vero Casanus per quinque dierum spatium requievit, & inter suos divisit spolia innumerabilia, ut superius est expressum, per dietas suas iter suum direxit recta ad civitatem Damasci. Cumque cives Damasci cognoverunt adventum, timuerunt valde, ne si Casanus eos caperet violenter, absque misericordia perderentur. Unde de consilio sapientum, & concordi omnium voluntate suos ad Casanum nuntios transmiserunt, qui dederunt sibi multa dona, & ei claves civitatis etiam obtulerunt, ab eo misericordiam implorantes. Receptis ergo xeniis & clavibus civitatis Damasci, præcepit Casanus nunciis, quod redirent, & victualia sufficientia exercitui præpararent, & nullatenus dubitarent, quia nolebat destruere civitatem, sed eam intendebat pro camera sua reservare. Recedentibus itaque nunciis cum exultatione ingenti, Casanus post modicum equitavit ad flumen Damasci, in cujus littore tentoria sua fixit, & inhibuit ne inferrentur damna aliqua civitati. Cives vero Damasci miserunt plurima dona Casano, & de victualibus dederunt exercitui affluenter, mansitque ibi Casanus per quadraginta quinque dies cum omnibus suis, præter quadraginta millia Tartarorum, quos miserat cum Molay, qui apud civitatem Gazaræ morabantur, Casani expectantes adventum vel mandatum. Hæc postrema centesimo inchoato gesta, constat. Ut vero Casanus reflectere signa in Persidem coactus sit, & Christiani Syriam recuperare sine prælio ingenti suo damno & dedecore omiserint, adeo ut iterum in Saracenorum reciderit potestatem, sequenti anno dicemus: nunc claudemus hunc annum insigni prodigio quod in Germania editum narrat Siffridus. (a)

XLVI. Damascum ad deditionem compulsum.

(a) Siffrid. epit. l. 2.

MCCXCIX. Judæi, inquit, *perfidissimi corpus Christi sacrum in nocte sancti Pascatis emptum a custode ecclesiæ in civitate Franconiæ, quæ Roetingen dicitur, per diversas civitates & castella aliis Judæis distribuerunt. Quædam religiosæ mulieres quæ sacras vigilias ad tumulum Crucifixi observabant (sicut moris est in Theutonia) cum hora matutinarum, de ecclesia prodeuntes, irent ad excitandum ecclesiæ presbyterum, ut Crucifixum de monumento ante matutinas secundum consuetudinem sublevaret, viderunt super domum Judæi, qui Sacramentum emerat, duo rutilare luminaria: cumque attonitæ starent, & secum quærerent, superveniens presbyter interrogat, quid conferant: vidensque cum ipsis luminaria, compertoque, quod Judæus cum custode in ecclesia fuisset, & juxta altare, caute vocat judicem civitatis, & quosdam de civibus. Qui, irruentes in domum Judæi, ipsum & custodem ec-*

XLVII. Judæus Eucharistiam furatur.

Illius æ-dibus cæ-lestes fa-ces immi-nere vi-sæ.

clesiæ ceperunt: qui statim coacti faciunt perpetratum confessi sunt.

Ejusa Eucharistia sanguis effluit.

Jam vero, ut dictum est, idem corpus Christi per diversas Judæorum dispersum fuerat mansiones: qui sæpedictum corpus Christi sacratissimum acubus & subulis pungentes, & in mortariolis tundentes, & per illas puncturas & tunsiones sanguinem elici conspicientes, tandem in diversis locis sub terra suffoderunt. Sed Deus omnipotens Sacramentum salutis, multis miraculis prodentibus, suis fidelibus propalavit. Quapropter Christiani, insurgentes contra Judæos, eos per diversas civitates & loca turmatim occiderunt. Contigit ut multi Judæi ad quoddam castrum confugerent, ut se ibidem defensarent: cumque Christiani ad expugnandum dictum castrum forti manu convenissent, & illud jam vallassent, quædam virgo Judæa de eodem castro importunis clamoribus rogabat Christianos, ut ipsam inde eriperent & baptizarent. Judæis ipsam deorsum trahentibus & increpantibus, illa de manibus eorum elapsa, de altitudine castri se præcipitem dedit. Sed ecce mirum in modum ipsa, quasi manibus angelicis portaretur, illæsa descendit: & mox ad fidem Christi & baptisma confugit. Meminit etiam Eberhardus (a) de hac Judæorum strage, cum percrebuisset fama, ipsos Christi corpus contudisse, atque ex eo divinitus cruorem fluxisse: quam rem superiori anno consignat.

Judæi necati.

Virgo Judæa, baptismum postulans, illæsa e turri cadit.

(a) Eber. apud. Canis. antiq. lect. to. 1. pag. 335.

I. Annus Jubilæi celebratus a Bonif. nova pompa & magnificentia. (a) Jacob. Card. car. de Jubilæo.

ANnus Christi millesimus trecentesimus indictione tertiadecima Jubilæi, id est, condonationis criminum, quæ post detectos rite sacerdoti conscientiæ sinus Apostolorum basilicas adituris proponitur, majestate illustris affulsit, de quo Jacobus diaconus Cardinalis S. Georgii ad velum aureum ita cecinit. (a)

Aurea centeneo consurgunt sæcula phœbo.
Et radiat cœleste jubar, miseratus ab alto
Filius æterni Patris de Virgine carnem
Indutus, redimitque suo de sanguine culpas.
Grande datum miseris Romam, qui limina Petri,
Cui reserare polos datur, & concludere cœlum,
*Deproperant, Paulique ducis pia templa * revisit.*

* revisunt

Et infra:

Nam gemini roseis Urbem sacrare triumphis
Luce pari. Et infra.
—— Hinc cumulant templis sua munera divi,
Quæ sedes Romana sequens, suffultaque tantis
Auxiliis jubilans, centeno solis in ortu
Diluit omne nefas plene. Quin plenius omne
Diluit, & veniam culpis uberrima confert
Gratia, si æternam passim fœdare figuram,
Haud timidi culpas compuncti corda recludant;
Divorumque patrum Petri Paulique subintrent
Limina, vicenis vicibus Romanus, & exter
Quindenis rutilans orbem quoad exeat axis.
Quisnam igitur latitet, quænam vecordia, quænam
Segnities compescit iter, quin frigeat æstus,
Et caleat glacies, liquidusque exhorreat humor?
Certe magna quies parvus labor, &c.

II. Illius historia a Jacobo diac. Cardin. descripta. (b) Summont. hist. Neap. l. 3.

Conscripsit idem auctor soluta oratione illius Jubilæi historiam, (b) cujus autobraphum exemplar in bibliotheca S. Petri Romæ asservatur; ejusque meminit inter alios Cardinalis Baronius (c): quamvis textum admodum depravatum inquinatumque dicat: cujus etiam duo exempla M. S. in bibliotheca nostra extant. Sacri porro illius instituti ritus modum & causas ex memorato Jacobo Card. qui pontificiorum consiliorum erat particeps, reique spectator, afferre operæ pretium duximus, cum is maxime sine fuco historiæ veritatem exponat his verbis (d): [1] *Anceps & pene citra opinionis fidem de proximo nunc futuro centesimo, cum millesimum trecentesimum præ foribus occursurum*

(c) Baron. in sched. MS.

(d) Jacob. Card. l. de Jubilæo cap. 1.

NOTÆ [1] ANnum hunc commendat celebris jubilæi indictio, quod Bonifacius sive ipse primus instituit, seu potius, quæ ea est opinio, sensim pia fidelium persuasione ante aliqua sæcula inductum, ipse dein Bonifacius constitutione sua probavit, atque singulis centenis annis celebrandum constituit. Quamquam enim hujus centesimi anni indulgentiæ primus author Bonifacius reputari a nonnullis posset, suadente maxime constanti omnium scriptorum æquævum qui de rebus præteritorum sæculorum tractarunt, silentio; cum tamen ex historia jubilæi illius a Jacobo cardinali, tunc florente, descripta, constet pias fidelium turmas antea Romam confluxisse, quam de indulgentia anni centesimi indicenda Bonifacius quidquam cogitaret; ex his antiquorum quandam traditionem seu institutionem arguendam esse intelligimus.

Quæ vero fuerit origo hujus moris seu peregrinationis Romanæ, quolibet ineunte sæculo, diligentius frequentatæ, nemo huc usque investigavit. Quæ meditanti mihi occurrerunt aperiam, eademque eruditis probanda sive rejicienda permitto. Quamquam Christi Jesu natalis annus exordium æræ, qua nunc utimur, triennio præcessit; diu tamen in ecclesia ea sententia vulgo recepta fuit, quæ vulgarem æram ab ipso Christi natali exordium duxisse arbitrabatur. Ea persuasione semel obtinente, singuli æræ nostræ anni centeni, annum a Christi nativitate sæcularem referebant. Cum vero sæcularis annus, pro more jam inde a paganis deducto, solemnis haberi consueverit; hinc forte annus quisque centesimus religione solemnis haberi a fidelibus cæpit. Ex hoc sacræ peregrinationes, quæ tunc maxime familiares erant, multo frequentius per annos illos institutæ, eademque demum ex causa Romani pontifices singulis centenis annis, quos majori peregrinorum frequentia cultos Romæ noverant, indulgentias addixerunt majores.

Cæterum integri sæculi periodum prolixiorem quam pro vitæ humanæ modulo ratus Clemens VI. ad annos L. jubilæum reformavit; duarum tamen basilicarum visitationi tertiam basilicæ Lateranensis adjungens. Dein Gregorius XI. anno MCCCLXXIII. basilicam S. Mariæ majoris cæteris adlegit, indulsitque ut singulis XXXIII. annis jubilæum recurreret. Postremæ hujus reformationis cujus bulla nuspiam legitur, Alexander VI. in bulla pro jubilæo anni MD, quam e MS. Codice vulgavit Cyrillus Franchi in commentario de anno jubilæi, memoriam servavit, scribit enim: *Clemens VI. ad quinquagesimum, Gregorius XI. ad trigintatres, & postremo Paulus II. ad XXV. annos redegit.* Plura de jubilæo addi possent; sed hæc commentarium, non vero adnotationem scribentis essent. Ad

rum monebamur, ad Romanum Pontificem delatus rumor advenerat, qui tantam ejus fore anni vim, ut quo Romani ad principis Apostolorum Petri basilicam pergentes omnium plenissimam peccatorum dilutionem sortirentur, polliceretur. Hinc vetustorum revolvi librorum monumenta, pius pater edixit: quibus ejus nec ad plenum, quod querebatur in lucem vento forsitan ex patrum, si liceat tetigisse famam, desidia; seu ex schismatum vel bellorum, quo Romani sæpius turbine vastati, lugere potius quam mirari vacet, libris deperditis; seu quia nec tantum veritatis, ut opinionis suberat, in Lateranensi patriarchio, eodem residente præsule, centesimus oritur mira res. Totam pene prima januarii die novellæ mysterium remissionis occuluit: procliví vero in vesperam sole, quo ad mediæ fere noctis intempestæ silentium parvumque eo Romanis patefacto, frequentes ipsi ad sacram B. Petri basilicam properant: oppressi altaria stipant, alternatimque se, ut vix accedere fas esset, impediunt, tanquam ea brevi finienda die expirare graviam vel majorem autumarent. Accesserint ne moti, cum aliqualis matutinus de centesimo seu jubilæo in basilica factus cieret sermo; sponte sua jam, quod credulitati magis proximum est, cœlesti tracti nutu, qui centesimi transacta memoraret, vel adventura disponeret, haud nihil ambigentes affirmamus. Iis initiis in dies civium externorumque fides & peregrinatio augeri cœpit, quibusdam prima centesimi die omnium culparum sordes deleri asserentibus, cæteris annorum centum indulgentiam fore: sicque fere usque ad bimestre tempus, & similiter die, qua toti orbi venerabilis revelatur effigies, vulgo Sudarium seu Veronica dicta, longe plus solito compactis turbis convenirent, utrinque dubii sperantes erant.

Vetus celebrandi centenarii mos.

III. (a) Cap. 2.

*Verum (a) promotor noster dominus Bonifacius VIII. summus S. R. E. Pontifex ut erat ingenio vigilans, refertusque solertia, conservabat hæc omnia conferens in corde suo, suoque more præsentia, dum haud prohibebat, frequentiam acceptam esse conficiebat, venientumque firmabat votum. Nec vivus præteritorum defuit testis, qui peregrinationis suæ centum & septem abseverans annos, multis etiam eodem præsule coram ob id ipsum adscitis, adstrueret meminisse, patrem alio centesimo Romæ, quousque, quem secum detulit agricola, sufficit victus ob * intelligentiam moratum, seque admonuisse, ut si quod non putaret adveniisset futuro centesimo Romæ nequaquam puer adesse pigritaret: nobisque idem scitantibus, intulit quin quaque ejusdem anni die illic centum annorum indulgentiam lucrifieri posse, ob quam peregrinaturus accesserat. Ast Romæ plenissime dilui culpas apud Gallos * vulgate: tanti ævi duos adhuc diœcesis Belvacensis, pluresque alios Italici soli supereße, qui meminissent nobis assertum: quorumdam vero ad ipsam Principis Apostolorum basilicam dierumtrium peregrinationem opportunam recensebat autumatio centesimi * vetusta miseratione perituris; sed, ut jam * nobis prætactum, in iis multiplex fama vacillabat.*

Visi qui utroque ineunte sæculo basilicas lustrarant.

* indulgentiam

Variæ de indulgentiis, quæ comparabantur sententiæ.

* vulgatum

* vetustam miserationem perituris

* a

*Igitur (b) de * centesimi nova jam ad plenum digesta materia, sacrum patrumconsultasse cœtum, nolentem extinguere spiritum Præsulem, favorabiliterque ob Apostolorum merita responsum consultanti, memoramus. Quamobrem, quo limpidius scripto gerendæ rei clarescret veritas, exavari literis concedendum, discutiendumque privilegium * justum, ipsius sæpiuscule forma interlecta, ac ex hoc politiore facta, post collocutiones ad concilia prævias eam patres manere, in girum consulti, suaßere: definiensque decrevit Præsul, cujus ea mens est basilicæ Principis Apostolorum Dei non tantum: fama crebrescente, tametsi incertum centesimum indulsum illibatumsubsistere; quinimo quibuscumque venerabiles Apostolorum Petri & Pauli basilicas externis quindecim, Romanis diebus triginta visitantibus, quoquo centesimo ubertimam omnium peccaminum abolitionem impertiri fructiferam *: si quidem si penitentes & confessi vel infra id temporis forent.* Nonnullisque interjectis: *Publicandi aderat tempus cathedræ B. Petri celebritas, offerendum Principi in suo quam alibi honestius templo, donec publicatur sericis aureisque ambo circumfulcitur, quo Romanus Præsul patresque conscenderunt: orationeque facta ad turbam, grande lætitiæ munus literæ serico appensis bullis disseruntur, quæ etsi Lateran prius datæ * continerentur;*

(b) Cap. 3.

* centesimo

Pontificis & Cardd. deliberatio de jubilæo instituendo

* jussum

* fructiferum

* continerentur.

NOTÆ Ad jubilæum Bonifacii VIII. quod attinet, excesserat penitus e memoria insignis lapidaria inscriptio, quæ nunc pariter Florentiæ in via dicta *della Fogna* legitur, ex qua vel ipsos Tartaros Romanam peregrinationem hoc anno instituisse discimus. Affert illam cl. Lamius in Deliciis eruditorum.

Ad perpetuam rei memoriam, pateat omnibus evidenter hanc paginam inspecturis qualiter, omnipotens Deus in anno domini nostri IHV. XPI. MCCC. specialem gratiam contulit XPIANIS suum sepulcrum, quod extiterat a Saracenis occupatum, reconjunctum est a Tartaris, & Christianis restitutum, & cum eodem anno fuisset a papa Bonifacio solemnis remissio omnium peccatorum, videlicet culparum, & pœnarum omnibus euntibus Romam indulta, multi ex Christianis & Tartaris ad dictam indulgentiam Romam accesserunt: e andovvi Ugolino con la mogle. MANSI

tur; illuc tamen datas apud S. Petrum fuis juſſit Præſul literis adſcribi, altarique impoſitum donum. Non impari forma Doctoris gentium baſilicæ miſſum. Conceptum eſt ſubjectis verbis id diploma, quod auctor in calce operis repetit, ac tum in hujus anni regeſto pontificio (*a*), tum inter extravagantes extat (*b*).

(*a*) *Lib. 6. ep. cur. 9.* (*b*) *Ext. antiq. De pœnit. & remiſſ.* IV. Ea de re diploma.

Bonifacius, &c. ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad honorabilem baſilicam Principis Apoſtolorum de Urbe conceſſæ ſunt remiſſiones magnæ, & indulgentiæ peccatorum. Nos igitur, qui juxta officii noſtri debitum ſalutem appetimus & procuramus libentius ſingulorum, hujuſmodi remiſſiones & indulgentias omnes & ſingulas ratas & gratas habentes, ipſas auctoritate apoſtolica confirmamus & approbamus, ac etiam innovamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ut tamen beatiſſimi Petrus & Paulus Apoſtoli eo amplius honorentur, quo ipſorum baſilicæ de Urbe devotius fuerint a fidelibus frequentatæ, & fideles ipſi ſpecialium largitione munerum ex hujuſmodi frequentatione magis ſenſerit ſe refectos; vos de omnipotentis Dei miſericordia, & eorumdem Apoſtolorum ejus, meritis & auctoritate confiſi, de fratrum noſtrorum conſilio & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis omnibus in præſenti anno milleſimo trecenteſimo a feſto nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti præterito proxime inchoato, & in quolibet anno centeſimo ſecuturo, ad baſilicas ipſius accedentibus reverenter, vere pœnitentibus & confeſſis; vel qui vere pœnitebunt & confitebuntur, in hujuſmodi præſenti, & quolibet centeſimo ſecuturo annis, non ſolum plenam & largiorem, immo pleniſſimam omnium ſuorum concedimus veniam peccatorum: ſtatuentes, ut qui voluerint hujuſmodi indulgentiæ a nobis conceſſæ fore participes, ſi fuerint Romani ad minus triginta diebus continuis vel interpolatis, & ſaltem ſemel in die. Si vero peregrini fuerint aut forenſes modo ſimili diebus quindecim ad baſilicas eaſdem accedant. Unuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius conſequetur, qui baſilicas ipſas amplius & devotius frequentabit. Nulli ergo, &c. Dat. Romæ apud S. Petrum VIII. *kal. martii pont. noſtri anno* VI.

Conſtitutus dierum numerus ad luſtrandas eccleſias.

V.

Exceptum eſt ſecunda gratulatione id diploma, inſpectaque jubilæi luce, populi, ut ait Jacobus Cardinalis, (*c*) jubilare cœperunt. Quo vero pietatis ardore Romani Apoſtolorum baſilicas luſtrarent, deſcribit auctor (*d*): *Nec mora; totius orbis caput Roma, civitatis populus, nulla ſexus vel ætatis, dum pubertatis annos exegiſſet, diſcrimine, ad ſuorum patronorum baſilicas, quoad dierum intervallum finem accepiſſet, curſitabat.* Et infra de ſe ita loquitur: * *Nobis vero magis quod ipſi egimus, votum non ut magnum, ſed ut motivum poſteris pandamus. Conceſſa quidem indulgentia, cum tranſtyberim juxta eccleſiam Dei Genitricis, unde in Salvatoris noſtri nativitate largo rivo olei fons uſque Tyberim ſcaturiſſe perhibetur, jam dudum tabernam meritoriam dictam, undeque nobis nativæ atque paternæ originis ortur, moram traheremus, diebus triginta continuis Principum utramque baſilicam peregrinationis cauſa ingreſſi ſumus; nec minus ſæpius prius eadem die Lateranum ad conſiſtorium matutina luce properantes.*

(*c*) *Jacob. Card. lib. de jubil. c. 4.* (*d*) *Ead. cap.* Qua pietate Romani ſacras ædes luſtrarint. * Nos

VI.

Incredibilis peregrinorum multitudo ad Urbem confluit.

Incredibilem porro hominum multitudinem non modo ex Italia, Sicilia, Sardinia, Corſica; ſed Galliis, Hiſpania, Anglia, Germania, Ungaria concurriſſe; nec ſolum juvenes ac vegetæ ætatis, ſed etiam ſeptuagenarios & infirmos, qui lecticis deferebantur, confluxiſſe addit auctor (*e*). Inter quos præclaro ſpectaculo fuit Sabaudus quidam ſenex, non humili genere ortus, a filiis allatus, qui centenarium annum tranſilierat, quique præteriti centeſimi memor erat, (*f*) utpote qui olim celebrati interfuiſſet. Tradit his conſentanea Joannes Villanus, (*g*) qui tunc Romam profectus, veterum hiſtoricorum exemplo, qui Romanas res ſcripſere, hiſtoriæ Florentinæ conſcribendæ, cum tunc ipſius patria ad majorem potentiam efflorеſceret, conſilium cepiſſe ait; additque tantam fidelium multitudinem Romam conveniſſe, ut præter Romanos ducenta peregrinorum millia in Urbe viderit, quibus omnia neceſſaria abunde ſuppeditabantur. A quo Jordanus, (*h*) vitæ Bonifacii (*i*) ſcriptor, Proleмæus Lucenſis, (*k*) Bernardus, (*l*) Martinus Polonus (*m*) non diſcrepant. Annalium vero Colmarienſium ſcriptor hæc digna memoratu hiſtoriæ mandavit (*n*): *Bonifacius Papa ratione jubilæi omnibus venientibus Romam tanta abſolutionis beneficia contulit, quod tantus factus fuit concurſus Romam, ut ſæpius una die ſint egreſſi triginta millia hominum, pariterque ingreſſi, ut communiter pauperes retulerunt.*

(*e*) *Senex, qui jubilæo ab Innoc. III. celebrato interfuerat, Romam deductus.* (*f*) *Ib. c. 7.* Joannes Vill. Romam veniens, ſcribendæ Flor. hiſt. conſilium ſuſcipit. (*g*) *Jo. Vill. l. 8. c. 36.* *Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 11.* (*h*) *Jord. MS. Vat. ſign. n. 1960.* (*i*) *Vit. Ronif. MS. Vall. bibl. ſig. lit. C. n. 25. & n. 79.* (*k*) *Ptol. Luc. MS. hiſt. eccl. l. 23. c. 36. & in annal.* (*l*) *Bern. in chron. Rom. Pont.* (*m*) *Mart. Pol. l. 4.* (*n*) *Dom. Colmar. chron.*

Tribuit vero miraculo Card. Baronius (*o*) tantam, quæ confluxit, multitudinem omnium rerum copia abundaſſe: *Innumerabilis*, inquit, *Chriſtiani populi multitudo ad obtinendum omnium peccatorum remiſſionem pleniſſimam Apoſtolorum limina viſitarunt: & quia ſicut arena maris Chriſtianus populus confluebat ad Urbem, nullo modo credi potuit, quod tantus populus ſatiari potuiſſet: ſed Dei cooperante gratia, tanta fuit abundantia victualium, quod quanto magis populus multiplicabatur, tanto alimoniarum copia redundabat, & vilius alimenta venalia vendebantur. Inſuper anno prædicto in Apoſtolorum baſilicis diverſis languoribus ſunt curati quamplures. Exibant autem dæmonia a multis clamantia*

VII.

Tributa miraculo annonæ abundantia.

(*o*) *Baron. in ſched. ex cod. in quo continentur Dial. B. Greg.*

ria & dicentia, quod non ſolum Apoſtoli Petrus & Paulus eos eiiciebant de corporibus quæ invaſerant, ſed multitudinem animarum populi Chriſtiani, qui eorum facientibus peccatis, laqueis diabolicæ fraudis ſe tradiderant, impetraverant a Jeſu Chriſto, ab eorum faucibus liberari: & pluſquam publice clamabant, quod dictorum Apoſtolorum meritis omnes animæ in purgatorio non ſolum a pœnis liberatæ fuerint, ſed etiam gloriam æternam meruerint obtinere. Hæc Baronius ex codice Bibliothecæ Vaticanæ.

Plures luſtratis eccleſiis maxima beneficia a Deo obtinuere.

Conſentit objectum cœleſte clerico eccleſiæ B. Georgii, cui præerat Jacobus Cardinalis, (*a*) qui hiſtoriæ mandavit, oſtenſum. Cum enim Virginem Filium geſtantem ſupplex, ut ſibi videbatur adoraret, hæc verba excepit: *Omnibus miſerans indulſit Deus. Ad quam ille: Num mihi? Subticuit Mater; duriuſque poſt moralum inſit: Omnibus miſerans indulſit Deus vivis & mortuis*, ita nimirum ut par eſt, ad divinam gratiam comparatis: *Subſtratus iterum: Num mihi? Cui nec jam reſponſo dato, ne forſan aliqua peccati labe fœdaretur trepidanti, ſubjunxit: Indulſit omnibus mortuis & vivis miſerans Deus, tibique.*

(*a*) *Iacob. Card. lib. cit. c. 10.*

VIII.

Nec prætereunda videntur, quæ ſcribit idem auctor, (*b*) creviſſe opibus ex peregrinorum muneribus Apoſtolorum Petri & Pauli altaria, atque quinquaginta, & eo amplius auri florenorum millia retuliſſe, eaque non ex magnis auri vel argenti donis, ſed ex tenuiori ære oblato conflata, ſubditque: *Devote oblata devote diſpenſantur: caſtris, caſalibus, prædiis ex ea pecunia, ipſo ſummo Pontifice jubente, ad jus & proprietatem baſilicarum comparandis, ac deinde ex ipſorum reditibus, divinis Apoſtolorumque augendis cultibus, officiiſque.*

(*b*) *Jac. Card. c. 9.* Ingentes oblationes Apoſtolis factæ.

IX.

Effluente porro jubilæi anno, cum plures partim iter ingreſſi e vita diſceſſiſſent, partim dierum numerum, ad luſtranda templa præſcriptum, implere non potuiſſent, ex apoſtolica clementia iiſdem indulgentiarum præmiis ſanxit potituros. Quade re ad calcem operis Jacobi Card. hæc leguntur. (*c*)

Exeuntis anni extremo die datæ a Bonif. indul. (*c*) *Jacob. Card. de jubil. in fin.*

Summa gratia non bullata, quam dominus Bonifacius Papa VIII. conceſſit peregrinis in die natalis Domini, ſine videlicet centeſimi, qui fuit milleſimus trecenteſimus.

Ad Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli * ... *Attendens dominus noſter dominus Bonifacius Papa VIII. devotionem, quam vidit in populo Chriſtiano, fervorem fidei, viarum tædia, perſonarum labores, & onera expenſarum, vult idem dominus noſter, quod omnes forenſes, qui hodie ſunt in Urbe, licet non compleverint indulgentiam, ut læti revertantur ad propria, plenam indulgentiam conſequantur.* Item placet ipſi domino noſtro ſummo Pontifici, & vult, quod omnes illi, qui venerunt * & indulgentiam conceſſam per eum, & mortui ſunt in via vel in Urbe numero dierum taxato in ipſa indulgentia nondum decurſo, plenam indulgentiam conſequantur. Item vult idem dominus noſter ſummus Pontifex, quod omnes illi, qui arripuerunt iter ad iſtam indulgentiam animo complendi eam, & juſto impedimento impediti vel non pervenerunt, vel pervenientes non compleverunt eandem, plenam indulgentiam conſequantur.

* *gloriam & honorem*

Peregrinis qui dierum conſtituto numero eccleſias non luſtravere.

* ad In itinere ad urbem defunctis.

Item quia annus iſte jubilæus finitur hodie, volens idem dominus noſter velut pius pater providere ſaluti animarum, omnibus illis, qui ſunt vere confeſſi ſecundum formam indulgentiæ ſuæ, & non ſatisfecerunt de alieno infra annum, nec poſſunt commode ſatisfacere propter temporis brevitatem, prorogat terminum, ad ſatisfaciendum dumtaxat, uſque ad feſtum reſurrectionis Dominicæ proxime venturum. Declarat inſuper idem dominus noſter ſummus Pontifex quod annus iſte jubilæus trecenteſimus hodie ſit finitus, nec extendatur ad annum incarnationis ſecundum quoſdam, ſed annos Domini ſecundum ritum Rom. eccleſiæ.

Pronuntiatur annum jubilæi non extendi ad ſacrum verbi incarnati diem.

X.

Excluſi porro a comparandis hiſce indulgentiarum præmiis fuere ii omnes, qui Saracenis vetitas merces inferrent, vel Friderici tyranni Siculi partibus irretiti, ejuſque ſigna ſecuturi, vel eccleſiæ hoſtibus ſe conjuncturi, recepturive Columnenſes eſſent: quam rem Pontifex ipſis calendis martiis Apoſtolico diplomate promulgavit (*d*). Et quidem ad frangendam Siculorum pertinaciam graviſſimas Friderico partiumque ipſius ſtudioſis cenſuras incuſſit, (*e*) atque inter cæteros Genuenſibus, qui armorum cum eo ſocietatem inierant, inflixit; quæ vero apud ipſos præcipuæ dignitate familiæ erant Auriæ ac Spinolæ ardentius ſtudium Friderico impenderant, eccleſiaſticis ideo pœnis defixæ ſunt (*f*).

(*d*) *Ext. apud Jac. Card. ep. & in bibl. patr. to. 6.* Genuenſes Friderico Arag. favent. (*e*) *Lib. 6. ep. cur. 13.* (*f*) *Ib. ep. cur. 14.* Graves de iis Bonifacii querelæ.

Bonifacius &c. ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.

Cum ad apoſtolatus noſtri notitiam perveniſſet, quod nonnulli præfatæ civitatis Januenſes cives, præſertim de Auriæ & Spinulæ domibus, Friderico Siculiſque prædictis contra nos, & eccleſiam, ac Regem Siciliæ prælibatos auxilium, conſilium, & favorem multimode præſtiterant, & præſtabant; propter quod non eſt dubium, ipſos latam contra tales excommunicationis ſententiam incurriſſe; nos in hoc animarum periculis obviare ſalubriter cupientes, & attendentes quod præfatam civitatem Januenſem ejuſque cives & incolas ab olim fuiſſe conſtabat eccleſiæ prædictæ devotos, eique contra hoſtes ipſius fideliter ſuis temporibus aſtitiſſe, ſumpta de hujuſmodi eorum antiqua devotione fiducia, prædictum

com-

commune Januæ, quod antiquorum ſuorum erga eandem eccleſiam matrem ſuam velle proſequi geſta laudabilia ſperabamus, non ſolum per diverſos utileſque tractatus, quos magni labores, & ſolicitudines validæ produxerunt, ſtuduimus unire ac confœderari, cum Rege Siciliæ ſupradicto, verum etiam commune ipſum, & præfatas Auriæ ac Spinulæ domos ad id grandium beneficiorum, honorum, & gratiarum nonnullis earumdem domorum facta per nos exhibitione perſonis, curavimus prævenire: ſed nec ſic quod ſuper hoc quærebamus affuit, quod petebamus advenit. Obtinere inſuper apud prædictum commune ſolers inſtantia noſtra nequivit, quod prout potuit & debuit hujuſmodi prædictorum ſuorum civium inſolentiam coarctaret: quod quam ſit eidem injuriosum & diſpendioſum eccleſiæ, ipſa facti evidentia manifeſtat. Habet quidem communis opinionis judicium, quod vel jam plena victoria de ipſis Friderico & Siculis haberetur, ſi Januenſium ſuffragio caruiſſent; aut ab hujuſmodi eorum obſtinatione deſiſterent, ſi de ipſorum Januenſium ſubſidio non ſperarent.

Quia igitur dignum eſt, & conſonum rationi, ut quos Dei timor a malo non revocat, ſeveritatis diſciplina caſtiget; nos, præſente hac fidelium multitudine copioſa, omnes & ſingulos de memorata civitate Januenſi, ejuſque territorio & diſtrictu, & præſertim de præfatis domibus Auriæ ac Spinulæ, qui contra prohibitionem ſedis ejuſdem præſtiterunt ipſis Friderico vel Siculis, aut eorum complicibus, ſequacibus, vel fautoribus, maxime noſtri apoſtolatus tempore, auxilium, conſilium, vel favorem, publicum vel occultum, nec dum ſuper iis ad mandata eccleſiæ redeundo debitæ abſolutionis beneficium obtinere meruerunt: & nominatim Ubertum de Auria, & Conradum de Spinula, & Conradum ipſius Uberti natum, qui eſt contra nos & eccleſiam, ac Regem Siciliæ memoratos prædicti Friderici publicus admiratus; denuntiamus lata in tales per eandem ſedem excommunicationis ſententia innodatos, diſtricte præcipientes eiſdem, ut infra dominicam proximo futuram, feſtum Aſcenſionis dominicæ præcedentem, quam eis pro peremptorio aſſignamus termino, ad noſtra & eccleſiæ prælibatæ mandata ſuper præmiſſis omnibus redire procurent, recepturi pro meritis noſtriſque mandatis ac beneplacitis abſolute ac libere paritari: alioquin ex tunc ipſos & eorum quemlibet, ac ipſorum, & cujuſlibet eorum natos omnibus beneficiis, eccleſiaſticis, ceteriſque gratiis, & indulgentiis, eis ab eadem ſede conceſſis; nec non baroniis, bonis & juribus quibuſcumque, quæ ab eadem Romana vel quibuſvis tenent vel habent eccleſiis, aut in regnis, provinciis, terris, ſeu locis eiſdem Romanæ ſeu aliis eccleſiis mediate vel immediate ſubjectis, decernimus eſſe privatos; & nihilominus reddimus eos inhabiles & indignos ad illa vel alia in poſterum obtinenda: & nihilominus omnes, & ſingulos de prædictis civitate, territorio vel diſtrictu fautores, valitores, & adjutores Friderici, & Siculorum rebellium eorumdem contra nos, & dictam eccleſiam & Regem prædictum exponimus captioni fidelium, præter mortis, & mutilationis periculum, & tanquam hæreticos & Chriſtianæ fidei inimicos, ac noſtros & eccleſiæ prælibatæ hoſtes publicos & perſecutores etiam manifeſtos, ac velut fautores, & adjutores hæreticorum decernimus puniendos, exponenentes ipſorum bona mobilia fidelibus ſic libere occupanda, ut occupantium ipſa fiant, &c. adjecta alia graviora imperia, & pœnæ intentatæ. *Actum Laterani in die cœnæ Domini pontificatus noſtri anno* VI.

Incuſſæ iis cenſuræ.

Intentatæ aliæ pœnæ.

XI. Commovit pœnarum terror Spinulas, alioſque Siculorum rebellium fœderatos: cumque oratores ad ſedem Apoſtolicam, de contrahendo fœdere cum Caroli Regis oratoribus agituros, miſiſſent, (a) iique ornarent diſceſſum, iterum Bonifacius, datis ad Genuenſes literis, propoſuit, (b) quantum decus ex inita cum eccleſia concordia colligerent; [1] quibuſve malis, provocata in ſe tum Numinis divini tum ſedis Apoſtolicæ ira, ſi adhæreſcerent Friderico inſulæ Siciliæ tyranno rempublicam obiicerent: *Univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus ſuper dictis tractatibus ſic vos ad concordiam promptos & benevolos præbeatis, ſicque vos coaptetis ad devotionem & obſequia eccleſiæ memoratæ, ac ad firmam, & ſolidam benevolentiam & amicitiam dicti Regis, quod eccleſia eadem vos ſibi devotos & gratos filios ſpeciales agnoſcat, ac vos & civitatem veſtram gratiis & gratioſis munificentiis digne proſequi valeat; & præfatus Rex, puram ſecuramque fiduciam in veſtra prudentia & dilectione conſolidans, prompto & puro vobiſcum conſurgat animo, & effectu pleno in muta ſinceritate conveniat, & ad ea, quæ veſtros & prædictæ civitatis honores profectuſque reſpiciant, ſe ac poſſe regium præparet merito & exponat.*

(a) Eod. l. 6. ep. cur. 15.
(b) Ep. cur. 16.

Solicitati iterum ut partes Friderici damnent.

Decet

NOTÆ [1] POntifici roganti nequid opis Carolo ferrent Genuenſes, nihil indulgendum cenſuerunt. Qua repulſa permotus Bonifacius urbem illorum & loca adjacentia interdicto ſubjecit. Rem totam narrat Georgius Stella, ſæculi ſequentis ſcriptor, cujus annales Genuenſes Murator. rer. Ital. to. XVII. vulgavit. Cœpit interdictum illud die feſta S. Martini. MANSI

Decet quidem vos prudenter advertere, quod ſi, quod abſit, ob culpas veſtras contingeret vos ab ipſius eccleſiæ gremio & gratia, favendo Frederico Siculiſque rebellibus damnabiliter deviare maxima & irremediabilis fere inde vobis & civitati veſtræ prædictæ infamia creſceret, ac divinæ ultionis judicium, & Apoſtolicæ ſedis provocationem, & iram, & per conſequens confuſionis veſtræ diſpendium, poſſetis non immerito formidare. Sed ſi tangente Domino corda veſtra, vos ad ipſorum ſedis & Regis gratanter duxeritis beneplacitis exponendos, non eſt ſub ambiguitate tenendum, quod divinæ retributionis præmium, humanæ laudis præconium, ac præfatæ ſedis benedictionem & gratiam abundanter & plene inde veſtra devotio conſequetur. Dat. Anagniæ non. maii anno IV. Injunxit (a) vero provinciam Porchetto Spinulæ, viro pietate doctrinaque inſigni, ut concordiæ capita Genuenſium ſummo magiſtratui & conſilio offerret, induſtriamque, ut ea ſuſciperent, navaret. Quod ſequenti anno perfectum tradit Genuenſis (b) hiſtoria. Uſus præterea eſt ad divellendos a Friderici amicitia Genuenſes Galliarum Regis opera, quem ſolicitavit literis, (c) ut illos a contracto cum Siculis fœdere abſiſtere moneret: quam rem ſi detrectarent, denuntiaret ſe ipſos commercio cum Gallis prohibiturum, atque alia remedia, quæ regia prudentia ſuaderet, adhibiturum.

(a) Ep. cur. 17.
(b) Foliet. Januen. hiſt. l. 6. Bizarr. l. 5.
(c) Ep. cur. 5.

Queritur Bonif. Philippum trajeciſſe in Sicil.

Significat Carolum Regem & Rogerium Lauriam acceſſiſſe ad ſedem Ap.

XII. Caroli Regis res ob Philippi filii cladem depreſſæ. Dum ita ad confirmandas Caroli II. res incumberet Bonifacius, labefactatas Philippi Tarentini principis temeritate fuiſſe accepit: is enim facta contra pontificia imperia in Siciliam exſcenſione, exeunte anno ſuperiori prima (d) decembris die, dum arcis Drepani obſidioni inſiſteret, a Friderico, qui ex montis illi imminentis cacumine male compoſita inſtructaque ipſius caſtra adverterat, ad pugnam laceſſitus, fuſus captuſque eſt. Ad redintegrandas tamen vires, cœptumque opus promovendum intentus ſummus Pontifex, Sabinenſem epiſcopum in Sicilia legatum monuit, (e) ut apud Jacobum Aragonum Regem inſtaret, uti triremes lectiſſimis militibus egregie inſtructas ſubmitteret: pariterque daret operam, ut Genuenſes in pontificias partes traduceret, ac magna ex iis auxilia eliceret. Quo etiam argumento ad Robertum Calabriæ ducem, Caroli majorem natu filium, ac Gerardum Card. literas dedit (f).

(d) MS. vet. de rebus Sic. pag. 29. Jo. Vill. l. 8. c. 34. Surit. annal. l. 5. c. 41. & ind. l. 2.
(e) Ep. cur. 2. Bonifacius majora ad eas erigendas comparat auxilia.
(f) Reg. poſt cond. ep. Datæ ad legatum ſedis Ap. eo argumento lit.

Gerardo Epiſcopo Sabinenſi Apoſtolicæ ſedis legato.

Siniſtri caſus eventu dilecti filii nobilis viri Philippi principis Tarentini tam ex tua, quam aliorum inſinuatione cum mentis amaricatione percepto, licet de ipſius temeritate progreſſus, & inordinato proceſſu cauſa nobis turbationis adeſſet, ac noſtri manum auxilii digne ſibi ſubtrahere quodammodo valeremus; ex eo ſpecialiter, quod contra expreſſæ noſtræ prohibitionis edictum princeps ipſe in Siciliæ transfretavit, & rem, quæ prope felicem eſſe videbatur effectum, conicitur ex ſuæ fatuitatis impulſu in timore periculi poſuiſſe; nolentes tamen ex cæteris conſiderationibus negotium deſerere inadjutum, excogitatis vitis, & modis, de quibus cum deliberatione chariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Siciliæ Regis illuſtris, & dilecti filii nobilis viri Rogerii de Lauria in Regno Siciliæ admirati, qui ad noſtram præſentiam propterea perſonaliter acceſſerunt, nos ad ipſius promotionem, ſuſtentationem, & expeditionem negotii proſperam, dante Domino, & felicem prout ad præſens divina gratia miniſtravit, duximus benigne ac favorabiliter exhibendos; ita quod iidem Rex, & admiratus expediti ad votum a nobis cum benedictionis noſtræ gratia receſſerunt: poſt quorum receſſum a nobis curſor tuus nobis apparuit, qui nobis ſerioſas tuas literas præſentavit.

Ut autem tuis votis circa hujus utilitatem negotii plenius ſatisfiat, tuam volumus non latere notitiam, quod inter cætera, quæ ad ipſius negotii fulcimentum, & ad tuam, ac dilecti filii nobilis viri Roberti ducis Calabriæ, ac aliorum, qui vobiſcum ibidem negotium proſequuntur, & illorum etiam Siculorum, qui jam ad mandata eccleſiæ redierunt, conſolationem & ſubſidium ſunt proviſa, ſpeciales ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Jacobum Aragonum Regem illuſtrem ſunt nuntii deſtinati, ut de terris ſuis bonus militum & galearum, de perſonis fidelibus munitarum, numerus habeatur.

Mitti oratores ad Jacobum Regem Arag. pro conſtanda claſſe.

Nec propter hoc omiſimus, quin tam cum communi, quam cum ſpecialibus civibus intrinſecis & extrinſecis Januenſibus nos juvemus. Per chariſſimum etiam in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Francorum illuſtrem procuramus commune Januæ modis congruentibus exhortari, ne Friderico & Siculis rebellibus per commune ipſum, aut per ſpeciales concives eorum, favor vel auxilium præbeatur; ſed quod illi ex eis, qui ſe jam in Siciliam in rebellium auxilium tranſtulerunt, ad propria revocentur: alioquin civibus ipſis mora, & omne commercium regni Franciæ interdicatur omnino: & ſimile in diverſis regnis, & diverſarum comitum, baronum, & civitatum terris fieri procuramus. De qua etiam Januæ civitate, ipſiuſque diſtrictu bonum expectamus armatorum de perſonis fidelibus numerum galearum, in tuum & præfati ducis, ac devotorum illuc ſuccurſum & præſidium mittendarum.

XIII. Genuenſes Philippi Regis Francorum opera ad partes eccleſiæ revocatum iri.

Ab iis triremium & militum apparatum expectari.

Interim autem per chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum Regem Siciliæ illu-

illustrem, per admirati prædicti & aliorum ministerium ordinavimus victualia, & alia opportuna deferri. Magistrum quoque hospitalis S. Joannis & magnum præceptorem domus Militiæ templi Jerosolymitanorum in partibus cismarinis personaliter duximus ad nostram præsentiam evocandos, cum quibus disponimus providere, ut magna & honorabilis de fratribus & personis suorum ordinum in Siciliam quantitas transmittatur, magnis donis & muneribus gratiarum per nos eis in castris, terris, atque proventibus impendendis: qui etiam inibi stabilem habeant futuris temporibus mansionem.

Templarios & Hospitalarios plures, pugnaturos adversus Siculos evocare.

Italiæ insuper civitates, quæ in devotione ecclesiæ perseverant, ut munitæ persistant de equis & equitibus ac personis ad arma diligentius permovemus, & alias magnum strenuorum militum, & aliorum equitum numerum in nostrum vestrumque subsidium præstolamur, ut & aliæ partes Italiæ extra regnum in statu ponantur & maneant pacifico & tranquillo; ac ut, si opus fuerit, inde vobis auxilium provenire valeat ac succursus. Nonnulla vero alia pro subsidio negotii acies considerationis nostræ circumspicit, quæ præsentibus non duximus inserenda.

XIV. Fœderatas Italiæ urbes ad ferenda auxilia excitari.

His etiam majora, sed silenda agitari.

De circumspectione autem tua, quam sicut prudens & diligens in commissis observas, grata rememoratione contenti; tuis quoque solicitudinibus, anxietatibus, & laboribus pleno compatientes affectu, providentiam tuam exinde multiplicem in domino commendamus, & ea tibi ad multiplicationem laudabilium adscribimus meritorum; fraternitatem tuam rogantes & hortantes attente, quatenus de ineffabili Dei potentia indubitate confidens, ac tuam & aliorum fidelium, tibi assistentium, mentes diligenter & incessanter constantiæ virtute corroborans, actus & studia tam tua, quam eorum per continuationem circumspectionis & operis cures de virtutibus dirigi magnanimiter in virtutes; ita quod tui, eorumque labores optatos fructus, auxiliante Domino, repræsentent. Dat. Laterani kal. februarii anno VI.

Hortatur legatum ad rem strenue gerendam.

XV. Fridericus Carolum Regem de pace inunda interpellat. (a) *Lib. ep. cur.* 72. Excipit illius oratores Carolus, nec Pontificem de re certiorem facit.

Interea Fridericus ad confirmandas res, cum Philippum Caroli Regis filium invinculis teneret, de pace ineunda Carolum interpellavit: qui cum ipsius oratores excepisset, nec tamen Bonifacium de iis certiorem fecisset, non leves inde Pontifex iras concepit: & Carolo, intentatis gravissimis pœnis, edixit, (a) ne inconsulta sede Apostolica cum hoste tractaret: ni pareret, se cum Friderico ineundi fœderis vias quæsiturum.

Carolo Regi Siciliæ illustri.

Actus tuos præteritos recensentes, & recolentes tractatus, quo in tuis agendis interdum hactenus tenuisti, de iis, quos tenes, vel tenebis in antea, merito formidamus. Nec sine ratione timemus: non enim excidit a nostra memoria qualiter, dum essemus in minori officio constituti nos & venerabilis frater noster Gerardus episcopus Sabinensis in adjutorium tuum missi, quando tempore felicis recordationis Nicolai Papæ IV. prædecessoris nostri obsidebatur Gajeta, tibique vicinis nobis irrequisitis & insciis, tractasti cum charissimo in Christo filio nostro Jacobo, nunc Rege Aragonum, & perfecisti tractatum; contemptis in hoc non solum nobis & dicto episcopo, sed & Romana ecclesia matre tua.

Exasperatus ex eo Bonifacius Carolum arguit. Obicit intempestivas ab eo inducias initas.

Non sumus obliti quam providos, quam discretos & utiles habuisti & firmasti tractatus cum præfato Jacobo, tunc hoste prædictæ ecclesiæ atque tuo, pro tua & tuorum liberatione natorum. Ex quibus, & aliis quæ memoriter retinemus, experientia longa didicimus, quod te proprio sensui in arduis innitente, tibi male successit, & hoc processus habiti circa missionem dilecti filii Philippi Tarentini principis nati tui, in Siciliam nuper missi, manifeste declarant. Et utinam ex erroribus habitis in præmissis tu solus detrimenta sentires, & nos & ecclesia supradicta, & Christianitas non sentiremus ex talibus nocumenta. Quæ prudentia, fili, fuit; quam reverentiam ad nos, & dictam ecclesiam habuisti, si, prout accepimus, nuper in quodam galione Frederici nostri hostis ac tui nuntios recepisti, ipsosque remiseris, quid petierint quidve responderis ad nostram notitiam non perducto?

Exitiales tractatus cum eodem Jacobo agitatos.

Volentes igitur futuris ex tua præcipitatione & subitatione periculis obviare, celsitudinem tuam monemus & hortamur attente, per apostolica scripta tibi sub debito fidelitatis, quo nobis & ecclesiæ Romanæ teneris, & excommunicationis pœna, quam, si secus feceris, te incurrere volumus ipso facto, districte præcipiendo mandantes, quatenus cum Frederico prædicto, vel ejus nuntiis nullum tractatum habitum, vel habendum firmare, aut executioni mandare præsumas absque nostro speciali consensu, per nostras bullatas literas apparente. Nos enim quicquid secus feceris ex nunc omnino cassamus, & cassum & irritum decernimus & inane.

Niti nimium sua prudentia.

Tarentinum principem imprudenter misisse.

Inconsulta fede Apost. cum Friderico hoste ecclesiæ tractare.

Vetat Carolum cum Friderico fœdus inire, nisi Ap. sedes assenserit.

Cæterum pro certo tenere te volumus, quod si te aliter, quam hactenus feceris, nostris beneplacitis non coaptes; & si salubria mandata nostra contemnas, quantumcunque pro tuis relevandis oneribus, & periculis evitandis innumerabiles quasi effuderimus pecuniæ quantitates, exquiremus vias & modos, per quos, quamvis cum damno tuo pax nobis cum præfato hoste proveniat, ne diutius Terra sancta in manibus hostium fidei teneatur. Dat. Later. v. id. januarii anno V. Repetitis paulo post literis, incusso anathematis, atque aliarum pœnarum terrore, imperia eadem de-

XVI. Ni pareuerit, se Friderico conciliato, Syriæ consulturum.

dedit, (a) ne cum Siculis tractatus ullos iniret: vel enim benevolentia tandem emollitum iri, vel divinis & humanis viribus frangendos contundendosque, nec unquam Carolo opera & consilio defuturum.

Repetita aliis literis eadem imperia. (a) *Lib. 6. ep. cur. 4.*

Ornavit operibus verba Bonifacius, Regemque Aragonum gravissimis literis solicitavit, (b) ut instructam egregie auxiliarem classem ad restituendam socero Siciliæ insulam submitteret: utque ad id flecteret, ingentia beneficia, quibus ab ecclesia affectus esset, proposuit. Tum graves adjecit querelas, ipsum in Aragoniam, parta antea victoria, se recepisse: cum universa insula, illius potentiæ terrore fracta, ad obsequium reditura fuisset. Ursit denique, ut clientes suos, qui sub Friderico stipendia facerent, revocaret ab illius obsequio, atque oratores insulanorum, qui ad Caroli imperium reversi erant, benigne exciperet, ac maritimis auxiliis instrueret.

XVII. Rex Aragonum ad ferendam Carolo opem solicitatus. (b) *lb. ep. cur.* 74.

Charissimo in Christo filio Jacobo Aragonum Regi illustri.

Datæ eo argumenti.

Adhibe, fili, quæsumus, allocutionibus paternis & monitis filialis promptitudinis intellectum, ut in te semina sparsa fructificent, mollescant duræ, quæ scribimus, & amara dulcescant. Si enim affectum nostrum intenta mente perspexeris, & effectum ex nostra proventurum affectione penseveris, fructum colliges spiritualis & temporalis commodi ex eisdem, noxia procul dubio vitaturus. Nosti quidem, non ut improperando loquamur, quod te dudum, ambulantem in tenebris umbræ mortis, ad lucis semitam non absque immensitate solicitudinum & laborum viis ac modis, utique salutiferis & utilibus, exquisitis provide curavimus revocare, ac magnis ex munificentia sedis Apostolicæ tibi collatis honoribus, & muneribus gratiarum, vexillum ecclesiæ matris tuæ tibi duximus propriis manibus conferendum, ut illo velut athleta Christi & pugil intrepidus uteveris fideliter, constanter, & viriliter contra hostes. Sed qualem fiducia nostra super ulnas tuas super hoc obtinuerit sessionem, quantum inde nobis & eidem ecclesiæ, ac tibi etiam quietis vel inquietis, opprobrii vel honoris obvenerit, consideremus tuæ diffinitioni committere, si velles fidei servare decorem, ut eorum memoria nostri, vel tui torqueret animam delinquentis.

Exponit effusum in illum Apost. studium.

Nunquid potest detestabilis error haberi, dum in Siciliæ partibus magna tibi desuper collata victoria contra hostes, illa ob tuam, vel tuorum, aut utroxumque culpam uti regali constantia neglexisti, dum post hostium mentes territas, & animos consternatos effectum victricis gloriæ, ac gaudii triumphalis prosequi & sumere non curasti? Nunquid incautus habebitur, vel læsæ conscius voluntatis, qui de procellarum fluctibus ad litora vectus incolumis, illas subito repetit inconsultus? Qui conflictum in victoriosa prosecutione certaminis, illam deserit, & a consternati recedit facie inimici? Prudentum quidem tenet opinio, & vulgaris habet assertio, quod si contra Fredericum & Siculos fuisses tuos victoriosos processus constanter & viriliter prosecutus, ipsi ad mandata sedis Apostolicæ coacti vel voluntarii absque longi tractu temporis rediissent. Sed non absque ruboris & mentis amaricatione referimus, quod super hoc in te culpa obvenerit, tua est apud bonos & graves denigrata serenitas, vel vacillat. Decuisset insuper ut finalem tuum nobis præsignificasses abscessum, & in eo saltem benedictionis nostræ gratiam petiisses.

Ut significerum crearit ecclesiæ. Eversas spes, quas in eo collocarat.

Si ad cœpta incubuisset, Siculos ad obsequium ecclesiæ omnino fuisse redituros.

Veruntamen nos, laudabilis & benevoli nostri propositi memoriam retinentes, quia in bono malum nequaquam præsumimus, nec odium in dilectione notamus; ac in tua & tuorum amplius innocentia delectamur, quam lætemur in culpa; celsitudinem regiam paterno monemus, rogamus & hortamur affectu, quatenus sic in antea circa ea, per quæ nobis & dictæ sedi complaceas, & maxime in hujusmodi negotio, a cujus eventu in maxima parte dependet Terræ sanctæ commoditas, disponas regiæ mentis intuitum, actus exponas, convertas studia, & opem impendas & operam, quod tenebrosam caliginem, quæ in opinione vulgari tuam tuorumque famam operuit, prudenter abstergas, & te ac illos luce clarere facias puriori, futuris supplens operibus defectus, si quos tu vel tui potius hactenus commisistis: & ut talem te opera repræsentent, qualem nostra commonita comprehendunt, oriundos de regno & terris tibi subjectis, qui præfatis Friderico & Siculis erronee ac imprudenter adhærent, ut ab eorum errore se revocent, & a prædictorum Frederici & Siculorum discedant obsequiis, efficaciter studeas compulsionis opportunæ remedio coarctare; districtius prohibens sub expedientibus pœnis, ut nullus ex tibi subjectis ad ipsos Fredericum & Siculos accedat, vel mittat, aut eis impendat, publice vel occulte, auxilium, consilium, vel favorem. Illos vero ex tuis subditis, qui cum venerabili fratre nostro Gerardo episcopo Sabinensi Apostolicæ sedis legato, & dilectis filiis nobilibus viris Roberto duce Calabriæ cognato tuo, ac Rogerio de Lauria, qui tuus fidelis existit, in nostrum ac præfatæ sedis servitium in ipsa Sicilia moram trahunt, diligentius exhorteris, & efficaciter injungas eisdem, ut ipsis legato, duci, & Rogerio ferventer assistant, & fideliter obsequantur, ita quod ipsi tuam & eorum inibi fidem, prudentiam, & constantiam utiliter repræsentent.

Præteritam labem detergat.

Aragonios e Siculorum castris revocet.

Alios qui sub Carolo stipendia faciunt, ad fidem adhortetur.

Parta de Siculis victoria, rem confecere detractasse.

XVIII. Preces addit, ut intermissa repetat.

XIX. Strenuas aliquot copias in Caroli auxilium submittat.

Cæterum in fidelium ecclesiæ fulcimentum morantium in Sicilia memorata, & ad obtinendam victoriam contra hostes ex consulta deliberatione processit tibi, ut firmiter creditur, placitura, ut certus militum & galearum numerus egregie munitorum de terris tibi subjectis celeriter habeatur, & ad hoc solemnes & speciales nuncii destinentur: quibus, sicut gratiam nostram diligis, & honorem tuum illæsum desideras conservare, opportunum ad id exhibeas & exhiberi facias auxilium, consilium, & favorem; ita quod, tuo fulti suffragio, faciant & obtineant commode, celeriter, & utiliter id, ad quod extiterint destinati. Considera itaque, fili charissime, quanta te affectione prosequimur, & conformans ad obsequia Jesu Christi & sanctæ matris ecclesiæ mentem tuam, sic te Deo, nobis, & ipsi ecclesiæ gratum, obsequiosum exhibeas, & fidelem, quod perennis vitæ præmium, nostram & memoratæ sedis benedictionem & gratiam, ac humanæ laudis præconium, quibuslibet exclusis obstaculis, tamquam benedictionis filius uberius consequi merearis. Dat. Laterani XVIII. *kal. februarii anno* V.

Pontificiis voluntatibus se accommodat Jacobus.

(a) *Ep.* 134.

Eidem Regi Pontifex, magno ære alieno ob sumptus in bellicum apparatum contra Fridericum effusos obstricto, duorum annorum decimas impertivit (*a*). Gessisse vero illum morem apostolicis precibus, refert Surita, (*b*) ac regio edicto Aragonios & Catalanos, intentata bonorum mulcta ex insula Siciliæ revocasse; tum etiam classem ad redigendam in foceri potestatem Siciliæ insulam instruxisse, cui Rogerius Lauria præfectus ad Pontiæ insulæ oram Siculos magno prælio delevit (*c*). Sed contra terrestri certamine insulani superiores fuere, (*d*) ac Regis Caroli copias duce Blasco Alagone fudere, Gualteriumque Brenensem comitem cepere.

(b) *Surit. annal. l. 5. c. 42.*

(c) *Ib. c. 46. & MS. de reb. Sic. pag. 86.*

(d) *Id. ib.* Comparata a Bonif. undique ingentia auxilia.

XX. Roberto comiti Atrebat. in Siculos se accingenti attributæ decimæ.

Suspensa itaque dubiis successibus victoria, Bonifacius non ingentia modo ex Genuensibus & Aragonia, verum ex Galliis quoque subsidia comparare nisus est: Robertum enim Atrebatensem comitem ad vindicandas ecclesiæ Rom. injurias decimis illi in nonnullis ipsius ditionis diœcesibus concessis, (*e*) solicitavit. Aliis etiam literis (*f*) permisit, ut easdem decimas ad triennium colligeret: tum etiam malis artibus, usuris nimirum & rapinis, quæsitas opes, quarum domini justi non reperirentur, in ejusdem apparatus bellici sumptus derivaret (*g*). Præterea Carolum Valesium Galliarum Regis fratrem, comitem Andegavensem (illo enim comitatu, ut Aragoniæ juribus cederet, a Neapolitano Rege donatus fuerat) virum acerrimi ingenii ac magnæ in rebus bellicis industriæ excivit, tum ut ejus opera adversus Siculos, tum ad compescendas exorientes in Italia factiones uteretur: quem etiam ut alliceret obtinendi Imperii spem injeciſſe ferunt, (*b*) utque gerendo bello necessaria adornaret, decimas Galliarum nonullarumque Imperii provinciarum attribuit: cleroque Gallicano ut æquiori animo imposita onera ferret causas exposuit, quæ ipsum ad Carolum in Italiam accersendum impulissent; ac nonnulla præfatus de suo levandi ab injustis oneribus cleri desiderio, ac Regum & principum dissensione, quæ instaurandis hactenus in Terræ sanctæ rebus obfuisset, subiicit: *Ecce quidem fratres & filii, non latet in abditis, sed per diversos orbis angulos innotescit, qualiter jam fere viginti annorum spatio quondam Petrus olim Rex Aragonum, subdolus nequitiæ perpetrator; & subsequenter diversis temporibus nati ejus, sibi succedentes in vitio, contra nos & eandem ecclesiam, & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem insulam Siciliæ occuparunt ac tenuerunt, & adhuc etiam pro majori parte detinent nequiter occupatam. Quarum occupationis & detentionis occasione & causa contigit olim perditio Terræ sanctæ; sed nec ei potuit opportunum ministrari subsidium de partibus cismarinis. Et quamvis inopinatis auxiliis, ac insperatis operibus, illucescente illi gratia Salvatoris, sit ipsi Terræ sanctæ via recuperationis, reparationis, inhabitationis, & munitionis civitatum & locorum, dudum ibidem deperditorum, aperta; tamen ob induratam antiquatæ jam rebellionis nequitiam prædictorum Siculorum & Frederici nati prædicti quondam Petri olim Regis Aragonum, sub cujus devio in tenebris & umbra mortis obdormiunt, & propter alia scandala quæ insurgunt, præfata mater ecclesia in adhibendis opportunis eidem terræ subsidiis impeditur. Status insuper Tusciæ impetitur admodum fluctibus scandalorum: civitates, loca, & incolæ ipsi matri ecclesiæ subjecta rebellant, nequitiæ venena fundentia & laborantia ingratitudinis vitio contra eam: & nisi eorum insolentiæ compescantur, invalescent plurimum rebelliones ipsorum, & periculose succrescent.*

(b) *Jo. Vill. l. 8. c. 42.* Injecta illi Imperii spes. Attributæ ad constandum exercitum decimæ.

Ut Siculorum rebellio Syriæ exitium attulerit.

Et ideo non solum de prope, sed etiam de longe sub spe divinæ potentiæ ad obviandum tot fluctibus totque malis, & periculis resistendum, & ad rebellantium superbiam edomandam auxilium, juvamen, & fortitudinem invocare compulsi, dilectum filium nobilem virum Carolum comitem Andegavensem, claræ memoriæ Philippi Regis Francorum natum, virum utique nobilitatis & generis excellentia præfulgentem, potentia præditum, exercitium in armis, & ecclesiæ præfatæ devotum, per quem speramus & credimus, honores & commoda ipsius ecclesiæ in hac parte posse viriliter,

Ad Tartaros, qui Syriam eripuerant Saracenis, vi detur alludere.

XXI. Ad tollenda hæc mala Carolum comitem accersit,

liter, potenter, & feliciter promoveri & satisfieri utiliter votis nostris; advocare, providimus in opportunum auxilium & juvamen ipsius ecclesiæ matris suæ, ordinato jam, ut decuit, cum eodem, ut usque ad festum purificationis B. Virginis proximo futurum iter arripiat cum magna & honorabili armatorum, militum & equitum comitiva venturus continuatis dietis, & intraturus personaliter in Italiam, ac mansurus in ipsius Italiæ provinciis sive locis, de quibus Apostolica sedes duxerit ordinandum: ut ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum adventus & mora ejus Domino auxiliante persistant; & tranquillato statu Siciliæ, aliisque Italiæ rebellibus subjugatis, ac ad nostra, & dictæ sedis mandata redactis, de opportuno ipsius Terræ sanctæ succursu possit utilius & efficacius provideri, & universalis occidentalis ecclesiæ sabbatum procuretur, &c. Dat. Laterani II. *kal. decembris anno* VI. Scriptis vero ad comitem, cujus promptissimo auxilio egebat, literis significavit, (*a*) sui esse consilii, ut nisi intra purificationis Virginis festum diem cum egregiis copiis se in Italiam conferret, datis decimis non potiretur. Ne porro Italia ejus adventu commoveretur, promulgavit apostolico diplomate Bonifacius, (*b*) se illum principem ad edomandos ecclesiæ perduelles, ac maxime pro Siciliæ regno recuperando excivisse. Quamvis vero Tarentinus princeps exeunte anno superiori fusus & captus fuisset, Robertus tamen dux Calabriæ Catanenses, Radonianos, Ragusianos, & Nothianos ad suas & ecclesiæ partes pellexerat: quade re certior factus Pontifex, Catanensibus est gratulatus: (*c*) sed ii demum ex initi posthea fœderis cum hoste legibus ad Friderici obsequium redierunt,

Constituta Carolo dies qua Italicum iter susceperus esset.

(a) *Ib. ep. cur. 52.*

(b) *Ep. cur. 53.*

Catania a Roberto duce deditione accepta.

(c) *Ep. cur. 7.*

XXII. Eugubini Gibellinarum partium concives Guelphos pellunt.

(d) *Jo. Vill. l. 8. c. 43.*

(e) *Lib. 6. ep. cur. 21.*

Neapoleo S. Adr. diac. Card. in Piceno & ducatu Spol. creatus legatus.

(f) *Ep. cur. 20.*

(g) *Ep. 21.*

Emersere eodem tempore in Umbria intestina bella: Gibellinæ enim factionis Eugubini, excitis in auxilium Aretinis, & earumdem partium Picentibus, conjurationem in Guelphos Eugubinos conflarunt, ac parte eorum ferro cæsa, alios bonis exutos in exilium pepulerunt, ut tradit Joannes Villanus (*d*): quod facinus etiam deplorat Bonifacius (*e*) atque ad infringendam & edomandam perduellium Ecclesiæ audaciam, Neapoleonem S. Adriani diaconum Cardinalem, quem Piceni & ducatus Spoletani præsidem dixit, (*f*) legati etiam apostolici auctoritate instructum, in provinciam misit. De qua ei imposita provincia diploma (*g*) apostolicum ad ipsum est datum, in quo de extinguendarum seditionum studio hæc affert.

Cum in aliquibus ipsarum provinciarum terris & locis hostis humani generis, pacis æmulus & zizaniæ seminator turbationes & scandala suscitarit, satagens inibi nedum terrestres, sed & cœlestes dulces amaricare delitias; ac non solum earumdem, sed & vicinarum partium de novo incœperint viri sanguinum, viri pestilentes, hostes Dei & ejusdem ecclesiæ, suorumque fidelium ausibus serpentinis insurgere; qui nequitiæ virus, quod modernis temporibus sub melle gestabant, nequiter effundentes, in totius regionis subversionem & scandalum iniquo molimine pro viribus operantur, ut specialiter patet apertius in Eugubinæ civitatis angustiis, excidiis, & ruina, quam hostes iidem variis discriminibus nuperrime subjecerunt; fideles cives ejusdem furore bellico lacerando, nonnullis ex fidelibus ipsis immaniter cæde cæsis, reliquis in exilium traditis sub doloris aculeis, & miseria paupertatis, ac eadem civitate totaliter occupata; nos ex iis graves & amaras sentientes in corde non sine magni doloris acerbitate puncturas, & præcavere volentes, ne in ipsis provinciis malium persecutionum & nequitiarum olla durioribus flammis ebulliat, ne succensus ignis universaliter provincias ipsas exurat, consurgere providimus sub spe divinæ potentiæ ad nequam hostium molimina refrænanda, ad hujusmodi persecutionem & scandalorum faces per opportunum adjectionis aquæ remedium extinguendas, ad consolationis bonum afflictis fidelibus properandum, ut fidelium mentes condigna provisio in debita stabilitate corroboret pacis & concordiæ, dissidentibus viam pandat salutis, quietis, fertilitatis, & prosperitatis devotis incrementa conquirat, ad Dei laudem, & exaltationem ecclesiæ memoratæ. Dat. Anagniæ VI. *kal. junii anno* VI.

Ad pacandos exortos in provinciamotus hortatur.

Excepere debito honore legatum Spoletani, seque illius jussis ad oppugnandos Eugubii invasores, restituendosque exules Guelphos paratissimos exhibuere: quo facto ita apostolicam gratiam promeruere, ut Bonifacius in nonnullis locis, in quibus clausa fuerant templa, aperiri jusserit, ac fidelium communioni eos, qui anathemate devincti erant, restitui imperarit (*h*). Non ita Perusini ad vindicandas ecclesiæ injurias ardere debito in eam studio præ se tulere, qui venienti legato denuntiarunt, vereri se, ipsum in urbem admittere, ne ejus adventus ad seditionem nonnullos concitaret. Quo accepto, Bonifacius rem totam non formidini, sed vitio minorique observantiæ in sedem Apostolicam tribuit, ac Neapoleonem profici sci Perusium, atque intrepide munus sibi demandatum exequi jussit (*i*): *Profecto*, inquit, *grave fuit hoc indevotionis indicium, & ad Romanam ecclesiam matrem suam minus sana, quinimo stulta circa id eorum consilia processerunt, ac malum & detestabile aliis ecclesiæ præfatæ filiis & devotis inde ministrarunt exemplum. Nonne aliæ civitates Lombardiæ, Tusciæ, ac*

Sopienda mala imminentia.

XXIII. Spoletani legato operam commendant.

(h) *Ib. ep. cur. 31.* Perusini ad legatum in urbem excipiendum difficiles se præbent.

(i) *Ib. ep. cur. 38.* Correpti a Bonifacio.

ac aliarum Italiæ partium ; nec non aliarum nationum fidelium Reges, & principes legatos præfatæ sedis reverenter admiserunt hactenus, & admittunt, quamvis temporalis rectoria, & jurisdictio legatis ipsis non committitur in eis ? Quis ecclesiam reverebitur prælibatam, si ejus fideles, & subditi eam, postposito devotionis & fidelitatis debito, vilipendant ?

Legatus ad eos proficisci jussus.

Certe detestabiliter egit ac nimis erravit eorundem Perusinorum prudentia, te legatum, utique magnum & nobile membrum ejusdem ecclesiæ, & de domo tam devota, fideli, potenti, ac nobili procreatum, dubitando reverenter admittere, seu potius contemnendo. Cum igitur non sint in eis præmissa conniventibus oculis transeunda, prudentiam tuam monemus & hortamur attente, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandantes, quatenus præmissis nequaquam obstantibus, ad dictam civitatem Perusinam te personaliter conferens, ut legatum, commissum tibi legationis officium in eisdem civitate, diœcesi, territorio, & districtu, prout honori Dei, nostro, & dictæ sedis, ac tuo congruerit, & expediens fuerit, exequaris ; ac eorundem Perusinorum formidatio, quin potius indevotio non transeat aliis in exemplum. Datum Laterani XIII. *kal. novembris anno* VI. Quæ fuerint inde consecuta, indicat Joannes Villanus, (*a*) dum tradit, Eugubinos exules Guelphos, Perusinorum viribus fultos, Eugubinum recuperasse, ac Gibellinos magna clade & strage depulisse,

(*a*) *Jo. Vill. l.* 8. *c.* 43.

Perusinorum ope rebelles Eugubini perdomiti.

XXIV. Alba & nigra factio exorta Pistorii.

Nec minus seditionibus infesta eodem anno Etruria fuit : erupisse enim Pistorii [1] primum adversas duas factiones, quarum alterius sequaces nigri, albi alii dicebantur, scribit idem auctor, quibus Florentia brevi infecta fuerit, malumque postea in varias Italiæ partes emanarit. Inter hæc cum Gibellinæ factionis viri sensim in reipublicæ magistratus irreperent ; ac periculum impenderet, ne urbem in Gibellinas partes magno publicæ quietis damno traducerent ; Bonifacius a Guelpharum partium oratoribus excitatus, (*b*) ut malis occurreret, Matthæum Aquaspartanum Portuensem, & S. Ruffinæ episcopum Card. quem Joannes Villanus, (*c*) eumque secutus S. Antoninus (*d*) Ostiensem vocant, legatum in Etruriam, atque alias Italiæ provincias, quas subjectum diploma pontificium enumerat, (*e*) cum amplissima potestate misit, ac præsulibus, & regionum locorumque præsidibus, cæterisque proceribus suam illi operam commodare jussit (*f*).

(*b*) *Jo. Vill. l.* 8. *c.* 38. Matthæus Aquasparta Card. legatus in Etruriam missus.

(*c*) *Eod. l. c.* 39.

(*d*) *S. Anton. tit.* 20. *c.* 8. §. 14.

(*e*) *Lib.* 6. *ep. cur.* 26.

(*f*) *Reg. post cand. ep.*

Bonifacius &c. Matthæo Portuensi & sanctæ Ruffinæ episcopo Apostolicæ sedis legato.

Porrecta ad alias etiam provincias illius legatio.

Considerantes attentius, & infra claustra pectoris meditatione solicita revolventes, quod nefandæ hostis antiqui nequitia, qui semper quærit ut noceat, semper in circuitu ambulat ut offendat, in plerisque locis Lombardiæ, Tusciæ, & Romandiolæ provinciarum ; Aquilejensis, & Gradensis patriarchatuum, Ravennatis, Mediolanensis, Januensis, & Pisani archiepiscopatuum, Marchiæ Tervisinæ, Venetiarum, Bononiensis, & Ferrariensis civitatum, earumque diœcesium & territoriorum, locisque vicinis eisdem, discordiarum zizaniam seruit, ingessit lites, commovit scandala, odia suscitavit ; grandi utique desiderio ducimur, curisque multimodis excitamur, ut malis hujusmodi, molestis quamplurimum votis nostris, efficacibus & opportunis remediis obvietur ; & ecclesiasticis, religiosis, sæcularibusque personis, in partibus locisque degentibus memoratis, Apostolicæ sedis benigna visitatione præventis, deformata, ubi providam reformationem recipiant, pravi & noxia procul penitus profligentur.

Attendentes igitur quod gratiarum dator Altissimus personam tuam scientiæ magnitudine, providentiæ dono, discretionis virtute, industriæ munere, circumspectionis gratia, & aliarum virtutum titulis de-

Legati elogia.

co-

NOTÆ [1] DE factione alborum & nigrorum, quæ Italiæ loca nonnulla, Tusciam vero totam corripuit, agendum hic primo suscipit annalista ; sed ante aliquot annos pestis hujus exordium collocat Ptolemæus Lucensis in annalibus ; ex inspectis enim Lucensium commentariis didicisse se scribit anno 1295. cœpisse *discordiam Cancellariorum de Pistorio, ut nominarentur albi, & nigri*. Cancellariorum familia in urbe Pistorio, potentia, opibus, & hominum numero tunc maxime valebat. Incitamenta hæc fuerunt discordiarum, quibus brevi auctis, ad factiones duas ventum est. Hæc privatorum odia totam continuo rempublicam conflagrarunt ; neque in una se urbe continente morbo vicinas primum urbes, Lucam, Florentiam corripuit. Ex quo demum magis magisque invalescens, per totam late Tusciam, & Italiæ loca nonnulla se se diffudit. Nominis origo forte trahenda est ex alba & nigra cetarie, qua alterius partis duces & capita distinguebantur, quod docuit unus, quem sciam, vetus scriptor Ferretus Vicentinus, quem anno 1330. historiam suam scripsisse prodit, qui illum primus vulgavit Muratorius rer. Italic. tom. IX. Fallitur vero Spondanus, qui ad annum 1245. XVII. scribit Guelfos nigris, Gibellinos vero albis adhæsisse ; nam ex Joanne Villano, & Dino Compagno eorum temporum scriptoribus discimus has nigrorum, & alborum factiones, vel ipsos unius ejusdemque partis Guelfæ Gibellinæve homines inter se commisisse. Quin & ex eodem Villani lib. VIII. cap. XXXVIII. discimus hæc nigrorum alborumque dissidia ipsam Florentinorum Guelforum factionem in mutuas corruentem cædes pene extinxisse. MANSI

coravit, humeros tuos fortitudinis robore munendo, ut onera grandia facilius supportares ; plenam quoque, immo plenissimam de tuis laudabilibus meritis fiduciam obtinentes, licet apud sedem Apostolicam ex tui maturitate consilii tua non modicum opportuna præsentia dignoscatur, nosque illa careamus inviti ; te tamen ob honorem & exaltationem Ecclesiæ, ac reformationem, & directionem necessarias, ac desideratam quietem partium prædictarum, de fratrum nostrorum consilio illuc tanquam pacis angelum duximus destinandum ; fraternitati tuæ in provinciis, patriarchatibus, archiepiscopatibus nec non civitatibus memoratis, earumque diœcesibus, districtibus, ac territoriis, & locis, ac partibus supradictis plenæ legationis officium committentes, ut evellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes, ac facias auctoritate nostra quæcumque ad honorem Dei, prosperum statum partium earumdem, ac reformationem pacis fidelium videris expedire, &c. Datum Anagniæ X. *kal. junii anno* VI.

Demandata ipsi auctoritas.

Scribit Joannes Villanus, (*a*) Matthæum Cardinalem Florentiam mense junio hujus anni accessisse, magnisque honoribus exceptum : cumque temperando urbis statui studium applicare cœpisset, exortis novis odiis, adversas voluntates conciliare non potuisse ; quod Dinus Compagnus oculatus testis confirmat (*b*).

(*a*) *Jo. Vill. l.* 8. *c.* 39.

Legati ad Florentinos conciliandos studia.

(*b*) *Din. Comp. M. S. chr. l.* 1.

XXV. Principes ecclesiastici in Albertum conjurant.

Concitatos quoque in Germania hoc tempore maximos bellicos tumultus, scribit Siffridus (*c*), ac tres electores principes archiepiscopos Gerardum Maguntinum, Trevirensem Adolphi occisi Regis fratrem, & Colonien sem adversus Albertum conspirasse. Quibus addit Henricus Rebdorfensis (*d*) hos principes, conflata in Albertum conjuratione, Rodulphum ducem, eundemque comitem Palatinum exciviss e, contendisseque ad Palatinum comitem ex suscepta inveterata consuetudine spectare, ut in controversiis, quæ in Romanorum Regem moventur, tamquam judex sententiam ferat : intentasse vero Alberto capitale crimen ob Adolphum Regem interfectum, atque ideo a gubernaculis Imperii submovendum : at Albertum, comparato mox florentissimo exercitu, electores armorum vi ad sua imperia coegisse.

(*c*) *Siffrid. epit. l.* 2. *& alii.*

(*d*) *Henr. Rebdorf. in annal.*

Cæsi Adolphi judicium illi intendunt.

Armorum vi ad Alberti obsequium revocati.

Effluentibus interea indictis a Bonifacio, electo controversiæ arbitrio, induciis inter Gallorum & Anglorum Reges, ne in arma consurgerent, eas prorogandas censuit (*e*).

XXVI. Prorogatæ inter Anglos & Gallos induciæ.

Ad futuram rei memoriam.

Dudum inter charissimos in Christo filios nostros Philippum Franciæ ex parte una, & Eduardum Angliæ ex altera Reges illustres super diversis articulis materia dissensionis exorta, iidem Reges & speciales ipsorum procuratores & nuntii ad nos pro-

(*e*) *Lib.* 6. *ep.* 282.

pterea destinati, & ab eis super iis specialem potestatem habentes, in nos tanquam in privatam personam, & dominum Benedictum Gajetanum tanquam in arbitrum, arbitratorem, sententiatorem & amicabilem compositorem, præceptorem, ordinatorem, dispositorem, & pronunciatorem super reformanda pace & concordia inter ipsos Reges ; & super iis, quæ ad pacem pertinent, ac super omnibus, & singulis discordiis, guerris, litibus, controversiis, causis, quæstionibus, damnis, & injuriis, petitionibus, & actionibus, realibus & personalibus atque mixtis, quæ fuerant, erant, vel esse poterant inter eosdem Reges occasione quacumque, alte ac basse, absolute ac libere sub certa forma compromittere curaverunt ; volentes, promittentes, & expresse consentientes tamdiu compromissa hujusmodi perdurare, quamdiu treugarum voluntarie initarum antea inter dictos Reges tempus, & terminus perduraret ; & quod nos interim, si placeret nobis ac videremus expediens, possemus in antea hujusmodi compromissorum ac ferendi arbitrii, seu arbitragii, & aliorum in compromissis hujusmodi contentorum ; nec non & prædictarum treuguarum tempus, & terminum simul, & non aliter, semel & pluries ad nostrum beneplacitum prorogare.

De compromisso in Pontificem edito.

Nos vero, prædictis compromissis receptis, quandam ordinationem super hujusmodi negotio, prout tunc conditio temporis, & negotii status & qualitas suadebant, duximus faciendam ; nonnullis in eodem negotio sub ordinatione futura remanentibus hactenus in suspenso, prout in pronunciatione prædictæ ordinationis plenius continetur. Postmodum autem attendentes, quod faciente pacis actore, a quo cuncta bona procedunt, ea quæ ordinanda duximus, prospera successione virebant ; & desiderantes admodum, ut in dicto negotio ex nostris studiis, divina suffragatione fulcitis, felix & desideratus proveniret effectus, ac propterea præcavere volentes, ne tempus ipsius perficiendi negotii laberetur ; præfatas treuguas, prout fuerunt initæ vel indictæ, ac inter omnes, easdemque personas, inter quas, & quoad quas extiterant indictæ vel initæ ; ac prædicta compromissa, & in posterum ferendum arbitrium seu arbitragium, totumque negotium, prout ex futura nostra ordinatione ac decisione pendebant, duximus usque ad festum Epiphaniæ futurum proxime proroganda, prout in nostris bullatis inde confectis literis plenius continetur.

Nonnulla controversa nondum dirempta.

Designatum ad ea concilianda tempus.

Nunc insuper, quia desideriis nostris valde votivum occurrit, ut super hujusmodi negotio desideratus finis adveniat ; ac nolentes ob id, ut ejusdem tempus præcomplendi negotii patiatur excursum ; prædictas treuguas, sicut fuerunt initæ & indictæ

ctæ inter omnes easdemque personas, inter quas, & quoad quas earum provenit indictio & præfata compromissa, & in posterum ferendum arbitrium seu arbitragium totumque negotium prout ex futura nostra ordinatione ac decisione dependent; a prædicto nunc proximo futuro Epiphaniæ festo usque ad aliud ex nunc secundo venturum Epiphaniæ festum ex hujusmodi potestate arbitraria nobis tradita, prorogamus. Quam quidem prorogationem, & omnem ejus effectum præcipimus sub pœnis in compromissis ipsis adjectis, & aliis juxta nostrum arbitrium inferendis, inviolabiliter a partibus observari; ordinatis, arbitratis, præceptis, diffinitis, laudatis, & pronunciatis per nos hactenus in memorato negotio in sua nihilominus remanentibus firmitate. Nulli ergo &c. Dat. Laterani XII. *kal. novembris anno* VI.

XXVII. Almericus Narbonæ dominus more majorum archiepiscopi fiduciarium se profiteri negat.

Addenda hic videntur quæ Bonifacius cum iis Regibus egerit. Ac primum graviores querelas apud Galliarum Regem ob invasa nonnullarum ecclesiarum jura effudit. Almericus enim Narbonæ vicecomes contra majorum consuetudinem, qui se archiepiscopi fiduciarios sacramento apud aras professi erant, non illius, sed Galliarum Regis tantum stipendiarium esse contendebat. Regii etiam administri Melgorienses comitatum, ab sede Apostolica Magalonensi episcopo jure fiduciario traditum, invaserant: quem ex Romanæ ecclesiæ dominio pendere subjectis literis probavit Bonifacius, atque (*a*) ad asseranda jura ecclesiastica Narbonensi archiepiscopo Almericum ad sedis Apostolicæ judicium accersivit.

Melgorienses comitatus ereptus Magalonensi episc.

(*a*) *Lib. 6. ep. cur. 35.*

Regi Franciæ illustri.

Recordare, Rex inclyte, progenitorum tuorum actus strenuos, meritaque præclara intuere, ac respice quod Deus regnantium honor & gloria beatum Ludovicum avum tuum Regibus dedit in speculum, & populis in exemplum, quæ ipsius nepos, quasi charissimus filius imiteris; prudenter attendens, quod tantam habebat conscientiæ puritatem, quod non solum scienter, sed nec ignoranter dispendium aliis volebat inferre, causam quam ignorabat adinstar sancti Job diligentius investigans. Unde cum super comitatu Mergolii Magalonensis diœcesis nonnulla auribus instillarentur ipsius, in tantum ut ad quem pertineret comitatus hujusmodi hæsitaret; nolens ex abrupto procedere, vel incerto, felicis recordationis Clementis Papæ IV. prædecessoris nostri, quem super hoc putabat habere notitiam, requisivit consilium, tam humiliter quam prudenter, sicut ex tenore literarum prædecessoris ejusdem, quem præsentibus tibi mittimus intercluſum, colligere poteris evidenter. Post cujus prædecessoris Clementis responsum Magalonensis ecclesia a regalium exactionibus conquievit, quæ ab olim tenuit & tenet in feudum ab Apostolica sede comitatum eumdem, prout constat ex vetustissimis documentis, & ex iis, quæ in ejusdem sedis conservantur archivio, ac ex prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum literis, quæ de dicto comitatu faciunt mentionem. Quapropter dolemus non immerito, & turbamur, si relatibus facta respondeant, quod sicut accepimus, officiales tui venerabilem fratrem nostrum Gerardum episcopum, & dilectum filium capitulum Magalonense super comitatu prædicto, & hominibus comitatus, immo nos & Apostolicam sedem gravant, impetunt, & molestant.

S. Ludov. mota de Melgorii comitatu controversia, Clementem consuluisse.

Constare vetustissimis monumentis juris esse Apost.

Haud videri honestum, Gallici regni limitibus adeo amplificatis, ecclesiarum possessiones invadere.

Cum igitur Deus per suam misericordiam, non sine multimodis nostris & sedis ejusdem præsidiis, adeo dilataverit funiculos & limites regni tui juriumque tuorum, ut nec tibi expediat ad occupanda bona aliorum & jura; præsertim nostra & prædictæ sedis, ac Magalonensis ecclesiæ memoratæ, super comitatu præfato, qui tenetur a nobis & sede prædicta, manus occupatrices extendere; circumspectionem regiam tenore præsentium hortamur & rogamus attente, tibique paternis affectibus, salubriter suademus, ut senescallis, officialibus, & balivis tuis districte præcipias, quod de cætero a dictorum episcopi & capituli ac vassallorum super dicto comitatu molestatione desistant: exhortationes & preces nostras hujusmodi sic efficaciter impleturus, quod a Deo præmium consequaris, nobisque & sanctæ Romanæ ecclesiæ matri tuæ, te præcipuum filium repræsentes, quicquid super hoc faciendum duxeris nobis tuis literis responsurus.

Ad restituendum comitatum Melgor. hortatur.

XXVIII. De Almarico Narbonensi vicecomite jura archiepiscopi infringente queritur.

Ad hæc præmissis adiicitur grandis injuria, & amara querela, qua ad nostrum pervenit auditum, quod nobilis vir Amalricus vicecomes Narbonæ, antiquorum progenitorum suorum, qui ecclesiam Narbonensem & alias eidem subjectas, quantum & quamdiu potuerunt, multipliciter impugnarunt, vestigiis inhærens pestiferis; jurisdictionem & omnia, quæ dicta Narbonensis ecclesia teneat vel habeat in civitate ac burgo Narbonæ & pertinentiis eorundem, & quæ indubitanter tenebat, ac tenere debebat in feudum ab eadem ecclesia Narbonensi; quæve parentes sui a centum fere annis citra continue archiepiscopis, qui pro tempore ipsi ecclesiæ præfuerunt, & pater istius vicecomitis eodem præsente, sciente, & intelligente Narbonensi archiepiscopo, qui nunc præest, cum sacramento fidelitatis & homagio, præsente quoque multitudine hominum, clericorum & laicorum, nobilium & ignobilium copiosa, ante majus altare in ipsa ecclesia Narbonensi, ut moris erat prædecessorum eorumdem, publice recognoverant a dictis archiepiscopo & ecclesia Narbonensi, se tenere in feudum, ut indubitatis constat Regum

Exponit ut antiqui moris fuisset, ut vicecomites solemni ritu fidem archiepiscopo devincirent.

gum Franciæ prædecessorum tuorum privilegiis, vicecomitum Narbonensium literis eorumdem vicecomitum sigillis signatis, & aliis etiam luce clarioribus documentis, & hæc ipse idem vicecomes procuratorio nomine patris sui, dum viveret, in tua curia fuit manifeste confessus; a paucis citra temporibus maligno ductus spiritu, in magnum contemptum, præjudicium & injuriam non solum præfatæ Narbonensis ecclesiæ, verum etiam aliarum ecclesiarum totius provinciæ Narbonensis, a te recognovit in feudum: & in damnationis suæ cumulum, & evidentius sæpedictæ Narbonensis ecclesiæ nocumentum, non solum ea a te, ut prædicitur recognovit; sed ut Gallicano utamur vocabulo, advocavit, immo etiam ea a dicto archiepiscopo, & ecclesia Narbonensi deavocavit expresse. Fili charissime, talia mentem nostram amaricant, & perturbant, & ut ad apponenda remedia convertamur, excitant & instigant: nec possumus, nec debemus tam grandia detrimenta ac exheredationem quandam Narbonensis ecclesiæ supradictæ sub dissimulatione transire: nec talia pati debuerat dignitatis Regiæ rectitudo, & prudentia circumspecta. Ab olim ecclesia, Regum lactata mamillis, excrevit in potestatem, dignitatem, libertatem, celsitudinem, & gloriam sæculorum: nunc, pro dolor! a Regibus eorumque officialibus premitur, ancillatur, spernitur, & multipliciter expugnatur.

Novatum ab Amalrico in ecclesiæ damnum.

Deplorat Bonif. olim. ecclesias adeo auctas a Regibus tum a successoribus eximaniri.

XXIX. Divini judicii terrorem Philippo objicit.

Hæc, fili, tolerando in ecclesiis regni tui hibes merito formidare, quod ulciscetur hæc Deus judicii dominus, & Rex regum, ejusque vicarius finaliter non tacebit, ne forsitan audiat: Canis mutus latrare non valens; qui etsi patienter ad tempus expectet, ut locus misericordiæ non claudatur, tandem exurget ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Utinam saperes & intelligeres, & novissima provideres, ac plene discuteres immissiones, quæ quasi per malos angelos tibi fiunt & suffurronibus, ac pravis consiliariis facilem non præberes auditum; & solerter cognosceres, quod quasi mali prophetæ, loquentes placentia, vident tibi falsa & stulta, assumptiones falsas & ejectiones; nec attendunt, quod inter naturam & gloriam est media gratia, sine qua a prima ad tertiam non transitur. Caveas igitur, diligenter, ne ad stultum finem consilia talium, qui adulatione decipiunt te, deducant.

Nos nihilominus, ne tantum dispendium memoratæ Narbonensis ecclesiæ transeat impunitum, neve aliis præbeatur exemplum tam nefanda similia attentandi; contra Almaricum ipsum & alios, quos negotium istud contingit, ex officio nostro & de apostolicæ plenitudine potestatis deliberavimus procedere summarie, de plano sine strepitu & figura judicii, prout justitia exiget, & videbimus expedire; ipsumque Almaricum mandamus sub certa forma ad nostram præsentiam evocari. Cæterum excellentiam regiam volumus non latere, quod ex quo stimulamur in tantum, nec blandimenta proficiunt, nec corriguntur errata; literas nostras, quas super talibus & similibus tibi dirigimus, jam ordinavimus regestari ad perpetuam rei memoriam. Quis autem ex eis & aliis, necnon ex illis, quæ nuperrime per solemnes nuntios tibi significanda decrevimus, subsequentur effectus, novit ille, qui secretorum est cognitor, & præscius futurorum. Dat. Anagniæ XV. *kal. augusti anno* VI. Crevit hæc temporis progressu discordia, dum Bonifacius superstes fuit: qui etiam archiepiscopo Narbonensi intentato graviorum pœnarum terrore prohibuit, (*a*) ne ullam, sede Apostolica inconsulta, concordiam iniret. E vivis autem erepto Bonifacio, cum Benedictus XI. ad pacandas discordias incumberet, Almericus professus est, (*b*) Narbonensis ecclesiæ beneficio se principatu potiri: archiepiscopus vero Gallo Regi solita sacramenti forma fidem addixit.

Significat in Amalricum legibus ecclesiasticis asturum

(*a*) *Bened. XI. l. 1. ep. 613.*

(*b*) *Ead. ep.*

Quod ad Magalonensem ecclesiam spectat, cujus jura Philippus Rex invadebat; Bonifacius ad ea asserenda superioribus literis adjecit aliarum Clementis IV. literarum exemplum, olim ad S. Ludovicum Regem, qui Pontificem de juribus illius comitatus consuluerat, missarum, quibus sanctissimo Regi jurium sedis Apostolicæ rationes patefecit.

Clemens episcopus servus servorum Dei, charissimo in Christo filio Ludovico Regi Francorum illustri salutem, &c.

XXX. Clementis ad S. Lud. lit. de Melgorii comitatu.

Quia quidam ex ignorantia, quidam ex malitia veritatem interdum sepeliunt, interdum quibusdam coloribus adulterinis obducunt, ideo, fili charissime, recte agis, si quoties tibi dubia offeruntur, quorum tibi expediat plenam habere notitiam, causam quam nescis diligentius investigas, quia sicut judicio cognita, sic incognita casu. Sane tua nuper a nobis serenitas requisivit quid de comitatu Melgorii, quem venerabilis frater noster Magalonensis episcopus possidet, sentiremus; cum tuæ celsitudini sit suggestum, quod vel tibi, vel dilecto filio P. Peleti domino Alesti vassallo tuo fiat injuria. Ad quod tibi breviter respondemus, prout constat ex vetustissimis Apostolicæ sedis documentis. Comitatus prædictus est feudum Romanæ ecclesiæ censuale, quod juste tenuit, ut communiter dicitur, aliquo tempore bonæ memoriæ Bertrandus comes abavus dicti P. sed & comites Tolosani juste, ut ipsi dicebant, injuste, ut plurimi sentiebant, illud diversis temporibus tenuerunt. Verum cum comes Tolosinus pater quondam comitis To-

Ex vetustissimis monumentis Apost. vestigalem esse.

Raymundo comite Tolos. damnato de hæresi, comitatum ad ecclesiam Rom. revocatum.

*losani, proximo jam defuncti, ex causis ad judicium apostolicum ratione fidei pertinentibus, per felicis recordationis Innocentium Papam prædecessorem nostrum terris suis & honore privatus, suis meritis congruentem sententiam excepisset; bonæ memoriæ P. de Benevento subdiaconus & notarius prædecessoris ejusdem, tunc in illis partibus Apostolicæ sedis legatus, comitatum prædictum, quem idem comes eodem tempore possidebat, ad jus Romanæ ecclesiæ, sicut debuit, revocavit. Quod tempore procedente R. Peleti proavus dicti P. restitui sibi petiit a legato prædicto: qui nolens, sicut nec debuit, eidem negare justitiam, auditore sibi concesso, Guillelmum tunc Magalonensem episcopum constituit ad jus Romanæ ecclesiæ defendendum, fuitque in eodem negotio eousque processum, quod lite contestata fuit ex parte procuratoris exceptum, quod idem comitatus libram debebat annuam Romanæ ecclesiæ censualem, & erat ipsius dominio *... non solverat multo tempore retracto. Quod idem actor fuit de plano confessus, & nihilominus ad probandum jus suum, quod fuerat a procuratore vexatum, testes produxit plurimos. Sed, quicquid in causa fuerit, remansit negotium indecisum: sed tempore consequenti cum videret Romana ecclesia dictum R. intentionem suam in judicio non fundasse, quod etiam si fecisset, sibi prodesse non poterat propter cessationem diutinam annui canonis non soluti, remque litigiosam non esse perpendens, quam sine speciali mandato legatus memoratus non potuit deducere in judicio, dicto prædecessori nostro placuit sæpedictum comitatum Magalonensi episcopo & suis successoribus sub censu annuo in feudum concedere: sicque ipse & ejus prædecessores ex tunc pacifice possederunt; hoc salvo, quod defunctus ultimo comes Tolosanus Malgorium & quædam castra alia episcopo abstulit supradicto: sed postmodum ad cor rediens & reddidit liberaliter, & libenter. Et hæc, quæ de dicto legato præmisimus, facta noveris antequam recordationis inclytæ pater tuus, Franciæ Rex effectus, negotium assumeret Albiense, immo & ante quam pater, vivificæ, crucis suscepto charactere, civitatem adiens Tolosanam, potenter ac viriliter eam obsidione vallasset. Nos autem, qui dictum P. & prædecessores suos sincere dileximus ab antiquo, hæc omnia semper revolvimus, & fideliter laboravimus in statu alio, constituti, ut Magalonensis ecclesia aliquid eis daret, sed non potuimus obtinere.*

* privatus, quia

Magalonensi episcopo jure fiduciario datum.

XXXI. *Nuper vero ex quo, licet immeriti, sedem conscendimus altiorem, ad ejusdem P. devotam instantiam venerabili fratri nostro episcopo Magalonensi dedimus potestatem aliquos ei reditus assignandi. Ad quod nos induxit ejusdem P. domusque suæ dilectio jam præscripta: sed & honor ejusdem episcopi & utilitas, cui credebamus expediens; & ut possemus scrupulum conscientiæ, si quis erat, redimere, vulgi clamoribus satisfacere, omni juris necessitate, cessante, & dictam domum satis sibi vicinam in sua gratia retinere. Quocirca, fili charissime, nemo tibi suadeat præjudicium in iis omnibus, vel eorum aliquo tibi factum: nisi forsan ad id se velint convertere, qui de sede Apostolica male sentiant, ut inquirant quomodo Romana ecclesia in Regno Franciæ feuda habere potuerit, sicut aliquos audivimus susurrantes. Quibus dicimus, quod licet utique habet hæc & alia, nec est aliquid quod impediat, cum nec regnum cum Regibus natum fuerit, nec a solis Regibus acquisitum. Etsi veteres legant historias de Narbonensis acquisitione provinciæ, personales labores invenient Romanorum Pontificum & sudores, qui non tam Regum fuerunt socii in victoriis, quam Reges nunc sequaces, nunc socios habuerunt tamquam negotii Narbonensis domini principales. Tuis ergo contentus finibus, & regni latitudine, quod virtute mirifica nostris temporibus Dominus ampliavit, dictum episcopum, & in ipso Romanam ecclesiam non perturbes nec susurronum somniis irritatus, qui quandoque loquentes placentia credulis auribus fel mellitum instillant, quod in te, fili, posse non credimus, tuæ dudum constantiam circumspectionis experti. Cæterum de moneta miliarensi, quam idem episcopus cudi facit, ut dicitur, in feudo ecclesiæ, ei scribimus, quod etiam juri contrarium arbitramur, & Christianæ inconveniens honestati. Dat. XVI. kal. octobris anno II.*

Refellit eos, qui negant Rom. Pontifices fiduciaria bona possidere in Gallis potuisse.

Non continuerat etiam puras manus ab invadendis ecclesiarum bonis Eduardus Anglorum Rex, quem Bonifacius hortatus est, ut erepta Eboracensi ecclesiæ restitueret Thomæ archiepiscopo, quem ea dignitate ornarat Pontifex, Regique & clero, ac suffraganeis commendarat (*a*): *Temporalia*, inquit, *seu regalia ejusdem Eboracensis ecclesiæ, quæ per te vacationis ejusdem tempore teneri dicuntur, sine qualibet difficultate restituens, te sibi reddas in regia favore munificum, & cunctis opportunitatibus gratiosum; ita quod idem archiepiscopus tuæ celsitudinis fultus auxilio, in commissa sibi cura pastoralis officii possit Deo propitio prosperari, & tibi exinde a Deo perennis vitæ præmium, & a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum Laterani VII. id. martii anno VI.*

XXXII. Spoliat Eboracensem eccl. Eduardus.

(*a*) Reg. post ep. cur. 37. Monetur a Bonifacio ut erepta restituat.

Hoc anno, cum orientalium Christianorum Regum reportatæ de Saracenis victoriæ fama in occidente increbuisset, adornandæ in Terram sanctam expeditionis consilium Bonifacius suscepit (quamvis postea illud evanuerit) eaque occasione

XXXIII. Coactæ decimæ pro instauratione Terræ sanctæ.

sione ad cogendas ex toto orbe Christiano decimas incubuit, quo argumento plures in ejus regesto extant literæ (*a*). Cæterum parum Pontificiis desideriis principum zelus respondit; Joannes tamen Britanniæ dux, pietate incensus sacro bello se devovit, quem Pontifex literis suis magnis laudibus extulit (*b*).

(*a*) *Lib. 6. ep. 104. ad 112.*

(*b*) *Ib. ep. 278.*

Joanni duci Britanniæ.

Gaudemus & lætamur in Domino, quod tu grandis devotionis ad Deum, Romanam ecclesiam, & Terram sanctam claritate præfulgidus, ipsius terræ necessarias commoditates advertens, suis profectibus desideranter intendis, ac intento prosequeris animo, quæ sibi percipis profutura. Nuper enim nobis per tuos nuncios & literas intimasti, quod tu zelo ferventi ad ipsius Terræ sanctæ negotium reverenter aspirans, vivificæ Crucis assumpto signaculo, ad terram eandem, ad quam jamdiu habuisti propositum transfretandi, & ad quam alias transfretasti, proponis & properas, aut in instanti, vel saltem infra festum nativitatis B. Joannis Baptistæ proximo futuram in ejusdem terræ subsidium cum majori & meliori, qua poteris, comitiva nobilium personaliter iter arripere transfretandi. Quare nobis humiliter supplicasti, ut ad hoc pium præbentes assensum, tibi & omnibus tecum transfretaturis transfretandi licentiam & consuetam indulgentiam concedere dignaremur.

Joannes dux Britanniæ suscipiendæ Asiaticæ expedit. consilium significat.

Ille indulgentias crucis signa secuturis solitas conferri postulat. Annuit ejus votis Bonif.

Nos igitur, attendentes quod ad ipsum dirigis studiosis operibus mentem tuam, ut pro sui gloria nominis in terris corpore militans, & labores amplectens, cœleste præmium consequaris; nobilitatis tuæ prudentiam exinde multipliciter in Domino commendamus, ac laudes & gratias Altissimo inde referimus, qui hoc tibi conspicitur inspirasse. Ideoque tibi super hujusmodi tuo salubri proposito favorabiliter annuentes, tibi & omnibus, quos tecum transfretaturos elegeris, quique tecum duxerint transfretandum, petitam transfretandi licentiam, illamque indulgentiam, quæ transfretantibus in ipsius terræ subsidium concessa fuit in generali concilio Lugdunensi, auctoritate præsentium impertimur. Tu itaque, fili, mentem tuam prudenter & devote ad prosecutionem operis tam laudandi corroborans, votum tuum in hac parte sic solicite, sic laudabiliter exequaris, quod ex hoc repromissum præmium gerentibus bellum Dei consequaris ab ipso, in Apostolicæ sedis gratia pleniori concrescas, & humanæ laudis præconium merearis. Dat. Anagniæ IV. kal. octob. anno VI.

XXXIV. Syriæ conversiones.

Duxisse in Syriam crucesignatum exercitum Britanniæ ducem non reperio, ac facile ab arduo consilio deterritum arbitror, cum novas Syriæ conversiones intellexisset. Hoc enim anno Cassanus, cum mense ac dimidio evolutis apud Damascum fessas bello vires recreasset, audita Baydonis Regis Tartari in Persidem irruptione, eo signa dirigere coactus est: ex cujus discessu Capchick proditionis consilia agitavit, atque æstate adulta, cum nulli ex occidente ad ineundam Syriæ possessionem, quam restitui Christianis Cassanus ipse jusserat, adventarent exercitus, traductæque essent in Persidem vires Tartarorum, Syriam in pristinum Saracenorum dominatum redegit, ut hisce verbis narrat Aytonus (*c*): *Cumque Cassanus taliter moraretur, & daret se solatio & quieti, & ecce rumores venerunt de quodam suo consanguineo nomine Baydo, qui ingressus fuerat regnum Persarum, damna Cassano plurima inferendo: & quia dubitabatur ne deterius faceret, consultum fuit Cassano, quod ad propria remearet. His itaque rumoribus intellectis, Cassanus præcepit majori duci sui exercitus, qui vocabatur Cotulossa, quod cum parte exercitus ad custodiam regni Syriæ remaneret, & Molay ac aliis Tartaris, qui erant in terra Gazaræ, mandavit, quod obedirent Cotulossæ, quem dimiserat loco sui. Post hæc ordinavit Cassanus bajulos & rectores super qualibet civitate, & tradidit civitatem Damasci * Capchick proditori superius nominato, nondum enim Cassanus cognoverat velle suum. Postea vocari fecit ad se Regem Armeniæ, & suum sibi reservavit recessum, dicens: Libenter tradidissemus terras, quas acquisivimus, custodiendas Christianis, si venissent, & si venerint, Cotulossæ dabimus in mandatis, quod eis restituat omnes terras, quas hactenus tenuerunt, & ad reparationem castrorum det eis subsidium opportunum.*

(*c*) *Aython. hist. orien. c. 43.*

Baydonis irruptio in Persidem.

Revocatus ab expeditione Syriæ Cassanus.

* al Calphak

His omnibus sic completis, Cassanus arripuit iter suum, tendens versus Mesopotamiam: cumque ad flumen Euphraten pervenisset, mandavit Cotulossæ, ut dimissis Molay viginti millibus Tartaris, ad eum cum residuo exercitu accedere festinaret. Cotulossa quidem fecit, sicut receperat in mandatis: unde Molay steit in custodia regni Syriæ pro Casano: & suadente Capchick proditore, Molay se transtulit versus partes Hierosolymitanas in quodam loco nominato Gaur, ut ibi pabula pro equis & alia necessaria inveniret. Æstivo vero tempore adveniente, Capchick prædictus, qui erga Cassanum jamdudum conceperat falsitatem, occulte misit ad Soldanum, quod redderet sibi Damascum, & alias terras, quas Cassanus & Tartari occupaverunt in regno Syriæ. Et Soldanus promisit Capchick, quod si ea, quæ promiserat, adimpleret, sibi daret perpetuo dominium civitatis Damasci, & de thesauro suo etiam magnam partem, & sororem suam sibi traderet in uxorem. Et ita post modicum temporis spatium Capchick, rebellis effectus, fecit omnia castra Tartaris rebellare: spes

Dat imperia, ut Christianis restituatur Palæstina.

Molay Hierosolymas tendit.

Damasci defectio.

Tartarorum e Syria fuga.

enim illorum erat æstus æstivi temporis, in quo Tartari non poterant equitare, neque fuis subsidium impertire. Quando Molay vidit, quod omnes terræ rebelles factæ fuerunt, non fuit ausus stare cum tam modica gentium quantitate: unde per viam breviorem se transtulit ad regnum Mesopotamiæ, & notificavit Casano omnia, quæ in regno Syriæ evenerant seriatim. Casanus vero tunc non potuit aliud facere per æstum temporis: sed veniente tempore hyemali super litora fluminis Euphratis suum fecit maximum apparatum. Quæ dein sint secuta, sequenti anno dicetur: nunc reliquas orientis res conjungimus.

XXXV. Cyprus intestinis discordiis agitatur. (a) *Lib. 6. ep. 153.*

Recrudescebant tunc in Cypro graves seditiones, quæ cum regnum illud eversuræ essent, ni remedium afferretur, Bonifacius apud Regem questus est, (a) ab ipso sancitam legem, dum regni status melius temperari posset, non servari, monuitque ne ex eo gravissima mala emergerent, periculum impendere.

Henrico Regi Cypri illustri.

Hortatur Henricum Reg. Bonifacius, ut a se sancita ad regnum componendum observet.

Circa illa te convenit, fili charissime, opem & operam exhibere solicitam, quæ divinæ majestati complaceant, tuæ salutis incrementa procurent, tuique regni statum respiciant prosperum & tranquillum. Sane fide digna relatione comperimus, quod ordinationem piam & providam quam pro tua & ipsius regni quiete pridem inter te, ac prælatos, & religiosos ejusdem regni auctoritate apostolica duximus faciendam, pro tua voluntate non servas, nec facis ab aliis observari: propter quod verisimilis dubitationis causa suggeritur, ne occasione hujusmodi gravis in regno prædicto turbationis materia suscitetur. Cum igitur ad tuam dictique regni pacem, & quietem continuam more pii patris, quem non prætereunt filiorum incommoda, solicitis studiis intendamus, excellentiam regiam rogandam attente duximus & hortandam, quatenus pro divina & Apostolicæ sedis reverentia, tuique honoris augumento, prædictam ordinationem indesinenter observes, & inconcusse facias observari; illam super hoc efficaciam impensurus, ut exinde præter laudis humanæ præconium a Domino præmium consequaris, nosque regiæ devotionis promptitudinem non immerito commendemus. Datum Laterani XIV. *kal. januarii anno* VI.

XXXVI. (b) *Hist. Turc. l. 1.* (c) *Baron. in notis MS.*

Erupisse per hæc tempora funesta Turcarum Imperii initia Laonicus Chalcondylas (b) Athenienſis & Card. Baronius (c) observant. Cum vero jam ante Soldanos Turquiæ interdum a Romanis Pontificibus solicitatos ad fidem Christi amplectendam viderimus, jamque in immensum eorum potentia excreverit, Turquiam, ex qua hoc tempore erupere, quam jam multis ante sæculis subegerant, ex Aythono (d) eorum finitimo & coætaneo describere operæ prætium esse ducimus: *Regnum*, inquit, *Turquiæ est valde magnum, & divitiis opulentum.* Et infra: *Confines habet ex parte orientis cum Armenia majori, & partim cum regno Georgiæ. Ex parte occidentis dilatatur usque ad civitatem Sataliæ, quæ supra mare Græciæ situm habet. Ex parte Settentrionis nullos habet cum aliqua terra confines; sed de longo in longum extenditur supra litora maris majoris. Ex parte meridiei partim habet confines cum secunda Armenia, & partim cum Cilicia, & partim usque ad mare Græciæ dilatatur, & respicit insulam Cypri. Istud regnum a diversis nationibus partium orientis Græcia appellatur, quia antiquitus Imperator Græcorum terram istam Turquiæ, quasi pro suo proprio servabat, & per duces atque officiales Imperatoris tunc temporis regebatur. Postquam vero Turchi occupaverunt terram illam, & habitaverunt ibidem, elegerunt dominum super eos, & illum vocaverunt Soldan, quod idem est quod Rex in idiomate Latinorum: & ex tunc terra illa fuit vocata Turquia, præcipue a Latinis.* Pluribusque interjectis de illius provinciis præcipuisque urbibus, subdit de gentium in Turquia morantium ritu: *In regno Turquiæ habitant quatuor gentium nationes, videlicet Græci, Armeni, & Jacobini (isti Christiani sunt, & vivunt de mercationibus & laboribus terræ) & Turchi, qui sunt Saraceni, & illius, terræ dominium de Græcorum manibus abstulerunt, & aliqui sunt, qui vivunt de mercationibus & laboribus terræ, & habitant in civitatibus, & in villis; alii vero semper petunt nemora, & stant in campis hyeme & æstate, qui ovium sunt pastores, & sunt sagittarii valde boni.* Id regnum jam ante subactum (e) a Tartaris, oblatumque (f) Livoni Regi Armeniæ vidimus: sed ab ipso repudiatum honeste, cum ad ampliſſimas provincias in officio continendas ab occidentalibus Christianis non juvaretur. Antequam vero eas regiones Turci Græcorum eriperent Imperio, eorum obscura adeo extitit origo, ut ex quibus regionibus emerserint, certent scriptores: in eam vero opinionem vergit Chalcondylas, (g) ex Scythis genus duxisse, atque agrestem maxime & inconditum vivendi morem tenuisse, quod ipsam Turci vocem significare ait. Post vero Sultanum Azatinem pulsum a Tartaris Turci Græcis, a quibus in adversis excepti cultique fuerant, (h) improbam gratiam retulerunt, gravesque intulerunt clades, quas ita describit Nicephorus Gregoras.

Descriptio Turciæ.

Illius conversiones variæ.

(d) *Aython. hist. orien. c. 13.*

(e) *An. 1257. n. 62.*

(f) *An. 1274. n. 22.*

(g) *Chalcon. l. 1.*

(h) *Nicephor. Greg. hist. l. 7.*

Sub hoc tempus in oriente maximæ calamitatum, & turbulentissimæ tempestates extiterunt: nam cum nulli ibi Romanorum exercitus esseni, Turcorum Satrapæ, conjunctis viribus, incursarunt omnia usque ad

XXXVII. Græcorum Imperium laniatum a Turcis.

ad mare quodlibet, & ad ipsas Ægas commigraverunt; maximam partem virorum simul & mulierum, item infantes, jumenta, opes Turci recens occuparant: qui vero clam evaserant, in proximas urbes confugerunt: nonnulli etiam nudi & inopes fretum trajecerunt. At Turci, jam inita concordia, omnes in Asia Romanorum provincias sorte distribuerunt, Carmano Alisurio pleraque mediterranea Phrygiæ obvenerunt ipsius ad Philadelphiam, & proxime Antiochiam, ad Meandrum fluvium sitam. Quidquid inde est Smyrnam, usque, & ad interiorem Joniæ oram Sarchani cuidam obvenit. Nam Magnesiam, Prienen, & Ephesum alius nomine Susan interceperat. A Lydia & Æthelia usque ad Mysiam, ad Hellespontum sitam, Calames & filius ejus Ceraſus obtinebant. Quæ circa Olympum sunt & Bithyniam omnem Atman a flumine Sangario ad Paphlagoniam usque Amurii filii inter se partitt sunt. Hæc Gregoras, qui Atman vocat, quem Chalcondylas (a) Ottomanem appellat: in cujus successoribus reliquorum principatus postea coaluere, atque ita is Turcarum primus Rex collocatur, qui Prussam Mysiæ urbem fame subegit, atque in ea regiam constituit: tum ad stabiliendum regnum versis studiis prætorianos milites lectissimos sibi comparavit, quos januas sive portas appellavit: suique terrorem adeo omnibus incussit, ut ad exequenda ipsius imperia mox impigre provolarent. Auxere prosperos barbarorum successus Græcorum discordiæ, cum Andronicus Michaelis filius senioris Andronici nepos, pellectis in defectionem pluribus, avo suo per vim & nefas sceptrum eripere meditaretur: ita enim Turcæ resistente nemine, Asiaticos Græcos oppressere, atque in tantam hodie potentiam ex imbellibus initiis Christianorum lugubri ignavia assurrexere, ut oppressa Christiani orbis parte jam reliquam perdidissent, ni impios illorum conatus Deus reprimeret.

(a) *Laonic. Chalcond. de reb. Turcicis l. 1.*

Prussa ab Ottomano subacta regia Turcorum sedes facta.

Græcorum schisma discordiæ barbaris augendæ potentiæ occasionem injecere.

Exo-

I. EXoritur cum novo sæculo Servatoris annus millesimus trecentesimus primus, quartadecima indictione, quo Bonifacius illius divini oraculi: *Ecce* (*a*) *constitui te super gentes, & super regna, ut evellas & destruas, & ædifices & plantes*; non immemor, Albertum Germanici imperii, ac Boemum regni Ungarici invasores in judicium accersivit: & Maguntino, Colonienſi, ac Trevirenſi archiepiſcopis provinciam Alberto denuntiandi tradidit, (*b*) ut oratores ſuos ad ſedem Apoſtolicam mitteret ad impoſitum ſibi læſæ majeſtatis crimen, quo cæſo Adolpho Romanorum Rege ſe devinxerat, purgandum; ac ſi pontificia imperia reſpueret, illius ſubditos ſacramenti religione liberatum iri, Romanumque Pontificem divinarum humanarumque legum pœnas ipſi incuſſurum: eodemque argumento ad cæteros principes electores literas dedit (*c*).

(*a*) *Jerem. c.1.*

Poſtulati judicio a Bonif. duo Reges.

(*b*) *Bonif. l.7. ep. cur.5.*

(*c*) *Regeſt. poſt cand. ep.*

Venerabilibus fratribus Maguntino, Colonienſi, & Trevirenſi archiepiſcopis.

II. Patrati ab Alberto ſceleris gravitas exponitur a Bonifacio.

Romano Pontifici, ſucceſſori Petri & vicario Jeſu Chriſti, cui in cœlo & in terra omnis eſt data poteſtas, ſuper ſolium excelſum & elevatum ſedenti, congruit diſſipare ſuo intuitu omne malum; illud præſertim, quod accuſatione non indiget & evidentia facti, & opus publicum confitentur, nec tergiverſatione aliqua tegi poteſt, & pene totus orbis, ad Apoſtolicam ſedem undique confluens, detulit clamore ſonoro. Hoc utique tam horrendum, & piaculare flagitium, ſic per mundi climata diverſa diffuſum, multorum corda perturbat, mentes fauciat, incitat ad perditionis exempla; maxime ſi non habeat tanta culpa ſupplicium, & remaneret delictum tam notorium impunitum, magnæ juſtitiæ virtute petente vindictam effuſi ſanguinis innocentis. Cur igitur præmiſſa dixerimus explicamus.

In publicam enim devenit notitiam, quod claræ memoriæ Adulpho in Romanorum Regem electo, & apud Aquiſgranum more ſolito coronato, a principibus & aliis magnatibus Germaniæ juramentis præſtitis fidelitatis eidem; feudis, ac terris ab ipſo recognitis, & in feudum receptis ab eo, nobilis vir Albertus natus claræ memoriæ Rodulphi Romanorum Regis, dux Auſtriæ vaſſallagium, & ligium homagium ut Romanorum Regi fecit eidem, nonnullis magnis & grandibus feudis ab ipſo receptis; & tandem quaſi ad vomitum rediens, contra ipſum ſuperbe rebellans, ipſo Rege Adulpho vivente, de facto, cum de jure non poſſet, ſe in Romanorum Regem eligi procuravit; & cum ipſo Rege domino ſuo hoſtiliter in campo confligens, de Rege triumphavit eodem, ipſo occiſo in prælio memorato: ac poſtmodum, ſe eligi iterato procurans, in Romanorum regnum ſe non expavit intrudi, in exempli mali perniciem, & ſcandalum plurimorum, a præfata ſede, nec approbatione, nec regia nominatione obtentis: & nihilominus de facto ut Romanorum Rex, maxime in Germaniæ partibus, adminiſtrare præſumpſit. Contra quem, licet propter diverſas conſiderationes & cauſas, in libram providæ conſiderationis adductas, adhuc non duxerimus, prout exigebat negotii qualitas, procedendum; ne tamen propter diſſimulationem temporis longioris vel tractum indebitus ſibi approbationis color, vel favoris accreſcat, nos ad quos jus & auctoritas examinandi perſonam in Regem Romanorum electam pro tempore, ejuſque inunctio, conſecratio, coronatio, manus impoſitio, nec non denuntiatio, ſeu reputatio idoneitatis perſonæ vel formæ, & nominatio regia, ſeu ratione indignitatis perſonæ vel formæ reprobatio pertinere noſcuntur; fraternitati veſtræ de fratrum noſtrorum conſilio per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios publice & expreſſe auctoritate noſtra denunciare curetis in civitatibus, terris, ſeu locis, de quibus expedire videritis, & ſit veriſimile denuntiationem hujuſmodi ad prædicti Alberti notitiam perventuram, quod niſi præfatus Albertus, qui pro Romanorum Rege ſe gerit, per ſuos ſolemnes nuntios, & procuratores idoneos ſufficienter inſtructos cum omnibus juribus, actis, & munimentis ſuis infra ſex menſium ſpatium, a tempore denuntiationis hujuſmodi computandum, compareat, coram nobis oſtenſurus, ſi velit & poſſit & ſua crediderit intereſſe, ſuam innocentiam; & propoſiturus rationabiles excuſationes, ſi quas habet, ſuper ſuis impedimentis notoriis, crimine videlicet læſæ majeſtatis commiſſo, ut præmittitur, contra Regem Adulphum præfatum, nec non excommunicatione publica, perjuriis manifeſtis, & divulgata perſecutione, quam ejus affines ſeu conſanguinei, quorum acquieſcit conſiliis, & ipſe præſumpſerunt contra dictam ſedem, & alias eccleſias exercere, & impedimentis aliis; & expoſiturus jus, ſi quod ſibi competit, vel dicat competere in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum, & ad faciendum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, ipſaque contingentibus, quæ juſtitia ſuadebit, & expedire videbimus ſibique duxerimus injungenda, ac noſtris beneplacitis paritурus; nos principibus electoribus, eccleſiaſticis & ſæcularibus, ac univerſis & ſingulis ſub Imperio Romano degentibus, de quibus expedire videbitur, diſtrictius injungemus, ut nullus ſibi ut Romanorum Regi obediat, vel intendat; quin potius omnes recedant ab eo, ac omnes, & ſingulos ab homagiis factis ipſi Alberto ut Romanorum Regi, & fidelitatis præſtitis juramentis abſolvemus, ſeu abſolvi faciemus, vel denuntiabimus vel denuntiari faciemus potius abſolutos; & alias tam contra ipſum Albertum, quam contra fautores, & adjutores ipſius, etiam hujuſmodi dilatione, denuntiatione, ſeu termini aſſignatione pendentibus, quæ magis ex gratia ſeu miſericordia, quam ex juris neceſſitate procedunt; tam ex præteritis ipſorum culpis, exceſſibus, & offenſis, quam ex futuris, ſi quas eos committere forte contiget, procedemus ſpiritualiter, & temporaliter, prout, quoties, & quando viderimus expedire. De iis autem, quæ ſuper præmiſſis & circa præmiſſa feceritis, confici faciatis publica inſtrumenta, illaque nobis per fidelem nuncium tranſmittatis; ſignificaturi nihilominus per veſtras literas, harum ſeriem continentes, qualiter proceſſeritis in præmiſſis. Dat. Laterani id. aprilis pontificatus noſtri anno VII.

Victum acie necavit. Illo ſublato, ut ipſe eligeretur perfecerit.

Juſtas ob cauſas dilatam hactenus ultionem.

Data provincia archiepiſcopis electoribus, ut diem Alberto ad dicendam apud ſedem Ap. cauſam conſtituant.

Quæ Alberto objecta.

Crimen læſæ majeſt.

Contra-ctum anathema.

Perjurium.

Eccleſiarum perſecutio.

Ut violata fide, qua ſe Adolpho Regi ſolemni ritu devinxerat, in eum conjuraverit.

III. Obſequuntur pontificiis Imperiis. (*a*) *Henr. Rebdor. in annal.*

Paruiſſe imperiis apoſtolicis principes electores eccleſiaſticos, ex Henrico Rebdorfio [1] colligitur: is enim tradit, (*a*) ipſos vocato Rodulpho Palatino intentaſſe Alberto judicium: *Circa feſtum B. Michaelis dux Rodulphus & comes Palatinus præfatus ab electoribus Imperii Maguntinenſi, Colonienſi, & Trevirenſi archiepiſcopis vocatus fuit ad Rhenum contra præfatum Regem Albertum: unde iidem principes contra ipſum Albertum conſpiraverant, eligentes ipſum Rodulphum pro judice, & aſſerentes ad comitem Palatinum pertinere, quod ſit officium palatinæ dignitatis ex quadam conſuetudine de cauſis cognoſcere, quæ ipſi Regi movebantur. Quare contra Regem propoſuerunt, quod dominum ſuum proprium, ſcilicet Regem Adolphum occidiſſet, ideo Rex eſſe non poſſet, & ad depoſitionem ipſius cogitabant.* Quod ad palatinam dignitatem ſpectat, ad quam vocandi in jus Regis Romanorum auctoritatem ſpectaſſe narrat ex principum aſſertione auctor; prætereundum non eſt, ita id intelligendum, ut licet primo apud Palatini ſubſellia lis in Regem Romanorum moveatur ex veteri more; ea tamen demum a Romano Pontifice, ut ſupremo judice definienda ſit, quæ ex Urbano IV. vetera Imperii inſtituta ex Richardi Regis Romanorum oratoribus referente, antea inſinuavimus (*b*).

Germani principes ab Alberti obſequio diſcedere juſſi.

Intendunt Alberto judicium.

(*b*) *An. Chr.1263. n.54.*

Ad perducenda porro ſuſcepta conſilia Bonifacius Angelum epiſcopum Nepeſinum, legati apoſtolici auctoritate inſtructum, in Germaniam miſit, quem ad munus ſtrenue obeundum hortatus eſt (*c*). Inſectatus etiam eſt Alberti ſtudioſos, ut ex literis (*d*) ad Conſtantienſem & Baſileenſem epiſcopos miſſis conſtat, quibus ipſis demandata cura eſt, ut Joannem e Turego protonotarium Alberti omnibus privilegiis, quibus ab ſede Apoſtolica ornatus fuerat, exutum promulgarent, deque ea re publica acta conficerent. Cæterum Albertum, cum ſe in judicium vocari cerneret, fuſique Regis ſui ſanguinis a ſe vindictam expeti, impetus in archiepiſcopos electores converti ſe; iiſque victis, demiſſe ſe ad permulcendum Bonifacium geſſiſſe, tandemque ad clementiam flexiſſe, viſuri ſumus, adeo ut ipſius electionem poſt biennium confirmaret, quo ejus opera adverſum Galliarum Regem uteretur. Nunc ad Ungaricas res ſermonem traducimus.

Nonnulli proceres Ung. filium Reg. Boem. evocant.

(*c*) *Lib.7. ep.cur.11.*

(*d*) *Ib. ep. cur.12.*

Albertus Bonifacium demulcet.

IV. Cum Ungari, alii Carolum Caroli II. Siciliæ Regis ex Carolo Martello primogenito defuncto nepotem, ab archiepiſcopo Strigonienſi regia inunctione delibutum, Regem ſalutarent; alii Regis Boemiæ filium elegiſſent, illumque (*e*) a Colocenſi archiepiſcopo corona redimiri curaſſent, atque ita inteſtino bello Ungaria laboraret & barbarorum inſidiis ac periculis cingeretur; Bonifacius Oſtienſem epiſcopum, legati a latere dignitate auctum, in Pannoniam miſit: (*f*) munuſque illud etiam in Polonia, Dalmatia, Croatia, Raſcia, Servia, Lodomeria, Galatia, & Cumania, ita gerere juſſit, ut tamen in Ungaria tantum inſignibus, quibus in tranſmarina expeditione Cardinales legati ornari ſolerent, uteretur. Ni-

(*e*) *Henr. Rebd. in annal. Dubrav. hiſt Boem. l.18. Bonfin. dec.2. l.9.*

(*f*) *Lib.7. ep.cur.25.*

NOTÆ [1] QUæ hic narrat annaliſta ex Rebdorfio, qui nonniſi medio hoc ſæculo elapſo ſcribebat, lucem & confirmationem obtinent ex diplomate Alberti, ex tabulario Eppenſteinenſi (Oppidi duobus mil. paſſibus Moguntia diſtantis nomen eſt, & ad familiam illuſtrem cui illud paret, tranſlatum) vulgato a Cl. Georgio Joanne in Spicilegio I. tabularum litterarumque veterum pag. 330. diplom. XXX. Eſt vero illud Alberti imperatoris, datum hoc an. *M. trecenteſimo primo indictione XV.* (a ſeptembri cœpta) *id. octobr. regni ejus anno quarto* in gratiam Siffridi Eppenſteini, quem ſibi auxilium ſpopondiſſe dicit; *ſed non contra venerabilem Gerhardum archiepiſcopum Maguntinum*; tum addit. *Item contra venerabilem Dietharum archiepiſcopum Trevironſem alia ſervicia non impendet, quam illa quæ Henrici abbatis Fuldenſis, & Ebirhardi comitis de Marka conſilio & arbitrio fuerunt inſtituta. Item contra venerabilem Vicholdum Colonienſem archiepiſcopum, quem ad requiſitionem noſtram diffidare tenetur, nobis quantum valet ad auxilia & obſequia efficaciter eſt adſtrictus.* Scribit hæc Albertus e caſtris *prope Flerſcheim ſuper Moguntiam*. Ex quibus intelligimus jam tunc Albertum auxilia ſibi in principes hos eccleſiaſticos comparaſſe. MANSI

Nicolao Oſtienſi, & Velletrenſi epiſcopo A. S. L.

Civili bello quaſſata Ungaria.

Quamvis univerſis & ſingulis regionibus, Deo & Apoſtolicæ ſedi devotis, favorem apoſtolicum, quotiens neceſſitas ingruit, impendere debeamus, & ad eas noſtræ mentis intuitum, levando in circuitu vigilis more paſtoris tam corporeos quam mentales oculos; viſuri quid gregi commiſſo nobis expediat, & quid operis impendi debeat circa ipſum, ut illius ſulti præſidio, cui cogitationes hominum præparantur, quique fortium arcus ſuperat, & infirmos robore potenter accingit miniſterii noſtri ſolicitudinem; ad ea præſertim, quæ fidelibus populis neceſſario expedire viderimus, & noverimus profutura ſalubriter, & utiliter exponamus; in præſentiarum tamen Ungariæ regni nobilis neceſſitates præcordialiter intuemur, profundis meditationibus laborioſiſque vigiliis inſudando, ut eidem in hujuſmodi neceſſitatum articulis opportunum adhibeatur, Domino auxiliante, conſilium, ſalubreque remedium impendatur. Unde cum hoſtis humani generis pacis æmulus, & zizaniæ ſeminator, ab olim in eodem regno turbationes & ſcandala ſuſcitarit; ex quibus regale ſolium, ipſiuſque regni regimen multipliciter ſunt depreſſa, waſtatis fidelium bonis, eccleſiarum & locorum eccleſiaſticorum direptis juribus, conculcata damnabiliter eccleſiaſtica libertate, ac ſubſecutis exinde animarum periculis, deplorandis perſonarum nefandis excidiis, & aliis fere innumeris detrimentis; nos exinde graves & amaras geſſimus & portamus in mente noſtra puncturas dum miſerabilis illius regni conditio, & commiſſorum inibi enormitates exceſſuum infra noſtra præcordia revolvuntur. Et utinam deſuper datum eſſet, ut cum honore Dei, & Eccleſiæ ac aliorum ſalubri ſtatu fidelium poſſet commode circa tantum negocium exhiberi noſtra præſentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi præſentialiter noſtrum deſiderium panderemus. Sed quia id conditio noſtra non patitur, & innumera negociorum undique concurrentium varietate diſtrahimur, illos in partem apoſtolicæ ſolicitudinis de latere noſtro nonnunquam aſſumimus; quibus fore percipimus cœleſti dono proviſum, ut in altis & arduis negotiis ſciant & poſſint conſulere provide, ac utili conſilio providere.

Priſtinam illi pacem reſtituere molitur Bonifacius.

Attendentes itaque, quod perſonam tuam altiſſimus gratiarum Dominus ſcientiarum magnitudine, providentiæ munere, circumſpectionis gratia, induſtriæ claritate, multiſque virtutibus inſignivit, humeris tuis fortitudinis robur adiiciens, ut ad laudem ſui nominis frequenter onera grandia ſupportares; pleniſſimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, licet apud ſedem Apoſtolicam ex eminentia tui conſilii valde neceſſarius habearis, noſque inviti quodammodo tanti viri præſentia careamus; tamen propter urgentem, & inevitabilem neceſſitatem dicti regni, cui ſperamus in prædictis per tuam induſtriam circumſpectam, illo tibi auxiliante, qui poteſt ſalubriter conſuli, & utiliter ſubveniri; te ad præfatum regnum, commiſſo, tibi plenæ legationis officio in eodem regno, & in Poloniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, Serviæ, Lodomeriæ, Galatiæ, & Cumaniæ partibus illi conterminis, ut in eis evellas & deſtruas, diſſipes & diſperdas, ædifices & plantes, & ſtatuas in nomine Domini, ſicut videris expedire, de fratrum noſtrorum conſilio tanquam pacis angelum deſtinamus: injuncto tibi nihilominus, ut in regno ipſo inter ejuſdem regni perſonas, nec non tam ibidem quam in provinciis memoratis inter eccleſiaſticos & mundanos viros, & univerſos alios, cujuſcumque conditionis, præeminentiæ, ſive ſtatus, agas & tractes quæ ad cultum Dei & prædictæ ſedis honorem, obſervantiam eccleſiaſticæ ſanctionis, redintegrationem eccleſiaſticæ libertatis, robur proſperi ſtatus regni & provinciarum prædictarum, boneſtatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum ſalutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt.

Legationis illius auctoritatem ad vicina regna porrigit.

Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Ungariæ tibi duximus committendum, eo poſſis proſperari facilius, quo ſolitis legatorum, qui miſſi de latere mare tranſeunt, adornatus inſignis, perſonam noſtram quodammodo præſentabis; de ſpeciali gratia apoſtolica tibi auctoritate concedimus, ut eiſdem inſigniis, infra prædictum Ungariæ regnum dumtaxat, uti libere valeas, prædictæ legationis officium proſequendo; ita tamen, quod præmiſſis inſignis in aliis commiſſis tibi partibus provinciis, & locis aliquatenus non uteris, & quod id, quod in hac parte tibi pro evidentibus neceſſitatibus, & utilitatibus regni prædicti, & terrarum earumdem conceditur, ad aliquam conſequentiam prætextu conceſſionis hujuſmodi in regno & terra eiſdem propter hoc in poſterum non trahatur. Quocirca fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta firmiter præcipiendo mandamus, quatenus injunctum tibi onus laboris hujuſmodi pro divina & noſtra reverentia devote ſuſcipiens, illud ſic ſolicite, ſic viriliter, & laudabiliter juxta datam tibi a Deo prudentiam exequaris, quod te tuis ſtudioſis laboribus cœleſti fivente clementia, ſperati fructus adveniant, tuque per ſolicitudinis tuæ miniſterium illam, quæ pias cauſas gerentibus pro retributione rependitur, palmam gloriæ feliciter conſequi merearis. Datum Anagniæ III. id. maii anno VII.

V. Conceſſaei legati tranſmarini inſignia.

Nicolaum Oſtien. epiſc. ea de cauſa mittit.

Eodem argumento archiepiſcopos tum maxime electum atque adminiſtratorem ec-

VI.

eccleſiæ Strigonienſis, epiſcopos & alios, (a) qui aliqua dignitate eccleſiaſtica vel civili in iis regionibus eminerent; tum Poloniæ & Sclavoniæ ducem, legatum debito honore complecti, ſuamque illi operam commodare juſſit (b). Deque eadem legatione, Nicolao Oſtienſi epiſcopo Card. impoſita, plures aliæ exaratæ literæ, (c) ut in exequendis ipſius imperiis ſtrenue ſtudium ſuum, ac diligentiam collocarent. His diploma ad omnes eccleſiaſticos adjecit, (d) ut quacumque iter legatus ſuſcepturus eſſet, ſi qua egeret opera, non deeſſent: *Univerſitatem veſtram rogamus & hortamur, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus dictum legatum, immo potius nos in ipſo, cum per partes veſtras tranſitum fecerit, ob reverentiam Apoſtolicæ ſedis & noſtram benigne recipientes, & boneſte tractantes, eumdem ſibi pro ſuis & familiæ ſuæ neceſſariis & ſecuro conductu; nec non in vectionibus opportunis, ſive in via deceſſerint, vel defecerint, aut alias fuerint impeditæ, cum ſuper hoc fueritis per ipſum vel ejus nuntium requiſiti, in eundo, morando, & redeundo liberaliter providere curetis. Et ſi eundem legatum in aliquibus locis vel loco interdum moram protrahere contigerit, volumus quod non ſolum earumdem, eiſque vicinarum, vel adjacentium partium, ſeu aliarum etiam, ſicut eidem legato pro hujuſmodi oneribus dividendis & facilius ſupportandis expedire videbitur, remotarum patriarchæ, epiſcopi, electi, abbates, præpoſiti, archipresbyteri, plebani, & alii eccleſiarum prælati, & perſonæ religioſæ & ſeculares eccleſiarum & monaſteriorum contribuere ſubventionibus hujuſmodi teneantur, &c. Dat. ut ſupra*, nimirum VIII. *id. maii*.

Hungariæ præſul. legatum commendat Pont.

(a) Ep. cur. 50.

(b) Reg. poſt ep. 15.

(c) Ib. ep. 26. ad ep. 49.

(d) Ep. cur. 49.

VII. Colocenſis archiep. legato adverſatur.

Profectus in Ungariam legatus, cum regnum ingreſſurus eſſet, Colocenſis archiepiſcopus Wenceſlaum juniorem Regis Boemiæ filium corona Ungarica cingere præſumpſit. Quo accepto audaci facinore, Bonifacius legato provinciam demandavit, ut incuſſo amittendæ dignitatis terrore ſedi Apoſtolicæ illum ſe ſiſtere juberet, ut objecta ſibi crimina dilueret. Hæc vero ipſi maximæ impoſita ſunt, inungendi Regis munus ſibi non debitum invaſiſſe: illum diademate ornaſſe, qui nulla ſucceſſionis jura obtineret: ſi quid dubii in eligendo Rege viſum eſſet, ſedem Apoſtolicam conſulendam fuiſſe: rem tentaſſe, cum jam Carolus Siculi Regis nepos a Strigonienſi electo ſacro oleo in Regem fuiſſet delibutus: jura ſedis Apoſtolicæ, ad quam Ungaria ex Stephani primi Regis conceſſione jure ſtipendiario pertineret, infregiſſe. Sed in re adeo gravi querentem Bonifacium (e) audire ſatius videtur.

Stipendia illi dare jubet.

Poſtulatur judicio apud ſedem Ap.

(e) Ep. cur. 78.

Nicolao Oſtienſi & Velletrenſi epiſcopo, Apoſtolicæ ſedis legato.

Datæ ad legatum eo argumento lit.

Romanus Pontifex ſuper Reges & regna conſtitutus a Deo, in Eccleſia militanti hierarcha ſummus exiſtit, & ſuper omnes mortales obtinens principatum, ſedenſque in ſolio judicii, cum tranquillitate judicat, & ſuo intuitu diſſipat omne malum. Provide ſanctæ memoriæ prædeceſſores noſtri Romani Pontifices, etſi eos diverſorum regum & regnorum cura ſolicitaverit officii paſtoralis, ſpecialiter tamen ſua ſtudia converterunt, ut regnum Ungariæ, quod ad Apoſtolicam ſedem peculiarius pertinet, præſervaretur a noxiis, & ſalubria ſuſciperet incrementa, & maxime contra Cumanorum, Tartarorum, & paganorum, ac ſchiſmaticorum hoſtiles incurſus, quibus extitit, hactenus plurimum impugnatum, & ex quibus ad magnum exterminium & diminutionem habitatorum fidelium eſt deductum. Nos quidem prædictorum ipſorum veſtigia imitari volentes, intellecto nuper ſtatu miſerabili dicti regni, quod, proh dolor! in ſpiritualibus & temporalibus multipliciter eſt collapſum, & in quo undique bella fremunt; eccleſiarum prælatis & perſonis eccleſiaſticis, nec non baronibus, & nobilibus, ac popularibus diſſidentibus in eodem, de tua circumſpectione confiſi, te ad regnum ipſum cum plenæ legationis officio duximus deſtinandum.

Pontificum Rom. pro defendenda Ungaria adverſus barbarorum imperus ſtudia.

Verum poſt tuum diſceſſum a nobis ad notitiam noſtram fide digna relatio, ſed nimis amara perduxit, quod venerabilis frater noſter Colocenſis archiepiſcopus (ſi tamen, dum conſonent facta relatibus, venerabilis ſit dicendus) ſtipatus nonnullis epiſcopis, & eccleſiarum prælatis, ac baronibus dicti regni, in tantam prorupit audaciam & temeritatis exceſſum; quin potius ad tantam devenit inſaniam, quod dilectum filium Vvenceſlaum natum chariſſimi in Chriſto filii noſtri Vvenceſlai Boemiæ Regis illuſtris, in Regem ejuſdem regni Ungariæ de facto, cum de jure non poſſet, coronare præſumpſit, ingreſſum tuum in ipſum regnum nequaquam expectans, cum eſſes illud cum hujuſmodi legationis officio veſtigio intraturus. Nec attendit dictus archiepiſcopus, quod nunquam ad ſe, vel prædeceſſores ſuos Colocenſes archiepiſcopos, Regum Ungariæ coronatio de jure vel de conſuetudine pertinuerat, nec aliquatenus pertinebat; ſed hujuſmodi Reges ſolent per Strigonienſem archiepiſcopum, qui eſt pro tempore, coronari (ut non proſequamur ad præſens quomodo nec ex ſucceſſione ſeu jure aliquo, quod occurrat, regnum ipſum debebatur Vvenceſlao nato prædicto) ſuper quibus in dubio ſaltem nos vel te, qui gerebas in illis partibus vices noſtras, conſulere debuiſſet. Cum enim inter lepram & lepram variaretur judicium, erat ad nos, qui ſummi ſacerdotis levitici generis

Verſum crimini Colocenſi archiep. Wenceſlaum juniorem corona Ungarica cinxiſſe.

Si qua ille in regnum jura obtenderet, ſedem Apoſt. conſulere debuiſſe.

Auget crimen, jam ante Ap. sedis jussu Siciliæ Regis nepotem a Strigonien. arch. corona exornatum.

vices gerimus, locumque tenemus, in tam arduis casibus recursus habendus: maxime cum magnificus vir Carolus, nepos charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris, per dilectum filium Strigoniensem electum, & administratorem auctoritate nostra in spiritualibus & temporalibus Strigoniensis ecclesiæ constitutum, in ejusdem regni Ungariæ Regem fuisset antea coronatus,

VIII. Ungariæ etiam imperium supremum Rom. ecclesiæ clientelæ nomine a B. Steph. addictum.

Ad hæc nolumus te latere, aut in dubium revocari, quod memoratum Ungariæ regnum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ a beato Stephano primo Rege Ungariæ Christiano, cum omni ejus jure, ac potestate devote oblatum fuit, & traditum reverenter: qui etiam ad ipsius regni solium noluit auctoritate propria sublimari, sciens quod nemo sibi sumere debet honorem nisi qui vocatur a Deo: & ideo non a quolibet, sed a vicario Jesu Christi & successore Petri assumpsit regium diadema. Fuerat quidem divinitus revelatum, quod ei primum ingente Ungarica corona debebatur & regnum, sicut hæc plenius documenta, quæ servantur in archivis memoratæ ecclesiæ Romanæ testantur, & ad ipsius archiepiscopi potuerunt notitiam pervenisse. Unde cum supradictus archiepiscopus culpabilior fuerit in hac parte, est amplius puniendus.

IX. *Nolentes igitur hujusmodi audaciam excessus, & insaniam dicti archiepiscopi, sicuti nec debemus, sub dissimulatione transire, quamvis adeo sint notorii quod nulla possunt tergiversatione celari; ut tamen sibi, si quam forsan habet, defensio relinquatur, quæ ipsum & si non excusaret a toto, saltem excusaret a tanto; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus per te, vel per alium, seu alios præfatum archiepiscopum Colocensem sub pœna privationis & depositionis archiepiscopalis oneris, officii, & honoris, quam si secus fecerit ipsum incurrere volumus ipso facto, ex parte nostra peremptorie citare procures, ut infra quatuor mensium spatium post citationem hujusmodi suspensus ab omni beneficio & officio personaliter compareat coram nobis, suam si poterit innocentiam ostensurus, ac pariturus nostris beneplacitis & mandatis. Cæterum si præsentiam ipsius archiepiscopi tute vel commode adiri non posse crediderit, ad citationem hujusmodi faciendam, tu in aliquo vel aliquibus ipsi archiepiscopo, vel Colocensi civitati vicinis, seu alio vel aliis loco vel locis solemnibus, de quo vel quibus expedire videris, similiter per te, vel alium, seu alios ejusdem citationis edictum publice ac diligenter proponere studeas; ita quod verisimile sit, quod citatio ipsa pervenire possit ad eum. Quam quidem citationem, ut prædicitur, faciendam sufficere volumus, atque decernimus, ac si fieret coram*

Excurrente quadrimestri sistere se Apost. sedi Colocensis archiep. jussus.

archiepiscopo prælibato. Diem autem hujusmodi citationis & propositionis, & formam, & quicquid fieri contigerit in præmissis, nobis per tuas literas, harum seriem continentes, fideliter intimare procures. Dat. Laterani XVI. kal. novembris anno VII.

Similimas querelas apud Regem Boemiæ effudit, (a) ursitque ut sua sponte, quæ minus prudenter tentata erant, revocaret: perpenderet animo, quo tandem successionis jure vel titulo filius sceptrum Ungaricum sibi arrogaret: temeritatem Colocensis archiepiscopi, qui regis consecrandi provinciam ad se non spectantem affectarat, nullum ipsis jus tribuere: regni supremum dominium ad Romanum Pontificem spectare, atque in ea controversia excipienda ejus imperia: labefactatum jam Tartarorum & Cumanorum armis jacere illud regnum, quod antea in summum splendorem effloruerat, ac magis jam hoc temerario facto lacerandum. Si qua jura sibi in Ungaria aut provinciis sibi vindicet, coram sede Apostolica disceptet; ea omnia integra atque illibata servatum iri.

X. (a) Ep. cur. 77. Wenceslaum Regem Boem. hortatur Bonifacius ut Ungarico regno abstineat.

Charissimo in Christo filio Vvenceslao Regi Boemiæ illustri.

Etsi Reges & principes orbis terræ catholicæ fidei professores, & ecclesiæ Romanæ devotos paterna benevolentia prosequamur; personam tamen tuam, dignitate regia insignitam, sincera charitate constringimus, & singularis benevolentiæ brachiis amplexamur: ideoque tibi familiarius scribimus, teque alloquimur confidenter. Miramur siquidem & turbamur, quod serenitas tua sustinuit & præstavit assensum, quod dilectus filius Vvenceslaus natus tuus in Regem Ungariæ sit assumptus, & a Colocensi archiepiscopo, & nonnullis suis complicibus passus eum fueris coronari. Utinam discussisses ex quo capite, ex quo jure, qua successione, quo titulo præfatus natus tuus ad ipsius regni regimen sit assumptus; & quomodo coronam ab eo recipere debuit, qui auctoritatem Reges Ungariæ coronandi non habebat de consuetudine vel de jure. Nec debuit Apostolica sedes, mater omnium & magistra, contemni, quin saltem in dubiis, & majoribus causis ad ipsam fuerit recursus habendus; sine cujus etiam auctoritate sanctæ memoriæ Stephanus Rex Ungariæ, divina revelatione præmonitus, noluit in ipsius regni solium sublimari: sed tumquam Aaron vocatus a Deo, ab ipsa sede accepit humiliter coronam & regnum. Hunc Stephanum Deus de tenebris infidelitatis eripuit, & vocavit in admirabile lumen suum: qui fuit primus Rex Ungariæ Christianus, a quo descenderunt personæ magnæ sanctitatis, miræque virtutis, quorum

Proponit nullo jure ipsius filium ad id regnum niti.

Consulendam in re dubia fuisse Apost. sedem.

Sine illius auctoritate Stephanum primum Regem sceptrum non capessivisse.

rum beatitudines transferunt aliis in exemplum.

Primævæ gloriæ splendorem illius regni defloruisse.

Sed heu! hodie regnum tam nobile, tam præclarum & in spiritualibus & in temporalibus est collapsum, & quasi datum in prædam; & per Cumanorum, Tartarorum, schismaticorum, & paganorum hostiles incursus fere ad nihilum est deductum: & ideo plus turbamur de novitatibus per dictum Colocensem archiepiscopum circa prædictum natum tuum noviter attentatis, quæ discordiam pariunt, & dispendia graviora minantur, nisi Deus ex alto in regno ipso pacem effundat, quæ est vinculum charitatis. Ad quam procurandam inter dissidentes in eo venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Ostiensem & Velletrensem episcopum Apostolicæ sedis legatum, magnum utique Romanæ ecclesiæ membrum, cum plene legationis officio duximus destinandum. Quapropter serenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, per Apostolica tibi scripta districte præcipiendo mandantes, quatenus per te ipsum corrigere studeas, & remediare procures, quæ circa præfatum natum tuum in hac parte minus provide, & inconsulte attentata noscuntur; & tam tu, quam tui & filii memorati sequaces ejusdem legati acquiescatis salubribus monitis reverenter, & vos ejus beneplacitis coaptetis, qui ut pacis angelus, nuntiusque salutis, non absque multis solicitudinibus & laboribus, ad regnum accessisse noscitur præfatum.

Monet Wenceslaum, ut male correptum a filio Ung. sceptrum deponi jubeat.

Cæterum si qua jura tibi, vel memorato nato tuo competerent in regno Ungariæ sæpe dicto, aliisque provinciis, eaque prosecuti fueritis coram nobis, illa disponimus illibata servare, nec minuere, sed augere. Sic igitur habere te studeas in præmissis, quod a Deo præmium, & dictæ sedis gratiam merearis, nosque reddas ad tua & ejusdem nati tui promovenda commoda promptiores. Dat. Laterani XVI. kal. novembris anno VII. Extant quoque aliæ ad eumdem Regem pontificiæ literæ (a) antea, tertio nimirum id. maii datæ, quibus ipsi legatum impense commendavit. Hactenus de apostolica Romani Pontificis solicitudine & studio pro extinguendis Ungarorum discordiis, regnoque illo olim florentissimo, ac tum misere concusso, pristinæ dignitati restituendo. Quid vero pro temperando ecclesiastico statu, exorientibusque seditionibus comprimendis, ac pace in Italiam revocanda molitus sit, intueamur.

(a) Ep. cur. 49. Gesta a Bonifacio pro pacanda Italia.

XI. Cum emergerent in dies novi tyranni, qui ditionem pontificiam discerperent, ad eos comprimendos atque in officio populos continendos, præpotentis alicujus ducis operam sibi necessariam (b) duxit. In eam rem jam ante elegerat Carolum Valesium Philippi Galliarum Regis fratrem Andium comitem, qui hoc anno in Italiam florentissimo stipatus exercitu venit, ut ingentia consilia, quæ agitabat, perduceret, atque a Bonifacio magnis honoribus exceptus est. Creavit illum inprimis potificiarum copiarum ducem, ut non modo perduelles ecclesiæ in ecclesiastico principatu debellaret, verum etiam eos, qui ipsius ecclesiæ fidissimos oppugnarent, everteret: de quo ipsi demandato munere hoc diploma exaratum (c).

(b) Ep. cur. 69.

Carolus Valesius magnis honoribus a Bonifacio exceptus.

(c) Ead. ep.

Bonifacius, &c. Carolo nato claræ memoriæ Philippi Regis Francorum comiti Andegavensi, totius terræ Romanæ matris ecclesiæ temporali jurisdictioni subjectæ capitaneo generali, &c.

Levantes in circuitu oculos nostros, visuri quid ipsius terræ & incolis (nempe Romanæ ecclesiæ clientibus) *pro temporis expediat qualitate, quidve operis circa illos debeat exhiberi, desideramus admodum, & incessanter appetimus, ut per nostri ministerii studium terra ipsa cultu justitiæ prospere dirigatur, puritate fidei reniteſcat, devotionis integritate reluceat, amœnitate grandescat, pacis aliisque successibus prosperis fœcundetur. Et ne in terra ipsa nimis excrescat temeritas superborum, qui contra nos, & ecclesiam prælibatam in vicinis etiam partibus interdum calcaneum rebellionis erigere contra Deum & justitiam in ipsarum partium turbationem & scandalum non verentur; illam nos decet circa tales castigationis adhibere medelam, per quam & ipsi se deliquisse condoleant, & alii eorum exemplo flebili attentare talia vel similia terreantur, prædictaque terra, evulsis turbinibus scandalorum, quietis & pacis pulchritudine collætetur. Verum dum imbecillitatis humanæ conspicimus imperfectum, & incumbentia nobis onera, quibus assidue premimur, intenta consideratione pensamus; videntes quod nequimus exolvere circa singula per nos ipsos debitum apostolicæ servitutis, nonnumquam alios in partem nostræ solicitudinis juxta qualitatem agendorum assumimus, quorum laudabilia merita per evidentiam operum Apostolicæ sedi sub publica notitia præsentantur, & quorum ministerio sperati fructus de communicatis sibi laboribus valeant pervenire.*

Ditionis ecclesiasticæ dux creatus.

Ad perduelles edomandos.

XII. *Cum autem circa hæc personaliter intendere nequeamus, innumerabilium dictæ sedis negotiorum distracti varietate, ad te, ipsius matris ecclesiæ filium prædilectum, in nostra præsentia constitutum, Christi pugilem, nobilitatis & generis excellentia refulgentem, potentia præditum, exercitatum in armis, virtutibus & fama pollentem, & ecclesiæ prælibatæ devotum, ac nobis & fratribus nostris charum quamplurimum & acceptum ob tuorum multiplicem exigentiam meritorum, in cujus desideriis agitur ecclesiæ memoratæ, siorumque fidelium honores & commoda solicite promove-*

Caroli elogia.

re; mentem nostram ex speciali fiducia duximus convertendam. Et sperantes quod per tuæ magnanimitatis & probitatis opera satisfiat in hac parte planarie votis nostris, te, cui tot & tanta virtutum merita suffragantur, in tota terra eidem ecclesiæ, dominio temporali subjecta, ordinamus & facimus nostrum & ipsius ecclesiæ usque ad beneplacitum Apostolicæ sedis capitaneum generalem, ut per te, aut alium, seu alios adversus illos ex eadem terra, vel etiam aliunde, qui in dicta terra, vel quavis ejus parte prædictam ecclesiam, vel fideles ipsius, aut eandem terram inimicabiliter impugnare, offendere, vel perturbare; necnon contra personas & loca ejusdem terræ, quæ ipsi ecclesiæ rebellare præsumpserint, procedere valeas per hostilem impugnationem, obsidionem, exercitum, & cavalcatam; ipsaque capere, detinere, destruere, ac punire, ac illas & illa ex ipsis, quæ ad mandata nostra, & ecclesiæ præfatæ redire decreverint, nomine nostro & ejusdem ecclesiæ ad ejus mandata recipere, ac ab ipsis obsides, & quascumque cautiones exigere, aliaque prosequi & exercere libere possis, quæ ad hujusmodi capitaniæ officium pertinere noscuntur, & fuerint opportuna, tuque cognoveris expedire. Dat. Anagniæ III. *non. septembris anno* VII. Hactenus Pontifex qui, ut majori auctoritate Carolum decoraret, Æmiliæ comitatus, Brittenorii, aliorumque locorum circumjacentium, Spoletini ducatus, Massæ Trabariæ, terræ S. Agathæ, ac Marchiæ Anconitanæ administrationem ei contulit, (*a*) ac proceres, urbiumque & oppidorum magistratus ipsius imperiis parere præcepit (*b*).

Demandata illi a Pontif. auctoritas.

Parere jussi illius imperiis urbium magistratus.

(*a*) *Ep. cur.* 71.
(*b*) *Reg. post cand. ep.* XIV.

Auxit (*c*) etiam Carolum, ex sacri senatus consilio, in ea Etruriæ parte, quæ Imperio obnoxia erat, paciarii jam ante a Clemente IV. instituta dignitate, ut eam provinciam Alborum & Nigrorum, qui Guelphis & Gibellinis permixti erant, factionibus laceratam pacaret. Tum Matthæum episcopum Portuensem [1] legatum in eadem Etruria creavit, (*d*) ut divina humanaque auctoritate conjunctis, provinciæ facilius in concordiam redigerentur.

(*c*) *Ep. cur.* 70. *Din. Compagn. MS. chr. l.* 2. Pacandæ Etruriæ partes ipsi impositæ.
(*d*) *Ep. eur.* 111.

Venerabili fratri Portuensi episcopo.

Cum nobilis provincia Tusciæ multis foret confossa doloribus, guerrarum concitata dissidiis, civilibus bellis licentiæ laxatis habenis, ac deformata ruinis, decuit nos ad animarum, corporum, & rerum vitanda pericula in ipsa prosequi vias pacificas, & ad unitatem reducere discordantes, ne se mutuo lacerarent, impeterent, ac molestarent injuste: ut tam nobilis tantaque provincia in tabernaculis fiduciæ requiesceret, & in pacis dulcedine habitaret; & per hoc in ea purgaretur hæretica pravitas, cohiberetur prædonum audacia, honoraretur sancta Romana ecclesia, & fidelium devotio nutriretur. Ad nos namque relatio fide digna perduxerat, quod nonnulli de dicta provincia cum malitiæ suæ conscriis atque consortibus habentes de ipsius turbatione pruritum malignitatis suæ, in favorem nostrorum & Apostolicæ sedis rebellium suos illicitos conatus moliebantur extendere, ut non cuiquam sua confirmaretur justitia, non cuiquam status suis debitus meritis servaretur. Unde cum fratribus nostris habita deliberatione matura, attendentes quod Romanum vacat Imperium, cujus ad nos, præsertim hoc tempore pacifica conservatio dignoscitur pertinere; dilectum filium nobilem virum Carolum natum claræ memoriæ Philippi Regis Francorum, comitem Andegavensem; de cujus strenuitate, armorum experientia, & bonitate confidimus; conservatorem pacis in ea parte ipsius Tusciæ, quæ prædicto Imperio subjacet, de fratrum eorumdem consilio duximus deputandum. Qui provinciam ipsam potenter & prudenter ingressus, hujusmodi commissum sibi paciariatus, seu conservandæ pacis officium, divina sibi assistente virtute, cœpit laudabiliter exercere: ita quod devoti & fideles ecclesiæ sæpedictæ de ipsa provincia habere poterunt, dante Domino, bonum statum, eruntque prava in directa, & viæ asperæ planabuntur. Verum, ut hæc salubrius & efficacius impleantur cum quiete ac pace, te de cujus legalitate, bonitate, circumspectione, & experientia matura confidimus, ad partes easdem providimus destinare, in eadem provincia nostra tibi auctoritate concessa; per cujus dictus comes favorem protectus,

Adjunctus illi A. S. L.

NOTÆ [1] LEgatio cardinalis Portuensis, cujus hic annalista meminit, altera fuit ab ea quam anno præcedenti gessit. Teste enim Joanne Villano lib. VIII. cap XXXIX. Fr. Matthæus de Aquasparta episcopus cardinalis Portuensis anno 1300. mense junio Florentiam venit, dissidia civium compositurus. Sed frustra obnixus, rediit ad Bonifacium. Secundum hæc Carolus Valesius a Bonifacio adscitus venit in Italiam, & anno 1301. Florentiam intravit die prima novembris, eodemque mense episcopus Portuensis eo rediit, teste eodem Villano cap. LXVIII. At vel in ejus textum, vel in epistolam papæ, hic ab annalista recitatam, mendum irrepsisse oportet. Nam in eadem epistola, quæ data est VI. non. decembris injungitur episcopo Florentiam actutum se conferat. Quomodo ergo Florentiam jam novembri mense venisse Villanus statuit? An forte eo injussu pontificis se contulit? Vix credo. Recedens vero iterum ab urbe legatus re infecta, interdicti sententiam iterum in eam urbem dixit. MANSI

ctus, directus consilio, & maturitate adjutus, commissum sibi officium, juxta beneplacitum divinum & nostrum, cum moderatione ac mensura tranquillius & utilius possit debitæ executioni mandare.

Quocirca fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus celeriter te accingens, & ad partes illas personaliter festinus accedas & ad ea, quæ comiti memorato commisimus, efficaciter promovenda & laudabiliter consummanda in provincia sæpedicta per te & alios, de quibus expedire videris, ipsum solerter inducas, & tam tu quam ipse vestra studia convertatis ad seminandum in ea semen charitatis, & pacis; ut sedatis guerrarum & dissensionum turbinibus, qui nimis invaluerunt ibidem, provincia ipsa tot impulsibus agitata quasi post noctis tenebras floridum diei lumen aspiciat; post glaciei frigus hyemis aurea sibi tempora & serena succedant, in quibus afflicti non solum temporalem lætitiam, sed æternam auctore Domino consequantur, contradictores & rebelles auctoritate nostra per te, vel per alium, seu alios per spirituales pœnas, appellatione postposita, compescendo, &c. Datum Laterani VI. *non. decembris anno* VII.

Dare operam jussus restituendæ provinciæ paci.

XIV. (*a*) *Reg. post cand. ep.*

Solicitati aliis literis (*a*) fuere archiepiscopi, episcopi, proceres, populique Etruriæ Romani clientes Imperii, ut cum Caroli Andium comitis, tum legati Cardinalis jussis obsequentes essent. Scribunt Joannes Villanus (*b*) & alii, veniente cum exercitu Carolo, quem plures Florentini, Etrusci, ac Flaminii exules factionis Guelphæ & Nigræ stipabant, Florentiam ancipiti motu concussam, fluctuasseque num ipsi armis obsisterent, an peramanter exciperent: cumque is ad conciliandas adversas partes se accessisse testaretur, reipublicæ gubernacula illi permissa: recruduisse tamen majores motus, conspirationesque in Carolum conflatas magna Albæ factionis invidia, quæ admodum ob id depressa, pulsaque est in exilium. Inter cæteros Albarum partium Dantes Aligerius ejectus, qui adversa usus fortuna literis se dedidit, magnaque poeticæ artis laude apud Italos efloruit.

(*b*) *Jo. Vill. l.* 8. *c.* 48. *S. Anton.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 8. §. 15. *& alii.*

Progressus Florentiam cum exercitu Carolus magna pompa excipitur.

Dantes Aliger multatus inter cæter. exilio.

XV. Permissum ei Carolo Catharinam Imp. uxorem ducere. Adjecta lex, ut in Fredericum movere exercitum.

Exciverat vero maxime Carolum Galliarum Regis fratrem Bonifacius, ut ejus virtute bellica ad recuperandam Siciliam uteretur; jam enim antea concesserat, ut Catharinam Balduini ejecti Constantinopolitano Imperio ex Philippo filio neptem, appellatam ob id Imperatricem, quamvis tertio consanguinitatis gradu junctam, uxorem duceret; ea tamen lege, ut cum exercitu Carolo II. contra Fridericum auxilio veniret: atque ideo, ita flagitante ab ipso Pontifice Carolo, cum jam Imperatrix prolem suscepisset, matrimonium ratum firmumque apostolica auctoritate habuit, (*c*) cum promissa impleviset; de quo hæc Jordanus scribit (*d*): *Mortua tunc conjuge Caroli, duxit Catharinam cui jus Imperii Constantinopolitani debebatur: ideo cum Venetis composuit pro Constantinopolitano Imperio recuperando, & venit Romam* * MCCC. *& a Papa Bonifacio honorifice susceptus, vicarius & defensor ecclesiæ constituitur, & per totum annum adversarios ecclesiæ suppeditavit in Tuscia.* Cum vero in Siciliæ expeditionem, quæ anno sequenti ab ipso suscepta est, non in Galliis modo, verum in Italia, Sicilia, Sardinia, Corsica, principatu Achajæ, ducatu Athenarum, aliisque insulis adjacentibus ab ecclesiasticis decimas colligendas edixit (*e*): coactis etiam in Anglia, queritur Westmonasteriensis (*f*).

(*c*) *Lib.* 7. *ep. cur.* 67.
(*d*) *Jo. Vill. l.* 9. *c.* 105. *& alii. Jord. MS. Vat. sig. n.* 1960.
* MCCCI.
(*e*) *Lib.* 7. *ep.* 196.
(*f*) *Vvest. Flor. hist.* XVI.

Maximi porro intererat pro re Sicula instituranda Genuenses Regi Carolo conciliare: apud quos tandem Pontifex sua auctoritate obtinuit, ut fœdus cum ipso percuterent, quod apostolica auctoritate, ne facile dissolveretur, communivit (*g*).

(*g*) *Lib.* 7. *ep. cur.* 14.

Bonifacius, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Nuper ad audientiam nostram perducto, quod inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem, & dilectum filium consilium & commune Januense pacis fœdera sunt, divina clementia favente, firmata; nobis extitit cum instantia supplicatum, ut infrascripta capitula, seu articulos, quæ in pace ipsa venisse dicuntur, confirmare de benignitate sedis Apostolicæ dignaremur. Nos igitur attendentes, quod licet immeriti vices gerimus pacis Actoris, quæ est vinculum charitatis, & fons proprius, cui non communicat alienus; ac sperantes in Domino ex pace ipsa utilitatem publicam, & multorum privata commoda, & Terræ sanctæ succursum specialiter proventura; quodque Januenses prædictos, nedum postquam fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, sed etiam ante gessimus in visceribus benevolentiæ specialis; & quod Januenses ipsi, qui abjerant in dissimilitudinis regionem, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ ac ad nostra mandata reverenter, ut accepimus, redierunt, quos speramus in devotione, ac obedientia ejusdem ecclesiæ constantius duraturos, rebellione contra ecclesiam prorsus abjecta; supplicationi hujusmodi providimus liberaliter annuendum. Quapropter hujusmodi capitula, vel articulos & contenta in eis auctoritate apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus; tenores ipsorum præsentibus inseri facientes, qui tales sunt.

Inter Carolum Sicil. Regem & Genuenses fœdus initum.

Confirmatum a Bonifacio.

Item quod idem dominus Rex & officiales

les ipsius permittent sine dolo & fraude, & absque aliquo impedimento, præfatum commune Januæ, & omnes & singulas personas de Janua, seu de districtu Januæ, seu quæ pro Januensibus distingantur, acquirere justo titulo, & extrahere frumentum, hordeum, & alia victualia quæcumque de Sicilia, de Apulia, & aliis regni partibus citra & ultra Farum & etiam de provincia; nec ipsum commune, vel aliquam personam de Janua, vel de districtu, vel quæ pro Januensibus distringantur, gravabunt, nec gravari permittent in jure, seu pretio exituræ ultra quam consuetum sit; sed ipsum commune & cæteros de Janua, seu de districtu, & qui pro Januensibus distringantur, tractabunt in ipso pretio exituræ sicut bonos & charos amicos ipsius domini regis, & ultra prædicta non claudent, & claudi permittent portum aliquem, nec devetum vel inhibitionem de non acquirendo vel extrahendo facient ipse dominus Rex seu ejus officiales contra ipsum commune, nec contra singulares personas de Janua vel de districtu Januæ, vel quæ pro Januensibus distringuntur, si extrahere velint inde victualia, sive frumentum, sive alia quæcumque. Et infra.

Item ob majorem amicitiæ nexum promittunt dicti ambasciatores dicto nomine dictis sindicis, & mihi dicto notario, recipienti ut supra, quod singulis annis incipiendis ab hodie, in antea & in perpetuum, quousque insula Siciliæ recuperata fuerit, dictus dominus Rex & ejus officiales permittent dictum commune Januæ, seu legitimam personam vel personas pro ipso communi sine fraude aliqua acquirere justo titulo, & extrahere libere a jure quolibet exituræ de portubus Apuliæ, de illis videlicet, de quibus ipsum commune, seu legitima persona pro ipso communi magis contentetur, decem millia salmarum frumenti ad salmam generalem & consuetam, & post recuperationem Siciliæ de portubus Apuliæ vel Siciliæ in electione dicti communis, seu legitimæ personæ pro ipso communi; ita quod in præjudicium prædictorum nihil fiat vel fieri possit; ita quod ipse dominus Rex, officiales, & subjecti ipsius permittent omnes & singulos Januenses & districtuales Januæ, & qui pro Januensibus distringantur, mercari & negotiari, ire & redire, & morari salvos & securos in personis & rebus, sanos & naufragos sine impedimento aliquo in omnibus & singulis terris eidem domino Regi subjectis, & in Sicilia, etiam in rebellione manente, & etiam postquam Sicilia redierit ad obedientiam & mandata ipsius domini Regis. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. Dat. Anagniæ kal. junii anno VII.

XVII. (a) Ep. cur. 122. Admissus (a) etiam est in gratiam Conradus Spinula, qui insulanis Siciliæ & Aragoniis maxime faverat, ac dein partibus ecclesiæ accesserat; dataque Porchetto Spinulæ Minoritæ, qui ecclesiam Genuensem administrandam susceperat, provincia, ut ipsum censuris, quas contraxerat, solveret: tum Genuenses sacramento adigeret, nulla auxilia Friderico contra Carolum præstituros. Verum alii moderandis reipublicæ gubernaculis admoti, eos qui hujusmodi sacramento se devinxerant, publicis muneribus dejecere, atque ab ecclesiasticis contendere, ut ipsos fidelium communione segregarent. Sed cum tam audax magistratuum facinus perniciosо exemplo esset, Bonifacius munus Porchetto commisit, (b) ut reipublicæ proceres ad ea decreta revocanda permoveret; ac si imperia detrectarent, ipsos in judicium apud sedem Apostolicam vocaret. (b) Ep. cur. 1.

Bonifacius, &c. fratri Porchetto de domo Spinulæ Januen. ordinis fratrum Minorum, administratori ecclesiæ Januensis.

Gaudemus de illorum devota providentia Januensium, qui se velut ab infecti gregis, indevotorum scilicet, consortio segregantes, de non præstando deinceps auxilium, consilium, & favorem Frederico & Siculis rebellibus, aut eorum nuntiis, & fautoribus contra nos, & Romanam ecclesiam, & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ Regem illustrem juxta rescripti nostri formam præstiterunt, ut scripsisti, corporaliter juramenta. Miramur autem, & admodum perturbamur de indignatione, quinimo præcipitatione mirabili potestatis, abbatis, antianorum, consilii, & communis Januensium, quod super iis in salute discrimen, in pace scandalum, in unitate divisionem, & in reformatione destructionis causam nequiter suggerentes, præstationi & receptioni juramentorum hujusmodi obviare damnabiliter sunt moliti; & quod detestabilius in causam abominandæ perversitatis advenit, ac hæreseos notabili nota non caret, petitum est pro parte dicti communis, ut durantibus in errore ecclesiarum pandatur introitus, ac hujusmodi præstantes juramenta, & redeuntes prudentius ad salutem non reciperentur ullatenus ad divina: & nihilominus ab omni consilio ecclesiæ Romanæ, statum prædicti Regis Siciliæ contingente, perpetuo sunt privati, & inhabiles redditi ad officia & beneficia dicti communis. In iis quidem non aliud, quam divinæ ac humanæ legis enervare velle judicium præsumuntur, nec propter regalium nuntiorum instantiam, penes te incaute forsitan insistentium, debuisti desistere ab incœptis: unde mallemus, ut sicut laudabili discreptione processeras, continuasses præfata recipere juramenta, cum non sit sub ambiguitate ferendum, quod causam suam Altissimus, qui cooperatores bonorum operum sua ineffabili virtute corroborat, confovisset. Datum

Sacramentum exigit Bonif. a Genuen. nullum ipsos Friderico auxilium allaturos.

Magistratus eam rem ægre ferunt.

Latæ ab ipsis iniquæ leges in illos qui hujusmodi sacramento se devinxerant.

La-

Laterani VII. *kalend. septembris anno* VII.

XVIII. Hoc anno Maria Regina Castellæ oratores ad Bonifacium misit, ut e Sanctio filios susceptos legitimorum natalium dignitate ornaret. Lacerata fuerat civilibus bellis Hispania ex quo Alphonsus Castellæ ac Legionis Rex, Ferdinando primogenito vita functo, filium secundum natu Sanctium prætulerat nepotibus, quos Ferdinandus ex S. Ludovici filia susceperat: ob id enim illatum a Gallis Hispaniæ bellum fuerat. Deinde cum Sanctius sceptrum, quod patri eripuerat, contra hostium inanes conatus sustinuisset, atque filios ex Maria quam contra leges canonicas, repugnantibus Romanis Pontificibus, duxerat, extulisset; iique impigre relictum a patre regnum adversus Ferdinandi patrui filios defenderent; magnis precibus contendente Maria, Pontifex filios ipsius justorum natalium honore ac prærogativa decoravit, sive ad bella civilia sopienda, sive Sanctium juste regnum gessisse censeret, cum ipse pari exemplo in Siciliæ successione Caroli II. non illius primogeniti filium, sed ex superstitibus liberis tantum majorem natu anteposuisse viderimus, sive aliæ ipsum ad id rationes permoverent. Extat ea de re ad memoratam Mariam pontificium diploma, (a) quo ipsi famæ & honoris restituit integritatem. (a) Ep. cur. 80.

Sanctii Castellæ Regis filii natalium dignitate a Bonifacio donati.

Mariæ relictæ quondam Sanctii nati Alfonsi Regis Castellæ ac Legionis.

Datum ea de re diploma.

Sensus hominis, proni ab adolescentia sua in malum, plerumque sic efficiunt lubricos actus parentum, quod ii in copulam legitimam delinquentes, illegitimatis rubigine ortum maculant filiorum. Verumtamen sic genitos, quos propriæ virtutis decorat auxilium, genituræ vitium minime decolorat, quia decus virtutis maculam abstergit in filiis & pudicitia morum pudor originis aboletur. Quapropter Apostolicæ sedis circumspecta benignitas, qualitates negotiorum & merita personarum diligenti circumspectione prospiciens, nonnullis ex hujusmodi generis, quibus virtutes & merita suffragantur, consuevit interdum favoribus opportunis assistere, ac donum gratiæ liberaliter impertiri. Mira enim Regis æterni benignitas honore multiplici sponsam suam Romanam ecclesiam insignivit: sed in hoc potissime ipsam honorabilem fecit, & felici statu fulgentem, quod in clavium collatione cœlestium illam eidem tribuit plenitudinem potestatis, ut non solum personis humilibus, sed quantumcumque generis excelsis solemnitate conspicuis in iis possit adesse magnifice, per quæ clari nominis titulum assequantur, & incrementum famosæ potentiæ prosequantur.

Sedis Apost. in natalium impurorum abolendo dedecore auctoritas.

XIX. *Sane petitio tua per solemnes nuntios, ad hoc specialiter ad sedem Apostolicam destinatos, nuper nobis exhibita continebat, quod quondam Sanctius natus claræ memoriæ Alfonsi Regis Castellæ ac Legionis consors tuus & tu, tertio consanguinitatis gradu vobis mutuo attinentes, nec non & alias tertio affinitatis gradu conjuncti, ex eo quod idem Sanctius cognoverat carnaliter Mariam Alfonsi de Ucero, tibi tertio gradu consanguinitatis conjunctam, quorum etiam Sanctii & Mariæ Alfonsi filiam quamdam tu de sacro fonte levaveras; vivente quoque tunc quondam Guillelma nata Gastonis de Beart, quam idem Sanctius per verba de præsenti receperat in uxorem, & a qua non fuit sententialiter separatus, licet inter ipsos Sanctium & Guillelmam carnalis non fuerit copula subsecuta; de facto matrimonium, seu potius contubernium invicem contraxistis, & dilectos filios nobiles viros Fernandum, Petrum, & Philippum fratres, ac dilectas in Christo filias nobiles mulieres Isabellam, & Beatricem sorores eorum, tuos & ipsius Sanctii natos, ex hujusmodi contubernio procreastis.*

Quæ causæ Sanctii cum Maria nuptiis obfuerint, ne justæ essent.

Cum autem ex iis iidem Fernandus, Petrus, & Philippus, ac Isabella & Beatrix defectum, quinimo defectus natalium patiantur, nobis humiliter supplicasti, ut pio tibi & eis compatientes affectu, & agentes misericorditer in hac parte cum eis providere ipsis de plenariæ legitimationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, attendentes quod, sicut fide dignorum testimonio accepimus, tu demum per laudabilis & honestæ conversationis, & vitæ meritum super iis a te maculam commendabiliter expiasti; quodque præfati Fernandus, Petrus, & Philippus, ac Isabella & Beatrix hujusmodi defectum natalium supplent virtute laudabilium meritorum, redimentes favore prudentiæ quod ortus odiosus ademit; sicque prosapiam regalis generis morum elegantia, & operibus virtutum, adornant; dignum reputamus & congruum, ut eos præcipuis gratiis & favoribus attollamus.

Qui susceptі ex iis liberi.

Tuis itaque supplicationibus inclinati eosdem Fernandum, Petrum, & Philippum, ac Isabellam & Beatricem legitimationis titulo decorantes, ut iidem Fernandus, Petrus, & Philippus ac Isabella & Beatrix, hujusmodi defectu seu defectibus natalium non obstantibus, ad omnes honores, omnesque dignitates, ecclesiasticos & mundanos, religiosos & seculares, etiam statui regio congruentes, & quolibet actus legitimos, prout eorum cuilibet obvenerint, vel quomlibet provenire possunt, assumi & admitti licite valeant; ipsique illos & illas assequi libere possint, & assecutos etiam retinere, sicut si eis defectus hujusmodi illegitimitatis maculam non obstarent; cum ipsis, & eorum quolibet de speciali gratia & de apostolicæ plenitudine potestatis dispensamus: sperantes, quod tu & ipsi tan-

Gerendis omnibus honoribus etiam regalibus, idonei redditi.

tantæ gratiæ magnitudinem memoriæ signaculis taliter alligetis, quod veniatis in dilectionem omnium conditori per vitæ virtuosæ studium, & sanctæ matri Ecclesiæ per sinceræ devotionis augumentum placere jugiter studeatis. Nulli ergo &c. nostræ legitimationis & dispensationis, &c. Datum Anagniæ VIIII. id. septembris anno VII.

XX. Aliis literis (*a*) ad eandem Reginam datis significat, se ipsius filium Ferdinandum ad sectandas virtutes, Ecclesiam colendam, pacemque cum Alfonso & Ferdinando patrui filiis contrahendam esse adhortatum. Quas quidem literas novo Castellæ & Legionis Regi scripta (*b*) ob rei dignitatem afferendas duximus.

(a) *Ib. ep. cur.* 83. Fernandus Castellæ & Legionis sceptrum capessit.

(b) *Ep. cur.* 81.

Bonifacius, &c. Fernando Regi Castellæ ac Legionis illustri.

Per hujusmodi quidem legitimationem tibi, ac prædictis fratribus, & sororibus tuis tituli regii, & cujuslibet dignitatis habilitatio gratiosa largitur, legitimorum actuum præstatur auctoritas, parentum abboletur infamia, & totius domus regiæ fama dudum denigrata clarescit. Hæc est gratia, quæ ipsi domui pacem præparat, salutem præstat, & pandit aditum ad quietem. Hæc est quæ ipsius domus extollit culmina, eamque illuminat radiis claritatum, si ejus cognoscatur effectus, si tu ac iidem fratres & sorores tui eam in pacis observantiam convertatis. Verum quia donum gratiæ ingratitudine tollitur, sed gratia devote recognita suscipit incrementa; ut crescat tibi beneficiorum collatio, de supernis exultes cœlitus, perceptorum gratus existas; sanctam matrem Ecclesiam, cui ob hæc obligatus esse nosceris in immensum, summis studiis & efficacia operum cures more devoti filii revereri, te sibi gratum, fidelem, & utilem opportunis temporibus exhibendo: vitæ decor te reddat acceptum, a tuæ primordio juventutis: erumpat chari filii vena cordis, & mel mansuetudinis fundat, lac fluat munditiæ, quod pectus bonorum operum decursu madefaçat, & de sinu magistri cœlestis in tuæ mentis solium salutis spargantur semina, quæ votive crescant, ac demum optatis fructibus incrementa concludant.

Hortatur illum Bonifac. ut gratiam pro accepto beneficio reponat.

XXI. Pacem cum Cerdis regni æmulis componat. *Cum autem inter cætera, quæ circa te pro honore ipsius matris Ecclesiæ, ac pro tua & aliorum procuranda quiete votiva sensibus nostris occurrunt, specialiter affectemus, ut dilecti filii nobiles viri Alfonsus & Fernandus, nati quondam Fernandi patrui tui, quos ut nosti præmissa contingunt, tibi reconcilientur ad gratiam; & inter te ac ipsos sedatis quibuslibet discordiarum anfractibus vere pacis amœnitas, & salutis concordia reformetur; celsitudinem tuam rogamus & hortamur attente, in pacis & salutis Actore paternis tibi consiliis suadentes, quatenus prudenter attendens, quod tamquam pius princeps, qui teneris erga singulos benignitatem, & mansuetudinem exercere, &c.* Adjungit preces, ut Cerdas in gratiam admissos pristinis bonis restituat. *Datum Anagniæ* VI. *kal. octob. anno* VII. Quo vero oprata pax in eo regno bellis civilibus concusso revocaretur, non contentus Bonifacius ad eam conciliandam Regi ac Reginæ matri scripsisse, ut Alfonsum Ferdinandumque in gratiam admitterent, Toletano archiepiscopo atque episcopo Seguntino provinciam demandavit, (*c*) ut in ea componenda comparandaque strenue operam ac studium navarent. Hæc de rebus Hispanicis: jam ad Anglicanas digrediamur.

Ad conciliandam eam concordiam ad plures alios scribit Bonif.

(c) Ep. 82.

XXII. Exigit ab Eduardo censum præteritis annis non solutum.

Ne pontificia in Angliam jura obsolescerent, cum jam annis undecim elapsis mille marcharum sterlingorum vectigal Eduardus sedi Apostolicæ non solvisset, Bonifacius illud ab eo repetiit (*d*): *Cum census*, inquit, *annuus mille marcharum sterlingorum a te, sicut nosti, prædictæ*, nimirum Romanæ, *debeatur ecclesiæ, fueritque jam per undecim annos proxime præteritos in ipsius solutione cessatum, & etiam pro anno præsenti terminando in proximo festo beati Michaelis de septembri debeatur; serenitatem regiam requirimus, & rogamus attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eumdem censum pro undecim prædictis & isto præsenti annis dilecto filio magistro Bartholomæo de Ferentino canonico Londoniarum latori præsentium, nostro & prædictæ ecclesiæ nomine, sublato dilationis & difficultatis obice, facias integre ac liberaliter assignari; ita quod, id gratum habentes, magnificentiam tuam possimus inde merito commendare. Dat. Laterani* XV. *kal. aprilis anno* VII. Scribit Westmonasterienſis, (*e*) hoc anno ab Eduardo omnium ordinum conventum Lincolniæ habitum, atque ex eo Bonifacio, qui Scotiam sedis Apostolicæ non Angliæ stipendiariam contendebat, responsisse; Regisque & procerum de ea re literas adduxit, de quibus nos anno MCCIC. occasione literarum Bonifacii egimus.

(d) Ep. 8.

Eduardus ex ordinum conventu respondet Bonif. Scotiam Angliæ, non ecclesiæ, stipendiariam.

(e) *Westm. Flor. hist.*

XXIII. Nonnulla privilegia concessa a Bonifacio.

Addenda hic sunt nonnulla apostolica beneficia Eduardo seniori ac juniori, tum Margaritæ Reginæ concessa. Permisit in primis, (*f*) flagitante ita Rege, ut regii famuli apud ipsius capellanum sua crimina confessione sacra expiarent: *Tuis*, inquit, *supplicationibus inclinati auctoritate tibi præsentium indulgemus, ut tam clerici quam laici tui servientes & familiares, præsentes & posteri, tuis obsequiis familiariter insistentes, quando non possent habere copiam proprii sacerdotis, quoties opportunum fuerit, possint capellano tuo eorum confiteri peccata: qui, audita confessione ipsorum, eis pro commissis pœnitentiam salu-*

(f) *Lib. 7. ep. 71. & reg. post eand. ep.*

tarem impendat, nisi talia fuerint, propter quæ fuerit ad sedem Apostolicam specialiter recurrendum. Dat. Laterani V. *kal. martii anno* VII. Tum ipsi ac filio concessit, ut quem oprarent sacerdotem audiendis suis confessionibus admoverent:

(a) *Ib. ep.* 72. (*a*) *Indulgemus, ut libere possis, quoties opportunum fuerit, discretum tibi eligere confessorem, & ei tua confiteri peccata. Datum ut supra.* Reginæ vero Margaritæ, ut in locis interdicto suppositis, divinis a suo capellano peragendis interesset, (*b*) modo inflicti interdicti rea non esset: aliaque hujuscemodi excitandæ & alendæ pietatis causa tribuit (*c*). Conformia sunt superioribus quæ de sacerdote a sacris (*d*) confessionibus eligendo, atque altare portatili (*e*) Ugoni Blesensi comiti & Catharinæ Constantinopolitanæ Imperatrici (*f*) cui etiam, ut antequam dies allucesceret, divinis interesset, (*g*) permisit: *Proviso tamen*, inquit, *quod parce concessione hujusmodi utaris, quia cum in altaris officio immolatur noster dominus Dei Filius Jesus Christus, qui candor est lucis æternæ, congruit illud non in noctis fieri tenebris, sed in luce. Dat. Anagniæ* VI. *non. octobris anno* VII.

(b) Ep. 73.

(c) Ep. 74. 75. 76.

(d) Ep. 13.

(e) Ep. 14.

(f) Ep. 183.

(g) Ep. 282.

Cur divina peragenda diurno sint tempore, non nocturno.

His adjungendum est, Jacobo abbati monasterii S. Pauli tribuisse, (*b*) ut in ara principe sacra celebrare posset. Ex quibus constat, antiquitus vetitum fuisse, ne quis in patriarchalium Urbis ecclesiarum altaribus præcipuis injussu summi Pontificis missarum solemnia perageret, quod etiam hactenus servatur: *In nostra*, inquit, *constitutus præsentia nobis humiliter supplicasti, ut cum tu zelo devotionis accensus in majori altari monasterii tui desideres missarum solemnia celebrare; nec id liceat tibi absque sedis Apostolicæ licentia speciali, providere tibi super hoc de speciali gratia dignaremur. Nos itaque attendentes, quod ad id ex puritate devotionis induceris; & propterea volentes super hoc favorabiliter tuis votis annuere, tuis supplicationibus inclinati, celebrandi hujusmodi missarum solemnia in altari prædicto licentiam auctoritate tibi præsentium impertimur. Dat. Laterani* II. *kal. decemb. anno septimo.*

(b) Ep. 298. In patriarchal. eccl. Urbis ara principe non petita a Pont. venia sacra facere non licet. Concessum id Jacobo abbati S. Pauli.

XXIV. Patriarchalium sedium canonici inconsulto Rom. Pont. patriarchas designare vetiti.

Hoc anno prohibuit Bonifacius, (*i*) ex sacri senatus consilio, ne in patriarchalibus sedibus Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena, atque Hierosolymitana, quamdiu sub schismaticorum aut infidelium jugo eæ ecclesiæ lugerent, ipsarum canonici inconsulta sede Apostolica patriarcham eligerent; ac si quid contrarium pertentarent, illud auctoritate apostolica convulsit: cum maxime interesset tam augustis dignitatibus viros præfici, qui pares virtutes gerendo muneri afferant: *Sancta Romana ecclesia, quæ disponente Domino super alias ordinariæ potestatis obtinet principatum a Deo, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra, quatuor patriarchales sedes instituit: inter quas post ipsam Romanam ecclesiam Constantinopolitanam primum, Alexandrinam secundum, Antiochenam tertium, & Jerosolymitanam quartum locum voluit obtinere; ipsasque multis prærogativis, & honoribus ac privilegiis decoravit. De quarum provisionibus, cum eas vacare contingit, tanto est accuratius cogitandum, & attentius providendum, quanto majori eminent altitudine dignitatis, & periculosius erraretur in provisionibus earundem.* Et infra: *Ideoque de eorundem fratrum consilio, & apostolicæ plenitudine potestatis statuimus, ut quamdiu civitates ipsæ schismaticorum aut infidelium subsunt, aut suberunt ditioni, aut detinebuntur per eos; canonici dictarum patriarchalium sedium, cum eas, vel ipsarum aliquam, seu aliquas vacare contigerit, ad electionem, postulationem, seu quamvis provisionem de præficiendo sibi patriarcha vel pastore nullo modo procedant absque Apostolicæ sedis petita licentia, & obtenta per ipsius sedis literas apparente: quin potius vacatio earumdem ecclesiarum, quam prius commode fieri poterit, ad ipsius sedis notitiam deducatur, &c. Dat. Lat.* X. *kal. januarii anno* VII. Huic decreto occasionem dedit, (*k*) sublato e vivis Petro patriarcha Constantinopolitano Latino, absentibus cæteris canonicis, unum qui reliquus erat, electionem patriarchæ celebrasse, quamvis electus postea jus suum, si quod obtinuisset, Pontificis arbitrio permisisset.

(i) *Lib. 7. ep. cur. Exst. etiam in extravag. S. R. E. de elect.*

(k) *Ibid.*

Incorruptæ fidei tuendæ zelo eodem anno severitas in hæreticos exercita est, non in vivos modo, sed in sepultorum etiam cadavera. Tradit Bernardus (*l*) hoc anno Armanni, alias Hermanni, cujusdam hæretici corpus, quod sanctorum honoribus annis triginta supra unum Ferrariæ ab imperita plebecula cultum fuerat, sacræ fidei censorum jussu exhumatum, ac publice combustum fuisse; ejusque aram, quæ magnifice adornata erat, eversam & dissectam fuisse, qua de re meminit etiam Jordanus his verbis (*m*): *MCCCI. Ferrariæ corpus cujusdam Armanni, quod veneratione a quibusdam habebatur, mandato inquisitorum exhumatum & combustum est.* Eodem anno emersisse collocat annalium Dominicanorum Colmariensium scriptor (*n*) hæresim fœdissimam a muliercula confictam, quæ Spiritum sanctum in redemptionem mulierum muliebri corpore se induisse prædicabat: *Præcedenti anno*, inquit, *venit de Anglia virgo decora valde, pariterque facunda, dicens Spiritum sanctum incarnatum in redemptionem mulierum; & baptizavit mulieres in nomine Patris, Filii, ac sui. Quæ mortua ducta fuit in Mediolanum, ibi & cremata: cujus*

XXV. Armanni hæretici ara Ferrariæ dejecta.

(l) *Bern. in chr. Rom. Pont.*

(m) *Jord. MS. Vat. sign. n.* 1960.

(n) *Annal. Dominicanor. Colm. hoc ann.*

Exusta mulierecula, quæ hæresim Montanistar. in Germania renovare nitebatur.

XXVI. *jus cineres frater Joannes de Vvissemburc ordinis fratrum Prædicatorum se vidisse pluribus referebat.*

(a) *A.* 1296 *n.* 18. 19. 20. 27.

Aucta sunt hoc anno gravissimæ inter Pontificem & Francorum Regem discordiæ semina: cum hactenus Bonifacius Gallicum genus maximis affecisset beneficiis, & Adolphum Romanorum Regem, ne Eduardo Anglorum Regi & Guidoni Flandriæ comiti conjunctus Gallias occuparet, opportune repressisset; (*a*) vires opesque ad subiiciendam Gallis Siciliæ insulam contulisset, (*b*) Carolum Philippi Regis fratrem Imperii vicarium (*c*) in Etruria, ac ditione ecclesiastica præfectum (*d*) creasset; evehereque illum ex nonnullorum sententia ad occidentale Imperium, (*e*) & certe ad orientale, (*f*) eripiendum Græcis promovere anniteretur, ut Gallorum armis fultus Syriam Christi cultui restitueret, quod ob Cassani Regis Persidis erga Christianos studia facillimum videbatur; Philippumque ad gloriosissimam urgeret expeditionem; (*g*) repente, malorum incentore diabolo, non sine gravi Philippi Regis & administrorum culpa, atrox exarsit dissidium ex his initiis. Invadebat Philippus, politicorum subornatus consiliis, *ecclesiarum jura* (*h*) non modo in Rhemensi, (*i*) Carnutensi, (*k*) Laudunensi, (*l*) Pictaviensi; (*m*) sed maxime in Lugdunensi, (*n*) Narbonensi, (*o*) Appamiensi, (*p*) quarum trium postremarum præsules ad Philippi tempora earum urbium dominatu potiebantur. Contigit vero ut Bernardus Appamiensis episcopus, qui ingentem litem de Appamiarum imperio cum Rege & Rogerio Fuxi comite exercuerat, (*q*) in crimen vocatus (*r*) sit, inter alia jactasse Appamias Gallicæ coronæ non obnoxias esse; ac pluribus dicteriis famam regiam proscidisse: forma quidem Philippum cæteris antecellere, sed virtutibus vacuum esse. Quibus lacessitus Rex, violata ecclesiastici ordinis immunitate, immisso satellitio episcopum honeste ad se deduci jussit: (*s*) deinde archiepiscopo Narbonensi custodiendum tradidit, veluti læsæ majestatis reum; atque hæc accusationis capita in Appamiensem episcop. ad Bonifacium transmisit (*t*).

(b) *A.* 1295 *n.* 20. & *seq. an.* 1296. *n.* 7. & *seq. an.* 1297. *n.* 1. & *seq. an.* ad 25. *an.* 1298. *n.* 1. & *seqq. an.* 1301. *n.* 15.

(c) *Bonif. l.* 7. *ep.* 70.

(d) *Ib. ep.* 69. & 71.

(e) *Jo. Vill. l.* 8. *c.* 62. *S. Ant.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 8. §. 10.

(f) *Jord. ubi sup.*

(g) *Bonif. l.* 7. *ep. cur.* 101. Philippi & Bonifacii dissidia.

(h) *Ib. ep.* 328. *Jord. MS. Vat. sign. n.* 1960. *Jo. Vill. S. Ant. ubi sup.*

(i) *A.* 1299 *n.* 23. 24.

(k) *A.* 1290 *n.* 29.

(l) *Lib.* 4. *ep.* 259.

(m) *Lib.* 4. *ep.* 471.

(n) *Lib.* 3. *ep.* 67. & *l.* 4. *ep.* 325. 327. & *An.* 1290. *n.* 29.

(o) *A.* 1300 *n.* 37. & *Ben. XI. ep. com.* 613.

(p) *A.* 1295 *n.* 52.

(q) *Ib.* & *An.* 1299. *n.* 25.

(r) *L.* 7. *ep.* 328. *Jord. ubi sup.*

(s) *Lib.* 7. *ep. cur.* 100.

(t) *Eod. l.* 7. *ep.* 328. XXVII.

Tenor prædictorum articulorum talis est. In primis asseritur quod idem episcopus Appamiarum, in injuriam & blasphemiam dicti Regis proruptus, dixit non solum semel, secundo, sed pluries diversis locis & temporibus coram multis personis ecclesiasticis & sæcularibus, nobilibus & ignobilibus, quod S. Ludovicus avus dicti Regis olim, dum viveret, dixerat eidem episcopo tunc abbati Appamiarum, quod temporibus ipsius Philippi Regis debebat Franciæ regnum destrui, ac idem Rex & sui debebant perdere regnum ipsum; & quod dictum regnum debebat ad alios devenire, nullatenus ad ipsum Philippum Regem & suos ulterius reversurum. Item quod idem episcopus multoties dixit, quod idem Philippus Rex nihil omnino valebat. Item quod ipse Rex non erat de genere claræ memoriæ Caroli Magni Regis Francorum. Item quod nec de recto genere regni Franciæ. Item quod nec homo, nec bestia, sed imago. Item quod nihil omnino sciebat, nisi respicere homines. Item quod non erat dignus tenere regnum Franciæ, quia regnum ipsum regere nesciebat. Item quod tota curia Franciæ, intus & extra, huc & illuc erat falsa, corrupta, & infidelis, neminem excipiendo; & quod idem Rex erat eodem modo. Item quod omnes Gallici inimicabantur linguæ Tolosanæ, & quod numquam fecerunt Tolosanis bonum, sed semper malum, & quod auferebant eis quidquid habebant; & quod Rex faciebat eodem modo, &c. Objecta sunt alia convicia eidem episcopo jacta in Regem: tum coitiones cum Fuxensi comite agitasse ad Tolosanam provinciam in rebellionem conjicendam, subjiciendamque Fuxensi, ac fœdera inter Aragonum Regem & Fuxi comitem jungere meditatum; deque regiis administris, ne Appamiis jus exercerent, exturbandis egisse, & Convenarum comitem trahere in conjurationem, & Armeniacum cum Fuxensi conciliare annisum, hæcque ei significasse: *Significavit etiam sibi, quod tempore dicti Regis Franciæ, qui nunc est, regnum Franciæ finiretur; & quod idem episcopus hoc audiverat recitari pluries a S. Ludovico.*

Censuit Bonifacius hæc a calumniatoribus ad tegendum scelus conficta in episcopum: & quidem fœdiores longe calumnias Christi vicario, ac si mortalium perditissimus esset, a Philippi consiliariis aspersas visuri sumus. Cæterum, ut erat æquitatis acer vindex Pontifex, superioris accusationis capita ad Narbonensem archiepiscopum (*u*) transmisit, (*x*) ut in Appamiensem antistitem de iis judiciariam actionem institueret. Tum asserendæ immunitatis ecclesiasticæ cupidus Philippo denuntiavit, (*y*) ipsum censuras contraxisse, ni alias graviores facti rationes afferret; præcepitque, ut præsulem Appamiensem dimitti ex Narbonensis archiepiscopi custodia, atque ad sedem Apostolicam accedere permitteret: restitueret ecclesiæ Appamiensi occupata bona, nec in posterum sacras opes diriperet.

(u) *Ib. ep. cur.* 109.

(x) *Eod. l.* 7. *ep.* 328. Injuncta archiep. Narbon. provincia ut causam cognoscat.

(y) *Ep. cur.* 109. *Jord. ubi sup.* & *alii.*

XXVIII. *Regi Franciæ illustri,*

Secundum divina, canonica, & humana jura ecclesiarum prælati & personæ ecclesiasticæ tam regulares quam sæculares, in quibus laicis nulli est attributa potestas, multa debent libertate & immunitate gaudere: & hoc laudabilium prædecessorum tuorum tempore servabatur. Et ideo plus dolemus, si tuo tempore, cujus regnum Deus tantum dilatavit & auxit, tanto devotior Deo non redderis, imitando laudabiles prædecessorum ipsorum actus, quanto a Deo ampliora nosceris recepisse. Sane ad nostrum pervenit auditum, quod tu venerabilem fratrem nostrum Appamiarum episcopum personaliter ad præsentiam tuam deduci fecisti sub tuorum cauta custodia, utinam non invitum, quem sub colore securitatis personæ ipsius, custodiendum diceris commisisse venerabili fratri nostro Narbonensi archiepiscopo metropolitano ipsius.

Data Philippo imperia, ut ecclesiæ Appamien. jura restituat.

Magnitudinem igitur tuam rogamus & hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus eundem episcopum, cujus volumus habere præsentiam, abire libere & ad nostram præsentiam securum venire permittas, omniaque bona mobilia & se moventia, ac immobilia, quæ per te vel tuos occupata, saisita, vel detenta sunt, ad eum vel commissam sibi ecclesiam pertinentia, sibi restitui facias; & de iis, quæ forsitan non extarent, debitam satisfactionem impendi, nec in antea ad similia per te vel tuos occupatrices manus extendas, habiturus te taliter in præmissis, quod majestatem non offendas divinam, nec sedis Apostolicæ dignitatem, nec oporteat nos aliud remedium adhibere; sciturus, quod nisi ad excusationem tuam aliquid rationabile coram nobis propositum fuerit vel ostensum, & præmissis veritas suffragetur, quin incurreris sententiam canonis propter injectionem temerariarum manum in dictum episcopum, non videmus. Nos enim dicto archiepiscopo damus per alias nostras literas (a) in mandatis, ut eundem episcopum liberet, & ad nos venire permittat, non obstante custodia, quam a te de eo dicitur recepisse. Dat. Laterani non. decembris anno VII.

(a) *Ib. ep. cur.* 110.

XXIX. Consulturus præterea ecclesiastici ordinis dignitati Christi vicarius, cum Philippus (*b*) Rex episcopatuum vacantium vectigalia regio fisco inferret, ac jura ecclesiastica sibi arrogaret, decrevit, ut his malis obviam iret, synodum cogere. De quibus hæc S. Antoninus, loquens de Philippo Rege (*c*): *Episcopatus vacantes cum essent, bona episcoporum diripiebat, & investituras eorum facere volebat. Quamobrem Bonifacius, ut magnanimus & audax, neminem timens, cœpit contra eum agere tamquam inimicum Ecclesiæ, & ad efficacius procedendum vocavit per literas apostolicas & nuncios speciales omnes episcopos & prælatos Franciæ ad Urbem ad celebrandum concilium.* Conceptæ sunt subjectis verbis eæ literæ, (*d*) e quibus constat, Bonifacium non modo cleri, sed populi etiam Gallici, cum plus æquo a Philippo gravaretur, libertati consulere voluisse, aliaque mala ingentia abolere. [1]

Immunitas ecclesiastica a regiis administris labefactata.

(b) *S. Ant.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 8. §. 20. *Jo. Vill. l.* 8. *c.* 62. *Paul. Æmil. in Phil. Pulc. & alii.*

(c) *Anton. ibid.*

(d) *Lib.* 7. *ep. cur.* 103. Aggreditur Bonifacius oppressæ omnium ordinum libertati consulere.

Bonifacius &c. venerabilibus fratribus universis archiepiscopis & episcopis, ac dilectis filiis, electis & capitulis ecclesiarum cathedralium regni Franciæ, ac doctoribus in theologia & magistris in jure canonico & civili de regno natis eodem.

Ante promotionem nostram ad summi apostolatus officium, dum adhuc nos minor status haberet, & post usque in præsentiarum, multa sunt nostro apostolatui reserata fide digna assertione multorum, quorum nonnulla etiam ad contingentia regna & populos in mali exempli perniciem sunt diffusa, & ea multos ex vobis credimus non latere; super excessibus, culpis, insolentiis, injuriis, atque damnis, quæ prælatis, ecclesiis, & personis ecclesiasticis, regularibus & sæcularibus, in regno Franciæ constitutis & alibi, per charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Franciæ illustrem & officiales suos seu balivos

NOTÆ [1] TOtam rei gestæ in captione Bernardi Apamiensis episcopi historiam exhibet exarata eo tempore narratio, quam e MS. codice Martene anecdot. to. I. col. 1319. vulgavit. Læsæ majestatis reus coram Philippo dictus Apamiensis, ad causam suam dicendam a rege intra mensem accitur. Prorogatur dein spatium illud usque intra octavam festi S. Michaelis, septembri mense celebrandi, cum interim milites jussu regis missi sunt, qui episcopum & custodirent caute, & deducerent sollicite. Ille laicam custodiam detrectabat, ut a metropolitano suo Narbonensi detineretur, postulans; quod a rege tandem idem Narbonensis archiepiscopus impetravit. Hujus rei gratia, tum etiam ut ratio custodiendi episcopi æqua assignaretur, Narbonensis concilium episcoporum habuit Sylvanecti, ubi tunc rex agebat. Archiepiscopi interfuerunt duo Narbonensis & Auxitanus cum episcopis septem. Leges in eo assignatæ sunt, quæ cum episcopo ecclesiasticæ custodiæ tradito servarentur; auditæ etiam accusationes, quibus episcopus onerabatur. Acta sunt hæc post festum S. Lucæ anni præsentis. Concilium istud nemo huc usque inconciliorum serie collocavit; nec sane concilium in eadem narratione appellatur; res tamen ipsa hanc sibi appellationem vindicat, cum episcoporum fuerit conventus & causa plane ecclesiastica ab ecclesiasticis & episcopis tractata.

Concilium aliud, Collectoribus huc usque incognitum, dedit hoc anno Remensis provincia. Ejus statuta ex vetusto MS. codice vulgarunt PP. Martene & Durand in collect. to. VII. col. 1324. Inscriptio canonibus ita præfixa exhibet *statutum Remensis provinciæ anno Domini MCCCI. secunda die mercurii* (sic) *post Clementem*. Dies mercurii post festum S. Clementis incidit anno illo in diem XXIX. novembris; sed mendum hic forte irrepsit; quid sit enim illud *secunda* plane ignoramus. Canones sunt VII. ac fere omnes cavent, ne quid in ecclesiasticum jus a laicis judicibus injuriæ inferatur. MANSI

vor multipliciter inferuntur; ac etiam paribus, comitibus, aliisque nobilibus, universitatibus, & populo dicti regni, prout hæc & alia in aliis nostris literis, quas eidem Regi dirigimus, serioſius continetur. Unde ſuper hoc cum fratribus noſtris deliberatione habita pleniori, de ipſorum fratrum conſilio ad noſtram præſentiam vos providimus evocandos.

Indicit Romæ epiſcoporum & doctorum conventus.

Quocirca univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica ſcripta vobis in virtute obedientiæ diſtrictius injungentes, quatenus in kal. novembris proximo futuris, quas vobis pro peremptorio termino aſſignamus, inſtructi & informati ſuper præmiſſis & aliis, ſuper quibus inſtructionem & informationem veſtram videritis opportunam, vos fratres archiepiſcopi & epiſcopi, nec non electi, doctores, & magiſtri, perſonaliter; vos vero capitula per procuratores idoneos cum ſufficienti mandato, & informatos plenius, noſtro vos conſpectui præſentetis, ut ſuper præmiſſis & ea contingentibus veſtra poſſimus habere conſilia, qui apud eundem Regem ſuſpicione caretis, & ſibi & regno accepti eſtis & grati, & diligitis ipſum Regem; nec non tractare, dirigere, & ſtatuere, procedere, facere, & ordinare quæ ad honorem Dei & Apoſtolicæ ſedis, augmentum catholicæ fidei, conſervationem eccleſiaſticæ libertatis, ac reformationem Regis & regni, correctionem præteritorum exceſſuum, & bonum regimen regni ejuſdem viderimus expedire.

Nos enim ipſi Regi per alias noſtras ſignificamus literas, ut ſi rem ſuam agi putaverit in præmiſſis, ſuaque crediderit intereſſe, per ſe vel per fideles viros & providos, ſuæ conſcios voluntatis, ac diligenter inſtructos, cum ſufficienti mandato coram nobis poſſit, ſi velit, eodem termino comparere. Alioquin ſuam, vel illorum, aut etiam veſtram abſentiam divina replente præſentia, in præmiſſis & ea contingentibus ac aliis, prout fuerit nobis miniſtratum a Domino, & expedire viderimus, procedemus. Vos autem mandatis noſtris in hac parte taliter obedire curetis, quod non poſſitis de contemptu vel negligentia, ſeu inobedientia reprehendi; ſed magis de diligentiæ, obedientiæ ac devotionis promptitudine commendari. Dat. Later. non. decembris anno VII.

Impoſita ſunt etiam Ciſtercienſi, Cluniacenſi, Præmonſtratenſi, S. Dionyſii, ac Montis majoris abbatibus imperia, (*a*) ne indictis præſulum, theologorum, & juriſperitorum conventibus deeſſent. Tum his, atque (*b*) archiepiſcopis & epiſcopis de admittendis ex æquitate excuſationibus eorum, qui ad Romanam curiam ſe conferre non poſſent, hæc ſcripſit: *Illos tamen doctores ſeu magiſtros in jure canonico & civili ab hujuſmodi perſonali comparitione volumus excuſatos haberi, qui coram ſuis ordinariis ſe duxerint excuſandos legitime, & ſuper hoc fidem fecerint coram eis. Impedimenta vero legitima, ſi qua, quod abſit, vobis archiepiſcopis & epiſcopis, electis, & abbatibus, vel veſtrum alicui vel aliquibus evenirent, probari legitime volumus coram nobis ab illo vel illis, quos ad hoc duxerimus deputandos.* Ne vero interim res literaria aliquid detrimenti pateretur, datis hiſce abbati S. Genovefæ & decano ac cancellario Pariſienſis academiæ imperiis conſultum eſt: *Diſcretioni veſtræ committimus, quatenus vos duo, vel unus veſtrum, præſertim tu cancellarie, providere poſſitis de tot & talibus doctoribus & magiſtris, ut Pariſiis remaneant ad actu regendum ibidem, de quot & de quibus videritis providendum; ita quod tam utile ſtudium & famoſum doctores ſufficientes habeat in theologia & canonico jure prædictis. Per hæc autem tu cancellarie ſtatuto tempore venire perſonaliter ad noſtram præſentiam non omittas.*

(*a*) lb. ep. cur. 104. & peſt eand. ep.
(*b*) Ep. cur. 105.

XXX. Prærogativas a ſede Ap. Regi Franc. conceſſas ad tempus ſolvi renuntiat.

Cum præterea Philippus Rex, prærogativarum ipſi ac prædeceſſoribus, ab ſede Apoſtolica conceſſarum ſpecie, jus eccleſiaſticum ipſorum politicorum conſilio obtereret, Pontifex eas omnes ſibi exponi, atque ad id tempus carere viribus juſſit: ac Philippum, ne id gravate acciperet, his literis monuit (*c*).

Chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Franciæ illuſtri.

(*c*) Ep. cur. 100. Exponit Philippo atroces iniurias omnibus ordinibus inflictas.

Nuper ex rationabilibus cauſis moti, præſertim ad relevanda gravamina, & quaſi importabilia onera eccleſiarum, prælatorum, & eccleſiaſticarum perſonarum, regularium & ſæcularium, regni tui, literas infraſcripti tenoris fieri fecimus, & bulla noſtra bullari, quarum tenorem ad tuam providimus notitiam præſentibus deducendum. Tenor autem talis eſt, Bonifacius, &c. ad perpetuam rei memoriam. Salvator mundi &c. ut in proxima ſuperiori uſque in finem (eraſa illa eſt omnino juſſu Clementis V. (*d*) ad regis Francorum gratiam.) *Tu igitur ſicut filius prædilectus in iis, quæ rationabiliter & pro utilitate publica fecimus, non turberis: ſed ea æquanimiter toleres; prudenter attendens, quia ut præmittitur, terminum aſſignamus, quo privilegia, indulgentiæ, gratiæ, & conceſſiones prædictæ noſtro conſpectui præſententur, & ad noſtram & dictæ ſedis notitiam deducantur, ut conſideratis ipſis & viſis provideri poſſit, ſi dicta ſuſpenſio fuerit in aliquo vel aliquibus moderanda. Datum Laterani non. decembris anno* VII.

(*d*) lb. ep. cur. 99.

Monet, ne gravate accipiat, ſi his malis medicatur.

XXXI.

Denique Bonifacius, cum inſtaurare Chriſti cultum in Syria percuperet, ac Guiſcardum Caſſani Tartarorum in Perſide Regis oratorem ad jungenda cum ipſo in Mahumetanos arma occidentis ex-

ce-

cepiſſet; quem etiam a Caſſano ad Francorum Regem miſſum referunt auctores, (*a*) tum ad Carolum Siciliæ Regem acceſſiſſe ex vetuſto regii archivii regeſto ſcribit Summontius; (*b*) omni ſtudio, & contentione Francorum Regem ad ſacram expeditionem pro religione Palæſtinæ reſtituenda adducere niſus eſt; qua de re hæc Paulus Æmilius (*c*): *Oratores ad Francum Regem Bonifaciumque Pontificem maximum miſit*, Caſſanus nimirum, *cum Latinis proceribus fœdus facturus, ut communi animo conſilioque ſacrum regnum recuperaretur, & a barbaræ religionis vi tegeretur. Bonifacius rurſus amplum magnificumque ſibi exiſtimabat, ſe Pontifice recipi, quæ ſuperioribus Pontificibus amiſſa fuiſſent. In Franciam literas ad Pulchrum Regem de bello ſacro redintegrando dedit, &c.*

(*a*) Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 7. Paulus Æmil. in Phil. Pulc. & alii.
(*b*) Summont. l. 3. Solicitat, ut ſe ad Chriſti cultum in Syria inſtaurandum accingat.
(*c*) Paulus Æmil. ubi ſup.

Hujuſmodi vero apoſtolicæ literæ Philippo Regi, qui a ſuis aſſentatoribus depravari, non moneri officii conſueverat, ingratæ adeo extitere, ut iras graviſſimas conceperit in Bonifacium; ac poſtea a Clemente V. obtinuerit, ut eæ quoque literæ ex regeſto pontificio majori ex parte, in qua nimirum gravioribus imperiis, aut juſtis minis, vel aſperiore verbo percellebatur, exponebanturque ejus facinora, eraderentur. De quibus raſuris extant in regeſto publicæ tabulæ ſubjectis conceptæ verbis: *Ego Oddo de Senninetо, publicus apoſtolica auctoritate notarius ac literarum apoſtolicarum regiſtrator, de expreſſo mandato reverend. patrum domini Berengarii epiſcopi Tuſculani, ac domini Arnaldi tit. S. Priſcæ presbyteri Cardinalis S. R. E. vicecancellarii, facto mihi per eos ex parte ſanctiſſimi patris & domini noſtri domini Clementis divina providentia Papæ V. qui hoc eis pluries mandaverat, ut dicebant, feci; ſeu in præſentia mea, & magiſtrorum Andreæ de Secia & Emanuelis de Parma fieri feci raſuras vacuas, quæ ſunt in quarto, quinto, & ſexto foliis proxime præcedentibus, quarum primam immediate præcedit quædam litera, quæ incipit:* De ſtatu terrarum, &c. *& ſequitur alia, quæ incipit:* Nuper ex rationabilibus, &c. *Secunda vero raſura facta in litera, quæ incipit:* Auſculta, *incipit immediate poſt verba:* Efficaciter adimplere & infra, *& finit ante verba illa:* Ad te igitur, &c. *Tertia autem raſura in eadem litera facta incipit immediate poſt verba:* Nec habens aliquod inhoneſtum; & infra, *& finit ibi ante verba illa:* Ad hæc ne Terræ ſanctæ negotium, &c. *Ibidem in quarta linea ſubſequenti facta una alia raſura unius tantummodo dictionis. Ultima quoque raſura incipit proxime poſt verba illa:* Sic te præpares in præmiſſis, & infra; *& finit ibi ante verba illa:* Ut in præſenti divinam gratiam, &c. *Ideoque prædicta de eodem mandato in rei geſtæ teſtimonium ſcripſi ſub ſolito ſigno meo Vienna in hoſpitio domini Cardinalis vicecancellarii ſupradicti. Et Tuccon de Secia, publicus imperiali auctoritate notarius, ac regiſtrator literarum apoſtolicarum, ſupradicta omnia per eundem modum, ut prædicitur magiſter Oddo, de eodem mandato feci ſeu fieri feci, ideoque de prædicto mandato in rei geſtæ teſtimonium in domo prædicti domini vicecancellarii me ſubſcripſi ſub ſolito ſigno meo.* Extant ſimiles aliæ (*d*) tabulæ de literis vigeſimaquarta & quinquageſimatertia eraſis. Quæ porro ex ſuperioribus ſuperfuere, ad illuſtrandam hiſtoricam in re graviſſima veritatem, a nobis afferentur, unde male Philippum Regem in Chriſti vicarium inſurrexiſſe aperte patebit.

(*d*) lb. pag. 290.

Bonifacius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Franciæ illuſtri.

Docet ipſum regendum a Chriſti vicario ad ſalutem adipiſcendam.

Auſculta, fili chariſſime, præcepta patris, & ad doctrinam magiſtri, qui gerit illius vices in terris, qui ſolus eſt magiſter & dominus, aurem tui cordis inclina; viſceroſe ſanctæ matris eccleſiæ admonitionem libenter excipe, & cura efficaciter adimplere (verſuque uno & fere dimidio eraſo Clementis V. juſſu.) *Ad te igitur ſermo noſter dirigitur, tibi paternus amor exprimitur, & dulcia matris ubera exponuntur. Campum ſiquidem militiæ humanæ mortalitatis ingreſſus, renatus ſacri fonte baptiſmatis, renuntians diabolo & pompis ejus, non quaſi hoſpes & advena, ſed jam domeſticus fidei & civis ſanctorum effectus, ovile dominicum intraviſti, colluctaturus non ſolum contra carnem & ſanguinem, ſed etiam contra aereas poteſtates, mundique rectores præſentium tenebrarum. Sic veri Noe es arcam ingreſſus, extra quam nemo ſalvatur, catholicam ſcilicet Eccleſiam, unam columbam immaculatam, *unici Chriſti ſponſam, in qua Chriſti vicarius Petrique ſucceſſor primatum noſcitur obtinere: qui ſibi collatis clavibus regni cœlorum, judex a Deo vivorum, & mortuorum conſtitutus agnoſcitur; ad quem, ſedentem in judicii ſolio, diſſipare pertinet ſuo intuitu omne malum. Hujus profecto ſponſæ, quæ de cœlo deſcendit a Deo parata ſicut ſponſa ornata viro ſuo, Romanus Pontifex caput exiſtit: nec habet plura capita monſtruoſe, cum ſit ſine macula, ſine ruga, nec habens aliquod inhoneſtum* (ac duabus paginis cum fere dimidia eraſis ſubiicitur.)

* unicam

Unicum eſſe in eccleſia caput.

XXXII. Proponit egregia majorum exempla.

Ad hæc, ne Terræ ſanctæ negotium, quod noſtris & tuis & aliorum fidelium debet charius inſidere præcordiis, nos putes oblivioni dediſſe memorare, fili, & diſcito, quod progenitores tui Chriſtianiſſimi principes, quorum debes laudanda veſti-

stigia solerti studio, & claris operibus imitari; exposuerunt olim personas & bona in subsidium dictæ terræ. Sed Saracenorum invalescente perfidia Christianorum ac ... colligitur ex literarum erasarum vestigiis vocem, quæ desideratur, hanc fuisse, *præsertim*; quam nimirum Philippus perstringebatur. Non caruisse sane ipsum gravis inertiæ culpa in ferendo Ptolemaidis & reliquarum urbium Syriæ excidio, vidimus, cum a Nicolao IV. rogatus, ut periclitantis Syriæ misereretur, Ptolemaidisque tutelam susciperet, detrectavit frivola de causa, tantoque Regi inhonesta, ne sibi, ut ajebat, illius jactura adscriberetur, si barbarus prævaleret: sicque res Christiana perdita fuit. Nec minus religioni obfuisse insinuatum est, cum levi de causa bellum cum Eduardo Rege, sarcire injurias a suis illatas parato, suscepit; ob quæ juste Bonifacius hæc illi objecit: *Tua & aliorum Regum & principum devotione solita tepescente, terra eadem tuis utique temporibus, heu, deperdita noscitur & prostrata. Quis itaque canticum Domini cantat in ea? Quis assurgit in ejus subsidium & recuperationis opportunæ juvamen adversus impios Saracenos, malignantes, & operantes iniquitatem, ac debacchantes in illa? Ad ejus quippe succursum arma bellica perisse videntur, & abjecti sunt clypei fortium, qui contra hostes fidei dimicare solebant: enses & gladii evaginati in domesticos fidei, & sæviunt in effusionem sanguinis Christiani: & nisi a populo Dei domesticæ insolentiæ succidantur, & pax ei proveniat salutaris, terra illa, fœdata actibus malignorum, a periculo desolationis & miseriæ per ejusdem populi ministerium non resurget.*

Convalescere Saracenorum sæviciam.

Indigne ab eo Christi causam contemni.

Si hæc & similia iis benevola mente revolvas, invenies quod obscuratum est aurum, & est color optimus immutatus. An non ignominia & confusio magna tibi & aliis Regibus & principibus Christianis adesse dignoscitur, quod versa est ad alienos hereditas Jesu Christi, & sepulcrum ejus ad extraneos devolutum? Qualem ergo retributionis gratiam merebuntur apud Dominum Reges & principes, & cæteri Christiani, in quibus terra quærit respirare prædicta; sed non est qui sustentet eam ex omnibus filiis, quos genuit ipse Deus, nec est qui supponat manum ex omnibus quos nutrivit? Clamat enim ad Dei filios civitas Jerusalem, & suas exponit angustias, & in remedium doloris ejus filiorum Dei implorat affectus. Si ergo filius Dei es, dolores ejus excipias, tristare & dole cum ipso, si diligis bonum ejus.

Exemplo Casani Tart. eximulat.

Tartari quidem, pagani, & alii infideles eidem terræ succurrunt, & ei non subveniunt in ea Christi sanguine pretioso redempti; nec est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Hoc a dissidiis privatis obvenit, dum utilitas publica cupiditatis ardore consumitur, nonnullis quæ sunt sua quærentibus, non quæ Christi, quorum peccata Deus ultionum dominus non solum in ipsis vindicat, sed etiam in progenies eorumdem.

Spernenti divinæ iræ intentatæ.

Tremenda sunt itaque Dei judicia & timenda, ante quæ non parantes justitiam damnabuntur: justus autem de angustia liberabitur, & cadet impius in laqueum, quem tetendit. Tu vero, fili, communiens in tribus temporibus vitam tuam, ordinando præsentia, & commemorando præterita, & providendo futura, sic te præpares in præmissis (erasoque fere uno versu) *ut in præsenti divinam gratiam, & in futuro salvationis & retributionis æternæ gloriam mereari. Datum Laterani non. decembris ann.* VII. De transmissis hisce ad Philippum Regem literis Pontifex Gallicanum clerum certiorem fecit, (*a*) præcepitque, ut in iis contenta discuterent, quo meliora consilia ad abolenda mala, quæ grassabantur in Gallis, ac fidem Christianam in Asia propagandam, recuperandumque ex Mahometanis sepulcrum dominicum expedire possent.

(*a*) *Ib. ep. cur.*102. Jussi præsules hæc illi inculcare.

Bonifacius, &c. venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis electis, & Cistercien., Cluniacen., Præmonstraten., nec non S. Dionysii in Francia Parisien. diœcesis, & Majoris Turonen. ordinis S. Benedicti monasteriorum abbatibus; nec non capitulis ecclesiarum cathedralium regni Franciæ, & doctoribus in theologia, & magistris in jure canonico & civili de regno natis eodem sal. &c.

Ex rationabilibus causis moti mittimus charissimo in Christo filio nostro Philippo Regi Franciæ illustri literas nostras infrascripti tenoris, qui talis est: Bonifacius, &c. charissimo in Christo filio Philippo Regi Franciæ illustri. Auscultа, fili charissime, &c. ut in proxima sup. usque in finem. Vos igitur potissime, quos per alias nostras literas ad præsentiam nostram sub certa forma vocamus, supradictum tenorem diligentius attendatis, & super contentis in eo sic vos modis congruis informetis, quod possitis consultius, certius, & salubrius vestra nobis dare consilia in agendis. Datum Laterani VIII. *id. decembris anno* VII.

Spreta a Phil. monita apostolica.

Quæ magno zelo Pontifex pro Gallorum bono, ac fide amplificanda constituerat, a Philippo Rege disturbata fuere; vetitosque præsules ad concilium accedere dicturi sumus inferius: spretaque pariter ab eo, improborum politicorum, apostolica monita in alienos sensus distorquentium, consilio, Terræ sanctæ instauratio, ut deplorat S. Antoninus his verbis, (*b*) de Cassano Rege Tartarorum, par-

(*b*) *S. Anton. 3. p. tit.*20. *c.* 8. §. 8.

partaque ab eo Syria prælocutus: *Ex ea recessit: destinavit tamen interea suos oratores in partes occidentis ad Bonifacium VIII. & ad Regem Franciæ, & alias nationes Christianorum, ut mitterent copias Christicolas in Syriam ad retinendum civitates Syriæ & Hierusalem conquisitas per eum. Quod cum exposuissent oratores ejus, & placuisset audientibus, nil tamen executioni mandatum ex neglectu eorum magis* * *attendentes ad suas animositates prosequendas, in se invicem laniando Christicolas, & ambiendo aliena dominia; quæ sua sunt potius* * *unamquamque communitatem quærendo, quam ea, quæ Jesu Christi; & ob hoc de ampliatione cultus divini &* * *dilatione Christianæ religionis parum curando. Et ubi tunc cum modicis expensis, & sine magnis copiis, capta Syria a Cassano potuisset a fidelibus illuc missis retineri; nulla provisione super hoc facta, cum magna erubescentia fidelium, & non levi crimine incuriæ & omissionis, postmodum amissa est; nec adhuc postea recuperata, nec in via recuperandi.*

* attendentium
* unaquaque communitate quærente,
* dilatatione

XXXIII. Matronæ Genuenses mulierem ornatum ad classem in Sarracenos instruendam distrahunt.

At principibus occidentalibus Syriæ recuperationem, amplificationemque religionis non curantibus, miraculo ac prodigio fuit, imbelles mulieres, divino amore incensas, Christi cultum Palestinæ restituere aggressas esse. Fuerunt eæ Genuenses matronæ prænobiles A. de Carmendino, I. de Ghisulphis, M. de Grimaldis, C. Franeræ, A. de Auria, S Spinulæ, S. & P. de Cibo, P. de Caris, quarum nomina indicanda censuimus, cum ob tam præclarum facinus dignissimæ sint, ut earum memoria nulla unquam temporis oblivione deleatur. Ad conflandam enim classem bona sua contulere, atque etiam ipsarum aliquæ, exaggerata, quadam mentis constantia, ut se militum obsequiis devoverent, obvia omnia pericula penetrarunt. Traxere alias etiam mulieres præclaro illo exemplo, quæ monilia & gemmas distraxere, ut militem ad defendendam Christi causam in Saracenum armarent; quarum consilium Bonifacius subjectis verbis collaudavit (*a*).

Magna Regum infamia, in tam glorioso opere a feminis superari.

(*a*) *Lib.*7. *ep. cur.*61.

Casanus Tartarorum Imperator Syriam Christianis restituere meditatur.

Percepimus quod vos & aliæ quamplurimæ mulieres civitatis Januen., divino spiritu inflammatæ, provide attendentes, quod Casanus magnus Tartarorum Imperator, cum multitudine sui exercitus, licet paganus, regnum Hierosolymitanum intraverat ad expellendos de terra sancta Soldanum Babylonicum, ejusque sequaces incredulos, ut ea Christiano cultui restituta, cantica Domini decantarentur in ipsa exultationis & laudis; quodque Reges & principes, & Christiani alii potentes, & ad arma doctissimi ad subveniendum dictæ terræ pietatis quodammodo viscera claussisse videntur, obturantes aures suas clamoribus exulum, qui terram ipsam hactenus habitarunt, quorum raucæ factæ sunt fauces in expetendo lacrymabiliter terræ sæpedictæ succursi; induitis mente viros in corpore fragili, decernentes sibi vestrorum largitione bonorum per viam marini stolii subvenire, &c.

Defuere tantæ occasioni Reges ac principes.

Præfecti illius classis fuere Benedictus Zachariæ, Lanfrancus Tartarus, Jacobus Lomellinus, & Joannes Blancus, ad quos Pontifex hæc scripsit (*b*): *Nobilitatem vestram monemus, rogamus, hortamur attente, obsecrantes in Filio Dei Patris, quatenus cum dictarum mulierum subsidio aperiatis viscera pietatis ad dictæ terræ succursum, sicut athletæ strenui Crucifixi, ut in præsenti divinam consequamini gratiam, & in futuro gloriam sempiternam.* Aliis vero literis eos hortatus est, (*c*) ut non sua, sed quæ Jesu Christi in ea expeditione quærerent, atque hæc subjecit: *Districte præcipiendo mandamus, quatenus ad reædificationem & reparationem alicujus castri, civitatis, vel loci muniti, sitorum in dicta Terra sancta, vel quavis parte Syriæ; præsertim maritimorum occupatorum, & destructorum per hostes fidei a tempore ultimi concilii Lugdunen., celebrati sub felicis recordationis Gregorio Papa X. prædecessore nostro; sub quovis titulo, vel quæsito colore ad utilitatem vestram, vel quarumcumque singularium sæcularium personarum, aut cujusvis universitatis, vel communis, maxime Tripolitanæ civitatis nullatenus procedatis absque Apostolicæ sedis licentia speciali, per ejus patentes literas apparente. Nos enim de talibus, auxiliante vobis divina potentia, opportuno tempore disponemus, ac etiam cathedralibus ecclesiis dictarum Terræ sanctæ & Syriæ de pastoribus idoneis providere curabimus, prout viderimus expedire. Dat. Anagniæ v. id. augusti anno* VII.

(*b*) *Ep. cur.* 59.

Excitati ad rem strenue gerendam.

(*c*) *Ep. cur.*60.

XXXIV. Genuensi classi præfecti.

Ad inflammandos plures ad arma pro Christiana religione tuenda, bonisque in tam pium & divinum opus conferendis, demandavit provinciam Porchetto Spinulæ Minoritæ ecclesiæ Genuensis administratori (quem postea ob præclaras ejus virtutes, tum ob navatam recenter ab ipso atque a Spinularum familia operam, ut Genuenses in obsequium Ecclesiæ redirent, fœdusque cum Rege Siciliæ Carolo jungerent, Genuensi archiepiscopatui, quo olim cesserat, restituit (*d*) ut Genuensibus significaret, petita a prænobilibus illis viris, ac matronis fuisse ab Apostolica sede admissa, (*e*) populos præclara concione ad sequenda crucis signa incitaret, aliorumque ad id operam adhiberet: tum ut profecturos in Terram sanctam apostolica auctoritate cruce insigniret (*f*).

XXXV. Porchettus Minorita Genuensi archiepiscopatui restitutus.

(*d*) *Ep.* 188. & 189.

Asiaticam expeditionem promovere jussus.

(*e*) *Ep. cur.* 57.

(*f*) *Ep. cur.*63.

Liberaliter etiam Bonifacius indulgentiarum in conciliis decreta præmia in eos, qui se obeundæ hujusmodi expeditioni accin-

cingerent, vel opes proficiscentium stipendiis subministrarent, effudit; (a) ac Minoritarum & Prædicatorum in Liguria præfectis præcepit, (b) ut viros religiosos ad porrigenda ecclesiæ sacramenta profecturis adjungeret: *Qui fecit*, inquit, *salutem in manu feminæ, & per eam capite Olofernis abscisso civitatem sanctam Jerusalem de manu hostium liberavit, creditur nonnullis nobilibus mulieribus Januensibus, earumque sociabus, seu sequacibus inspirasse, ut de Terræ sanctæ succursu, cui Reges & principes, & alii Christiani potentes, & ad arma doctissimi, obturatis cordibus, non succurrunt, efficaciter cogitarent, quæ per marinum estolium, & quasi particulare passagium ad partes illas, duce Deo, perventurum in brevi, eidem terræ succurrere decreverunt, ad hoc bona propria expendendo: & earum aliquæ disponunt personaliter transfretare ad impendendum humanitatis obsequia bellatoribus Crucifixi. Talium itaque devotis fervoribus, & charitativis affectibus libenter occurrimus, & earum pium propositum dignis favoribus confovemus. Ideoque discretioni tuæ in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus auctoritate nostra de consilio discretorum fratrum tui ordinis assumas aliquos fratres ejusdem ordinis de Januensis, & aliarum civitatum vicinarum conventibus in modo congruo, viros utique literatos, bonæ conversationis & vitæ, & in dicto estolio, seu passagio transmittas, &c. Dat. Anagniæ* IV. *id. augusti anno* VII.

(a) *Ep. cur. 58.* (b) *Ep. cur. 62. & reg. post eand. ep.*

XXXVI. Casanus orientales Christianos congregat in Sarracenos.

Quæ vero gesta sint a Cassano & aliis Christianis hoc anno, utque irriti ceciderint eorum conatus, describit Aythonus; (c) qui ubi defectionem Capcacki, amissamque superiori æstate Syriam exposuit, narrat Cassanum adulta hyeme in Euphratis ripa instruxisse copias, tum subjungit: *Transmisit Cotulossam cum triginta millibus equitibus Tartaris, & præcepit, quod quando ad partes Antiochiæ perveniret, Regem Armeniæ convocaret & alios Christianos partium orientis & Cypri, & adjungeret eos sibi: & dum Casanus cum robore sui exercitus sequeretur, in regnum Syriæ introiret. Prædictus itaque Cotulosa fecit sicut habuit in mandatis. Acceptis itaque triginta millibus Tartarorum per diætas suas perrexit quousque Antiochiam applicuit; & deinde misit ad Regem Armeniæ, quod veniret: unde Rex Armeniæ cum suo exercitu equitavit. Christiani etiam qui erant in regno Cypri, de adventu Cotulossæ, rumoribus intellectis, absque moræ dispendio cum galeis & aliis lignis pervenerunt ad insulam Anteradensem, & ibi fuerunt dominus Tyrensis frater Regis Cypri, qui erat militiæ dux & rector, & magistri domorum hospitalis, & templi cum conventibus fratrum suorum: & dum parati essent voluntaria Christi servitia adimplere, ecce rumor venit de quadam infirmitate Casani, qua taliter vexabatur quod de convalescentia medici totaliter desperabant: unde Cotulossa cum suis Tartaris rediit ad Casanum, Rex etiam reversus fuit * Armeniam, & alii Christiani, qui venerant ad insulam Anteradensem, redierunt in Cyprum: & ob hanc causam incœptum Terræ sanctæ negotium fuit totaliter derelictum. Hoc accidit anno Domini MCCCI.* His consentanea referuntur a Sanuto, qui addit (d) nostros antequam Anteradum pergerent, leves aliquot in Ægypto excursiones fecisse: *Idem Rex*, nempe Henricus Cyprius, *cum Hospitalariis, & Templariis armaverunt septem galeas, & quinque fichias, & ad flumen Rexit navigantes: quinque Saracenorum galeas invenerunt, quæ per Nilum fugientes liberatæ sunt. In insula vero descendentes, derobato uno casali, rediere & ante Alexandriam consedere: indeque recedentes, unam navem Saracenorum repererunt, quam, interfectis hominibus, combusserunt. Deinde discurrerunt maritimam regionem, & parvis illatis damnis rediere.*

In procinctu morbo tentatur.

* *in*

Dissoluta expeditio.

(d) *Sanut. l. 3. par. 13. c. 10.* Leves in Ægyptum excursiones.

Quod porro ad Casanum spectat, quem a Bonifacio paganum nuncupatum (e) vidimus; suscepisse illum Christiana sacra testantur Westmonasterienses, (f) Joannes Villanus, (g) Walsinghamus, (h) S. Antoninus, (i) ex quorum ultimo piam historiam referemus.

XXXVII. De amplexa a Casano Christi fide plurium sententiæ.

Cassanus Imperator Tartarorum, ut dictum est, fuit filius Dargon Chami, parvus quidem corpore, sed animo magnus; despicabilis vultu, sed mente venerandus, quia virtutibus exornatus, sapiens in bellis, & sagax in rebus, munificentissimus, & amicissimus Christianorum. Hic demum Christianus effectus baptisma suscepit, & ad hoc induxit multos ex suis. Causa autem suæ conversionis ad fidem miraculum fuit, quod hic sequitur, ad consolationem fidelium enarrandum. Quando iste Cassanus fuit creatus Imperator Tartarorum, fecit inquirere inter omnes mulieres, quæ esset omnium speciosior, ut illam sibi acciperet in uxorem, non attendens nec ad thesauros, nec ad alia hujusmodi. Et cum destinasset plurimos per partes orientis ad hoc perquirendum, tandem compertum est & indicatum, quod filia Regis Armeniæ esset pulchrior omnibus. Hac igitur postulata a Cassano, pater assensum præbuit, si puellæ hoc gratum foret. Illa ut prudens, pudica, & Jesu Christi devota, respondit se paratam patri obedire in hoc; ita tamen si sibi libertas daretur colendi Jesum Christum suo modo, quamvis Cassanus tunc esset paganus: & acceptavit conditionem Cassanus per oratores suos. Quamobrem Rex Armeniæ misit filiam suam ad Cassanum, associatam cum germano suo religioso

(e) *Bonif. l. 7. ep. cur. 61.* (f) *Vvest. Flor. hist. an. 1299.* (g) *Jo. Vill. l. 8. c. 35.* (h) *Vvalsing. in Eduar. I.* (i) *Ant. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 9.*

Ut insigni miraculo ad Christum pellectus fit.

so viro, & cum aliis religiosis & nobilibus viris ac mulieribus, ut eam in uxorem haberet: quæ cum applicuisset, multum complacuit sibi in ea. Ex qua cito filium suscepit, sed ita deformem & turpem, ut vix in eo humanitas appareret.

Illius filius monstruosus, suscepto baptismo, elegantem formam accipit.

Cassanus super hoc consilium sumens cum Satrapis, & sapientibus suis collatione simul facta, ab eis responsum accepit, hoc ideo accidisse, quia ex adulterio concepe-rat, & ideo ipsam cremandam esse cum prole sua. Determinatione ea facta, quamvis hoc grave esset Cassano propter amorem ad illam conceptum, populus quoque civitatis condoleret, cum rogus ad hoc pararetur, sibique significata fuisset mors sua, postulavit illa hanc sibi gratiam fieri, ut more Christianorum sibi liceret confessionem facere, & communionem sacram suscipere, & filium illum suum baptizari. Quibus peractis, & parvulo illo baptizato in debita forma, subito puer mutatus est in alterum, & apparuit ita pulcher & gratiosus, sicut quicumque alius in orbe reperiri posset. Ex tam evidenti prodigio nimis lætificatus Cassanus, non solum immunem esse voluit uxorem suam cum prole a morte; sed eam quoque Imperatricem decrevit, & cum magna solemnitate ipse cum innumerabi populo Tartarorum credentes in Christum, baptismum susceperunt: & in testimonium veritatis prædictorum quidam Florentinus origine, nutritus in partibus illis a pueritia, destinatus fuit orator cum pluribus Tartaris ad referendum ista domino Papæ Bonifacio, & principibus fidelium. Miramur insigne adeo miraculum ab Aytono & Sanuto, qui accuratius res Tartarorum tradidere historiæ, prætermissum fuisse, certe id constat ex memorato Aytono, qui sæpius in exercitu adversus Saracenos cum Casano versatus (a) est, magno Terræ sanctæ Christianis restituendæ, & Mahumeticæ superstitionis delendæ desiderio arsisse.

(a) *Ayton. hist. orient. c. 44.*

I. Bellum in Siculos gestum. Carolus Andium comes belli dux.

EFfudere in Siculos extremos conatus Bonifacius Papa & Carolus Neapolitanus Rex anno Christi millesimo trecentesimo secundo, indictione quintadecima. Sed antequam copiæ in Siculos educerentur, Bonifacius Fridericum censuris ad officium perpellere nisus est, (*a*) eoque in pertinacia obfirmato, Carolum Andium comitem excivit ex Etruria, atque in Siculos Gallico & ecclesiastico succinctum exercitu concitavit (*b*). Adjunctus (*c*) illi præterea est Guillelmus designatus episcopus Salernitanus amplissima ad Siculos insulares, ad ecclesiæ partes transvolaturos, solvendos censuris instructus auctoritate: quo tamen beneficio Fridericus sine singulari sedis Apostolicæ imperio, quicumque sequeretur casus, privatus est (*d*).

(*a*) *Lib.* 8. *ep. cur.* 17.
(*b*) *Ib. ep.* 25.
(*c*) *Ibid.*
(*d*) *Ib. ep.* 26.

II. Robertus dux Calabriæ expeditionis socius. Gesta a Carolo Valesio in Sicilia.

Invectus itaque una cum Roberto Calabriæ duce Carolus comes florentissima classe, quæ in Neapolitano portu a Rege apparata fuerat, ut Prolemæus Lucensis, (*e*) Joannes Villanus, (*f*) S. Antoninus, (*g*) aliique narrant, exscensione in Siciliam facta, adventus sui terrore insulam concussit, atque initio feliciter bellum circumtulit. Cujus viribus Fridericus cum se imparem videret, prælio cum eo decernere, quamvis lacessitus, recusavit; sed militari consilio ipsius exercitum solerti fuga fatigavit, partim illius commeatus intercepit: ac demum, cum Gallorum exercitus Xacam arcem obsideret, (*b*) ex aeris gravitate grassari lues adeo cœpit in castris, ut magnam copiarum partem absumpserit. Qua re animadversa, Carolus a fratre Rege ob Belgarum defectionem excitus, Robertum Calabriæ ducem ad tractandam cum Friderico pacem flexit, Pontifice & Carolo Rege insciis. De quibus hæc Jordanus (*i*): *Comes Valesii, tota æstate per Siciliam discurrens, animalia quidem suæ genti necessaria invenit, sed obvium sibi nullum reperit. Audiens vero nova de Flandria, suorum consilio ad ea, quæ sunt pacis intendit sub hac forma, ut scilicet Fridericus toto tempore vitæ suæ Siciliam absque Regis nomine possideret, & quidquid in Calabria tenebat, dimitteret, & Alienordem filiam Regis Caroli acciperet; & quod ipse Carolus, & Robertus dux Calabriæ fideliter laboraret apud Regem Aragoniæ, quod jus regni Sardiniæ & comes de Brenna jus regni Cypri Friderico darent, consentiente Romano Pontifice.*

(*e*) *Ptol. Luc. in annal.*
(*f*) *Jo. Vill. l.* 8. *c.* 49
(*g*) *Ant.* 3. *p. tit.* 20. *c.* 8. §. 16. *& alii.*
(*i*) *Jord. MS. Vat. sig. n.* 1960.

Obcladem Gallorum in Belgio Sicula res abjecta a Carolo. Fœderis leges inter Fridericum & Carolum.

Consonant Jordano Joannes Villanus, (*k*) S. Antoninus, (*l*) Surita, (*m*) Fazellus, (*n*) rerum Sicularum scriptor anonymus, (*o*) Summontius, (*p*) & alii. Sed præcipuas hujus fœderis leges e Friderici litteris (*q*) decerpere præstat: *Notum fieri volumus universis, quod, & infra, firmata est pax sive compositio, duratura, & servanda efficaciter & bona fide per nos pro nobis fidelibus & subditis nostris, & prædictos dominum Carolum Regem & magnificum dominum Robertum dicti domini Regis Caroli primogenitum & ducem Calabriæ, charissimum cognatum nostrum, pro se fidelibus & subditis eorum in forma, inferius particulariter & distincte notatis: videlicet, quod nos in tota vita nostra simus & esse debeamus Rex insulæ Siciliæ, & quod totam insulam ipsam cum omnibus insulis sibi adjacentibus, ac omnibus juribus, jurisdictionibus, rationibus, honoribus, & pertinentiis suis in tota vita nostra habeamus, teneamus, & possideamus in capite liberam & absolutam; ita quod exinde ad aliquod servitium personale vel reale alicui nullatenus teneamur. Item quod ducamus in uxorem nostram legitimam illustrem dominam Eleonoram filiam prædicti domini Regis Caroli. Item quod captivi, ab utraque parte detenti, absque aliqua redemptione seu solutione pecuniæ & aliarum rerum a carcere liberentur, & liberi permittantur abire.* Nonnullisque de colloquio ineundo cum Carolo Robertoque, interjectis: *Restituant seu restitui faciant nobis, aut nuncio seu nunciis nostris, omnes civitates, terras, castra, villas, casalia, & quæcumque alia fortalitias & loca, quæ tenentur & possidentur in partibus Siciliæ, & insulis sibi adjacentibus & pertinentibus, sive per sacrosanctam Romanam matrem ecclesiam, seu prædictum dominum Regem Carolum, & quoslibet alios nomine & pro parte eorum vel alterius ipsorum, cujuscumque conditionis & status existant. Quibus omnibus in nostris plenis dominio & posse per nos vel nostros nuncios habitis & receptis, in continenti liberabimus a carcere, & prædictis domino Carolo & domino Roberto, seu eorum nuntiis restituemus, vel restitui faciemus mignificum dominum Philippum principem Tarentinum filium prædicti domini Regis Caroli, & omnes alios captivos, quos habemus, ac omnes civitates, terras, castra, villas, casalia, & quæcumque alia fortalitias & loca, quæ & quæ tenemus in Calabria, infra mensem tardius, a die dissolutionis vistarum ipsarum in antea numerandum: & prædicti dominus Carolus & dominus Robertus nobis, aut nostro nuncio, vel nunciis statim liberabunt, assignabunt, vel facient assignari omnes captivos partis nostræ.* Et infra.

(*q*) *Ext. apud Bonif. l.* 9. *ep. cur.* 20. *& MS. arch. Vat. sig. lit. I. tit. Sicil. & Neap. p.* 155.

Siciliæ insula permissa Friderico.

De liberandis captivis.

Partis in Sicil. locis restituendis a Carolo.

Liberando a Friderico principe Tarentino.

Item per nos, & prædictos dominum Carolum & dominum Robertum ordinabitur in vistis eisdem, quod regnum & terra requirentur & dabuntur nobis pro filiis & heredibus nostris, ex nobis & prædicta domina Eleonora uxore nostra, favente Domino, proventuris: quam & quod ipsi filii & heredes nostri post obitum nostrum teneant, habeant, & possideant tanquam veri & legitimi successores & heredes nostri, eo quod post obitum nostrum prædicta insula perveniet ad dominum Regem Carolum, si tunc vixerit; & si forte non viveret, ad heredes dicti Regis domini Caroli. Item quod prædicti dominus Carolus & dominus Robertus bona fide promittant, se sic facturos, tractaturos, & curaturos, quod sanctissimus pater & dominus Bonifacius divina providentia sacrosanctæ Romanæ matris ac universalis Ecclesiæ summus Pontifex, reverendi patres venerabilis cœtus dominorum Cardinalium, & dictus dominus Rex Carolus per patentia scripta, ex pendentibus sigillis munita, prædicta omnia & singula acceptent, ratificent, & confirment, &c. Datum apud Castrum novum anno dominicæ incarnationis MCCCII. mense augusti, XIX. ejusdem, XV. indictionis. [1]

IV.

Reddenda post mortem Friderici Siciliæ insula.

Evolutis post aliquot diebus, Saccam inter & Calatabillotam initum inter Fridericum, Carolum, ac Robertum principes colloquium, in quo ambiguæ nonnullæ pactiones illustratæ ac firmatæ. In primis quo nomine regio Fridericus insigniendus foret, hæc sancita, (*a*) ut ipse publicis literis profiteatur: *Sit & esse debeat titulus noster Rex insulæ Siciliæ vel Rex Trinacriæ, secundum quod placuerit prædicto Regi Carolo, cujus hoc arbitrio & beneplacito reservamus: ita tamen, quod quamcumque prædictarum titulationum elegerit, ea in tota vita nostra, sicut prædicitur, intitulabimur absolute & libere, nulla conditione, aut subtractione, vel additione, vel limitatione, intitulatione ipsa aliquatenus apponenda.* Conventum præterea, ut Carolus Siciliæ Rex cum Romano Pontifice ageret, ut Friderico possessione insulæ Siciliæ abituro, ac posteris regnum Sardiniæ, vel Cypri, aliudve tantarum opum, atque amplitudinis traderetur; adjectæque nonnullæ aliæ iniquiores leges, ad Friderici gratiam compositæ, quas sequenti anno temperatas rescissasve visuri sumus.

(*a*) *Ext. ib.*

An Frid. Siciliæ vel Trinacriæ Rex inscribendus sit Car. Regis arbitrio relictum.

V. Bonifacius ad confirmandum initum fœdus solicitatus.

Solicitatus mox Bonifacius a Friderici oratoribus, ut sancito fœderi robur adjiceret, quamvis Regem Carolum delusum non ignoraret, sive diuturno fatigatus bello, cum omnes conatus frustra consumptos intueretur, jamque magnæ ipsum inter ac Philippum Galliarum Regem discordiæ emergerent; Fridericum in gratiam admisit: initas vero pactiones, cum in iis Romanæ ecclesiæ juribus consultum non esset, ac nonnulla ab æquitate abhorrentia continerent, ni in saniorem formam redigerentur, ab sede Apostolica confirmari non posse respondit: atque ad id hisce literis, pluribus paterni amoris notis aspersis, ipsum adducere enisus est (*b*).

(*b*) *Lib.* 8. *ep. cur.* 73.

Frederico nato quondam Petri olim Regis Aragonum spiritum non vertiginis, sed salutis.

Habuit nuntiorum tuorum facta nobis nuper assertio, quod ad gratiæ nostræ sinum, & unitatem Romanæ matris ecclesiæ ferventer integrari desideras, a quibus te fecit, & merito, culpæ contagium alienum. Expressit etiam ipsorum pro te subjuncta petitio, ut tractatui pacis habito inter dilectos filios nobiles viros Carolum Alanzoni & Valesii comitem, & Robertum primogenitum charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris ducem Calabriæ ex parte una, & te ex altera robur adjicere, per confirmationis nostræ præsidium de benignitate apostolica dignaremur. Et quidem, fili (quem nominare dilectum, nisi justum repugnaret obstaculum, cuperemus) hoc est nostri pastoris officium, hic est pii patris internus affectus, ut te a devio reducamus ad tramitem, pedes eripiamus a lapsu, & revivisscat filius, quem mors animæ, mors utique gravior, occupavit. Nec inest nunc ex tuæ novæ devotionis exordio mentis nostræ præcordiis hic affectus; sed ut novit verus scrutator cordium & hominum non potest latere notitiam, a nostræ promotionis auspiciis ad apostolatus apicem hoc cor nostrum voluit, mens dilexit, anima concupivit, diversasque vias modosque quæsivimus, quibus animæ & corporis tua possemus removere pericula, & te cum integratione status & gloriæ ad portum salutis reducere, cum procellis gravioribus ducebaris.

Pluribus verborum officiis Pontifex suum in Fridericum amorem explicat.

NOTÆ [1] COlloquium illud Jaccam inter & Calatabilotam, in quo pax inter Fridericum, & Carolum coaluit, qua die habitum fuerit, definit author anonymus chronici Siculi a Marcene vulgati cap. LXX. recitans literas Friderici, quibus regem se absque addito scribit, testaturque colloquium habitum fuisse die XXIX. augusti. Addit vero historicus inter pacis conditiones unam hanc fuisse, ut Fridericus nudo regis titulo contentus esset.

Quoad literas Joannis de Camera, in annalibus hic num. X. recitatas, animadvertendum est, legi eas pariter in chronico Siciliæ; sed in temporis adscriptione differunt; nam in chronico datæ sunt *Lentini XXIII. septembris primæ indictionis*; in annalibus vero sunt *Lenti. XXIII. decembris, I. indict.* Lectionem annalium mendosam judico, cum pace die ultima augusti sancita, ad exitum usque decembris interdicti relaxationem dilatam fuisse, vix credam. MANSI

VI. Tractatum pacis ea forma, quæ est, conceptus, confirmari non posse.

Licet autem ad lenitatem pacis, pro qua universalis Ecclesia, cui quamvis indigni præsumus, orat assidue, ex cujus fructu repugnantia tollitur, & verum bonum infallibilis veritatis amatur, zelus nos ferventis charitatis accendat, ut pax super Israel temporibus nostris fiat; præfatum tamen tractatum pacis, ut jacet commode confirmare non possumus, expedientia atque decentia nostra & sedis apostolicæ repugnante: sed si tractatus ejusdem, in principalibus integra remanente substantia, ad reformationem, & emendationem ejus, secundum æquam rationabilemque censuram pro reverentia & honore, ac recognitione debita nobis & eidem ecclesiæ, tuum convertas animum, rectifices intellectum, circa reparationem tui status & nominis, tractatum confirmando prædictum: & alias personam tuam prosecutionibus amplectendo, paternis sive dubitationis anfractu operosis studiis intendemus, ut dragmam gaudeamus invenisse deperditam, & inventa ove, quæ periit, nos & Ecclesia sponsa Christi, in renascentis filii nova propagine placida jucunditate lætemur. Ecce namque ut in benedictionibus dulcedinis te gratia nostra præveniat, & erroris fugata caligine eo libentius atque suavius veritatis semitam ingredi valeas, quo per benignitatis nostræ suffragium tecum benignius atque clementius senseris dispensari certo modo, quem suasit cautela consilii, mandamus & expresse committimus, te ab excommunicationis sententia, qua ligaris, absolvi; & interdictum de insula Siciliæ removeri, super matrimonio, contrahendo inter te & dilectam in Christo filiam nobilem juvenem Alionoram natam dicti Regis Siciliæ, de benignitate apostolica dispensantes. Extat de ea re apostolicum diploma (*a*): cumque Carolus Siciliæ Rex ab ea affinitate suscipienda abhorreret animo, ad id illum Bonifacius gravibus literis (*b*) perpulit, ac Fridericum ad pacis studia his verbis hortatus est (*c*).

Revocandum ad æquitatis, leges, ac tum libenter ipsum assensurum.

Certis interea legibus censuras, quibus est devinctus, dissolvi.

(a) *Ib. ep. 76.*

(b) *Ib. ep. 77. 78.*

(c) *Sup. ep. 73.*

VII. Mitti ad eum Salernitanum & Bononiensem electos ad rem componendam.

Præpara igitur cor ad bonum, spiritum rectum in visceribus innova, & nostris exhortationibus ac requisitionibus, quæ profecto tua commoda sapiunt, te coapta; ut cum incremento favoris & gloriæ statui tuo reparatio fructuosa proveniat, læta pax odiorum ruinas impleat, & faciente pacis auctore restauret, quod amarum dissidium a longo jam tempore mutilavit. Et quia mentis nostræ propositum in præmissis vivæ vocis oraculum clarius & expressius exprimit, quam scriptura, dilectos filios Guillelmum Salernitanum & Ubertum Bononiensem electos, ac nobilem virum Jacobum de Pisis familiarem nostrum ad te propterea providimus destinandos, quos tua nobilitas intuitu mittentis devote recipiat, patienter audiat, & relata per ipsos ad terminum votivæ executionis adducat. Dat. Later. VIII. id. decembris anno VIII.

Commisit aliis literis suas partes iisdem Guillelmo Salernitano & Uberto Bononiensi episcopis designatis, (*d*) ut Fridericum latis a Pontifice legativæ censurarum sententiis ritu solemni absolverent; hac tamen data lege, ut is pontificiis voluntatibus in redigendo ad meliorem formam pacis tractatu se accomodaret: *Adiicimus*, inquit, (*e*) *& expresse subnectimus, quod si Fredericus præfatus circa reformationem jam dictæ pacis nostris requisitionibus & exhortationibus, quas sibi rationabiliter facimus, se finaliter non inclinet in præfatas excommunicationis sententias ipso jure sine aliquo facto hominis relabatur.* Demandata præterea iisdem nuntiis provincia, ut Siculos, Catalanos, Aragonios, aliosve, qui ob susceptas Friderici & Siculorum perduellium partes censuras contraxerant, eo religionis nexu solverent, (*f*) quamquam eodem ferme tempore Joannes e Camera apostolicus nuntius (qui una cum Guillelmo designato episcopo Salernitano in Castra Caroli Valesii ac Roberti principis fuerat subuissus, ut Siculos ad obsequium Regis Caroli & ecclesiæ pelliceret) apostolicarum literarum auctoritate Panormitanis, qui ob initum fœdus se in sedis Apostolicæ fide ac potestate futuros profitebantur, sacrorum usum restituit, ut MS. vetus de rebus Siculis testatur his verbis: (*g*) *Super relaxatione interdicti, cui dicta insula erat supposita propter rebellionem per Siculos contra Carolum primum attentatam processus, seu literæ emanarunt, ut infra seriosius est descriptum.*

(d) *Eod. lib. ep. cur. 74.*

(e) *Ead. ep. 74.*

(f) *Ib. ep. 75.*

(g) *MS. vet. Fred. com. Ubald. de reb. Sic. p. 30.*

Provido capellano majoris Panormitanæ ecclesiæ dilecto in Christo sibi, Joanne de Camera canonico ecclesiæ de Castro Bituricensis diœcesis salutem, & sinceram in Domino charitatem.

IX. Pont. lit. de adsolvendis Sicul.

Discretionem vestram scire volumus, quod venerabilis & discretus dominus Guillelmus electus Salernitanæ ecclesiæ, & nos a sanctissimo patre & domino nostro domino Bonifacio, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summo Pontifice, cum omni devotione & reverentia recepimus literas in hac forma: Bonifacius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis Guillelmo electo Salernitano, & Joanni de Camera canonico ecclesiæ de Castro Bituricensis diœcesis salutem, & apostolicam benedictionem. Illius exemplo, cujus in terris vicem gerimus, nolentes mortem peccantium, sed cupientes potius conversionem eorum fructiferam ad salutem, misereri elegimus potius, quam ulcisci. Cum igitur dilecti filii nobiles viri Carolus natus claræ memoriæ Philippi Regis Francorum comes Andegavensis, & Robertus dux Calabriæ primogenitus charissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ Regis illustris in ipsius Siciliæ insula contra Fridericum, natum quon-

* insula ipsa rebelles * &

* aliis

* iidem

*quondam Petri olim Regis Arragonum, & Siculos, ac alios in * insulam ipsam rebellem, propter multiplicatos eorum graves & enormes excessus, offensas * in varias contumacias & contemptus, quibus Deum & Romanam ecclesiam, ac præfatum Regem Carolum longo jam tempore in eadem insula & * alterius regni prædicti locis & partibus durius provocarunt, progressi nuper magnifice dignoscantur, ut rebelles ipsi ad devotionem & mandata ejusdem ecclesiæ coacti vel voluntarii, divina suffragante potentia, reducantur, vos illuc accessistis cum eisdem; nos de vestræ discretionis & circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, & volentes, ut eo libentius rebelles * iidem civitates, castra, terræ, & loca tam ipsius insulæ, quam aliarum etiam regni prædicti partium citra Pharum; nec non & circumadjacentium insularum & locorum, & eorum incolæ, quæ rebellia dignoscuntur, redeant ad devotionem nostram & ecclesiæ memoratæ, quo magis nos & illa sibi senserint in misericordiæ pietate propitios; discretioni vestræ, ut insulas, civitates, castra, terras, & loca, ac rebelles prædicta, & alias quascumque personas, quæ in hujusmodi rebellione fuerunt, seu quæ alias rebellibus ipsis contra monitiones, & mandata & inhibitiones sedis Apostolicæ super iis assistere præsumpserunt, impendendo eis auxilium vel favorem, publicum vel occultum, quæ ad nostræ & ejusdem ecclesiæ mandata redire curaverunt; possitis vos & quilibet vestrum, per vos vel alium, seu, alios, dum in hujusmodi negotii præsenti prosecutione fueritis, auctoritate nostra ad mandata ipsa nomine nostro & ecclesiæ prædictæ recipere; ac omnes sententias excommunicationum, suspensionum, & interdicti per eandem sedem, vel per ejus legatos, aut quemvis alium vel alios auctoritate nostra, ratione vel occasione hujusmodi rebellionis vel guerræ contra eos & ipsorum quemlibet prolatas postquam super iis ad hujusmodi mandata redierunt, relaxare; ac dispensare cum clericis & personis ecclesiasticis ex eisdem, qui interdictum hujusmodi non observando, vel prædictis excommunicationis & suspensionis ligati sententiis divina officia celebrando, vel immiscendo se illis irregularitatem contraxisse noscuntur, præstito a prædictis omnibus juramento, ac promisso per eos, quod super iis stabunt nostris & ecclesiæ memoratæ præcise mandatis, quoties expedire videbitur, faciendis; & quod de cætero ad rebellionem hujusmodi non redibunt, nec alias in rebellione ipsa præstabunt auxilium, consilium, & favorem, publice vel occulte; liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem; proviso, quod cum constitutis in episcopali dignitate & supra ad dispensationem hujusmodi nullatenus procedatis: illi autem qui, ut præmittitur, absolutionis beneficium ab excommunicationis & suspensionis sententiis fuerunt * prosecuti, & civitates & castra, terræ & loca, in quibus interdictum hujusmodi fuerit relaxatum, si ad vomitum, quod absit, redierint, eo ipso in similes sententias relabantur, & suspensiones super irregularitate, quas taliter redeuntes contigerit obtinere, nullius ex tunc sint roboris vel momenti. Dat. Anagniæ IV. id. junii pontificatus nostri anno VIII.*

* consecuti.

X. Panormitani censuris solvi postulant.

Et quia pro parte universitatum, personarum tam ecclesiasticarum quam sæcularium civitatis Panormi, nec non terrarum & locorum diœcesis majoris Panormitanæ ecclesiæ cum omni reverentia, humilitate, & devotione rogati & requisiti fuimus, eas per nos recipi ad mandata prædictorum domini summi Pontificis & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ; ac eis relaxari omnes sententias excommunicationum, suspensionum, & interdicti per prædictam sedem Apostolicam, & ejus legatos, aut quemvis alium seu alios auctoritate apostolica ratione, vel occasione hujusmodi rebellionis seu guerræ, contra eos & ipsarum quamlibet prolatas, & offerendo paratas sub religione debitorum juramentorum super præmissis juxta tenorem prædictarum literarum papalium literarum relaxetis omnes sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti per prædictarum papalium literarum prædictarum summi Pontificis & sanctæ Romanæ matris ecclesiæ stare mandatis, earum requisitione & petitione, utpote veris, admissis; vobis super præmissis omnibus, & singulis exequendis, faciendis, & complendis in prædicta civitate Panormi, terris, & locis dictæ Panormitanæ ecclesiæ vices nostras duximus committendas: discretioni vestræ ex parte dicti summi Pontificis, qua fungimur, auctoritate mandantes, quatenus forma prædictarum literarum prædicti domini summi Pontificis diligenter attenta, in omnibus observata, vos vel alius seu alii, dum in hujusmodi negotii præsenti fueritis prosecutione loco nostri, prædictas personas dictarum civitatis, terrarum, & locorum prædictæ Panormitanæ diœcesis, tam ecclesiasticas quam sæculares, ad mandata prædictorum domini summi Pontificis & sacræ Romanæ matris ecclesiæ recipiatis; ac eis juxta tenorem prædictarum papalium literarum relaxetis omnes sententias excommunicationis, suspensionis, & interdicti, per eandem sedem Apostolicam seu ejus legatos, aut quemvis alium seu alios, auctoritate apostolica ratione vel occasione hujusmodi rebellionis seu guerræ contra eas & ipsarum quamlibet prolatas; dispensando cum clericis, & personis ecclesiasticis ex eisdem, qui interdictum hujusmodi non servando, vel prædictis excommunicationis vel suspensionis ligati sententiis divina offi-

Concilientur Ecclesiæ.

officia celebrando, vel immiſcendo ſe illis irregularitatem contraxiſſe noſcuntur; præſtito a prædictis omnibus juramento, ac promiſſo per eos, quod ſuper iis ſtabunt prædictorum domini Papæ & ſanctæ Romanæ eccleſiæ mandatis, ſecundum quod in prædictis literis papalibus continetur. *Datum Lenti* XXIII. *decembris indict.* I. Confirmati ſunt in eccleſiæ obſequio Siculi ſequenti anno, quo Pontifex Trinacriæ Regis nomen ac decus Friderico, conſtitutis nonnullis legibus, aſſeruit: nunc ad ſubortas Pontificem inter ac Francorum Regem controverſias ſermonem traducimus.

XI. Bonifacius adductus in invidiam apud Gallos.

Exciverat extremo anno ſuperiori, ut vidimus, Bonifacius præſules & doctores Gallicos ad concilium, ut immunitati ordinis eccleſiaſtici, aliiſque regni ordinibus a Philippo Rege & adminiſtris oppreſſis conſuleret, ac malis mederetur. Pupugit ea res Philippum, qui mox vocare in invidiam Pontificem apud Gallos aggreſſus eſt, criminarique Bonifacium eo facto ſupremum Galliarum imperium invadere. Utque ampliora odia Chriſti vicario, regiorum adminiſtrorum flagitia impune patrari ſolita reprimere meditanti, crearet, initis ordinum conventibus, ſciſcitatum eſſe, cui tandem, an ſibi Regi an Pontifici fiduciarias terras acceptas referrent, narrat Jordanus his verbis (*a*): *Contra Rex aggregans, omnes principes & magiſtratus regni & milites, & prælatos ſciſcitavit a quo ſua tenerent feuda: & cum omnes reſpondiſſent a Rege Franciæ, tunc ille promiſit corpus & omnia ſua pro libertate regni conſervanda exponere. Similiter & barones promiſerunt pro libertate coronæ. Tunc Rex præcepit nullum theſaurum de regno extrahi, & fecit paſſus diligentiſſime cuſtodiri.*

(*a*) Jord. MS. Vat. ſign. n. 1690.

De habitis iis ordinum comitiis meminit etiam vitæ Bonifacii ſcriptor, (*b*) ac ſecutam perturbationem in regno addit. Præſules vero regia potentia territi, qui antea Bonifacium, ut malis regni occurreret, ſolicitarant, pontificiam cauſam prodidere, quærentes (*c*) quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, de quibus hæc Jordanus (*d*): *Eo tempore prælati regni Franciæ, conſilium habentes pro eo, quod ad curiam vocati fuerant, Papæ ſe excuſant, quod theſaurum opportunum non poſſent de regno extrahere: epiſcopos tamen tres pro ſe mittunt, ne poſſint de inobedientia reprehendi. Rex quoque epiſcopum Antiſſiodorenſem mittit, rogans ut ſuſpenderet uſque ad tempus magis poſtea opportunum.* Extant eorum literæ ad Pontificem in MS. Vaticano, (*e*) & quibus patet, ipſos non indicti concilii juſtas cauſas adverſus regios adminiſtros geſta pontificia in pravam partem argutiis politicis detorquentes, ut par erat, defendiſſe; ſed contra Bonifacium de ſuſcepto revocandæ in Gallias æquitatis, curandæque regiæ ſalutis conſilio querelas fudiſſe, quarum præcipuæ partis hæc eſt ſententia.

(*b*) MS. vall. ſign. lit. C. n. 25. & n. 79.
(*c*) Ibid. Præſules Galli regiis terroribus fracti.
(*d*) Jovd. MS. Vat. ſig. n. 1960. Decreta ab iis legatio excuſatoria.
(*e*) MS. biblioth. Vat. ſig. n. 4177. p. 6.

XII. Querunt-tur velle cognoſcere de oppreſſione regni ordinum.

Nobis cæteriſque perſonis eccleſiaſticis ſupradictis, necnon & baronibus, œconomis, ſindicis, & procuratoribus communitatum, & villarum, & aliis ſic juxta præmiſſæ vocationis formam ad mandatum regium hac die martis, decima præſentis menſis aprilis, in eccleſia B. Mariæ Pariſienſis in præfati Regis præſentia conſtitutis, idem dominus Rex proponi fecit cunctis audientibus, palam, & publice ſibi ex parte veſtra fuiſſe inter alia per prædictos archidiaconum, nimirum Narbonenſem, *& literas intimatum, quod de regno ſuo, quod a ſolo Deo ipſe & prædeceſſores ſui tenere hactenus recognoſcunt, temporaliter vobis ſubeſſe, illudque a vobis tenere deberet: nec contenti verbis hujuſmodi ſic mirabilibus, ſicque novis, & inauditis a ſtylo apud incolas dicti regni, ſed ea producere ſatagentes, executionis in actum, prælatos prædictos ac magiſtros in theologia, & profeſſores utriuſque juris oriundos de regno prædicto pro corrigendis exceſſibus; necnon & pro culpis, inſolentiis, injuriis, atque damnis, quæ prælatis, eccleſiis, eccleſiaſticiſque perſonis, regularibus & ſæcularibus, in regno conſtitutis eodem & alibi per ipſum dominum Regem ac officiales ſeu balivos ſuos, atque a paribus, comitibus, baronibus, aliiſque nobilibus, univerſitatibus, & populo dicti regni illata prætenditis, emendandis, ad veſtram præſentiam evocaſtis.* Hæc illi: verum quod ad Philippi Regis in Pariſienſibus comitiis concionem ſpectat, qua objectum eſt Bonifacio politicum in Gallias imperium ſibi arrogaſſe; ad creandum illi odium jactatum putamus, detortis nimirum in alienum ſenſum ejus literis, cum inter cætera capita, (*f*) quæ legato Cardinali ad ſopiendam diſcordiam porrecta, illius mentio habita non ſit. Quod vero ad ea ſpectat, quæ addunt præſules, Bonifacium verba provocaſſe in actum, cum de injuriis atrocibus a regiis adminiſtris inflictis regni ordinibus atque oppreſſione populorum cognoſcere voluit: id ipſi vitio non vertendum conſtat, cum ratione peccati in Deum patrati, ac Regis regiorumque adminiſtrorum jacturæ animarum, non politici dominatus cauſa rem aggrederetur, & ex fide catholica certiſſimum ſit, tam Reges quam cujuſvis ſortis homines ovili Chriſti, Petro ac ſucceſſoribus verbis illis, *Paſce oves meas*, commiſſo, aggregatos Romano Pontifici ſubeſſe, ut ipſos ad felicem æternitatem adipiſcendam regat, eorumque errata juris eccleſiaſtici legibus percellere poſſit. Quibus de rebus plura exempla apud Card. Baronium, & in annalibus noſtris

(*f*) Ext. in MS. Vat. bibl. ſign. n. 4177.

ſtris occurrunt, aguntque Theologiæ & ſacrorum canonum profeſſores. Redimus nos ad Bonifacium, cujus extant inſignes literæ apud Hocſemium, (*a*) in quibus conqueritur, præſules Gallicanos de adeunda ſede Apoſtolica ſe excuſaſſe, pluraque in Pariſienſibus conventibus a Petro Flote regio conſiliario ſchiſmatica jactata fuiſſe: denique illos hortatur, ut ſpretis politicorum minis ad tuendam eccleſiæ dignitatem ad concilium accedant.

(*a*) Ext. Hocſem. l. 1. c. 29. in Theobald.

Bonifacius, &c.

Bonifacii lit. ad cler. Gallicanum.

*Verba delirantis filiæ, quantumcumque deſideriis maternis infeſta, quantavis enormitate fœdata nequeunt puritatem inficere piæ matris, & affectum in filiationis odium provocare maternum: cum in ipſa miſeratione amor inveniatur maternalis, qui licet de miſeratione doleat, naturæ legibus compatiendo filiis, in ipſa miſeria conſolatur. Sane conturbata ſunt univerſa eccleſiæ pia præcordia in auditu verborum, quæ ſub fictæ conſolationis pallio, recitando quodammodo compoſita ſunt, ut credimus, nomine prædilectæ filiæ eccleſiæ Gallicanæ in matris immaculatæ opprobrium grande malum, quaſi ab amico cauſam quæreret recedendi. Sed legitur quod fruſtra rete jacitur ante oculos pennatorum. Ecce collectis ex parlamento, Pariſiis convocato, mendicatis ſuffragiis, ne ad vocationem ſedis Apoſtolicæ venirent, eorum verborum compoſitores neceſſario concludere voluerunt, damna rerum, & minas corporum præcipue prætendendo. Scimus equidem multorum relatione fidelium, nec latet Apoſtolicæ ſedis notitiam, quæ & quanta fuerint in eadem concione narrata, & maxime, quæ * Belial Petrus Flote ſemividens, & mente totaliter excæcatus, & quidam alii prædicaverint, ſanguinem ſitientes * Chriſtiani, qui chariſſimum * Philippum Francorum Regem illuſtrem trahere nituntur in devium, prob dolor! propinquum, cum tantæ Chriſtianitatis ſublimitas erroneo ducatu ſubmergitur, * cui ducatus a cœcis miſerabiliter ad mentis interitum, niſi ex alto ſuccurrat divina pietas propinquatur, quod amare luget mater Eccleſia, circa ſalutem ejus quærens remedium; & meditatione ſolicita contra tantæ majeſtatis naufragium quærit portum.*

* filius Petrus Flote obtrectatorum in Bonif. princeps. * Chriſtianum * in Chriſto filium * qui

*Verum vos, fratres & filii, ſi profeſſionis veſtræ debitum circumſpectis conſiderationibus attendatis, cujus venenoſæ fictionis ſuggeſto in contemptum tantæ matris obedientiæ filialis nervum videmini contundere, ac debitum pervertere ſtatum ordinis clericalis: videmini ſiquidem ſecundum dicta eorum ſpem ponere in terrenis, ſi timore terrenorum contemnitis cœleſtia, vel ſeponitis propter timorem judicum, Chriſti jugum. Multa præterea ſuperba, iniqua, & ſchiſmatica in eadem * fideli concione narrata fuerunt per oratores ejuſmodi, per quæ velle videbantur diſtrahere unitatem Eccleſiæ, inconſutilem tunicam domini noſtri.* Et infra: *In veſtram verumtamen excuſationem advertimus, qualiter detractatores præfati, ut cœptum venenum aſpidum feſtinanter evomerent, in corde & corde loquentes aliqui vix inter ſe moras loquendi gerebant: verum præcipiti in momento temporis reſponderunt manna dulcedinis, & venenum aſpidis infundentes in Eccleſiæ matris opprobrium, & ſtatus proprii detrimentum: quia ſi verba eorum juſto librentur examine, eos eſſe prælatos non indicant, ſed indignos quibuſlibet prælaturis; nec digni ſunt regere, verum non immerito corrigendi. Reſtat ut colligamus ex verbis, quæ geſta fuerunt abſque noſtra ſcientia machinationibus venenoſis, ut & vos fictis coloribus ab unione univerſalis Eccleſiæ abducerent nequiter, voſque contra nos, quos iniquitatis eorum volebant habere complices provocarent. Sed in vanum laborant, & deficient iniquo ſcrutantes ſcrutinio ſequaces tantæ ſuperbiæ exequendo, diſponentes ab Aquilone ſedem erigere contra vicarium Jeſu Chriſti. Sed quoniam, ut primus Lucifer, cui non fui bucuſque ſecundus, cum ſequacibus ſuis cecidit, corruet quantacumque fulciatur potentia & ſecundus. Nonne * diu nituntur principia ponere, qui dicunt temporalia ſpiritualibus non ſubeſſe? Hic jam dictis finem imponimus, fraternitatem veſtram in Domino exhortantes, ut ſpretis temporalibus, & contemptis minis judicum, nobiſcum aſcendatis ad cor altum: & exaltabitur Deus, qui diſſipat conſilia principum, & reprobat cogitationes populorum; pro firmo ſcientes, quod obedientes gratioſe videbimus, & contumaces pro qualitate criminis puniemus. Dat. &c.*

* infideli

Plura impia ab iis jactata in conventibus Pariſien.

Humana divinis non ſubeſſe declamatum.

* duo

Celebrata a Bonifacio ſynodus.

Quamvis vero Bonifacius Gallicanos præſules Dei & Eccleſiæ cauſam, ad perverſa politicorum murmura minacia & argutias, deſeruiſſe adverteret; haud tamen indictum concilium diſſolvendum ipſi viſum eſt, de quo celebrato hæc ejus vitæ auctor tradit (*b*): *Anno Domini milleſimo tercenteſimo ſecundo* III. *kal. novembris, Romæ Bonifacius Papa celebravit concilium, quod antea per annum & amplius convocaverat, in præſentia prælatorum regni Franciæ, omniumque doctorum regnicolarum tam in theologia quam in juribus canonico & civili*, de iis loquitur auctor, qui vicario Chriſti potius quam Philippo parere duxerant, *contra Philippum Regem Franciæ memoratum, coruſcationibuſque multis prævviis contra Regem, nulla pluvia apparuit ſubſecuta, defecerunt-que ſibi prælati magni in regno quærentes*

(*b*) Vita Bonif. ſcript. MS. Vall. ſig. lit. C. n. 25. & n. 79.

quæ

quæ sua sunt, & sibi ipsis ad tempus tantummodo consulentes. [1]

XIII. Ex eo concilio videtur emanasse insignis constitutio, qua Bonifacius ad apostolicam auctoritatem constabiliendam, ac politicorum superbas (*a*) & impias argutias compescendas pronuntiavit e Petri cathedra, sine hæreseos crimine negari non posse, omnes Christianos Romano Pontifici subesse.

(*a*) *Lib. 9. ep. cur. 52. extat etiam inter extravag. de majorit. & obed. cap. unam sanctam.*

Insignis Bonifacii constitutio.

Ad perpetuam rei memoriam.

Unam sanctam Ecclesiam catholicam, & ipsam apostolicam, urgente fide, credere cogimur & tenere, nosque hanc firmiter credimus, & simpliciter confitemur; extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, sponso in canticis proclamante: Una est columba mea, perfecta mea: una est matris suæ electa genitricis suæ; quæ unum corpus mysticum repræsentat, cujus corporis caput Christus, Christi vero Deus: in qua unus dominus, una fides, unum baptisma. Una nempe fuit diluvii tempore arca Noe, unam Ecclesiam præfigurans, quæ in uno cubito consummata, unum Noe videlicet gubernatorem habuit, & rectorem, extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta. Hanc autem veneramur, & unicam, dicente Domino in propheta: Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam. Pro anima enim, id est pro seipso capite simul oravit & corpore: quod corpus, unicam scilicet Ecclesiam nominavit propter sponsi fidei sacramentorum, & charitatis Ecclesiæ unitatem. Hæc est tunica illa Domini inconsutilis, quæ scissa non fuit; sed sorte provenit. Igitur Ecclesiæ, unius, & unicæ unum corpus, unum caput, non duo capita quasi monstrum, Christus scilicet & Christi vicarius, Petrus Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro: Pasce oves meas. Meas, inquit, generaliter, non singulariter has vel illas, per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive igitur Græci, sive alii se dicant Petro ejusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse est, se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Joanne, unum ovile, unum & unicum esse Pastorem.

De gemina Pontificis auctoritate.

In hac ejusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet & temporalem evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis: Ecce gladii duo hic; in Ecclesia scilicet, cum Apostoli loquerentur, non respondit Dominus nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: Converte gladium tuum in vaginam. Uterque ergo in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus: ille sacerdotis, is manu Regum & militum; sed ad nutum & patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, & temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati: nam cum dicat Apostolus: Non est potestas nisi a Deo: quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt; non ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tamquam inferior reduceretur per alium in suprema: nam secundum beatum Dionysium lex divinitatis est infima per media in suprema reduci. Non ergo secundum ordinem universi omnia æque ac immediate, sed infima per media, inferiora per superiora ad ordinem reducuntur: spiritualem autem & dignitate & nobilitate terrenam quamlibet præcellere potestatem, oportet, tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt: quod etiam ex decimarum datione, & benedictione, & sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur: nam veritate testante, spiritualis potestas ter-

NOTÆ [1] CONcilium hoc anno Romæ coactum a Bonifacio qua die cœperit incertum est. Nam anonymus vaticanus, cujus verba recitat annalista, diem III. Kal. novembris indicat; quam lectionem servat Theodoricus Niemius eadem anonymi verba exscribens. Vicissim autem Bernardus Guidonis rer. Ital. to. III. qui circa hoc tempus scribebat, ipsa pariter anonymi verba exprimens, novembris Kalendas legit; quod etiam apud Almaricum Augerium de Biterris in histor. pontif. Roman. vulgata ab Eccardo inter scriptores medii ævi to. I. col. 1800. recurrit. Sicut & eandem diem assignat F. Pipinus in chron. Nihil ergo certi de die convocati concilii.

Adfuisse huic Gallicanos episcopos, illos qui pontificiarum partium erant, ex anonymo vaticano affirmat annalista. Vix tamen credo Gallicanos præsules cum tanto vitæ suæ discrimine adsistere voluisse concilio, quod in regem suum convocatum norant. Cum præsertim Philippus omnes viarum exitus observari mandaverit, ne quid equorum atque pecuniæ e regno suo Romam avcheretur; quod eo consilio ab eo præstitum, ne regni sui præsules ad concilium irent. Ideo vel anonymus vaticanus in ea re asserenda falsus fuit; vel eos tantummodo præsules designavit, quos, teste Nicolao Trivetto annales tunc scribente, Gallicani præsules ad pontificem miserunt. Vel denique verbis illis obscuris anonymi nil aliud designatur, nisi quod apertius exprimit continuator Martini Poloni scribens, *de diversis mundi partibus & maxime de regno Franciæ prælatos convocat*, (ad concilium) *quos tamen rex Francia venire prohibuit*. Forte tamen adfuit ex Gallis archiepiscopus Burdegalensis, qui cum in conventu Parisiensi a Philippo coacto, pontificias partes strenue defendisset, Philippi odium propterea incurrit. Igitur prompte se & clam e regno subripuit, & sub mentitis vestibus ad pontificem venit. Rem totam habes ex F. Pippino in chron. lib. 4. cap. 41. Porro archiepiscopus iste dein Philippi gratiam recepit, ut ejusque favore pontifex sub Clementis V. nomine renunciatus fuit. MANSI

terrenam potestatem instituere habet & judicare, si bona non fuerit: sic de Ecclesia & ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Jeremiæ: Ecce constitui te hodie super gentes, & regna, &c. quæ sequuntur.

*Ergo si deviat terrena potestas, judicabitur a potestate spirituali: sed si deviat spiritualis minor a suo superiori: si vero suprema a solo Deo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo: Spiritualis homo judicat omnia; ipse autem a nemine judicatur. Est autem hæc auctoritas, etsi data sit homini, & exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina potestas, ore divino Petro data, sibique suisque successoribus in ipso Christo, quem confessus fuit, petra firmata; dicente Domino ipsi Petro: Quodcumque ligaveris, &c. Quicumque igitur huic potestati a Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo, sicut Manichæus, fingat esse principia, quod falsum & hæreticum esse judicamus: quia testante Moyse, non in principiis, sed in principio cœlum Deus creavit & terram. Porro subesse Romano Pontifici * omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, & diffinimus omnino esse de necessitate salutis. Dat. Later. XIV. kal. decembris anno VIII.*

Omnes Christianos subesse Pontifici pronuntiatum.

* omnem humanam creaturam

Torsit adeo hæc constitutio Francorum Regem, ut Clemens V. ad acerbum ejus ingenium placandum hæc sanxerit (*a*): *Regi, & regno per definitionem, & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit,* Unam sanctam, *nullum volumus, vel intendimus præjudicium generari; nec quod per illam Rex regnum, & regnicolæ præfati amplius ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quam antea existebant.* Hæc Clemens. At cum Bonifacius nil ea constitutione novarit, vereresque Romani Pontifices, cum ita Dei gloria, & reipublicæ Christianæ necessitas posceret, non in aliis modo regnis ac Romano Imperio, sed in Galliis etiam sceptra e stirpe in stirpem transtulerint, ut in annalibus suis ostendit Card. Baronius; constat Clementem Bonifacii constitutioni memoratæ nil detraxisse.

Conqueritur de ea sanctione Philippus.

(*a*) *Extravag. meruit c. 2. de privil.*

XVI. Cæterum Pontifex erga Philippum, etsi ab officio optimi principi discedentem, moderate admodum se gessit. Cum enim Philippus præsules accessu ad sedem Apostolicam arceret, non illum expresso nomine (quamquis contrarium perperam nonnulli auctores scripserint *b*) censuris defixit, sed forma generali, quæ omnes universim complectebatur, ex veteri more, Romam adeuntibus injuriam inferentes anathemate perculit (*c*).

(*b*) *Henr. Rebdor. & alii.* Tacito nomine censuris defixus.

(*c*) *Lib. 8. ep. cur. 41.*

Bonifacius &c. ad perpetuam rei memoriam.

Excommunicamus, & anathematizamus ex parte De omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, auctoritate quoque beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, & nostra omnes illos, qui ad sedem Apostolicam venientes, vel redeuntes ab ea capiunt, spoliant, vel detinere præsumunt, aut impedimentum aliquod exhibent, quominus ad eamdem sedem libere cum personis, bonis, & rebus suis veniant & redeant ab eadem, etiam si imperiali aut regali fulgeant dignitate, seu cujuscumque alterius fuerint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status: non obstantibus quibuscumque privilegiis & indulgentiis eis, vel eorum alicui, vel aliquibus ab Apostolica sede sub quavis forma vel tenore concessis, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, quæ prorsus tollimus & revocamus omnino ad hoc, quod contra hujusmodi nostrum sententium & processus per ea nequeant se tueri, quominus includantur in eis!

Jactum in eos anathema qui accessu ad sedem Apost. venientes arcent.

Declaramus insuper omnes prædictos & alios, qui per se, vel suos officiales seu ministros, aut per alios incolis Imperii, regnorum, seu terrarum suorum, vel transeuntibus per ea, undecunque oriundis, ad sedem venientibus memoratam, vel redeuntibus ab eadem equitaturas limitant vel subtrahunt, quæ deferunt seu reportant pro suis opportunitatibus vel expensis, vel quævis alia, res, & bona; aut aperiunt literas, vel auferunt, seu taxant numerum personarum, vel familiarium, vel quantitatem expensarum, aut evectionum; vel alias directe vel indirecte, talibus venientibus, vel redeuntibus impedimentum, vel obstaculum præstare præsumunt; impeditores fore ad dictam sedem venientium & redeuntium ab eadem, & anathematis & excommunicationis sententiam incurrere supradictam; ipsosque sic ligatos a sacramentorum perceptione nunciamus excluso: districte præcipientes, & ut nullus ea ipsis ministrare præsumat, nec etiam sacramentum pœnitentiæ nisi in mortis articulo constitutis; sed nec tunc, nisi de standō mandatis Ecclesiæ, satisfactione vel sufficienti cautione præmissis. Eos vero, cujuscumque fuerint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiam si archiepiscopali vel episcopali dignitate præfulgeant, qui contra hujusmodi nostrum præceptum talibus vel eorum alicui sacramenta, vel sacramentum aliquod præsumpserint ministrare, excommunicationis & anathematis sententia innodamus, eisque interdicimus prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum, & audiendi confessiones officium: prædicentes aperte impedientibus & contemptoribus supradictis, nos gravius contra eos spiritualiter & temporaliter, prout expedire viderimus, processuros; &c. Actum Laterani in festo dedicationis basilicæ Principis Apostolorum de Urbe pontificatus nostri anno VIII.

Aut molestiam exhibent.

XV. Carolus Andium comes pollicetur fratrem Pontifici conciliaturum.

Redigere ad officium, sacrarum pœnarum metu objecto, Philippum studebat: utque nullas communis Christianorum parentis partes prætermitteret, atque etiam Carolus Andium comes, e Sicilia in Gallias ad fratrem Regem rediturus, novas turbas compositurum sponderet; (*a*) mox Romana synodo celebrata, Joannem tit. SS. Marcellini & Petri presbyterum Cardinalem in Gallias, devexo jam anno, legatum misit, (*b*) cum eo ipsum munere ob egregias suas virtutes strenue perfuncturum speraret: *Clara*, inquit, *multiplicis merita probitatis, & virtutum dotes exuberes, quibus superni Numinis munere, a quo universorum charismatum dona proveniunt, nosceris insignitus, attentæ considerationis indagine perscrutantes, ea quæ in desideriis gerimus, tuæ discretionis industriæ libenter committimus exequenda; firma ducti fiducia, spemque indubiam obtinentes, quod circa executionem hujusmodi vigilanter & solerter intendes, ac operosæ solicitudinis studium exhibebis. Dat. Laterani* VIII. *kal. decembris anno* VIII. Illum vero, quo majori cum dignitate munus exerceret, pluribus prærogativis ornavit (*c*).

(*a*) Jo. Vill. l. 8. c. 58. & alii.

(*b*) Lib. 8. ep. cur. 43.

(*c*) Ib. ep. cur. 45. &c.

Potissimum vero potestatem tribuit, ut Galliarum Regem, qui se anathematis & censurarum vinculis devinxerat, solveret: (*d*) *Cum te*, inquit, *ad partes Franciæ, certis tibi commissis negotiis fiducialiter destinemus; & intellexerimus, referentibus, fide dignis, quod princeps magnificus Philippus Rex Francorum illustris excommunicationis est vinculo innodatus; discretioni tuæ absolvendi Regem ipsum, cum ab eo fueris requisitus, juxta formam Ecclesiæ, a quibuscumque excommunicationum sententiis a canone, seu alias nostra vel prædictorum nostrorum Romanorum pontificum auctoritate prolatis, quas idem Rex incurrisse dignoscitur, plenam & liberam præsentium auctoritate concedimus facultatem. Datum Laterani* VIII. *kal. decembris anno* VIII.

(*d*) Ibid. ep. cur. 70.

Philippi absolvendi provincia legato demandata.

Sprevit Rex veniam deposcere. Divina in eum ultio.

Sprevit Philippus culpæ in Pontificem & ecclesiasticos commissæ veniam deprecari, ut sequenti anno videbimus. Sed quid inter hæc ei accidit? Rebellantibus Belgis, qui ob graviora imposita vectigalia, quæ rogatus jam ante Rex tollere detrectarat, post cæsos populari seditione Gallos, inhumanamque exercitam in eos carnificinam, qui in eorum urbibus morabantur, Atrebati comes (*e*) cum Gallicæ nobilitatis delibato flore in Brugenses perduellionis auctores duxit: cumque præcipiti militari furore equitatus Gallicus in pedestres Belgarum turmas, qui nullo equitatu muniti erant, se effudisset, in fossas arte ab hostibus comparatas corruit, densatisque imprudenter, atque elidentibus sese agminibus, a Belgis Galli trucidati sunt, de qua strage hæc Jordanus (*f*): *Apud Bruges propter illicitas exactiones ab officiali regio, nil valente reclamatione apud Regem, minutus populus, contra majores insurgens, seditionem commovit. Ad hos motus corrigendos a Rege Franciæ sub Jacobo S. Pauli mille viri in armis & amplius missi sunt, qui a Burgensibus reverenter suscepti sunt: sed informati Burgenses, quod prior officialis Regis se jactasset, quod plurimos Burgensium in crastino suspendi faceret, desperatione concepta, enorme facinus præsumpserunt: evasit tamen officialis prædictus hujus rabiei incentor. Expulsa quoque gente Regis, Guidonem Nimurcii Guidonis comitis Flandrensis filium in suum defensorem & dominum vocaverunt, qui Theutonica vallatus multitudine eos ad bellandum fortius animavit. Tunc missus est contra eos Atrebati comes. Franci, videntes adversarios venire pedites, quasi textores & mechanicos despiciunt, & a monte super peditibus absque belli ordine in eos ruentes, a lanceis Burgensium primi irruentes in mortem coacti sunt, cæteris turpiter fugientibus. Comes autem Atrebatensis, a guardiano fratrum Minorum denudatus, & triginta vulneribus confectus invenitur, & in quadam proxima capella monialium sepelitur.*

(*e*) Jo. Vill. l. 8. c. 56. Ptol. Luc. in annal. S. Ant. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 19.

(*f*) Jord. MS. Vat. sign. n. 1960. Seditionis Belgicæ causæ.

Ascribit divinæ justitiæ S. Antoninus, (*g*) Roberti comitis mortem, ut qui diploma apostolicum, de quo a nobis pluribus actum est, in ignem conjecisset: *Rex*, inquit sanctus auctor, *non permisit bullas publicari, immo familiares Regis literas apostolicas ei*, nimirum nuncio, *abstulerunt, ipsum de civitate licentiantes & de regno. Comes autem Artensis, qui tunc vivebat, quia hoc accidit ante debellationem ejus & mortem in bello supradicto, literas ejus accipiens, in ignem projecit in contemptum Pontificis: propter quod justo Dei judicio male periit, sicut & Joachin Rex Hierusalem comburens dominicas literas.*

(*g*) S. Ant. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 15. & alii. Divinæ in Robertum comitem justitiæ exemplum.

(*h*) Vvest. Flor. hist. Jo. Vill. l. 8 c. 55. Paul. Æmil. in Phil. Meyer. in Eland. & alii. Quam impares essent Gallis victores.

Ea porro gravis Gallorum clades non tam hostium fortitudini, quam Numinis divini arcanæ voluntati adscripta. Unde Matthæus Westmonasteriensis, hæc aliorum auctorum testimonio comprobata scribit (*h*): *Miro modo pedestribus equestres, domini subditis, lanarum textoribus acies loricata, firmamentum formidini, regnum municipio non audebat nec valebat resistere. Acta sunt hæc* v. *id. julii juxta Curtray.* Circumferente se illius victoriæ fama, mox alii Belgæ, quos in officio terror continuerat, sumptis armis, Gallos ex urbibus suis & municipiis pepulerunt.

Pulsi reliquo Belgio Galli. Philippus in eos ducit exercitum, ac recedere cogitur.

Acceptæ cladis dolorem & ignominiam ulturus Galliarum Rex, potentissimo succinctus exercitu in Belgium ad redintegrandas amissas res provolavit: sed cum exhaustæ laboribus & fame copiæ in dies debilitarentur, recedere inglorius coactus est, (*a*) cum Belgæ ad tuendam libertatem animis conjunctissimi essent.

XVII. Productum inter Scotos & Anglos bellum.

Exercebat etiam bellum atrox Anglos & Scotos: ad quod extinguendum scribit Westmonasteriensis (*b*) Eduardum oratores ad Galliarum Regem misisse, ut de pace inter ipsos concilianda statueret: sed Gallum respondisse, tantam rem sine duodecim parium consilio decerni non posse. Qui cum novis bellis impliciti essent, reque aliquandiu extracta convenissent, respondere dirimi controversiam non posse, nisi fœderati Scoti interessent. Addit auctor, ita emergentibus novis turbis, discussa pacis consilia fuisse. Et sane Pontificiæ literæ ad Scotiæ præsules datæ, quibus carpit ipsos, pacis consilia retardare, demonstrant Eduardum ad concordiam inclinasse (*c*).

(*b*) Vvestm. Flor. hist. hoc anno.

Solicitatus Philippus Rex ab Eduardo, ut concordiam iniret, rem extrahit.

(*c*) Lib. 8. ep. 213.

Bonifacius, &c. episcopis per regnum Scotiæ constitutis.

Objurgati a Bonifacio præsules Scoti ipsos, bellum Scotos inter & Anglos alere.

Nostis quidem, & plurimorum, quinimo universorum fere notitia non ignorat, quod peccatis exigentibus, multiplicata jam longo decursu temporis gravis discordia inter vos & alios incolas dicti regni ex parte una, & charissimum in Christo filium nostrum Eduardum regem illustrem & regnum Angliæ ex altera, dudum ex diversis causarum suborta generibus; quarum vos incentores, fautores, & nutritores præcipuos communis tenet opinio; utrumque regnum in guerrarum discrimine posuit, & magnam hinc inde animarum, & corporum læsionem, utinam non exterminationem, induxit. Verum cum ex iis nos & Romana mater ecclesia multiplicibus afficiamur angustiis, & gravibus molestiis perturbemur, ac Terræ sanctæ, quam mentaneis oculis depressam, utinam non prostratam, cum anxietate respicimus, dispendia, & turbationes immineant; nos exemplo illius, qui de populo suo, fomitibus odiorum exclusis, voluit in eo pacis superseminari consilia, solicitudinem nostram libenter exponimus, & studia nostra desideranter convertimus & labores, ut sedatis scandalis, & discordiis amputatis, vera pax, & plena concordia hinc inde, dante Domino, reformetur.

Jussi studere paci.

Ideoque fraternitatem vestram monemus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus attendentes, quod dum vos tantorum malorum culpa reddit obnoxios, dum Scoticanum populum, cujus vos decet esse ductores providos, & salutiferos doctores, sicut oves errantes per devia tempestatum obductis, & in angustiam desolationis irreparabilis incitatis, multum famæ vestræ deperit, & saluti; oculos, mentes, & actus vestros erigatis reverenter ad Dominum, & de scandalorum inviis vos & prædictum populum ad salutis, pacis, & concordiæ semitas reducentes, studia vestra diligenter, & solicite convertatis: ut rancoribus exclusis & odiis, ac derelictis scandalis, pacis amœnitas, & tranquillitatis commoda, Domino faciente, proveniant perpetuis, dante ipso, temporibus duratura; sic vos in præmissis diligenter, & efficaciter habituri, quod odisse scandala, & promovere pacem, vos laudanda opera evidenter ostendant; & nos providentiam vestram exinde commendare merito valeamus, nec cogamur super iis aliud remedium adhibere. Dat. Anagniæ id. augusti anno VIII.

Decimas Angliæ partitur Bonifacius cum Eduardo.

(*d*) Ib. ep. 34.

Cum vero Eduardus præteritis bellis æranium exhausisset, a Bonifacio obtinuit, (*d*) ut triennalium decimarum Hiberniæ atque Angliæ, ecclesiasticis impositarum ad levanda Romanæ ecclesiæ onera, mediam partem in usus suos derivaret: *Volentes*, inquit, *ut tu in effectu percipias, quod erga te gerit in hac parte nostræ mentis affectus; & eligentes potius in nobis ipsis egere, ut opportuna tibi, quæ super hoc possumus, subsidia ministremus, medietatem totius hujusmodi decimæ prædictorum trium annorum tibi in hujusmodi sublevationem sumptuum & laborum, præsentium auctoritate concedimus de gratia speciali. Reliquam vero medietatem nobis & ecclesiæ prælibatæ, nimirum Romanæ, remanere volumus pro nostris & ejus oneribus & necessitatibus supradictis. Dat. Later.* IV. *id. martii anno* VIII.

XVIII. Albertus armis principes electores eccl. domat.

Vastat Palatinatum.

Nec levibus turbis concussa fluctuabat Germania, cum Moguntinus, Colonienfis, Trevirensis archiepiscopi, una cum Palatino comite Rodulpho & Bavariæ duce societate inita, ab Alberto desciviſſent, atque in eos Albertus superioris Germaniæ vires effudisset: primum enim comitis Palatini ditionem ferro flammaque evertit: deinde in Moguntinum duxit, atque ad pacis recipiendas leges compulit, quas hoc anno initas Australis (*e*) historia, Rebdorfius, (*f*) & alii tradunt: quas certe ex afferendis Bonifacii literis sequenti anno constabilitas colligitur, quo nimirum Alberto Imperium asseruit. Insigne vero miraculum accidisse narrant Trithemius (*g*) & Serarius (*h*) dum Moguntiacus principatus vastaretur. Cinxerat obsidione arctissima Albertus Bingionum oppidum, atque in cœnobio S. Ruberti castra locaverat, captoque oppido, cum exercitus monasterium omnibus vacuum reliquisset, duo milites, si quid reliquum erat prædaturi, cum omnia lustraſſent, in sacras ædes irruperunt: cumque ex iis sceleratior imaginem Deiparæ coronaredimitam, quæ aliquot lapillis fulgebat, conspexisset, sacrilegas manus injecit; sed quo supplicio divinitus percussus sit, ex Trithemio ipso accipiamus.

(*e*) Austral. hist. hoc ann.

(*f*) Henr. Rebdor. in annal. hoc ann.

(*g*) Trithem. in chron. Sponh. hoc ann.

(*h*) Serar. Mogunt. rer. l. 5. in Gerardo 2.

Erat, inquit, *eo tempore in ipsa eccle-*

ſia ante introitum chori, qui fuit in inferioribus ſuper terram non elevatus, ut modo, ad meridiem verſus clauſtrum, altare in honore S. Catharinæ virginis & martyris conſecratum, ſuper quod in muro arenaliter excavata imago beatiſſimæ Dei genitricis virginis Mariæ ſatis decenter fuit depicta, coronam habens in capite, in qua erant quatuor lapides cryſtalli, muro & coronæ artificialiter infixi, & quintus in pectore ipſius imaginis. Cum ergo fures illi nihil in eccleſia reperiſſent, unus eorum, ne omnino vacuus abiret, altare prædictum aſcendit, & effodere de corona Virginis ipſos cryſtallos cœpit, cui alter increpando dixit: Quid facis, o miſer: deſine ſpoliare Matrem miſericordiæ, per quam, ſi nobis ſalus contingere debet, & non per aliam, gratiam poterimus invenire. Cujus increpationem ſacrilegus & impius ille contemnens, poſteaquam cryſtallos de corona effoderat quatuor, etiam quintum de pectore ſacræ Virginis effodere cœpit. Mirares accidit: mox ut impius ille ſacrum pectus violare præſumpſit, imago ſudare per totum cœpit. Quo viſo ſacrilegus aliquantulum horruit: ſed obduratus in malitia, a cœpto crimine non ceſſavit. Evulſit ergo de ſacro pectore imaginis lapidem: quo avulſo, mox ſanguis lacte mixtus, de ipſo vulnere in magna copia ſecutus, erupit. Quo viſo infelix ille totus inhorruit, proſilienſque de altare, pulverem in eccleſia collegit, & vulnus imaginis, ne flueret ſanguis cum lacte, obſtruere cœpit. Quanto autem obſtruere ſacræ Virginis pectus vulneratum amplius conabatur, tanto majore exuperatione lac cum ſanguine emanavit.

Divina de ſacrilego ultio.

Imago Deiparæ læſa fluit divinitus ſanguine.

His viſis, impius ille de eccleſia curſim exiit, & currens ad Nahum fluvium velut amens factus, præcipitans ſemetipſum ſubmerſit. At vero ſocius ejus confeſtim aufugit: qui tamen poſtea reverſus rei ordinem magiſtræ ac monialibus dicti cœnobii narravit. Superveniens autem ſacerdos quidam, qui eo die ibidem celebraverat, & videns miraculum tantæ novitatis, corporale ante imaginem explicuit, & lac cum ſanguine profluente collegit. Hunc vero ſanguinem cum lacte in vitreo vaſe conſervatum uſque in præſentem diem in ſæpedicto cœnobio vidimus, quem etiam manibus propriis ad petitionem abbatiſſæ de veteri vaſe confracto in vitrum novum tranſpoſuimus.

Eccleſia in qua miraculum contigit, magnis opibus ab Alberto aucta.

Publico autem confeſtim miraculo, Rex Albertus, qui adhuc fuit in oppido Bingen, cum cæteris principibus ad monaſterium S. Ruperti acceſſit; videnſque tam horrendum facinus, obſtupuit: & pro reſtauratione cœnobii in honorem B. Virginis multa donacontulit. In memoriam vero hujus miraculi capella in honorem Dei Genitricis ibidem conſtructa eſt, in qua imago ſuper altare ſæpius interea renovata cernitur.

Addit auctor Albertum, debellato Moguntino archiepiſcopo, Trevirenſem & Colonienſem facile oppreſſiſſe, atque imperiis durioribus parere coegiſſe.

XIX. Wenceſlaus junior electionis Carolus ſucceſſionis jure. de Ungaria certant.

Ardebat eodem tempore bellis civilibus Ungaria, & Chriſtianorum diſcordiis evertebatur, quæ infidelium excurſionibus attrita vix e tot cladibus aſſurgere poterat, dum Wenceſlaus junior Regis Boemiæ filius electionis, Carolus vero ſucceſſionis jure freti, miſerum regnum inter ſe ferro flammaque parirentur. Cui malo creſcenti confirmantique ſeſe in dies remedium adhibiturus Pontifex, miſerat jam ante legatum Cardinalem, cujus geſta hoc anno deſcribit his verbis Auſtralis hiſtoriæ auctor (*a*): *Cardinalis dictus Nicolaus Oſtienſis a latere domini Apoſtolici Bonifacii miſſus ad prædictos Reges concordandos, honorifice Auſtriam tranſiens, Ungariam intrat: & omnes archiepiſcopos, epiſcopos & prælatos ejuſdem regni auctoritate apoſtolica convocat, & de pace regni conſilio eorumdem, in quantum poteſt, cogitat & pertractat. Sed in hujuſmodi negotio nihil proficiens, Ungaria exit, Viennamque in partibus Auſtriæ eſt reverſus: ubi nuncios ſolemnes dirigit ad prædictum dominum Papam Bonifacium, ſui negotii tractatus per ordinem deferentes.*

(*a*) *Hiſtor. Auſtral. hoc ann.* Labores fruſtra conſumpti a Cardinale ad conciliandam pacem in Ungaria.

At Pontifex & muneris apoſtolici, & ſupremi in Ungariam dominii cauſa, controverſiam æquitate dirimere decrevit: atque ad Boemiæ Regem ſcripſit, (*b*) ut ſi quæ jura in Pannoniam contenderet, non illa ferro perſequeretur, ſed in Romana aula diſceptaret. Cumque idem Rex ſibi Regis Poloniæ titulum arrogaſſet, graviter ipſum arguit, juſſitque abiicere.

(*b*) *Lib. 8. ep. cur. 27.*

Vv. Regi Boemiæ illuſtri.

Rex Boemiæ ſibi ac filio Wenceſlao Bonifacium conciliare nititur.

Dilectum filium magiſtrum Ulricum de Pabenia doctorem decretorum, canonicum Pragenſem nuntium tuum, & literas regias, qua ipſe nobis ex parte tua detulit; paterna benignitate recepimus, & ipſarum literarum tenore diligenter inſpecto, & auditis iis, quæ dictus nuntius coram nobis expoſuit viva voce, ex eis in ſumma percepimus, quod ad hoc tua tendebat intentio, tuaque id petitio poſtulabat, ut tui nati negotium quem in Regem Ungariæ concorditer & canonice proponis electum, & te ac tuos & ſuos in hac parte ſequaces in benevolentiam noſtram reciperemus & gratiam; ac tibi & ipſis adjutores, directores, favorabiles, & benignos nos in ipſo negotio redderemus.

Reſpondet ad petita Bonifacius ac miſerum Ungariæ ſtatum exponit.

Sane, fili chariſſime, ſicut alias tibi per literas noſtras ſcripſiſſe meminimus, regnum Ungariæ, tam nobile hactenus tam præclarum in ſpiritualibus & temporalibus, modernis temporibus, hu.u, multipliciter collapſum agnoſcitur, & quaſi datum in prædam,

dam, per Cumanorum, Tartarorum, ſchiſmaticorum, & paganorum hoſtiles incurſus, ac propter diſſenſiones; & novitates periculoſas, noviter attentatas in ipſo, ex quibus diſcriminoſe vaſtatur, fere ad nihilum eſt deductum: ſicque nos, bis non ſine gravi mentis amaricatione recenſitis, deſiderantes, prout nobis ex officii debito ſummi apoſtolatus incumbit, ſuper eis de ſalubri remedio providere, ad procurandam in ipſo regno pacem, quæ vinculum charitatis exiſtit; & ad tollenda inde diſſenſiones, & ſcandala, quæ miſerabilem deſolationem inducunt, venerabilem fratrem noſtrum Nicolaum Oſtienſem epiſcopum Apoſtolicæ ſedis legatum, religione præclarum, virum magni conſilii, & grande Romanæ membrum eccleſiæ, cujus præſentiam nobis non abſque magna incommoditate ſubtraximus; duximus pridem illuc cum plenæ legationis officio deſtinandum; teque per ipſum & literas noſtras hortati fuimus diligenter, ut nonnulla, quæ circa præfatum natum tuum dicebantur minus provide attentata, prudenter corrigeres per te ipſum, & regali providentia emendares; ac tam tu, quam tui & nati memorati ſequaces acquieſceretis ipſius legati ſalubribus monitis reverenter, vosque benevolos coaptaretis ipſius, qui ad dictum regnum, ut pacis angelus nuntiusque ſalutis, acceſſit; ſignificantes tibi, quod ſi qua jura in eodem regno aliiſque provinciis tibi vel nato memorato competerent, ea proſequeremini coram nobis, illa diſponebamus illibata ſervare, nec minuere, ſed augere.

Miſſum ad illum componendum legatum Cardinalem.

Significaſſe ut quæ a filio in regno Ungarico tentata erant, emendaret. Si quæ jura in Ungariam contenderet in aula pontificia diſceptaret.

XXI.

Licet autem legatus ipſe multos propterea non ſolum mentales, ſed etiam corporales ſubierit ſolicitudines & labores, qui apud Deum erunt meritorii, & glorioſi fructus eorum; non tamen, ut ſperabamus, quietis & pacis effectum per viam compoſitionis, vel concordiæ amicabilis labores & ſolicitudines hujuſmodi habuerunt; nec alias etiam regni prædicti ſtatus, ad quietis commoda eſt reductus: quinimo guerrarum turbines in regno ipſo, proh dolor! invaleſcunt.

Sedem Apoſt. omnium Regum & principum æquitati non defuturam.

Attendentes igitur, quod thronus apoſtolici culminis conſtitutus eſt a Domino ſuper Reges & regna, ut æquitatis virga unicuique tribuat, prava dirigat in directa, & morbis, qui fomentorum non recipiunt medicinam, aſperius medicamen apponat; ſuper petitione tua prædicta deliberatione prahabita diligenti eidem nuntio in præſentia fratrum noſtrorum viva voce reſpondimus, tibique præſentibus reſpondemus, quod perſonam tuam paternæ, & ſpeciali ſumus benevolentia proſecuti, & proponimus tam tua quam nati prædicti jura conſervare ubilibet, ac tibi & ei ſine juris alieni præjudicio plenitudinem debiti favoris impendere, dum tu & natus ipſe filialis devotionis affectibus, & gratis ac laudabilibus operibus vos noſtris & Apoſtolicæ ſedis beneplacitis coaptetis.

*Verum cum longo jam tempore dilata ſit reformatio dicti regni, deformati taliter & collapſi; & a tempore obitus claræ memoriæ, * Vvatiſlai Regis Ungariæ; ac deinde dum Andreas in eodem regno ſe pro Rege gerebat, chariſſima in Chriſto filia noſtra Maria Regina Siciliæ illuſtris ad ſe, ac dilectum filium nobilem virum Carolum nepotem ejus, præfatum regnum aſſeruerit, & adhuc aſſerat pertinere de jure; hujuſmodi petitionem tuam propoſitam, ut præfertur, abſque juris injuria, & alieno præjudicio ad gratiam exauditionis admittere non valemus. Sed iis, qui in regno præfato jus ſe proponunt habere, nos ad reddendam juſtitiam convertentes, per alias literas noſtras te ac Reginam, nepotem ipſius, ac filium tuum prædictos, veſtrumque ſequaces, & alios, qui ſua crediderint intereſſe, de quibus expedire viderimus, per peremptoriæ citationis edictum, proponimus ad noſtrum facere præſentiam evocari, ut cum omnibus juribus, actis, & munimentis, hujuſmodi negotium contingentibus, compareatis legitime coram nobis, recepturi juſtitiæ complementum, & facturi quæ pro bono ſtatu dicti regni duxerimus ordinanda.* Extant de his ad legatum Cardinalem literæ, (*a*) quibus data imperia de accerſendis judicio apud ſubſellia apoſtolica ſceptri Ungarici æmulis. Functum ſuis partibus legatum, ac Regibus Wenceſlao & Carolo, edicto propoſito, diem indixiſſe, tradit Auſtralis hiſtoria (*b*). Ut vero anno inſequenti lata ſit a Bonifacio ſententia ad Caroli gratiam, ac jura hereditaria electionis juribus poriora pronuntiata fuerint provimo anno dicetur: nunc de alia regni Poloni ci controverſia addemus, Bonifacium ſuperioribus literis (*c*) illam Wenceſlao ſeniori Boemiæ Regi moviſſe, denuntiaſſeque ut arrepti Regis Poloniæ nominis cauſas ac jura aperiret. Pergunt pontificiæ literæ.

* Ladiſlai Mariæ Reginæ & nepotis Caroli jura potiora eſſe inſinuat.

Sui eſſe conſilii ad controverſiam dirimendam Carolo & Wenceſlao ad cauſam dicendam diem conſtituere.

(*a*) *lb. ep. cur. 28.*

(*b*) *Auſtr. hiſt. hoc ann. Henr. Rebdorf. in annal.*

(*c*) *lb. ep. cur. 27.*

XXII. Pertrinxit Wenceſlaus, Poloniæ regis nomen uſurpaſſe. Contemptam ea in re ſedem Apoſt. ad quam eæ provinciæ ſpectant.

Ad hæc ignorare te nolumus, quod cum in prædictis tuis literis te Regem non ſolum Boemiæ, ſed etiam Poloniæ duxeris deſcribendum, cauſa nobis exinde magnæ turbationis advenit, dum auctoritate propria, quinimo temeritate non modica, non vocatus a Domino tamquam Aaron; ſed Apoſtolica ſede matre omnium & magiſtra contempta, ad quam provinciæ Poloniæ pertinere noſcuntur, regium in ipſa Polonia nomen uſurpas, te Regem Poloniæ nominando. In quæ autem crimina aſſumptio falſa regiæ dignitatis, immo & ſimplicis magiſtratus, ac ſeditio & commiſſio violentiæ cum armis incidant, quibus ſubiiciendi ſint pœnis talium patratores, non eſt opus exprimere, quia id nota & vetuſtiſſima decreta ſanxerunt.

Ne

XXIII. Objectis gravibus pœnis usurpatum Polonici regni titulum abiicere jubetur.

Ne igitur in te tantæ temeritatis audaciam in tuæ salutis dispendium, præfatæ sedis injuriam, & plurimorum scandalum, absque dubitatione præsumptam, dissimulare quodammodo videamur; magnificentiæ tuæ per apostolica scripta sub spiritualibus & temporalibus pœnis, quas si contrarium feceris, tibi volemus inferre districtius prohibemus, ne te ulterius Regem Poloniæ nomines, sigillum regium sub intitulatione Poloniæ regni assumas, vel utaris assumpto; neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona, & jura quæcunque in ipsa Polonia, vel aliqua ejus parte concedas, aut tamquam Rex Poloniæ quicquam agas. Nos enim tibi paratos offerimus ad manutenendum, & conservandum jura, si qua in ipsa Polonia ostenderis tibi competere, legitime coram nobis. Dat. Anagniæ IV. *id. junii anno* VIII.

XXIV. Variæ rei Polonicæ conversiones. (a) *Michov. lib. 4. c. 1. Chromer. lib. 11. Alex. Guagnin. in comp. chr. Polon. in Primisl.*

Vertebatur ea de regno Polonico controversia inter Wenceslaum, & Wladislaum Loktekum: ad quam illustrandam superioribus gesta temporibus delibanda visa sunt. Revocarat (a) in Poloniam intermissum diu regium decus Primislaus, atque a Jacobo Swinka corona fuerat redimitus anno Christi MCCXCV. cumque divulsas Poloniæ provincias conjungere ac restituere regno pristinum splendorem anniteretur, comparatis ut referunt historici, (b) ab Othone marchione Brandeburgensi insidiis, cæsus est: huic publicis regni comitiis subrogatus (c) Wladislaus Loktekus, non tamen adhuc regia inunctione delibutus. Is vero cum militari licentiæ fræna effunderet, ob raptus virginum & ecclesiasticorum extorsiones censuris ab Andrea Posnanien. episcopo defixus, quamquam postea iis solutus esset, tanta arsit invidia, ut initis Posnaniæ ordinum conventibus, illi imperium in Poloniam abrogatum (d) sit; ac Poloniæ (e) regnum splendida legatione decreta. Regi Boemiæ delatum fuerit: quo is admisso, profectus in Poloniam a Jacobo Gnesnensi archiepiscopo Gnesnæ Polonici regni insignibus ornatus est, tum Ricsæ Primislai filiæ nuptiis confirmata auctoritate, Wladislaum bello est insectatus: qua occasione usi Russi irrupere in Poloniam, ac Sandomiriensem tractum evastarunt. Wenceslaus porro in Wladislaum potius, quam Russos impetus effudit, pepulitque Polonia. Ejectus itaque Wladislaus peregrinationem ad limina Apostolorum suscepit: dein in Ungariam se contulit, e qua post multas rerum conversiones irrepsit in Poloniam, ac regnum recuperavit: de quo in tomo sequenti agemus.

(b) *Id. ib.* (c) *Ibid.* Subrogatus Wladislaus. Dein solio ejectus. (d) *Ibid.* (e) *Michov. l. 4. cap. 1. Dubrav. hist. Boem. lib. 18. Chron. li. 11. Alex. Guagnin. in Wenceslao.*

XXV. Quo ad Othonem memoratum marchionem Brandeburgensem attinet, incurrerat is in Germania Bonifacianæ constitutionis censuras una cum Conrado marchione Brandeburgensi, qui a clero pecuniarum vim ingentem corraserant: cumque denuntiatam censurarum religionem eluissent, præsules anathema ipsis eorumque in crimine sociis incusserunt, atque ex auctoritate apostolica eorum terras interdicto perculerunt: quo facto Magdeburgum, ut eorum furori se subducerent, confugerunt. At marchiones clerum & monachos ad divina celebranda minis & terrore compulerunt: constantiores partim ejecere, partim bonis exuere. Quod facinus cum sedi Apostolicæ delatum esset, Bonifacius Landulpho S. Angeli diacono Cardinali eam provinciam demandavit: illeque spoliatos bonis restitui, exules revocari, ac sententias ut rite latas, donec crimen digne expiatum esset, observari jussit: ac, si qui forent restituti, iterum pellerentur, eosdem marchiones anathema incursuros pronuntiavit: quæ sapienter a legato Card. decreta probavit Pontifex, (f) ac Magdeburgensi Bremensique archiepiscopis, & episcopo Lubecensi, objecta censurarum religione, ut marchiones Brandeburgenses solemni ritu anathematis nota inustos promulgarent, denuntiarentque a cæteris fidelibus declinandos, donec exules suis ecclesiis, dignitatibus, ac bonis restituissent, atque ab sede Apostolica in gratiam Ecclesiæ admitti promeruissent; tum etiam ejectos habere commendatos, ac pro iis restituendis strenuam operam navare jussit.

Ut Wenceslaus Rex Boemiæ Polonico sceptro donatus sit. Otho & Conradus march. Brandeb. ab ecclesiasticis injusta extorquent vectigalia. Censuris devincti a præsulib. ipsos damnant exilio. Angelus dia. Card. A.S.L. ad restituendos ecclesiasticos jussus incumbere. (f) *Lib. 8. ep. cur.* 24. In marchiones censuræ renovatæ.

Ut pertinaces in suscepto scelere infringere, legumque severitate coercere studuit Bonifacius, ita criminis pœnitentes, atque in gratiam admitti flagitantes, amantissime excepit. Exercuerat in Tridentinam ecclesiam gravissimam tyrannidem, ac Philippum episcopum exulare coegerat, Maynardus (g) Charinthiæ dux & Tiroli comes, ac pluribus ob id censuris defixus diem suum obierat: cujus nefariis vestigiis ipsius filii Otho, Ludovicus, & Henricus, cum aliquandiu institissent, demum urente conscientia, Romano Pontifici ad expiandum rite crimen, farciendaque illata damna paratissimos se obtulerunt. Qui Aquilejensi patriarchæ provinciam injunxit, (h) ut prænobiles hosce viros, expiata facti religione, sacrorum communioni restitueret.

XXVI. Maynardus Charinthiæ dux Trid. ecclesiæ invasor in scelere extinctus. (g) *Lib. 8. ep.* 219. Ejus filii veniam a Pontifice postulant.

(h) *Lib. 8. ep.* 219.

Patriarchæ Aquilejensi.

Dudum propter occupationes & usurpationes multiplices quorumdam bonorum & jurium episcopatus & ecclesiæ Tridentinæ, per quondam Maynardum ducem Karinthiæ & comitem Tyrolensem, dum viveret primo, ac postmodum per Othonem, & Ludovicum, & Henricum ejus filios, qui ipsius genitoris eorum vestigia in hujusmodi sunt excessibus imitati, contra Deum & justitiam attentatas, cum multo gravamine venerabilis fratris nostri Philippi episcopi Tridentini ejusque ecclesiæ, quos ipsi Maynardus, & filii etiam alias multimodis molestiis, spoliationibus, & excessibus gravibus perturbarant: diversi excommunicationum, & privationum feudorum & advocatiarum, bonorum, bonorum, & jurium contra eosdem Meynardum, Othonem, Ludovicum, & Henricum, ac liberos & posteros eorumdem, necnon & plerosque alios participes excessuum prædictorum; ac interdicti ipsorum Meynardi, Othonis, Ludovici, & Henrici, & nonnullas alias terras; tam per sedem Apostolicam, quam per delegatos ipsius fuerunt, exigente justitia, processus habiti, & sententiæ promulgatæ.

Datæ ea de re ad patr. Aquisl. lit. Quæ iis pœnæ & censuræ incussæ fuerant.

Demandata patriarchæ Aquil. eos in gratiam admittendi provincia.

Verum quia, sicut nuper accepimus, præfati O. L. & H. saniori ducti consilio, cupientes a devio excessuum eorumdem in viam redire rectitudinis & salutis, ad satisfaciendum sufficienter de præmissis se offerunt; nos, qui libenter ad salutem intendimus animarum, & statum quietum & prosperum eorumdem episcopi & ecclesiæ affectamus, nec in remotis de hujusmodi conditione negotii plenam, ut expedit, valeamus habere notitiam; de circumspectione tua, cui de vicino ea, quæ circa hæc considerandæ fuerint, clarius innotescent; ac de commodo & quiete præfatæ ecclesiæ Tridentinæ, tuæ suffraganeæ, credimus esse caræ, plenum in Domino fiduciam obtinentes; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, tuam super hoc conscientiam onerantes, quatenus considerata forma satisfactionis præfatæ, ad quam iidem Otho, Ludovicus, & Henricus asserunt se paratos, necnon & aliis, quæ circa hæc fuerint attendenda; si id utilitati, honori, & commodo eorumdem episcopi & ecclesiæ cognoveris expedire, ipsique O. L. & H. impleverint quæ promittunt; per te vel per alium, seu alios a dictis excommunicationum sententiis generaliter, seu specialiter promulgatis, eosdem ac alios ad requisitionem ipsius episcopi absolvas juxta formam Ecclesiæ consuetam. Privationum quoque aliasque sententias in ipsos per sedem Apostolicam, vel ejus auctoritate prolatas, ac omnes processus habitos contra eos occasione prædicta relaxare ac revocare procures. Volumus tamen, & præsentium tenore decernimus, quod si Otho, Ludovicus, & Henricus præfati, ac alii in eosdem relabantur excessus, in similes excommunicationum & privationum sententias, quas ex nunc in eum casum ferimus contra eos, incidant ipso facto; tuque illos excommunicatos & privatos ut prius per te, vel per alium, seu alios publice nunties in locis, de quibus videris expedire. Dat. Anagniæ VII. *kal. septemb. an.* VIII.

Tradita dissolvendarum pœnarum auctoritas.

XXVII. Traductus recenter fuerat patriarcha ex Patavino episcopatu, atque in ea dignitate collocatus (a), quam in reconciliandis Ecclesiæ hisce principibus est auspicatus: cumque de admotis ecclesiarum regimini viris insignibus mentio occurrerit, non præterimus a Bonifacio patriarchatus Constantinopolitani juribus Leonardum insignitum: (b) *De te*, inquit, *tunc, sicut prædicitur, ecclesiæ S. Bartholomæi memoratæ*, Venetiarum nimirum, *plebano, Constantinopolitanæ ecclesiæ de fratrum nostrorum consilio, & apostolicæ potestatis plenitudine providemur, te in patriarcham & pastorem præficientes Constantinopolitanæ ecclesiæ præfatæ, curam & administrationem ipsius tibi spiritualiter & temporaliter committendo: & subsequenter tibi per venerabilem fratrem nostrum L. episcopum Albanensem munus consecrationis impendi, & deinde pallium, insigne videlicet pontificalis officii, de corpore B. Petri sumptum, per te cum ea, quæ decet, instantia postulatum, per dilectos filios nostros Matthæum S. Mariæ in Portica, Landulphum S. Angeli, Franciscum S. Mariæ in Cosmedin, & Petrum S. Mariæ Novæ diaconos Cardinales fecimus assignari; firma spe, securaque concepta fiducia, quod præfata Constantinopolitana ecclesia, superna tibi clementia suffragante, per tuæ providæ circumspectionis industriam, & providentiæ circumspectæ solertiam studiosam defendetur a noxiis, præservabitur ab adversis, &c. Dat. Lateraui* II. *kal. aprilis anno* VIII. Cum vero Constantinopoli, quæ a Græcis obtinebatur, sedere non possent patriarchæ, ipsi Cretensem Ecclesiam contulit (c).

Leonardus patriarcha Constantinop. a Bonifacio creatur. (b) *Ib. ep.* 86.

Ut pallium e Cardinalium manu acceperit.

(a) *Ib. ep.* 107.

Ne vero divinus cultus judicum vitio exoleseceret, hæc sanxit (d).

(c) *Ib. ep.* 85. (d) *Lib. 8. ep. cur.* 21. *ext.*

Ad perpetuam rei memoriam.

Provide attendentes, quod ut frequentius, quamvis non sine causa, sine culpa tamen multorum, interdicti sententiæ proferuntur; quodque sunt nonnulli judices nimis prompti ad proferendas easdem etiam in negotiis sive causis, quæ interdum plus ex cupiditatis, quam ex charitatis radice perspicuis indiciis, procedere arguuntur; quodque tempore interdicti divina organa suspenduntur & laudes, nec ecclesiastica sacramenta ministrantur, ut solent, tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia, præsertim per oblationem frequentem hostiæ salutaris; adolescentes, & parvuli participantes varius sacramenta minus inflammantur & solidantur in fide, fidelium repescit devotio, hæreses pullulant, & multiplicantur pericula animarum; præsentis constitutionis providemus edicto, ut nulla provincia, civitas, castrum, villa, locus, territorium, vel districtus auctoritate ordinaria vel delegata supponantur ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito, vel pro cujusvis monetæ, vel pecuniæ quantitate quacumque occasione vel causa, seu quovis quæsito colore; pro eo maxime, quod ipsorum domini, rectores seu officiales,

etiam inter. extravag. De sent. excom. c. Provide. Judices ecclesiastici, temere anathema incutientes coerciti.

Vetitum ut nullus locus pecuniarum causa interdicto ecclesiastico percelli possit.

les, quocumque nomine censeantur, aut incolæ, seu habitatores, aut singulares personæ ipsorum statutis vel statuendis, ordinatis vel ordinandis terminis hujusmodi debitum, seu quantitatem non solverunt hactenus, aut in antea non persolvent. Nos enim ex nunc decernimus irritum & inane, si secus hactenus extitit attentatum, vel contigerit attentari; illudque revocamus omnino. Non obstantibus &c. Datum Anagniæ II. *kal. junii anno* VIII.

XXIX. Concilium a Toler. archiep. celebratum.

Hoc anno habitum in Hispania episcoporum conventum provinciæ Toletanæ, actionum moderatore Gonsalvo Toletano præsule, in nobili municipio Pennefielis nomine ad Durium sito, scribit Joannes Mariana (*a*), atque legum in eo editarum capita perstringit. Verum in hujus concilii actis, quæ apud nos extant (*b*), non Gonsalvus, sed Ægidius archiepiscopus appellatur. Decretum in eo est, ut clerici, qui diebus singulis preces horarias canonicas, nullo justo impedimento districti, Deo persolvere prætermitterent, nec moniti culpam emendarent, sacerdotii redituum parte privarentur, vel munere exercendo interdicerentur. Secunda lex in clericos concubinarios, incussis acrioribus pœnis, lata. Tertia vero hæc est, quam ad confundendam novatorum perfidiam, demonstrandumque quis tunc in Ecclesia cultus vigeret, afferendam censuimus.

(*a*) *Marian. de reb. Hisp. l.* 15. *c.* 5.

(*b*) *Cod. MS. bibl. Vatl. sign. lit. C. n.* 18. *pag.* 47. *&c.*

Quia dominus noster Jesus Christus corpus suum discipulis tradidit manducandum, cum dixit: Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum; cujus exemplum sancta mater Ecclesia pie statuit, & provide ordinavit, ut vere pœnitentibus & confessis, corpus Domini humiliter postulantibus, potissime ad patriam ab hoc sæculo migrantibus tanquam viaticum præbeatur; & nonnulli, quibus animarum cura est commissa, in suæ animæ periculum in officio sibi commisso adeo negligentes existunt, quod morientes propter eorum culpam & negligentiam sine pœnitentia & Eucharistia recedunt, quod dolentes referimus, ab hac vita; statuimus & mandamus, ut quicumque reus in hoc inventus fuerit, suo beneficio perpetuo privetur.

XXX. Vetitum dominicum corpus porrigere, nisi de exhomologesi præmissa constiterit.

Sancitum est quarto canone, ne sacerdotes dominicum corpus ulli porrigerent, de cujus exhomologesi sacerdoti facta sibi exploratum non esset: *Quia scriptum est secundum Apostolum: Probet se unusquisque, & sic de pane illo edat, ex quo manifeste docemur, quod nullus corpus Domini debet suscipere, nisi fuerit per cordis contritionem, oris confessionem, & operis satisfactionem probatus, alias autem suscipiens judicium sibi manducat; & nonnulli verentes ruborem sacerdotis potius quam Dei timorem, sua occultant scelera & peccata propriis sacerdotibus, dicentes apud fratres vel alios se confessos & sic corpus Domini indigne suscipiunt, fallentes semetipsos, cum sacerdotes decipiunt, qui in die judicii, de eis tenentur reddere rationem; statuimus & mandamus, ne aliqui sacerdotes corpus Domini suis parochianis præbeant, immo in eorum ruborem & verecundiam expresse denegent, donec de eorum confessione sibi fuerit* * . . . *ut quos Dei timor a malo non revocat, eos rubor coerceat disciplinæ.*

* exploratum

XXXI. Objectæ sacerdotibus, pœnitentum crimina divulgantibus, pœnæ.

Inflictæ quinto sacerdotibus pœnæ, qui eo temeritatis prorumperent, ut insinuata per confessionem sacram crimina patefacerent: *Quia juxta verbum Jacobi, qui ait: Confitemini alterutrum peccata vestra; quilibet Christianus tenetur confiteri proprio sacerdoti, quæ confessio lapsis post baptismum tanquam secunda tabula conceditur in subsidium animarum: & nonnulli sacerdotes suæ salutis immemores & suscepti officii ignari peccata non ut hominibus, sed ut locum Dei tenentibus confessa, quæ juxta verbum Augustini, dicentis; Nihil in hoc mundo minus scio, quam id, quod in confessione scio; tamquam scita, cum vere juxta Domini verbum debeant dici non scita, propalant & revelant; ne excessus tanti criminis tranſeat impunitus, statuimus & mandamus, quod si qui tam nefandi criminis rei inventi fuerint, tanquam deportati & in metallum damnati perpetuo carceri mancipentur, pane & aqua pro vitæ sustentatione solummodo reservatis.*

Infignis S. Auguſtini ſententia de confeſſione auriculari.

XXXII. De tuenda libertate eccleſiaſtica.

Sexto ad vindicandos ecclesiasticos a laicorum grassationibus jussum, ut omnes episcopi provinciæ Toletanæ, constitutionem Bonifacianam de ea re editam promulgarent. Septimo imperatum parochianis, ut decimas religiose solverent: *Ordinamus ut omnes parochiani de suis prædiis & prædiorum cultis, ac arborum fructibus, hortis, & de aliis natura vel cultura humana ex terra nascentibus, nec non & de animalibus; insuper & de omnibus utilitatibus, utpote caseo, lana, cera, melle, & aliis inde provenientibus, & de omnibus aliis licite acquisitis decimam, tamquam portionem Domini, eam ministris Christi sine qualibet diminutione persolvant.*

De decimis.

XXXIII. Conficiendis azymis ad ſacra facienda.

Octavo veritum est panem azymum consecrandum nisi a sacerdore, aut eo præsente, confici: *Quia dominus noster Jesus Christus, qui est panis vivus, qui de cœlo descendit, grano frumenti se comparavit, cum dixit: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, ideo tradunt sanctorum patrum decreta, quod panis, qui consecrandus est in altari, non fit nisi ex farina, alias & ex granis frumenti id est tritici elicita, & ex aqua pura & limpida aspersa, & infra, statuimus & ordinamus, ut sacerdotes per se, si commode pos-*

possit, vel saltem per alios idoneos ministros ecclesiæ, ipsis tamen præsentibus, massam ex farina triticea tantum & aqua pura * . . *fermenti vel alicujus alterius, ei appositione conficiant, & inde hostias faciant, quæ debent in corpus Domini consecrari.*

* sine

XXXIV. Conſultum neophytis.

Proxima lege fulminatum in usurarios. Decimo Judæis & Saracenis ad Baptismi sacra accedentibus consultum, ne bonis spoliarentur quibus ante susceptum Christianum nomen potiti essent. Undecimo decretum, ut S. Ildefonsi in Toletana provincia dies sacer ageretur: *Quia mater Verbi & Salvatoris nostri domini Jesu Christi gloriosa ac semper virgo Maria, capellanum ac suæ virginitatis specialem præconem beatum Ildefonsum patriarchalis Toletanæ ecclesiæ præsulem ac rectorem, post sui assumptionem descendens de cœlo empyreo corporaliter visitavit ac donis & muneribus spiritualibus decoravit in signum spiritualis dilectionis & amoris; & quos Mater Dei diligit & honorat, nos teneamur diligere, ac etiam honorare; statuimus & ordinamus, ut per totam Toletanam provinciam ejus festivitas tamquam præcipua, seu duplici officio solemniter celebretur.* Eadem verba Baronius ex eodem concilio in suos Annales transfudit, ubi de S. Ildefonso instituit orationem (*a*).

Indictus S. Ildefonſi ſacer dies.

(*a*) *Baron. annal. to.* 7. *ann.* 657. *n.* 42.

Adjecere patres, ut infra notatæ preces singulis diebus ad elicienda beatissimæ Virginis suffragia canerentur: *Cum humana fragilitas propter sui corruptionem vivere nequeat absque culpa, testante Hieronymo, res contra naturam pene sit* * *& sine peccato aliquis vivat, & lapsi per peccatum solum post Domini recursum habeant ad vitæ dulcedinem sanctam Virginem gloriosam, quam tenemur omnes requirere tamquam matrem Misericordiæ cum hymnis & canticis gloriosis; ideo inde suæ laudis præconium duximus taliter ordinandum, ut singulis diebus post completorium cantetur, Salve Regina, in qualibet ecclesia alta voce cum versu: Ora pro nobis, & orationibus: Concede nos famulos tuos. Item: Ecclesiæ tuæ; & pro summo Pontifice oratio: Deus omnium fidelium; & pro Rege nostro oratio: Quæsumus omnipotens Deus.*

De implorandis Deiparæ ſuffragiis.

* ut

XXXVI. Repetendis e principum manu eccleſiarum bonis.

Constitutum est decimo tertio, ut Henricus Ferdinandi quondam Castellæ & Legionis Regis filius de ereptis Toletanæ & Segobiensi ecclesiis possessionibus restituendis rogaretur; ac filia Regis Lusitani pariter ad reddenda ablata ecclesiæ Conchensi solicitaretur: si vero alii proceres in ea re delinquerent, censurarum rigor in eos distringeretur. Latæ quoque in eos anathematis sententia, qui ecclesiasticos ad pugnam provocarent: *Cum Rex pacificus Christus Jesus, qui pacem venit docere in* * *mundum, Ecclesiam suam in petra fidei solidatam pacis vinculo firmaverit, & in ea episcopos vel prælatos & alias personas, quas instituit & suam pacem dedit, & quæ reliquit, quorum* * *anima secundum Ambrosium sunt fletus & lacrymæ, & pro Dei populo noscuntur solum orationi & jejunio deputati; & nonnulli de sui potentia confisi, instigante diabolo, in Dei opprobrium & contemptum jam dictos prælatos & Christi ministros non solum injuriis afficere* * *est tamquam* * *jus mortis diffidare in personis propriis non verentur; non attendentes, quam ignominiosum eis existat, si bene adverterent, arma contra tales assumere, quibus armis uti Veritate eis in persona* *. . . *prohibente eum dixit: Converte gladium tuum in locum suum. Et alibi: Mihi vindictam, & ego retribuam; ideo nos tranquillitatem, & pacem in Ecclesia Dei servare volentes, ne concussis columnis ædificium corruere censeatur, statuimus & mandamus, quod si aliquis cujuscumque dignitatis, conditionis, vel status existat, diffidaverit, vel diffidatum tenet, vel tenuerit episcopum præsentem, vel canonicum ecclesiæ cathedralis, aut socium, & admonitus diffidationem non revocaverit, excommunicetur, & denuntietur domino archiepiscopo ut supra; & nihilominus terra ejus ubicumque eam habuerit in provincia Toletana per diœcesanum loci subiiciatur ecclesiastico interdicto. Actum est apud Penam Fidelem* III. *id. maii anno Domini* MCCCII. *&c.*

* mundo

* ayma

* ſed

* reos

* Petri

I. (a) *Jo. Vill. l. 8. c. 63. Antonin. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 20. Vita Bonif. MS. Vall. sig. lit. C. n. 25. & n. 79. & alii.* (b) *Lib. 9. ep. cur. 21.* Albertus confirmatur a Pontifice Rex Roman. (c) *Lib. 7. ep. cur. 5. & lib. privil. Rom. eccl. 20. t. p. 8.* Solemni ritu gesta res hoc ann. (d) *Annal. Domin. Colm. ebr. hoc ann.* (e) *Lib. 9. ep. cur. 21.*

REcruduit adeo hujus sæculi anno tertio indictione prima inter Bonifacium Papam ac Philippum Galliarum Regem discordia, ut Gallorum & Columnensium factione, pellectisque in conjurationem Campanis, Pontifex in hostium suorum potestatem ceciderit, qui paulo post morbo correptus e vivis excessit. Sed antequam lugubrem historiam attingamus, quæ extremo hoc sui pontificatus anno gesserit, percurrenda sunt. Detrahentibus (a) palam Gallis de pontificatu Bonifacii, confirmavit (b) ipse Alberto Germanicum sceptrum, quamvis antea ipsum ut Adolphi Regis cædis auctorem, ac fœdifragum, judicio postulasset, (c) sive illi coronam sine maxima populorum strage & Christiani orbis periculo eripi non posse prævideret, sive contra Francorum Regis sibi adversantis potentiam fortissimum propugnatorem comparare meditaretur. Rem hoc anno perfectam tradit Card. Baronius, quæ superiori inchoari potuit; consentitque annalium Dominicanorum (d) scriptor: *Venerunt*, inquit, *nuntii Alberti Regis Romanorum, nuntiantes ei, quod dominus Papa prædicasset in manifesto, quod esset verus Rex Romanorum, & dilectus filius ejus.* Ad quæ confirmanda illustrandaque adducendæ visæ sunt literæ pontificiæ, quibus in gratiam eum admisit, regiumque ipsius solium firmavit (e).

Alberto Regi Romanorum illustri ad perpetuam rei memoriam.

II. Pontificiæ de Alberto in Regem approbato literæ.

Patris æterni Filius Dominus Jesus Christus, cujus licet immeriti vices in terris gerimus, misericordiæ benignitatem exercens, ut in ejus beneplacita feramus jugum apostolicæ servitutis, viam nos humilitatis edocuit, nosque suorum doctrinis mandatorum instruxit, ut ipsius vestigia, qui patiens & humilis est atque misericors, quantum patitur humana fragilitas imitemur. Nos itaque ipsius exemplo dirigi cupientes, quos ad nos fiducia devota reducit, libenter brachiis paternæ benignitatis amplectimur, illisque sinum mansuetudinis & misericordiæ non negamus, dum eis præsertim devotionis & humilitatis instantia suffragatur. Profecto dum fidem & devotionem divæ memoriæ Rodulphi Regis Romanorum patris tui, quibus ipse dum viveret, erga sedem Apostolicam studuit cum sinceritate vigere, ad memoriam nostræ considerationis adducimus; dum clara & provida magnificentiæ tuæ studia, per quæ diebus istis gratificari Deo, & ipsi sedi cum summæ devotionis & humilitatis promptitudine decrevisti, diligentius intuemur; suggerit nobis horum fervens instantia, ut erga te mansuetudinem & misericordiam exercentes, statui tuo salubriter ad laudem divini nominis, honorem & exaltationem sanctæ matris Ecclesiæ, sacrique Imperii, ac tranquillitatem & pacem fidelium, auctore Domino, consulamus.

Rodulphi patris Alberti in Rom. eccles. studia perpendit.

Promissa ab Alberto fidissima obsequia & publicam Imperii pacem.

III. Ut Albertus a principibus electoribus Rex fuerit designatus.

Dudum siquidem claræ memoriæ Adulpho Rege Romanorum de hac luce subtracto, & per ejus obitum Romanorum regno vacante, principes ecclesiastici & seculares, ad quos translato olim Romanorum Imperio de Græcis per sedem Apostolicam in persona magnifici Caroli in Germanos futuri Romanorum Regis, in Imperatorem postmodum promovendi, electio pertinet; te in Romanorum Regem unanimiter & concorditer elegerunt: tuque hujusmodi electioni de te factæ consentiens, fuisti more Romanorum Regum apud Aquisgranum in Romanorum Regem postmodum coronatus: & deinde fere per quinquennium exercuisti administrationem regiam, sicut prædecessores tui legitime ac concorditer in Romanorum Reges electi exercere solent hactenus, postquam apud dictum locum Aquisgrani, ubi hoc fieri consuevit, coronati fuerunt.

Aquisgrani regium insigne acceperit.

IV. Postulatus judicio ob cædem Adolphum misericordiam imploraverit.

Verum cum medio tempore nonnulla contra te super iis ad nostram audientiam deducta fuissent, certis a nobis adversus te processibus propterea subsecutis, tu devoti & prudentis more filii de solita patris benignitate confidens, super iis non judicium sed misericordiam humiliter implorasti; nihilominus offerens te paratum tuam, prout posses, super eis ostensurus innocentiam, & alias nostra & dictæ sedis beneplacita & mandata facturum. Præstitisti quoque nobis & eidem sedi fidelitatis & obedientiæ juramentum, & nonnulla etiam alia promisisti, & juramento firmasti, quæ tam a prædicto patre tuo, quam a prædecessoribus ejus Romanorum Regibus jurata, promissa, facta, recognita, & concessa fuerunt, sicut hæc & alia in duabus patentibus literis tuo sigillo signatis, quæ in ipsius archivio conservantur ecclesiæ, plenius continentur. Cumque vicem geramus illius, qui sedens ut Rex, circumdante exercitu, est mœrentium consolator, & omnipotentiam suam parcendo & miserando maxime manifestat; devotione ac humilitate tua gratanter inspecta, viam mansuetudinis, misericordiæ, ac dulcedinis erga te potius elegimus, quam rigoris, ut apud nos & ecclesiam memoratam obedientia humilis tibi prosit; sicut obesse debent contemptoribus inobedientia, & contemptus.

Officia sua addixerit ecclesiæ. Fidem ad illius imperia obstrinxerit.

Interjectisque nonnullis, quibus conqueritur, multa a Gallicæ aulæ politicis in se temere jactata, subdit.

Concessa a Rodulpho & veteribus Imp. corroborarit.

V. *Ad gloriam igitur omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & beatæ*

Qua verborum forma Rex Rom. confirmatus.

tæ ac gloriosæ semperque virginis Mariæ, beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli; & ad honorem & exaltationem sanctæ Romanæ ecclesiæ ac Imperii prædictorum, & prosperum statum mundi; de fratrum nostrorum consilio, præsente quoque prælatorum & aliorum copiosa multitudine curialium, auctoritate apostolica, & de apostolicæ plenitudine potestatis, te in specialem filium nostrum recipimus & ecclesiæ memoratæ, ac in Regem Romanorum assumimus, in Imperatorem, auctore Domino, promovendum; volentes & statuentes, ut de cætero talis filius Rexque Romanorum existas, in Imperatorem, ut præmittitur, promovendus; & quod pro tali ab aliis habearis, tibique sicut Romanorum Regi electo legitime, & Aquisgrani coronato obediri debere ab omnibus, & singulis sacro Romano subjectis Imperio, sicut pareri solet & debet prædecessoribus tuis Romanorum Regibus, legitime intrantibus, & a præfata sede hactenus approbatis: supplentes omnem defectum, si quis aut ratione formæ, aut ratione tuæ vel tuorum electorum personarum, seu ex quavis alia ratione vel causa, sive quocunque modo in hujusmodi tua electione, coronatione, ac administratione fuisse noscatur. Omnia insuper & singula, per te vel alios de mandato tuo facta & habita in administratione prædicta, quæ alias justa & licita extitissent, ita valere decernimus & tenere, sicut si administratio ipsa tibi competisset legitime noscetur.

Qui intercesserant in Alberti electione defectus supplet Bonifacius.

VI. Hortatur Albertum ad explicanda in ecclesiam grati animi officia.

Excellentiam itaque regiam monemus, rogamus, & hortamur attente, ac obsecramus in Filio Dei Patris, quatenus ad ipsum Deum & præfatam ecclesiam matrem tuam mentem & oculos tuos dirigens reverenter; ac benignitatem nostram dictæque matris, qua præventus agnosceris, devota meditatione considerans, illamque conscribens in sacrario tuo pectoris, inibi sub recognitione debita perpetuo permansuram; sicut Christianissimus catholicusque princeps fide præclarus, charitate fervens, devotione sincerus, & judicio rectus, eandem ecclesiam & libertatem ecclesiasticam ubilibet summo studio, totisque viribus revereri & colere studeas ac tueri, & grata & grandia ipsi ecclesiæ pro gratis & grandibus impensis tibi muneribus recompenses: populos quoque in æquitate judices, & dirigas in terris tibi subjectis gentium nationes ad bonum; ac alias commissa tibi regni & Imperii gubernacula congruis temporibus sic laudabiliter & utiliter exequaris, quod æternæ vitæ præmium, illius tibi dextera suffragante, a cujus misericordia omne datum optimum & omne perfectum donum descendit, exinde consequi mereari: & præfatæ ecclesiæ te gratum & utilem filium repræsentes, ac de bono semper in melius in ejus dilectione concrescas, tuique fama nominis latius in gentibus extollatur.

Gerendum præclare Imperium.

Nulli ergo, &c. nostræ receptionis, statuti, suppletionis & constitutionis, &c. Dat. Laterani 11. kal. maii anno IX.

VII. Romani Imperii populi Alberto obsequi jussi. (a) *Reg. post eand. ep.*

Scriptis eadem verborum forma literis ad clientes Romani Imperii, Alberto ut justo Regi Romanorum, ad imperialem apicem evehendo, obsequi jussit (a). Tum principes electores Colonienſem, Trevirenſem, Moguntinum archiepiscopos; Wenceslaum Regem Boemiæ, ducem Saxoniæ, marchionem Brandeburgenſem, comitem Palatinum Rheni eumdemque Bavariæ ducem est adhortatus, (b) ut in agnoscendo Rege Romanorum Alberto potificis voluntatibus se accommodarent: ea enim in re summam ab Apostolica sede gratiam inituros. Ut vero Alberti armis & potentia adversus Gallorum Regem adversarium suum uteretur, omnia fœdera, quæ ille antea cum Regibus ac principibus fecerat, rescidit: (c) tum eumdem monuit, (d) ut illata antea ecclesiasticis damna sarciret, eorumque jura pristinæ amplitudini restitueret: archiepiscopos vero Moguntinum, Trevirenſem, & Colonienſem ex æquo pacisci jussit. Cæterum Albertum electoribus archiepiscopis damna non resarciviſſe, quamvis ea omnia, quæ influxerat a tempore, quo bellum in Adolphum Regem gesserat, ex Pontificis voluntate reparaturum esset pollicitus; sed studio pacis & concordiæ communi consensu a læsis partibus condonata, remissasque injurias, ex literis III. non. junii datis (e) colligitur, quibus Wertingenſi & vallis Uterinæ abbatibus Cistercienſibus provinciam dedit, ut si sponte Alberto a passis injuriam venia data esset, ipsum ac sequaces censurarum religione solverent.

(b) *Id. ib.* Electores principes ad id solicitati. (c) *Eccd. l. 9. ep. cur. 22.* (d) *Ib. ep. cur. 23.*

Pacis studio acceptas injurias remittunt Alberto. (e) *Ep. cur. 28.*

Illum porro Pontifici officia a Regibus Romanorum præstanda exhibuisse observat Cardinalis Baronius in MS. notis ad hunc annum (f): *Albertus Imperator per suas literas, datas, Norimbergæ sub hoc anno, fecit homagium Papæ, & juramentum fidelitatis, confirmavitque omnia privilegia & donationes factas de terris per prædecessores; fuitque ab ipso Pontifice confirmatus in Imperatorem, ut habetur libro privilegiorum Romanæ ecclesiæ.* Producendæ ea de re ex eodem Vaticano codice visæ sunt Alberti Regis Romanorum literæ, (g) quibus Romanum Imperium ab sede Apostolica traductum in Germanos agnoscit, atque ab ea Romanorum Reges & Imperatores ad coercendos improbos instructos auctoritate profitetur, seque ad Romanæ ecclesiæ dignitatem adversus quoscumque hostes armis tuendam obstringit; eæque in molis Adrianæ archivio asservantur, atque a Platina Sixti IV. jussu inter insignia monumenta relatæ sunt.

Albertum absolvi jubet Pontifex.

VIII.

(f) *Baron. in sched. MS.*

(g) *Ext. in arce S. Ang. arch. & lib. priv. Rom. eccl. to. 1. p. 25. & inter coll. Plat. to. p. 261. & ex parte apud Bar. to. 10. an. 906. n. 48.*

Sanctissimo in Christo patri & domino suo, domino Bonifacio, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Albertus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, devota pedum oscula beatorum.

IX. Alberti Regis lit. ad Pont.

Profiteor sanctissime pater & domine, me bonorum omnium largitori, ac vobis & Ecclesiæ sanctæ suæ fore pro innumeris misericordiis, & immensis beneficiis obligatum. Profiteor, quod desiderii mei recepi desideratum effectum, & diffiteri non audeo, quod in eo plus quam desiderare sciverim adinveni, mirans sic in præteritis esse provisum, quod de his, quæ circa talia in futuro peti poterunt, spes miserationis habetur. Assurgens itaque Deo, & sanctitati vestræ, ac eidem Ecclesiæ matri meæ ad gratiarum devotissimas, & humillimas actiones totum me devoveo, totumque me offero, & expono ad gratificationis debitum per omnia, in quantum humanæ imbecillitatis conditio patitur, exolvendum. Ad hæc licet pridie antequam circa negotium electionis, de me ad Romanum regnum & Imperium celebratæ, ac alia quæ in hac parte incumbebant, esset per sanctitatis vestræ beneficentiam mei status essentia solidata, fecerim infrascripta, & super eis meas patentes literas beatitudini vestræ duxerim destinandas, ac in solidatione hujusmodi procuratores mei, ad hoc specialiter constituti, ea in vestra præsentia innovaverint; ecce nunc tamen, ut gratus reddar, & ipsa in majori firmitate procedant, illa direxi præsentibus innovanda.

X. Agnoscit ab Apost. sede translatum a Græcis ad Germanos Imperium.

Recognoscens igitur, quod Romanum Imperium per sedem Apostolicam de Græcis translatum est in persona magnifici Caroli in Germanos; & quod jus eligendi Romanorum Regem, in Imperatorem postmodum promovendum, certis principibus ecclesiasticis & sæcularibus est ab eadem sede concessum, a qua Reges & Imperatores, qui fuerunt & erunt pro tempore, recipiunt temporalis gladii potestatem ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; pia devotione & sincero corde profiteor, quod Romanorum Reges, in Imperatores postmodum promovendi, per sedem eandem ad hoc potissime ac specialiter assumuntur, ut sint sanctæ Romanæ ecclesiæ advocati, catholicæ fidei ac ejusdem ecclesiæ præcipui defensores. Quapropter & ego & alii Romanorum Reges & Imperatores, qui erunt pro tempore, totis viribus ab illis abstinere debemus, quæ ipsi ecclesiæ possint esse nociva, & per quæ inter vos dominum meum, qui tunc Apostolicæ sedi feliciter præestis, & successores vestros, qui canonice intrabunt, & me ac Romanorum Reges & Imperatores, qui erunt inantea, possent, scandala suscitari, & materia dissensionis oriri: & debemus illa devotis & ferventibus affectibus promovere, ex quibus Christianitati tranquillitas, pax & quies proveniat, dissidia & mala tollantur, per quæ paterna sinceritas & vera dilectio, quas vos & Romanam ecclesiam supradictam ad me habituros fiducia firma confido, minui vel offuscari valerent.

XI. Fidem Pontifici obstringit.

Juro etiam, tactis sacrosanctis evangeliis, quod ero fidelis & obediens beato Petro, & vobis vestrisque successoribus canonice intrantibus sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non ero in consilio, consensu, vel facto, ut vitam perdatis aut membrum, aut capiamini mala captione. Consilium, quod vos vel ipsi mihi crediturí estis per vos, aut per nuntios vestros, sive per literas, ad vestrum vel eorum damnum nemini pandam, me sciente: & si scivero fieri vel procurari, sive tractari aliquid, quod sit in vestrum vel ipsorum damnum, illud pro posse impediam; & si impedire non possem, illud vobis & eis significare curabo. Papatum Romanum & regalia S. Petri adjutor ero ad retinendum, defendendum, & recuperandum, ac recuperata manutenendum contra omnem hominem, divino fultus auxilio, secundum meum scire & posse. Et recognosco & fateor omnia & singula, quæ a divæ memoriæ Rodulpho patre meo Romanorum Rege, & etiam a quibuscumque prædecessoribus ejus Romanorum Regibus vel Imperatoribus sive super fidelitatis juramento, sive super quibuscumque aliis recognita, confessata, promissa, facta, jurata, confirmata, innovata, remissa seu de novo donata fuerunt, simul vel diversis temporibus; & ipsa ratifico, innovo, & confirmo, & ea juro, & promitto me inviolabiliter servaturum; & ex nunc similia in præsentibus literis meis patentibus meo magno signatis sigillo, remitto, facio, & de novo concedo. Omnia etiam & singula privilegia, liberationes, donationes, concessiones, recognitiones, confessiones, traditiones, remissiones, & gratias ab eisdem claræ memoriæ patre meo, seu etiam a Regibus vel Imperatoribus prædecessoribus ejus, aut ipsorum aliquo vel aliquibus confessata, innovata, recognita seu confirmata, facta sunt seu concessa, aut remissa vel donata de novo, de quibuscumque juribus, seu rebus, bonis, aut libertatibus, vel aliis quibuscumque; ratifico, approbo, confirmo, & facio, & de novo concedo, prout magis ipsi sedi poterunt expedire.

Vetera Romanæ ecclesiæ jura illi asserit.

XII.

Statuo insuper, facio, & conceda quæcunque per claræ memoriæ Ludovicum Imperatorem Augustum tempore bonæ memoriæ Paschalis Papæ, & a claræ memoriæ Othone Rege tempore felicis recordationis Joannis Papæ statuta vel jurata, recognita, facta, seu concessa fuerunt, sicut in capitulis positis in LXIII. dist. continentur in corpore decretorum, quorum unum incipit: Ego Ludovicus Imperator; & aliud in-

cipit: Tibi domino Joanni Papæ; & omnia, & singula contenta in unoquoque ipsorum capitulorum, ipsaque promitto me inviolabiliter servaturum. Devotionem quoque & reverentiam filialem vobis domino meo summo Pontifici, & sanctæ Romanæ ecclesiæ reverenter exhibeo & devote: & ut devotionem & zelum, quos ad vos gero, & exaltationem ipsius Romanæ ecclesiæ efficaciter per operis executionem ostendam, paratum me offero vos & Apostolicæ sedis primatum ac jura, & libertates vestras, ac dictæ sedis contra omnem hominem defendere & tueri, & esse contra quoscunque hostes & rebelles, adversarios seu inimicos sedis ejusdem, cujuscunque fuerint præeminentiæ, ordinis, dignitatis, & status, etiamsi regali vel imperiali præfulgeant dignitate; nec cum talibus, vel aliquo eorum, vel aliquibus, amicitiæ, conjurationis, confœderationis, aut societatis, vel ligaminis fœdus ineam, nec servabo, si quod forsan inivi cum aliquo vel aliquibus, qui nunc sunt, vel quod absit, erunt in hostilitate, rebellione, adversitate, seu inimicitia vestra, & Romanæ ecclesiæ memoratæ; quin potius ad mandatum vestrum successorumque vestrorum, vel ecclesiæ supradictæ talibus guerram movebo, & pro posse impugnabo eosdem. Prælatos, ecclesias, monasteria, capitula, conventus, personas ecclesiasticas, regulares & sæculares, scienter injuste aut injuriose non offendam; sed ipsa in suis juribus, bonis, libertatibus, & immunitatibus, prout & quantum in me fuerit, conservabo.

Obsequia regia devovet.

Immunitati ordinis ecclesiastici consulturum spondet.

XIII.

Contra libertates, & bona ac jura sæpedictæ Romanæ ecclesiæ non veniam; sed ea defendam, & ad defendendum juvabo, & de nullo, quod ad ipsam sedem pertinet vel pertinebit, me contra ejus beneplacitum intromittam: & si, divino fultus auxilio, velim intrare Italiam, meum adventum seu introitum vobis domino meo summo Pontifici, ac eidem sedi ante significabo; & a vobis & ab ea requiram humiliter & fideliter, ut mihi super meo introitu & adventu vos & sedes ipsa dignemini paterni favoris auxilium impertiri. Item jura Romani regni & Imperii defendere, & recuperare studebo secundum scire meum & posse, prout divino fultus adjutorio fuero. Insuper omnia & singula supradicta & infrascripta juro me bona fide & inviolabiliter servaturum, & contra non venturum scienter. Ad hæc promitto, & juro tactis sacrosanctis Evangeliis, quod ad quemcumque gradum, & statum cujuscunque eminentiæ, seu dignitatis, aut solium quantumcunque sublime, quocunque nomine censeatur, ascendero seu promotus vel assumptus fuero, supradicta omnia & singula confirmabo, innovabo, & etiam de novo faciam & concedam, verbis competenter mutatis; ac vobis domino meo Papæ Bonifacio, vestrisque successoribus canonice intrantibus, & Apostolicæ sedi super his patentes literas meo magno sigillo signatas, & etiam bulla aurea, cum illa me uti contigerit, faciam assignari. In quorum omnium testimonium evidens, atque robur sigillum meum regium præsentibus est appensum. Dat. apud Nuremberg anno domini MCCCIII. indict. prima XVI. kal. augusti, regni vero mei an. V.

Jura Romani Imperii recuperaturum.

XIV. Ungaria duorum Regum Caroli & Wenceslai contentionibus laniata.

Pacata Germania, conciliatoque ecclesiæ Alberto, Bonifacius Ungariam civilibus bellis laceratam, cum alii Wenceslao juniori Boemo electionis, alii Carolo, ut supradictum est, ex Maria nepoti Stephani Regis filia, & Ladislai sorore successionis jure studiis addicti essent, ad pacem adducere aggressus est: cumque Caroli jura illustria atque antea ab Apostolica sede confirmata, Wenceslai vero junioris obscuriora essent, magnis ab Alberto precibus contendit (*a*) Bonifacius, ut ob divinum amorem, tum arctissimam affinitatem, qua Carolum attingebat, Boemo nulla auxilia præstaret; sed Carolum potius omnibus studiis, & contentione juvaret: *Excellentiam*, inquit, *regiam rogamus, & hortamur attente in Filio Dei Patris, quatenus pro reverentia Apostolicæ sedis & nostra, intuitu defendendæ justitiæ, & amore sanguinis, quo idem Carolus Rex Ungariæ tibi obnixius alligatur; circa defensionem, recuperationem, manutentionem, & conservationem regni Ungariæ memorati dictis Reginæ ac Regi Ungariæ favens efficaciter, & præsidiis opportunis assistens, præfatis Regi Boemiæ aut filio circa occupationem, invasionem, usurpationem, seu defensionem in occupatione prætacta nullum præstes per te vel per alium auxilium, consilium, vel favorem, nec præstari per alios, quos tua potes jurisdictione compescere, patiaris; ut dicti Regina & Rex Ungariæ de tuæ potentiæ brachio eorum jure congaudeant, & erga te, tibique conjunctos, & subditos tu intensioris amoris dulcedinem ferventer exurgant; tuque possis exinde in conspectu Dei, & hominum, nostroque pariter tam de affectu justitiæ, & charitatis odore, quam de devotionis promptitudine commendari. Dat. Anagniæ III. id. junii anno IX.*

(*a*) *Lib. 9. ep. cur. 35.* Solicitatus Albertus Rex ut Caroli partes tueatur.

Intulisse hoc anno bellum Regi Boemiæ Albertum, tradunt auctores (*b*), in eaque expeditione secum Regem Ungariæ, nimirum Carolum, egregiis Ungarorum copiis ac viginti millibus paganorum succinctum secum duxisse: paganos vero, uti moris est, quacumque excurrere, immanissimas clades inflixisse, ac puerulos Christianos correptos, pedibus manibusque amputatis, sale conditos devorasse, Albertumque amplius scelus non ferentem, immisso in eos Germanico exer-

Albertus Wenceslao Boemiæ bellum infert.

XV.

(*b*) *Annal. Dom. Col. Chr. Eltvang. hoc ann.* Carolus Ungar. Rex cum Alberto copias conjungit. Cumani faginam humanam habent in deliciis. Sumpta de iis ab Alberto ultio.

ercitu, ex iis decem millia trucidasse, reliquos dissipasse, nulloque alio edito facinore in Austriam se recepisse.

XVI. Sententia de regno Ungarico in Caroli gratiam contra Wenceslaum juniorem lata.

Ad dirimendam porro controversiam, ob quam Carolus ac Wenceslaus de Ungaria certabant, num in eo regno electionis an successionis jura potiora essent, Bonifacius cum jam ante adversas partes sistere se Apostolicæ sedi ad disceptandam causam, excipiendamque sententiam jussisset; ac Maria quidem Regina & Carolus ipsius ex majore natu filio nepos suos oratores ad Romanam aulam misissent; Wenceslaus Rex Boemiæ, qui jam ante ab Romanis Pontificibus Ungaricum sceptrum Mariæ filio ac nepoti delatum non ignorabat, vel diffidebat causæ æquitati, oratores misit non ad exponenda & defendenda sua jura, sed ad judicium eludendum declinandumque. At Bonifacius Boemi excusationibus a suscepta mente dimoveri non potuit; atque ex Cardinalium senatus consilio regnum Ungariæ Carolo adjudicavit; pronuntiavitque (a) in Ungaria successionis non electionis jura valere: cum orta inde detrimenta illustria essent, atque istius Caroli pater ab Apostolica sede Rex Ungariæ habitus fuisset. Tum Ungaros incusso anathematis terrore, Mariæ & Carolo parere jussit, illamque Reginam Ungariæ, hunc vero Regem in publicis tabulis inscriptum iri, sanxit: fidei sacramenta Wenceslao Regis Boemiæ filio præstita apostolica auctoritate convulsit; denique ut omnem Regi Boemiæ querendi occasionem adimeret, quatuor mensium spatium pro termino peremptorio illi præfixit, ut si quæ jura in Ungariam contenderet, ea exponeret; ita tamen ut possessorium jus apud Carolum resideret.

(a) Lib. 9. ep. cur. 33.

Ad perpetuam rei memoriam.

XVII. Quibus concepta verbis illius forma.

Spectator omnium, cunctorum præscius Rex æternus civitatem Jerusalem ruituram prævidens, flevit compassibiliter super illam. Nunquid igitur & nos, ejus officium vicariæ potestatis habentes, fletus arcere possumus, mitigare punctionis aculeos, gemitus cohibere, videntes acerbe regni Ungariæ collapsi per plurium dissidia gravia inculcata frequentius, diminutionis incommoda, & ruinam totaliter imminentem? Illud utique violenti diripiunt, & apprehenderunt jam inter angustias persequentes: gemunt sacerdotes ipsius, luget populus confusionis involutione perplexus: parvuli ejus captivi sunt ducti ante faciem tribulantis: silet ibi belli dissidio coacta justitia: corrupti sunt mores hominum, eradicatis virtutibus, vitiis propagatis: zelus Christianæ fidei tepuit, immo jam friguit, & divini cultus observanda religio dormitavit: & dum inibi de regnandi jure contenditur, promiscuis actibus surdum deorsum miscentur confuse singula, & in aperto caduco ruit populus, cum certus non appareat gubernator. Dolendum in iis pariter & lugendum, illa maxime ratio piæ considerationis inducit, quod regnum ipsum, retrorsum rediens, Reges lactavit hactenus Reginasque catholicos, & in eminentiam cœlestis exercitus mira vigente sanctitate produxit: literatos utique viros alios, intelligentes & providos, scientiæ claritate conspicuos, & eloquentiæ facunditate disertos. In quorum vices succedere, proh dolor! dissidentes & stolidi, modicæ devotionis & fidei, abiicientes jugum disciplinæ laudabilis, & debacchantes improbe sine fræni constrictione pro libito vastatores. Nunquid igitur super istis nostra consilia inhumane deficient, opportuna remedia eclipsante charitatis fomite, & omissa lima justitiæ delitescent? Necesse quidem adesse conspicimus, ut ruinas hujusmodi pastoralis cura nostræ provisionis impleat, collapsa reparet, justa confoveat, vastata restauret, & paterna benignitas apta præsidia pro ipsorum congrua reparatione producat, sedando præcipue, quantum nobis ex alto permittitur, contentionis præfatæ de jure regnandi turbinem, & de regno ipso auferendo pro viribus omnem per nostræ reparationis suffragium tempestatem.

Veteres Ungariæ Reges magnis conspicui virtutibus.

Ultimi impii & crudeles.

Pontificiæ esse solicitudinis tantis malis prospicere.

XVIII. De Wenceslao Boem. Rege, ut filium electum ab Ungaris Apost. sedi commendarit.

Sane diebus non longe præteritis charissimus in Christo filius noster Vvenceslaus Boemiæ Rex illustris per ejus nuncium, & expressas literas nobis supplicavit attente, ut negotium dilecti filii nobilis viri Vvenceslii ejusdem Regis filii quem in Regem Ungariæ concorditer & canonice proponebat electum, & eundem Regem Boemiæ, ac tam suos quam ejusdem filii in hac parte sequaces in benevolentiam nostram reciperemus & gratiam, ac nos eis adjutores & directores benignos & favorabiles in ipso negotio redderemus. Super cujus supplicationis instantia pia & rationabili meditatione pensantes, quod præfatum regnum Ungariæ tam nobile hactenus, tam præclarum in spiritualibus & temporalibus per collisionis varias, sicut prætangitur, est collapsum, quodque charissima in Christo filia nostra Maria Regina Siciliæ in eodem regno Ungariæ tanquam heres proximior habere se jus asserebat & asserit; & dilectus filius nobilis vir Carolus nepos ejus regnum ipsum in parte non modica ex persona jam dictæ suæ paternæ aviæ possidebat, & possidet, de quo etiam in Strigoniensi ecclesia juxta ritum antiquum Ungariæ per personam idoneam regale susceperat diadema; ut tolleremus invicem peccandi materiam & concertandi discrimen, exhiberemus justitiæ debitum, ac viam reformationis dicti regni accommodam sumeremus inter contendentes eosdem; tractatum pacis & compositionis amabilis more patrio similiter assumere cupientes, memoratos Reges Boemiæ, ipsius filium, & sæpe

Contenderit Regina Maria successionis jure ad se spectare. Carolus illius nepos diadema Strigonii suscepererit. Vocatus uterque in judicium fuerit ad controversiam componendam.

pe dictum Carolum, eorumque sequaces, & alios, qui sua crederent interesse, per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Ostiensem episcopum, tunc præfati regni Ungariæ legatum, peremptorie citari mandavimus, ut infra determinati & convenientis temporis spatium, in ipsa citatione præfixum, cum omnibus juribus, actis, & munimentis suis, contingentibus memoratum negotium, coram nobis legitime comparere deberent, super iis complementum recepturi justitiæ, ac facturi quæ pro dicti regni statu prospero per nos essent provide ordinanda. Eodem vero legato prædictos Regem & filium ac Carolum citante legitime, sicut per ipsius certas literas & verbum postea nobis evidenter innotuit, ac adveniente peremptorio termino, in ipsa citatione statuto; præfata Regina Siciliæ, intimato jam sibi ex nostra parte per alium, quod ipsa, etiam si sua interesse putabat, in memorato termino compareret, & jam dictus Carolus per procuratores idoneos sufficienter instructos, tamquam devotionis & reverentiæ filii comparuerunt cum debita obedientia coram nobis, venerabilibus fratribus nostris N. archiepiscopo Colocensi, M. Zangabriensi, T. Jeuriensi, & B. Vesprien. episcopis, ac dilectis filiis nonnullis archidiaconis & præpositis de ipso regno Ungariæ, ex citationis præfatæ vigore comparentibus similiter cum eisdem.

Constituta ad id a legato peremptoria dies.

Ut comparuerint oratorum opera in judicio Maria & Carolus.

XIX. Wenceslaus Rex ac filius inania obtenderint diffugia.

Jam dicti vero Boemiæ Rex & natus non comparuerunt per se, vel per alium in termino præfinito, nec postea; sed sub cujusdam palliationis astutia excusatores miserunt ad nostram præsentiam dilectos filios Untior. doctorem decretorum, Joannem cantorem ecclesiæ de veteri Buda clericos, ac Joannem Romanum jurisperitum laicum, excusantes eosdem, quod procuratores ad nos non miserant sufficienter instructos, causas circa hoc minus rationabiles, immo inanes & frivolas prætendentes. Et in pluribus consistoriis per nos ab ipsis seriose petita, si alias causas rationabilis excusationis haberent, vel ampliori forent potestate suffulti, in excusatione culpæ contumaciam geminantes, dixerant improbe, quod præfatus Rex Boemiæ nullo unquam intendebat tempore de ipso regno Ungariæ litigare: procuratoribus ipsis & nuntiis eorumdem Reginæ Siciliæ ac nepotis instantibus, ut ob contumaciam ipsorum Boemiæ Regis & filii ad declarationem & determinationem juris, Reginæ ac nepoti competentis eisdem, procedere deberemus.

Negarint causam sedis Ap. judicio committere.

XX.

*Nos vero, habita super iis cum fratribus nostris examinatione solemni, profunda maxime meditatione pensantes statum præfati regni Ungariæ miserabilem & depressum, flebili quidem compassione condignum, quod revera ex prætacta maxime contentione regnandi in pejus continue labitur; quia dum utrinque contenditur involuto dissidio, animarum & corporum pericula prodeunt, & ipsius cives & incolæ in illa regnantibus cum debita obedientia non intendunt; quodque, sicut facti notorium permanens evidenter ostendit, & licet non in figura judicii nobis est notum, prædicta Regina Siciliæ, sicut primogenituræ jus obtinens claræ memoriæ Stephani Regis Ungariæ patris sui, in eodem regno propinquior est successor & heres quondam Latislao Regi Ungariæ fratri suo ex utroque parente, per quod opitulatur eidem communis juris præsumptio, quæ tali casu probandi onus in adversarium juste transfert; quia etiam quondam Carolus ipsius Reginæ primogenitus, dicti Caroli genitor, habitus est quasi communiter, & præcipue per Romanam ecclesiam pro Ungariæ Rege, dum vixit, nec ex parte dictorum Boemiæ Regis & filii de jure competente ipsis in Ungariæ regno prædicto allegatum est aliquid vel assertum, nisi sola electio, quæ de ipso filio Regis facta proponitur, quæ proculdubio diversis ex causis, prout rationum prima facies indicat, minus legitima, immo prorsus inutilis esse videtur; eo maxime quod, sicut scripti canonis series aperit, regnum ipsum Ungariæ successionis jure provenit, electionis arbitrio non defertur; rationibus præmissis, & causis, aliisque motivis plurimis, quæ religionem debent judicantis instruere, in trutina rectæ deliberationis appensis * expedientia commixta licentiæ, ac benigna humanitate servata; de plenitudine potestatis, in apertam contumaciam eorundem Boemiæ Regis & filii, in præsentia prælatorum plurium, capellanorum, familiarium nostrorum, & aliorum in consistorio vocatorum, præsentibus eorumdem Boemiæ Regis & filii nuntiis ac excusatoribus suprascriptis, de fratrum nostrorum consilio decernimus, diffinimus, declaramus, & volumus, quod prædicta Maria in toto ipso regno Ungariæ & pertinentiis suis omnibus, ac ubique terrarum Regina Ungariæ, & dictus Carolus nepos Rex nuncupentur apertis labiis, scriptionibusque vulgatis, & in documentis publicis tituleatur; quodque prælati, clerici, cujuscunque dignitatis, status, aut conditionis fuerint, & religiosi alii cujuscunque sint ordinis; nec non comites, sive barones, barones, milites, cives, incolæ cujuscunque status, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existant jam dicti Regni Ungariæ, omnium jurium, & pertinentiarum ejus, ac aliarum regionum annexarum sibi, etiamsi regnorum titulum habeant, dictis Reginæ Ungariæ & Regi nepoti, tanquam ejusdem regni Ungariæ Reginæ & Regi legitimis parere & intendere; ac de fructibus, reditibus, servitiis, juribus, & obventionibus aliis consuetis, & Regi Ungariæ debitis devote respondere procurent: prælatis, clericis, & religiosis, comitibus, sive*

Dilata controversiæ decisio maxima mala invehat.

Exploratum fit Mariam Reginam proximo propinquitatis jure succedere. Majorem natu illius filium Carolum Ung. Regem habitum. Wenceslaum electionis jure tantum niti. In Ungaria vero Regem non eligi sed nasci.

* id est, cum expediat & liceat,

His de causis pro Maria & Carolo pronuntiat Bonif.

Decernit in publicis monumentis regium nomen Ungaricum iis tribuendum.

Jussi præceres ac præfules suum illis deferre obsequium.

ſive banris, baronibus, militibus, civibus, incoliſque præſcriptis ſub pœna excommunicationis injungentes expreſſe, quam eo ipſo, ſi fecerint ſecus, incurrant, ut iiſdem Reginæ ac Regi Ungariæ circa recuperationem, defenſionem, & conſervationem regni prædicti auxiliis, conſiliis, & favoribus opportunis aſſiſtant.

XXI. *Et quia in prædictis eoſdem efficaciter, obedienter, & placide ſic agere cupimus, ut a contrariis prorſus abſtineant, & deſiſtant; prælatis, clericis, & religioſis, comitibus, ſive banris, baronibus, militibus, civibus, incoliſque præfatis ſub ſimili pœna excommunicationis, & eodem modo præcipimus, ne memoratos Regem Boemiæ, vel ejus filium Regem Ungariæ nominare, vel titulare aliqua nominatione, vel deſcriptione præſumant; neve ipſis aut miniſtris eorum de fructibus, reditibus, proventibus, ac juribus aliis dicti regni, & præfatorum ſibi adjacentium reſpondeant quoquo modo, vel aliis circa occupationem, invaſionem, detentionem, ſeu uſurpationem memorati regni Ungariæ, & præmiſſorum, quæ annexa ſunt ſibi, occulte vel publice conſilium vel auxilium afferant, vel alicujus præſidium favoris impendant. Nos enim prælatos, clericos, & religioſos, comites, ſive banros, barones, milites, cives & incolas memoratos ab omnibus homagiis, ſacramentis fidelitatis, colligationis, aut conjurationis, quæ prælibatis regi Boemiæ, filio, aut miniſtris eorum præſtiterunt, aut cum ipſis in præjudicium dictorum Reginæ & Regis Ungariæ aliquatenus injerunt; etiam ſi ea fuerint juramentorum, perſonarum adjectione, vel quovis alio vinculo roborata, quæ viribus vacua & nulla fore cenſemus, & carere decernimus omni robore firmitatis, abſolvimus, & ad eorum obſervationem quomodocunque, aut quantumcunque ſe aſtrinxerint pro obſervandis eiſdem, ipſos decernimus non teneri.*

XXII. *Cæterum ut quæ gravitati ſedis Apoſtolicæ congruunt cum debita maturitate ſervemus, nec excludamus a noſtris proceſſibus amicam in throno ſedentibus æquitatem; Regi Boemiæ filioque præfatis peremptorium terminum quatuor menſium, a die datæ præſentium numerandum in antea, & peremptorie præfinimus, infra cujus temporis ſpatium ipſi per ſe, vel alios, aut alium, ſi qua jura de proprietate dicti regni Ungariæ habere ſe credunt, nobis & Apoſtolicæ ſedi reverenter oſtendant, illaque gerant & proſequantur, ut expedit, ordine debito, & rationabile fuerit, ſicut ipſis melius videbitur expedire. Super poſſeſſorio tamen cujuſcunque ſpeciei vel generis, pro dicto regno Ungariæ memorato Regi Boemiæ vel filio competente, propter eorum contumaciam ſic contractam perpetuum ſilentium eis duximus imponendum: ultra præmiſſi vero temporis ſpatium quadrimeſtre, ne in poteſtate ſit dictorum Boemiæ Regis & filii inquietare pro libito, moleſtare frequenter, & ut vitandi ſcandali occaſionem tollamus & cauſam; ex nunc prout ex tunc in jure ac proprietate, competentibus ipſis forſitan in regno præfato, juriſdictionis noſtræ & Apoſtolicæ ſedis denegamus immutabili edictione præſidium, & eis in tribunali quocunque tam de juſtitiæ fomite, quam de ipſius poteſtatis plenitudine perpetuum ſilentium imponimus de fratrum conſilio prædictorum. Ita quidem, quod prædicta termini præfinitio, juriſdictionis denegatio, impoſitio ſilentii, ex nunc, elapſo jam dicto quadrimeſtri ſpatio, perinde vigorem habeant, & effectum, ac ſi in ejuſdem Boemiæ Regis, & filii notitiam per formam citationis ſolitæ perveniſſent, cum magiſtratus alii etiam non majores de juris licentia per edicta in ſcriptis publice, vel in ædes poſita citare valeant; nec ſit veriſimile vel præſumptum, ut præmiſſa in notitiam & conſcientiam dictorum Boemiæ Regis & filii debito tempore devenire non valeant, quæ in præſentia ipſius conſiſtorii, prædictorum prælatorum, aliorumque plurium, & eorundem nuntiorum, ac excuſatorum maxime, ſunt tam vulgate tamque ſolemniter publicata; de reformatione præfati regni collapſi diſponere cum ipſorum fratrum conſilio, prout tempora ſe apta præbuerint, præviſis conſiliis opportuniſque remediis, auctore Domino, ſolicite proponentes, ut in ipſo, gratia diſponente ſuperna, tranquilla tempora redeant, inquieta recedant; ſicque ipſius regni ſtatus reformetur in proſperum, quod lætæ pax & amœnitas in locum tam gravium adveniat ſcandalorum. Nulli ergo, &c. Datum Anagniæ* II. *kalend. junii anno* IX.

Vetitum juniorem Wenceſlaum Regis Ung. nomine inſignire.

Præſtita ei a proceribus ſacramenta reſciſſa.

Elapſo ea ſpatio nunquam audiendum decernitur.

Ne porro Boemus prætexere poſſet, hæc ſuam cognitionem fugiſſe quamvis ſententia in publico Cardinalium præſulumque cœtu, oratoribus ipſius præſentibus, lata eſſet; Colocenſi archiepiſcopo & Zagrabienſi epiſcopo munus demandavit, (*a*) ut decretum hoc, quod iis tranſmiſit, in provinciis ac locis Boemiæ conterminis, atque ejus ditioni proximis promulgarent, ut Regi venire in dubium non poſſet, illius famam ad ſe non pervaſiſſe. Verſabantur tum in Sicilia citeriori hi præſules, apud Regem Ungari avum legatione functi, ac reditum in patriam adornabant, cum literas pontificias accepere, contentiſque itineribus regreſſi in Ungariam apoſtolicis imperiis paruiſſe reſcripſere (*b*).

Sententia a Colocenſi archiep. & epiſc. Zagrab. denuntiari juſſa Regi Boemiæ.

(*a*) *Ib. ep. cur.* 34.

(*b*) *Exf. eod. lit. in cor. MS. bibl. Vatt. ſig. lit. B. n.* 12. *pag.* 544.

Referibunt ii præſules Bonifacio.

Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino, domino Bonifacio divina providentia ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo Pontifici St. Dei & ſua gratia archiepiſcopus Colocenſis, & Michael eadem gratia epiſcopus Zagrabienſis devota pedum oſcula beatorum. Li-

Mandata ab ipſis operi imperia apoſtolica.

Literas ſanctitatis veſtræ nobis directas, cum in procinctu noſtri itineris veniendi verſus Ungariam eſſemus circa Neapolim, omni reverentia, obedientia, humilitate, quibus decuit, recepimus, & honore. Et infra: *Veſtræ beatitudinis mandato cum devota & humili filialitatis ſubjectione obtemperare cupientes, ut ex debito ſic ex voto, quamquam parvitas noſtra mandatis veſtræ ſublimitatis digne exequendis non ſufficiat, ambo perſonaliter, & alter noſtrum ipſius veſtræ pronuntiationis, diffinitioniſque ſeriem & tenorem in nonnullis locis & terris, in quibus propter ſtatum impacati regni, & inſidias adverſæ partis fieri potuit, divulgavimus & publicavimus ſolemniter, & divulgari ſeu publicari per alios & per alium legitime fecimus, ſicut ex inſtrumentis ſeu literis teſtimonialibus ſuper hoc confectis, quæ & quas ad pedes veſtræ beatitudinis per nuncium noſtrum ſpecialem, latorem præſentium, humiliter dirigimus, celſitudo veſtræ ſanctitatis poterit colligere evidenter. Quamobrem ſanctitatis veſtræ... proni ſupplicamus, quatenus ſi quidquam in præmiſſis omiſſum eſſet vel peractum minus digne, habere degnemini nos excuſatos in hac parte. Datum in Vaſea in diœceſi Zagrabienſi* V. *id. ſeptembris anno Domini MCCCIII. indictione* I.

XXIII. Datæ ad Ungaros lit. ut Regis Caroli partes ſequantur.

(*a*) *Lib. 9. ep. cur.* 36.

Præterea, ne quid ad revocandos in concordiam Ungaros, regnumque illud priſtino ſplendori aſſerendum prætermitteret, quod futurum facile ſpes erat, cum omnium Ungarorum voluntates ac regni membra ſub uno capite ac Rege coaluiſſent, omnibus Ungariæ ordinibus encyclicis datis literis, religioſiſſime imperavit, (*a*) ut Mariæ & Carolo obtemperarent, atque ad eos omnia regia vectigalia derivarent; vetuirque intentato anathemate Wenceſlao obſequi, aut ſocietatem ullam cum ipſo coire: datam ab iis fidem reſcidit; denique apoſtolicæ ſententiæ ſtare præcepit. Carolum vero Ungariæ Regem, qui ad ingentes ſpes pubeſcebat, hortatus eſt, ut a teneris annis virtutibus aſſueſceret, e ſuſceptis enim laboribus maximos laudis fructus collecturum: neque illi apoſtolico patrocinio defuturum eſt pollicitus (*b*).

(*b*) *Ib. ep. cur.* 37.

Bonifacius, &c. chariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Ungariæ illuſtri.

Geſta ad illius aſſerendum decus inſinuat.

Propagato charitatis ordine, ac ſucceſſivo dilectionis affectu, te ſpecialem filium amamus ex eodem; & tui ſtatus compatientes auguſtiis, tuos honores & commoda, quantum cum decentia poſſumus, promovemus. Sane in negotio dicti regni, tibi & chariſſimæ in Chriſto filiæ noſtræ Mariæ Siciliæ Ungariæque Reginæ illato præpedio multimodæ præpeditionis anfractu per chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Vven-

Ad ſectandas virtutes incitat.

ceſlaum Boemiæ Regem & natum ipſius ſuper declaratione tui juris, in ipſo nuper diffiniendo ac decernendo proceſſimus de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu. Volumus igitur & hortamur attente, ut quatenus permittit tibi ætatis tenellæ diſcretio, circa proviſam tuæ perſonæ cuſtodiam, gubernationem & regimen, & ſtatum proſperum dicti regni collapſi te geras laudabiliter & diſcrete, ut ab annis teneris, aſſumpto principio virtuoſo, virtus Altiſſimi ſemper ad meliora te provehat, & uſque ad canos te ſapientia comitetur. Speramus enim in Domino, quod te in moribus & doctrina creſcente, regnum ipſum laceratum undique ſub tuo dominio reparationis compendia ſentiet, & pro ſpinis & tribulis fructus ubertes quietis & pacis cum amœnitate producet: nos etenim cauſam tuæ juſtitiæ de regno præfato ſic opportunis præſidiis coadjuvare proponimus, quod ſtatum tuum noſtra protectio ſemper adaugeat, tuaque devotio beneficia matris eccleſiæ effectu proſequente cognoſcat. Dat. *Anagniæ* III. *non. junii anno* IX. Solicitata (*c*) etiam illius avia Maria Regina Siciliæ & Ungariæ, ut nepoti in regno adminiſtrando non deeſſet: datæque Stephano archiepiſcopo Colocenſi partes, (*d*) ut eccleſiarum jura in priſtinum ſplendorem reſtituenda curaret. Cæterum Ungaros paruiſſe Pontifici, ac Wenceſlai junioris Regis Boemiæ filii partes deſeruiſſe, ex auctoribus (*e*) colligitur: adeo ut tradant, repente Ungaros conciliatos Carolo; cumque Wenceſlaus undique periculis circumfuſus eſſet, Regem Boemiæ, contracto exercitu, advolaſſe in Ungariam, filium e diſcrimine ereptum in Boemiam reduxiſſe, juribuſque controverſis ceſſiſſe.

(*c*) *lb. ep. cur.* 38.

(*d*) *Ep. cur.* 162.

(*e*) *Dubrav. hiſt. Boem. l.* 18. *& alii.*

XXIV. Fœderis, inter Carolum Siciliæ & Fredericum Trinacr. Reges initi, leges a Bonif. temperatæ.

Ut pro firmando Caroli regio diademate, atque bellorum turbinibus in Ungaria comprimendis ſummam operam navaſſe vidimus Bonifacium, ita ad avum Carolum Siciliæ Regem, ejuſque jura aſſerenda; tum ſedandos bellorum motus, qui Siciliam tot annis quaſſarant, ac ne recrudeſcerent, ingens metus erat, ſi initum fœdus inter Carolum Valeſium atque Fridericum Pontificia auctoritate non confirmaretur, animum adjecit. Informis erat ea pax, ut loquitur Bonifacius, atque in eccleſiæ Romanæ & Caroli Regis damnum vertebatur. Cujus proinde leges temperandas cenſuit, decrevitque (*f*) conſentiente Friderico, ut quamvis inter fœderis leges ea appoſita eſſet, ipſum pro Siciliæ inſula aliiſque adjacentibus nemini ad præſtanda ulla ſtipendia devinctum iri; eccleſiæ fiduciarium ſe profiteretur, atque vectigalis nomine tria millia unciarum auri quotannis penderet, & centum equites in eccleſiæ obſequium, quoties juſſus eſſet, egregie inſtructos ſubmitte-

(*f*) *Lib. 9. ep. cur.* 21.

Conſultum juribus Rom. eccleſiæ.

ret. Tum plura ad Caroli gratiam sanxit, atque inter alia, ut nulla annorum præscriptio ad Trinacriæ imperium a posteris Friderici retinendum valeret.

Forma confirmationis factæ per dominum Bonifacium Papam super tractatu pacis, habito inter spectabiles viros dominum Carolum de Francia comitem Alenzonensem, Robertum primogenitum illustris Regis Siciliæ ducem Calabriæ ex una parte, & Regem Federicum ex altera super insula & regno Siciliæ, & jure, quod habet ecclesia in eisdem.

Bonifacius &c. ad notitiam præsentium & memoriam futurorum.

De immisso in Fridericum paterni sceleris successorem exercitu. Tractato inter eum & Carolum Vales. ac Robertum ducem Calabriæ fœdere. Postulata ab Ap. sede illius confirmatione.

Dilecto filio nobili viro Frederico prædicti Petri, olim nimirum Aragonum Regis insulæ Siciliæ invasoris, *genito eandem insulam continuato vitio tam obstinate quam illicite detinente, dum noster dictique Regis potens militaris exercitus contra ipsum, & rebelles Siculos processisset, inter dilectos filios nobiles viros Carolum Alenzoni & Valesiæ comitem, Robertum prædicti Regis Siciliæ primogenitum ducem Calabriæ præfectos ejusdem exercitus ex una parte, & jam dictum Fredericum ex altera tractatus pacis est habitus, mutua inter ipsos, ut potuit, firmitate vallatus, qui præsentatus fuit nostro conspectui: & per solemnes nuncios Frederici prædicti a nobis extitit cum devotione petitum, ut tractatum ipsum confirmare benignius de apostolicæ potestatis præsidio dignaremur. Nos vero pensantes attente, quid nostra & apostolicæ sedis exigeret in hac parte decentia, quid utilitas suaderet, quia tractatum ipsum invenimus in multis informem, & a censura considerationis rationabilis discrepantem, illum absolute tunc respuimus confirmare; & eligentes viam mediam, omissis extremis, Fredericum prædictum in benedictionibus dulcedinis prævenimus, ut ejus tramites reduceremus ad lineam, & erroris ac devii fugata caligine, eo libentius atque suavius veritatis semitam valeret ingredi, quo per benignitatis nostræ suffragium sentiret secum benignius atque clementius dispensari, mandantes & facientes ipsum ab excommunicationis sententia, qua ligabatur, absolvi certo modo, quem providi consilii cautela suasit; ac interdictum de dicta insula removeri; super matrimonio contrahendo inter ipsum & dilectam in Christo filiam nobilem juvenem Elionoram natam dicti Regis Siciliæ, quæ siquidem in præfato informi tractatu devenerant, de benignitate apostolica dispensantes. Et prosequendo debitum pastoralis officii, ac charitatem lepidam pii patris, benignas literas, & speciales nuncios nostros ad memoratum Fredericum in insulam prædictam transmisimus, inducentes eundem, ut ipse de devio, in quo eum falsitas erroris abduxerat, ad rectum salutis ingressum se prudenter converteret; & circa reformationem præmissi tractatus suum animum rationabiliter inclinaret.*

Servato a Pont. modo, cum in nonnullis æquitati non consentiret.

Dissolutis censuris, quibus Fred. erat devinctus.

Data facultate, ut Alienoram consanguineam sibi desponderet. Missis Apost. sedis nuntiis ad ipsum ad æquitatem polliciendum.

Legatis ab eodem ad sedem Apost. pro constituenda cum ecclesia concordia oratoribus.

Fredericus autem prædictus, duritiem cordis emolliens, & nostris exhortationibus acquiescens, ob reverentiam nostram & sanctæ matris ecclesiæ solemnes suos nuncios dilectos filios nobiles viros comitem Ugonem de Empuriis vicecomitem Basæ marescallum, Fredericum de Incisa militem magistrum rationalem, & discretum virum Bartholomæum de Insula judicem curiæ Frederici prædicti, ad nos cum devotionis spiritu, & placabili humilitate transmisit, cum certo procuratorio sufficienter instructos, super reformatione prætacta, & distinctis capitulis ejusdem Frederici noto sigillo sigillatis a tergo, quæ in archivio ecclesiæ prædictæ servari mandavimus, continentibus suppletionem & reformationem pariter multorum, quæ series jam dicti tractatus pacis omiserat, & quæ minus provide deducta fuerant in eodem. Ipsius quippe tractatus formam seriosam & integram in prima sui substantia & figura pro cautela præsentibus inseri jussimus, ut illius reformatio evidentius elucescat. Cujus pacis tractatus, series tenoris est per omnia & continentiæ subsequentis, &c. Adducit Friderici Regis diploma initi cum Carolo Valesio & Roberto duce Calabriæ fœderis leges continens, iisdem conceptum verbis, quibus a nobis superiori anno allatum est, subiicitque.

XXV. Quænam in tractatu superiori ab æquitate abhorrerent. Permissum fuisse Frederico, ut nullum Trinacriæ supremum dominum agnosceret.

Et quia in præmisso tractatu continebatur improvide, quod Fredericus idem totam ipsam insulam cum omnibus insulis sibi adjacentibus, ac omnibus juribus, jurisdictionibus, honoribus, & pertinentiis suis in tota vita sua haberet, teneret, & possideret in capite liberam & absolutam; ita quod exinde ad servitium aliquod reale, vel personale alicui nullatenus teneretur: quod proculdubio in grave nostrum & ejusdem ecclesiæ præjudicium redundare valebat in posterum, & regis Siciliæ memorati; ac ex nunc redundabat evidenter in diminutionem & subtractionem reverentiæ & subjectionis, pariter pro ipsis insulis debitæ nobis, & eidem ecclesiæ majoris dominii ratione; ut effective ipsa reformatio sequeretur, promiserunt nobis & ipsi ecclesiæ jam dicti nuncii pro parte Frederici prædicti solemniter & expresse, idque similiter prætacta capitula exponunt evidenter, & eidem promissioni consentiunt, quod Fredericus ipse prædictam Siciliæ insulam, cum insulis ei adjacentibus, omnibusque prædictis aliis juribus, & pertinentiis suis in vita sua habebit, tenebit, & possidebit, a nobis, & sub nobis, & eadem ecclesia; & erit vassallus & censuarius ipsius ecclesiæ pro illo jure, quod idem Fredericus in ipsa insula Siciliæ, dicta sua vita durante, noscitur obtinere: & ex

Composita res ab oratoribus, ut ecclesiæ fiduciarius esset. Spopondere illius nomine vectigal annuum.

& ex nunc ejus nomine præfati nuntii promiserunt bona fide, tenere sub annuo censu trium millium unciarum auri, ad generale pondus regni Siciliæ in festo beati Petri, ubicunque Romanus Pontifex fuerit, nobis & ipsi Romanæ ecclesiæ per eundem Fredericum, dum vixerit, annis singulis solvendarum, & sub servitio centum militum equis & armis munitorum decenter & bene, quandocumque nos vel successor noster Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit in vita Frederici prædicti, asseruerit eis ecclesiam indigere Romanam; ita quod super indigentia hujusmodi nostro & ipsius successoris simplici verbo stetur. Qui quidem centum milites, quorum quilibet habeat tres equitaturas ad minus, cum expensis Frederici prædicti per tres menses integros semel in anno servire nobis & eidem ecclesiæ teneantur. Et si nos vel successor noster jam dictus, ipsius Frederici vita durante, voluerimus dictum militare servitium in navale converti, debita proportione ac compensabili taxatione præhabita, idem militare servitium in navale sufficiens ad obsequium nostrum & ejusdem ecclesiæ, juxta nostrum & dicti successoris beneplacitum, converteretur.

Tribus mensibus centum equites, suis alendos stipendiis, postulanti Pont. submittere.

XXVI. Eorum loco naves instruere.

Quod si per Fredericum prædictum, dum vixerit, in prædicti census trium millium unciarum fuerit suo termino solutione cessatum, in illas spirituales & temporales pœnas Fredericus prædictus incidat, quæ in conventionibus primo initis inter Romanam ecclesiam, & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, ac memoratum Regem Siciliæ ipsius filium, præterea in capitulo solutionis & cessationis census, servato ordine in eodem expresso capitulo, continentur. Pro quibus utique recognitione & promissione prætactis efficacius roborandis prædicti nuncii ejusdem nomine Frederici nobis & eidem ecclesiæ pro illo jure, quod in ipsa insula Siciliæ cum prædictis juribus & pertinentiis suis idem Fredericus, sicut prædicitur, est habiturus ad vitam, ligium fecerunt homagium, & fidelitatis præstiterunt solitum juramentum. Promiserunt etiam prædicti nuntii pro parte & nomine Frederici jam dicti nobis & ecclesiæ Romanæ præscriptæ, subtus annexa sequentia, in memorato tractatu pacis omissa, quæ prætacta nostra reformatio per adjectionem utilem reparavit: videlicet quod idem Fredericus tenebit & habebit inimicos nostros & Romanæ Ecclesiæ pro inimicis suis, & amicos nostros pro amicis habebit: quinimo prædictos inimicos nostros & ejusdem ecclesiæ ad nostrum & ipsius mandatum intendit persequi toto posse; quodque Fredericus ipse restituet, & restitui faciet omnes ecclesias prædictæ insulæ Siciliæ & aliarum insularum circumjacentium, si forte adhuc restitutæ non sunt, plenarie & cum effectu ad omnia bona, & jura ipsarum, in quorum possessione erant eo tempore, quo insula memorata Siciliæ contra dictum quondam Regem Carolum rebellavit; per quoscunque præfata bona & jura ablata & occupata fuissent vel sint, ac detinerentur vel detineantur ad præsens, nisi forte infra prædictum tempus aliqua justa alienatio per personas auctoritatem habentes inde juste & rationabiliter facta esset; & quod omnes prædictas ecclesias, & personas ecclesiasticas ecclesiarum ipsarum Fredericus idem libertatibus, privilegiis, & immunitatibus, a sacris canonibus eis concessis, & specialiter, quod immunes sint a collectis & talliis, gaudere faciet & permittet: & quod Romanus populus, cum indigebit, ad requisitionem nostram vel successoris prædicti, ejusdem Frederici vita durante, de portubus Siciliæ possit extrahere victualia, & legumina, deferenda ad Urbem pro ipsorum usibus, cum solutione tamen juris exituræ, quod solvi per ejusdem Frederici curiam ordinatur. Nobis vero & dicto successori, ejusdem Frederici vita durante, quando indigeremus nos, aut ipse successor, sive prædicta ecclesia, præcipue pro subsidio Terræ sanctæ, in hujusmodi necessitatum casibus, vel aliquo eorumdem, licitum erit & liberum extrahi facere anno quolibet, prætacta necessitate durante, de prædictis Siciliæ portubus salmarum frumenti decem millia libera a jure quolibet exituræ, & alterius cujuscumque districtus, ferenda quo nos vel ipsa ecclesia mandaverimus juxta nostræ beneplacitum voluntatis.

Fidem Bonifacio ut supremo Trinacriæ domino obstrinxere.

Dictæ aliæ a Bonifacio leges Frederico. Eosdem hostes & amicos quos haberet ecclesia agnoscere.

Ecclesias pristinis juribus, quæ ante Siculorum rebellionem obtinebant restituere.

Tueri ecclesiasticos.

Vectigalibus liberos pronuntiare.

Permittere frumenta pro Rom. pop. efferri.

Et pro re Syriaca, si instauranda visa fuerit.

Pro parte quoque Frederici prædicti in eorumdem nunciorum promissione venit, quod si aliqua dubietas vel contentio emergeret in præscripto tractatu pacis vel circa ipsum, nos seu successor noster prædictus inde tamquam communis dominus cognoscamus; quodque omnia & singula contenta in prætactis conventionibus, habitis inter Romanam ecclesiam & prædictum quondam Carolum Regem Siciliæ tam affirmative quam negative, quæ in faciendo, & non in faciendo consistunt; idem Fredericus plene & integre observabit, prout ipsum contingunt, & contingere possunt tempore vitæ suæ. De quibus omnibus & singulis complendis integre, & servandis inviolabiliter per Fredericum jam dictum, prædicti nuntii, ad hoc plenam potestatem habentes, in ipsius animam præstiterunt ad sancta Dei Evangelia juramentum. Supplicaverunt itaque nobis præfati nuntii, ad hoc plenam potestatem habentes, pro parte Frederici prædicti cum reverentia debita, & devota humilitate, ut cum Fredericus ipse in spiritu sinceritatis integræ, ac devotionis internæ ad nostra & ejusdem ecclesiæ mandata redierit, & circa reformationem prædicti tractatus pacis obedienter ac prone descenderit, & obedientius in

XXVII. Si qua in tractatu dubia suboriri contigerit, de iis sedem Ap. cognituram.

Servaturum summa religione Frederic. quæ ipsum inter & Carolum sancita sunt. Præstitum illius nomine ab oratoribus admota evangeliis manu, sacramentum.

in futurum noſtris & ipſius eccleſiæ beneplacitis ſe coaptare diſponat; tractatum ipſum cum reformatione præſcripta confirmare benigne de auctoritate ſedis Apoſtolicæ dignaremur.

Confirmatus a Bonif. adjectis iis capitibus ſuperior tractatus.

Nos igitur, prævisa circumſpectione librantes, quid belli calamitas inferat, quid fremens diſſidium introducat, quid revera proxima tempora præteritæ turbationis oſtendunt, quid pacis grata lenitas afferat, quid quies populis opportuna producat; quantumque pax ipſa, ut opus juſtitiæ regnantibus expedire noſcatur, in cujus opulenta temperie viget ipſa juſtitia, & ſine repugnantis obſtaculo oſtenditur efficaciter virtus ejus; quodque Fredericus ipſe, reverenter ſe ad beneplacita noſtra conformans, in primitiviis ſuæ converſionis auſpiciis ſigna devoti filii prudenter oſtendit; prædicti Caroli Regis Siciliæ ad hoc præcedente conſenſu, per nos inde licentia ſibi data, de cujus conſenſus proceſſu per venerabilem fratrem noſtrum Petrum Novimenſem epiſcopum cancellarium, & nobilem virum Bartholomæum de Capua legotbetam & protonotarium regni Siciliæ prædicti Regis procuratores & nuncios, ſuper hoc ſufficienter inſtructos, nobis expreſſe conſtitit, præmiſſum tractatum pacis cum reformatione præſcripta, ejuſque ſubſtantiam & effectum ex certa ſcientia ratificamus, approbamus, & confirmamus de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu; diſceptante ſolummodo dilecto filio noſtro Matthæo S. Mariæ in Porticu diacono Cardinali, qui non conſuluit, nec conſenſit. Ita quidem, quod per tractatum ipſum, reformationemque præfatam, & per hujuſmodi reformationem noſtram, ac dicti Regis aſſenſum conventionibus ipſis, initis inter Romanam eccleſiam & prædictum quondam Regem Siciliæ, quibus ipſum regnum Siciliæ & terra alia citra Farum prohibetur dividi, nullum præjudicium mutilatio vel diminutio afferat, quin prædicto Frederico defuncto jam dicti inſulæ Siciliæ cum inſulis ei adjacentibus, omnibuſque aliis prædictis juribus ac pertinentiis ſuis ad integritatem, unitatem, & ſoliditatem alterius partis dictæ terræ, citra Farum poſitæ, ſicut erat conceſſionis tempore factæ per Romanam eccleſiam prædicto quondam Carolo Regi Siciliæ de regno & terra prædictis, & tempore motæ guerræ in inſula prælibata Siciliæ ipſo jure, & ſine aliquo facto hominis juxta dicti tractatus ſeriem pacis revertatur; ſic quod liceat tunc prænominato Regi Siciliæ & legitimis heredibus ſuis dictam inſulam Siciliæ cum inſulis ei adjacentibus, aliiſque prædictis juribus & pertinentiis ejus ad integritatem, & ſoliditatem prædictæ terræ alterius citra Farum, & unitatem totius regni Siciliæ auctoritate propria, & ſine juſſu alicujus præſidentis ſeu judicis alicujus revocare prædictis conventionibus inter Eccleſiam Regemque prædictos habitis, ac tractatu pacis præfato in ſua perpetuo manentibus firmitate. Et quia in prædicto pacis tractatu venit, quod Fredericus ipſe in vita ſua, qua inſulam tenere, poſſidere, & habere debet eandem, vocari ſeu intitulari debeat Rex inſulæ Siciliæ vel Trinacriæ, prout prænominatus Rex Siciliæ duxerit arbitrandum, præfati cancellarius & legotheta debita circa hoc poteſtate ſuffulti, nomine & pro parte dicti Regis Siciliæ, cujus ſunt procuratores & nuntii, de beneplacito & aſſenſu noſtro elegerunt & arbitrati ſunt dictum Fredericum in vita ſua juxta formam tractatus ejuſdem debere Regem Trinacriæ titulari.

Aſſenſere Car. Regis Sicil. oratores.

Et Cardinales Matthæo S. Mariæ in Porticu excepto.

Concеſſum Friderico Trinacriæ Regis nomen.

Quia vero videntur negligi quæ ſunt notabiliter, niſi ſpecialiter exprimantur, declaramus expreſſius, & præſentium auctoritate decernimus de ipſorum fratrum conſilio & aſſenſu, quod nec per declarationem ipſam prædictæ inſulæ Siciliæ terra citra Farum poſita, quæ per memoratam tenutam, quam Fredericus prædictus de ipſa inſula Siciliæ habiturus eſt, in ſua vita contingit; nec per eandem confirmationem noſtram & reformationem prætactam, aut per dicti Regis aſſenſum, vel diſtributionem & receptionem dictorum cenſus & ſervitii militaris, nec per nominationem dicti Frederici factam & faciendam de titulo Regis Trinacriæ, jus ſibi aliquod acquiratur ultra, præter tenutam; ipſamque habiturus eſt in vita ſua, juxta formam prælibati tractatus de inſula Siciliæ memorata. Specialiter autem exprimimus, quod per nominationem ipſam Regis Trinacriæ honori regalis tituli, qui de toto regno Siciliæ ultra Farum & citra apud prædictum Carolum Regem Siciliæ remanet, quemque apud eum remanere volumus, nullum in aliquo, etiam quantum ad vulgi labia, præjudicium afferatur; nec ex prædictis, vel prædictorum aliquo, eidem Regi Siciliæ, aut heredibus ſuis ultra tempus poſſeſſionis & tenutæ prædictæ in proprietate, poſſeſſione, ac jure ipſius inſulæ Siciliæ & pertinentiarum ejus, ad quanticunque temporis ſpatium, ſæpe dicti Frederici vita pendente diſpendium ſeu præjudicium aliquod quomodolibet generetur: cum poſſeſſionem prædictæ inſulæ Siciliæ & pertinentiarum ipſius, quam ex præmiſſis recognitione, præſtatione homagii, & juramenti fidelitatis factis jam nobis & eidem eccleſiæ pro parte Friderici jam dicti per nuntios ſæpedictos, ſolutione cenſus, & præſtatione militaris ſervitii faciendis in antea, prædicti Friderici vita durante, nos & Romana eccleſia retinemus prædicto Regi Siciliæ & ſuis heredibus, tanquam directo & veris feudariis noſtris & ejuſdem eccleſiæ ſpecialiter afferre præſidium, ut dicta noſtra poſ-

Declarat Pont. ſublato ex humanis Friderico, Trinacriam cum citeriore Sicil. in unum regnum coalituram.

XXVIII. Pronuntiatur Friderico nullum jus ex iis præter Trinacriæ, dum vixerit, poſſeſſionem comparatum iri.

Carolo nil juris in utramque Siciliam adimi.

ſeſſio proſit eis, & nulla per aliquos contra ipſos ex prædicta poſſeſſione ſeu tenuta allegari poſſit præſcriptio, vel opponi. Per jam dictas autem promiſſionem & præſtationem cenſus trium millium unciarum auri, & centum militum, quam idem Fredericus in vita ſua eſt nobis & eccleſiæ memoratæ facturus, nolumus hominibus ipſius inſulæ aliquod afferri præjudicium in futurum; ut ſcilicet per hoc inſula ipſa ad prædictas unitatem, integritatem, & ſoliditatem immediate poſt ipſius Frederici obitum, ſicut prædicitur, revertente in finitionibus publicis, aliiſque debitis proteſtationibus gravetur in plus, quam rationabilis & memorata proportio patiatur. Nulli ergo, &c. Dat. Anagniæ XII. kal. junii pontificatus noſtri anno IX.

Nullam præſcriptionem ex Trinacriæ poſſeſſione contra Caroli ſucceſſores valituram.

Conſtitutis iis, Bonifacius cum Frederico, non Romanæ modo eccleſiæ juribus, ut a ſupremo illius dominatu non divelleretur Trinacria, verum & Carolo ac ſucceſſoribus apoſtolica ſanctione proſpexit, ne fraudi & damno ea res verteretur: præterea uſus in Carolum clementia ſtatuit, ut ex octo millibus unciarum auri, cenſus nomine pendendis, tribus deductis perſolvendis a Friderico, quinque tantum millia penderet; atque ex trecentis ſubmittendis equitibus, ac ſuis ſtipendiis in caſtris pontificiis ſuſtentandis, ducentos tantum ſubmitteret: de quibus ad Carolum literæ datæ (*a*).

(*a*) *Eod. l. 9. ep. cur. 32.*

XXIX. (*b*) *Niceph. Greg. hiſt. l. 7.*

Meminit de ſopito bello Siculo Nicephorus Gregoras, (*b*) additque ea occaſione uſum Andronicum Imperatorem ad ſubſidiarias Catalanorum copias e Sicilia in Aſiam contra Turcas evocandas. At de ea expeditione inferius ex eodem & Surita, (*c*) qui in annalibus ſcribit, (*d*) confecto bello Siculo, Jacobum Aragoniæ Regem redigendarum in ſuam poteſtatem Corſicæ & Sardiniæ inſularum conſilium ſuſcepiſſe: quamvis enim antea iis a Bonifacio indutus fuiſſet, Piſanos tamen ac Genuenſes majori ex parte earum potitos; ac Bonifacium ad muniendum rei aſſequendæ iter, Raymundum epiſcopum Valentinum ſedis Apoſt. legatum creaſſe, ut præſules, proceres ac populos ad eccleſiæ voluntatem pelliceret, atque in Regis Aragonum obſequium inflecteret. Conſentiunt iis literæ pontificiæ ad Valentinum epiſcopum (*e*) datæ, quibus ei munus demandatum eſt; tum ad Sardos & Corſos, (*f*) ut Regis Aragonum clientelæ ſe committerent; tum denique ad Piſanos (*g*) & Genuenſes, (*h*) ut utriuſque inſulæ imperium Jacobo Regi reſtituerent.

(*c*) *Surit. ind. l. 2.*
(*d*) *Ib. annal. l. 5. c. 60.*
Jacobus Rex Arag. Sardiniæ & Corſicæ ſibi ſubiiciendarum conſilium ſuſcipit.
(*e*) *Lib. 9. ep. 87. ad 92.*
(*f*) *Reg. poſt ep. 87.*
(*g*) *Ib. ep. 91.*
(*h*) *Reg. poſt eand. ep.*

Dilectis filiis poteſtati, capitaneo, antianis, conſilio, & communi Piſanis.

Tanquam diſcretionis fulti conſilio tam in arduis, quam in aliis quibuſcunque negotiis prudentiæ veſtræ proceſſus conſuevi-

Moniti a Bonif. Piſani, ut eas ipſi reſtituant.

ſtis provida circumſpectione dirigere, ac ſpecialiter ſanctam Romanam eccleſiam matrem veſtram tam in ſeipſa, quam in charis ejus, quos ipſa dilectionis prærogativa proſequitur prævenire honoribus, & favoribus confovere. Propterea non indigne confidimus, quod ſuper iis, quæ veſtræ ſinceritati ſcribuntur, mentem noſtram filialibus obtutibus contemplantes, efficaciter quæ ſcripta continent impleatis, cum in vobis vigor devotionis ſolitæ augmentum ſuſcipiat, ut ſperamus potius, quam lenteſcat. Sane, ſicut veſtram credimus non latere notitiam, nos dudum ad chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Jacobum Aragoniæ, Sardiniæ, & Corſicæ Regem illuſtrem dirigentes noſtræ conſiderationis intuitum, ſibi tum de regione diſſimilitudinis redeunti, quem ſuæ devotionis ſinceritas ad eccleſiam prælibatam, a cujus unitate receſſerat, quaſi novum adoptionis filium nobis placidum reddidit atque charum, regnum Sardiniæ & Corſicæ, quod ipſius eccleſiæ juris & proprietatis exiſtit, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis in feudum duximus concedendum.

Cum autem idem Rex ad honorem eccleſiæ memoratæ intendat, ut aſſerit, ad ejuſdem Sardiniæ & Corſicæ regni poſſeſſionem, quam nondum adeptus extitit, corporaliter obtinendum potenti manu procedere, noſtrumque ſibi favorem & auxilium ſuper hoc petiverit impertiri, nos hujuſmodi felicem conſummationem negotii ad promotionem honoris & exaltationis eccleſiæ ſupradictæ, ac recuperationem Terræ ſanctæ, quæ proſpicitur, prob dolor! depopulatione deſerta non modicum cedere attendentes, venerabilem fratrem noſtrum Raymundum epiſcopum Valentinum, de cujus induſtria & circumſpectione confidimus, legatum in dicto regno propterea duximus deputandum, ut ſpiritualis auxilii circa hujuſmodi negotium ſollicitudo non deſit; ſed in ipſius proſecutione poteſtas ſacerdotalis & regia ſe præſentialiter alterno munere foveant, & favore mutuo muniantur. Verum cum in dicto negotio, quod charum cordi gerimus, opera & ſtudia veſtra neceſſaria dignoſcantur, univerſitatem veſtram paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus præmiſſis provida meditatione penſatis: & attendentes nihilominus, quod per hoc vobis plurimum in gratia & dilectione noſtra dictique Regis accreſcet; velitis eidem Regi ad id veſtrum auxilium, conſilium, & favorem liberaliter ac efficaciter impertiri, a contrario penitus abſtinentes. Sic itaque tam pro noſtra & Apoſtolicæ ſedis reverentia, quam conſideratione Regis ejuſdem in hac parte circumſpectio veſtra devote, amicabiliter, & conſulte prospiceat, quod præfatum Regem ad veſtra conſtituatis proceſſu temporis beneplacita debitorem, & nos qui vobis ex animo ſcribimus, de-

vo-

Datæ ad Genuen. eæd. lit. Mutatis ſtudiis expeditionem differt Aragonius. (a) Surit. annal. l. 5. c. 62.

votionis veſtræ promptitudinem exinde commendare cum gratiarum actionibus merito valeamus. Dat. Laterani XII. *kalen. maii anno* IX. Conceptæ ſunt iiſdem verbis literæ ad Genuenſes, qui earum inſularum partem ſuo dominatui adjunxerant. Cum vero utraque reſpublica tueri armis ſua jura parata eſſet, retardata tunc illius expeditionis conſilia ſcribit Surita (*a*), cum Jacobus Rex metueret, ne a Caſtellæ Rege bello peteretur; ac prius de Murciano regno controverſiam ſopiendam viſam.

XXX. Cum in Hiſpaniæ res incurrerit oratio, prætermittere non poſſum, Ferdinandum Caſtellæ Regem, qui ob eccleſiaſtica vectigalia direpta cenſuris fuerat irretitus, veniam flagitaſſe, ac Toletano archiepiſcopo datam provinciam, (*b*) ut eo religionis nexu illum ſolveret.

(*b*) Lib. 9. ep. cur. 136. Ferdinandus Rex Caſt. ſacras opes occupat.

Archiepiſcopo Toletano.

Adinſtar Altiſſimi, qui ſemper eſt gratioſe miſereri paratus, benignitas ſedis Apoſtolicæ circumſpecta, ſe cunctis propitiam exhibens, non ſeveram, miſericordiæ ſuæ gremium delinquentibus aperit, dum ab ipſa veniam reverenter implorant, ac eos abſolvit libentius quam condemnet. Dudum ſiquidem, ad audientiam apoſtolatus noſtri deducto, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Fernandus Rex Caſtellæ ac Legionis illuſtris per ſe ac per alios bona eccleſiarum cathedralium de regnis Caſtellæ ac Legionis vacantium prætextu cuſtodiæ, quam progenitores ſuos ab olim in illis exercuiſſe dicebat, ſeu potius uſurpaſſe, quamdiu vacabant accipiebat & detinebat, ac ipſorum bonorum fructus, reditus, & proventus percipiebat illicite, eos in uſus proprios convertendo; nos volentes Regis ejuſdem ſaluti conſulere, ac prædictarum eccleſiarum indemnitatibus in poſterum præcavere, inter cætera ſtatuendum duximus per literas noſtras, & diſtrictius inhibendum, ne idem Rex ulterius ad hujuſmodi bona & fructus cathedralium eccleſiarum vacantium regnorum eorumdem hujuſmodi prætextu cuſtodiæ, vel alias illicite extenderet quomodolibet manus ſuas, vel per ſuos extendi faceret, ſeu permitteret: ſed ipſa bona & fructus per capitula earumdem eccleſiarum, quamdiu vacarent, teneri & percipi abſque difficultate permitteret, futuris eccleſiarum ipſarum paſtoribus reſervanda: alioquin ipſum, & prædictos ſuos, qui contra ſtatutum, & inhibitionem noſtram hujuſmodi temere attentarent, vel ea non ſervarent, excommunicationis ſententiam, quam ex tunc protulimus, decrevimus incurſuros. Civitates quoque, caſtra, villas, aliaque loca ipſorum regnorum, in quibus idem Rex vel alii prædicti, aut eorum aliqui morarentur, & ad quæ pervenirent, quamdiu ſic ligati ſtarent in ipſis, eccleſiaſtico ſubjecimus interdicto. Poſtmodum autem epi-

Admonetur a Bonifacio ut manus ab iis temperet.

Reſpuenti imperia objectæ cenſuræ.

ſcopatu Zamorenſi vacante per obitum bonæ memoriæ Petri epiſcopi Zamorenſis, idem Rex, ſicut ipſe nobis per ejus nuntium, procuratorem, ac literas intimavit, quorundam conſiliariorum ſuorum, & aliorum conſilio pravo ductus bona ipſius eccleſiæ Zamorenſis, hujuſmodi prætextu cuſtodiæ, propria auctoritate per ſuos familiares & nuntios accepit, & aliquandiu tenuit, & aliquos fructus, proventus, & reditus percepit, ſeu fecit, vel permiſit percipi ex eiſdem. Sed demum ſuper præmiſſis ad cor pœnitudinis rediens, bona, & fructus eadem decano, & capitulo, & eccleſiæ Zamorenſi reſtituit, ſeu reſtitui fecit cum effectu.

Zamorenſis eccleſiæ vacantis bona ab eo occupata.

Reverſus ad officium Ferdinandus criminis veniam flagitat.

XXXI. *Cum igitur præfatus Rex ſuper iis ad noſtra, & eccleſiæ Romanæ mandata per hujuſmodi ſuos nuntium, procuratorem, & literas humiliter redire curaverit, manſuetudinem & miſericordiam a nobis ſuper illis reverenter implorans; nos de hujuſmodi ejuſdem Regis converſione lætati, fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi reſtitutio prædictorum bonorum, fructuum, & redituum, ut præmittitur, ſecuta ſit, vel ſequatur prædicto Regi, & aliis qui fuerunt culpabiles in præmiſſis, cum ab iis ſuper hoc fueris humiliter requiſitus, per te, vel alium ſeu alios, auctoritate noſtra juxta formam Eccleſiæ ab excommunicatione, quam propterea incurrerunt, beneficium abſolutionis impendas, injuncta eis nihilominus pro prædictis, prout animarum ſuarum ſaluti expedire videris, pœnitentia ſalutari. Dat. Anagniæ id. julii anno* IX.

Data Toletano archiep. provincia ut expiato crimine, ipſum cœtui fidelium reſtituat.

XXXII. Hoc anno in Urbe exarſere non leves controverſiæ inter religioſos cœtus & clerum, cum illi clericorum munera affectarent, ac viciſſim iſti injurias reponerent: quæ ita a Bonifacio diremptæ fuerunt, (*c*) ut religioſi viri a defunctorum heredibus invitati ad exequias pergant: morientibus ſacramenta non adminiſtrent: poſſint in ſuis eccleſiis ad ſepulturam eos admittere, quibus lege canonica interdictum non ſit: non arceantur ab audiendis confeſſionibus, habendis ſacris concionibus, atque eleemoſynis excipiendis: ne in aliorum eccleſiis ſine facultate confeſſiones audire præſumant: ne parochi euchariſtiæ & extremæ unctionis ſacramenta iis negent, qui apud religioſum ſacerdotem conſcientiam expiaſſent: ſi quid controverſiæ oriretur, res tota pontificii in Urbe vicarii arbitrio permitteretur. Præterea academiam Romæ inſtauravit (*d*), ut quæ tot aliis ornamentis abundabat, literarum quoque gloria floreret, ac plures prærogativas ad academiæ decus augendum contulit. Nec Romæ modo, ſed in aliis etiam urbibus, ut Firmi (*e*) & Avenione (*f*) gymnaſia excitavit.

XXXII. Controverſiæ inter monachos & clericos compoſitæ.

(*c*) Bonif. l. 9. ep. 190. extat etiam inter extravag. De ſepultur. cap. ſuper cathedram.

Inſtitutæ a Bonif. academiæ.

(*d*) lb. ep. 78. extat in bullar. in Bonif. VIII.

(*e*) Ext. ib.

(*f*) Lib. 9. ep. 138.

Age.

XXXIII. Agebat tunc in Galliis Joannes tit. SS. Marcellini & Petri presbyter Cardinalis Apoſtolicæ ſedis legatus, cui ut pravam quamdam conſuetudinem, quæ in nonnullis eccleſiis irrepſerat, adimeret, provinciam commiſit: (*a*) *Significaſti nobis*, inquit, *quod quamplures clerici in partibus Regni Franciæ, ad quas a nobis pro magnis & arduis eccleſiæ Romanæ negotiis noſceris deſtinatus, non promoti ad aliquem ſacrum ordinem, induti tunicella & manipulo per ſimplicitatem in miſſarum ſolemniis epiſtolam cantaverunt, & patenam in manibus tenuerunt. Nos itaque volentes ſuper iis eorum in hac parte providere ſtatui & ſaluti, diſcretioni tuæ præſentium auctoritate concedimus, ut circa tales ſuper hoc auctoritate noſtra provideas hac vice, prout tuæ providentiæ fore videbitur opportunum. Dat. Laterani* IV. *non. martii anno* IX.

(*a*) Ead. l. 9. ep. cur. 2. Repreſſi nonnulli in Galliis abuſus.

XXXIV. Quod ad magnam illam & arduam rerum molem, ob quam Joannes Cardinalis presbyter tit. SS. Marcellini & Petri in Gallias legatus fuerat, attinet; e pontificii regeſti literis (*b*) & MS. alio Vaticano (*c*) conſtat, conciliandæ ſuperiori anno ſubortæ controverſiæ provinciam ipſi demandatam traditaque ſubjecta rerum capita, Francorum Regi proponenda, quæ hiſce verbis concepta ex eodem MS. affero.

Joannes Card. de ſopienda controverſia inter Pont. & Philip. agitat.

(*b*) Lib. 9. ep. 216.

(*c*) MS. Vat. ſign. n. 4177. p. 7.

Super revocatione conſtitutionis, prohibitionis, præcepti, & impedimenti cujuſlibet præſtitorum, directe vel indirecte, per magnificum principem Philippum Francorum Regem illuſtrem, & per ſeneſcallos, ballivos, officiales, & familiares ſuos venientibus ad Romanam curiam ſeu redeuntibus ab eadem, ſpecialiter venerabilibus fratribus noſtris archiepiſcopis, epiſcopis, & dilectis filiis electis, abbatibus, & capitulis eccleſiarum cathedralium, & magiſtris in theologia, & in jure canonico & civili, & aliis perſonis eccleſiaſticis dicti regni vocatis a nobis, quod in kalendis novembris proxime præteritis noſtro ſe conſpectui præſentarent; & ſuper amotione cujuſlibet occupationis factæ per eum, vel de mandato ejus, aut aliquem prædictorum, & ſatisfactione plenaria impendenda; non obſtantibus quibuſcumque pœnis, mulctis, comminationibus, ſeu proceſſibus per ipſum Regem factis, vel auctoritate ipſius. Item ad denuntiandum eidem, quod in quibuſcumque eccleſiaſticis beneficiis conferendis, vacantibus in curia, vel extra curiam Romanus Pontifex legitimam & potiorem obtinet poteſtatem, & poſt collationem cujuſvis beneficii collati in ipſis, vel eorum aliquo non poteſt alicui jus acquiri ſine auctoritate vel conſenſu Apoſtolicæ ſedis tacitis vel expreſſis. Item ad denunciandum, vel declarandum eidem, quod Romanus Pontifex legatos de latere ac nuntios libere mittere poteſt ad quævis imperia, regna, vel loca, prout vult abſque petitione cujuſlibet vel conſenſu, uſu vel conſuetudine contrariis nequaquam obſtantibus.

Mittendis legatis vel nuntiis.

Item quod eccleſiaſticorum bonorum, & proventuum adminiſtratio non quibuſvis laicis, ſed perſonis eccleſiaſticis noſcitur attributa: & quod ſumma poteſtas adminiſtrationis & diſpenſationis eorum ad Apoſtolicam ſedem ſpectat; & quod ipſa ſedes, nullorum requiſitis aſſenſibus, de illis diſponere poteſt, & nunc centeſimam, nunc decimam, ſeu quamvis quotam imponere, petere, & exigere, prout viderit expedire. Item quod ipſi Regi, aut aliis principibus, ſeu laicis quibuſcumque non licet cenſere vel occupare bona eccleſiaſtica vel jura in caſibus non conceſſis ab homine vel a jure, vel prælatos ſeu alias perſonas eccleſiaſticas ſuper perſonalibus actionibus, juribus, ſeu immobilibus bonis, quæ ab eis non tenentur in feudum ad ſuum judicium trahere & arctare, aut inqueſtas facere fieri, aut quomodolibet detinere. Quomodo etiam impeditur ſpiritualis gladius prælatorum, ut eo libere uti non poſſint, & ſpecialiter in monaſteriis ſive locis, quorum guardiam Rex ipſe recipit, aut prædeceſſores ipſius.

Eccleſiaſticarum opum adminiſtratione.

Exigendis decimis.

Non occupandis bonis eccleſiaſticis.

Item quod in præſentia dicti Regis, nec ſicut potuit prohibentis, multis præſentibus bulla noſtra & literæ, quibus erat appenſa, cum imaginibus beatorum Petri & Pauli & nomine noſtro ſculpto in ipſa, combuſtæ & deſtructæ fuerunt in dictæ ſedis contumeliam & contemptum; per procuratorem idoneum cum ſufficienti mandato compareat coram nobis ſuam, ſi poterit, innocentiam oſtenſurus, & noſtris pariturus beneplacitis & mandatis: & quomodo nos concepimus revocare omnia privilegia bullata & prædeceſſorum noſtrorum ſibi, liberis, fratribus, & poſteris, aut officialibus ſuis conceſſa, at pœna tanti facinoris tranſeat poſteris in exemplum. Item quod guardia & cuſtodia eccleſiarum cathedralium vacantium, quas vocant regalia per abuſum, non abutatur; nec vacationis tempore extendat manus ad cædendas ſilvas non cæduas, vel ad vacuanda ſeu deſtruenda vinaria, & ad alia illicita eccleſiis ipſis damnoſa, quodque habitationes, domus, & maneria non depereant; ſed in ſtatu congruo conſerventur, & maſſariæ ovium & aliorum animalium debito teneantur in ſtatu; & deductis expenſis opportunis, neceſſariis, & moderatis ad cuſtodiam ſeu guardiam & perceptionem proventuum, quod reſiduum fuerit reſervetur futuris prælatis reſignandum; & quod qui ſecus fecerit, non ſolum coram competenti judice, ſed etiam in tremendo judicio cogetur reddere rationem. Item de gladio ſpirituali reddendo prælatis & perſo-*

De non diſſipandis bonis eccleſiarum.

Reſtituendo epiſcopis gladii ſpiritualis uſu.

Sacerdotiorum conferendorum jure ad eam ſpectante.

sonis ecclesiasticis, non obstantibus privilegiis sibi, liberis, fratribus, & posteris suis, aut officialibus suis concessis cum Non obstantibus & clausulis opportunis.

Non defraudanda moneta.

Item aperiendi sunt oculi Regis super mutatione monetæ, bis a temporibus paucis factæ in magnum damnum prælatorum, ecclesiarum, baronum, & ecclesiasticarum personarum & sæcularium; & quomodo ad restitutionem tenetur, & quod faciet emendari. Item revocanda est memoria super suis & suorum malefactis & excessibus, de quibus fit mentio in litera nostra clausa, quam portavit dilectus filius Jacobus notarius noster. Pluribusque interjectis de Lugdunensis principatus controverso jure, quod Bonifacius ad archiepiscopum & clerum Lugdunensem spectare contendebat, concludit: *Item expresse denunciandum est Regi per Cardinalem eundem, quod si Rex prædicta non correxerit & emendaverit taliter infra certum tempus, quod & nos & Apostolica sedes merito contentemur, quod a nobili viro Carolo Andegaviæ comite fratre ejus, & ab ejusdem Regis nuntiis datum est nobis intelligi, ex tunc nos & sedes eadem super præmissis providebimus statuendo, ordinando, declarando, & procedendo spiritualiter, & temporaliter, prout & quando videbimus expedire.*

Emendandis præteritis facinoribus. Lugdunensis ecclesiæ jure.

Cum hæc Philippo Regi proposita fuissent, ad singula e suorum consilio respondit. (a) Quæ cum non placuissent Bonifacio, questus est (b) apud Carolum Valesium comitem, Philippi Regis fratrem, qui concordiæ interpretem se fore spoponderat, injecta ab ipso spe & expectatione delusum fuisse, minasque in Regem, ni obsequens esset, intentavit.

(a) Superiori ep. 16.
(b) Ibid.

Carolo comiti Alanzonensi.

Literas dilecti filii nostri Joannis tituli SS. Marcellini & Petri presbyteri Cardinalis nuper accepimus, continentes responsiones, quas magnificus princeps Philippus Franciæ Rex germanus tuus ad articulos fecit, quos Cardinalis prædictus ex parte nostra præsentavit eidem. Quibus diligentius intellectis, & attentius perscrutatis, & in maturam deliberationem cum fratribus nostris deductis, mirati fuimus plurimum, & valde commoti, quia responsiones eædem certæ & exanimatæ veritati contradicunt; nec rationi congruunt, nec consonant æquitati, nec sunt tales, neque reperimus in eis illa, de quibus debeamus merito contentari, secundum fiduciam quam venerabilis frater noster P. Antisiodorensis episcopus & tu dedistis nobis, quando recessistis de Romana curia, in Franciam redituri: unde ipsi Cardinali rescribimus, quod de responsionibus ipsis, sicut nec debemus, minime contentamur. Ad hæc nolumus te latere, quod nisi Rex ipse responsiones hujusmodi sic corrigat & emendet, quod exinde merito contentemur, cum contra Deum non sit homini deferendum, contra Regem eundem spiritualiter & temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus. Datum Laterani VI. *kal. martii anno* IX.

Ad ea respondet Rex. Responsa non admittit Bonifacius. Significat Carolo Valesio, in Philip. divinas humanasque pœnas, ni obsequatur, se cumulaturum.

XXXV. Res in atrocem discordiam erumpit. Præmonent Galli præsules Bonifacium.

Non flexit hisce minis summus Pontifex Regem, sed irritavit amplius, intolerandumque videbatur regio consilio, controversum Lugdunensem principatum a Gallica corona Bonifacii sententia divelli. Cum vero politicorum animi ad aliquod grave dissidium invehendum vergerent, præsules Bonifacium, adjectis multis precibus, superiori anno præmonuerant, ut revocandæ concordiæ & scandalis antevertendis operam daret: *Considerantes*, inquiunt, (c) *tam vehementem commotionem, turbationem tam periculosam & gravem, immo gravissimam Regis, baronum, & aliorum laicorum regni prædicti; & jam cognoscentes apertius, quod antiqui hostis, pacis æmuli zizaniæque satoris, qui a suæ principio ruinæ conatur, ut ecclesiasticæ unitatem pacis turbatione rescindat, charitatem vulneret, sanctorum dulcedinem operum invidiæ veneno fellis inficiat, humanumque genus evertat omnibus modis & perturbet, faciente nequitia, fœderis, unitatis, & amicitiæ singularis, quæ inter sæpedictam Romanam ecclesiam ac præfatum dominum nostrum Regem ac prædecessores ipsius & regnum, ad laudem Altissimi, fidei Christianæ profectum, & tam ecclesiæ quam Regis & regni honoris & exaltationis incrementa felicia hactenus viguerunt, dissolutioni & separationi flebili & lugubri, proh dolor! orta patent, ac insurgunt undique frementia scandala, crescunt angustiæ ecclesiis ecclesiasticisque personis, expoliationis ac bonorum & rerum direptionis pericula intentantur; & cum abhorreant laici & prorsus fugiant consortia clericorum, eos omnino a suis consiliis, & actionibus abdicando, ac si contra eos proditoriæ factionis conscii, vel participes extitissent, & ad contemnendum censuram ecclesiasticam & processus, si quavis auctoritate fierent contra ipsos, jam se parant & muniunt in grave periculum animarum, & alia varia & diversa pericula, quæ nec lingua referre sufficeret, nec posset scriptura differere, sunt in promptu; ad sanctitatis vestræ prudentiam circumspectam in hoc summæ necessitatis articulo providimus recurrendum, flebilibus vocibus, & lacrymosis singultibus paternam clementiam implorantes, ac supplicantes humiliter, quatenus salubre remedium in præmissis, per quod firmata fide jam longo decursu temporis inter sacrosanctam Ecclesiam, Regem, & regnum, fructuosæ unionis & mutuæ dilectionis integritas in antiquæ charitatis dulcedine consuetus status ecclesiæ Gallicanæ in pulchritudine pacis & quietis optatæ remaneat; prospiciatur nobis, no-*

(c) MS. Vat. sign. n. 4177. pag. 6.

nostrisque statibus circa vestræ prædictæ vocationis edictum, ac prædictis periculis & scandalis obvietur, apostolicæ providentiæ studio, ac paternæ pietatis officio dignemini providere. Conservet Altissimus beatitudinem vestram Ecclesiæ suæ sanctæ per tempora longiora.

Interea cum maledicta in se spargi in Galliis ab adversariis accepisset Bonifacius, pridie kal. maii Albertum Regem Romanorum confirmatum adversus Philippum hoc anno solicitavit (a). Qua re vulgata Parisiis XIII. mensis junii ejusdem anni habitis cleri & procerum conventibus, hæreseos calumnia ac plurium infamia criminum (b) impacta est Bonifacio, atque ab illius sententia, quamcumque is tandem ferret, ad œcumenicum concilium provocatum. Qua de re hæc vitæ Bonifacii scriptor (c): *Philippus Rex Franciæ, gravem præsentiens contra se motum Papæ; considerans quoque, quod prævisa jacula minus feriunt minusque lædunt, suum concilium Parisiis convocavit, omnes prælatos, comites quoque & barones personaliter, omnesque communitates regni per procuratores idoneos, ad se Parisios venire perurgens, consilium & auxilium ab eisdem contra omnes homines petiturus, specialiter contra Papam Bonifacium intentio ferebatur, fitque rumor magnus in toto regno, turbatio cordium, & confusio rerum. Multi autem, qui videbantur esse columnæ Ecclesiæ, metu, aut odio, aut quocumque motu alio sunt concussi, & pauci inventi sunt, qui constanter steterint in aperto. Fueruntque in ipso concilio, Parisiis in ecclesia B. Mariæ congregato, publice objecta crimina ipsi Papæ, & titulus hæresis, nec non suo prædecessore vivente ingressus illegitimus & intrusio ad papatum, & quod ei parendum non esset tanquam hæretico & intruso: fitque ibidem contra ipsum Papam provocatio ad concilium generale. Dehinc mittuntur per regnum ad civitates & collegia regni nuncii ad publicandum in ecclesiis & collegiis prædicta, & ad perurgendum personas ecclesiasticas & religiosas quaslibet, ut appellationibus & processibus hujusmodi interessent, fuitque contra ipsum Papam facta publicatio ubilibet criminum objectorum.*

(a) Bonif. l. 9. ep. cur. 21.
(b) Ibid.
(c) Vit. Bonif. MS. Vall. sign. lit. C. n. 25. & n. 79.

Conflata conjuratio in Pont.

Jactatæ nefariæ calumniæ.

Quæ fuerint ea crimina, dicere non attinet, cum per calumniam conficta exploratum sit politicorum consilio, ne Bonifacii imperia audirentur a Gallis, (d) antequam se is ab objectis criminibus purgasset. Philippi vero Regis ad concilium provocatio his verbis concepta fuit (e). *Licet*, inquit, *pudenda patris cujuslibet proprio libenter pallio tegeremus, ob fervorem tamen catholicæ fidei & devotionem eximiam, quam ad sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem nostram & omnium fidelium sponsam Christi progenitorum nostrorum inhærendo vestigiis gerimus, qui pro exaltatione & defensione ecclesiasticæ libertatis & fidei proprium fundere sanguinem minime dubitarunt; fidei negotio & ecclesiæ statui consuli cupientes, pro vitando dispendio scandali generalis, nequeuntes ulterius, urgente conscientia sub conniventia vel dissimulatione transire, &c.* Concludit demum se a censuris, quas Bonifacius (f) in eum distringere posset, ad concilium appellare. Ausi sunt simile facinus plures principes, cum Romani Pontifices in ipsos ob patrata flagitia animadvertere pararent. Quibus permotus Pius II. in Mantuana synodo edita sanctione defixit quoscunque anathemate, qui a Pontificibus Romanis ad concilia provocarent: qua de re inferius suis locis. Nunc ad Bonifacium redit oratio.

(d) Gaguin. in Philip.
(e) Ext. in to. 9. de schism. MS. Vat. pag. 12.

Provocat a Bonif. Phil. Rex ad futurum concilium.

(f) Ext. in l. 35. bullarum Pii II. pag. 280. & in bullar. in Pio II.

Id provocationis genus damnatum ab ecclesia.

XXXVI. Purgat se a calumniis Bonifacius.

Auditis ille calumniis in se confictis, objecto hæreseos crimine, provocatione ad concilium, aliisque perperam gestis XIII. junii in nefariis Parisiensibus conventibus, plura edicta ad improborum hominum audaciam retundendam tulit: in quibus cum multa adversus Philippum sanciret, illa Clementis V. jussu erasa e regesto fuere, relictis iis tantummodo, quibus Bonifacius objectum hæreseos crimen diluebat, traditam a Christo defendebat auctoritatem, temeritatemque provocationis ad concilium factæ arguebat: quæ nos uti jacent, (g) afferemus. Præcipua porro rerum eo edicto comprehensarum sententia illustratur his verbis, in margine descriptis: *Litera contra processus, & appellationem Regis Franciæ.* Præfixus vero mutilæ sanctioni hic titulus.

(g) Lib. 9. ep. cur. 53.

Ad perpetuam rei memoriam.

Nuper ad audientiam (pluribus erasis, hæc verba servata:) *Sed ubi auditum a sæculo, quod hæretica fuerimus labe respersi? Quis nedum de cognatione nostra, immo de tota Campania unde originem ducimus, notatur hoc nomine?* pluribusque expunctis: *Et ecce Sancti Israel, idest Dei vicarius, hic & Petri successor, cui dictum est: Pasce oves meas. Et: Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram erit solutum & in cœlis: Propter quod qui in navi Petri non est, peribit naufragio; qui in ea est, oportet, quod gubernationis gubernationi subsistat;* rasis aliis.

Nunquid si super hæresi nobis imposita... contra nos petatur a nobis, sine quo congregari non potest generale concilium, istud in exemplum tam detestabile; maxime ut omittamus ad præsens de excommunicatione multiplici, qua imponentes tenentur astricti calumniatoribus malo, ut ex pluri-

Non admittenda nefaria Philippi provocatio.

bus patet præcedentibus, zelo; ao etiam inimicis, aut eis confœderatis, quibus colligati sunt, etiam conoedemus, talitorque fomentum dabimus huic pesti? Nempe quos in aliorum prælatorum persona ex prædictis causis secundum scita canonum repellere deberemus, illos in nostra sine alicujus injuria, si nobis & fratribus nostris videbitur, poterimus merito refutare. Cætera cassa sunt. Dat. Anagniæ XVIII. kal. septemb. an. IX.

Quæ fuerint porro illa, quæ a Clemente concordiæ studio deleta sunt, facile e Benedicti XI. literis colligitur (*a*), quibus Bonifacii acta in Gallos revocavit, traditque ipsum anathemate & interdicto, aliisque censuris Gallos perculisse, illorum hostes amplissimis ad eos magis concitandos privilegiis exornasse; conceſſa vero ab Apostolica sede Gallorum Regibus deleviſse: aggressum seditiones inter Gallos serere, ipsosque præstiti Philippo Regi sacramenti religione liberos pronuntiasse, Gallici regni limites suis circumscripsisse literis, quibus Gallicæ genti gravia mala invexit.

(*a*) Bened. XI. ep. cur. 145.

Galli sacramento fidei Philippo i præstitæ liberati.

Cæterum queſtus est Bonifacius, Nicosiensem archiepiscopum nascentem hanc Pontificem inter ac Regem Francorum discordiam auxisse; atque ubi illum exulceratum in sedem Apostolicam cognovit, in graviores iras concitasse: ob quod scelus illum hoc diplomate dignitate privavit (*b*).

(*b*) Lib. 9. ep. cur. 55.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quando in Ecclesia Dei venerabilis frater noster Geraudus archiepiscopus Nicosiensis, si dici venerabilis, *locum obtinet altiorem, tanto nos & Apostolicam sedem majori deberet studio revereri, summopere præcavendo, ne nos, & sedem eandem offenderet, aut aliquibus injuriis provocaret. Sed ipse, prout accepimus, in reprobum sensum datus, contra sedem prædictam & nos, qui eum ad archiepiscopalem proveximus dignitatem, calcaneum erigere satagendo, mandatum, quod pridem a nobis, dum esset apud sedem prædictam, receperat, ut ad ecclesiam suam accederet, vilipendens nobisque illudens, ad partes Burgundiæ properavit: ibique audito, quod Philippus Francorum Rex a nostra & dictæ sedis reverentia deviabat, nobisque se reddebat rebellem, ad ipsius Regis se præsentiam contulit, ac apud eum & in illis partibus moram trahens, ipsum Regem callidis commentis ad hujusmodi rebellionem instigat, & fovet in ea, ac alias ibidem contra nos & sedem prædictam dolos concinnat, & machinatur quos potest. Nos autem, nolentes quod prædicta Nicosiensis ecclesia sub ejus umbra spiritualiter vel temporaliter dispendium patiatur, seu quod ejusdem ecclesiæ bona, quam taliter contra mandatum nostrum deseruit, perveniant ad eundem; ipsum ab administratione bonorum omnium spirttualium & temporalium dictæ ecclesiæ apostolica auctoritate suspendimus usque ad nostræ & dictæ sedis beneplacitum voluntatis, alias contra eum nihilominus processuri, prout cervicositatis suæ culpa exegerit, nobisque videbitur expedire. Nulli ergo, &c. Dat. Anagniæ XVIII. kalen. sept. an. IX.*

* meretur

Nicosiensis archiep. Philippum Reg. exasperat in Pontificem.

Ecclesiæ administratione deiicitur.

Suspensa vero tunc Gallia ingentis alicujus periculi terrore laborabat (*c*), cum illius hostes ob auctam inter Regem & Bonifacium discordiam magis ferocirent, complureſque ambigerent, Regi ne an Pontifici obtemperandum esset. Maxime exagitati fuere theologiæ & juris utriusque doctores, quorum aliqui, cum regiis voluntatibus se accommodare detrectarent, in exilium pulsi (*d*) sunt: in alios vero Bonifacius commotus diplomate pontificio vetuit (*e*), quemquam ab ipsis laurea doctorali insigniri, donec Philippus Rex in gratiam cum Ecclesia rediisset.

XXXVIII. (*c*) Ep. cur. 55.

(*d*) Ib. ep. 56.

(*e*) Ibid.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedes Apostolica, sicut totus fere orbis facti evidentia didicit, regnum Francorum, ejusque Reges tam antiquis, quam modernis temporibus magnis donavit largitionibus gratiarum, & amplis privilegiis communivit: quæ si Philippus Rex Franciæ in examen debitæ considerationis adduceret, dictam sedem & nos, quos præcipue habuit ad sua beneplacita promptos, liberales in gratiis, & in cunctis opportunitatibus gratiosos, contumeliis non conaretur afficere, nec injuriis provocare; sed ad nos & ipsam ex debito gereret affectum devotionis & reverentiæ specialis. Verum Rex ipse hujusmodi beneficiorum immemor, & gratiarum oblitus, elatus in superbiam, & in reprobum sensum datus, contra nos & sedem eandem tanquam impinguatus reculcitrans, non solum ab ejusdem sedis & nostra se devotione subtraxit, sed se nobis constituendo rebellem, in illam omnium pessimam speciem ingratitudinis incidit, qua pro bonis mala, pro gratiis contumeliæ, ac pro beneficiis maleficia compensantur.

Graves de Philippo querelæ.

Quia vero dictus Rex non solum alios de dicto regno, sed & magistros & doctores, baccalarios & scholares existentes in studiis regni prædicti ad hujusmodi rebellionem secum trahere satagit, & jam eorum aliquos traxit; quos autem trahere non valet, a regno eiicit & excludit prædicto; nos nolentes, quod ob favorem vel timorem ipsius aliqui a nostra & ejusdem sedis reverentia deviantes, & alias minus idonei cathedram possint ascendere magistralem; omnes de regno prædicto, potestatem habentes dandi licentiam, regendi, seu docendi, ac approbandi volentes licentiam hujusmodi obtinere in theologica facultate, ac

Adempta doctoribus concedendæ magistralis laureæ facultas.

ac jure canonico & civili, ab hujusmodi potestate, donec idem Rex ad nostra & ejusdem sedis mandata cum satisfactione debita revertatur, apostolica auctoritate suspendimus; districtius inhibentes eisdem ne interim aliquibus dictam licentiam concedere quoquo modo præsumant; ac decernentes ex nunc irritum & inane, si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Datum Anagniæ XVIII. kal. septembris anno IX.

Bonifaciana sanctio de reorum citatione.

XXXIX. Jactati eadem procella ecclesiarum præsules, quorum nonnulli in Regis sententiam deflexere: constantiores regno amandati. Quo accepto Bonifacius, ad suas partes confirmandas vacantibus ecclesiis præsules imponendi munus sedi Apostolicæ reservavit, (*a*) donec Philippus ipsi conciliatus fuisset.

(*a*) Ep. 57.

Præsules sententes cum Bonifacio ejecti a Philippo

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedes Apostolica &c. ut supra in proxima usque: Quia vero idem Rex præcipue prælatos dicti regni ad hujusmodi rebellionem & indevotionem secum trahere satagit, & jam eorum aliquos traxit, quos autem trahere non valet, a regno eiicit & excludit prædicto; nos nolentes, quod ob timorem vel favorem ipsius, vel alia quacunque de causa in ecclesiis cathedralibus & regularibus dicti regni aliqui præficiantur, qui nobis & dictæ sedi fideles, devoti, & alias idonei non existant; omnes provisiones dictarum ecclesiarum, si quæ forsan vacant ad præsens, vel cum eas vacare contigerit, dispositioni nostræ ac dictæ sedis, donec idem Rex ad nostra & ejusdem sedis mandata cum satisfactione debita revertatur, auctoritate apostolica reservamus; districtius inhibentes omnibus & singulis, ad quos in dictis ecclesiis prælatorum electiones, vel ipsarum electionum confirmationes, aut quæcunque dispositiones pertinent earundem, ne contra reservationem hujusmodi quemquam eligere, seu electionem aliquam confirmare, aut alias de ecclesiis ipsis disponere quoquo modo præsumant; ac decernentes ex tunc irritum & inane, si secus super hoc a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Dat. Anagniæ XVIII. kal. septemb. anno IX.

Reservata sedi Apost. vacantium ecclesiar. collatio.

XL. Dum hæc ac alia superiora Bonifacius in Philippum Regem Francorum antea decernebat, plurave decernere meditabatur, ut pontificiis edictis constringeret reos, quamvis ad eorum notitiam non emanarent, hanc sanctionem tulit (*b*).

(*b*) Lib. ep. cur. 54. & extravag. Rem non no. de dolo & contum.

Ad perpetuam rei memoriam.

Rem non novam aggredimur, neque viam insolitam ambulamus, sed anterioris juris calcatam vestigiis præsentis constitutionis indubitato roboramus suffragio, & inconcusso munimine stabilimus. Est siquidem jam sancitum, quod propositum publicæ ci-

tationis edictum eum arctet, qui impedit, aut facit, etiam se celando, ne ad eum possit pervenire citatio, appareatque contumax, qui sic agit; quodque in albo prætoris hujusmodi edicta proposita suæ jurisdictioni subjectos arceant & astringant magis, quam si voce præconia, quæ innotescit paucis, vel literis citarentur. Jus enim, quod talem modum citationibus posuit, violenter præsumpsisse credendum est, ut quæ in eodem albo tot ipsius albi publicum locum frequentantium oculis paterent legenda ad citati notitiam devenirent. Unde ad præbendam omnibus eorum, quæ sanciuntur plenam lectionem & notionem mandatur, legem tabulis aut lapidibus sculptam sanctissimæ ecclesiæ describi porticibus, & affigi.

Præmissis igitur in debitam considerationem deductis, ac in lance irrefragabilis rationis appensis, nos qui universis, disponente Domino, præesse dignoscimur, volentes per hanc novellam constitutionem nostram aliquid circa prædicta statuta expressius inveniri, declaramus de fratrum nostrorum consilio, & nihilominus hoc edicto perpetuo valituro firmamus & statuimus, ut citationes auctoritate apostolica de quibuscunque personis, undecunque & ubicumque sint, cujuscunque status, dignitatis, vel præeminentiæ ecclesiasticæ vel mundanæ, etiam si imperiali aut regali fulgeant dignitate, præsertim si impediant, vel faciant per se vel alios quoquo modo ne citationes ipsæ ad eos perveniant, ex quacunque causa faciendo ut citandorum domicilia sive loca tute vel libere adiri non possint; cum, prout scriptum est, existimare debeamus an eo ire liceat ubi est citatio facienda; provide ad instar edictorum præfatorum propositorum in albo prætoris etiam extra solemnes dies, in quibus Romani Pontifices suos facere consueverunt generales processus publice id nobis specialiter & ex certa scientia jubentibus, factæ in audientia literarum nostrarum, aut in aula nostri palatii postmodum affigendæ januis majoris ecclesiæ loci, in quo Romana communis omnium Christiani populi nationum residebit curia, ut cunctis possint patere, & ita deferri citatis sic valeant, ac arctent citatos post terminum lapsum, quem consideratæ locorum distantiæ volumus citationibus ipsis competentem apponi, sicut si ipsos personaliter apprehendissent; non obstantibus aliquibus, privilegiis, indulgentiis, & literis apostolicis, generalibus aut specialibus, quibuscunque personis pontificali, imperiali, regali, vel alia ecclesiastica seu mundana dignitate præditis, aliisque inferioribus, seu ecclesiis, monasteriis, locis, collegiis & universitatibus, in quæcunque verborum forma concessis, per quæ talium citationum effectus possit quomodolibet impediri, etiamsi de ipsis & eorum

rum totis tenoribus de verbo ad verbum aut de propriis nominibus personarum, & infra, oporteat in nostris literis fieri mentionem. Nulli ergo, &c. Dat. Anagniæ XVIII. kalendas septembris anno IX.

Intentus scribendis edictis Bonifacius ab hostium insidiis non cavit, atque in eorum cecidit (a) potestatem. [1] De quo funesto casu hæc tradit Bernardus: *Eodem anno millesimo trecentesimo tertio in vigilia*

(a) *Jacob. Card. l. 1. de canoniz. Petri de Muron. cap. 11. Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 36. Jord. MS. Vat. sig. n. 1960. Jo. Villan. l. 8. c. 63. S. Anton. 3. P. tit. 20. c. 8. §. 21. vit. Bonif. script. MS. Vall. sign. lit. C. n. 25. & n. 79. Martin. Pol. l. 4. & alii.*

NOTÆ [1] Capti per injuriam pontificis historiam hic describere non vacat, cum ab annalista partes hasce occupatas optime agnoscam. Nonnulla tamen addenda sunt vulgata a coævis quidem historicis, sed nondum annalistæ hujus ætate cognita. Igitur tota hæc conjuratio authores Columnenses habuit, adjutorem Philippum Galliæ Regem, a quo missus Nogaretus cum tercentis militibus occultus venit, consediteque in viciniis Anagniæ teste Ferretto Vicentino histor. lib. III. Cum vero opportunas advenisset dies, nostu a conjuratis introductus idem Nogaretus cum Gallorum cohorte, quibus accesserunt milites alii, ab optimatibus Anagninis ex vicinis locis collecti, in ipso noctis mediæ silentio impetus in ædes pontificias factus est, teste F. Francisco Pipino chronic. lib. IV. cap. 41. sed valde obsistentibus earum ædium custodibus, nonnisi ad meridiem perrumpere in interiora castra datum fuit. Pontifex, audito armorum fragore, reque comperta, recludi cubiculi sui fores jussit; statimque sacra clamide indutus, & coram vivificæ crucis frustulo prostratus sese obtulit, porrectaque cervice, ait Pippinus, martyrium sibi deposcebat. Quamvis Ferretus contrarium asserit; pontificem mortem sibi deprecatum scribens. Nemo tamen sacrilegas in eum manus injicere ausus fuit; sed illo sub custodia relicto, sacer ecclesiæ thesaurus diripitur, nec manus absentiæ a fratre Gentili cardinali cæterisque papæ nepotibus. His ita gestis, Lucas de Flisco cardinalis Anagninam plebem concitavit, ut captum pontificem ex hostium manibus eriperet, quod ab illis summa fide, & virtute præstitum fuit. Porro Bonifacius triduo captivus mansit; vix tandem eo liberato circa vespertinam horam, ait Pippinus, agenteque F. Nicolao episcopo Hostiensi de pace convenit inter pontificem & optimates Anagninos, quibus pontifex veniam indulsit *octavæ die*. Tum pontifex Anagnia discedens, Romam venit, ut ex Ferretto discimus. Iter minime tutum habuit, siquidem vera narret author coævus Parmensis chronici, qui, recedentem illum aggressos Columnenses asserit; quamquam non ægre a militibus pontificem comitantibus depulsos, addit. Romam tandem venit Ursinis deducentibus, consciditque in vaticano. Sed qui Columnensium manus evaserat, incidit in *Ursinos, honestiores quidem in specie*, reipsa tamen iniquos pontificis adversarios. Ita enim aditus & fores ædium pontificiarum illi obseparunt, ut nihilo liberiorem Anagniæ, quam Romæ versari se pontifex intelligeret. Postremam hanc captionem, quam reliqui omnes silent, certam & indubitatam efficit consensus historicorum, Parmensis & Ferretti Vicentini, qui ambo de illa testimonium tulerunt. Has angustias evasurus pontifex migrare in ædes Lateranenses statuit; sed prohibentibus Ursinis, tantam animo ægritudinem concepit, ut debilitata senio valetudine in periculosum morbum inciderit, quo ex improviso, ne familiaribus quidem sentientibus, oppressus fuit, ut ex Ferretto discimus. *Obiit*, ait Ferrettus, *anno tertio dominicæ incarnationis post trecentum & mille, VI. id. octobris, ætatis vero suæ LXXXVI. & vixit in sede apostolica annis octo, mensibus decem*.

Cæterum Bonifacius ingentes animi dotes in pontificatum contulit, quamquam sæculari principatui potius quam ecclesiastico aptiores. Nam præterquamquod jure civili, & canonico fuit exculti[ssi]mus, ut ætatis suæ nemini cederet; in rebus tractandis dexteritate, quamquam non semper felici eventu, præstitit, Divitias, quibus majestatem pontificatus sustineret, comparavit maximas; ex quo avaritiæ notam incurrit. In summa dignitate magnificus, pontificias ædes splendide ornavit teste Ferretto Vicentino histor. lib. III. Pontificiam mitram duplici circulo seu corona ornasse fertur; quod Alemannus ex antiquis imaginibus Romanorum pontificum Romæ extantibus collegisse sibi visus est in opere de Parietinis Lateran. cap. XIII. Sed mitram pontificiam diu ante Bonifacium duplici circulo distinctam fuisse collegisse mihi visus sum in notis ad Pagium ad ann. 1073. V. ex aperto testimonio Benzonis Albensis episcopi ejusdem sæculi scriptoris, qui mitræ pontificiæ qua Nicolaus II. ornatus fuit sæculo XI. inclinante, circulos duos commemorat, quorum alter insculptam hanc sententiam exhibebat: *Corona regni de manu Dei*; alter vero: *Corona regni de manu Petri*. Vide notas ibidem. Quid vero probent in hac re marmora & imagines discat Alemannus ex vetusto simulacro Bonifacii ejus olim sepulcro impositio ac ætate illa sculpto, quod extare hodie Florentiæ in hortis Riccardianis monet cl. Lamius in adnot. subjectis chronico pontificum Romanorum Leonis Urbevetani, in Deliciis eruditorum vulgato. *Ornatur autem prælata mitra, qua in unica tantummodo corona distinguit*. Vicissim autem in tabulis publicis de inventione corporis Bonifacii, quas hic producit Raynaldus, asseritur inventum fuisse cadaver pontificis *cum tribus coronis ornatum*. Forte igitur Bonifacius non unius vel binæ sed triplicis coronæ author asserendus est. Constantiam etiam summo sacerdote dignam præstetulit Bonifacius, quam tamen, si prudentia temperasset, & rebus ecclesiæ melius consuluisset, & ipse notam evitasset hominis furiosi & violenti. Quamquam vero plura sunt quæ in illo jure forte meritoque reprehenduntur; longe tamen plura nonnisi per calumniam viro, ambitioso forte, avaro, & violento impacta sunt. Quam enim historiam narrat de illo Ferretus Vicentinus & F. Pippinus, hanc inter calumnias reiiciendam censeo. Ferunt illi accitum a Bonifacio Guidonem de Monteferetro religionem Francis[ca]norum jam professum, rogatumque ab eo fuisse, ut artem doceret, qua Prænestina Columnensium arx caperetur; sed monachus nonnisi proditorio astu casuram intelligens, pontificem rogavit, ut veniam sibi de commissis indulgeret, nec novis scelleribus committendis adigeret. Bonifacius absolutionem commissis, & committendis impertitus fuit; tum instituit, ut quæ apta censebat suggereret: tunc monachus persuasit, *ut cum hostibus suis pacisceris, pollicitis non staret*. Hanc historiam quamquam & Dantes ejus temporis vates carmine expressit Inferni cap. XXVII. ab adversariis in odium Bonifacii confictam esse, suadet tum eximia Bonifacii rerum sacrarum, & canonicarum scientia; cum vero spectata Gui-

lia nativitatis B. Mariæ Virginis, dum Bonifacius Papa Anagniæ in patrio solo & civitate propriæ originis cum sua curia resideret, ubi tutus esse amplius merito crederetur in gente sua, & populo, & natione, ibidem consciis aliquibus domesticis suis proditus fuit, captusque, atque tentus: & thesaurus suus atque ecclesiæ deprædatus, & asportatus, non sine ignominia ecclesiæ & dedecore grandi. Cardinales vero timentes, relicto eo, fugerunt, duobus exceptis, scilicet domino Petro Hispano Sabinensi & domino Nicolao Ostiensi episcopis. Cujus captionis & sceleris vexillifer fuit Guillelmus de Nogareto de S. Felice, diœcesis Tholosanæ, complicibus & consentaneis Columnensibus, ex quibus duos olim decapellaverat Cardinales. Super ipsum itaque Bonifacium, qui Reges & pontifices, ac religiosos, clerumque ac populum horrende tremere fecerat & pavere, repente timor, & tremor, ac dolor una die pariter irruerunt, aurumque nimis sitiens perdidit & thesaurum: ut ejus exemplo discant superiores prælati non superbe dominari in clero & populo, sed forma facti gregis ex animo curam gerere subditorum, priusque amari appetant quam timeri.

Structæ Bonifacio insidiæ.

Anagniæ capitur.

Induisse pontificalia ornamenta & Christi e cruce pendentis effigiem amplexum manibus, ut honeste moreretur, cum irruptionem hostium sensit, Ptolemæus Lucensis, (*a*) & Jordanus (*b*) scribunt, quibus etiam Joannes Villanus (*c*) & S. Antoninus (*d*) consentiunt, cujus verba repetimus: *Animadvertens*, inquit, *civitatem captam & palatium suum, judicavit se mortuum; sed ut magnanimus & imperterritus ait: Ex quo proditorie sicut Jesus Christus captus sum, & deditus in manibus inimicorum, ut occidar, ut Papa mori decerno. Et fecit se parari vestibus sacris cum pallio seu ammanto B. Petri, & corona aurea a Constantino Silvestro Papæ collata, & cum clavibus, & cruce in manibus resedit in papali thnono. Ad quem accedens dictus Sciarra cum aliis suis inimicis, verbis contumeliosis aggressi sunt Pontificem, & deriserunt circumstantes eum, & familiares ejus, & qui cum ipso remanserant. Inter alios eum illusit dominus Guillelmus de Lunghareto, qui pro Rege Franciæ tractatum duxerat capturæ Pontificis, & minatus est ei, quod ligatum ipsum duceret Lugdunum, ut in generali concilio solemniter deponeretur. Cui Papa, non corde deficiens, respondit: Patienter feram, me condemnari & damnari & deponi per Patarenos, cujusmodi ipse erat cum progenitoribus suis, ut Patarenis igne combustis. Quibus verbis confusus dominus Guillelmus cum rubore reticuit. Domino autem disponente ob dignitatem Apostolicæ sedis, nemo ex inimicis ejus ausus fuit mittere in eum manus, sed indutum sacris vestibus dimiserunt sub honesta custodia, & ipsi insistebant prædæ, diripientes thesaurum ejus & ecclesiæ, quem in palatio Papæ invenerunt.*

Refringit minas.

(*a*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 36.* (*b*) *Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.* (*c*) *Jo. Vill. l. 8. c. 63.* (*d*) *Anton. 3. p. tit. 20. c. 8. §. 21.*

Ejus inter hostes constantia.

Permansit Pontifex ipse custoditus tribus diebus: tertia autem die surrexit a custodia liber sine precibus alicujus aut procuratione, Domino illustrante & velamen suæ cæcæ ingratitudinis a populo Anagniæ auferente. Recognoscentes ergo errorem suum cives Anagniæ, cum populo arma corripuerunt in favorem Antistitis, clamantes per urbem: Vivat Papa & moriantur proditores: & discurrentes per civitatem Anagniam ejecerunt Sciarram de Columna suosque complices de ea, pluribus ex eis captis, & aliis occisis. Liberatus igitur Pontifex Bonifacius cum familia sua, dolore nimis absortus ex tanto dedecore, cum tota curia inde discedens, Romam remeavit ad S. Petrum, disponens concilium convocare ob injuriam sibi & ecclesiæ factam vindicandam contra Regem Franciæ.

Ab Anagninis liberatur.

Deductum Romam fuisse a Matthæo Cardinale Ursino magna clientum comitatu observat Card. Baronius: (*e*) addit-que Jacobus S. Georgii (*f*) ad velum aureum diaconus Cardinalis maxima pompa & armorum apparatu exceptum a Romanis: adeo ut nusquam tanta gloria fulgere sit visus. Verum acceptæ injuriæ dolore brevi confectus obiit, ut idem auctor, horum omnium spectator historiæ subditis versibus prodidit.

XLII.

(*e*) *Baron. in MS. sched.* (*f*) *Jacob. Card. S. Georg. ad vel. aur. l. 1. de canoniz. S. Petri de Murrone c. 11.*

Multa facit multosque juvat, multique gravatos
Se reputant. Nonus dum sic elabitur annus,

Romam deducitur.

Heu

NOTÆ Guidonis pietas, quæ post susceptam religionis vestem tanta fuerat, ut de illo scripserit rerum Astensium anonymus ætatis illius scriptor histor. cap. XXIII. *Non est inventus similis illi; per spatium annorum trium obedientissimus ibi* (in monasterio) *fecit amariorem & austeriorem pœnitentiam*.

Frustra etiam accusatur superbum ejus responsum, quo missos ab Alberto Romanorum rege electo legatos primo rejecit; ferunt enim, sedentem, diademate, armatumque, stricto cupulo ensis, quo erat accinctus. *Nonne*, dixisse, *possum imperii jura tutari? ego sum imperator*. Ita legitur in historia F. Pippini lib. IV. cap. XLI. Sed Ferretus Vicentinus, qui sane Bonifacii vitia non dissimulat, nonnisi modeste loquentem ea occasione pontificem inducit. Queritur enim apud illum pontifex de electione se inscio, & inconsulto, facta, quam probare se nequaquam posse, salvo pontificio jure, affirmat. MANSI

Heu gravis alluvies, funesta & morbida nostris,
Nec seclis audita lues prorumpit, & audens
Ingruit. En capitur residens sublimis in alta
Sede Petri summa, Christique vicarius urbe.
Urbe sua, tectisque suis, manibusque suorum
Quaque satus, raptis congestis undique gazis.
Qui scelerum auctores? Quæ causa est? quidve repensum?
Quid loquimur?
Irruit in stolidos plebs docta furentibus armis,
Hos cerebro, quosdamque manu, quosdamque recisis
Naribus evertit, capitur qui maximus horum
Extiterat, summusque pater jam carcere liber
Protinus hunc solvit rediens festinus in almam
Urbem, quippe sacram, miro circumdatus orbe,
Vallatusque armis. O mira potentia tantis
Enodata malis! Nunquam sic glorius armis,
Sic festus susceptus ea, cleroque decorus,
Insignisve fuit, cunctos ubi ferrea texunt.
Prima patrem sedes Lateranensis suscipit: inde
Ætherei Petri, cujus miracula seclo
Clara patent. Siquidem proprium defendere servum,
Tutarique patrem curæ est devotius illi
Obnixum, tumulumque suum procumbere templo
Claviger imperitat. Pauco nam tempore fluxo,
Decursoque die, lecto prostratus anhelus
Procubuit, fassusque fidem, veramque professus
Romanæ ecclesiæ, Christo tunc redditur almus
Spiritus, & sævi jam nescit judicis iram.
Sed mitem placidamque patris, ceu credere fas est.

Insignis Bonifacii in captum hostem clementia.

Suscipitur a civibus magnificentissime.

Morbo decumbit.

Moriturus fidei orthodoxæ formulam profitetur.

XLIII. Divina de Philippo Rege ultio.

(a) *Jo. Vill. l. 9. c. 65. Paul. Æmil. ac Gaguin. in Phil. Pulch. & alii.*

Bonifacio vita functo, quamquam visus est Galliarum Rex ex imminenti periculo evolasse, quod Bonifacius in eum conflasset, non tamen divinas iras evasit, cum ipse plura adversa expertus plenam dedecore domum regiam luxerit, (*a*) tristique occubuerit lethi genere: ejus vero stirps quæ florentissima erat, brevi exaruerit, sceptrumque in Caroli Valesiaci filios traductum fuerit. Cæterum scribit Sanctus Antoninus (*b*) capto Bonifacio nuntios contentis itineribus, ut de re gratissima ad Philippum missos, ac tum ab episcopo sancto divinam vindictam pronuntiatam fuisse.

(b) *S. Anton. tit. 20. c. 8. §. 21.*

Cum per civitatem Morianensem, quæ est post transitum, transiret nuncius, ista referens, episcopus civitatis, qui erat religiosæ & sanctæ conversationis, hæc cum audisset, coram multis ait: Hoc novum dabit magnum gaudium Regi Franciæ: sed extrema gaudii luctus occupabit; nam propter tantum excessum notabile judicium Dei irruet super eum & progeniem ejus: magnas ipse luet pœnas, adversa multa patietur, & plurimi insurgent contra eum & filios ejus. Quod totum impletum est non multo post tempore: & hoc ideo scriptum est, ut hoc exemplo cæteri illud observent oraculum: Nolite tangere christos meos. (*c*) *Qui enim vos tanget* (*ait Deus per prophetam d*) *tangit quasi pupillam oculi mei.* Hactenus S. Antoninus, qui ea ex Joanne Villano, (*e*) latinitate donata decerpsit.

Prædicta a Morianensi episc. viro sancto.

(c) *Ps. 104.* (d) *Zachar. 2.* (e) *Jo. Vill. l. 8. c. 64.*

Fuere etiam Anagnini triste divinæ vindictæ monumentum, quamvis aliquibus liberato Bonifacio, ejectisque proditoribus, crimen expiasse videri potuissent: ea enim civitas, quæ antea populorum frequentia, opibusque affluebat, adeo postea afflicta divinitus attritaque est, ut cum de tot calamitatum causa in publico urbis concilio quæreretur, responsum fuerit, sævire in eos Numen divinum ob patrum proditionem, cum ob id execratione ecclesiastica defixi numquam rite expiati fuissent, ut ex Alexandro Bononiensi refert Papyrius Massonus (*f*): *Quo in statu Anagnia fuerit post illum repentinum insperatumque Bonifacii casum, Alexander Bononiensis in descriptione Latii Hernicorumque gentis refert his verbis: Anagnia urbs antiquissima semiruta prope ac desolata jacet. Cum nobis anno a Christo nato MDXXVI. transitus per eam incidisset, ingentibus ruinis, maximeque palatii a Bonifacio Pontifice Romano, quem supra compellavimus, ædificati, summa cum admiratione miserationeque spectatis causam cladis a quodam ex optimatium numero interrogato didicimus, Bonifacii Pontificis capturam: quippe ex illo die usque in præsens variis occasionibus urbem iisse præcipitem; adeoque bello, pestilentia, fame, plurimum vero civilibus odiis in hanc calamitatem redactam: intestinis enim contentionibus alios ab aliis ejectos, pulsorum ædibus incensis, vicissimque per vim se restituentium eosdem spiritus, eandem belli rationem in adversarios fuisse. Hanc ob rem non pridem, cum a paucis, qui superverant, civibus in cœtu*

(f) *Papy. Masson. in Bon. VIII.*

Malorum causa proditioni Bonifacii adscripta.

cœtu consilioque communi de malorum causa quæsitum anxie esset, tandem hanc occurrisse, quod majores illorum, Bonifacio Pontifice prodito, se gravissimo scelere devinxissent, idque quoniam hactenus expiatum non fuerat, ideo Clemente VII. Pontifice obtestato, ut episcopum ad se mitteret aliquem, qui populum ab illa majorum noxa liberaret expurgaretque. Hoc demum, precibus ac votis ritu pro insolis factis, ut ab anathemate, quo ob manus Pontifici maximo violenter injectas adhuc erant obstricti, absoluti Deo haberentur, executum.

XLIV.

Scripsere nonnulli auctores indigna admodum de Bonifacio, ut qui ab hostibus jactata inconsulte literis mandarint, interque alia ex dolore actum in rabiem, & proprias carnes rosisse: quorum mendacia vel ex ipsa corporis, quod post trecentos annos corruptionis expers inventum est, inspectione patuerunt: cum enim in S. Petri basilicæ sacello, quod eximio cultu condiderat, ut vivens curaverat, sepultus fuisset, atque Paulo V. Pontifici ex Cardinalium consilio visum esset veterem S. Petri a Constantino extructæ basilicæ partem, quæ supererat vetustate inclinatis parietibus collabentem demoliri, ut magnifico opere reficeretur, sacellum S. Bonifacio sacrum, in quo hujus Bonifacii sepulcrum erat, evertendum fuit, illiusque corpus corruptionis immune magna astantium admiratione repertum est, ut publicæ tabulæ tunc in Urbe ad rei memoriam transfundendam posteritati a Grimoaldo notario confectæ testantur.

Bonifacii corpus post trecentos annos corruptionis expers inventum.

In nomine Domini amen. Anno a nativitate ejusdem Domini nostri Salvatoris Jesu Christi millesimo trecentesimo quinto, indictione tertia, die vero martis, undecima mensis octobris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri domini Pauli divina providentia Papæ V. anno ejus primo, &c. Amota statua Bonifacii, instar defuncti quiescentis cum thiara tribus coronis ornata, aliisque papalibus insulis, & tabula marmorea, quæ arcam cum stemmatibus ejusdem Bonifacii, undarum scilicet duarum cœrulei coloris per obliquum in campo aureo tegebat, reperta fuit capsa lignea ex abjete intus, in qua erat corpus supradicti D. Bonifacii Papæ VIII. alta a terra palmis decem in majori navi inter portas Ravennianam & judicii capsa ipsa lignea longa palmis 8. $\frac{1}{2}$ lata palmis 2. & unc. 5. delata fuit in sacrarium: ubi præsentibus dominis vicario, canonicis, archiepiscopo, episcopo, & duce ac magno populo, meque notario, &c. fuit aperta, & visum ab omnibus corpus ipsius recolendæ memoriæ Bonifacii VIII. adhuc integrum & incorruptum sacris vestibus ornatum. Et infra.

Illius formam exactius describit.

Bonifacii VIII. corpus mensuratum est in longitudine a vertice capitis ad plantam pedis palmorum 7. & quartorum trium. Caput in rotunditate palmorum duorum & quarti unius, & ut periti medici ac chirurgi affirmarunt, ex majori parte calvum erat, præsertim in summitate. Cutem capitis, nec non membranas superiores & inferiores, tegentes oculos, genas pingues, frontem latam, mentum sine barba (nam visus rasus erat) cartilagines aurium mediocres foris prominentes habebat, facies, quamvis nasus & labia corrupta, severitatem magis quam hilaritatem ostendebat. Dentes omnes, & quidem magnos & firmos, præter duos sub labio superiori, cui viventi deerant, habebat: sano ac robusto fuit corpore, ut periti judicarunt.

In cingulo palmorum trium cum dimidio. Manus habebat longas & pulchras palmi unius brachii, cum unguibus longis, signis venarum & nervorum, adeo ut videntibus summam inticeret admirationem, quomodo per tot annorum curricula tam integræ & incorruptæ conservatæ fuissent. Pedum quilibet palmum unum continebat. Genua, tibiæ, & reliqua corporis cum carne exsiccata, sana & incorrupta cernebantur, &c. Acta sunt hæc Romæ in basilica S. Petri & in sacrario ejusdem respective, templo scilicet rotundo, quod antiquitus dicebatur S. Andreas, hora XXIV. die, anno mense indictione ac pontificatu, de quibus supra.

Quod ad gesti ab eo pontificatus tempus attinet; illud Card. Baronius ita consignat (*a*): *Sedit annis octo, mensibus novem, diebus XVIII.* Renunciatus enim fuit Pontifex, ut vidimus, IX. kal. januarii, ipso nimirum natalis Domini pervigilio, anno MCCXCIV. obiit vero hoc anno v. id. octobris: quod etiam ex allato Jacobi Card. carmine colligitur.

(a) *Baron. in notis MS. & alii plures.*

XLV. Nicolaus Ostiens. episc. Bonifacio subrogatus.

Orba pastore Ecclesia, purpurati patres, ad quos creandi Romani Pontificis munus spectabat, in Vaticano palatio, ubi extremum diem Bonifacius obierat, ad sacra comitia celebranda convenere: pauciique, ut refert Joannes Villanus, (*b*) lapsis diebus communibus votis in eligendo Nicolao episcopo Ostiensi, non sine divini Numinis arcano consilio, ob egregia virtutum signa, quæ in ipso emicabant, consensere. Expavit ad oblatæ dignitatis majestatem vir sanctus, Christiana animi demissione insignis: ne tamen Ecclesiam in seditionum fluctus conii-ceret, onus pontificium admisit, Benedictique XI. (quamvis si res ad accuratius examen revocetur, decimus nuncupandus sit) nomen sibi adscivit, accepta in pontificium symbolum hac sententia: (*c*) *Illustra faciem tuam super servum tuum.* De cujus tum obscuris initiis tum incremen-

(b) *Jo. Vill. hist. Flor. l. 8. c. 66. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 38.*

Benedicti XI. nomen accipit. De illius primordiis.

(c) *Forma. Mar. Ebuli MS. Vatic. p. 56.*

Ignobilis genere patria Tarvisinus fuit. (a) *S. Ant. 3. p. tit. 20. c. 9. in prine.* Grammaticam docuit Venetiis. Prædicatorum ordinem ingressus. Ob præclaras virtutes varios honorum gradus emensus.

mentis, quibus ad augustissimum dignitatum omnium apicem assurrexit, hæc sanctus Antoninus affert (*a*).

Is prius vocatus est Nicolaus, qui in sæculo fuit vilissimæ conditionis de Tervisio (alias Tarvisio) & inde Venetias accessit, pueros docens in grammaticalibus, ut paupertatem suam substentaret. Ingressus autem ordinem Prædicatorum, non segniter conversatus, virtutibus & scientiæ se dedit, ut in modico tempore doctissimus evaserit, magnæ memoriæ, & acris ingenii, omnibus amabilis. Et in ordine per omnes dignitates gradatim ascendens, ex subprior prior effectus, ex prioratu conventuali ad provincialem ascendens; inde in magistrum ordinis generalem electus, a Bonifacio VIII. propter scientiam & probitatem suam inter cardines terræ constitutus, demum cathedram Petri ascendit.

XLVI. (*b*) *Jo. Vil. ubi sup.* (*c*) *Bonif. Tarvis. hist. l. 6.* Creatus presbyt. Card. S. Sabinæ ex magistro Prædicator.

His consentientia Joannes Villanus (*b*) in Florentina historia, ac Joannes Bonifacius (*c*) in Tarvisina tradunt, quorum postremus hæc de illius natalibus scribit: e Boccasio de Boccasinis notario Tarvisii oriundum, emensis apud Dominicanæ familiæ religiosos viros pluribus honorum gradibus, ac doctissimis in Psalterium, Job, atque Apocalypsim commentariis editis, insigni cum virtutis ac scientiæ laude floreret, a Bonifacio in numerum Cardinalium cooptatum, ornatumque S. Sabinæ titulo, Ostiensi postea episcopatui admotum fuisse. Impositam illi difficillimam provinciam sedandæ Ungariæ, quæ intestino atque externo bello conflictabatur, superius vidimus: (*d*) in ea legatione, in qua plurimos labores tulit, ab ipso Wenceslaum Regem Boemiæ una cum filio, qui Ungarici regni insignia corripuerat, & Carolum judicio postulatos; (*e*) reversumque ad aulam pontificiam Bonifacio inter hostium minas & tumultus intrepide adstitisse una cum Petro Hispano, ne gravius aliquid in eum hostis moliretur. Ob ea vero aliaque ornamenta virtutum ad solium apostolicum evectus, ut prudentia singulari erat præditus, mox sopivit Urbis intestina bella, ut Jacobus Cardinalis cecinit carmine hoc (*f*).

(*d*) *Anno Christ. 1301. n. 4. &c.*

(*e*) *Henr. Rebdorf. in annal. An. 1302. n. 19.*

(*f*) *Jacob. Card. S. Georg. ad vel. aur. l. 2. de canonic. Cœlest. c. 12.*

Roma novis concussa fremit, sævumque minatur
Martis opus: cœptas timor est prorumpere flammas,
Et clarere palam: stipulas ceu conditus ignis
Incendit facile. At Christi clementia tantis
Occurrit, lymphasque jacit: Benedictus eodem
Tempore suscipitur vir clarus.

At præstat ipsum Pontificem, post acceptas apostolicas insulas de suis primordiis differentem, audire in literis encyclicis ad Christiani orbis præsules, quibus de electione sua certiores, factos, ad explicandam ferendo tanto oneri opem adhortatur, ac divinæ providentiæ, quæ ipsum sensim extulisset, augusta consilia adorat.

Ex ea dignitate ad Ostiensem episcopatum evectus.

Benedictus episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Mediolanensi, & ejus suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem.

XLVII. De divinæ providentiæ arcanis proloquitur.

Opera divinæ potentiæ plerumque mens humana miratur, dum mirabiles personarum & temporum immutationes attendit, in quorum contemplatione sensus hominis hebetatur, dum conatur perquirere investigabiles vias Domini, & ejus occulta consilia perscrutari. Ipse namque nonnumquam potentes humiliat, ponit humiles in sublimi, & dispensat munera gratiarum, plenam & perfectam habens ad singula, tanquam palmo concludens omnia, potestatem. Nos autem nimirum in admirationem protrahimur, ac timor & tremor nos vehementer invadunt, dum infra mentis arcana revolvimus quot & quantas immutationes receperit hactenus status noster, qui ab olim ordinem fratrum Prædicatorum professi, putabamus abjecti esse in domo Domini, cum humilibus servis ejus, & sub obedientiæ jugo Creatori reddere votum nostrum: sed divini dispositione consilii post ministeria varia, in ordine prædicto nobis imposita, suscepimus magistri generalis officium; ac subsequenter ad Cardinalatus apicem dignitatis per Apostolicam sedem assumpti, cum aliquamdiu nostri ministerii debitum in gradu sacerdotii egissemus, præfecti fuimus per sedem eandem in episcopum Ostiensem. Novissime vero fratrum nostrorum instantia, prout series infrascripta declarat, nos subire coegit sarcinam apostolicæ servitutis.

Ut varios dignitatum gradus gesserit.

Nuper enim felicis recordationis Bonifacio Papa VIII. prædecessore nostro, sicut Domino placuit, de hac luce subtracto; & sicut speramus, post labores impensos ad præmium evocato, ejusque corpore cum exequiarum solemnitate debita tradito ecclesiasticæ sepulturæ, nos tunc ut prætangitur, episcopus Ostiensis, cæterique fratres nostri episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. Cardinales ad tractandum de Romani substitutione Pontificis in palatio S. Petri de Urbe, in quo decesserat pridem ipse, convenimus: nobisque ac ipsis ad id eligentibus per viam procedere scrutinii, contigit illo faciente, qui concordiam diligit, quod unico facto ac publicato scrutinio, tanta finaliter in votis eorumdem fratrum est inventa concordia, quod per eos de nobis licet immeritis, fuit ad apostolatus officium II. kal. novembris proximo futuri electio celebrata. In quo præ admirationis magnitudine redditi, nec immerito, sumus attoni-

Communibus Cardinalium suffragiis Pontifex pronuntiatus sit.

toniti: stupor nostrum animum hebetavit, eumque timor & tremor pariter concusserunt. Numquid enim non admiratione dignum, quod inter tot & tantas eorumdem fratrum personas, vitæ ac famæ claritate pollentes, virtutibus redimitas, abundantes insuper multiplicium sufficientia meritorum, in præsidendo apostolico culmine humilitas nostra, quæ illius fuerat merito postponenda, præfertur. Nonne dum injuncti oneris molem attendimus, & nostram insufficientiam comparamus, digne invalescunt timor & tremor, ne portantis debilitas sub tantæ molis gravitate succumbat? Nonne timendum iterum & tremendum, ne justus judex si rationem de talentis creditis veniat exacturus, servum minus utilem a bono torpentem opere sæve damnet?

XLVIII. Adductus religione demum admiserit.

Hæc & alia plura, quæ prolixitatis vitandæ gratia sermo succinctus omittit, insufficientiam nostram a tantæ gravitatis onere subducendam adeo efficaciter suggerebant, quod eorumdem fratrum importunitati diversarum excusationum obicem opponendo, ea qua potuimus reluctatione restitimus. Sed fratres ipsi nostræ resistentiæ obviantes, nostris excusationibus non admissis, nos ad consendendum Petri cathedram multæ importunitatis instantia devicerunt: nosque licet ~~ac~~ nostrorum defectuum conscientia diffidentes, de illius tamen consilii omnipotentia, qui non solum sufficit eosdem supplere defectus, sed & potens est omnem gratiam abundare facere in nobis; ne sub obedientia nutriti diutius eam contemnere pertinaciter, graviaque pericula, quæ imminere ipsi ecclesiæ totique terrarum orbi ex ejus vacatione verisimiliter timebantur, damnabiliter negligere censeremur; votis tandem fratrum acquievimus eorumdem, ac ad deferendum sarcinam summi apostolatus submittentes humeros imbecilles, recepti ab eis unanimiter in Romanum Pontificem recepimus consequenter solemnia benedictionis, & cætera secundum morem præficiendorum Romanorum Pontificum in personis prædecessorum nostrorum hactenus observatum: anxiato & humiliato spiritu Domino supplicando, ut ipse, qui nos hujusmodi jugum subire concessit, sic ad ipsum portandum debilitatem nostram robore fulciat, sic illud faciat sua benignitate portabile, quod sub eo nos non contingat ex nostra debilitate deficere; sed ita nobis & gregi dominico, nostræ vigilantiæ credito, sua virtute proficere, quod de talento nobis tradito dignum possimus in extremo judicio reddere rationem.

Præsulum implorat preces.

Quocirca fraternitatem vestram rogamus & hortamur in Domino, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus nobis compatientes in tanti ponderis gravitate, ad supportandum illud ministretis, quantum in vobis est, velut in partem apostolicæ solicitudinis evocati, vestri auxilii fulcimentum, commissas vobis ecclesias gregesque Dominicos in eis vobis creditos gubernando solicite, fideliter, & prudenter; ac fundendo pro nobis pias orationes ad Dominum, ut ipse in executione pastoralis officii sic sua pietate nos dirigat, quod gratum nostrum ministerium fiat; & spem certam de nobis & fiduciam habituri, quod vobis in iis, quæ ad laudem Dei vestrarumque statum ecclesiarum spectare videbimus, favorem libenter apostolicum impendemus. Datum Laterani kal. novembris anno I.

XLIX. Transmissæ ad Reges eædem literæ. (*a*) *Reg. post eand. ep.* (*b*) *Ep. cur. 14.* Friderico Rex Trinacr. in lit. regni annos non a confecta pace, sed arrepta tyrannide numerat.

Eodem exemplo cæteris præsulibus, ac Regibus & principibus transmissæ eæ literæ (*a*): quæ antequam in Trinacriam pervenirent, Fredericus illius Rex renuntiando in sacris comitiis Pontifici literas (*b*) scripserat, in quibus contra pacta inita cum Rege Carolo Siciliæ, atque ab sede Apostolica confirmata, adeptæ regiæ dignitatis annos non a confectæ pacis tempore, quo sedis Apostolicæ beneficientia insignia regia gesserat; sed ab eo quo tyrannidem corripuerat, non sine gravi Ecclesiæ contemptu consignarat: cum non sedis Apostolicæ clementia, verum armorum potentia regnum obtinuisse ostentaret. Monuit itaque improvidum principem novus Pontifex, ut male præsumpta emendaret, verbisque studii & observantiæ in sedem Apostolicam plenis opera accommodaret.

Benedictus &c. charissimo in Christo filio Frederico Regi Trinacriæ illustri.

Corripitur a Benedicto.

Vide, fili charissime, quod admirationis haberemus causam, nisi nostra teneret opinio, quod non admiserit sinceritas regia, & nobilitati non perpenderit amica simplicitas, quod in sequentibus excederes, & in eis modestiam debitam non servares. Tu siquidem in literis tuis, quas summo futuro Pontifici per nobilem virum Conradum de Auria admiratum tuum & consiliarium destinasti, & etiam alibi aliter te, quam tibi liceat, per conventiones inter te & charissimum filium nostrum Carolum Regem Siciliæ in pace habitas, & per dilectos filios Hugettum de Ampuria, comitem Fridericum de Ancusa magistrum rationalem, & Bartholomæum de Insula judicem tuæ magnæ curiæ ad id nuntios tuos in scriptis piæ memoriæ Bonifacio prædecessori nostro oblatas, & ab eo confirmari petitas, ac secundum petitionem eorum ab eodem prædecessore etiam confirmatas, appellas. Tu regni tui in data literarum ipsarum annum octavum nominas & describis.

Certe credimus quod principum more literas tuas non videas: credimus quod id tibi non fuerit indicatum. Sed quia ex debito pastoralis officii, quod nobis in-

eumbit, tui & Christianorum omnium imminet cura, ac te quadam speciali dilectione diligimus, & prosequi intendimus favoribus opportunis; notificamus benevolentiæ tuæ, ea tibi non esse licita nec decere. Itaque primum non licet, quia quod tibi semel in hoc placuit, amplius displicere non debet: secundum vero, si ex certa scientia faceres, quid concludat diligenter adverteres, quia cum ex pluribus causis dominium, proprietas aut jus in re una nequeat obtineri, quamvis possit aliquid ex causis plurimis possideri; tu nominando regni tui annum octavum quod jus in re, seu proprietatem denotat, apostolicam munificentiam in hujusmodi confirmatione gratis exhibitam renuis, & gratiam Romanæ ecclesiæ, tuæ & insulæ Siciliæ dominæ, secundum quam annus regni tui in veritate primitus exiſtit, excludis ipsamque contemnis; a vitioso ingressu nihilominus annos computans, & initio violento describens: ex quo videtur, quod a nemine, vel a te ipso, non a Romana ecclesia velis memoratam insulam detinere. Attende si in iis devotio dictis professæ literis comprobetur. Considera si hujusmodi actibus earum verba concordent. Sume igitur sanum, amantissime fili, consilium; verba patris ausculta, & inclina in ejus parabolas aures tuas; sic te in præmissis & aliis votis conformando ecclesiæ, quod tua semper, quod optamus, ad eandem ecclesiam crescat devotio, nosque propterea ad tua prosequendum beneplacita provocemur. Datum Later. II. kal. decemb. anno I.

Eo facto regnum non beneficio sedis Apost. sed armis injustis partum jactare videbatur.

L. Conrado Auriæ fidei Benedicto, ut supremo domino, obstringendæ provinciam imponit.

Cum inter cæteras initi fœderis cum Bonifacio VIII. leges Fridericus Apostolicæ sedis stipendiarium se profiteretur, atque ad clientis principis officia novis Pontificibus præstanda obstrictus esset, Conrado Auriæ partes imposuerat, ut Benedicto fidem regio nomine sacramento devinciret. Qui suscepta provincia perfunctus conceptam subjectis verbis sacramenti formam, insertamque apostolicis literis nuncupavit (a).

(a) Ep. cur. 131.

Charissimo in Christo filio Friderico Regi Trinacriæ illustri.

Ne rei gestæ memoriam, diuturnitas temporis in posterum forsan obliteret, testamur tenore præsentium, quod dilectus filius nobilis vir Conradus Auriæ procurator & nuntius tuus ligium homagium, & fidelitatis juramentum nomine tuo præsentialiter nobis nomine nostro & ecclesiæ Romanæ recipientibus, pro insula Siciliæ ac aliis circumadjacentibus insulis, quas a nobis & ipsa ecclesia ad vitam tuam tenes in feudum, fecit & præstitit in hac forma.

Qua verborum forma Conradus Auria Friderico sedis Apost. clientem fassus sit.

Ego Conradus Auriæ magnifici principis domini mei domini Friderici Regis illustris, sanctæ Romanæ ecclesiæ fidelis & vassalli, procurator & nuntius, recognoscens & confitens nomine præfati domini mei, quod quicquid in Siciliæ & circumadjacentibus insulis habet & tenet, totum in vita sua tantummodo habet & tenet in feudum a prædicta Romana ecclesia ex sola gratia, & mera liberalitate ipsius; ejusdem Regis nomine & pro ipso vobis, sanctissime pater domine Benedicte undecime, divina providentia sacrosanctæ & universalis ecclesiæ summe Pontifex, & ipsi Romanæ ecclesiæ, pro eo quod in Siciliæ & aliis circumadjacentibus insulis prædictis ipse dominus meus dominus Rex habet & tenet ad vitam suam, ligium homagium facio, & fidelitatis præsto in animam dicti domini mei & meam solitum juramentum, videlicet, quod ipse dominus meus Rex ab hac hora in antea fidelis & obediens erit beato Petro & vobis, vestrisque successoribus canonice intrantibus, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ. Non erit in consilio, aut consensu, vel facto ut vitam perdatis, aut membrum, aut capiamini mala captione.

Quo sacramento se devinxerit.

Consilium, quod sibi crediturі estis, per vos, aut per nuntios vestros, sive per literas, ad vestrum & eorum damnum nemini pandet, se sciente; & si sciverit fieri, vel procurari, seu tractari aliquod, quod sit, in vestrum vel aliorum damnum, id pro posse impediet, & si impedire non posset, illud vobis & eis significare curabit. Papatum Romanum & regalia S. Petri, tam in prædictis Siciliæ & circumadjacentibus insulis, quam alibi existentia, adjutor erit vobis & ipsis ad retinendum, & defendendum ac recuperandum, & recuperata manutenendum contra omnem hominem. Sic eumdem dominum meum, Dominum Fridericum Regem & me Deus adjuvet, & hæc quæ manibus meis teneo, sancta Dei Evangelia.

II. Agnoscit regnum non vi, sed liberalitate pontificia possideri. Tria millia unciarum auri census nomine spondet. Centum equites in castris pontificiis, si bellum ingruat, regiis stipendiis sustentatum iri.

Promitto insuper procuratorio nomine dicti domini mei & pro ipso, & quod ipse dominus meus Rex pro omni eo, quod sibi, ut prædicitur, ex mera liberalitate Romanæ ecclesiæ ab ea in sæpedictis Siciliæ & circumadjacentibus insulis habet & tenet, vobis, successoribus vestris canonice intrantibus, & ecclesiæ Romanæ, ubicumque vos & successores vestri Romani Pontifices fueritis, annuum censum trium millium unciarum auri in B. Petri festo persolvet; ac servitium centum militum, convertendum quandoque in navale subsidium, juxta formam & modum supen hoc in conventionibus initis habitos, vice sua tempore toto præstabit. Modus autem & forma hujusmodi præstationis in conventionibus ipsis expressi ii sunt, quod quilibet dictorum centum militum tres equitaturas ad minus habeat, sitque armis bene & decenter munitus; quodque dictum præstetur servitium per tres menses integros, expensis dicti domini mei Regis computandos a die, quo iidem milites, seu navale servitium

tium egressi fuerint, aut egressum fines districtuum insularum dictarum semel in anno, quandocumque vos, vel successores vestri Romani Pontifices, qui pro tempore fuerint, asserueritis eodem servitio Romanam ecclesiam indigere; ita quod super indigentia hujusmodi vestro & prædictorum successorum vestrorum simplici verbo stetur. Idemque servitium in navale subsidium debita proportione ac compensabili taxatione præhabita, iisdemque modo & forma juxta vestrum, eorumdem successorum, & ecclesiæ beneplacitum convertetur: quodque inimicos & hostes dictæ Romanæ ecclesiæ pro hostibus & inimicis habebit, ac omnes ecclesias insularum dictarum plenarie restituet & restitui faciet, si forte adhuc restitutæ non sint, ad omnia bona & jura ipsorum, in quorum possessione erant tempore, quo insula Siciliæ memorata contra claræ memoriæ dominum Carolum rebellavit, per quoscumque præfata bona & jura ablata vel occupata sint, aut detineantur ad præsens, nisi forsitan circa prædictum tempus aliqua justa alienatio per personas auctoritatem habentes, de prædictis bonis & juribus rite & rationabiliter facta esset, & quod omnes prædictas ecclesias & personas ecclesiasticas ecclesiarum ipsarum præfatus dominus meus Rex libertatibus, privilegiis, & immunitatibus a sacris canonibus eis concessis, & specialiter quod immunes sint a collectis & talliis, gaudere permittet & faciet; quodque Romanus populus cum indigebit, idem dominus meus, ejus vita durante, ad requisitionem vestram & dictorum successorum vestrorum de portubus Siciliæ victualia & legumina deferenda ad Urbem pro ipsorum usibus, cum solutione tamen juris exituræ, quod per ejusdem domini mei Regis curiam fuerit ordinatum; vosque & dicti successores vestri, ejusdem domini mei vita durante quando indigueritis, aut præfata ecclesia, præcipue pro subsidio Terræ sanctæ; anno quolibet hujusmodi necessitate durante, de præfatæ Siciliæ partibus salmarum decem millia libera a jure quolibet exituræ, & alterius cujuscumque dirictus, ferenda quo vos vel ecclesia memorata mandabitis, extrahatis juxta vestrum beneplacitum voluntatis, & extrahi facere valeatis.

Eosdem hostes & amicos cum ecclesia habitum iri.

Ecclesiarum immunitates salvas fore.

Efferendos libere e portubus pro Urbe commeatus.

LII. Initum cum Carolo fœdus servare spondet.

Et quicquid in dictis Siciliæ & circumadjacentibus insulis idem dominus meus, ut prædicitur, habet, non dividet absque sedis Apostolicæ & dicti domini Caroli Regis Siciliæ voluntate: ac concordiam & pacem factas & initas inter dominum Carolum Regem Siciliæ illustrem, & dominum meum Regem prædictum, confirmatam per bonæ memoriæ dominum Bonifacium Papam VIII. prædecessorem vestrum, ipse dominus meus Rex gratam & ratam habebit, & generaliter universas & singulas conventiones, jam dudum inter dictam Romanam ecclesiam & felicis memoriæ dominum Carolum Regem Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ in concessione regni Siciliæ & totius terræ citra Farum usque ad confinia terrarum præfatæ ecclesiæ Romanæ, sibi per eandem ecclesiam olim factam, affirmative vel negative, de faciendo sive de non faciendo, quatenus ipsum dominum meum F. contingere possunt, quam nuper in pace inter ipsum dominum meum & pro parte ipsius, & dominum serenissimum principem dominum Carolum Regem Siciliæ illustrem & pro ipsius parte initas & habitas, ac per sedem eandem reformatas & approbatas, ac eisdem conventionibus additas; sicut si specialiter & nominatim essent expressæ in juramento & promissione præsenti; plene & integre adimplebit, & inviolabiliter observabit tempore vitæ suæ, nec in aliquo veniet vel faciet contra eas; quodque idem dominus meus Rex consentiet, & volet. Quod si ipse prædictum censum non solveret, & servitium non præstaret, pœnas hoc ipso incurrat appositas in persona inclytæ recordationis dicti domini Caroli & heredum suorum circa census octo millium unciarum auri & servitii trecentorum militum præstatione in conventionibus prædictis, inter dictam Romanam ecclesiam & Regem Carolum memoratum olim habitis in regni concessione præfata.

LIII. Pœnas si illud infregerit, objectas admittit.

Et quod per concordiam & pacem prædictas ejusque tractatum, confirmationem factam per præfatum quondam dominum Bonifacium, ac domini Caroli Regis vel procuratorum suorum assensum, seu præstationem, & receptionem homagii, vel dictorum census trium millium unciarum auri & servitii militaris, seu navalis; & intitulationem, qua dictus dominus meus Fredericus Rex utetur secundum pacem prædictam, nullum præjudicium, mutilatio, vel diminutio conventionibus prædictis, initis inter dictam Romanam ecclesiam & præfatum dominum quondam Carolum Regem, Siciliæ ac dicto domino Carolo Regi Siciliæ ejusque heredibus & posteris asseratur, quin post obitum dicti domini mei Regis jam dicta insula Siciliæ cum insulis circumadjacentibus omnibusque aliis pertinentiis suis ad unitatem, integritatem, & soliditatem alterius partis terræ, citra Farum positæ, sicut erat concessionis tempore, factæ per Apostolicam sedem præfato quondam Carolo Siciliæ Regi, ipso jure & sine aliquo facto hominis, juxta dicti tractatus pacis seriem sic revertatur, quod liceat tunc prædicto domino Carolo Regi Siciliæ & legitimis heredibus suis dictam insulam Siciliæ cum insulis ei circumadjacentibus, aliisque juribus & pertinentiis suis ad soliditatem & integritatem prædictæ terræ alterius citra Farum, & uni-

Moriente Friderico, Trinacriam ad Carolum vel successores devolutum iri.

tatem totius regni Siciliæ auctoritate propria, & sine jussu alicujus præsidentis, seu judicis revocare; præfatis conventionibus inter ecclesiam & quondam Regem prædictos habitis, & pace prædicta, ejusque tractatu in sua manentibus firmitate: & quod per detentionem, vel retentionem, aut divisionem prædictarum insularum, jurium, & pertinentiarum ipsarum faciendas juxta pacis prædictæ tenorem, jamque factas ad vitam dicti domini mei per confirmationem præfatam post obitum ejus ipsis domino Carolo ejusque successoribus nullum in petitorio vel possessorio præjudicium generetur, aut ex possessione vel tenuta prædictis, allegari possit præscriptio, vel opponi: quodque hominibus insularum ipsarum non possit aliquod afferri præjudicium in futurum, nec per hoc insula ipsa ad prædictas unitatem, integritatem, & soliditatem immediate post ipsius domini mei Regis obitum, ut prædicitur, redeunte, in functionibus publicis aliisque debitis præstationibus gravetur in plus, quam rationabilis, & moderata proportio patiotur. Et juro ut supra, quod idem dominus meus Rex prædicta per me promissa inviolabiter observabit, & fideliter adimplebit. Dat. Laterani VI. *id. decemb. anno* I.

Nullam ex possessione præscriptionem valituram.

LIV. Ob non solutum censum devinxerat se anathemate.

Infregit postea hæc sacramenta Fridericus, occupatamque ab ipso Siciliæ insulam restituere posteri detrectarunt: de pendendo vero trium millium unciarum auri vectigali Romanæ ecclesiæ promissam fidem non exolverat hoc anno, pœnisque anathematis non se irretierat modo, verum sacrorum justitium in regnum magna rei divinæ injuria adduxerat. Veniam porro facti flagitanti, atque expiandi criminis voluntatem præseferenti, Pontifex clementiam apostolicam explicuit: (*a*) piorum enim societati restituit Fredericum, ac ne divinus cultus obsoleseceret, templa aperiri jussit, pensitandique vectigalis, cui tunc solvendo ob exhaustum ærarium non erat, diem ad kal. majas anni proximi extraxit ea lege, ut si officio deesset ſtata die, pristinas censuras contraheret.

(*a*) Ep. cur. 24.

Charissimo in Christo filio Friderico Regi Trinacriæ illustri.

Benedicti ad illum de ea re literæ.

Romana mater ecclesia tanta suos filios benignitate prosequitur, quod ad eam recurrentibus gremium nunquam claudit; quin potius illis clementer suum suæ propitiationis expandens, in iis libenter se favorabilem exhibet, quæ ad salutem pertinent animarum. In conventionibus si quidem, olim inter eandem ecclesiam & te habitis, super concessione facta tibi certo modo in feudum ad vitam tuam per dictam ecclesiam de insula Siciliæ & aliis insulis ei adjacentibus, inter alia continetur, quod tu censum annuum trium millium unciarum auri ad generale pondus regni Siciliæ singulis annis termino infrascripto eidem ecclesiæ solvere tenearis; quodque si per te in solutione dicti census fuerit termino ipso cessatum, in illas pœnas spirituales & temporales incidas, quæ in conventionibus primo initis inter dictam ecclesiam & claræ memoriæ Carolum Regem Siciliæ, & charissimum in Christo filium nostrum Carolum Regem Siciliæ illustrem ipsius filium postea in capitulo solutionis & cessationis census, servato ordine in eodem expresso capitulo, continetur. Verum quia in eodem continetur capitulo, quod pro generali censu regni & terræ, dictis Regibus eorumque heredibus in feudum a præfata ecclesia concessorum, octo millia unciarum auri ad pondus prædictum in festo B. Petri, ubicunque foret Romanus Pontifex, ipsi Romano Pontifici & dictæ ecclesiæ annis singulis solverentur; & quod si ipsi Reges, vel eorum in dicto regno heredes quocunque termino non solverent integre censum ipsum, & expectati per duos menses terminum ipsum immediate sequentes de illo ad plenum non satisfacerent, eo ipso forent excommunicationis sententia innodati; quodque si infra alios duos menses sequentes eundem censum sine diminutione qualibet non persolverent, totum regnum Siciliæ, & tota terra prædicta ecclesiastico essent supposita interdicto; tu, qui nondum censum prædictum trium millium unciarum pro anno præsenti solvisti, quamvis tam primus quam secundus terminus sint elapsi, propter lapsum dicti primi in excommunicationis sententiam incidisti, & propter lapsum secundi termini eædem insulæ ecclesiastico subjacent interdicto; nonnulli etiam clerici illarum partium, interdictum hujusmodi non servantes divina inibi dicuntur officia celebrasse; quare nobis ex parte tua fuit humiliter supplicatum, ut cum adhuc tu commode censum solvere nequeas antedictum, & tam tibi quam dictis clericis cæterisque ipsarum incolis insularum non modicum ex præmissis immineat detrimentum, providere super iis omnibus de benignitate apostolica dignaremur.

Ut ecclesiasticum interdictum contraxerit Sicilia.

Creatum inde animarum salutis periculum.

Nos autem, considerantes tuæ devotionis affectum, qui super iis appetis remedium salutare, tuis supplicationibus inclinati, te ab eadem sententia, quam propter censum hujusmodi non solutum statuto tempore incurristi, apostolica auctoritate absolvimus, & interdictum prædictum etiam relaxamus, tibi usque ad kal. maii proximo venturas, solutionis census prædicti terminum prorogando, ac dispensando cum illis, qui interdictum prædictum taliter violarunt, super irregularitate, quam propterea contraxerunt: ita tamen, quod tu in eisdem kal. maii venturis plene de censu satisfacias memorato; iidemque irregulares recipiant a suis confessoribus, & etiam peragant pro violatione hujusmodi juxta modum culpæ pœ-

Clementia usus in Fridericum. Pont. solvendi census dilem extrahit.

pœnitentiam salutarem. Quod si censum prædictum forte non solveres in hujusmodi termino prorogato, volumus quod tu in excommunicationis, insulæ vero prædictæ in interdicti sententias recidatis præfatas: & nihilominus tu in pœnas statutas in conventionibus antedictis pro cessatione solutionis in tertio termino incidas ipso facto. Per præmissa vero conventiones eædem nullam immutationem recipiant, sed alias ut prius in sua maneant firmitate. Dat. Laterani V. *id. decembris anno* I.

LV.

Usus est eadem benignitate erga Carolum II. Regem Siciliæ, cui persolvendi census diem a festo omnium sanctorum ad natalitia Domini extraxit. (*a*) Cumque is post ejectos Luceria Saracenos ecclesiam principem, ut divinum cultum in ea instauraret, vectigalibus locupletasset, Benedictus, ut gratiam pro amplificata re ecclesiastica reponeret, plura illius ecclesiæ sacerdotia conferendi jure Carolum exornavit. (*b*) Cujus præclara elogia, ob exciſam in Sicilia citeriori superstitionem Mahumeticam, silentio involvenda non videntur.

(*a*) Ep. cur. 13. Caroli Regis Sic. præclarum facinus.

(*b*) Ep. 519.

Benedictus &c. Carolo Regi Siciliæ illustri.

Sincerum habens tanquam princeps catholicus ad Regem regum devotionis affectum, ea vigili mente prosequeris, quæ ad sui laudem nominis, & amplitudinem fidei orthodoxæ conspicis pertinere; nosque propter hoc personam tuam, nobis & Apostolicæ sedi devotam, paternæ dilectionis brachiis amplectentes, eam non immerito favoribus gratiosis attollimus, & apostolicis gratiis honoramus. Sane tu dudum pie considerans, quod ex mora, quam faciebant Saraceni in civitate S. Mariæ, tunc vocata Luceria, derogabatur plurimum fidei prælibatæ, ab ea Saracenos prædictos, ut ex tunc inhabitarent inibi libere Christiani, exterminari fecisti spiritu Dei ductus. Et quia etiam cathedralis ecclesia ipsius vicinia omnino parva, & in loco minus decenti extra ejusdem civitatis ambitum sita erat; & habebat adeo tenues facultates, quod venerabilis frater noster episcopus S. Mariæ non valebat ex eis juxta pastoralis dignitatis exigentiam sustentari, & propter tenuitatem proventuum eadem ecclesia patiebatur defectum etiam ministrorum; tu hoc salubri meditatione recogitans, ad locum idoneum ad te spectantem infra dictum ambitum transferri eandem ecclesiam procurasti, eamque de bonis tuis regalibus, quorum proventus excedunt trecentarum unciarum auri valorem annuum, dotavisti: ex quibus nonnullæ dignitates in eadem ecclesia sunt creatæ; & ex earum residuo tam idem episcopus, quam ministri ejusdem ecclesiæ decentem possint sustentationem habere, ac incumbentia eis onera supportare. Felix Rex, qui habet intimum ad superiora respectum: terrena in cœlestia, & transitoria in æterna felici sutagis commercio commutare.

Ut Saraceni Luceria pulsi.

Civitas S. Mariæ noncupata sit.

Cathedralis ecclesia vectigalibus aucta.

Nos autem, celsitudinem tuam in hac parte dignis in Domino laudibus commendantes; ac volentes propterea in eadem ecclesia, quam sicut regia liberalitas honorasti, non solum te, sed & successores tuos in eadem regno tui intuitu honorare concessione privilegii singularis, ut ex hoc tu & successores prædicti magis teneamini dictæ ecclesiæ, ejusque ministris regium favorem impendere temporibus opportunis; præsentandi personas idoneas eidem episcopo ad decanatum, archidiaconatum, & cantoriam, & conferendi vice apostolica meritetatem præbendarum ejusdem ecclesiæ cum vacaverint: personas similiter ad eas obtinendas idoneas constitutionibus quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus, tibi & successoribus ipsis in perpetuum apostolica auctoritate concedimus de potestatis plenitudine facultatem, &c. Dat. Lat. XVI. *kal. decembris anno* I.

Patronatus jus Regi Carolo datum.

LVI. Ericus Rex Daniæ ob consanguineam ductam uxorem notatus anathemate. (*c*) *Ib. ep.* 30.

Hic porro alienum non fuerit apostolica beneficia, quæ cæteris Regibus impertiit, conjungere. Albertum Romanorum Regem, & Elisabetham conjugem, eadonavit prærogativa, ut divina, in locis interdicto ecclesiastico subjectis peragenda, coram ipsis curarent. Ericum Regem Daniæ lege de conjugiis postulatum, ac sacrorum communione pulsum a Lundensi [1] archiepiscopo piorum cœtui reddi jussit. (*c*) Contraxerat jam diu ante vetitas nuptias Ericus cum Ingeburge Regis Sueciæ Birgerii germana, quarto consanguinitatis gradu conjuncta: quæ si dissolutæ fuissent, ingentis belli terror impendebat, ac plures scandalum passuri erant: ad quæ avertenda mala de legum severitate remisit Benedictus, provinciamque hanc Lundensi archiepiscopo imposuit: *Mandamus, qua-*

NOTÆ [1] SI veteres chronologos Danos a Ludevvig vulgatos consuluerimus, nonnulla sunt, quæ hic in annalista emendes. Igitur Joannes Grand ante hunc annum e Lundensi ecclesia ad Rigensem transierat, quod anno 1302. assignat chronologus, qui sub n. VII. vulgatus historiam suam usque ad exitum sæculi sequentis perducit. Neque erroris revinci ex eo potest, quod Raynaldus hic epistolam Bonifacii pontificis laudet, datam ad Joannem Lundensem; forte enim episcopi nomen nonnisi priori litera I indicatum erat in registro, eaque designabatur Isarnus, qui anno illo 1302. e Rigensibus ad Lundenses insulas transierat, teste eodem chronologo. Cæterum regis censuræ nonnisi anno sequenti, quo nuncius ab eo Romam missus rediit, sublatæ sunt. Quamquam interdictum e regno Daniæ Isarnus archiepiscopus hoc anno die cœnæ Domini amovit. MANSI

Soluta a Bened. ad illius gratiam lege de confang. cenſuris liberatus.

(a) Crantz. Dan. l. 7.

quatenus impoſita ipſis pro eo, quod taliter abſque diſpenſatione apoſtolica contraxerunt, nec non pro copula & cohabitatione prædictis pœnitentia ſalutari, eiſque ad tempus uſque ad tuæ diſcretionis arbitrium carnali commercio interdicto; quod in eodem matrimonio licite remanere valeant. Agit de iis Albertus Crantzius, (*a*) ac Birgerium Regem. Erici germanam duxiſſe ſcribit, ut geminatis affinitatibus fortius inter ſeſe devincti eſſent.

(b) Ep. 27. Jacobus Lund. archiep. ab Erico Rege & fratre Chriſtoph. vinculis mancipatus.

Irretierat etiam ſe aliis cenſurarum vinculis Ericus, quæ pontificia abrupit clementia, (*b*) & Chriſtophorum fratrem, alioſque plures in ſceleris commercium traxerat: Joannem enim Rigenſem epiſcopum, poſtea ad Lundenſem eccleſiam traductum, & Jacobum præpoſitum Lundenſis eccleſiæ in vinculis diu tenuerat: ob quod flagitium interdicto eccleſiaſtico perculſa luxerat Dania. Exercuiſſe vero inter ſe ſimultatem, ac de regio, & eccleſiaſtico jure, cum partes ſuas quiſque juſtiores reputaret, acerrime contendiſſe ſcribit laudatus Crantzius: (*c*) denique miſſis ab Erico oratoribus ad pontificiam aulam, controverſiam compoſitam fuiſſe. Extant ea de re Benedicti ad Joannem Lundenſem archiepiſcopum literæ, (*d*) quibus flagitii reos, expiato rite crimine, fidelium conſortio reddere, ac diſſolvere cenſuras juſſit: *Juxta*, inquit, *formam eccleſiæ, cum ab eis fueris humiliter requiſitus, ſi ut præmittitur ſatisfactionem impenderunt.*

(c) Crantz. ubi ſup.

(d) Ead. ep. 27. Regem crimine expiato abſolvere juſſus.

LVII. Theſaurum Bonifacii direptum recuperare nititur Benedict.

Ut ſupplices paterno excepit ſinu ſanctiſſimus Pontifex, ac venia illorum crimina delevit, ita in contumaces ſeveritatis aculeos exeruit: ac ne qui patrati atrociſſimi in Bonifacium VIII. ſceleris præmio ac ſpoliis ſuperbirent, ſolemni ritu eccleſiaſticum fulmen in eos omnes vibravit, (*e*) qui ſtato tempore omnia, quæ ad ipſos ex direpto Anagniæ Bonifacii theſauro pervenerant, non reſtituiſſent. Quam ſententiam accenſis facibus, & campanis pulſatis promulgandam edixit, ac Bernardum Rojardi archidiaconum Xantonenſem ad amiſſa recuperanda in Campaniam pontificia inſtructum auctoritate miſit: (*f*) cui etiam, ut ſeveritatem clementia temperaret, abſolvendi eos, qui raptas opes redderent, poteſtatem demandavit.

(e) Ep. cur. 1.

(f) Ep. cur. 21.

Benedictus &c. magiſtro Bernardo Rojardi archidiacono Xantonenſi cappellano noſtro.

Dudum nonnulli perditionis alumni nefandum flagitium in perſonam felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri apud civitatem Anagniæ, dum ibi prædeceſſor ipſe cum ſua curia reſidebat, committere non expaverunt: quidam vero tunc cæcæ cupiditatis ardore ſuccenſi, ad theſaurum Romanæ eccleſiæ, aliaque bona dicti prædeceſſoris, & fratrum noſtrorum Romanæ eccleſiæ Cardinalium, & aliarum plurium perſonarum, tunc in eadem civitate exiſtentium, manus avidas extenderunt, multa de theſauro & bonis prædictis, auſu nefario rapiendo, & etiam aſportando. Et infra: *Ideoque diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad partes eaſdem te perſonaliter conferens, ad inveniendum & recuperandum quæcunque de theſauro & bonis prædictis ibi poterunt reperiri, diligenter apponas, prout expedire videris, noſtra fretus auctoritate, tuum miniſterium ſtudioſum, inquirendo & procedendo ſuper hoc ex officio ſummarie de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, quomodocunque & per quoſcunque tibi videbitur opportunum.*

Qui rapta reſtituerent cenſuris abſolvi juſſi.

Ut autem hæc, quæ tibi committimus, eo liberius exequi valeas, quo majori circa ea fueris poteſtate munitus, vocandi propter hoc ad præſentiam tuam perſonaliter, quoſcunque videris evocandos, etiamſi extra Campaniam fuerint, & exigendi a quibuſcunque tibi videbitur de veritate dicenda, ſive de parendo mandatis tuis, aut eccleſiæ, vel quodcumque aliud juramentum; ac abſolvendi illos, qui reſtituerint, quæ habent de theſauro, & bonis prædictis & qui etiam revelaverint, quos habere ſciverint ex eiſdem, ab excommunicationum ſententiis, quas propterea incurrerunt, impoſita ipſis pro modo culpæ pœnitentia ſalutari; ſtandi præterea, præcipiendi, & faciendi in prædictis partibus quæcumque circa præmiſſa noveris expedire; immo contradictores quoſlibet, & rebelles quoſcunque, & cujuſcunque conditionis fuerint aut ſtatus, etiam ſi pontificali vel alia quavis præeminent dignitate; auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendi, ac invocandi ſuper hoc, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſæcularis; & infra, *plenam & liberam tibi concedimus auctoritate præſentium facultatem. Dat. Laterani* VII. *id. decemb. anno* I.

LVIII. Orientali eccleſiæ proſpicere ſtudet Bened.

Dignam etiam apoſtolico zelo ſolicitudinem porrexit in orientem, atque alias ſchiſmaticorum provincias, in quibus ob diuturnum ſchiſma vitiorum ſentes excreverant: adeo enim obſoleverat divinus cultus, ſanctorum patrum inſtituta impune convellebantur, & labefactabatur evangelica lex, ut, quemadmodum deplorat Pontifex, eccleſiæ (*g*) forma ac pulchritudo in terris Andronici Imperatoris Græcorum & Oroſii Regis Serviæ illiuſque fratris ac matris Helenæ ditione penitus emarcuiſſe videretur. Ut igitur tot animarum ſtragi, atque ingentibus aliis malis, quæ ex ſchiſmate omnium ſcelerum fonte defluxerant, occurreret Chriſti vicarius, Martinum Antibarenſem archiepiſcopum, ut in Servia aliiſque Græcorum circumjectis provinciis ad ea emendandanda incumberet, auctoritate apoſtolica inſtruxit (*a*).

(g) Ep. 149.

(a) Ead. ep. 149.

Benedictus &c. venerabili fratri Martino archiepiſcopo Antibarenſi.

Ad audientiam noſtram pervenit, quod in Arbania, Polato, Canavia, Duratio, Cataro, Dulanio, Suacio, Scodro, Drivaſco, Antibaro, & quibuſdam aliis locis ſub dominio Andronici Imperatoris Græcorum, ac Oroſii Regis Serviæ, & fratris ejus S. nec non chariſſimæ in Chriſto filiæ Elenæ matris eorum Reginæ Serviæ illuſtris poſitis, temporis nequam faciente malitia, adeo in prælatis & clericis, religioſis quoque perſonis, & aliis propter diverſa, & enormia... criminum, quæ committuntur ab ipſis, eccleſiæ religionis eſt deformata honeſtas, quod decora mater Eccleſia, quam ſibi ſpecioſus forma præ filiis hominum in ſponſam dignanter elegit, non habentem maculam neque rugam, facta eſt ibi per prævaricationem decalogi & tranſgreſſionem evangelicæ legis, & fidei catholicæ nimium indecora. Prætermiſſis & etenim ſanctorum patrum inſtitutionibus ſacris, & canonum veneranda cenſura, in collationibus ſacrorum ordinum & beneficiorum nulla ſervatur diſtinctio temporum vel ætatum: nam ſi ſimoniaca labes apud promoventes pro promovendis, vel laicalis potentia interveniat, datur hæc petentibus indiſtincte. Nonnulli vero ad prælationes pariter ac alia beneficia eccleſiaſtica, eorundem adhuc perſonis viventibus, ſe illicite promovere procurant, hujuſmodi prælationibus, perſonatibus, ſeu beneficiis tam enormiter acquiſitis damnabiliter incubantes deteſtandi, inſerviendo potius ritibus ſuper iis, in quibus norma ſervanda eſt apoſtolicæ dignitatis, quam approbatis æquitate canonica moribus adhærendo.

Ingentia mala a ſchiſmate inducta.

Laici inſuper uxorati, uxoribus ſuis viventibus de facto ſuperinducentes alias, eis temere præſumunt ſe nefario contubernio commiſcere; alias in prohibitis conſanguinitatum & affinitatum gradibus illicite matrimonia contrahendo. Alii etiam ex ipſis, dum exceſſus in eccleſias & loca religioſa, eorumque perſonas ab eis multiformiter irreverenter commiſſos impunes pertranſeunt, facilius ad graviores reatus vel ſimiles prolabuntur, nunc incendiorum & effractionum diſpendia, nunc direptionum & invaſionum diverſos & ſacrilegos auſus in perſonas & loca prædicta committere, & alia quamplura in eccleſiaſticæ libertatis depreſſionem, & ordinis clericalis defectum inferre gravamina præſumendo: & cum per hujuſmodi & aliorum quamplurium exceſſuum præſumptione peſtifera eccleſiæ, religioſæ ſæculareſve perſonæ tanquam lepræ reſperſæ contagio factæ ſint per excommunicationis diverſas ſententias, quas pro iis exceſſibus in millibus frequenter incurrere dignoſcuntur, a gremio Eccleſiæ alienæ, tanquam parvuli & imbecilles in fide non habentes, qui panem frangat eis doctrinæ cœleſtis, vel gravia vulnera curet ipſorum, in via deficiunt; ſuiſque incuratis vulneribus, pereunt fauciati in prædictis ſententiis & irregularitatibus, abſolutionis & diſpenſationis beneficio non obtento, decedendo: præſertim cum propter interſtitia magna locorum & viarum diſcrimina, alias etiam incommodis paupertatis ac ſenii prohibentibus pro ſuæ reconciliationis, & diſpenſationis apoſtolicæ gratia, ſuorumque medela vulnerum ad gremium nequeant maternæ recurrere pietatis, Quia igitur ex impoſito nobis apoſtolatus officio ſolicitudine quadam urgemur, ut inter cætera, quæ circa dominici gregis curam noſtræ vigilantiæ imminent, in divini nominis cultu religionis Chriſtianæ augmenta, & lucra quæramus potiſſime animarum; attendentes, quod ſecundum veritatis evangelicæ dogma ſanis minime opus ſit medicari, ſed male habentibus; de tua circumſpectione confiſi fraternitati tuæ præſentium auctoritate committimus, ut hac vice corrigas, emendes, & reformes hæc omnia in regno & locis prædictis, &c. inſtruit auctoritate, ut cenſuris implicitos ſolvat, ritеque expiet. *Dat.* XIV. *kalen. decembris anno* I.

Archiep. Antibarenſis iis abolendis dare operam juſſus.

Inſtruitur auctoritate ad reos noxa liberandos.

LIX. Oroſius Serviæ Rex.

Ut vero priſtinum eccleſiæ ſplendorem in iis terris reſtitueret, ac Servios ad Romanæ eccleſiæ conjunctionem revocaret, cum accepiſſet Benedictus Regis Oroſii animo pium abrumpendi Græci ſchiſmatis deſiderium cœlitus influxiſſe, ipſum ad ſacra vota mandanda operi, ſubditoſque ad ſedis Apoſtolicæ obſequium alliciendos, propoſitis cœleſtibus præmiis, excitare ſtuduit (*b*).

(b) Ep. 125.

Magnifico principi & Regi Serviæ, ad unitatem matris eccleſiæ ſolicite properare.

Romana mater eccleſia, ſalutem quærens jugiter filiorum, dolet ab intimis, cum eorum quempiam conſpicit a ſuo gremio deviare, ipſoſque ſtudet ad viam reducere veritatis. Gaudemus quidem in Domino, quod ſicut fide dignorum relatione didicimus, ac alias evidentibus apparere dicitur argumentis, licet tu hactenus ac barones & populus regni tui ab ipſius eccleſiæ obedientia recedentes, via lucis dimiſſa, diu per ſemitas ambulaveritis tenebrarum; nunc tamen tu inſpiratione divina ad iter aſpiras redire ſalutis, ejuſdem videlicet eccleſiæ unitatem. Ex quo nos hujuſmodi pium tuum propoſitum, tibi divinitus inſpiratum, in Domino commendantes, ac referentes exinde laudes & gratias creatori; ſperantes quoque, quod iidem barones & populus tuo exemplo laudabili, relictis tenebris, viam veritatis agnoſcent; magnificentiam tuam rogamus & hortamur in domino Jeſu Chriſto, quatenus inſpirationem hujuſmodi recognoſcens

Excitatur a Bened. ad ſchiſma abjudandum.

ab illo, qui omnes salvare cupit, & neminem vult perire, ad unitatem properare studeas, absque damnosæ moræ dispendio, fidei orthodoxæ, per quam mortis æternæ vitatur interitus, & ad felicitatis perpetuæ gloriam pervenitur; spem plenam & fiduciam habiturus, quod te in fidei constantia, & ejusdem ecclesiæ obedientia persistente, Apostolica sedes te, tamquam filium prædilectum, sinceræ dilectionis brachiis amplectetur, eaque studiis efficacibus & promptis operibus prosequetur, quando tui honoris & commodi conspicere viderit incrementum. Dat. Laterani x. *kal. januarii anno* I. Accepit etiam Pontifex Helenam Reginam Serviæ, quæ præclaram fidei orthodoxæ amplificandæ operam dabat, in apostolicam clientelam. (*a*) Fuerant jam ante Servii Romanæ ecclesiæ obsequentes, ut in Innocentio III. (*b*) atque in Honorio III. (*c*) vidimus, ad quem Stephanus Rex totius Serviæ, Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ atque Ohbluniæ officiorum plenas literas ad pristinam cum ecclesia Romana conjunctionem confirmandam misit.

(*a*) Ep. 117.
(*b*) Anno 1204. n. 46.
(*c*) Ann. 1220. n. 27.

LX. Quod ad Imperii orientalis statum attinet; quassata ejus basi, religione nimirum orthodoxa, moribusque cleri & populi turpiter deformatis, (*d*) infideles Turcæ ulcisscente divino Numine, eam Imperii partem, quæ in Asiam excurrebat, populabantur; cum ad Andronici preces, compositio bello Siculo, auxiliare Aragoniorum & Catalonorum agmen duce Rogerio Florio Brundisino Constantinopolim applicuit, magnificeque exceptum ab Imperatore, in Turcas, qui Philadelphiam obsidione cinxerant, immissum est. A quibus partam insignem victoriam, narrat Gregoras (*e*): *Instante*, inquit, *vere ad Philadelphiam diuturna obsidione liberandam abjerunt, quæ geminis malis premebatur, foris hostili metu, intus hoste multo graviore penuria cibariorum & fame. Ac id quidem munus pulcherrime & fortissime administrarunt.* Et infra: *Nam cum Turci Latinorum disciplinam militarem, armorumque splendorem, & ferocem impetum vidissent, metu perterriti non modo procul ab urbe, sed pene ultra veteres Romanorum fines fugerunt. Tantus enim & talis erat ille exercitus. Itaque & armis, & rei militaris usu, & militum numero instructus, una enim militabant, non modo Romani lectissimi, sed & omnis Alanorum exercitus, ut haud abs re conspectu illius hostes percellerentur, multique dicerent, nisi metus Imperatoris, qui longius eos progredi vetuerat, obstitisset, nihil fuisse prohibiturum, quo minus omnes Romanas & urbes & provincias brevi recuperassent.* Ut vero postea illi, meritis ab Andronico fraudati stipendiis, rapinas exercuerint in Græcos, deplorat auctor:

(*d*) Ep. cur. 149. Græci Imperii in Asia reliquias Turcæ dissipant.

(*e*) Niceph. Gregor. l. 7. Surit. ind. l. 2.

Militaris societas contra Turcas.

Parta de iis victoria.

Andronici ea non usi inertia.

(*f*) atque hos postea a Græcis in catholicos Gallici generis, qui Achajam, ac provincias finitimas, amissa Constantinopoli, retinuerant, concitatos inferius lugebimus. Nunc ad Syriæ res sermonem traducimus.

(*f*) Id. Greg. ibid.

LXI. Syriæ res.

Hoc anno Tartari Armenique, fidei propagandæ cupidi, adversus Saracenos ad excindendam Mahometis superstitionem, ingentem expeditionem compararunt; quam & illius exitum ex Aytono, (*g*) qui Regis Armeniæ consanguinei castra sequebatur, describere operæ pretium visum est.

(*g*) Aytho. hist. orien. c. 42. Sanut. l. 3. p. 13. c. 8.

Anno, inquit, *MCCCIII. Casanus, congregato iterum exercitu copioso cum magno apparatu, pervenit usque ad flumen Euphratem, intendens regnum Syriæ introire, & sectam Mahumeti totaliter destruendo, Terram sanctam liberam restituere Christianis: Saraceni vero, Casani timentes adventum* * *& in bello non confiderent se esse pares, totam terram eorum combusserunt ante faciem Tartarorum; ita quod collectis frugibus, & aliis in terra crescentibus, ac animalibus in castris & munitionibus congregatis, residuum totum ignibus devastarunt, ut cum Tartari venirent, non invenirent victualia, neque pabula pro jumentis. Quando Casanus intellexit ea, quæ fecerant Agareni; & qualiter dissipaverant totam terram, cogitans, quod equi illis in terris taliter devastatis non possent sustentari, accepit consilium remanendi super litora fluminis Euphratis illa hyeme, & veris tempore veniente, dum herbæ inciperent pullulare, perficere iter suum: majorem enim curam habebant Tartari de equis suis, quam de seipsis, quia dum modico & vili cibo sciant esse contenti, de seipsis quodammodo non curabant. Tunc Casanus misit pro Rege Armeniæ, qui sine tarditate veniens, super flumine se locavit: & tanta fuit ibi gentis multitudo, quod exercitus Casani per tres diætas extendebatur in longum, a quodam videlicet castro, quod vocatur Caccabe, usque ad aliud castrum nominatum Libire: quæ quidem castra erant Saracenorum, sed absque insultu aliquo reddiderunt se Casano. Cumque Casanus taliter moraretur, tempus congruum expectando, ut posset de Saracenis perficere vota sua, & Terram sanctam de ipsorum manibus liberare; & ecce diabolus obstaculum interjecit. Num Baydo suprius nominatus terras Casani iterum introivit, & intulit damna multa, sicut Casano extitit enarratum: unde consultum fuit Casano, quod ad propria remearet. Casanus quidem plurimum perturbatus pro eo, quod tamdiu differebatur negotium Terræ sanctæ, jussit Cotulossæ duci suo, quod cum quadraginta millibus Tartaris regnum Syriæ introiret, & civitatem Damasci caperet, & omnes perderet Sa-*

Casani ad eam Saracenis eripiendam expeditio.

* cum

Rex Armeniæ copias jungit.

Baydo Casanum distrahit.

Saracenos. Rex quoque Armeniæ cum gente sua præfato duci Cotulossæ est associatur.

LXII. Pars exercitus cum Armeno excindit Hames.

Casano itaque ad propria redeunte, Cotulossa cum quadraginta millibus Tartaris & Rex Armeniæ cum suo posse regnum Syriæ introiverunt, omnia devastantes, quousque pervenerunt ad civitatem Hames; ibique credierunt, sicut alias fecerant, Ægypti exercitum invenire: sed certos intelligentes rumores de Soldano, quod esset in civitate Gazaræ, inde nullatenus egressurus, obsederunt viriliter civitatem Hames, quam post paucos dies violenter ceperunt, & indifferenter omnes Saracenos gladio peremerunt: ibique invenerunt divitiarum copiam, & magnam multitudinem armatorum. Deinde vero se transtulerunt ad civitatem Damasci, ut eandem quoque obsiderent: & ecce cives suos miserunt nuntios, supplicando quod eis concederentur induciæ triduanæ, quas inducias habuerunt. Præcursores vero Tartarorum, qui fere per unam diætam transiverant jam Damascum, ceperunt quosdam Saracenos, quos transmiserunt ad Cotulossam, ut per eos inquireret certa nova. Cotulossa ergo per illos Saracenos rumoribus intellectis, quod ibi prope circa duas diætas, erant mille ducenti equites Saracenorum, qui adventum Soldani quotidie expectabant, cum festinatione equitavit, ut ex improviso illos caperet, & teneret. Et quando Cotulossa & Rex Armeniæ pervenerunt ad locum, ubi erant mille ducenti equites Saracenorum, erat quasi hora vespertina & paulo ante applicuerat jam Soldanus. Cotulossa ergo & Rex Armeniæ, qui credebant occupare solos istos mille ducentos Saracenos, videntes se sua opinione deceptos, steterunt ut consilium caperent.

Levia aliquot prælia.

Consultum itaque fuit Cotulossæ, quod requiesceret nocte illa, & inimicos in crastino impugnaret, cum dies jam ad vesperam declinasset. Cotulossa vero, qui vilipendebat Soldanum & etiam gentem suam, noluit in hoc casu quiescere consilio alicujus: immo præcepit festinanter acies ordinari. Saraceni vero hoc videntes, steterunt, quia a quodam lacu, & quodam monte erant a duabus partibus præmuniti; & scientes quod Tartari absque eorum discrimine ad eos accedere non valebant, noluerunt exire ad pugnam, sed ibi firmiter expectaverunt. Cumque Tartari crederent absque obstaculo invadendos Saracenos, & ecce quendam ante se rivulum invenerunt, qui in certis locis transitum non habebat: unde tardaverunt Tartari multum antequam possent transire rivulum supradictum. Sed postquam Cotulossa & Rex Armeniæ cum majori parte suorum rivulum transiverunt, in inimicos viriliter insultarunt. Soldanus stetit, nec de loco quidem, ubi erat, inter lacum & montem voluit se movere. Noctis vero caligine appropinquante, dum videret Cotulossa Soldanum stantem, & nolentem ad pugnam egredi, ut sperabat, congregatis suis, juxta montem nocte illa quievit: veruntamen circa mille Tartarorum, qui non potuerunt de die rivulum pertransire, non fuerunt cum aliis nocte illa. Veniente vero die ad pugnandum se Tartari paraverunt, & in Soldanum viriliter insultarunt: sed Soldanus noluit in campum venire more bellorum: sed stetit in illo tutiori loco cum gente, se quantum poterat defendendo. Tartari vero conabantur extrahere Saracenos: sed nullo modo potuerunt. Durante vero insultu a mane usque ad nonam, propter defectum aquæ, quam non invenerant nocte illa nec die, tædio & siti nimium fatigati retrocesserunt: &, dimisso Soldano, recesserunt unus post alium paulatim per turmas & acies ordinati, quousque pervenerunt ad planitiem Damasci: ibique invenerunt abundantiam magnam aquæ, & pascua valde bona, & ordinatum fuit ibi stare, quousque hominibus & equis daretur requies opportuna, ut postmodum melius possent redire ad prælium cum Soldano.

Tartarorum castra in Damasci planitiæ fixa.

Habitatores vero Damasci, scientes quod exercitus Tartarorum erat in illa planitie collocatus, quadam nocte aquas fluminis per quosdam meatus & rivulos discurrere permiserunt: & antequam octo horæ noctis illius pertransissent, aquæ in tantum creverunt ubique, quod Tartari coacti sint surgere & recedere festinanter. Cumque nox illa esset multum tenebrosa, & fossata forent omnia plena aquis, & nulli tramites apparerent, omnes fuerunt quasi confusi; & multa animalia, arma & arnesia fuerunt in illa planitie propter aquas, & etiam quamplures homines suffocati: & inter cæteros Rex Armeniæ plura dicitur amisisse. Veniente vero die, per gratiam Dei aquarum pericula evaserunt: sed cum arcus & pharetræ Tartarorum, cum quibus præcipue præliantur, ac alia arma ipsorum essent totaliter madefacta, quod illa non poterant exercere: unde fuerunt taliter stupefacti, quod si inimici eos persecuti fuissent, nullus penitus evasisset; immo illos velut aves capere potuissent.

Derivato flumine diffipata.

LXIII. Turpis Christianorum & Tartarorum fuga.

Post hæc vero paulatim Tartari propter illos, qui equos suos amiserant, incedentes ad litora fluminis Euphratis, sunt reversi, nec aliquis inimicorum ausus fuit illos sequi sive invadere quoquo modo: quandoquidem pervenerunt ad flumen, quod transire oportuit natando: & sicut melius fieri poterat super equis, dum flumen illud esset turbidum & inflatum propter abundantiam pluviarum, multi Armeni perierunt in illo, etiam Tartari & Georgiani, & multi equi fuerunt in flumine suffocati. Et sic accidit, quod non per potentiam inimicorum, sed casu & malo consilio tanquam confusi ad propria redierunt. Hoc quidem

Aython historicus rei spectator.

dicitur evenisse, eo quod Cotuloſta nolebat acquiescere consilio alicujus: nam si sapientibus credidisset, illa potuisset consilio faciliter evitasse. Ego enim frater Aytonus, hujus historiæ compilator, præsens fui: & si forte super hac materia loquor prolixius, quam decet, mihi quæso venia tribuatur: nam hoc facio, ut in casu simili similia discrimina valeant reminiscí: rebus enim consulte actis, consueverunt fines laudabiles obtinere: & e contra, quæ improvide fiunt, optatis successibus sæpius carent. Postquam itaque Rex Armeniæ flumen Euphratem pertransivit, non sine damno suorum, decrevit ire ad Casanum, antequam ad regnum Armeniæ remearet. Unde recto tramite perrexit ad civitatem Ninive, in qua Casanus tunc residebat; & Casanus Regem suscepit honorifice & benigne, & super amissionibus atque damnis Regi plurimum est compassus: unde eidem fecit gratiam specialem; nam sibi concessit mille Tartaros, qui suis expensis semper essent stantes in custodia regni sui, & de regno Turquiæ præcepit Casanus certam quantitatem pecuniæ Regi dare, de qua posset alios mille equites stipendiarios ad suum placitum retinere. Rex igitur, accepta licentia, ad regnum Armeniæ est reversus, & Casanus ei injunxit, quod prudenter vigilaret circa custodiam regni sui, quousque ad subsidium Terræ sanctæ personaliter, dante Domino, posset ire.

LXIV.

Absolvimus hunc annum insigni divinæ in Judæos, qui Christi Domini odio carnificinam immanem in puero Christiano exercuerant, ultionis exemplo: Lugubrem historiam narrat hisce verbis Siffridus (*a*): *MCCCIII. Judæi perfidi effusioni sanguinis Christiani assueti, scitum quendam puerum scholarem, Conradum nomine, filium cujusdam militis in Vveisensehа civitate Turingiæ multis cruciatibus affligentes, & sectis omnibus nervis & venis, totum sanguinem ejus elicientes, ante festum pascbatis crudeliter occiderunt. Sed Deus omnipotens, qui gloriosus est in sanctis suis, innocentis pueri necem occultari non sustinens & homicidas perdidit, & martyrium innocentis multis miraculis decoravit. Cum enim dicti Judæi puerum occisum occulte per plura loca Turingiæ ducerent ad tumulandum, Deo disponente, nusquam abscondere valuerunt: inde ipsum reducentes ad prædictam civitatem Vveisenseham, in quadam vinea suspenderunt. Tandem, tam crudeli homicidio prodito, & rei veritate comperta, milites de castro prosilientes, & cives ejusdem civitatis, reliquumque vulgus una cum marchione Friderico filio Lantgravii Turingiæ Alberti repugnantes turmatim occiderunt.*

(*a*) Siffr. l. 2.

Conradus puer a Judæis cæsus.

Divina in in eos ultio.

I. Italia contrariis laniata factionibus.

BEnedictus Romanus Pontifex, ut Regis pacifici vices, quas in terris gerebat, impleret, studium omne hoc ineunte anno, quarto supra millesimum trecentesimum, indictione secunda, ad diffidentes filios in mutuam concordiam revocandos contulit. Ardebant intestino bello Etruria, Æmilia, marchia Tarvisina, aliæque Italiæ provinciæ, in quibus humani generis hostis exitiales discordias alebat: ac præter Guelphorum Gibellinorumque vetustas factiones, Alborum & Nigrorum, de quibus supra memoravi, odia ad mutuam ipsorum internecionem accenderat. Ad quæ extinguenda, eosque populos mutuo amore conjungendos Nicolaum virum magni ingenii, qui inter Prædicatores religiosa disciplina excultus (*a*) ad magnas virtutes adoleverat, ac superiori anno exeunte in Cardinalium collegium cooptatus, e Spoletana sede ad Ostiensem a Benedicto traductus fuerat, paciarium creavit (*b*).

Adducendæ publicæ pacis studet Benedict.

(*a*) Bern. in chron. Rom. Pont. Dinus Compagnus in MS. chr. l. 3. Jo. Villan. l. 8. c. 69. Leonard. Aretin. hist. Flor. l. 4. S. Ant. 3. p. tit. 20. c. 9. §. 1.

(*b*) Bened. ep. cur. 69.

Venerabili fratri nostro Nicolao episcopo Ostiensi A. S. L.

*Transiturus ad Patrem Dominus de hoc mundo, hereditatem pacis suis legavit discipulis testamento, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; hæc verba in ultimo quasi proponens, ut verbum pacis, quantum in omnibus altius figeretur, & præbere deberemus operas efficaces, quæ inter discordes pacis vinculum reformarent. Ipsius itaque vices gerentes in terris, pia ejus permittente potentia, qui pacem super omnia diligit, inter multiplices curas, quæ pro malitia temporis plus solito animo nostro se ingerunt, curam pacis præcipuam reputamus: & quia cunctorum fidelium solicitudinem gerimus pastoralem, ad id specialiter mens nostra distrahitur, ad id nostri sensus invigilant, insudant studia, & labores intendunt, ut fideles ipsos, qui Dei ducti consilio perambulant viam pacis, in pacifici status stabilitate servemus, & quos * cathenas ille malignus spiritus, inimicus pacis, contemptor fidei & adversarius unitatis, in dissensiones & odia irrepit & involvit, ad rectitudinis semitas reducamus, ipsis voluntariis vel invitis, de reformatione pacis & concordiæ salubriter, prout ad nostrum spectat officium, providendo, ut fiat pax in diebus nostris, & sancta mater ecclesia ex nostri ministerii studio, divini consilii sustentatione suffulto, in suis fidelibus possideat locum pacis, quæ exuperat omnem sensum.*

Paciarii auctoritas ad conciliandos dissentientes illi adjuncta.

Nicolaus Ostiensis episc. creatus legatus in Etrur. aliisque provinc.

Pontificiarum partium id præcipuum munus.

* Sathanas

II. *Cum igitur te ad provincias Tusciæ, Romaniolæ, marchiæ Tervisinæ, ac partes circumadjacentes, commisso tibi inibi per nostras sub certa forma literas plenæ legationis officio destinemus; attendentes, quod multi ex incolis ipsarum partium, tam universitates videlicet, quam singulares personæ, abutentes per insolentiam sedis Apostolicæ patientia, pacem perturbant, & unitatem nequam dissolutione dissolvunt; quodque ipsos incolas, atque partes inveterata dissentientium malitia, cujus rubigo excrescit admodum per domestica, prob dolor! & particularia scandala concutit, subvertit, dissipat, & consumit; de pacis remedio nedum generaliter, sed particulariter fore putavimus providendum. De te igitur quem largitor bonorum omnium scientiarum, & aliarum virtutum munere decoravit, & cujus magnam in magnis & arduis experti sumus industriam; quique tuæ probitatis intuitu nobis, & fratribus nostris charus es quamplurimum & acceptus, indubitatam fiduciam obtinentes; in eisdem provinciis Tusciæ, Romaniolæ, marchiæ Tervisinæ, ac partibus circumadjacentibus constituimus pactis de ipsorum fratrum consilio servatorem, ac paciarium in eisdem provinciis, & partibus te ordinantes, ut inter quoslibet in ipsis provinciis & partibus constitutos, quos fœdere pacis videris reformandos, pacem & concordiam reformare & conservare procures, &c.* Instruit legatum Cardinalem auctoritate, ut discordiis implicitos ad pacem ineundam cogat. *Dat. Laterani* 11. *kal. februarii anno* 1. Extant aliæ ad Nicolaum literæ, (*c*) quibus ipsum in iis provinciis legatum creavit, ejusque auctoritatem ad alias etiam provincias extendit: *Te*, inquit, *de fratrum prædictorum consilio illuc tanquam pacis angelum destinamus, fraternitati tuæ in partibus ejusdem Tusciæ in Imperio constitutis, Romaniola, & marchia supradictis; & nominatim in Aquilejensi, & Gradensi patriarchatibus, de eodem tantum Gradensi patriarchatu, archiepiscopatu Jadrensi cum provincia sua excepto; nec non in toto archiepiscopatu & provincia Ravennate, & Ferrariensi civitate & diœcesi, ac Venetiarum partibus, plenæ legationis officium committentes, ut evellas & destruas, dissipes & disperdas, ædifices & plantes, ac facias auctoritate nostra quodcunque ad honorem Dei, & prosperum statum partium earundem, ac reformationem pacis fidelium videris expedire, &c. Datum Laterani* 11. *kal. februarii anno* 1. Quo vero majorem legato ad gerendam pro dignitate provinciam auctoritatem conciliaret, pluribus ipsum prærogativis ornavit (*d*). Instruxit etiam summa auctoritate, ut imperii ipsius rebelles ecclesiastica censura percelleret.

(*c*) Ep. cur. 68.

Ejus legatio ad nonnullas alias provincias exporrecta.

Plurimam ipsi confert auctoritatem Pontif.

(*d*) Ep. cur. 70. ad 80.

Accessisse ipsum Florentiam decima martii die anni MCCCIII. scribunt Dinus

113.

Compagnus, (a) & Joannes Villanus (b) ab incarnati Verbi die numeratis annis; exceptumque maximo honore ab iis, qui inteſtinis diſcordiis fatigati pacem ambiebant: cumque demandatam ſibi a Pontifice adducendæ concordiæ provinciam in publica concione expoſuiſſet, liberas ipſi a populo reſtituendæ in meliorem ſtatum reipublicæ habenas traditas fuiſſe; eaque inſtructum auctoritate in conciliandis diſſentientibus civibus ſtudium defixiſſe: veteres reipublicæ magiſtratus, diviſo in novendecim tribus populo, quibus totidem præfecit ſigniferos, reſtituiſſe. (c) Confirmato ita plebis ſtatu, Albos & Gibellinos exules in urbem revocare aggreditur. Præcipui earum partium duces reſederant Aretii, qui publica deliberatione rerum ſuarum arbitrium poteſtatemque in legatum contulere. Dum itaque Cardinalis de ſopiendis veteribus odiis, excitiſque exulum oratoribus, de legibus redintegrandæ inter ipſos & cives concordiæ agitabat, nonnulli Florentini oſores, pacis, atque alienarum opum cupidi, legati conſilia diſcutere ſunt aggreſſi: quibus cum generoſe legatus, ſtudiis multitudinis, quæ etiam ad concordiam propendebat fretus obſiſteret, nefariis hiſce artibus ad diſturbanda pacis conſilia uſos refert Joannes Villanus: (d) adulterinas nimirum Cardinalis Nicolai nomine ſcripſiſſe literas ad Bononienſes alioſque exulum amicos, ut ſubmota omni mora cum multo peditatu & equitatu in ſui auxilium provolarent: cum eæ copiæ imminerent, ingens adverſus legatum tumultus Florentiæ excitatus eſt, atque ejus exiſtimatio apud multitudinem traducta. Sedato poſtea eo tumultu, urbis proceres ac magiſtratus legato ſuaſere, ut ad Pratenſes contrariis diſciſſos ſtudiis ſe conferret; dumque in iis vel Piſtorienſibus conciliandis incumberet, Florentiæ modos omnes de revocandis in gratiam ac patriam exulibus exploratum iri.

Perrexit itaque Pratum Cardinalis legatus adducendæ inter eos pacis ſtudio: ſed Florentini, vetuſto in Gibellinos Alboſque odio imbuti, cum legatum toto pectore ad illos patriæ reſtituendos incumbere cernerent, promiſſa contrariis artibus inſidiiſque eluſere: nonnullos enim Pratenſes factionis Guelphæ ad concitandam in legatum ipſum ſeditionem ſubornarunt. Qui, Pratenſium minis ac furore exterritus, in rebelles anathema atque interdictum eccleſiaſticum vibravit, ſeque Florentiam recepit. Ubi dum in Pratenſes expeditionem ſacram, impertitis indulgentiis religioſam militiam accepto crucis ſymbolo profeſſuris, conflaret; atque exagris concurrente multitudine copiæ augerentur, concepta de legato ſiniſtra ſuſpicione, Guelphæ & Nigræ factionis duces una cum aliis ad arma concurrere; quorum furore perterritus Cardinalis quarta die junii hujus anni fuga ſaluti conſulere coactus, Peruſium ad Pontificem ſe contulit. Cujus receſſum cædes maximæ, ac ſæva incendia ſunt conſecuta; (e) ita ut ſimul miſera urbs civium ſanguine maderet, & flammis arderet. Quam calamitatem deſcribit Leonardus Aretinus (f): *Ignis*, inquit, *inter miſſilia ac tela vires aſſumens, flatu inſuper borreæ adjutus, late pervagatus eſt, domos & ſingula carpendo apprehendit. Tabernæ venalium rerum magni pretii in his erant locis. Eas cum ignis invaderet, vel incendio cremabantur, vel a prædonibus diripiebantur. Urbs eodem tempore ardebat, & vicatim oppugnabatur, non ſecus ac ſi hoſtis intraſſet. Quo minus homines ferre opem poterant, eo latius vagatus inter duo fora primum, & circa porticum frumentariam omnia conſumpſit. Inde rurſus vires aſſument, uſque ad Arnum pervenit: nec prius finis cremandi eſt factus, quam ſupra mille & ſeptingentas ædes uno incendio conflagrarint. Medicatum fuiſſe ignem vulgo creditum eſt: nec equidem abs re ſuſceptam credulitatem exiſtimarim, cernens etiam nunc admirabilem, ac prope ſtupendam illius vim, in parietes etiam ipſos ac lapides, quod reliquiæ monſtrant, ſævientem.*

(a) *Dinus Compagn. l. 3.*
(b) *Jo. Vill. l. 8. c. 69. Leonar. Aret. hiſt. Flor. l. 4.*
Florentiæ legatus magno honore excipitur.
Veterem reipubl. formam reſtituit.
(c) *S. Ant. p. 3. tit. 20. c. 9. §. 1.*
Exules revocare in patriam aggreditur.
Obſtinati Guelphi & Nigri conſilia ejus diſcutiunt.
(d) *Jo. Vill. ubi ſupr. S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 9. §. 1. Leonard. Aret. l. 4.*
Quibus actibus ad creandam legato invidiam uſi.
Pratum ſe confert legatus ad cives conciliandos.
Populari ſeditione mota a Guelphis exturbatur.
Cenſuras in eos fert ſacramque adornat expeditionem.
Conjuratione inita Guelphi Florentini illum depellunt.

Graviſſimum dolorem percepit Pontifex e Florentinorum factionibus, qui eo magis efferati erant viſi, quo in ſopiendo eorum furore deſudatum fuerat: tum graviſſimæ legato apoſtolico illatæ injuriæ in ipſius vicarii Chriſti contemptum redundarent. Igitur ne tantum crimen impune abiret, neve effrænata in poſterum improbitas ſeſe efferret, nobiliſſimos patritios, qui illi ſeditioni faces injecerant, ad dicendam cauſam apoſtolico tribunali ſe ſiſtere imperavit. Graves ſunt illius eo argumento, ac prolixæ literæ, (g) quæ adducendæ viſæ ſunt ad majorem iis, quæ ex auctoribus delibavimus, lucem afferendam.

Ad perpetuam rei memoriam.

Rex pacifícus, qui pacis cogitationes cogitat, non afflictionis, pro mundi pace venit in mundum in ultimis, dum tranſiturus eſſet ad Patrem, pacem nobis quaſi proprio teſtamento relinquens. Id velut præcipuum etiam in veteri teſtamento promittit, cum per prophetam dicit: Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis, donec auferatur luna: & Iſrael habitabit confidenter. Dabo pacem in finibus veſtris: dormietis, & non erit qui exterreat. In pace namque dies videntur boni, pacemque jubemur inquirere & perſequi eam; unde ſcriptum eſt: Diſſidentes fratres, ſive clericos ſeu laicos, epiſcopi hortentur ad pacem

(e) *Dinus Compagn. Leonard. Aretin. S. Anton. ubi ſup.*
Deformata incendio Florentia.
(f) *Leonard. Aret. hiſt. Flor. l. 4. & ex eo S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 9. §. 2. Din. Compagn. chr. lib. 3. & alii. Jo. Vill. l. 8. c. 71.*

IV.
Vocantur in crimen & judicium a Pontif.

(g) *Epiſt. 170.*

Ut pontificii muneris ſit pacem conciliare.

cem, & quocumque odio aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem revocari diuturna obſtinatione nequiverint, a ſacerdotibus civitatis primitus arguantur: quod ſi inimicitias deponere perniciosas noluerint, de eccleſiæ cœtu juſtiſſime excommunicatione pellantur. Minantur quoque ſæculares principes, providendum, ut nulli populi ſeditiones faciant, & omnem pacem habeant civitates. Ad id conſtringit ratio: ad id exempla nos admonent; quia ſubditorum ſanguis de prælatorum exigitur manibus, & agri cultor bonus agrum ſuum ſolicite colit, & tribulis ac herbis nocivis diligenter expurgat. Odia autem, ſemen iniqui hominis, cum ex corde exeant, coinquinant animas: & ideo ſi ex illorum ad quos eorum cura pertinet, negligentia non purgentur, hoc ab ipſis, qui hujuſmodi curam habent, proculdubio requiretur.

Conflatis in hunc conjurationibus.

Quam fatalis eſſet Florentiæ ſtatus.

Nuper ſiquidem, dum Florentina civitas, olim florida, quam dies verni, roſarum flores & lilia circumdabant convallium, deformis facta, odiis repleta mutuis, in ſe vertiſſet crudeliter gladium ſuorum civium, lamentaretur exilia, fleret cædes & carceres, de divite pauper, de felice miſera deploraret; compatientes ſpiritualiter ei aliiſque Tuſciæ civitatibus, peſte laborantibus ſimili, pie cogitavimus, & ex debito paſtoralis officii ſupradictis coacti neceſſario propoſuimus tollere in eis Domino favente, odia; inſerere pacem, & quietis dulcedinem ipſis ſalubriter præparare: ſicque de conſilio fratrum noſtrorum ad hæc procuranda venerabilem fratrem noſtrum Nicolaum Oſtienſem & Velletrenſem epiſcopum, in quo circumſpectionem prudentiæ, puritatem fidei, & conſtantiæ firmitatem longa experientia noſcebamus, & noſcimus, ad illas partes tranſmiſimus confidenter.

Diſturbatis pacis conſiliis.

V.
De miſſo ad illum componendum legato.

*Nec deſiderio noſtro fuiſſemus fraudati, niſi multorum perverſorum iniquitas, qui ſe demeritis ſuis beneficio pacis reddiderunt indignos, noſtris obviaſſet propoſitis; & mali, deſiderantes ut Saul bonos ſemper opprimere, & oppreſſos ad David fugientes repellere, eiſque refugii locum denegare propriam civitatem; pro ſano conſilium pravum nequiter aſſumpſiſſent. Cum enim legatus ipſe pacis negotium cœptum feliciter, & jam fere in conſummationem deductum vellet perficere, nonnulli Florentini cives, ac certi Pratenſes, æmuli pacis, turbatores quietis, & juſtitiæ inimici (quibus pax malorum ſuorum, quæ ut non egeant exercere cupiunt, finis, & bellum initium fore noſcuntur) Lucanis conſciis, prout per literas memorati legati accepimus, Prati, dum ibi idem legatus * non reveriti facien, ejus, nec Romanam reſpicientes eccleſiam cujus, inanibus verbis honorantes labiis, ſed corde longinqui, ſe jactant eſſe devotos, ad impedimentum præfatæ pacis ſeditionem cum impiis acclamationibus, & tumultum non ſine præcedenti conjuratione fecerunt, Pratum ipſum nihilominus occupantes. Propter quod ſæpefatus legatus de ſe ſuaque familia, in quorum manibus tantur vitam, merito timens; & ne idem dicta Florentina civitas pateretur, redire Florentiam eſt compulſus: dictique Lucani, ſeditioſis hujuſmodi præbituri ſubſidium, in equitum & peditum multitudine gravi acceſſere Ficechium. Sed cum prætactus legatus ab incepto pacis negotio propterea non ceſſaret; immo duodecim advocaſſet Florentinos extrinſecos, & totidem intrinſecos elegiſſet, de modo pacis tractaturus cum eis, finemque laudabilem negotio præbiturus; inteſtina bella Lucanis eiſdem, Ficechii morantibus, per adverſarios pacis, quibus iidem ſivebant Lucani, ſunt mota: propter quæ ſedanda dicti duodecim extrinſeci Florentini de voluntate legati Florentia exiverunt.*

* reſideret

Editis Florentiæ cædibus a conjuratis Guelphis.

Præcipui eorum duces.

Sed, prob dolor! non ex hoc ſedata ſunt quinimo incaluerunt magis, & quaſi ſtatim Roſſelinus de Lacoſa, Pazzinus de Pazzis, Tegghia de Freſcobaldis milites, Symbaldus de Donatis, Buondelmontes, Tonaquinci, Rubei, Vicedomini, Cavicaulii, Gaudigni, Ferrutii, Rondoni, Accajoli, & Medici cum ſuis complicibus Florentini cives civitatem currentes, cædes fecerunt & vulnera, & ex hoc tota eſt commota civitas & ſub armis miſerabiliter conſtituta; bella in locis diverſis plurima commiſſa ſunt, immiſſi ignes, & homicidia perpetrata. Interea autem Lucanis de Ficechio cum exfortio maximo Florentiam propinquantibus, idem legatus, qui cum nocentibus innocens, cum doloſis rectus, cum duplicibus ſimplex, fidelis cum proditoribus, cum iniquis æquus, & cum injuſtis juſtus extiterat; vitæ ſuæ, quam extinguere Lucani ſitiebant, conſulens exiit civitatem; quæ poſt, paucis interjectis horis, completa bellis, ſuorum civium fœdata ſanguine, plena Lucanis effecta eſt, violata prædis, & incendiis deformata: nobiles & populares viri, amatores pacis & legati fautores, ejecti ſunt, & relicta civitas in manibus ipſorum: ſicque Lucani propriorum ſine cauſa, niſi temeritatis & ſuperbiæ, occiſores civium, Lucanæ & Lunenſis deſtructores eccleſiæ, Tuſciæ incendium; qui paulo ante prope Piſtorium, dum ibi eſſet legatus, multos Piſtorienſes occiderant, nec prædictum fratrem noſtrum pati potuerunt nominare legatum; quique hactenus verſantes cuncta, omniaque tentantes, paci prædictæ una cum Florentinis præfatis præbuerant propter conſcientiam criminum ſuorum obſtacula; ſunt, neſcimus quo Dei judicio, ſuum ſceleſtum propoſitum executi; poſt idem impletum propoſi-

Graves Benedicti querelæ de Lucanis.

tum

De ejecto legato.

tum ad palatium, in quo Florentiæ dictus degebat legatus, turmatim accedere, minas, blasphemiasque proferre nihilominus præsumentes.

In iis ultra parricidium, & fere cuncta facinora, gravissimum scelus patriæ propriæ proditionem agnoscimus. In iis non solum contra legatum nostrum, sed verius contra nos ac Romanam, cui præsidemus, ecclesiam in persona legati ejusdem intolerabile facinus, & offensa commissa notamus: in iis homicidii, vulnerum, cædis, violentiæ, rapinæ, incendii & tot aliæ, quot ex hoc secuta sunt, & sequuntur crimina, perpetrata videmus. Non perfidior Catilinæ conjuratio, vix superior Syllana crudelitas, & Mariana ferocitas parum minor. Sunt hæc, quæsumus, fidelium opera? Sunt devotorum ecclesiæ actiones? Quis infidelis, quis indevotus, aut quis sceleratus hæc faceret, nisi qui in pace more solito grassari non posset, vel de suis timeret sceleribus ultionem? Hæc sunt desperatorum flagitia & in profundum scelera demersorum. An ergo qui egerunt talia sunt ecclesiæ filii, an fideles, sive devoti? Certe istos indevotos, reliquos vero, qui passi sunt & ejecti, cum in bono pacis sequerentur legatum, appellamus fideles.

Sceleris immanitas describitur.

VI. Ut illud fucato colore subornare nitantur.

Mirabile dictu! volunt ii etiam dum contra Ecclesiam agunt, filii reputari. Numquid ista poterimus tolerare, quin in eos, quos Dei timor a malo non revocat, exurgamus; quin ipsorum in Dei, cui adversantur, virtute, maxillas in fræno constringamus & camo? Numquid, ut mali quiescant, bonos vexari patiemur? Numquid inter improbos innocentiam permittemus perire? Absit a nobis, absit a Romano Pontifice, absit a Christianorum omnium Episcopo & pastore. Nam puniuntur mali, ut boni quiete vivant: ac putrescunt palpata vulnera, & impunitas audaciam deteriora committendi ministrat. O miserabilis Florentina civitas, quam triste de te præbuisti, præbesque spectaculum! quia jam in te languerat justitiæ vigor, tepuerat animi fortitudo, & tibi libertatis gustus modico tempore nauseam generaverat. Sub paucorum, qui te devoraverunt & devorant sicut escam panis, servitutis jugo redacta es, eorum sis victoriæ præmium atque præda. Tibi terrori facti sunt, a quibus consueveristi timeri. Facies tua, quam non sol decoloravit sed ignis, mutata est. Facta es tabida, data in sibilum, & posita in derisum. Cecidisti lucifer, qui mane oriebaris. Urbs frequens, & exultans civitas, in mœrorem versa cognosceris, omnis lapis pretiosus quondam operimentum tuum: nunc autem para cilizium, induere sacco, & aspergere cinere caput tuum, quia perdidisti filios, & privigni quibus sua eo quod modica displicent, alisna placent, dominantur tibi. Narrent filii tui posteris suis quæ passa es & a quibus, ut oblivioni quousque ulta fueris, non tradantur. Compatimur, condolemus, urget nos pastorale officium, angit honor Ecclesiæ, sceleratorum, qui te fere strangulatam detinent, habenda correctio, cogit ut pro te filia nostra capiamus consilium, morbo tuo apponamus remedium, & ecclesiæ injuriam vindicemus.

Exponitur Florentiæ calamitas.

Citamus ergo de eorumdem fratrum nostrorum consilio, præsente hac multitudine copiosa, civitatum Florentiæ & Lucæ communia, ut per procuratores idoneos; superius vero expressos, nec non & Rossum de la Tosa, Cursum de Donatis, utrumque Nerium de Buondelmontibus, Gerardum de Tonaquincis, Jacobum de Rubeis, Gerium Spinam milites, Burgerium de eadem domo de Tonaquincis, Paganum Bordonum Florentinos; Orlandum Salamoncellum, Henricum de Bernarduciis, Orlandum dictum Malapresa, Parentem de Porcara milites, & Nicolaum Maconis Lucanos personaliter; infra octavos festivitatis beatorum Apostolorum Petri & Pauli, proxime venturæ, peremptorie compareant coram nobis, super præmissis & aliis mandatis & jussionibus nostris humiliter pariturі. Alioquin, eorum non obstante absentia, ad gravissimas pœnas tanquam super notorio contra eos, auctore Domino, spiritualiter & temporaliter procedemus. Prohibemus, insuper omnibus & singulis, cujuscunque status, dignitatis, aut conditionis existant, civitatibus, universitatibus, & locis quibuslibet, ne prædictis communibus, aut illa regentibus, sive parti intrinsecæ civitatum dictarum dent auxilium, consilium, vel favorem: alias contra facientes similes pœnas poterunt merito formidare. Hanc autem citationem & prohibitionem nostram, quam non sine causa ex certa scientia facimus, ipsos omnes arctare volumus, sicut si eorum quemlibet apprendissent; non intendentes nec volentes per hæc in aliquo derogare potestati dicti legati, quin possit ea uti, sicut si ista per nos minime processissent. Ut autem hujusmodi noster processus, &c. Actum Perusii XI. *kal. junii pontificatus nostri anno* 1.

Qui optimates judicio potulati.

Accersiti (*a*) ad tribunal apostolicum Florentinorum proceres, ne intentatum rebellibus anathema contraherent, Perusium magna stipati clientela ad excusandum apud Benedictum facinus se contulere. Quo tempore Gibellinæ Albæque factionis duces, collectis raptim ingentibus copiis, Florentiam imperu expugnare pertentarunt (*b*). Adductus vero est in invidiam legatus, illud consilium Gibellinis suggessisse, dum suis ducibus orba civitas erat: qui mox audita discriminis fama, Florentiam se proripuere, majorique ac antea furore cives se laniare perrexerunt. Tribuit Villanus (*c*) remedium

(*a*) *Dinus Compagn. MS. chr. l.3. Jo. Vill. l.8. c.72. Leonard. Aretin. ubi sup.*

Patritii Florentini Perusium ad crimen excusandum se conferunt.

(*b*) *Iidem ib.*

Tentata interim fruſtra a Gibellinis Florentia.

Civilibus auctis discordiis, majoribus malis mersa.

(*c*) *Jo. Vill. l.8. c. 69.*

divinæ vindictæ ob spretum Apostolicæ sedis legatum, qui pacis osoribus incussisset anathema.

Veneti & Patavini mutuis laborant dissensionibus.

(*a*) *Ep. eur. 140. 142.*

(*b*) *Ep. eur. 141.*

(*c*) *Append. ad chr. Andreæ Dandali in Petro Gradenico.*

Sed a funestis Florentinorum calamitatibus, qui vicarii Christi intestina ipsorum odia sopire molientis vocem audire recusarunt, ad Pontificiam in conciliandis aliis populis tollendisque simultatibus orationem convertamus. Dissidebant quoque tum temporis, mutuisque flagrabant odiis Veneti ac Patavini: ad quos conciliandos sanctissimus pater Firmanum episcopum misit, ut literæ apostolicæ tum ad legatum (*a*) tum ad Venetos (*b*) datæ testantur. Sopitam Benedicti Papæ studio eam discordiam indicat Venetarum rerum scriptor, (*c*) dum in Petri Gradenici Venetorum ducis gestis sine fuso cruore compositam dissensionem ait.

VII. Gerardum episc. Moguntin. dictionis parte privat.

Laboranti etiam hoc tempore intestinis dissensionibus Germaniæ succurrere nisus est Benedictus: ac discordiæ, quæ inter Gerardum episcopum Moguntinum & Albertum Romanorum Regem intercedebat, fomitem extinguere. Compulerat antea Albertus armorum potentia archiepiscopum ad indignas pactiones, nonnullisque ipsum arcibus ac juribus Moguntinæ ecclesiæ exuerat, monitaque Bonifacii, ut ab ecclesiasticis bonis abstineret, & comiter cum archiepiscopo transigeret, spreverat. Cui Benedictus paternis literis proposuit ob oculos, (*d*) quantum regium honorem læderet, si ex principatus officio ad tuendam ecclesiam obstrictus illius jura violaret: restitueret itaque ablata ac damna sarciret, ne ecclesiæ cœlestis sponsi in se iras concitaret.

(*d*) *Ep. 377.* Monetur a Bened. ut erepta restituat.

Alberto Regi Romanorum illustri.

Gratiæ tibi divinæ præmium & præconium humanæ laudis acquiritur, si tu tanquam princeps catholicus gerens ad Deum & sedem Apostolicam reverentiam filialem, ecclesias & ecclesiarum prælatos, pontificali præsertim præditos dignitate, benigno favore confoveas, ab ipsorum injuriis & gravaminibus abstinendo; illos in suis juribus manuteneas, & conserves, ac opportunis præsidiis prosequaris. Dudum siquidem ad nostrum pervenit auditum, quod tu venerabilem fratrem nostrum Gerardum archiepiscopum & ecclesiam Maguntinam diversis pressuris & contumeliis oppressisti, idemque archiepiscopus ob timorem tuum quasdam damnosas pactiones & ordinationes tecum inire, in enorme suum & ecclesiæ prædictæ præjudicium, est coactus: quorum prætextu tu nonnulla castra, munitiones, reditus, privilegia, jura, & jurisdictiones, & alia plurima bona, ad ecclesiam ipsam spectantia, abstulisti, occupasti, & occupata detines pro tuæ voluntatis libito minus juste: & licet felicis recordationis Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster suis literis munificentiam tuam rogaverit & fuerit exhortatus, ut bona stabilia dictæ ecclesiæ, destructa vel non destructa, detenta per te vel alios tibi subditos, liberaliter sibi absque obstaculo dilationis & difficultatis restitueres, & faceres restitui cum effectu; ac super damnis & injuriis sibi illatis componeres benigne, mansuete, & curialiter cum eodem; tu tamen exhortationes & preces dicti prædecessoris obaudiens, præmissa facere non curasti. Ex quo tanto nobis majoris admirationis causa suboritur, quanto in te tanquam catholico principe & filio prædilecto speramus majoris devotionis promptitudinem invenire.

Indignas pactiones, ad quas illum adegit, solvat.

Regii muneris esse tueri ecclesias, non vexare.

Quocirca celsitudinem regiam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus debita meditatione recogitans, quantum honori tuo detrahitur & saluti, si tu, qui teneris alios in suo jure defendere, jura ecclesiarum usurpes, & bona occupes earumdem, per te ipsum provide corrigas & emendes quidquid erga dictos archiepiscopum & ecclesiam minus provide per te extitit attentatum; restituendo ipsis, & faciendo restitui, pactionibus & ordinationibus antedictis nequaquam obstantibus, bona & jura ipsorum, quæ per te & subditos tuos ablata, occupata fuerunt vel detenta, ac damnis & inimicis eis illatis adeo congruam satisfactionem exhibeas, quod idem archiepiscopus super iis nostra precamina sibi sentiat profuisse & sedem eandem, quæ tibi favorabiliter in cunctis opportunitatibus assistere cupimus, invenias ad ea, quæ tibi sint placita, favorabiles & benignos. Dat. Laterani VI. *id. martii anno* 1. Albertum Gerardo conciliatum, ex Siffrido (*e*) colligitur, dum narrat, ipsum una cum Othone Bavariæ duce, Rodulpho filio duce Austriæ, aliisque principibus & episcopis Alberto in ancipiti ac difficili bello adversus Wenceslaum II. Regem Boemiæ adhæsisse.

(*e*) *Siffr. epit. l.2. hoc ann.*

VIII. Albertus in Wenceslaum Regem bellum movet.

Ingentes quoque bellorum motus in Galliis extitere: (*f*) Philippus enim Rex indignatus Flandros jugum excussisse, effluentibus initis induciis, terrestres ac maritimas vires in eos effudit. Deleti sunt a Gallica classe, cui præerat Raynerius Grimoaldus Genuensis, Flandri, & Guido comes captus. Ea Flandrorum clades maritima terrestri alia ad montem Pabuli exeunte mense septembri cumulata est. Sequenti a parta victoria die Philippus Rex Insulam obsidione cinxit, cum Flandri non præteritis dejecti cladibus, sed in iras majores efferati, clausis in urbibus officinis, mutuo sacramento se obstrinxere, nisi profligato hoste vel pace obtenta domum non redituros: atque Insulam progressi missis oratoribus, pacem vel prælium ab Rege contendere; fœderisque interpretibus Brabantiæ duce, ac

(*f*) *Jo. Vill. l.8. c.77. Paul. Æmil. in Phil. IV. Meyer. in Guidone, & alii.*

Galli maritimo prælio vincunt Flandros. Insula a Philippo Rege obsessa.

Sa-

E fœderatis urbibus concurrit auxiliaris exercitus. Pax inter Flandros & Gallos inita.

Sabaudiæ comitem iis legibus cum Flandris pax sancita est, quas S. Antoninus ex antiquioribus affert (*a*): *Sic*, inquit, *conclusum & factum est ibi per mediatores pacis, hoc scilicet modo: ut Flandrenses sua libertate gauderent, eis dominis suis antiquis & captivis redditis; ac ipsi Regi darent ducenta millia parisiensium intra certum tempus: ac etiam Flandrenses Regi dimittebant illam partem Flandriæ, quæ est ultra fluvium Liscie, vel Lisæ versus Franciam.*

(*a*) *Ant. 3. p. tit. 22. c. 55.*

IX. Quibus legibus.

Nec modo sedatum hoc anno Belgicum bellum, quod Gallias valde afflixerat; verum sopita etiam dissensio est, quæ jamdiu Philippum inter ac sedem Apostolicam magno rei Christianæ damno intercesserat, [t] ut Bernardus refert his verbis (*b*): *Hic Benedictus simultatem & dissidium, quæ suborta fuerat inter Regem Franciæ Philippum & Bonifacium Papam, sedavit.* Iisdem verbis MS. de gestis Benedicti Papæ, (*c*) ac similia auctor qui ad Martinum Polonum (*d*) appendicem adjecit, & alii. Et quidem Philippus Francorum Rex, post mortem Bonifacii creato Benedicto recuperandæ Ecclesiæ gratiæ, ac veteris Gallorum cum sede Apostolica conjunctionis, quam atrocia in Bonifacium ut hostem acta labefactarant, redintegrandæ solicitus, datis gratulatoriis more majorum literis de consecuto apostolico fastigio, novo Pontifici Gallicanam ecclesiam commendavit; atque amplissimos oratores, qui de componendo præterito dissidio agerent, transmisit.

(*b*) *Bern. in chron. Rom. Pont.*

(*c*) *MS. Vall. sign. lit. C. n. 25. & 79.*

(*d*) *Mart. Pol. l. 4. & alii.*

Philipp. Rex ecclesiæ gratiam recuperare studet.

Sanctissimo patri domino Benedicto, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Philippus Dei gratia Francorum Rex devota pedum oscula beatorum.

Benedictus Dominus Deus Israel, quia visitavit, & fecit redemptionem plebis suæ: & erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui. Qui facit mirabilia magna solus: qui cœlestia pariter & terrena salubri moderamine dirigens, ac perpetua ratione gubernans, in hac valle miseriæ miserationes innumeras, liberalis in gratiis, & in misericordia copiosus exercet. Ipse quidem circa Ecclesium suam sanctam, Petri naviculam, matrem fidelium, Christi sponsam, quam a fundationis initio splendore virtutum mirabiliter illustravit, pie semper continuans miserationis effectum, & paternæ exequens pietatis officium, licet eam in pelago mundi, hujus intumescentium undarum fluctibus agitari, & procellis concuti patiatur ad tempus; ipsam submergi, vel periclitari naufragio non permittat: continuum semper in tribulatione solatium, in turbatione pacamen, & in adversitate succursum, sicut rerum eventus, ac succedentium experimenta temporum manifeste declarant. Pluribusque gratulatoriis Benedicto sententiis, mistisque in Bonifacium dicteriis subdit.

Gratulatoriæ illius ad Benedictum lit.

Perstringit prædecessorem.

*Ex eo præcipue materia nobis gaudii & exaltationis accrescet, quod regiminis nostri * in Apostolica sede virum sedere conspicimus, bonorum omnium, sicut fama testatur & publicat, nitore conspicuum, virtutum speculum, & sanctitatis exemplar: virum utique secundum cor nostrum, qui non quærit quæ sua sunt, sed quæ Dei ad catholicæ fidei & universalis Ecclesiæ bonorum & exaltationis * incrementa felicia, ac statum prosperum & quietum totius populi Christiani, & promotionem felicem negotii Terræ sanctæ ducitur puro zelo.*

* tempore.

* exaltationis

Igitur pro tam dignæ, tam salubris, & uti-

*utilis provisionis eventu bonorum omnium largitori ad laudes & gratias in humilitatis spiritu assurgentes, ejus imploramus devote clementiam, ut qui vos ad regimen Ecclesiæ sanctæ ad dandam salutis scientiam plebi suæ ad supernæ dignitatis honorem pia miseratione provexit, sic credita vobis multiplicatione talenta concedat; sic in sanctitate & justitia coram ipso, & in viam pacis dirigat gressus vestros, quod post regiminis præsentis excursum ad cœlestis gloriæ solium una cum grege vobis commisso clementi pietate perducat, judicaturum cum cæteris sanctis suis omnis orbis terræ finium nationes. Cæterum nos & regnum, cujus moderamini, disponente Domino, præsidemus, & ecclesiam Gallicanam sanctitatis vestræ favoribus fiducialiter commendamus: & ad exponendum perfectius, & plenius exhibendum beatitudini vestræ omnimodæ reverentiæ & devotionis indicia, ecce dilectos & fideles * Bernardum dominum Mercolii, magistrum Petrum de Bella pertica canonicum Carnotensem, & Guillelmum de Plesiano militem nuncios nostros ad sanctitatis vestræ præsentiam destinavimus, quos benigne recipere, ac eorum relatibus paterna clementia audientiam præbere placidam, & fidem non dubiam adhibere dignetur.*

* al. Beraldum oratores mittit.

Excepti sunt a Benedicto regii oratores rerum gerendarum peritia insignes benevole & censuris omnibus, quas ob gesta in Bonifacium susceperant, soluti; de quo extant ad ipsos in regesto literæ (*a*), quanquam Guillelmus e Plesiano, cum se Bonifacii calumniatorem in Parisiensibus comitiis constituerat, atrocissimo scelere se devinxisset: sed vicit apostolica mansuetudo clementia; memor enim sanctissimus Pontifex, quantum Gallorum in sedem Apostolicam studia illius dignitatem auxissent, temperandam censuit clementia severitatem: cum magna affulgeret spes, eo Gallos majori observantia Romanam ecclesiam complexuros, quo ejus benignitatem experirentur: sacrisque eos restituit hoc edito apostolico diplomate. (*b*)

(*a*) *Bened. ep. cur. 155.*

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut accepimus, tam archiepiscopi & episcopi, quam alii ecclesiarum sæcularium & regularium prælati, & alii clerici, & ecclesiasticæ personæ, religiosæ ac sæculares; nec non barones, nobiles, & alii laici de regno prædicto excommunicationum sententiis, olim a Bonifacio Papa VIII. & aliis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus in impedientes, eos, qui ad sedem accedebant Apostolicam, vel recedebant ab ea, seu literas deferebant ipsorum, & ex aliis causis in suis processibus promulgatis; nec non latis a canone pro eo, quod se culpabiles reddiderunt in ca-

(*b*) *Ext. in bibl. Vall. sign. lit. C. n. 25. & n. 79.*

*ptione ejusdem Bonifacii prædecessoris, & nuntiorum ipsius, & aliorum prædecessorum prædictorum; teneantur astricti, quorum aliqui divina celebrarunt officia, & immiscuerunt se illis, ac receperunt ordines, & beneficia ecclesiastica sic ligati; nos præmissa omnia paterna meditatione pensantes, ac attendentes, utilitates & commoda, quæ ex eodem regno, dum in ipsius ecclesiæ devotione perstitit, ecclesiæ prædictæ provenerunt; quodque propter evitandum scandalum, præsertim ubi multitudo delinquit, severitati est aliquid detrahendum; sperantes insuper, quod Rex & incolæ memorati tanto Deum & dictam ecclesiam studebunt peramplius & devotius revereri, quanto eadem ecclesia misericordius & gratiosius egerit cum eisdem; hujusmodi inducti considerationibus archiepiscopos, episcopos, prælatos, clericos, personas, barones, nobiles, & laicos prædictos, & quoscumque de dicto regno, qui hujusmodi sententiis Bonifacii & aliorum prædictorum prædecessorum, astringuntur, omnesque * occasione hujusmodi captionis præfati Bonifacii prædecessoris, & nuntiorum prædictorum dicto vel facto, ope, opera, vel favore quantumcumque in sententiam canonis inciderunt, (Guillelmo de Nogareto milite, cujus absolutionem nobis & dictæ sedi specialiter reservamus, duntaxat excepto) a sententiis prædictis absolvimus, restituendo eos communioni fidelium & ecclesiæ sacramentis. Cum illis insuper ex eisdem, qui prædictis ligati sententiis ordines aut beneficia ecclesiastica receperunt, qui in ipsis ministrare personaliter ordinibus, & eadem beneficia retinere; nec non cum eis, qui sic ligati divina celebrarunt officia, vel immiscuerunt se illis, super irregularitate inde contracta auctoritate prædicta de misericordia, quæ superexaltatur judicio, dispensamus. Dat. Perusii III. id. maii anno I.*

* qui

Galli contractis pœnis liberati.

Guillelmus e Nogareto prædonum, qui Bonifacium cepere, signifer excep-tus.

Clerici pristinæ gratiæ muneribusque restituti.

Edita quoque sunt plura alia a Benedicto diplomata ad Gallos pristinis juribus asserendos, quibus expresse Philippus Rex censuris est solutus: (*c*) academiis conferendæ laureæ doctoralis abrogatum a Bonifacio jus restitutum: (*d*) clericis ad honores ecclesiasticos patefactus (*e*) aditus. Conciliavit (*f*) etiam controversiam Narbonensem archiepiscopum inter ac vicecomitem; sustulitque interdictum ecclesiasticum, (*g*) quo Apamias Bonifacius VIII. ob illius urbis ac montis S. Antonini dominatum regio jussu a Fuxensi comite, tum præfecto Carcassonensi, viris ecclesiasticis ereptum perculerat, ex quo magna discordia inter Bonifacium ac Philippum exarserat; & corpora sepulturæ ecclesiasticæ tradi jussit, modo criminum dolorem in extrema vitæ periodo ostendissent.

(*c*) *Ib. ep. cur. 145.*

(*d*) *Ib. ep. cur. 147.*

(*e*) *Ib. ep. cur. 148.*

(*f*) *Ep. com. 613.*

(*g*) *Ep. cur. 149.*

Apamiis templorum & sacrorum usus redditus.

Tulerat etiam Bonifacius plures alias

X.

NOTÆ [1] QUamquam literæ pontificis de absolutione a censuris Philippo regi totique regno concessa, scriptæ sunt die III. idus maii; aliquandiu tamen ante id tempus Benedictus solemni ritu regem totumque regnum ecclesiæ reconciliaverat. Etenim Martene in collect. vet. monum. to. I. col. 1411. ejusdem pontificis ad Philippum literas profert, datas nonis aprilis, quibus testatur se nuper regi *absenti, & non petenti ab omnibus excommunicationum sententiis in nuntiorum ejus præsentia* illum absolvisse. Id ergo forte præstitit vel die cœnæ Domini, vel solemni paschatis. Quod vero, ait pontifex, se illi ne *petenti* quidem absolutionem impendisse, lucem accipiunt ex iis, quæ continuator Nangii scripsit in hæc verba: *Vigilia Apostolorum Petri, & Pauli Parisius in ecclesia cathedrali, prælatis & clero præsentibus ad hoc specialiter evocatis, latæ sunt ex parte regis Franciæ literæ continentes inter alia, quod papa Benedictus quamvis non fuisset super hoc requisitus, ipsum regem, liberos, eorumdem proceres, atque regnum, una cum suis adhærentibus ab omnibus excommunicationibus & interdicti sententiis, si quæ vel eorum alterum a papa Bonifacio qualitercumque latæ fuissent, absolvebat penitus ad cautelam; necnon ecclesiarum decimas usque biennium necnon annualia* (annuos redditus præbendarum canonicorum defunctorum) *usque triennium regi Franciæ concedebat.* Non dubito tamen quin per legatos suos Philippus absolutionem hanc clam sollicitaverit. Cæterum Philippus insignem victoriam de Belgis retulit hoc ipso anno die XVIII. augusti, quæ notanda hic censui ad illustranda ea quæ ab annalista num. 8. narrantur.

Conventus seu concilium hoc anno Parisiis habitus est in causa fratris Joannis Parisiensis ordinis Prædicatorum, qui SS. Eucharistiæ mysterium explicari posse contendebat, si admitteretur *assumptio substantia panis, vel paneitatis in Christo.* Discussionem mereri doctrinam hanc ratus Guillelmus, qui anno isto Parisienses infulas susceperat, adhibuit in consilio Ægidium Bituricensem archiepiscopum, Bertrandum Aurelianensem & Guillelmum Ambianensem cum doctoribus Sorbonicis; sed antequam ferrent sententiam F. Joannes sedem apostolicam appellavit; eo tamen interim defuncto, contentio tota siluit. Narrat hæc continuator Nangii ad hunc annum. MANSI

Gesta a Bonifacio in Philippum Regem revocata.

in Philippum ejusque studiosos sententias: absolverat sacramenti religione eos, qui ipsi astricti erant: promulgarat literas quibus regni Galliarum limites describebat: contulerat plura Philippi hostibus privilegia; ex quibus omnibus gravissima similiter in Gallos mala redundarant. Quibus remedium laturus Benedictus, hujusmodi in eum cæterosque ipsius partibus addictos conscripta acta publica revocavit: (a) ne inde aliqua mali labes emanaret, atque inter Apostolicam sedem regnumque Galliarum firmissima pax atque amor mutuus coalesceret. Extant de his insignes subjectæ literæ, quæ ob dignitatem prætermittendæ non sunt vitæ.

(a) Ib. ep. 146.

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

Benedicti de ea re diploma.

Ad statum tuum & regni tui felicem paternis desideriis aspirantes, ad ea libenter intendimus, per quæ status ipse, submotis impedimentis quibuslibet, votivis jugiter successibus prosperetur, & salutaria, dante Domino, recipiat incrementa. Dudum siquidem, prout ex parte tua fuit expositum coram nobis, Bonifacius Papa VIII. prædecessor noster nonnullos contra te ac regnum tuum consiliarios, familiares, officiales, fautores, & valitores tuos regni prædicti processus fecit diversorum tenorum, variasque sententias promulgavit: gratias, privilegia, & indulta tibi & eis concessa suspendit: pluribus insuper nonnulla privilegia in tuam & regni prædicti læsionem concessit: declarationes circa fines seu limitationes edidit dicti regni, ac nonnullos, qui tibi juramento fidelitatis, & ex aliis vinculis & obligationibus tenebantur astricti, ab hujusmodi juramenti vinculis & obligationibus prorsus absolvit, in tuum & aliorum prædictorum, & ejusdem regni non modicum præjudicium & gravamen.

Nos autem, qui regalem magnificentiam apud Deum, & homines cupimus exaltari, volentes tibi, regno, consiliariis, familiaribus, officialibus, fautoribus, valitoribus, & incolis præfatis, ne prætextu processuum, sententiarum, suspensionum, declarationum, & absolutionum hujusmodi aliquid tuo seu eorum statui vel saluti dispendium spirituale aut temporaliter imminere valeat, providere; omnes & singulos processus habitos, & sententias promulgatas, suspensiones, & declarationes, absolutiones, ut præmittitur, factas contra te, regnum, consiliarios, familiares, officiales, & valitores præfata per eundem prædecessorem in quacumque forma verborum, quibuscumque de causis, sive dicti processus & sententiæ, suspensiones, declarationes, & absolutiones fuerint publicati, sive non, sive verbo tantum, sive in scripturam redacti extiterint; auctoritate apostolica de apostolicæ plenitudine potestatis revocamus, annullamus, & viribus vacuamus: teque ac regnum, consiliarios, familiares, officiales, fautores, valitores, & incolas supradicta (Guillelmo de Nogareto milite, cujus absolutionem nobis specialiter reservamus, dumtaxat excepto) ad plenum reponimus, & reducimus in eum statum, in quo eratis ante processus & sententias, suspensiones, declarationes, & absolutiones prædicta; ut ex eis vel eorum aliquo tibi, vel eis, aut tuo vel ipsorum statui, aut saluti præjudicium nequeat provenire vel obstaculum aliquod interponi. Omnia quoque privilegia & indulgentias, cuicumque genti, universitati, vel loco, seu singularibus personis, cujuscumque conditionis, status, aut dignitatis existant, in tuum seu dicti regni præjudicium ab eodem prædecessore post motam discordiam inter te & ipsum, quomodocumque & in quacumque forma verborum concessa, eadem auctoritate cassamus, irritamus, & ex nunc viribus vacuamus, decernendo, ea nullius existere firmitatis. Nulli ergo &c. Datum Perusii III. id. maii anno I.

XI. Redintegrata Philippi privilegia.

Ornavit præterea Philippum Regem privilegiis concessis a prædecessoribus, quæ cum Bonifacius, ardente discordia, convulsissent, pluribus diplomatibus (b) redintegrata fuere. De quibus hæc Bernardus (c): *Privilegia ac libertates, quibus Regem privaverat Bonifacius prædecessor, eidem Regi restituit & concessit, sicut antiquitus, in hebdomada pentecostes, præsentibus Regis nuntiis, Perusii in consistorio.* Nec veteres modo prærogativas instauravit, verum etiam novis affecit: inter quas clericos, (d) qui in regiæ Parisiensis sacello divino cultui insistunt, ab episcopi Parisiensis ac metropolitani Senonensis auctoritate exemit: tum ad Philippi Joannæ Reginæ, successorum ac regiæ stirpis principum, Reges qui Gallicum sceptrum substentarent, attringentium gratiam legem Bonifacianam de sepulturis solvit (e). Concessit præterea (f) Philippo biennales decimas e vectigalibus sacerdotum, donatis tamen immunitate iis, quorum opes tenues erant, redigendas tum ad levandam ærarii in Belgico bello profusi inopiam, tum ad novam monetam justi ponderis ac pretii, quæ S. Ludovici tempore in usu fuerat, conflandam.

(b) Ep. cur. 1. & ep. 143. ad 162.
(c) Bern. chr. Rom. Pont. Jord. MS. Vat. sign. n. 1960. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 38.
(d) Ead. ep. 143.
(e) Ep. cur. 144.
(f) Ep. cur. 153. 154. Attributæ ad restituendam justi pretii monetam decimæ biennales.

XII. Bonifacii constitutio de non exigendis a clero vectig. temperata.

Cum vero jam ante ad coercendam principum avaritiam, qui non obtenta ab sede Apostol. facultate, in extorquendis a clero subsidiis grassabantur, devinxisset Bonifacius anathemate laicos, qui stipendia, aut vectigalia, decimas, pecuniasve a clericis exigerent, sive eæ ex ipsorum bonis vel ecclesiarum redigerentur; cui pœnæ etiam obnoxios esse voluerat eos, qui solverent, aut promitterent, consentirentve se soluturos; Benedictus ad mol-

molliendam illius decreti acerbitatem, e Cardinalium consilio legem in eos tantum vigere jussit, (a) qui exigerent aut ad exigendum consilium, operam, studiumve conferrent: læsos autem, qui sua extorquenti cessissent, ea pœna liberavit. Quam rem gestam Perusii in purpuratorum patrum consessu narrat Bernardus; eaque de re locutus subjungit: *Ibidem edidit quandam constitutionem, quæ incipit: Quod olim; in qua restrinxit pœnam constitutionis Bonifacii prædecessoris sui, quæ incipit: Clericis laicos; libro VI. decernens, ut in solventibus aut recipientibus a sponte solventibus pœna dictæ constitutionis Bonifacii non vendicet sibi locum.* Præter hæc Pontifex, qua occasione clerus bona ecclesiastica in principum subsidium derivare posset, ex Lateranensi consilio illustravit his verbis: *Cæterum attendant, solicite ecclesiarum prælati & alii clerici, quod Lateranense concilium in hujusmodi subventionibus solum casum necessitatis, aut communis utilitatis, ubi laicorum ad id non suppetunt facultates, deliberatione provida noscitur excepisse; & deinde generale statuisse concilium, propter quorumdam imprudentiam etiam in hoc casu Romanum Pontificem, cujus interest communibus providere utilitatibus, primitus consulendum. At tanto igitur caveant, ne prædictorum conciliorum transgressores existant, aliquid in casu prædicto, & multo magis si casus ipse non subsit, quoquo modo vel titulo, inconsulto Romano Pontifice, occasione subventionum dictarum concedendo laicis; vel etiam promittendo: alioquin tanquam canonum tam solemnium temerarii transgressores, quas proculdubio, Deo propitio, idem infliget Pontifex, gravissimas pœnas poterunt merito formidare, &c. Datum Perusii IV. idus maii anno I.*

(a) Ep. cur. 161. & extrav. Quod olim.

Pœnæ in exactores tantum constitutæ.

(b) Ep. cur. 44. Bonifacianis decretis sine Cardin. consilio editis vis adempta a Bened.

Quo casu clerus principibus subvenire teneatur.

XIII. Jacobus & Petrus Column. Ecclesiæ conciliati.

(c) Ep. cur. 35. extat etiam inter extravag. cap. Dudum. De schis. * præterquamquod

Nonnullis etiam aliis Bonifacii decretis vim ademit, (b) ad quod se hac ratione impulsum fuisse ait: *Quia etiam prædecessor ipse de fratrum suorum consilio statuta non edidit supradicta, eadem communicato fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica totaliter duximus suspendenda. Datum Laterani XIX. kal. februarii anno I.* Hæc vero Bonifacii gesta convulsit sanctissimus Pontifex, vel æquitate vel divinæ gloriæ zelo adductus.

Cum vero supplices veniam popoposcissent Petrus & Jacobus Columnæ, in eos ita clementiam explicuit, ut nervum ecclesiasticæ disciplinæ non dissolveret: hisce x. kalend. januarii superioris anni sanxit (c): *Eis*, inquit, *quævis alia, * quam præfatarum depositionis a cardinalatibus, privationis beneficiorum & ecclesiarum, confiscationis bonorum & jurium, quæ dictis civibus*, nempe Romanis, seu aliis sunt concessa, & inhabilitatis ad patrum sententia sive pœna abstulit, redditos, &c. In Sciarram vero Columnam, Guillelmum Nogaretum & alios impios, qui Bonifacium ceperant, distrinxit severitatem, ut Bernardus subjectis verbis testatur (d): *Benedictus Papa denuntiavit excommunicatos publice & in scriptis actores sceleris, & captionis prædecessoris sui Bonifacii Papæ VIII. nominatim & expresse Guillelmum de Nogareto, Sayrram de Columna, & quosdam alios nominatim, & generaliter omnes alios complices captionis, & facinoris cum eisdem, quæ ipse Benedictus Papa fide viderat * occulta.* Eadem in MS. rerum gestarum Benedicti, (e) atque apud Martinum Polonum (f) referuntur. Sed ad veritatem historiæ in luce collocandam pontificium diploma visum (g) est adducendum.

Proditores, qui ceperant Bonifacium, judicio postulati.

(d) Bern. in chron. Rom. Pont. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 38.
* occulata
(e) Ext. in bibl. nostra sig. lit. C. n. 25. & n. 79.
(f) Mart. Pol. lib. 5. Jord. MS. Vat. sign. n. 1960. & alii.
(g) Ben. ep. cur. 168. Describitur eorum scelus.

Benedictus, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Præcipui illius auctores.

Flagitiosum scelus, & scelestum flagitium, quod quidam sceleratissimi viri, summum audentes nefas, in personam bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, non sine gravi perfidia commiserunt, puniendum prosequi ex justis causis hucusque distulimus: sed ulterius sustinere non possumus, quin exurgamus, immo Deus in nobis exurgat, ut dissipentur inimici ejus, & ab ipsius facie fugiant, qui oderunt eum: dissipentur dicimus, si vere pœniteant, sicut ad prædicationem Jonæ, Ninive conversæ est: alias ut Jerico subvertantur. Olim siquidem, dum idem Bonifacius Anagniæ propriæ originis loco cum sua curia resideret, ipsum nonnulli perditionis filii, primogeniti Sathanæ, & iniquitatis alumni, omni pudore postposito, & reverentia retrojecta, prælatum subditi, parentem liberi, & vassalli dominum, Guillelmus scilicet de Nogareto, Renaldus de Supino, Thomas de Marolo, Robertus filius dicti Renaldi, Petrus de Genazano, Stephanus filius ejus, Adenulphus, & Nicolaus nati quondam Mathiæ, Giffridus Bussa, Orlandus & Petrus de Luparia cives Anagnini, milites Sciarra de Columna, Joannes filius Landulfi, Gottifridus natus Joannis de Ceccano, Maximus de Trebis, & alii factionis ministri armati hostiliter & injuriose ceperunt, manus in eum injecerunt impias, protervas erexerunt cervices, ac blasphemiarum voces funestas ignominiose jactarunt. Eodem etiam facto & opera per ejusdem factionis complices & alios thesaurus Romanæ ecclesiæ ablatus violenter extitit, & nequiter asportatus.

Captum Bonifacium blasphemis vocibus prosciderunt.

Diripuere thesaurum ecclesiæ.

XIV. Flagitii immanitas exaggeratur.

Hæc palam, hæc publice, hæc notorie, & in nostris etiam oculis patrata fuerunt. In his læsæ majestatis, perduellionis, sacrilegii, legis Juliæ de vi publica, Corneliæ de sicariis, privati carceris, & rapinæ, furti, & tot alia, quot ex hujusmodi facto facinora secuta sunt, crimina, & felloniæ etiam delictum commissa nota-

mus: in iis stupidi facti sumus. Quis crudelis hic a lacrymis temperet? Quis odiosus compassionem non habeat? Quis defes, aut remissus judex ad procedendum non surgat? Quis pius sive misericors non efficiatur severus? Hic violata securitas. Hic immunitas temerata. Propria patria tutela non fuit, nec domus refugium: summum Pontificium dehonestatum est; & suo capto sponso, Ecclesia quodammodo captivitata. Quis locus reperietur amodo tutus? Quæ sancta, Romano violato Pontifice, poterunt inveniri? O piaculare flagitium, o inauditum facinus, o Anagnia misera, quæ talia in te fieri passa es! Ros & pluvia super te non cadant, in alios descendant montes: te autem transeant, quia te vidente, & prohibere valente, fortis cecidit, & accinctus robore superatus est. O infelicissimi patratores, non imitati quem nos imitari volumus David sanctum, qui in Christum Domini, etiam inimicum, persecutorem, & æmulum suum, quia dictum erat: Noli tangere christos meos; manum extendere noluit, & in extendentem irrui gladio juste fecit. Infandus dolor, lamentabile factum, pernicioſum exemplum, inexpiabile malum, & confusio manifesta. Sume lamentum Ecclesia, ora tua fletibus rigent elegi, & in adjutorium debitæ ultionis filii tui de longe veniant, & filiæ de latere surgant.

Execratio in Anagninos, qui Bonifacio opem non tulerint.

XV. Auctores sociique facinoris denunciantur anathema contraxisse.

Verum quia scriptum est: Feci judicium & justitiam; & Honor Regis judicium diligit; nos in prædictis sic judicium, quod ad honorem nostrum pertinet, facere cupimus, quod a justitia minime divertamus. Ideoque forma juris, quæ (sicut hæc sunt) servatur in notoriis, observata; præfatos superius nominatim expressos, cæterosque participes, qui hæc in sæpedictum Bonifacium in personis propriis exercuerunt Anagniæ, omnesque, qui in iis dederunt auxilium, consilium, vel favorem, denuntiamus de fratrum nostrorum consilio, præsente hac multitudine copiosa, promulgatam a canone excommunicationis sententiam incurrisse, ipsosque citamus peremptorie, quatenus infra festum sanctorum Apostolorum Petri & Pauli proxime venturum personaliter comparent coram nobis, justam, dante Domino, nostram super præmissis, quæ ut prædicitur, notoria sunt, audituri sententiam, nostrisque mandatis & jussionibus humiliter parituri. Alioquin, eorum non obstante absentia, contra eos, via incedentes regia, procedemus, &c. Actum Perusii VII. *id. junii pontificatus nostri anno* I. Cum Pontifex recensitis, quæ improbi homines adversus Bonifacium antea gesserant, quorum se oculatum testem, ut vidimus, affirmat, nullam de ipso veneno necato mentionem faciat, minime subsistere videntur, quæ tradit Matthæus Westmonasterienſis, (*a*) Benedictum contra Bonifacii occisores proclamasse, veneno infectum interiisse.

Sistere se judicio ad excipiendam sententiam jussi.

Opinio de Bonifacio veneno sublato refellitur.

(*a*) *Vvest. Flor. hist.*

Dum Perusii versabatur Benedictus, eo accessisse Jacobi II. Regis Aragonum oratores, nimirum Vitalem e Villanova & Guillelmum e Ceria, ut regio nomine, ob acceptas jure fiduciario a Bonifacio VIII. Sardiniam & Corsicam insulas sedi Apostolicæ sacramento fidei se obstringerent; exceptosque perhumaniter a Pontifice quinta junii die hujus anni in publico Cardinalium consistorio clientelarem sponsionem præstitisse refert Surita (*b*). Illustrantur hæc Clementis V. literis, qui elapsis post duobus annis promulgavit (*c*) Jacobum Regem Benedicto XI. oratorum opera, quibus regio diplomate eam provinciam contulerat, acceptam jure fiduciario Sardiniam Pontifici retulisse; quamvis inopina Benedicti morte rei gestæ acta publica conscribi non potuerint.

XVI. Missi ad Benedictum a Jacobo Rege oratores.

(*b*) *Sur. l. 5. annal. c. 65. & ind. l. 2. hoc ann.*

(*c*) *Clem. V. l. 1. ep. 258.*

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Ne in posterum rei gestæ memoriam diuturnitas temporis forsan aboleat, præsentium insinuatione testamur, quod accedentes olim ad præsentiam piæ memoriæ Benedicti Papæ XI. prædecessoris nostri dilecti filii Vitalis de Villanova miles & Guillelmus de Lateria civis Barcinonensis procuratores, nuncii, ac ambasciatores charissimi in Christo filii nostri Jacobi Regi Sardiniæ & Corsicæ illustris; & recognoscentes quod idem Rex ratione regni Sardiniæ & Corsicæ, ad Romanam ecclesiam pertinentis, quod felicis recordationis Bonifacius VIII. prædecessor noster sibi & heredibus suis sub certis modis & conditionibus in perpetuum feudum concesserat; cui quidem Bonifacio prædictus Rex ipse personaliter pro eodem regno vassallagium ligium, & homagium fecerat, & juramentum fidelitatis præstiterat; tenebatur cuilibet Romano Pontifici infra annum post creationem ipsius per procuratorem seu procuratores suos, ad hoc legitime constitutos, similiter pro eodem regno vassallagium ligium, & homagium facere & juramentum fidelitatis præstare; ac exhibere infra mensem, postquam taliter hujusmodi vassallagium ligium, & homagium fecerit, & juramentum præstiterit, literas suas, ejus aurea bulla bullatas, modos, conditiones, & conventiones hujusmodi plenarie continentes, in quibus idem Rex recognosceret, se dictum regnum sub eisdem modis, conditionibus, & conventionibus in feudum a Romana ecclesia prædicta tenere, eaque se promitteret servaturum; procuratorio nomine dicti Regis pro eodem regno in ipsius Benedicti prædecessoris & fratrum suorum præsentia constituti infra annum post creationem ipsius hujusmodi vassallagium ligium, & homagium fecerunt, ac præstiterunt in ipsius Regis animam hujusmodi juramentum; sibique

Fidem regio nomine illi obstrinxere. Clementis V. de re gesta lit. Ut Jacobus Bonifacio ob accepta ejus auctoritate Sardiniæ & Corsicæ jura sacramento se devinxerit.

Singulis Pontificibus, excurrente primo anno, clientem se profiteri teneatur.

Ut perfuncti sint coram Bened. & Cardinalibus eo munere oratores.

Ob præcipitem Benedicti mortem literæ de re gesta confectæ non sunt.

Obligata a Regis Jacobi oratoribus fides.

que postmodum infra mensem præsentaverunt & exhibuerunt ex parte Regis ejusdem literas ipsi, ejus aurea bulla bullatas: in quibus non solum modi, conditiones, & conventiones prædictæ, sed etiam totus tenor literarum dicti Bonifacii prædecessoris super concessione hujusmodi confectarum inseritur; recognoscendo & confitendo procuratorio nomine dicti Regis, quod idem Rex regnum prædictum sub ipsis modis, conditionibus, & conventionibus receperat: ipsosque modos, conditiones, & conventiones, dicto nomine observare per omnia promiserunt, prout super iis plenam ab eodem Rege acceperant potestatem, sicut de eadem potestate constabat, per instrumentum publicum dicti Regis simili nomine roboratum: quæ quidem literæ & instrumentum præsentata, ut prædicitur, dicto prædecessori Benedicto, in archivio dictæ Romanæ ecclesiæ reservantur. Dictusque Benedictus prædecessor hujusmodi vassallagium ligium, & homagium, recognitiones, & promissiones facta, & juramenta præstita a dictis procuratoribus præfati Regis nomine, ut præfertur, de prædictorum fratrum consilio acceptavit; quamvis eodem Benedicto prædecessore morte prævento, dicti procuratores & nuncii literas ejus super hoc habere nequiverunt, prout hæc omnia ex eorundem fratrum assertione nobis constat, quibus fidem plenariam adhibemus, &c. Reliqua ad annum MCCCVI. spectant, quæ suo loco afferemus. *Dat, Burdegalæ* v. *kal. junii an.* I.

Concessæ Jacobo ad Sardiniam & Corsicam comparandas decimæ.

(*a*) *Surit. l. 5. annal. c. 65.*

(*b*) *MS. bibliot. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 571.*

XVII.

(*c*) *Surit. l. 5. c. 66.* Solemnes Regum conventus habiti in Hispania.

Adactis sacramento in pontificia verba Aragonum Regis oratoribus, Benedictum ipsi ad triennium decimas vectigalium ecclesiasticorum, quæ in regnis ipsius obventura erant, ad Sardiniam & Corsicam comparandas concessisse, testatur Surita (*a*). Cum vero inter cæteras leges a Bonifacio Regi Jacobo dictas, dum id regnum ipsi jure fiduciario tradidit, cautum fuisset, Sardiniæ & Corsicæ Regem Imperium Romanum non consecuturum, ni filium e patria potestate emisisset, haud lævis conjectura est, Jacobum permotum ea causa ad Petrum filium jure patrio hoc anno liberandum: qua de re in codice nostro Vallicellano publicæ extant tabulæ (*b*).

Quod ad res Hispanicas attinet; cum diuturnis bellis ea regna attrita essent, convenere hoc anno (*c*) apud Campillium Dionysius Lusitaniæ, Ferdinandus Castellæ, & Jacobus Aragoniæ Reges, ut contentiones, jamdiu ferro disceptatas, judicio dirimerent. Electus est Dionysius Rex controversiæ arbiter, quæ inter Ferdinandum, & Jacobum de regni limite vertebatur, & ab eo fines utriusque in Valentino & Murciæ regnis descripti, atque ipsius sententia æquo animo ab aliis Regibus excepta. Constituti quoque Lusitanus & Aragonius Reges causæ judices, quæ de regnis Castellæ & Legionis inter Alfonsum Cerdam, qui ex majori natu filio Alfonsi Romanorum olim Regis designati genus ducebat, ac Ferdinandum intercedebat; lataque secundum potentiorem sententia, jussus est Alfonsus regio nomine abstinere, & quas tenebat arces Ferdinando restituere: Ferdinandus vero nonnulla Alfonso oppida, omni jure libera ac vectigalia attribuere, ex quibus dignam principe vitam sustinere posset: quæ quidem non conjuncta, sed in Castellæ & Legionis regnis ac Boetica sparsa, ad debilitandam ipsius potentiam concessa sunt: *Levi*, ut ait Mariana, (*d*) *tantorum regnorum compensatione, rara hominum fide, parata imbecillium oblivione.* At de his postea: nunc ad Fridericum Aragonii Regis fratrem sermonem traducimus.

Dirempta Dionysii Rege Lusit. arbitro inter Cast. & Arag. limitum controversia. Ab Aragonio & Lusitano Regibus ad Castellæ Regis gratiam contra Alfons. Cerdam lata sententia.

(*d*) *Jo. Mar. l. 15. c. 7.*

Acceperat jam ante Benedictus Friderici Regis Trinacriæ oratores, qui sedi Apostolicæ illius nomine Trinacriæ regnum jure fiduciario obtinere professi erant. Qua re perfecta, significavit Pontifex Friderico, se ipsi literas oratorum opera transmisisse, quibus sacramenti forma concepta continebatur, ex qua Auria regiæ classis præfectus ipsius nomine sedi Apostolicæ se devinxerat; adjecitque uti ex ea electo Cephaludensi fidem astringeret, nisi gesta vellet rescindere. Videbatur enim ab initis antea pactionibus discedere, nec Trinacriæ Regis nomine contentus, Siciliæ Regis nomen affectarat: ex quibus atque aliis cum novorum bellorum metus impenderet, Fridericum monuit, (*e*) ut conflati fœderis legibus staret, monitisque apostolicis faciles aures præberet. *Attende igitur*, inquit, *in iis quanta te, fili charissime, sinceritate prosequimur, quam tecum via simplici ambulamus: te enim per clausas literas pii patris affectu monemus in secreto salubriter per transmissam formam eorum, quæ facere debes; benigne, ne periculum aliquod incurras, instruimus; & per prædictas alias olim & nunc tibi directas tuo statui, ut ex eorum lectione perpendere poteris, paterna solicitudine providemus, &c. Dat. Laterani* VIII. *id. januarii anno* I. Extant aliæ ad Fridericum kalend. julii datæ, (*f*) quibus ob acceptam anni superioris vectigalis partem illi cavit.

XVIII. Trinacriæ Rex gesta ab oratoribus confirmare jussus.

(*e*) *Ep. cur. 36.* Admonetur inito fœderi stare.

(*f*) *Ep. cur. 171.*

Frederico Regi Trinacriæ illustri.

De censu, inquit, *trium millium unciarum auri ad generale pondus insulæ Siciliæ, in quo annis singulis pro ipsa insula in festo Apostolorum Petri & Pauli persolvendo nobis & ecclesiæ Romanæ teneris astrictus, fatemur quod dilectus filius Frater Gerardus de Finoleritis, in dicta insula præceptor domus militiæ Templi, & judex Sanctorus de Salvo Messanensis tuæ celsitudinis nuntii per manus dilecti filii*

Persequendis in Trinacria hæreticis præfecti fidei censores.

filii Gerardi Sanfredini mercatoris cameræ noſtræ decem millia florenorum pro duobus millibus unciarum auri pro dicto Apoſtolorum feſto proxime tranſacto anni milleſimi trecenteſimi tertii nobis & ipſi eccleſiæ tuo nomine perſolverunt: ſicque adhuc mille unciæ ad idem pondus reſtant a te ſolvendæ pro cenſus dicti anni ſolutione complenda. Nos autem per hanc particularis dicti cenſus receptionem conditionibus & obligationibus, inter dictam eccleſiam & te habitis & firmatis, nolumus, nec intendimus in aliquo derogari, has literas magnificentiæ regiæ ad cautelam tuam & rei geſtæ memoriam concedentes. Dat. Peruſii XV. *kal. julii anno* I.

XIX. Ne porro in Trinacria, ubi ob diuturnum eccleſiaſticum interdictum divinus cultus obſoleverat, hæreſis venenum latius diffunderet, eidem Regi Thomam Averſanum creatum ſacræ fidei cenſorem, atque alios e Prædicatorum familia huic muneri præfectos commendavit, (*a*) cum eo facto magnum apud homines decus atque apud Deum gratiam colligeret; ac nulla re magis regia dignitas, quam in hæreticis fovendis obſcurari poſſit: *Sane*, inquit, *inter alia, quæ Regem æternum offenderent, tuamque ſalutem perimerent, & famam plurimum offuſcarent, illud foret potiſſimum, videlicet ſi, quod abſit, in terris tuæ juriſdictioni ſubjectis pravitas hæretica pullularet, aut foveretur, vel impediretur inquiſitorum officium pravitatis ipſius aliquatenus in eiſdem. Dat. Peruſii* VI. *kal. junii anno* I.

(a) Ep. 666.

Maximum Regum opprobrium eſt favere hæreticis.

XX. Prætereundum hic non eſt viſum, Benedictum Friderici fœderatos Genuenſes, ob illata auxilia, invectaſque merces contra imperia apoſtolica cenſuris devinctos, ea religione ſolviſſe (*b*): nonnullos præſules qui Humberto Delphino Viennenſi adverſus Amedeum Sabaudiæ comitem ſe conjunxerant, arma ponere juſſiſſe, (*c*) cum Sabaudus damna eccleſiis illata reſarcire ſponderet: coercuiſſe parochorum Britanniæ avaritiam, qui exequiarum juris ſpecie aliena bona corradebant; ac tuendæ veteris illius corruptelæ ſacramento Joannem Britanniæ comitem liberaſſe: (*d*) pari denique juſtitiæ zelo, quo eccleſiaſticos alienis manus temperare juſſit, eo Bononienſes, jus eccleſiaſticum labefactare molientes, coercuiſſe (*e*).

(b) Ep. 656.

(c) Ep. 627. Britanni parochi morientium heredes divexant.

(d) Ep. 772.

(e) Epiſt. 589. & reg. poſt eand. ep.

Addenda pariter nonnulla beneficia apoſtolica, quibus viros eccleſiaſticos ac religioſos eſt complexus: inter quæ non prætermittendum illud, quo Bambergenſi epiſcopo, qui annis ſingulis Romano Pontifici, equum album offerre tenebatur, ac ſeptem annis elapſis officio defuerat, debita remiſit: *Nos*, inquit, *tuis ſupplicationibus inclinati, omnes hujuſmodi palafredos, non datos Romanæ eccleſiæ ſeu etiam aſſignatos, tibi & eccleſiæ Bambergenſi de ſpeciali gratia remittimus & donamus; volentes & concedentes, ut tu vel ſucceſſores tui, & prædicta eccleſia Bambergenſis ad dationem ſeu aſſignationem ipſorum non datorum nec aſſignatorum palafredorum ullo unquam tempore teneamini, neque ad id a quoquam coarctari poſſitis, vel quomodolibet moleſtari. Non autem intendimus quod per præſentem remiſſionem & donationem noſtras ullum ipſi Romanæ eccleſiæ præjudicium generetur, &c.* Tuendi vero rei ſacræ ſplendoris ſolicitus hæc de clericorum numero, qui divino cultui in Lateranenſi baſilica eccleſiarum principe a Conſtantino magno condita, atque a B. Sylveſtro conſecrata, inſiſterent, ſanxit (*f*).

Bambergenſis epiſc. ad offerendum annis ſingulis equum album Pontifici obſtrictus.

(f) Ep. 538.

Benedictus &c. dilectis filiis capitulo eccleſiæ Lateranenſis.

Tam circa vos & eccleſiam veſtram, quam conſtruxit Conſtantinus piiſſimus Imperator, & beatus Silveſter ad honorem Salvatoris domini noſtri Jeſu Chriſti noſcitur dedicaſſe, tanto potiori diligentia excitamur, quanto veneratione majori, & eſt dignitatibus ac prærogativis pluribus decorata. Volentes igitur, ut in eadem eccleſia ſit juxta ejus condecentiam determinatus numerus miniſtrorum, per quos ſuſcipiat laudabiliter, dante Deo, divini cultus augmentum, veſtris juſtis poſtulationibus inclinati, decem & octo canonicorum, & vigintiduorum beneficiatorum, ſeu ſtipendiatorum, nec non quaternarium acolythorum numeros, qui videlicet ſtipendiarii, & acolythi illam partem redituum, & proventuum eccleſiæ prædictæ percipiant, quam hactenus conſueverunt percipere, & habere in eccleſia ipſa taxavimus; ſtatuentes, ut de cætero eiſdem numeris eadem eccleſia ſit contenta, niſi adeo ipſius excreverint facultates, quod merito illos exigant augmentari; & quod nullus recipiatur ibidem ultra numeros ſupradictos, quouſque aliquis defuerit de eiſdem, &c. Dat. Later. IV. *non. martii an.* I.

Sacerdotum, in Lateran. baſilica inſervientium Numini definitus a Bened. numerus.

XXI. Exarſerat (*g*) jamdiu gravis inter clerum, & religioſa ſodalitia controverſia, an qui apud monachos [1] ſacra exhomologeſi

(g) Bened. ep. cur. 67. Ext. etiam magiori ex parte inter extravag. cap. Inter cunctas. De privil.

geſi crimina expiarant, ad illa iterum parocho aperienda obſtricti eſſent: nec illam Bonifacius, quamvis de pluribus aliis controverſiis ſententiam tuliſſet, diremerat: quam primum in Pariſienſi academia ventilatam tradit Eberhardus (*a*); neceſſitatis vero non eſſe ea repetere Benedictus pronuntiavit: tum cenſuras ac ſententias in religioſos viros, qui fidelium confeſſiones ſacras exceperant, non valere. Auſus tamen poſtea eſt Joannes e Poliaco Pariſienſis doctor inanes argutias contra hæc effutire, quas ipſemet in Cardinalium conſiſtorio Joanne XXII. ſummo Pontifice damnavit: (*b*) ſed de eo in ſequenti tomo. Redimus ad Benedictum, qui præterea edixit, in plateis conciones habere ad populum religioſis viris licere: eos tamen eadem hora, qua diœceſanus e ſacro pulpito ageret, concionari vetuit, cum æquitas poſceret, ut inferior ſuperiori cederet. Edixit etiam religioſarum familiarum præfectis, ut viros tantum pietate & doctrina conſpicuos habendis ſacris concionibus admoverent, atque ſubjectam illius ſanctionis rationem adduxit: *Quia poſt baptiſmum inter cætera magis ad ſalutem confert propoſitio verbi Dei, qua audientes illud, quod eſt victoria noſtra, inſtruuntur in fide, docuntur fugienda fugere, & ſectanda ſectari, ac qua per peccatum lapſi reſurgunt, & pœnitentiæ ſacramentum perficiunt; grandis nobis ſolicitudo incumbit, ut tales ad hæc promoveant fratres, qui oleo dulcedinis ejuſdem veſtros foveant ſubditos, & peccatis prohibeant increpationis vino, peccatorum ſuorum medeantur vulnera, eoſque ad illa pœnitentiæ acrimonia purgandum & tegendum provocent, & inducant. Ad id exequendum ſcientia divinæ legis expoſcitur, deſideratur ordo, & vitæ integritas etiam poſtulatur; ſcriptum eſt enim: Tu ſcientiam repulisti, & ego te repellam, ne ſacerdotio fungaris mihi: quia labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt ex ore ejus. Alias prout ad eum pertinet inter peccatum, & peccatum non poſſunt diſcernere, nec peccator exiſtens, Dei debet narrare juſtitiam, & teſtamentum illius aſſumere per os ſuum. Nam cujus vita deſpicitur, conſequens eſt, ut ejus prædicatio contemnatur, &c.* Conſignata eſt hæc conſtitutio his poſtremis verbis, quæ in juris canonici libris deſunt. *Dat. Laterani* XIII. *kal. martii.*

(a) Eberhard. apud Caniſ. antiq. lect. to. 1. p. 325.

(b) Extravag. Vas electionis De hæreticis.

Joannes e Poliaco contra obgannit. ac damnatur.

Dotes in concionatoribus deſideratæ.

XXII. Affecit pluribus aliis beneficiis religioſos viros atque inter cætera hæc in notis Baronii recenſentur (*c*): *Munivit Benedictus multis privilegiis ordinem Cæleſtinorum, & Servorum.* Et quidem Benedicti extat diploma, quo Servorum S. Mariæ familiam, quæ ſibi id nomen pietatis ſenſu in Virginem delibuta, cui addixerat ſervitutem, impoſuerat, confirmavit; atque ubi nonnullis verbis proluſit, apoſtolicas curas in omnes quidem diffundi, tum vero ſingulari ſtudio in iis tuendis, qui excolendæ vineæ dominicæ, amplificandæque divinæ gloriæ ſe conſecrarunt, addicendas; ſubiicit (*d*): *Sane vos, qui ordinem ſancti Auguſtini per ſedem Apoſtolicam approbatum profitemini, & ſervatis ex devotionis affectu, quem geritis ad Beatam M. V. glorioſam, aſſumpſiſtis vobis vocabulum ab eadem, ſervos vos ejuſdem Virginis humiliter nominando; dictumque ordinem S. Auguſtini nihilominus, juxta pias & honeſtas inſtitutiones veſtræ regulæ, in honorem ipſius Virginis editas laudabiliter ſervaſtis hactenus & ſervatis: ac vobis per ſpecialia privilegia, dicta ſedes indulſit, quod celebrare poſſitis capitulum generale, ac in eodem capitulo priorem vobis generalem eligere.* Et infra: *Nos autem qui ad ipſam Virginem dominam noſtram libenter devotionem, quam poſſumus, exhibemus; nolentes, quod aliquis contra vos & regulam ipſam quidquam poſſit detractionis impingere, quin eadem regula plenam habeat apoſtolici muniminis firmitatem, ad omnem hæſitationis materiam circa hæc de quorumvis animis amovendam, veſtris ſupplicationibus inclinati, regulam & omnes inſtitutiones prædictas expreſſe auctoritate Apoſtolica confirmamus, &c. Dat. Later.* III. *idus febr. anno* I. Extat etiam hoc diploma in Servitarum annalibus (*e*): ſed de his hactenus. Nunc ad res orientales properat oratio.

(c) Bar. in ſched. MS. hoc ann. Cæleſtini privilegiis aucti a Benedicto.

(d) Ep. 407. Servitæ Ord. S. Auguſt. a B. Virg. ſervitute nomen ſumpſere.

Eorum inſtituta a Benedicto confirmata.

(e) Annal. Servor. F. V. hoc an.

Hoc anno, inquit Cardinalius Baronius, (*f*) *ante obitum Benedicti epiſcopus orientalium ſcripſit literas Chaldaice ad ipſum Benedictum Romanum Pontificem, quibus fidem catholicam eſt profeſſus, fateturque Romanam eccleſiam eſſe caput omnium eccleſiarum. Habetur libro privilegiorum Romanæ eccleſiæ; habentur illic ipſæ literæ.* Producimus eas e memorato volumine, (*g*) quæ ſubjectis verbis conceptæ ſunt.

(f) Baron. in notis MS.

(g) Lib. privil. Rom. eccl. to. 3. pag. 277.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti Amen. Sanctiſſimo Patri noſtro domino Benedicto advena & peregrinus Hyabalaha, qui per gratiam domini noſtri Jeſu Chriſti factus fuit Iſalicus & Patriarcha totius orientis, petit a ſanctitate veſtra benedictionem, & inclinat vobis cum humili ſalutatione in charitate Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Quanto honore orientalium patriarcha Rom. Pontificem proſecutus ſit.

Superabundanti patri in ſanctitate, & ſuperexcellenti in ſpiritualibus donis vicario Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſuper totam fidem Chriſtianam ſedenti, ſuper ſedem beati Petri Apoſtoli paſtoris noſtri & patroni, Patri patrum, Regi Regum, ſanctiſſimo Papæ Benedicto, quem Deus induit ſanctiſſima ac digniſſima veſte. Cuſtodiat Deus per veſtram ſanctam orationem ab omni adverſitate, & tribulatione omnes illos, qui ſignum ſanctæ Crucis in ſuis

NOTÆ [1] Nihil a Bonifacio definitum quoad confeſſiones fidelium ſemel per annos ſingulos apud parochos ſuos præſtandas affirmat annaliſta; ſed erroris illum arguit Nangius in chronico ad annum 1298. ſcribit enim: *Privilegium datum Prædicatoribus de confeſſionibus audiendis a papa Bonifacio irritatur, & decrevit papa ut confeſſus eiſdem fratribus, confiteatur eadem peccata proprio ſacerdoti*; ſemel ſcilicet in annos ſingulos. Id vero edictum a pontifice cenſeo, ut impleretur præceptum canonis. *Omnis utriuſque ſexus.* Neque enim mens fuit pontifici ut confeſſiones apud regulares præſtitas nullas fuiſſe, & inanes decerneret, quam ſediſſe ſententiam Guillelmo de S. Amore ſuſpicor. Eam Bonifacii conſtitutionem hoc demum anno revocaſſe Benedictum ex annaliſta hic diſcimus. MANSI

suis frontibus susceperunt : & postquam inclinavimus humiliter, & dulciter salutando, quod præstantius est, oramus nos omnes continue pro vobis. Et novit sanctitas vestra reverenda, quod religiosus vir ac sanctus frater Jacobus ordinis Prædicatorum, quem Deus in via, quam assumpsit, dirigat & confirmet, venit ad nos, & manifestavit nobis, quomodo sanctus pater Bonifacius Papa, cujus animam Deus habeat, de hac vita tenebrosa ad lucem perpetuam transmigravit. Insinuavit insuper nobis, quod istud donum permaximum, & maxima sedes throni apostolici, ac universalis paternitas omnium fidelium, ac summus pontificatus omnium pontificum in omni Ecclesia catholica & apostolica Deus omnipotens & piissimus vestræ contulit sanctitati, quam Deus custodiat & conservet.

Quam auguste de primatu Rom. ecclesiæ senserit. * quod est

XXIV. *Insinuavit etiam nobis dictus frater, quod vos, Dei voluntate & dispositione, & Spiritus sancti gratia ordinante, sedem Romanam apostolicam obtinetis : & dixit nobis quod in vobis relucet sanctitas, religio, sapientia, & fervor fidei cum devotione, & habetis amorem cœlestium cum desiderio exaltandi fidem Christi plus satis, quam ipse sciret nobis exprimere. Quibus auditis, gaudium nostrum multum accrevit, & dolor & tristitia a nobis recessit, & laudavimus ac benediximus Jesum Christum dominum nostrum, qui promisit nobis per suum Evangelium : Non relinquam vos orphanos ; & postulavimus a misericordia ejus, quod sit benedicta vestra paternitas, & dominatio super omnes generationes ; & faciat Deus vos agnoscere in tota fide nostra Christiana, cui infideles invident, pontificatus vestri benedictionem & clementiam ; & exaltet verbum vestrum super universum mundum, & corroboret conceptum animi vestri ad honorem suum, & faciat vestrum consilium benedictum : & postulamus a vestra sanctitate, quatenus dignemini recordari nostri, & omnium Christianorum in vestris sanctis orationibus, & postulamus etiam humiliter, quatenus omnium prælatorum, & religiosorum, & clericorum, ac cæterorum omnium fidelium, vestro regimini commissorum, orationibus & suffragiis, quibus valde indigemus, dignemini nos efficaciter commendare ; & postulet a Deo, ut det suæ Ecclesiæ sanctæ securitatem, consolationem, & pacem, & det populo suo felicitatem, & gratiam spiritualem & temporalem. Tota enim spes nostra pendens in vestris sanctis orationibus est, & in vestro regimine, ac gubernatione : nec habemus ad quem dirigamus oculos nostros post Deum, nisi ad vestram pietatem & misericordiam, qui pater noster estis loco domini nostri Jesu Christi. Deus omnipotens aperiat portas misericordiæ suæ super filios sacro baptismate generatos in sua benedictione, & dirigat eis vias salvationis per vestras orationes. Quod si sanctus pater noster summus Pontifex, quem Deus custodiat & conservet, fidem nostram scire vel audire voluerit, hæc est, quæ sequitur.*

Fauste precatur Pontifici.

Ejus se precibus commendat.

Ejusdem auctoritati obnoxium se agnoscit.

XXV. Fidei suæ formam exponit. Orthodoxum dogma de Deo uno & trino.

Credimus in unum Deum æternum, summe sapientem, vivum, omnium bonorum largitorem, omnipotentem : unam substantiam, & tres personas Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Unam deitatem. Patrem generantem, Filium genitum, Spiritum sanctum procedentem. Unum dominum : unum adoratum Creatorem rerum visibilium & invisibilium : infigurabilem, incorporeum, & inimaginabilem super omnem intellectum : immensum, & incomprehensibilem propter humani intellectus debilitatem. Quapropter ad aliquam fidelium manuductionem dicimus & confitemur, ipsum Patrem generantem sive loquentem, Filium autem genitum sive verbum, Spiritum autem sanctum tam verbi quam loquentis esse spiritum, sive vitam ; & propter hoc scriptum est in principio Geneseos : Dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Sicut etiam videmus in sole ipsum corpus solare, & radium sive lucem ab ipso exeuntem, & calorem ab utroque manantem : quæ tria unum solem dicimus, & non tres ; sic & tres personas unum Deum. Confitemur etiam quod in fine sæculorum una persona de tribus divinis, illa scilicet, quam assimilavimus radio solari, vel verbo Dei, induit perfectam humanitatem de virgine Maria propter salutem hominum, & ut ostenderet nobis lucem veritatis : & fuit unita divinitas humanitati, & humanitas divinitati inseparabiliter, & sine fine. Et ista est fides nostra in dominum nostrum Jesum Christum Deum nostrum, qui est completus Deus, & completus homo in una persona : totus apud Patrem, & totus in matre. Et ab illa hora, qua per Gabrielem archangelum ex parte Dei Virgini Mariæ annunciatio facta de Filio nascituro, & dictum est ei, Ave gratia plena, Dominus tecum, &c. ex tunc divinitas non dimisit humanitatem, nec in cruce, nec in sepulcro : ita tamen, quod divinitas pati non potuit, nec mori, nec aliquam pœnalitatem sustinere.

Spiritus sancti a Patre & Filio processionem.

Comparatio e creaturis ad mysterium aliquatenus illustrandum petita.

De verbo incarnato.

Nunquam dimissa ab eo humanitate.

Et confitemur nihilominus, quod domina nostra virgo sancta Maria genuit & peperit Deum & dominum nostrum Jesum Christum, qui est homo perfectus, & unitus Deo perfecto, sicut attestatur sanctum Evangelium, quando dixit Angelus ad pastores : Annuncio vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator mundi, qui est Christus dominus Deus in civitate David. Et nos etiam acceptamus, & recipimus fidem, & dicta omnium illorum, quæ ordinata sunt in Niceno concilio per sanctos patres CCCXVIII. quorum orationibus nos Deus custodiat. Illorum ordinationem, & dicta

Virgine Dei matre.

Nicæni concilii auctoritate.

dicta nos recipimus sicut dicta quatuor Evangelistarum, & sicut ordinationes Apostolorum, & sicut epistolas Pauli : & elongamur & separamur ab omnibus, qui dictis sanctis patribus contradicunt.

XXVI. Primatu Romanæ Ecclesiæ.

Profitemur insuper sanctum Romanum summum Pontificem, & patrem universalem omnium fidelium Christi : & confitemur, quod ipse est successor beati Petri universalis vicarii Jesu Christi super omnes filios Ecclesiæ ab oriente usque in occidentem ; cujus amor & dilectio in nostris cordibus est firmata, & nos sub ejus obedientia sumus ; & requirimus & imploramus suam benedictionem, & sumus parati ad omne ejus præceptum ; requirentes humiliter & implorantes ejus auxilium in necessitatibus nostris, & tribulationibus, in quibus longo tempore jam fuimus, & permanemus : & ipse pius pater ne avertat a nobis faciem suam, cum simus omnes fratres in Christo, & ejus filii per veram fidem catholicam : & dignetur corda nostra erigere in gaudium & consolationem per literas suas, mandando nobis quæ facere debeamus, quæ accepta & grata sint suæ sanctitati. Et insinuamus sanctitati vestræ reverendæ, quod nos imposuimus & commisimus verbotenus verba aliqua prædicto fratri Jacobo exhibitori præsentium, tanquam fideli & veraci nuncio, coram vobis proponenda, cui debeatis credere in omnibus tanquam nobis : & illa, quæ loquetur de nobis, vera sunt, quia nos cognovimus firmiter in eo veritatem & fidelitatem. Inclinamus cum salutatione & oratione sanctis & electis dominis nostris Cardinalibus, & omnibus aliis prælatis, & Regibus, & sacerdotibus, & religiosis, & baronibus, & fidelibus omnibus, qui obedientes sunt fidei Romanæ ecclesiæ. Det nobis Deus suam benedictionem, & sancti patris nostri summi Pontificis per merita & orationes Apostolorum Petri & Pauli. Omnes prælati orientis, qui circa nos sunt, archiepiscopi & episcopi, & sacerdotes, & religiosi, & alii fideles supplicant vobis, & salutant cum orationibus, & petunt a vobis orationem, & benedictionem. Scriptum fevia secunda in crastino Pentecostes XVIII. die mensis madii MDCXV. ab Alexandro Rege in civitate Maraga regno Persarum.

Benedicti imperiis se subiicit.

Salutat Cardinales, antistites, & Reges Occidentales.

XXVII. Obiisse hoc tempore Cassanum Persidis Regem, qui tanto ardore cultui Christiano restituere Syriam exoptaverat, luget Aytonus subjectis verbis: (*a*) atque ex eo ob successoris Carbagandæ apostasiam impietatem invaluisse inter Tartaros, & Armeniam a Saracenis infestatam esse: *Rex Armeniæ ad terram suam rediit*, nimirum ab expeditione, superiori anno suscepta in Saracenos, *sed postquam ibi applicuit, parum habuit de quiete. Post hæc vero, sicut Deo placuit, Casanus fuit quadam gravi infirmitate detentus : & quia sapienter in vita sua egerat, voluit etiam ultimo commendari : unde suum sapienter condidit testamentum, & sibi instituit heredem & successorem Carbagandam fratrem suum. Postquam ordinavit prudenter ea, quæ erant ordinanda circa negotium regni sui & domus suæ, fecit pulchras constitutiones & leges ; quas suis dimisit in memoriam : quæ quidem a Tartaris firmiter observantur. Post hæc Casanus diem clausit extremum, & successit sibi in regno Carbaganda frater suus. Iste Carbaganda fuit filius cujusdam bonæ memoriæ dominæ, quæ fuit vocata Erockaton, quæ fuit in fide Christi devotissima & fidelis, & quamdiu vixit, faciebat sibi divina officia quotidie celebrari, & tenebat Christianum presbyterum & sacellum ; unde iste Carbaganda fuit baptizatus & nominatus in suo baptismate Nicolaus : & quamdiu mater ejus vixit, in fide Christianorum permansit : sed post obitum dominæ matris suæ dilexit societatem Saracenorum ; unde fide Christianorum relicta, adhæsit sectæ persidi Mahumeti. Rex vero Armeniæ de obitu Casani fuit plurimum perturbatus : nam per hoc inimici fuerunt in magna superbia elevati, &c.*

(*a*) Ayton. hist. orient. c. 45. Cassani obitus.

Carbaganda frater Perficum sceptrum capescit.

A fide defecisse.

XXVIII. De illatis ab impiis cladibus, repressoque eorum furore dicetur inferius ; nunc adjungemus, Pontificem instaurandæ in Asia religionis cupidum, cum faciliori traject u e Constantinopoli traduci posse crucesignatas acies in Syriam perspiceret, si orientis Imperium ab orthodoxis recuperaretur ; Caroli Valesii comitis Andegavensis consilia de expeditione in Andronicum schismaticum conficienda, dotalibusque uxoris juribus asserendis laudasse, (*b*) atque ad ea perducenda studium apostolicum spopondisse.

Dejecta in Orientе res Christiana. Carolus Valesius expeditionem in Andronicum agitat. (*b*) Ep. 903.

Nobili viro Carolo nato claræ memoriæ Philippi Regis Francorum comiti Andegavensi.

Claris patet operibus tuæ sinceritatis præcelsa devotio, & humanæ laudis præconio commendanda. Paterna siquidem affectione recepimus tui contemplatione dilectum filium magistrum de Pertico canonicum Parisiensem cancellarium tuum, & nobilem virum Petrum de Erbovilla militem Carnotensis diœcesis, nuncios & ambaxiatores tuos, quos nuper ad nostram præsentiam transmisisti : & quæ nobis ex parte tua exponere curaverunt, intelleximus diligenter. Licet autem ad ea, quæ tui honoris & status respiciant incrementa sedes Apostolica, quæ te tamquam filium prædilectum gerit in visceribus charitatis, libenter intendat ; ad negotium tamen Imperii Constantinopolitani, ad quod, prout nobis per eosdem nuntios intimasti, te potenter accinges, tanto avidius opem & favorem impendit ; quanto illud nationi fidei

Consilia communicat cum Benedicto.

fidem contingit specialiter supradictam. Ideoque super commutandis votis crucesignatorum, qui tecum voluerint ad eruendum dictum Imperium de schismaticorum manibus proficisci, ac super legatis & aliis obventionibus deputatis Terræ sanctæ subsidio tibi pro prosecutione dicti negotii ejusdem Imperii concedendis, prout a nobis fuit ex parte tua petitum, annuimus, prout in nostris super iis confectis continetur literis, votis tuis. Generalem autem prædicationem crucis, quam similiter ex parte tua dicti nuntii pro eodem negotio petierunt, præsentis temporis & regni Franciæ statu considerato, distulimus: ad eam tamen, & concessionis decimæ proventuum ecclesiasticorum, aliasque subventiones tibi pro ejusdem prosecutione negotii faciendas, quas expedire videbimus, ejusdem regni conditionibus prospere divina favente clementia succedentibus, procedere juxta tuum votum, nisi interim generale passagium fieret, intendimus; teque alias circa hæc apostolicis fovere præsidiis tempore opportuno. Negotium itaque præfatum virtute tuæ magnanimitatis assume, & assumptum tamquam vir strenuus viriliter prosequaris: nam in iis & aliis, ubi expedierit, apostolicus non deerit tibi favor. Dat. Perusii v. *kal. junii anno* I.

Promissa illi apostolica præsidia.

XXIX. (a) Ep. 802. Contulit vero provinciam episcopo Sylvanectensi, (*a*) ut legata, aliasque obventiones Terræ sanctæ subsidio addictas, ad comparandum Imperium Constantinopolitanum, ultra decimas, derivaret; quæ etiam ad tolerandos ejus expeditionis bellicos sumptus converrendæ essent, si in Terram sanctam crucesignatorum copiæ non traicerent: eaque instruxit auctoritate, quæ ad munus obeundum atque adversantes sibi percellendos necessaria videretur: demum Apostolicis literis fideles ad capessenda in tam justa causa arma, edomandosque schismaticos permovit (*b*).

(b) Ep. 803.

Venerabili fratri episcopo Sylvanectensi.

Benedicti ad fideles de recuperando Constantinop. Imperio lit.

In supremæ præeminentia dignitatis disponente Domino constituti, ad universas orbis provincias, quas professio Christianæ religionis includit, apostolicæ diffundimus considerationis intuitum pro earum statu salubriter dirigendo. Sed dum Imperium inclytum Constantinopolitanum a cultu religionis ipsius, qui vigere solebat hactenus in eodem, separatum attendimus, illudque ab olim per quondam Michaelem Palæologum, dum vixit, & post ejus obitum per Andronicum ejus filium, eorumque complices & fautores schismaticos, & ab unitate Christianæ fidei deviantes, damnabiliter occupatum, multo nimirum mœrore replemur, & ad subveniendum ei de illo remedio, per quod ad fidem reduci valeat orthodoxam, vias & modos libenter exquirimus, opemque ac operam promptis studiis exhibemus. Quorum namque possunt Christianorum animi non turbari, dum in gravem superni Patris offensam, & dispendiosam Apostolicæ sedis injuriam, & injuriosa dispendia pravum genus schismaticæ gentis elata cornua levasse conspiciunt, ac tam nobile imperiale solium occupasse? Pro certo ad ipsum Imperium de filiorum alienorum manibus liberandum, ipse fidei zelus debet corda fidelium inflammare. Nam si, quod absit, idem Imperium ad Turcos, aliosque Saracenos & infideles, a quibus dictus Andronicus jugiter impugnatur, devenire contingeret, non posset demum faciliter erui de manibus eorundem. O quam grave discrimen, & ingentem confusionem reciperet si, quod Deus avertat, talis casus emergeret, Romana mater ecclesia, totaque religio Christiana.

Andronicum Imp. a Turcis oppugnari. Grave imminere periculum, ne in eorum manus incidat Imperium.

XXX. Carolum Valesium uxoris Imperatricis jura recuperare meditari.

Cum itaque dilectus filius nobilis vir Carolus comes Andegavensis, cujus interest ratione uxoris suæ, charissimæ videlicet in in Christo filiæ Catharinæ Imperatricis Constantinopolitanæ illustris, ad ejusdem recuperationem Imperii offerat se potenter velle intendere, & ad id viros virosque suas exponere; multique barones nobiles & potentes, zelo devotionis accensi, pro ipsius Imperii recuperatione ac reductione ad fidem catholicam cum eodem comite, sicut idem comes affirmat, sint proficisci parati; nos qui ad tam necessariam, salubrem, & felicem, Deo favente, expeditionem Christianos principes debemus quærere, invitare, quæsitos & invitatos modis, quibus possemus, ad hoc inducere, præmiis, subsidiis, & auxiliis provocare; cupientes ut hujusmodi negotium, quod non modicum Apostolicam sedem, omnesque Christi fideles ratione fidei prælibatæ contingit, salubrem sortiatur effectum; ac attendentes, quod ex ejusdem felici consummatione negotii Terræ sanctæ subsidium, quod ex causis diversis tamdiu fuit hactenus præpeditum, divina favente clementia poterit provenire, &c. tum armis suscepturis, stipemve in sumptus bellicos collaturis indulgentias proponit, additque.

Rem Syriacam ex eo facile instauratum iri. Apostolica ad sacram expeditionem exhortatio.

Rogamus itaque universitatem vestram, & hortamur in Domino, quatenus ad hujusmodi tam pium, tam salubre negotium prosequendum in auxilium dicti nobilis potenter & viriliter assurgatis, ut idem nobilis, vestro cooperante favore, in suis processibus prosperetur; vosque tanti boni mereamini participes effici, ac proinde divinam, dictæ sedis & nostram gratiam uberius obtinere. Si enim consideratis, filii, quantas Græcorum ecclesia non solum Romanæ, sed toti Ecclesiæ contumelias inferat; si contemptum sciretis eorum, si ipsorum errorem in fide, si odium nosceretis; sine hortatu nostro contra eos caperetis arma, ac negotium fidei ardentibus animis su-

sumeretis. Dat. Perusii XII. *kal. julii an.* I.

XXXI. Mortuo Pontifice dissipatum consilium. (*a*) Ep. cur. 132. (*b*) Ep. cur. 135. (*c*) Ep. cur. 138. (*d*) Bern. chr. Rom. Pont. Appendicis ad Martin. Polon. auctor. & alii. Quanto tempore in pontificatu sederit. (*e*) Bern. ep. 2. Illustrata miraculis ingentibus tanti Pont. sanctitas. (*f*) Bern. ibid. (*g*) Ant. 3. p. tit. 20. c. 9. in princ. & tit. 23. c. 11. in princ. Leand. de viris illust. ord. Prad. l. 3. in Bened. Bozius l. 7. de signis eccles. c. 1. sign. 25. p. 252. §. Anno, & alii. (*h*) Bonif. hist. Tarvis. l. 6. (*i*) Anton. tit. 23. c. 11. in princip.

Dum in iis consiliis versabatur Benedictus; auxissetque Cardinalium collegium, hoc anno creato Gualterio Anglo presbytero tit. S. Sabinæ in locum Guillelmi Angli, qui una cum Nicolao Pratensi superiori anno renunciatus Cardinalis obierat: qui quidem omnes in ordine Prædicatorum, ut ipsemet Pontifex religiosam disciplinam erant professi, Perusii decessit: qua partim in urbe, ut ex ascripta superioribus literis die, partim Romæ commoratum constat: confirmantque Bernardus, & auctor qui ad Martinum Polonum appendicem adjecit, aliique, ipsum celebrato paschate Roma Perusium aulam apostolicam traduxisse. Et sane extant in ipsius regesto literæ apud S. Petrum Romæ VI. id. aprilis datæ (*a*) tum apud Montemflasconem (*b*) XVIII. kal. maii, tum Perusii (*c*) VI. id. maii, ubi plures aliæ exaratæ. Tenuerat Petri sedem menses octo dies XVII. ut tradunt memorati auctores, (*d*) & alii: creatum enim XI. kal. novembris superioris anni in encyclicis de sua electione literis (*e*) ipse affirmat, decessisseque nonis julii scriptores testantur, e quibus Bernardus (*f*) hæc affert: *Hic Benedictus obiit in Perusio nonis julii pontificatus sui anno primo, sepultusque fuit in ecclesia fratrum Prædicatorum Perusii ante altare anno Domini MCCCIV. ubi divini virtus & bonitas ejusdem (gratia Benedicti, & nomine) merita cœpit evidentibus miraculis declarare; maxime in dæmonibus expellendis de corporibus obsessorum, & in multis infirmitatibus, & languoribus propulsandis quorumdam. Non pauca evidentia & probata alibi scripturæ memoriæ sunt mandata.* De editis miraculis alii plures consentiunt, (*g*) e quibus Joannes Bonifacius, (*h*) ait eo mortuo concurrisse Perusinos, ac plures morbis variis implicitos illuc se deferendos curasse ob conceptam de ipsius sanctitate existimationem; ac tum ad ejus feretrum patrata divinitus plura miracula, depulsos ex ægrorum corporibus morbos, restitutum cæcis oculorum lumen, energumenos dæmonibus liberatos. S. Antonini vero de Benedicto testimonium insigne est (*i*).

(*k*) Leand. l. 3. de viris illustr. ord. Prad. in Bened. XI. Sanati ejus precibus ægri.

De hoc Benedicto legi in chronicis ordinis quindecim miracula fidei testimonio comprobata, meritis ejus facta de diversis infirmitatibus, quorum infirmorum nomina, & locorum describuntur, & infirmitatum, quæ ob brevitatem dimitto. Repetenda illa vel saltem similia ex Leandro (*k*) visa sunt ad sanctissimi Pontificis gloriam illustrandam: *Ipsa die, qua ad cœlum migravit vir sanctus, tantus fuit populi concursus ad eum videndum, ut agminatim cives & inurbana plebs totas vias complerent, ut vix e palatio in templum Prædicatorum deferri posset, potueritque postero die sepeliri. Porro adnitebantur omnes sancti viri pedes exosculari, rati se osculo veniam ejus meritis a Domino facilius criminum suorum posse obtinere. Et cum scriptum didicerimus: Qui se humiliat, exaltabitur; sic huic sanctissimo viro contigit: quippe passim hinc inde miracula exire videbantur. Extemplo mulier quædam, per annos quindecim capitis dolorem passa, se sancto viro vovens, recessit exinde sospes. Cuidam filius parvulus, mox voto ad beatum Pontificem & precibus emissis, qui cibo potuque tribus continuis diebus abstinuerat, & de vita desperatus, sospes restituitur; ut continuo pedibus ipse suis domum reverteretur, qui paulo ante ad tumulum viri Dei veluti mortuus allatus fuerat. Mulier altero brachio capta, invocato Benedicti nomine, mox sanum recepit. Mulier cum uno puero visa, quem amiserant, donantur. Mancipium vicecancellarii, alterum brachium debilitate oppressum habens, exaudiens quæ fiebant meritis viri Dei in templo Prædicatorum ad ejus tumulum miracula, fiducia plenum extemplo brachii libertatem precibus obtinuit. A fluxu sanguinis mulierem, quæ per annum passa fuerat, curavit. Puero ad ambulandum impotenti populo gressus elargitur.*

XXXII. Energumeni liberati.

*Mulier a diabolo obsessa ad tumulum viri sancti perducta est paulo post ejus decessum, ut liberaretur ejus precibus, quo plurimum agitabatur, & sic agitabatur ac ut interdum ingentes & horridas voces emittere compelleretur, quo fiebat, ut aspicientes in sui miserationem deduceret. Ore ipsius misellæ iniquus spiritus Latine tam eleganter loquebatur, ut admiraretur omnes. Igitur ad tumulum viri Dei Benedicti muliere posita unus ex Prædicatorum ordine pater venerabilis in frequenti clericorum & laicorum cœtu, & duobus patribus Minoritis * agere diabolum sanctissimis verbis cœpit, quos exorcismos vocant, idest adjurationes dicens: Dei ex parte & servi sui Benedicti Papæ te adjuro, ut hinc exeas, mulieremque istam Dei facturam relinquas. Tunc sermone literali hostis antiquus respondit: Occine Benedictum autumas, me ne hinc posse pellere, quem non valuit Franciscus? Porro antea mulier Assisium ad D. Francisci tumulum deducta fuerat. At venerabilis pater: Scio inquit, a Deo optimo maximo tanta potestate utrumque donatum, ut te hinc expellere possint: sed potest hanc Deus sancto viro Benedicto reservare pro nunc facultatem, quam divo Francisco non fecit. Ast malignus spiritus impatiens dixit: Te rogo atque obtestor, ne me amplius vexes, aut inferas bellum, eo quod hac in muliere annis sedecim permansi. Verum pater ille, non ejus dicto audiens, iterum nomine Benedicti acriter eum ur-*

* præsentibus

ungere cœpit; & tandem cum diceret: Et Verbum caro factum est (forte evangelium illud legerat) mox diabolus evanuit, veluti mortuam mulierem dimittens: sic enim ejus corporis vires attriverat, ut diu non solum loqui, sed vix hiscere potuerit. Tandem viribus reassumptis, gratias Deo ingentes, & viro sancto Benedicto egit: nec ulterius literali usa sermone, quem nunquam didicerat: quin maxima post hac admiratione capiebatur, cum intellexerat se aliquando eo locutam fuisse.

XXXIV. *Joanna Petri de Francia precibus sancti viri a fluxu sanguinis, quem mensibus sex passa fuerat, oratione ad ejus tumulum porrecta, protinus obtinuit sospitatem. Et Viviano Benj annis de Ponte montis castelli, tacto viri Dei tumulo, præmisso voto, lumen oculorum restituitur, quo pro majori parte ante caruerat. Naldus ex oppido Montepolitiano, morbum comitialem passus annis septem, ante ejus sepulcrum sospitate donatur. Gerundisia capta manibus & lacertis, cum matre ad Benedicti tumulum accedens, ejus meritis recessit incolumis.* Plures alii liberum membrorum usum adepti. *Brunora paralysi liberatur, Guarnerius telo vulneratus, voto ad eum emisso, sanus factus est. Martinus altero captus testiculo, ad ejus tumulum a patre ductus, sanus inde exiit. Bonazagus hujusmodi ægritudine laborans, promeruit ad ejus sepulcrum sospitatem. Intestinis Joannellum laborantem, & ad ejus tumulum sanitatem efflagitantem, voti compotem sanctus vir reddidit. Bruna de Casentino, annis quatuordecim a diabolo vexata, meritis viri Dei ab ejus tumulo libera recessit. Cæteri qui*

XXXV. *a diabolo obsessi, Angelutia Rosa per annos vigintiquinque, Guillelma Cæsenas annis septem, Vaniola Assisiata diebus duodecim, quidam juvenis de Cortonio tribus annis, ii omnes a diabolo obsessi meritis & precibus viri Dei Benedicti plene liberati sunt.*

(a) *Dinus Comp. chr. MS. l. 3. Jo. Vill. l. 8. c. 80. S. Anton. 3. p. tit. 20. c. 9. in princ. & alii.*

Quod ad genus obitus spectat; veneno ficubus aspersо [1] necatum tradunt (*a*). Nulla vero fere pompa sepulcro humili, ut ipse ex demissione Christiana jusserat, traditum in ecclesia Prædicatorum scribit Bonifacius (*b*): quamvis postea ab ipsius memoriæ cultoribus politissimo marmore sepulcrum elegans fuerit excitatum. Et quidem insigne in eo terrenarum rerum, & gloriæ contemptus, dum in pontificio fastigio eminebat, exemplum narrat idem auctor, quod cæteris ipsius miraculis annumerandum quodammodo videtur, atque ex S. Antonino (*c*) referemus: *Narratur*, inquit, *de eo, quod cum mater ejus paupercula adhuc superstes accessisset Perusium ad eum visitandum, postquam applicuit, induta fuit sericis ab amicis, ut decere videbatur, utpote tanti principis mater. Cum ergo captata hora ingredi deberet ad filium, interrogavit Papa ipse filius quibus vestibus esset operta. Respon-*

E Christiana demissione humile sepulcrum delegit. (*b*) *Bonif. ubi sup.*

(*c*) *Ant. 3. p. tit. 20. c. 9. in princ. Leand. de viris illustr. ord. Prad. l. 3. Bonif. hist. Tarvis. l. 6.*

sum est ei, quia sericis ob honorem Apostolicæ sedis. At ille: non est, inquit, *hæc mater mea. Ipsa enim mater mea paupercula mulier est, quid sit sericum ignorans; nec voluit eam dimittere ad se videndum. Quamobrem hoc audiens pia mater, illis depositis vestibus, est humilibus induta. Cumque hoc Benedictus Papa audisset, dixit: Hæc est mater mea: veniat; & ingressam in osculo sancto amplexatus est eam.*

XXXVI. Persolutis Benedicto justis, Cardinales conclave ingressi, pugnantibus distracti sententiis, gravissime inter se dissidere (*d*) cœpere; ex qua dissensione diu ecclesiæ moderatore caruit, de quo interpontificio hæc Bernardus (*e*): *Vacavit sedes a prædicta die per illum annum sequentem usque ad quintum diem mensis junii, Cardinalibus sanctis inclusis, non valentibus illo tempore concordare, quamvis a Perusinis plures restricti fuerint & arctati.* Vacante Romana sede, collegium Cardinalium censuris Carolum II. Regem Siciliæ ob non persolutos census pluribus nominibus devinctum, absolvisse, notat Card. Baronius (*f*) ex libro privilegiorum Romanæ ecclesiæ. Extant vero Cardinalium literæ in MS. pergameno bibliothecæ nostræ Vallicellanæ quibus Regi ob bella continua ærario exhausto, solutionis diem ad festum principis Apostolorum anni sequentis diem prorogarunt (*g*).

(*d*) *Jo. Vill. l. 8. c. 86.* Cardinales inter se de creando Pontifice dissentiunt.

(*e*) *Bern. in chron. Rom. Pont.*

(*f*) *Baron. in notis MS* Prorogata ab iis Regi Carolo solvendi census dies.

(*g*) *Lib. priv. to. 1. p. 230. & to. 3. p. 324. ext. in eod. MS. bibl. Vall. lit. B. n. 12. pag. 351.* XXXVII Datæ ea de re lit.

Miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. E. Cardinales charissimo in Christo filio Carolo Siciliæ Regi salutem in Domino sempiternam.

Ex parte tua nobis devotius extitit supplicatum, ut cum nonaginta tria millia unciarum & trecentas quadraginta uncias auri, per te nobis, & ecclesiæ Romanæ debita de censu regni Siciliæ pro toto præterito

rito tempore usque per totum festum beati Petri proximo præteritum, quod fuit in anno Domini MCCCIIII. solvere nequiveris in prædicto festo B. Petri usquequo, ut asserebatur, de ipsis nonaginta tribus millibus unciarum trecentis & quadraginta tibi per felicis recordationis Bonifacium Papam VIII. de fratrum suorum consilio & assensu dilatio data fuit; nec ea postea solveris, nec solvere te posse confidas propter longos guerrarum fremitus, quibus regnum prædictum Siciliæ fuit hucusque concussum, & ex ipsarum reliquiis multis & diversis adhuc es oneribus impeditus; dilationem solutionis omnium prædictorum nonaginta trium millium unciarum trecentarum & quadraginta usque ad aliud festum B. Petri secundo venturum, quod erit an. Domini MCCCV. benigne tibi concedere dignaremur.

Nos itaque, hujusmodi impedimentorum tuorum conscii, & onerum non ignari, super illis paterno tibi compatientes affectu, tuis supplicationibus inclinati, dilationem solutionis eorumdem nonaginta trium millium unciarum trecentarum & quadraginta debitorum nobis & eidem ecclesiæ ratione census ejusdem de toto præterito tempore usque per totum prædictum festum B. Petri proximo transactum, usque ad dictum festum B. Petri secundo venturum, puod erit in anno Domini MCCCV. ex ea potestatis & auctoritatis plenitudine, quæ apud nos S. R. E. Cardinales ejusque collegium est & residet, Apostolica sede vacante, tibi gratiose concedimus de nostra voluntate unanimi & assensu: nisi infra prædictam dilationem tibi concessam futurus Romanus Pontifex aliter duceret ordinandum. Et infra: *In prædictorum autem testimonium præsentes literas per venerabiles patres & fratres nostros Joannem Tusculanum episcopum, Joannem tit. SS. Marcellini & Petri presbyterum, & Matthæum S. Mariæ in Porticu diaconum Cardinales sigillorum suorum munimine fecimus roborari. Dat. Perusii non. decemb. anno Domini MCCCIV. Apostolica sede vacante.* Egit gratias Cardinalium collegio de collato beneficio Carolus Siciliæ Rex, (*a*) de quo in proximo XV. Annalium tomo mentio occurret.

(a) Exstant ejus literæ in lib. privil. & MS. Vall. locis cit.

NOTÆ [1] HAnc de veneno Benedicto XI. porrecto famam augent & confirmant acta publica inquisitionis factæ in Fr. Bernardum Delitiosum Montempessulanensem vulgata a Baluzio in to. II. de vitis Papar. Avenionensium num. LIII. Inter cætera enim, quæ flagitioso huic monacho objecta sunt, reus etiam habitus fuit de conspiratione in mortem Benedicti XI. ut veneno necaretur; quæ verba excerpsi ex literis Joannis XXII. ibidem recitatis, quibus causæ cognitionem episcopis Tolosano, Apamiensi, & sancti Papuli committit. An vero delictum illud satis probatum fuerit in inquisitione in F. Bernardum instituta, plane ignoro. Constat latam in illum ab episcopis designatis sententiam, minorem, quam pro tot tantisque criminibus, quibus accusabatur, fuisse; causantibus episcopis illis, sibi plane de omnibus non constitisse. Appellatum ideo ad sedem apostolicam; quæ tamen priorem sententiam parum aggravavit. Vide horum omnium acta ibidem. MANSI

JESU

I. EDitis, Deo auctore, duobus prioribus Annalium Ecclesiasticorum tomis XIII. & XIV. jam ipsius fulti auxilio, imploratisque beatissimæ Virginis suffragiis, quintodecimo conscribendo manum admovemus, in quem, ac proximum ea a nobis coniicienda sunt quæ in ecclesia Dei obtigere, sede Apostolica magno rei Christianæ detrimento, excidio Italiæ, orbis scandalo, funesto fœdissimorum schismatum exitu, a Clemente V. traducta in Gallias, ubi tanquam in transmigratione Babylonica, ut insignis auctor Gallus sincere scribit, (*a*) exulavit usque ad Gregorium XI. qui post septuaginta & eo amplius annos, divino instinctu afflatus, in Urbem feliciter eam revexit. Tanto transferendæ sedis malo occasionem dedere, sine ullo tamen ejus rei sensu, anno Christi millesimo trecentesimo quinto indictione tertia congregati Perusii ad sacra comitia Cardinales, qui defuncto Benedicto XI. ab illius exemplis alieni, invidia & odio, vel ambitione in duas factiones divisi, cum in designando sanctissimi Pontificis successore in aliquo ex purpuratorum collegio convenire non possent, demum dum pars altera alteram circumscribere nititur, ac non ecclesiæ, sed suam, suorumve rem agit, archiepiscopum Burdegalensem Romanum Pontificem dixere. Qua de re hæc Bernardus (*b*).

(*a*) *Genebr. in chron. hoc ann.*

Ut scissi in contrarias partes Cardd. Pontificatum ad Gallos traduxerint.

Cum Cardinales pro electione summi Pontificis in Perusio inclusi stetissent menses undecim, & arctati, divisi in partes æquales, non est inventus in eis lapis aliquis angularis, qui utrumque parietem conjungeret, unumque faceret ex iisdem; tandem versus occidentem dirigentes intuitum, in Burdegalensem archiepiscopum suos oculos erexerunt, &c. Verum hæc, quæ auctor paucioribus verbis perstringit, ab aliis explicatius petenda sunt: inter quos Joannes Villanus (*c*) fusius & accuratius prosequitur, quæ in Latinum, uti consuevit, sermonem S. Antoninus rem ab exordio ipso nitide exponens, convertit (*d*). [1]

(*b*) *Bern. chron. Rom. Pont.*

Ingressi, inquit, *domini Cardinales in con-*

II.

Diu in conclavi altercati sint.

(*c*) *Jo. Vill. l. 8. c. 8.*

(*d*) *Anton. p. 3. tit. 21. c. 1.*

NOTÆ [1] INcidit in hunc annum electio episcopi Burdegalensis in Pontificem, cujus rei annus mensesque & dies optime in annalibus adnotatur. De reliquis hic nonnulla discutienda sunt. Narrat Raynaldus ex Bernardo Guidonis Cardinales solidis mensibus undecim conclavi inclusos de eligendo Pontifice deliberasse. Sed Bernardi verba non ita intelligenda sunt, ac si toto illo tempore Cardinales inclusi perseveraverint; nam Ferretus Vicentinus, qui circa annum 1330. historiam suam scribebat, author est, cardinales cum brevi inter se convenire haud posse intelligerent, *ades suas & cubilia petiisse, donec*, addit idem scriptor, *iterum die fix in secreto Pontificalis aulæ diversorio convenerunt*. Ibi vero cum res peragenda differretur, Perusini, *moræ impatientes, eadem in quam convenerant, tecto sublato, æthери ostenderunt, victumque illis negantes, omnibus utensilibus privatos fore spoponderunt*. Atque ita tandem coacti Cardinales cum in virum sui cœtus convenire sese haud posse intelligerent, ad exteros conversi *Burdegalensem episcopum de gente Vascona, id auro regio donisque maximis* (a Philippo, datis) *exhortantibus, & Petri* (Columnensis, cardinalitia dignitate a Bonifacio privati) *studio incessabili, præ cæteris in Apostolorum sede plurium* assensu Papa decernitur. Hæc author Italus eorum temporum, & locorum vicinus, quo nomine fidem præ cæteris seu tempore seu loco remotioribus, adeoque, & Bernardo Guidonis Gallico scriptore mereretur. Totam conclavis hujus historiam & pactiones occultas narrat Joannes Villani, ex quo S. Antoninus cæterique omnes cum Annalista sua omnia desumpserunt. Rem profecto adeo accurate prosequitur Villanus, ut comperta narrare existimari possit. Verum fidem Villani in multis, ac præsertim in pactionibus iniquis cum Gallo initis quas hic memorat, suspiciosam mihi ea reddunt, quæ statim subdo. Primo igitur animadversione dignum censeo, omnes illos Pontifices, qui res maxime arduas aggressi sunt, invidiæ & calumniis adeo patuisse, ut historiæ rerum ab illis gestarum caliginis plurimum ex iis, quæ adversarii commenti sunt, affundatur. Quam multæ enim de Gregorio VII. de Innocentio III. de Bonifacio VIII. oblocutiones, & calumniæ? Accidit id pariter & Clementi V. cujus nomen ex oppressis Templariis publicam invidiam incurrit. Hinc eædem de illo, ac de reliquis Pontificibus calumniæ. Sparsa de Clemente commenta ceu veras historias Villanus, fincerus quidem, sed non criticus historicus sæpe adoptavit, quod & adnotavit Spondanus ad A. 1314. 2. fabellam referens quam Villanus lib. 9. cap. 58. de Clemente narrat. Nihil est ergo cur ejusdem Villani fides retexenda historia conclavis, in quo Clemens renunciatus fuit Pontifex, asserta reputetur. Suspicionem hanc in illum promovet silentium reliquorum omnium, qui tunc

Qui adversarum factionum signiferi.

conclave Perusii pro electione faciendâ concordari non poterant, quærentes magis sua, quam quæ Jesu Christi: erant enim divisi in duas partes quasi æquales: una pars erat cismontana, cujus capita erant dominus Matthæus de Ursinis, & dominus Franciscus de Guatanis, alias Cajetanus, qui fuerat nepos Papæ Bonifacii: altera pars erat ultramontana, vel adhærentium ei, quorum principaliores erant dominus Neapuleon alias Neapulio de Ursinis, & dominus Nicolaus Pratensis. Primi vota sua dirigebant ad aliquem Italicum, & faventem amicis & consanguineis Bonifacii Papæ: alii tentabant eligere aliquem Gallicum, vel amicum Regis Franciæ, qui manifestam inimicitiam ostenderat ad Bonifacium Papam, & excommunicatus fuerat ab eo. Sicque per plures menses qualibet partium fixa in proposito suo ad numerum duarum partium ex eis, prout exigitur, non poterat perveniri.

Pars Bonifacii nepotibus, pars Philippo Regi studebat.

Nicolai Card. Praten. dolus.

Una igitur dierum Cardinalis Pratensis dominus Nicolaus, vir valde sagax & experientissimus, ait secreto domino Cardinali de Guatanis domino Francisco: Nos magnum malum facimus, & ecclesiæ detrimentum, unde populi scandalizantur, non providendo de pastore. At ille: Per me non stat, inquit. Tunc Pratensis: Si bonum medium ad hanc rem efficiendam invenirem, placeretne tibi? Respondit: Placebit utique. Ego, ait Pratensis, cogitavi hunc modum tenendum, ut videlicet una pars collegii Cardinalium eligeret, tres ex ultramontanis idoneis ad papatum prælatis, prout eis videretur; & altera pars teneretur intra quadraginta dies unum ex illis tribus propositis eligere, prout eis placeret, & ille Papa intelligeretur canonice electus & esset. Placuit domino Francisco forma prædicta, persuasitque sequacibus suis hunc modum acceptare; ita tamen, quod ipsi haberent proponere seu nominare illos tres; inten-

Nova eligendi Pont. conventio.

NOTÆ tunc florebant, scriptorum, præsertim de iniquis indebitisque illis pactionibus, quibus Clemens Pontificatum sibi apud Philippum Regem nundinatus fuit; si Villanum audiamus. Cum vero authores & æquales laudo, non illos tantummodo commemoro, quibus nomen pontificium in veneratione esse & in pretio solet. Neque enim id totum silet tantummodo Bernardus Guidonis cæterique authores quatuor vitæ Clementis, quos Baluzius in vitis Paparum Avenionensium produxit. Sed & idem silentium servavit Ferretus Vicentinus, qui Papam censor est severus; silet & Fr. Pippinus, qui anno 1314. historiam suam absolvit, quique Pontificum vitia non dissimulat; silent pariter Augerius de Biterris apud Eccardum, quem & legas apud Baluzium, Martinus minoritas, Theodoricus Niemius, Joannes Vitoduranus, Andreas Ratisbonensis apud Eccardum to. II. Historic. med. ævi; silet denique Nangii continuator ad hunc annum. Insuper nonnulla ejusdem historiæ sunt in quibus manifesti mendacii reus Villanus tenetur. Primo enim per compromissum, ut vocant, a Nicolao Pratensi electum Clementem statuit; sed in decreto electionis, a Raynaldo hic producto, mutilo tamen & mendoso, & a Cossartio in collect. Labbean. tom. XIV. col. 1370. ven. edit. ex autrographo integro putoque vulgato, constat per scrutinium, & suffragia secreta renunciatum fuisse Pontificem. Simultatis archiepiscopi hujus Burdegalensis cum Philippo causam repetit Villanus ex injuriis a Gallis illatis in Vascones quosdam e familia archiepiscopi. Sed F. Pippinus aliam plane diversam exhibet; narrat enim Burdegalensem unum ex omnibus in solemni Gallicanorum Præsulum conventu restitisse Philippo dum ab obsequio Bonifacii VIII. subducere sese nitebatur. Iratum sibi propterea Regem evitaturum clam se subduxisse e Regno sub militari amictu, venientemque clam Astam Fr. Isnardo Papiensi, qui tunc in Monasterio Fr. Prædicatorum Priorem agebat, sese aperuisse, a quo monastice cucullatum in loca tuta subductum. Monachum illum dein Clemens donavit, ait historicus, Episcopatu Antiocheno, addita Ticinensis Episcopatus administratione. Tum addit idem Pippinus hist. lib. 4. cap. 41. *mortuo Papa Bonifacio interventu quorundam Prælatorum, & nobilium restitutus est ad gratiam Regis, ex cujus postmodum interventu, & ex contracta familiaritate ac benevolentia Cardinalium* (cum quibus in fuga sua aliquandiu egerat, eodem teste,) *ad Papatum pervenit*. Hæc retulisse verbis ejusdem scriptoris juvit, ut intelligamus qua ratione idem Archiepiscopus Cardinalium gratiam iniverit. Hanc simultatis causam præferendam illi censeo, quam Villanus indicavit, cum Pippinus Ordinis Prædicatorum Monachus Italus, ex fratre sui Ordinis Italo didicisse potuerit. Sed in viam regrediamur. Inter pactiones cum Philippo initas duas hasce omnium primas recitat Villanus, ut Pontifex Regem ipsum *perfecte reconciliaret Ecclesiæ sacrosanctæ; tum ut censuras excommunicationis contra regem & Regios prolatas amoveret*. Vix credo, id commisisse Philippum, ut qui, ne id quidem petens, a Benedicto XI. a censuris omnibus, si quas incurrisset, absolutus fuerat, absolutionem a novo Pontifice non obtineret tantummodo, sed & mercaretur. Ad regios quod attinet vel eo nomine subditi Philippi designantur, vel captionis Bonifacii authores; subditos reconciliaverat Benedictus; complices captionis ut Guillelmus de Nogareto &c. ne quidem Clemens restituit, nec nisi sero tandem anno 1311. multis exoratus ac dura pœnitentia injuncta admisit. Denique a Pontificatu iniquis pactionibus empto Clementem liberant laudes, quibus Ferretus Vicentinus non sane Pontificum assentator, Clementis V. memoriam posterius commendavit histor. lib. III. *Nec putandum est*, scribit de illo cum de judicio in Templarios egisset, *tam salubrem, tam Deo gratum pastorem odio, vel prece corruptum a justitia declinasse; nam omnia bene & sapienter ab eo gesta nemo mentis integer ambigit*. Laudes istæ Clementem ab omni iniquæ pactionis nundinatione absolvunt. Non nego tamen Philippi opera, & forte etiam donariis, Clemente inscio, inductos Cardinales quosdam ut virum hunc in Pontificem maximum deligerent. Id enim uno fere assensu æquales omnes scriptores affirmant. MANSI

intendentes tales assumere, qui fuissent amici olim Bonifacii, & Regi Franciæ parum affecti; & Pratensis partem suam induxit ad id efficiendum, intendens & ipse taliter providere quod haberent sibi propitium & benevolum & Regi amicum.

III. Dum factio altera alteri nectit dolos, utraque delusa est. * *Bertrandus* Tres archiep. Gall. a Bonifaciana factione aliis propositi. * *Bertrandum* Monitus Philippus Rex, ut Burdeg. arch. sibi devinciret.

*Facta igitur hac conventione & solemni stipulatione per scripturam firmata, pars illa, quæ dominum Franciscum sequebatur, nominavit tres archiepiscopos Gallicos eis familiares & Regi Franciæ infensos, inter quos fuit * Raymundus Burdegalensis archiepiscopus, qui creatus fuerat archiepiscopus a Bonifacio Papa, nec Regis amicus propter offensas factas suis consanguineis in Vasconia per dominum Carolum Valesianum. Illis igitur tribus nominatis, alia parte secreto ad invicem conferente, persuasit Pratensis sagax & industrius, ut * Raymundum Burdegalensem decernerent præeligendum, nulli hoc insinuando; & ante electionem velocissime Regi Franciæ per literas intimarent negotium, & quia illum Burdegalensem, quem procuraret reconciliandum sibi & amicum fieri, si sibi placeret, Papam facerent: quem cum nossent avidum honoris & gloriæ, ut Vasconem, & ad omnia flexibilem, ut illa consequeretur, sperabant facile inducendum ad omnem partem & amicitiam contrahendam cum Rege Franciæ, & illum ad optata exauditurum, sicut rei postmodum probavit eventus.*

Ista igitur conclusione firmata secreto, & juramento vallata, cum dies quadraginta haberent ad eligendum unum e tribus, destinarunt secretos nuntios fideles cum literis continentibus seriem facti ad Regem Franciæ, ut responsales subito redderentur: & si in illo sibi reconciliato Burdegalensi complaceret, ipsum eligerent, persuadendo ei ut hoc faceret, ut recuperaret statum suum & honorem in sancta ecclesia, a qua fuerat alienatus, ut ejus inimicus. Mittuntur nuntii seu cursores ita veloces, ut intra undecim dies a Perusio, unde mittebantur, usque Parisios pervenirent. Redditis Regi literis, gavisus est gaudio magno: & persuasionibus Cardinalium acquiescens, destinavit amicabiles literas archiepiscopo Burdegalensi, insinuans quod pro bona & ardua causa oportebat habere cum eo secretum colloquium; unde intra sex dies in certo sibi loco occurreret. Quod cum factum fuisset, Rex cum modica societate accessit ad locum deputatum cujusdam abbatiæ, quo & archiepiscopus accesserat. Convenientes igitur Rex & archiepiscopus Burdegalensis post auditionem missæ simul juxarunt sibi invicem secretum haberi eorum colloquium.

Ipsum in colloquium vocat.

IV. *Post hoc Rex verbis placabilibus archiepiscopum induxit reconciliatum habere Carolum Valesianum, non obstantibus damnis illatis, addensque, inquit, Rex: Domine archiepiscope scias in manibus meis esse positum te facere posse Pontificem summum; ostendens ei literas super hoc destinatas. Si igitur vis, ut faciam te fieri summum antistitem, volo promittas mihi concedere certas gratias, quas postulabo. Quibus perlectis archiepiscopus ait stupefactus ex re ipsa: Domine mi Rex video, quod magis me diligis, quam alium quemcumque in mundo, & bona mihi retribuis pro malis: demum noveris tuum esse præcipere, & meum obedire, sum enim ad omnia exequenda paratus. Tunc Rex osculatus est eum: Istæ sunt, ait, gratiæ, quas a te requiro. Prima est, ut me perfecte reconcilies ecclesiæ sacrosanctæ relaxando & veniam dando de adjutorio dato in captura Bonifacii Papæ. Secunda est, ut censuras excommunicationis amoveas contra me, & meos sequaces prolatas. Tertium est, quod mihi concedas omnes decimas regni per quinquennium in reparationem expensarum multarum in bello inito contra Flandrenses. Quarta quod promittas mihi cassare, & ad nihilum reducere memoriam Bonifacii Papæ. Quinta quod restituas honorem & dignitatem Cardinalatus domino Jacobo & domino Petro Columnensibus ablatam eis per Bonifacium, & reponas eos in statum pristinum, cum eis etiam creando aliquos Cardinales amicos meos. Sextam mihi reservo exprimendam loco & tempore suo arduam & magnam. At archiepiscopus omnia servare promisit cum jurejurando super venerabile Eucharistiæ sacramentum: & ad confirmationem prædictorum archiepiscopus dedit Regi obsides germanum suum & duos nepotes. Rex autem contra juravit se operam daturum, ut Papa eligeretur: sicque discesserunt ab invicem amici facti cum magno gaudio, re occulta aliis, & solum manifestata reconciliatione facta, & pace inter Carolum & archiepiscopum. Reversus ergo Parisios Rex subito rescripsit Pratensi Cardinali & sociis quod gestum erat: quapropter libere eligerent * Raymundum Burdegalensem archiepiscopum. Et intra triginta quinque dies reversi cursores Perusium, Regis litteras reddiderunt Pratensi & sociis. Quibus omnibus alteri parti ignotis, dixit Pratensis cæteris Cardinalibus alterius partis quod parati erant procedere ad electionem unius illorum trium, & iterum pacta & conventiones super his fuerunt renovata & firmata.*

Significat traditam sibi conferendi Pontificatus potestatem.

Ad iniqua pacta adducit.

Congregatis igitur omnibus Cardinalibus, Pratensis prius proposita auctoritate sacræ scripturæ ad materiam congruente, post orationem suam vice omnium elegit in Papam dominum Raymundum Burdegalensem archiepiscopum: sicque cum gaudio acceptatus fuit ab omnibus, & populo pronunciatus, Deo gratias & laudes referendo. Ignorabat adhuc pars altera quod gestum fuis-

Mandat studiosis suis Card. ut arch. Burdeg. eligant.

* *Bertrandum*

Bonifaciani cum aliis in eligendo arch. Burdeg. consentiunt.

fuisset occulte circa Burdegalensem factum amicum Regis, quem adhuc inimicum existimabant. Divulgatione igitur facta ab extra per civitatem, contendebant familiæ Cardinalium & aliorum magnatum, asserentes quemlibet electum sibi amicum & benevolum.

V. Invecta inde ecclesiæ graviora mala.

Hæc ex Jo. Villano S. Antoninus: quæ si veritate nitantur, e funesta adeo Cardinalium dissensione, conventione fallaci Nicolai Pratensis, Philippi Regis artibus, Bertrandi archiepiscopi Burdegalensis tanta pollicentis ambitione, quid aliud quam rei Christianæ pernicies, Romanæ ecclesiæ depressio, ac novus aliquis & luctuosissimus casus expectari poterit? Certe turpis alicujus fœderis inter Clementem & Regem initi suspicionem iniicit illud effusum postea in Philippum studium. Quod ad patrium genus, aliaque novi Pontificis primordia attinet, hæc Bernardus literis mandavit (*a*): *Clemens V. natione Vasco de loco, qui Vilandrau dicitur, Burdegalensis diœcesis oriundus, & patre Beraudo milite, fuit electus in Papam in Perusio in vigilia pentecostes, qui fuit nonis junii MCCCV. Hic prius vocabatur Bertrandus del Gorb, seu de Gotho. Hic fuit primo episcopus Convenarum, factus per provisionem Bonifacii Papæ VIII. an. Domini MCCXCV. fuit Convenarum episc. annis quinque, & exinde transtulit ipsum idem Bonif. Papa in Burdegalensem archiepisc. paulo ante natale Domini anno ejusdem Domini MCCXCIX. Ubi jam sederat archiepiscopus annis quasi sex.* His consona Prolemæus (*b*) Lucensis historiæ ecclesiasticæ tradidit, atque etiam consentiunt, quæ ipse Clemens in literis, quibus Burdegalensem ecclesiam prærogativis auxit (*c*), tum in aliis ad Arnaldum electum Burdegalensem datis, quibus de primatu Aquitaniæ inter ipsum ac Bituricensem archiepiscopum controversiam diremit, deque suis primordiis edisserit (*d*): *Ecclesia*, inquit, *Burdegalensis dudum nos habuit primo filium, suis nos educans uberibus, secundo sponsum nostro commissa regimini, & demum patrem & dominum recognoscit, cum de ipsa simus ad summum apostolatus officium evocati.*

(*a*) *Bern. chr. Rom. Pont.* Clementis patria, & genus.

Gestæ ab illo dignitates.

(*b*) *Ptol. Luc. hist. eccl. lit. 24. c. 39.* (*c*) *l. 3. ep. cur. 6.*

(*d*) *l. 4. ep. com. 820.* Clericatus primordia in Burdegal. ecclesia posuit.

Incumbebat tum lustrandæ provinciæ, atque in Pictavensi diœcesi versabatur, cum suffragia in ipsum Cardinales contulere, moxque Burdegalam repetiit: *Rediit autem*, inquit Bernardus (*e*), *de Pictavia Burdegalam idibus mensis julii subsequentis, receptusque fuit Burdegalæ processionaliter a toto clero & populo cum ingenti gaudio & honore totius civitatis, & patriæ, undique concurrentibus baronibus & prælatis. Adhuc tamen more tantum archiepiscopi se gerebat ut prius, electionis suæ decreto nondum recepto, quod postea missum sibi a Cardinalibus de Pe-*

(*e*) *Bern. chr. Rom. Pont. & MS. bibl. Vat. sign. n. 3765. in Clem. V.* Ut publicæ electionis decretum receperit.

rusio recepit in Burdegala in crastino Sanctæ Mariæ Magdalenæ secrete: sed palam & publice sequenti die XI. * *kalend. augusti in præsentia prælatorum & magnatum in Burdegalensi ecclesia cathedrali, ubi sedens in cathedra vocari Clemens voluit & elegit, & ex tunc cœpit agere & se gerere sicut Papa.* Porro pro pontificio emblemate hanc sententiam usurpavit: *Benedicat nos Deus, Deus noster, Benedicat nos Deus*, uti in ejus sigillo diplomatibus appposito inscripta legitur. Superioribus consentanea historiæ monumentis consignant Martinus Polonus (*f*), ejus vitæ MS. auctor, (*g*) Joannes Villanus (*b*), S. Antoninus aliique, quorum catalogum texere supervacaneum foret. Memoratum porro decretum Cardinalium de Clementis electione ad ornandam historiam in lucem educimus ex insigni MS. (*i*) Vaticanæ bibliothecæ, in quo veterum temporum selectissima & præcipuæ dignitatis monumenta continentur, atque hoc titulo: *Dictamina Berardi de Neapoli Papæ notarii*, insignitur.

* lege IX.

Clementis nomen sibi indiderit.

(*f*) *Mars. Pol. l. 4.* (*g*) *Extr. in bibl. Vall. sig. lit. C. n. 25. & MS. Vat. sig. n. 3765. in Clem. V.* (*b*) *Jo. Villan. & Ant. l. c. cit.* (*i*) *MS. sig. n. 3977. p. 281.*

Sanctissimo Patri & DD. Bertrando archiepiscopo Burdegalensi divina providentia in summum Pontificem electo, miseratione divina Joannes Tusculanus .. civitatis Papalis & .. episcopi & .. presbyteri & .. diaconi Cardinales pedum oscula beatorum.

Decreti formula.

VI. *Recordatus est Dominus misericordiæ suæ & plebem suam non despexit in finem, quia dum prolixæ vacationis Romanæ, & per consequens quodammodo universalis ecclesiæ respexisset incommoda, & longa illius ex variis causis suspiria cognovisset, in tempore accepto exaudivit eam, & in die salutis misertus est ejus: sanavit quidem, quia commota erat, contritiones ipsius, & vidua per electionem canonicam generoso sponso oblata est: speciosa facta & sicut crapulatus a vino & a somno dormiens excitata surrexit, & ubi desperabat magis, ut lucifer est exorta, unde serenus dies illuxit nobis & S. Spiritus illustratis ardore populis, qui orbati patre gradiebantur in tenebris, tanquam quoddam sydus apparuit, quod fulgore proprio volut stella matutina coruscans, cunctos fideles irradiat suæ lumine claritatis. Dudum siquidem eadem Romana ecclesia per mortem sanctæ memoriæ domini Benedicti PP. XI. pastoris solatio destituta, nos Theodericus civitatis Papalis, Leonardus Albanensis, Petrus Sabinensis, frater Joannes Portuensis, Nicolaus Ostiensis & Velletrensis episcopi; Joannes SS. Marcellini & Petri, Robertus S. Potentianæ, Gentilis S. Martini in montibus, Neapoleo S. Adriani, Landulphus S. Angeli, Guillelmus S. * Angeli in carcere Tulliano, Franciscus S. * Angeli in silice, Jacobus S. * * Angeli ad velum aureum, Franciscus S. * Ma-*

Electorum nomina.

* Nicolai * Luciæ * Georgii

Mariæ in Cosmedin & Lucæ Sanctæ Mariæ in via lata diaconi Cardinales; una eum venerabilibus patribus Joanne Tusculano episcopo, Matthæo S. Mariæ in portico, & Richardo S. Eustachii diaconis Cardinalibus apud Perusium fuimus pro substituendo Pontifice conclave palatii, in quo idem dominus Benedictus mortis suæ tempore morabatur, ingressi; & tandem * & cæt. *dictis Tusculan... * episcopis, nec non Matthæo & Richardo diaconis, nec non fratre VValtero S. R. E. presbytero Cardinali, qui absens postmodum supervenit & prædictum intravit conclave, ex manifestis infirmitatum causis ut asserebant, idem conclave egressis, & tunc extra illud morantibus certis; ex nobis votorum nostrorum scrutatoribus, inquisitoribus voluntatum eorumdem scrutatorum electis, per viam scrutinii ad electionem de vobis hac die sabbati in vigilia pentecostes processimus in hunc modum.*

Scrutinii ritus. *Quia primo per deputatos ad id inquisitores scrutatorum ipsorum, & demum per ipsos scrutatores singulorum nostrum votis inquisitis secreto & mox in communi etiam publicatis, compertum extitit, quod in universo eramus XXV.* * *Cardinales in conclavi manentes, & qui deposueramus in scrutinio vota nostra: quodque nos Albanensis, Sabinensis, Portuensis, & Ostiensis episcopi; Joannes, frater B.. Lucas, Guillelmus, &... Gaytani diaconi Cardinales prædicti, vos in eodem scrutinio in summum nominaveramus & elegeramus Pontificem. Quo comperto nos Theodericus civitatis Papalis episcopus, frater Gentilis presbyter, Franciscus, Jacobus & Lucas diaconi Cardinales prædicti accessimus juxta morem, ac subsequenter de voluntate & speciali mandato nostro venerabilis pater Franciscus Gaytanus prædictus suo nomine & omnium nostrorum forma subscripta vos elegit, nominavit in Romanum Pontificem, & pastorem in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti ad honorem Dei & B. Mariæ matris ejus. Ego Franciscus S. Mariæ in Cosmedin diaconus Cardinalis venerabilem patrem dominum Bertrandum archiepiscopum Burdegalensem nomine meo & omnium, qui eum in summum Pontificem elegerunt & nominaverunt, consenserunt & acceserunt, eligo in summum Pontificem. Quam electionem cantico divinæ laudis præcantato fecimus juxta morem clero & populo solemniter publicari. Pie igitur pater, electioni hujusmodi vestrum dignemini præstare consensum. In prædictorum autem testium irrefragabilem fidem ea in præsentis decreti scripturam redigi fecimus, & nostrorum nec non dictorum Tusculani episcopi fratris Gentilis S. R. E. presbyteri, Matthæi S. Mariæ in porticu, & Richardi S. Eustachii diaconorum Cardinalium sigillis & subscriptionibus communiri. Actum & datum Perusii an. Domini MCCCV. non.* * *julii indictione III.*

* *junii.*

Ego Joannes Tusculanus episcopus electioni factæ de venerabili patre domino Bertrando archiep. Burdegalensi in summum Pontificem consentio, & eam approbo, atque gratam habeo, & acceptam, ipsumque, licet absentem, in summum Pontificem recipio & recepi, nec non sigillum meum huic decreto appositi & subscripsi. Et sic scribant se omnes qui interfuerunt.

Ego Leonardus episcopus Albanensis venerabilem patrem dominum Bertrandum Burdegalensem archiepiscopum in scrutinio nominavi & elegi in summum Pontificem, & electionem factam de eo in summum Pontificem recepi & huic decreto sigillum meum apponi feci & me subscripsi, & sic omnes, qui dederunt voces suas in scrutinio, se subscribant.

Ego Theodericus civitatis Papalis episcopus post publicatum scrutinium ante electionem communem subsecutam accessi, & electionem mandavi fieri de venerabili patre domino Bertrando archiepiscopo Burdegalensi in summum Pontificem electo, & factæ electioni de eodem archiepiscopo consentio & consensi; & ipsum licet absentem in summum Pontificem recipio & recepi, nec non sigillum meum huic decreto apponi feci, & sic omnes, qui acceserunt.

Redactus in tabulas consensus.

Addidere huic decreto Cardinales alias literas, ad quas Pontifici designato Burdegalam perferendas oratores legarunt, ut narrat S. Antoninus (*a*). Perfunctosque eo munere Guidonem abbatem Belli loci, Petrum Narbonensis ecclesiæ sanctioris ærarii præfectum, atque Andream canonicum Catalaunensem, e subjectis Cardinalium literis (*b*) constat, quibus magnis ab eo precibus contendere, ut Clementis IV. & Gregorii X. exemplo, qui sanctitate emicuere, quorum cum alter ex Syriaca peregrinatione, alter ex Anglicana legatione ad Cardinales, accepto electionis nuncio, magnis itineribus se contulissent, Burdegala Perusium accederet, ac pluribus gravissimis rationibus ad id hortati sunt. Proposuere fluctuantis ecclesiæ pericula, omnia ubique civili bello ardentia, orientem Saracenorum expositum vastitati, ac ni infidelium retunderentur conatus, reliqua Christiana regna ad exitium prona; ipsius denique muneris & gloriæ fore, ut in Romana ecclesia sederet.

VII.

(*a*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 1. in princ.*

Qui a Cardinalibus ad eum missi.

(*b*) *Ext. in MS. Vat. bibl. sig. num. 3977. p. 180. & apud Mas. in Clem. V. ex arch. Burdeg. & apud Friz. in Gall. purpur.*

Solicitatur ab iis, ut in Italiam se transferat.

Sanctissimo in Christo patri domino Bertrando Burdegalensi archiep. divina providentia in summum Pontificem electo, miseratione divina episcopi, presbyteri, & diaconi S. R. ecclesiæ Card. pedum oscula beatorum.

Recordatus est &c. ut in superiori usque ad vocem dudum. Dudum Romana ecclesia per mortem sanctæ memoriæ domini Benedicti Papæ XI. pastoris solatio destituta, de vobis, sicut per electionis ipsius decretum, quod sanctissimæ paternitati vestræ una cum præsentibus literis

vris per providos & discretos viros fratrem Guidonem abbatem monasterii Belliloci Cluniacensium ordinis Virdunensis diœcesis Apostolicæ sedis, & magistros Petrum de Montegiello sacristam ecclesiæ Narbonensis, ac Andream de Huguzio canonicum Catalaunensis, ejusdem sedis in Romana curia obsequiis insistentes, nostros ad id speciales transmittimus nuncios, liquere poterit, est canonice, in summum Pontificem electio celebrata. Pie igitur pater, vos suppliciter exoramus, ut ad locum prædictæ sedis, & ad partes terrarum ipsius exemplo felicis recordationis Clementis IV. & sanctæ memoriæ Gregorii X. Romanorum Pontificum accedentes præsentia vestra, sicut noster æternus medicus, qui præsens jacentem mundum erexit, & curavit infirmum, ecclesiæ laboribus consulatis. Fluctuat namque Petri navicula, sagena rumpitur piscatoris, pacis serenitas in nubilum versa est, ac ecclesiæ Romanæ terras, & nonnullas adjacentes provincias vastat bellorum calamitas, & in eis sagittæ zizaniam seminantis ardentibus effectæ complentur; ex quibus rerum, personarum, & animarum, quod gravius est, pericula subsequuntur. Soldanus insuper Babylonicus hostis insultat, & post clades miserabiliter Christi fidelibus partium illarum inflictas, & urbium Christianarum excidia deteriora minatur; & residuum, quod ibi Christiani possident, ut singularis ferus exterminare satagit, & hiatu terribili nititur devorare. Succurrite, inquimus, succurrite pater, & sauciatorum vulnera præsentialiter purgate vino, & purgata oleo confovete. Non dubium quippe quod in sede Petri residebitis fortior, lucebitis clarior, in terra ejus vivetis quietior, & remotis Regibus, principibus, atque populis admirabilior eritis; & ipsorum devotionem, & obedientiam plenius acquiretis; In sua namque domo est unusquisque planeta potentior. In ecclesia propria quiescit quis dulcius: ensis juxta capulum minus, ejusque pars, quæ magis distat a capulo, plus incidit: visa frequenter plus spernuntur persæpius, ac facilius adita vel quæsita vilescunt. Venite ergo, atque nostris in hac parte votis assentiat vestra benignitas, quam bene, diuque valere cupimus, iterum supplicamus. Ut autem adhibeatur his nostris plena fides, eas sigillorum nostrorum munimine roborari fecimus, & muniri. Dat. Perusii anno Domini MCCCV. indict. 3. sexto idus junii.

Propositum Clement. IV. & Greg. X. exemplum, ut Perusium accedat.

Occidentalis & orientalis eccles. miser status, cui consulturus sit, describitur.

Ejus adventum maximæ gloriæ & utilitati fore.

Vocatus ad Apostolatum Clemens magno rei Christianæ malo Italicum iter non aggressus est, sed Cardinales in Gallias excivit: qua de re inferius nobis agendum erit, cum de accepta Lugduni solemni ritu pontificia tiara differemus: nunc quæ ante eam celebritatem gesta percurrenda sunt.

Spretæ a Clemente justæ Card. preces.

VIII. Discedit Burdegala.

Præcipiti jam æstate discessit Burdegala, quem Gallias discurrentem Bernardus hisce verbis describit (*a*): *De Burdegala recessit; in fine sequentis mensis augusti versus Lugdunum direxit gressus suos, pertranseens per Agennum & Tolosam & montem Pessulanum.* In eam urbem Clementem se contulisse, ut cum Rege Aragonum in colloquium descenderet, ex Surita (*b*) colligitur, qui ex vetustis magnæ auctoritatis monumentis constare refert in annalibus, Jacobum II. Regem adiisse apud Montempessulanum Clementem, atque etiam Perpiniano Consalvum Garsiam misisse, ut pro Sardiniæ & Corsicæ jure sacramento fidei se devinciret: verum non admissum ad id munus oratorem in indice idem observat (*c*).

(*a*) *Bern. in chron. Rom. Pont.* Ejus itinera. Montempessulanum adit.

(*b*) *Sur. ann. l. 5. c. 68. in Jacob. II.*

Pontifex, inquit, *cum absentis Regis rationem habendam minime censuisset, mandatumque rejecisset, Regi persuadet, ut Montpellerium concedat.* Jacobum itaque ut antea Bonifacii clientem Sardiniæ & Corsicæ nomine præsens se professus erat, ita nunc apud Montempessulanum id officii Clementi præsentem detulisse exploratum est, teste ipso Rege, cujus hæc verba sunt: *Nuper in monte Pessulano nos vobis præsentialiter detulimus homagium;* qua de re idem Rex Montepessulano Perpinianum regressus litteras regias, ut Corsicæ & Sardiniæ regnorum donationis legibus a Bonifacio constitutis cautum erat, ad Clementem dedit, quæ subjecta verborum forma conceptæ sunt (*d*).

(*c*) *Id. Ind. l. 2. hoc an.* Clementi Sardiniæ & Corsicæ regna solemni ritu acceptа refert Rex Arag.

Rem gestam publicis literis ratam habet.

(*d*) *Ext. apud Cle. l. 1. ep. com. 258. & in l. priv. Rom. Eccl. to. 3. p. 159. & in MS. Vall. sign. lit. B. n. 12. p. 393.*

Sanctissimo ac reverendissimo in Christo patri ac domino domino Clementi, divina providentia, sacrosanctæ Romanæ & universalis Ecclesiæ summo Pontifici, Jacobus Dei gratia Rex Aragonum & Valentiæ, Sardiniæ & Corsicæ, comesque Barchinoniæ ac præscriptæ Romanæ ecclesiæ vexillarius, ammiratus, & capitaneus generalis, & humilis filius & devotus, pedum fuorum oscula beatorum.

Jacobi Regis honorum tituli.

Sanctitati vestræ tenore literarum nostrarum præsentium pateſiat, quod viso ac plenarie intellecto papali rescripto super collatione, concessione, & donatione confecto, quam felicis recordationis dominus Bonifacius Papa VIII. prædecessor vester nobis fecit, nostrisque heredibus, in perpetuum feudum de regno Sardiniæ & Corsicæ cum juribus omnibus & pertinentiis suis sub certo servitio, sub certisque conditionibus largius conscriptis in prædicto rescripto continentiæ subsequentis: Bonifacius episcopus servus servorum Dei. Charissimo in Christo filio Jacobo Sardiniæ & Corsicæ Regi illustri ad perp. rei mem. Super Reges & regna, &c. adducuntur litteræ Bonifacii anno pontificatus tertio exaratæ, quibus Sardiniæ & Corsicæ regna Jacobo fiduciario jure transmissa sunt, quas cum suo loco (*e*) instituta de iis oratione insinua-

Ut a Bonif. Sard. & Corsicæ regna acceperit.

(*e*) *Ann. Ch. 1297. n. 2.*

verimus annalibus, supervacaneum foret, ipsas iterum exscribere: iis ergo omissis, quæ in litteris Jacobi Regis sequuntur, decerpimus.

IX. Bened. IX. fidem eorum regnorum nomine devinxerit.

Idcirco, inquit, *reducto ad memoriam, nos jam tempore donationis præmissæ memorato domino Papæ Bonifacio juxta continentiam dicti rescripti ex causis in eo scriptis juramentum, fidelitatem, vassallagium, & homagium personaliter præstitisse; & postmodum etiam per Vitalem de Villanova militem, & Guillelmum de Lateria civem Barchinonen. procuratores nostros, ambasciatores, & nuntios speciales olim per nos ad Romanam curiam destinatos homagium & alia prædicta renovasse, feciste & præstisse felicis recordationis domino Benedicto, præfato dom. Bonifacio in apostolatus officio succedenti; & per eosdem nuntios præfato domino Benedicto summo Pontifici dedisse litteras nostras aurea bulla nostra bullatas recognitionis, & acceptationis contentorum in rescripto prædicto juxta ejusdem tenorem; de quorum homagii & aliorum prædictorum præstatione, nec minus de traditione litterarum regiarum aurearum nostra bulla bullatarum fuerunt concepta, seu mandata papalia rescripta, quæ sunt in cancellaria papali, aut penes cancellarium dicti quondam domini Benedicti Papæ, quia eidem domino Papæ, morte superveniente, expediri non potuerunt, neque bullari, ut hoc habuimus per assertionem nostrorum nuntiorum ad nos revertentium prædictorum, quodque nuper in Monte Pessulano nos vobis præsentialiter obtulimus homagium & alia supradicta; consideravo etiam, nos nunc ex ejusdem rescripti serie inductos nostrum constituisse procuratorem solemnem ad eadem vestræ sanctitati præstanda; providimus propterea, sanctissime pater, has fieri litteras bullatas bulla aurea nostra, sanctitati vestræ per prædictum procuratorem nostrum tradendas & dandas, prout fieri debere jam dicti rescripti tenor inducit: per quas siquidem litteras nunc prout ex tunc modos, conventiones, conditiones, tenorem, & formam, in dicto papali rescripto conscriptorum acceptamus expresse: & per quas etiam fatemur & recognoscimus expresse dictum Sardiniæ & Corsicæ regnum a domino summo Pontifice & Romana ecclesia recepisse in feudum sub conditionibus, modo, & forma, atque tenore, qui in dicto papali rescripto continetur: quos tenorem, modum, conditiones, conventiones & formam promittimus nos inviolabiliter observaturos. Pro quorum observantia obligamus nos & dictum regnum Sardiniæ & Corsicæ, jura & bona nobis competentia & competitura in eo. Humani generis conditor & redemptor personam vestram ad sua sancta servitia conservare dignetur per tempora longiora. Dat. Perpiniani* IV. *kal. novem. anno Domini* MCCCV.

Clementi ipsi ligium homagium detulerit.

Gesta a se in ea causa confirmat.

Pacta inita corroborat.

Confirmavit postea Clemens Jacobo ea regna post accepta solemni ritu pontificia insignia: de quo anno sequenti. Flagitasse vero Jacobum opem, dum Montispessulani cum ipso egit, ad ea armis comparanda, refert Surita (*a*). Postulatamque opem explicuisse liberaliter constat tum ex literis Burdegalæ IV. non. julias exaratis, (*b*) tum ex aliis XVI. kal. novembr. apud Montem Pessulanum datis, quibus Jacobo Regi quadriennales decimas in ipsius regnis attribuit, quarum colligendarum provincia Valentino episc. est demandata (*c*). Cum etiam aliis literis ad Jacobum Regem datis (*d*) ad levandos sumptus expeditionis, quam instruebat, jussit omnes vinculis anathematis ob invectas Ægypto merces, commerciumque cum Saracenis earum partium habitum irretitos liberari, qui nefarii questus quartam partem, si mares essent, quintam, si feminæ, Regi Aragonum impendissent. Confirmata etiam est a Clemente, (*e*) exposcente Rege eodem, venditio nonnullorum locorum, quæ Hospitalariis distraxerat, ut pecuniam redigeret ad instruendum necessarium apparatum, cum in Italiam ab Romano Pontifice pro subsicienda Carolo Regi Siciliæ insula evocaretur, quibus litteris dies XVI. kalend. novembris est adscripta.

X. Renovata a Clemente eorum regnorum donatio.

(*a*) *Sur. l. 5. c. 68.*

in Jac. 2. Ad ea regna sibi subsicienda opem flagitat a Pont.

(*b*) *Clem. l. 1. ep. com.* 140. Annuit ejus votis Clemens.

(*c*) *Ib. ep.* 207.

(*d*) *An. 1. l. 2. ep. com.* 204. Concessæ multæ ob injustum cum Sar. initum commercium.

(*e*) *Ib. p.* 37. Confirmatæ venditiones ab eod. Rege factæ.

Hæc decernebat Clemens, cum ab æquitate abhorreret, ut Aragonii Sardiniam Corsicamque suo adiicerent imperio, nec tamen restituerent Trinacriam; tum etiam excidisset Fridericus jure in eam insulam parto ex fœdere jam cum Roberto & Carolo duce Valesiorum icto, cumque vectigal trium millium unciarum auri Romanæ eccleſiæ, ut sancitum fuerat, (*f*) non persolvisset. At Fridericus cum in eo versaretur discrimine, procuratores ad Clementem decrevit, qui illius nomine censuras, quibus se irretierat, solvi exposcerent: tum de vectigali pendendo cum Apostolica sede, commendata universa re illius clementiæ, paciscerentur. Extant ea de re publica documenta, (*g*) quibus Trinacrii oratores iis mandatis a Friderico fulti sunt.

(*f*) *Tom. Ann. 14. an. 1303. n. 25. & 28.* Fridericus ob non solutum censum censuris irretitus.

(*g*) *Ext. in l. priv. Rom. Eccl. to. 2. p. 248. & in MS. Vall. fig. lit. B. n. 120. p. 211.*

Fridericus Dei gratia Rex.

Notum facimus universis, quod nos constituimus, fecimus, & ordinavimus, ac facimus & ordinamus in procuratores nostros & nuncios speciales venerabilem in Christo patrem Joannem Syracusanum episcopum, & nobilem Corradum Lancea de castro Manardo militem magnæ curiæ nostræ magistrum rationalem, consiliarios, familiares, & fideles nostros, ut si forte occasione tardæ missionis & tardationis pecuniæ per nos debitæ sacrosanctæ Romanæ eccleſiæ pro censu insulæ Siciliæ & aliarum insularum sibi adjacentium in aliquam sententiam excommunicationis & interdicti nos & terram nostram

nostra inciderimus, vel pœnas alias temporales; quod ipsi pro nobis & dicta terra nostra misericorditer & gratiose possint petere a sanctissimo patre & domino nostro D. Clemente divina providentia Papa V. absolutionem prædictæ sententiæ excommunicationis & interdicti, nec non remissionem, & relaxationem pœnarum temporalium prædictarum. Et si forte alterutrum prædictorum nunciorum nostrorum aliquo impedimento contingeret detineri, ita quod non possent ambo dicti domini nostri summi Pontificis adire præsentium, & prædicta petere ab eodem, quod alter ipsorum ea possit petere & obtinere a domino nostro summo Pontifice memorato; dantes & concedentes eis & eorum alteri licentiam liberam, & plenam auctoritatem & potestatem jurandi in anima nostra, quod super prædictis stabimus beneplacito & misericordiæ dicti domini nostri summi Pontificis; quodque ipsi vel eorum alteri circa hæc facere possint, quæ veri procuratores & nuncii facere possunt & debent, & nos etiam facere possemus si præsentes essemus: ac promittentes sub hypotheca rerum nostrarum, ratum nos habituros & firmum quidquid dicti nuncii nostri circa prædicta, vel aliquod præmissorum duxerint faciendum. In cujus rei certitudinem & cautelam præsens scriptum procurationis eis fieri, & sub parvi sigilli nostri secreti pendentis munimine jussimus roborari. Dat. Messanæ anno Domini MCCCV. mensis octob. XVIII. *ejusdem* IV. *indict.*

Efflagitat suscepta noxa solvi.

Procuratorum pactiones ratas habiturum spondet.

XI. Varia Clementis itinera.

(*a*) *lib. 1. ep. 1.*

Paulo post Clemens Nemausum Galliæ Narbonensis civitatem adiit, ut pontificia diplomata XII. kal. novemb. exarata docent, (*a*) duobusque post diebus nimirum X. kal. novembris apud Bagnol substitit, ubi Nicolao episcopo Ostiensi, cujus potissimum opera & dolo ad summum pontificatus apicem evectus fuerat, sacrum S. Praxedi Vallisumbrosanæ familiæ templum, cum titulari Cardinale, careret, administrandum contulit, iterque Lugdunum versus, ut pontificalem tiaram acciperet, intendit. Ex quo Bernardi (*b*) & Ptolemæi Lucensis, excitos in Gallias a Clemente Cardinales affirmantium, dicta confirmantur: quod etiam Joannes Villanus testatur (*c*), Clementem nimirum, ubi primum legationem Cardinalium deque sua electione decretum accepisset, mandasse ut omni mora abjecta Lugdunum, ubi pontificali diademate redimiri fixum erat animo, se conferrent; idque plerisque graviſſimum extitisse, ac justas ipsos electionis perperam celebratæ pœnas dediſſe: sed in ea re S. Antoninum, (*d*) qui Villani historiam in latinum sermonem convertere consuevit, præstat audire.

Lugdunum pergit.

(*b*) *Bern. in chro. Rom. Pon. & MS. Vat. bibl. sign. n. 3765. Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 39.*

(*c*) *Jo. Vill. l. 8. c. 81.* Ut Cardinales illuc se conferri jusserit.

(*d*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 1.*

XII. *Mandavit Cardinalibus omnibus per literas, ut sine mora accederent Lugdunum Galliæ, ut interesſent coronationi suæ. Similiter etiam vocari fecit Regem Franciæ, Regem Angliæ, & Regem Aragoniæ, & alios principes ultramontanos. Ex hac autem vocatione major pars Cardinalium gravamen sumpserunt, præcipue Italorum, existimantes se deceptos, cum crederent ipsum Romam profecturum pro sui coronatione. Unde & dominus Matthæus de Ursinis, qui prior erat Cardinalium & antiquior, & quasi invitus Urbem dimittebat, percipiens de dolo suæ parti illato dixit Cardinali Pratensi: Assecutus es voluntatem tuam in ducendo curiam ultra montes; sed tarde revertetur curia in Italiam, agnoseo enim conditionem Vasconum.*

Delecta ab illo ea urbs, ut Transalp. Reges coronationi suæ interesſent. Cardinales rem gravate ferunt.

Gravissimum Mathæi dictum.

XIII. Paruere Clementi Cardinales exceptis duobus, qui senio graves iter suscipere non potuere, ut Westmonasterienſis ait: (*e*) additque duos ex iis, qui dederant se itineri, ex corporis jactatione, mutationeve aeris e vita exceſſiſſe. Alii igitur Lugdunum ad pontificiam tiaram solemni ritu ipsi conferendam se contulere, quo Philippus Francorum Rex ac plures principes ampliſſima stipati clientela, ut celebritatis pompam viserent cohonestarentque, confluxere, de qua male ominata hæc Bernardus (*f*): *Fuit autem coronatus solemniter in Lugduno dominica infra octavas S. Martini in crastino S. Bricii, scilicet* XVIII. *kal. decembris litera dominicali E tunc currente.* Discrepat in hoc a Bernardo Joannes Villanus (*g*) dum festo S. Martini die id contigiſſet refert. *Ubi Philippus Rex Franciæ fuit præsens cum sua nobili comitiva: cumque de loco coronationis procederet coronatus cum comitiva papali pariter & regali, concurrentibus & comprimentibus se turbis, ut viderent tanquam Regem Salomonem in suo diademate coronatum, depulsa maceria cujusdam muri non magni corruit prope Papam & etiam circumstantes, ceciditque ibi corona de capite ejus; & in casu avulsus fuit carbunculus pretiosus, cujus pretium dicebatur sex millia florenorum, & ipse Papa depositus est de equo, sed minime fuit læsus. Fuerunt tunc de circumstantibus usque ad duodecim sic collisi, quod infra paucos dies obierunt: inter quos unus fuit major & præcipuus dux Britanniæ Joannes, qui sic collisus paucis diebus supervivens diem clausit extremum.* Tenuiſſe ajunt (*h*) tum equi Pontificis fræna Britannum cum Carolo Regis Francorum fratre, cum antea Philippus itineris aliquo tractu stratoris munere functus esset, ac tum a latere Pontificis obequitaret, nec periculi immunem fuisse. Addit de ejus fratre Bernardus: *Frater vero Regis Franciæ dominus Carolus fuit graviter, sed non lethaliter conquassatus, ex quibus mirati sunt*

(*e*) *Vvest. flor. hist.* Ex iis duo in itinere extincti.

(*f*) *Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sign. n. 3765. & Hucusem. l. 1. c. 29.* Solemni ritu coronam pontificiam Clem. accipit.

Interest Philippus Rex.

(*g*) *Jo. Vil. l. 8. c. 81.* Inopino casu confunditur celebritas. Excussa e Clem. capite tiara papalis. Plures oppressi. Dux Britanniæ extinctus.

(*h*) *Vvest. Flor. hist.* Philippus Rex antea stratoris munere erat functus.

sunt universi, & more vulgi plurima præsagiebant. Versam fuisse rem malo omini tradunt etiam auctores alii.

Perfunctum eo periculo Pontificem, festo die S. Clementis, cujus gerebat nomen, novam cæso fratre accepisse calamitatem Westmonasterienses subjectis verbis testatur (*a*): *Papa mirabiliter salvatus est: quod infortunium alicujus futuri mali prognosticum plurima gens notavit. Die S. Clementis, cum Papa primo missarum solemnia celebrasset, post prandium orta lite & mota pugna inter clientes Papæ & Cardinalium, unus de fratribus summi Pontificis occisus est. Alterum fratrem suum cinxit Rex Franciæ baltheo militari, & multam aliam munificientiam in civitatibus & castellis suis contulit Papæ Rex Francorum, per quod in omnibus negotiis suis expediendis gratiam multam promeruit & favorem. Rex autem Anglorum*, is erat Eduardus, *misit domino Papæ singula utensilia, quibus ministratur ei in camera & in mensa omnia auro purissimo per episcopos regni sui, videlicet Lichfeldensem & Vvigorniensem, & comitem Lincolniæ.*

(*a*) *Vvest. ibid.* Accessit lugubre aliud præsagium. Cæsus Pontificis frater in celebritate alia. Alter ejusdem frater baltheo militari donatus a Phil. Rege. Angl. Rex Clem. supellectilem confert.

XIV.

Quod de effuso Clementis in Philippum Francorum Regem studio ait auctor, id sane Clemens factis insignibus demonstravit. In primis Cardinalium numero Columnenses Jacobum & Petrum restituit, aliosque regis fidissimos aggregavit, de quibus Bernardus (*b*) *Eodem*, inquit, *anno Domini pontificatus quoque sui anno primo in adventu Domini pontificatus subsequenti* XVIII. *kal. januarii in Lugduno fecit* X. *novos Cardinales, inter quos fuerunt Petrus de Capella Tolosanus episcop. postmodum Præneſtinus, Berengarius Fredoli Biterrensis episcopus, postmodum Tusculanus, Arnaldus de Cantalupo electus Burdegalensis, frater Thomas Anglicus magister in Theologia tit. S. Sabinæ, frater Nicolaus de Francavilla confessor Regis Franciæ tit. S. Eusebii, ambo de ordine Prædicatorum presbyteri Cardinales, Stephanus archidiaconus Brugensis cancellarius Regis Franciæ, Guillelmus Arrufati, Arnaldus de Pelagrua, Remundus del Got seu de Gotho nepos Papæ, Petrus * Arnaldi Bearnensis abbas S. Crucis Burdegalensis, cui non fuerunt anni attributi in Cardinalatu, sed obiit infra annum. Item duos veteres renovando, quos olim Bonifacius Papa VIII. deposuerat, ipse reposuit in Cardinalatu, Jacobum & Petrum de Columna, patruum scilicet & nepotem.* Recenset accuratius horum titulos & nomina ex Vaticanis monumentis Felix (*c*) Contelorius & subscriptionibus Cardinalium Clementis diplomati adjectis inferius (*d*) a nobis afferendis consentit: de eadem creatione Cardinalium meminere M. S. Vaticanum (*e*), Ptolemæus Lucensis (*f*) in historia ecclesiastica, Jo. (*g*) Vill. & S. Antoninus: (*b*) qui addunt ipsum conciliasse ecclesiæ Philippum, pristinoque honori & dignitati restituisse. Verum cum jam anno superiore Philippum a Benedicto XI. resciſſis omnibus Bonifacianis decretis, in pristinum decus vindicatum redditumque piorum cœtui viderimus, de renovata prædecessoris sententia, vel etiam in Philippi gratiam amplificata loqui videntur. Fuisse etiam illius petitis ostendunt Clementis literæ: meditanti enim Regi sacram ædem in Ebroicensi diœcesi in honorem avi sui S. Ludovici excitare, ad pelliciendos ad eam lustrandam populos quadraginta dierum indulgentias, recurrente S. Regis festo, atque octo consequentibus diebus adituris impertitus est. Ubi de sanctorum cultu hæc gravissime edisserit: *Sanctorum honoranda sunt corpora, & uberioribus laudum præconiis attollenda, quæ gloriosis operibus miraculorum insigniis majestas omnium conditoris honorat, ut & nos illorum adjuti precibus, suffragiis circumfulti apud Regis æterni clementiam post vitæ præsentis excursum, statum stabilem non habentes, delictorum facilius obtenta venia supernæ beatitudinis gaudia perpetuis duratura temporibus consequamur, &c. Dat. Lugduni non. novemb.* Francorum præterea Regi decimas vectigalium Ecclesiasticorum ad quinquennium indulsisse, Villanus & S. Antoninus referunt. Concessit præterea Clemens (*i*) quinquennales decimas Jacobo Balearium Regi, ut regnum contra vicinorum Saracenorum impetus tueretur, piratarumque excursiones comprimeret, cum sumptibus pro classe apparanda conficiendis impar esset.

(*g*) *Jo. Vill. l. 8. c. 81.* (*b*) *Anton. 3. p. tit. 21. c. 1.* Bonifacii in Philip. censuræ abolitæ. Sacra D. Lud. ædes a Philippo Rege excitata. Indulgentiæ illam adituris propositæ. De Sanctorum cultu.

(*i*) *to. 2. pag. 906.* Decimæ Phil. Regi attributæ.

XV.

Reliquit ingens sui desiderium Boemis omnibus hoc anno Wenceslaus Boemiæ, ac Poloniæ Rex, dignis principe virtutibus excultissimus, quem prodigiis cœlestibus adeptæ felicis immortalitatis signa dedisse refert Æneas Sylvius (*k*), qui postea summum Pontificatum sub Pii nomine gessit: *Fuerat*, inquit, *mansuetus & clementissimus princeps, & admirandus opinione sanctitatis, quæ postea vel miraculis confirmata traditur. Joanni Brixionensi episc. si vera est fama, per quietem apparens, cum eum flentem tristemque reperisset, interrogavit quænam esset causa mœstitiæ: dicenti, se mortem ejus æquo animo ferre non posse, incredulitatem exprobravit, qui sacris eloquiis fidem non adhiberet, in quibus hæc verba potuisset aliquando legisse: Cum te consumptum putaveris, orieris ut lucifer, & habebis fiduciam, proposita tibi spe, & defossus securus dormies, requiesces, nec erit qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi: subjungensque, parvam esse ejus fidem atque inanem, si mortem sanctorum miseram putaret, repente dispa-*

(*k*) *Æn. Syl. hist. Boem. c. 28. Dub. hist. For. l. 18. Chr. hist. Pol. l. 10. sub fin. & alii.* Wenceslaus Boem. Rex moritur. Videndum se episcopo obiicit.

ruit. Episcopus excitatus verba quidem sibi dicta memoriter tenuit, sed ubinam scripta essent in sacro codice penitus ignoravit: evoluto autem concordantiarum libro, undecimo apud Job capitulo quod quærebat invenit. Ad tumulum autem ejus insignis latro cum accessisset, exprobrans mortuo vitam, lapideæ statuæ super sepulcrum jacenti colaphum incussit; nec mora, cæcitate perculsus impietatis suæ pœnam dedit. Statua postmodum in sacrario erecta est, & alia ænea loco ejus reposita, Joannis Barbantini egregii statuarii nobile opus.

Monet Sanctorum mortem non lugendam. Sacri tumuli violator statuæ, cæcitate percussus.

Succedit in Boem. & Pol. regnis Wenceſl. junior.

Successit ipsius regnis Wenceslaus filius a paternis virtutibus degener, qui egregia præcepta, quibus a parente morituro, Joanne Pragensi & Theodorico Olomucensi præsulibus præsentibus, instructus fuerat, contempsit; unde cum pater accepto uno lacero regno duo florentissima regna ob egregias virtutes reliquisset, ipse ob flagitia & dirobus regnis & vita in ætatis flore exutus est. Cæterum regnante adhuc Wenceslao seniore, Pragæ cruci affixum a Judæis Christianum hominem, omniaque supplicii genera, quibus Christus pro humani generis salute affectus est, illi odio Christi in abdito subterraneo secessu sacra parasceves die illata, refert Dubravius. (*a*) Cognito vero scelere Pragensem populum non expectato judicio Regis, qui in puniendis delictis hac voce uti erat solitus: *Cum iratus fueris, misericordiæ recordaberis*, exquisitissimis suppliciis de sontibus pœnas sumpsisse, atque ex Judaicis spoliis novo martyri monumentum posuisse.

Judæi Christianum in Crucem suffigunt.

(*a*) *Dubrav. au. l. 18.* Affecti supplicii.

XVI.

Ad hunc annum refert Thuanus, (*b*) aliique Othonem ducem Bavariæ Wenceslai Regis Boemiæ, ad quem ab Alberto Imperatore defecerat, munere sacra corona potitum, in Ungariam ad eripiendum Regi Carolo sceptrum se insinuasse, atque apud Albam regalem a Benedicto Vesprimiensi & Antonio Chanadiensi episcopis regia inunctione delibutum; inde Budam profectum solemnem pompam regalibus indutum vestibus duxisse: at ex illo summo fastigio brevi dejectum traditumque vinculis in Transilvania a Ladislao Wayvoda, dein ex Ungariæ regno turpiter depulsum visuri sumus. Cujus calamitatis præsagium nonnullis visum est, (*c*) quod dum Ungariam concitatis equis peteret, coronam sacram olim a Romano Pontifice dono traditam S. Stephano Regi, quamque ab angelo datam ferunt Ungari, in itinere amisisset: quamvis eam postea invenerit, ne (*d*) pretioso eo thesauro Ungaria orbaretur. De Othonis Bavari in Ungariam adventu con-

Otho dux Bavariæ affectat Ungariam. (*b*) *Thuan. in chr. Hung. p. 2. c. 87. Bonfin. dec. 2. l. 9.*

(*c*) *Jo. Aven. ann. Bojor. l. 7. Dub. l. 18.* Sacra corona redimitur. Ut eam amiserit & reinvenerit. (*d*) *Thuan. p. 2. c. 88.*

sentiunt Thurosio plures scriptores, (*e*) idque confirmant afferendæ a nobis inferius Clementis V. literæ, (*f*) quibus vocatum a nonnullis principibus Ungaris post Wencellai Regis Boemiæ obitum refert: affectatæ tamen tyrannidis damnat, cum Ungarica corona ad Carolum jure materno spectaret.

(*e*) *Bonf. ubi sup. Ranz. in epit. rerum Ungar. ind. 17. Jo. Avent. in annal. Bojor. l. 7.* (*f*) *Lib. 2. ep. com.* 302.

XVII.

Per hæc tempora vidit Suecia justissimum ecclesiasticarum opum invasoris supplicium. Is erat, ut refert Magnus, Trugillus Canutus Regis olim Sueciæ gubernator, ac fratrum ejus Erici & Waldemari ducum tutor, quo tempore per fas & nefas sub nomine regio grassatus erat, Regemque, ut ad inexplebilem regium fiscum implendum ecclesiarum divitias invaderet, persuaserat: sed quem finem tandem sortitus, describit auctor: *Præcepto*, inquit, (*g*) *eorum*, nimirum Regis fratrum, quos in illius odium adduxerat, *in villa Vvestrogothorum Lena captivatus, & compedibus ferreis constrictus in regiam Stocholmensem deportatur; ubi decollatur ecclesiastica caruit sepultura, donec ad petitionem Regis Nicolaus archiepiscopus Upsalensis permitteret ipsum in monasterio Minorum sepeliri, accepta pro ejus reconciliatione ingenti copia auri & argenti, quod ecclesiæ persecutor existens, ipsam gravissimis damnis implicasset.* Nec pœnarum expers Suecus Rex Birgerus fuit, qui criminis in ecclesia in servitutem redigenda pravis subornatus consiliis particeps extiterat. De eo enim hæc traduntur (*h*): *Hic Birgerus primus Rex erat, qui hujus Trugilli suggestione ecclesiam regnorum Gothiæ & Sueciæ tributis atque oneribus gravare non verebatur, archiepiscopumque Upsalensem Nicolaum & reliquos episcopos pro ecclesiastica libertate respondentes eodem auctore captivasset, nisi se ad tutiora loca a conspectu tyranni confestim recepissent. Sed quem fructum tunc assecutus est Birgerus ex rebus Deo pridem consecratis, & postea in regium fiscum sacrilega audacia translatis? Profecto nullum alium, nisi ut ad pericula insuperabilia dejectus se & omnes suos, atque utrumque regnum ad extremam ruinam præcipitaret, & tandem post infamem vitam infami morte periret: primo namque ad inextinguibile odium cum fratribus suis devenit, sub quo totis sedecim annis adeo periclitatum est totum Gothorum & Sueonum imperium, ut nihil ultra ad illarum terrarum desolationem addi posse putaretur, &c.* hæc Magnus, cum quo sequenti anno Birgeri Regis calamitatum initium videbimus.

(*g*) *Magn. l. 20. c. 17.*

(*h*) *lb. c. 14.*

XVIII.

Eodem anno, inquit S. Antoninus, (*i*) *in comitatu Novariensi provinciæ Longo-*

(*i*) *Ant. p. 3. tit. 21. c. 1. §. 10. Bar. in MS. sched. ad hunc an.*

bar-

Dulcinus hæresiarcha infanda disseminat.

bardiæ exorta est quædam hæresis pessima, cujus auctor fuit quidam frater Dulcinus [1] *vocatus, qui non erat religiosus alicujus regulæ approbatæ, sed lupus sub pelle ovina habitus religiosi. Hic zizaniam disseminans in medio tritici pessimorum errorum, & inter cæteros asserens, quod omnia debebant esse communia, etiam mulieres ad commixtionem, quod quidem peccatum non erat, sed actus charitatis; & quod Papa & Cardinales, cæterique prælati ecclesiarum non erant veri pastores ecclesiæ, cum non servarent vitam evangelicam; sed ipse erat verus apostolus Christi dignus papatu, cum pluribus aliis articulis falsitatis* 5. *multos secum populares utriusque sexus, vilis tamen conditionis ad illam hæresim attraxit usque ad numerum quatuor millium, qui habitabant in montibus & locis sylvestribus, ut animalia bruta. Cum autem deficiebant eis victualia, prædabantur undecumque habere potuissent, tanquam omnia forent communia. Per duos autem annos permansit talis congregatio hæreticorum. Sed quia, ut ait Salvator, omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur, ideo ad nihilum redacta est: & tædio victi paupertatis & incommodorum, qui eum sequebantur, multi eum dimiserunt ad fidem reversi. Demum captus ipse hæresiarcha cum quadam Margarita socia sui erroris per Novarienses, combusti fuerunt cum multis aliis utriusque sexus perseverantibus in pertinacia sua.* Sed de illius supplicio ac religiosa militia Clementis jussu adversus impurissimos homines indicta rursum inferius.

Plures inficit. Excisa ea pestis.

Joannes Minorita fidem apud Tartaros prædicat.

XIX. Cum epicureus ille pseudomonachus voluptatum lenociniis simplicem populum fœdissimis erroribus irretiret, Joannes e monte Corbino Minorita A. S. N. in oriente evangelium apud Tartaros propagabat, (*a*) cujus præclara gesta ac labores pro Christi fide amplificanda susceptos ex ipsius literis (*b*) accipere operæ pretium est. Narrat in primis ut Taurisio Persarum regia profectus an. MCCXCII. penetrarit in Indiam, & ecclesiam S. Thomæ sacram lustrarit, ac centum circiter infideles ad Christi cultum eo in loco traduxerit: dein ad Catay Tartarorum imperium excurrerit, adjeritque Magnum Cham, & porrectis pontificiis literis ad Christiana sacra eum pellicere pertentarit: sed ipsum pristinis erroribus involutum oculos ad evangelii lucem non extulisse, Christianos tamen regiis studiis afficisse. Addit Joannes se duos jam annos in Chami regia versari, appetitumque fuisse calumniis a nonnullis Nestorianis livore in eum imbutis, quasi missa a Pontifice ad Chamum munera trucidato in India socio invasisset: sed ex eo discrimine feliciter ereptum, affectosque supplicio calumniatores. Tum subiicit, ut Tartari ad excipiendos divinos satus parati

(*a*) *Vad. ding. annal. to. 3. hoc an. n. 9. & seq.*

(*b*) *Ext. in MS. cod. Odorici Forojul. & ex eo apud Vvad. hoc ann. n. 10.*

NOTÆ [1] MUratorius in præclarissima collectione sua Scriptor. Rer. Italiæ tomo ejusdem operis IX. e tenebris eruit opuscula duo ab æqualibus auctoribus scripta, quibus tota de Dulcino historia patescit. Igitur Dulcinus magistrum hæresis suæ habuit Gerhardum Segarelli Parmensem, de quo in nota ad annum 1296. Cum vero Gerhardus inquisitoribus fidei traditus ignique damnatus hæresis suæ pœnas luerit; Dulcinus in locum magistri defuncti successit, cui feliciter adeo cessit res, *ut multa hominum millia utriusque sexus maxime in partibus Italiæ, & Tusciæ ac aliis vicinis regionibus longe lateque in sua secta, & hæresi adunaverit.* Quæ verba sunt scriptoris opusculi II. a Muratorio vulgati. Porro Dulcinus, juxta ac prodit Author prioris opusculi filius erat *Presbyteri Julii de Tarecontano* (nunc Targontano) *Vallis Essolæ* (nunc Ossulæ) *Diœcesis Novariensis*. Post obitum magistri sui epistolam dedit ad universos Christi fideles datam *an. MCCC. mense Augusto*, in qua hæresis suæ dogmata præcipua exposuit, seque illius authorem ac principem jactavit. Post hanc, alteram pariter dedit epistolam anno MCCCIII. mense Decembri in qua se rectorem Novariensem congregationis apostolicæ appellabat, sociosque suos nominavit sororem Margharitam, fratrem Longinum de Pergamo, fratrem Fredericum de Novaria, fratrem Albertum Tarentinum, & fratrem Valdericum de Brixia. Plura in eadem epistola dedit vaticinia, quæ eventus fefellit; scripsit enim inter cætera secundum a Bonifacio Pontificem a Cardinalibus eligendum neminem fore, quia, scribebat, *a Friderico ipsi Cardinales cum tertio Papa* (Bonifacii successore) *sunt consumendi*. Prædixit futurum ut anno isto MCCCV. vasta desolatio *omnium clericorum, monachorum, & monacharum per Fridericum Romanorum Imperatorem* accideret. Hæresum vero, quas in literis illis expressit, summa capita ea ipsa sunt quæ S. Antoninus, verbis ab annalista productis, deduxit. Tertiam alteram scripsit epistolam; sed quo anno, & cujus argumenti ignoramus, cum nihil de illa apud utriusque opusculi authores legatur. Cum vero Dulcinus sat multos hæresis suæ sectatores comparasset, e montibus locisque desertis prodiit tandem in publicum, nam anno MCCCIV. in locis Gatinaræ, & Terravallis diœcesis Vercellensis, furtive tamen, sese identidem insinuabat. Inde fugatus reduxit se in vallem Sicidam diœcesis Novariensis; tum in montem ejusdem diœcesis, Balmara dictum, se contulit. Per eos dies Clemens V. Ecclesiam regendam susceperat, cumque de hæresi late sese diffundente certior esset factus, indulgentiam, & cruciatam publicari in illos jussit, ut constat ex publico quodam documento confecto anno MCCCV. die XXIV. Augusti, & vulgato apud Muratorium in adnotationibus ad primum opusculum. Fugit tamen omnem eorum diligentiam callidissimus Dulcinus, qui anno MCCCVI. supra montem Zebellum (lege Rebellum) de Triverio Vercellensis diœcesis se prodidit; ibi munitionibus & aggeribus tutus aliquandiu substitit; sed tandem vi captus atque inquisitoribus fidei traditus capitalem sententiam subiit, qua de re in nota ad annum 1308. agendum. MANSI

rati sint, conditaque fuerit a se Cambaliensis ecclesia.

Vicario generali ministro ord. fr. Minorum, &c.

In regia Tartarorum urbe sex mill. hominum baptismo abluit.

Unam, inquit, *ecclesiam ædificavi in civitate Cambaliech, ubi est præcipua residentia Regis, quam ante sex annos complevi, ubi etiam feci campanile, & ibi tres campanas posui. Baptizavi etiam ibidem, ut existimo, usque hodie circa sex millia personarum, & nisi fuissent supradictæ infamationes, baptizassem ultra triginta millia, & sum frequenter in baptizando. Item enim succesive* 150. *pueros filios paganorum ætatis infra septem & undecim annorum, qui nullam adhuc cognoscebant legem, & baptizavi eos, informavi eos literis Latinis & Græcis ritu nostro, & scripsi pro eis psalteria, cum hymnariis triginta & duo breviaria, cum quibus undecim pueri jam sciunt officium nostrum, & tenent chorum, & hebdomadas, sicut in conventibus fit, sive præsens sim, sive non, & plures ex eis scribunt psalteria & alia opportuna, & dominus Imperator delectatur multum in cantu eorum. Campanas ad omnes horas pulso, & cum conventu infantium & lactantium divinum officium facio, & secundum usum cantamus, quia notarum officium non habemus. Quidam Rex illius regionis Georgius se fecta Nestorianorum Christianorum, qui erat de genere illustri Magni regis, qui dictus fuit presbyter Joannes de India, primo anno, quo huc ego veni, mihi adhæsit, & ad veritatem veræ fidei catholicæ per me conversus, minores ordines suscepit, mihique celebranti, regiis vestibus indutus, ministravit. Sed quidam alii Nestoriani ipsum de apostasia accusaverunt: tamen ipse magnam populi sui partem ad veram fidem catholicam adduxit, & ecclesiam pulchram secundum regiam magnificentiam construxit ad honorem Dei nostri, sanctæ Trinitatis, & domini Papæ, vocans eam ecclesiam Romanam. Qui Rex Georgius ante sex annos migravit ad Dominum verus Christianus, relicto filio herede ferme in cunabulis, qui nunc est annorum novem. Fratres tamen ipsius Regis Georgii, cum essent perfidi in erroribus Nestorii, omnes quos ille converterat, post Regis obitum subverterunt, ad schisma pristinum reducendo. Et quia ego fui solus, nec potui recedere ab Imperatore Cham, ire non potui ad illam ecclesiam, quæ distat ad viginti diætas: tamen si venerint aliqui boni coadjutores & cooperatores, spero in Deo, quod totum poterit reformari, nam adhuc habeo privilegium prædicti Regis Georgii defuncti. Iterum dico, si non fuissent infamationes supradictæ, magnus fructus fuisset secutus. Si habuissem autem duos, vel tres socios coadjutores meos, forte Imperator Cham fuisset baptizatus. Rogo ergo, ut tales fratres veniant, si venire aliqui volunt, qui studeant se in exemplum dare, & non suas fimbrias magnificare.*

Ad divinum officium celebrandum ipsos instruit.

Rex Indicus ad fid. cathol. conversus.

Ut indumenta regiis vestibus in divinis mysteriis illi inservierit.

Rom. ecclesiam coluerit. Eo extincto Nestoriani invaluerint.

Joannes feudales in laboris, & gloriæ societatem vocat.

XX. *De via notifico, quod per terram Gothorum Imperatoris Aquilonarium Tartarorum est via brevior & securior, ita quod cum nunciis inter quinque vel sex menses poterunt pervenire. Via autem alia est longissima & periculosissima, habens duas navigationes, quarum prima est secundum distantiam inter Achon & provinciam Provinciæ, alia vero est secundum distantiam inter Achon & Angeliam, & posset contingere, quod in biennio vix perficiet viam illam, quia prima via facta non fuit a multo tempore propter guerras. Ideo sunt duodecim anni, quod de curia Romana & de nostro ordine & statu occidentis non suscepi nova. Jam sunt duo anni, quod venit quidam medicus chirurgicus Lombardus, qui de Romana curia & nostro ordine & statu occidentis istas partes incredibilibus blasphemiis infecit, propter quod multum desidero percipere veritatem. Rogo fratres, ad quos hæc litera perveniet, ut ita studeant, quod ejus continentia possit pervenire ad notitiam domini Papæ & Cardinalium & procuratorum ordinis nostri in curia Romana. Ministro generali ordinis nostri supplico pro antiphonario, legenda sanctorum, graduali & psalterio cum nota pro exemplari, quia non habeo nisi breviarium portatile cum lectionibus brevibus, & parvum missale. Si habuero exemplar, pueri prædicti scribent. Modo sum in actu ædificandi aliam ecclesiam, ad dividendum pueros in pluribus locis. Ego jam senui, & canus factus sum potius laboribus & tribulationibus, quam ætate: sum enim annorum quinquaginta octo. Didici competenter linguam & literam Tartaricam, quæ lingua usualis Tartarorum est, & jam transtuli in linguam illam & literam totum novum testamentum; & psalterium, quæ feci scribi in pulcherrima litera eorum, & scribo & lego & prædico in patenti manifesto in testimonium legis Christi. Et tractavi cum supradicto Rege Georgio, si vixisset, totum officium Latinum transferre, ut per totam terram cantaretur in dominio suo, & eo vivente in ecclesia sua celebrabam missam secundum ritum Latinum, in litera & lingua illa legens tam verba canonis, quam præfationis. Et filius dicti Regis vocatur Joannes propter nomen meum, & spero in Deo, quod ipse imitabitur vestigia patris sui. Secundum vero audita & visa credo, quod nullus Rex, nec princeps in mundo possit æquari domino Cham in latitudine terræ, & multitudine populi, & magnitudine divitiarum. Finis. Data in civitate Cambaliech regni Catan anno Domini MCCCV. die 8. mensis januarii.* Recurret iterum mentio de Joanne e monte Corvino, quem ejus-

Pii labores ab eo suscepti.

De Imp. Cham potentia.

Cambalia in regno Catay.

dem ecclesiæ Cambalienſis, cujus erat conditor, creatum archiepiſcopum a Clemente viſuri ſumus.

XXI. De Tartarorum rebus geſtis, deque amplificata apud eos Chriſtiana religione edidit nobilem commentarium Aythonus princeps Curchi, qui eundem Latinis verbis redditum Clementi obtulit, ut ipſum ad conficiendam pro recuperanda Palæſtina ſacram expeditionem incitaret; quique hoc anno in Cypro poſt varia cum Saracenis geſta prælia monaſticæ diſciplinæ ſeſe addixit, ut ipſe narrat his verbis (*a*): *Ego frater Haytonus interfui omnibus prælibatis, qui dudum propoſueram habitum ſumere regularem: ſed propter inconvenientia diſcrimina, & ardua negotia regni Armeniæ cum honore meo non poteram in tantis neceſſitatibus derelinquere conſanguineos & amicos. Unde poſtquam Deus ſua pietate mihi conceſſit gratiam dimittendi regnum Armeniæ & populum Chriſtianum poſt multos labores meos in ſtatu pacifico & quieto, confeſtim votum, quod diu voveram, volui adimplere. Accepta itaque licentia a domino meo Rege & ab aliis conſanguineis & amicis, in campo illo, ubi Deus de inimicis triumphum conceſſerat Chriſtianis, arripui iter meum, & perveniens in Cyprum in monaſterio epiſcopiæ Præmonſtratenſis ordinis ſuſcepi habitum regularem, ut qui in juventute mea militaveram mundo, in ſervitiis Dei reſiduum vitæ meæ, pompis hujus ſæculi relictis, conſumerem anno Domini MCCCV. Gratias igitur ago Deo, quoniam regnum Armeniæ hodie eſt in ſtatu æquo, bono, & pacifico reformatum, præcipue per modernum Regem dominum Livonum, filium quondam domini Theodori, qui tanquam indolis gloriosæ virtutibus illuſtratus omnibus regentibus eſt ſpeculum gratioſum.*

Aythonus juſſu Clementis hiſtoriam ſcribit.

(*a*) *Aython. hiſt. orien. c. 46.*

Migraſſe traditur (*b*) hoc anno ex hac vita ad felicem immortalitatem B. Joachimus ordinis Servorum.

Ut præmonſtr. ordinem ſit ingreſſus.

Pia mors B. Joachimi.

(*b*) *Ferrar. in novo cat. ex ord. Ser. tab. 16. ap. Nic. Burgheſ. patr. Sen. in ejus vit.*

Com-

I. Nonnullæ Bonifacii conſtitutiones abrogatæ.

COmpoſuit Clemens anno Chriſti milleſimo trecenteſimo ſexto indictione quarta litem arduam de ſubjectis Pontifici Romano Regibus, quæ Bonifacium inter & Philippum Regem Francorum interceſſerat, univerſa re in priſtinum ſtatum reſtituta, revocataque prædeceſſoris conſtitutione, de qua hæc Bernardus (*a*): *In kalendis Februarii duas conſtitutiones Bonifacii quondam Papæ, unam, quam direxerat Regi Franciæ, in qua ſcribebat eidem, ipſum Regem eſſe ſubjectum Romanæ eccleſiæ in temporalibus & ſpiritualibus: aliam vero, quæ in ſexto libro decretalium eſt inſerta,* (*b*) *quæ incipit: Clericis laicos, revocavit, & omnia quæ ex ipſis conſecuta.* Eadem alii (*c*). Prioris ſanctionis initium eſt: *Unam ſanctam;* ac licet Bonifacius ad ſopienda hominum murmura duriora illius capita molliviſſet, cum tamen necdum Galli quieſcerent, Clemens diplomate apoſtolico promulgavit, (*d*) ipſos nullo novo jure ſedi Apoſt. ſubditos cenſendos, quam ante Bonifaciana conſtitutionem conditam, quam ipſorum libertati nullo modo detrahere pronuntiavit obnoxii extitiſſent: *Meruit*, inquit, *chariſſimi filii noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris ſinceræ affectionis ad nos & eccleſiam Roman. integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt; meruit inſuper regnicolarum puritas ac devotionis ſinceritas, ut tam Regem quam regnum favore benevolo proſequamur. Hinc eſt, quod nos Regi, & Regno per definitionem, & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Unam ſanctam; nullum volumus, vel intendimus præjudicium generari; nec quod per illam Rex, regnum, & regnicolæ prælibati amplius eccleſiæ ſint ſubjecti Romanæ, quam antea exiſtebant: ſed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante definitionem præfatam tam quantum ad eccleſiam, quam etiam ad Regem, regnum, & regnicolas ſuperius nominatos.*

(*a*) *Bern. in chron. Rom. Pont. & chron. Reg. Fran. & MS. Vat. bibl. ſign. n. 3765. in Cle. V.*

(*b*) *De immun. eccl. in 6. incip. Cler. laic.*

(*c*) *Mar. Pol. l. 4. & alii.*

(*d*) *Ext. inter extravag. de privil. c. Meruit.* Conſtitutione *unam ſanctam* Gallorum Regis dignitati non detrahi.

Quod ad ſecundam conſtitutionem attinet; abrogavit illam Clemens Benedicti XI. exemplo: Bonifacius enim (*e*) eccleſiaſticis cenſuris eos involverat, qui laicis decimas perſolverent, ut ipſos ad conſtantiam contra extortorum minas imperuſque cogeret: ex quo cum magni tumultus emerſiſſent, contendentibus principibus ab eccleſiaſticis ſubſidia in angustiis rebus elicere, reſciſſis Bonifacianis edictis, ſancitum eſt, extortores & alios, qui ipſos fulcirent, cenſuris implicitum iri; atque in exhibendis ab eccleſiaſticis principibus pecuniarum ſubſidiis ſervanda, quæ in Lateranenſi, aliiſque ſynodis œcumenicis fuiſſent decreta.

(*e*) *Cle. l. 1. to. 2. ep. com. 753. pag. 153.*

Conſtitutio de non exigendis a clero ſubſidiis temperata.

*Clemens, &c. Quoniam ex conſtitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit: Clericis laicos; & ex declaratione ſeu declarationibus ex illa poſtmodum ſubſecutis nonnulla ſcandala, magna pericula, & incommoda gravia ſunt ſecuta, & ampliora ſequi, niſi celeri remedio ſuccurratur, præſumitur veriſimiliter in futurum; nos de conſilio Fratrum noſtrorum conſtitutionem & declarationem, ſeu declarationes prædictas, & quidquid ex eis ſecutum eſt, vel ob eas, penitus revocamus, & eas haberi volumus pro infectis, volentes & firmiter ſtatuentes illud contra quoſcumque laicos exigentes, ſeu extorquentes ab eccleſiis eccleſiaſticiſque perſonis tallias, ſeu collectas, aut exactiones quaſcumque, vel duntes ad id faciendum conſilium, auxilium, vel favorem; nec non & circa præſtandas ſubventiones laicis ab eccleſiarum prælatis & aliis viris eccleſiaſticis inviolabiliter obſervari, quod ſuper his a prædeceſſoribus noſtris in Lateranenſi & * generalibus conciliis, quæ nos ſub obteſtatione divini judicii præcipimus obſervari, diſtricte & ſalubriter eſt proviſum. Dat. Lugduni kal. febr.*

Extortores ac participes tantum cenſuris devincti.

* aliis

Temperata hoc modo Bonifaciana conſtitutione, ita eccleſiaſticorum fortunis conſuluit, ut principibus eliciendi alicujus in rebus anguſtis ſubſidii ſpem auctoritatemque non adimeret: ad quod non adigi, ſed allici & ſponte eccleſiaſticos conſentire voluit. Atque adeo cum ex pacis inter Robertum Flandriæ comitem, ac Philippum Francorum Regem percuſſæ legibus Robertus graviſſimam pecuniarum vim Philippo refundere, vel ipſi aliquos agros extra Flandriæ limitem comparare teneretur, atque exhauſtus ærario promiſſis facile ſe exolvere non poſſet, Flandriæ comiti permiſit (*f*), ut eccleſiaſtici tam in terris Francorum regni, quam imperii ipſi obnoxiis agentes pecuniis ipſum juvarent, modo comes ipſos imperiis ſuis, vel obſcuris artibus ad id vi non compelleret.

(*f*) *Ib. p. 170.* Permiſſum Flandriæ comiti, ut aliqua ſubſidia a clero depoſceret.

Superioribus conſtitutionibus tertia addenda eſt, (*g*) qua Clemens Bonifacii ſanctionem de citationibus publico edicto propoſitis, quæ nimiam ſeveritatem redolebat, mitigavit; reſtrinxitque ad reos, qui darent operam, ne concepta citationis formula ad ipſos perveniret.

(*g*) *Ib. ep. com. 752.* Conſtitutio Bonif. de citationibus mitigata.

II. Expeditionem in Græcos promovere cogitat Clem.

Sancivit plura alia, dum Lugduni morabatur Clemens, quæ ad componendum orbem Chriſtianum, amplificandamque eccleſiam pertinebant. Atque in primis Benedicti XI. qui zelo divino flagrans Græcorum ſchiſmaticorum perfidiam domare armis duce Carolo Valeſiorum comite,

in animum induxerat, inhæsurus vestigiis, pactus est cum eodem comite, ut susceptum eripiendi Græcis schismaticis orientalis imperii consilium perduceret; cum illud Catharinæ ipsius uxori Balduini a Michaele Palæologo depulsi nepti debitum esset, atque inde divina gloria amplificanda, proferendique ecclesiæ limites essent: demum in scriptis eo argumento litteris hæc ipsi atque illius signa secutu-

(a) Ib. ep. 220. ris præmia sacra proposuit (a). *Tibi & omnibus, qui pro dictæ Terræ sanctæ subsidio signum crucis nullatenus receperunt, proficiscentibus tecum in expeditionem hujusmodi negotii dicti imperii; & eis etiam, qui propriis expensis illuc juxta eorum facultatem miserint idoneos bellatores vel qui, licet in aliis expensis, cum non possint suis, in personis tamen propriis tecum curaverint proficisci, illam concedimus tui & ipsorum veniam peccatorum, quam haberetis, si transfretaretis in Terræ sanctæ subsidium prælibatæ. Crucesignatis autem pro ejusdem terræ sanctæ succursu præstando, qui tecum ad recuperandum prædictum imperium in propriis personis accedant, vel in expensis eorum illuc juxta eorum facultates bellatores idoneos destinaverint, similem suorum concedimus veniam peccatorum, ipsos si forsan in hujusmodi negotio dicti imperii prosecutione decesserint, ab executione voti per eos emissi de transfretando in dictæ terræ sanctæ subsidium, eadem auctoritate absolvimus, votum eorum prædictum totaliter commutando. Quod si forsan in prosecutione hujusmodi negotii, vel dicti Imperii non decesserint, ad executionem voti eorum quod pro ejusdem Terræ sanctæ emiserint, nullatenus teneantur. Negotium itaque prælibatum virtute tuæ magnanimitatis assume, & assumptum tanquam vir strenuus viriliter prosequaris, nam in iis & aliis, ubi expedierit, Apostolicus non tibi deerit favor. Datum Lugduni* XVIII. *kal. febr.*

Decimæ attributæ.

Ut facilius bellicos sumptus in ea expeditione ornanda profundendos toleraret, ecclesiasticorum vectigalium decimas in Galliis obventuras ad biennium ipsi attribuit: ingentes enim spes conceperat Clemens, Constantinopolitanam expeditionem, quæ jam ante a Benedicto XI. decreta fuerat, ac variis de causis discussa, demum imperatore Carolo Valesiaco confectum iri. Indictæ (b) etiam utriusque Siciliæ clero decimæ, quæ Friderico Regi Trinacriæ & Philippo principi Tarentino ad parandas copias ascriptæ, si eandem expeditionem obire decernerent; sin eum laborem defugerent, Carolo duci belli sacri conferendas sanxit.

(b) L. 1. to. 2. p. 41. Frid. Trinac. Rex arma cum Carolo in Græcos jungere meditatur.

III.

Excitati atiam ad sacri belli societatem Veneti, (c) quorum res in Imperio Græcorum manibus eripiendo ageretur, cum ad ipsos quarta illius pars, atque alterius quartæ partis dimidia ex initis olim cum Balduino conventis pertineret.

(c) Ib. p. 43. ep. 220.

Clemens, &c. Dilectis filiis duci & communi Venetiarum.

De Schismaticorum erroribus.

Cunctis per orbem terrarum venit in publicum, quod longe jam dudum orientalis ecclesia, damnabili deceptione seducta, a Petri ovili & ecclesiæ catholicæ unione se reddidit per jacturam execrabilis scissionis extraneam; circumsepta errorum involucris pluribusque pravitatis schismaticæ falsis dogmatibus involuta: propter quæ felicis recordationis Martinus Papa IV. prædecessor noster, videns ex hoc quasi universale provenire dispendium, & ex tanto schismate religioni fidei orthodoxæ plurimum

Ut Michael Palæol. a Martino devinctus anathemate.

derogari, quondam Michaelem Palæologum, schismatis prædicti fautorem, ejusque complices, utpote ab bonitate ejusdem fidei deviantes pronunciavit excommunicationis vinculo innodatos, pluribus per eundem prædecessorem quæsitis remediis, ut imperium Constantinopolitanum de prædictorum schismaticorum manibus liberatum ad ovile Christi vicarii & unionem catholicorum revocaret.

IV.

Cum autem Regis æterni provisio tantum negotium (utinam per nos humilem servum ejus feliciter consummandum) usque ad hæc tempora prorogarit, & ad præsens, sicut firmiter speramus & credimus, tempus venerit, Domino miserante, provisum, ut in eisdem ecclesiis, quas primitus unio fidei in Christi charitate conjunxit, per ipsum sanioris consilii, præcisis veteris

Carolus Valesii uxoris Imperatricis jura repetere moliatur.

scissuræ radicibus, unionis fœdera reformentur, cum dilectus filius magnificus vir Carolus claræ memoriæ Philippi Regis Francorum genitus comes Andegavensis, ad quem ratione charissimæ in Christo filiæ Imperatricis Constantinopolitanæ illustris conjugis suæ dictum Imperium noscitur pertinere, ad recuperationem ipsius se asserit velle ferventer & potenter intendere, & ad id exponere vires suas, multorum stipatus comitum, baronum, & aliorum nobilium comitiva; ac per hoc speremus in eo, qui in occursum implorantium nomen ejus clementer exurgit, quod prædicti imperii recuperatio diutius expectata præstabitur, ac per recuperationem ipsius terræ sanctæ negotium, quod non sine lacrymarum profluvio ad memoriam revocamus, facilius immo felicius peragetur; per id etiam præcidentur hæreses, schismata evellentur, gloria, ipsius fidei orthodoxæ tanto potentiori virtute vallabitur, quanto ad laudem divini nominis tanti imperii provincias plurimas complectetur, & regna feliciori decorabuntur unione; frangentur ex hoc Parthorum seu Tartarorum animi eidem imperio vicinorum, trement Arabes, & a Christianorum facie Christi fugient inimici, & alia innumerabilia bona ex iis fidelibus cunctis evenient, & plurima optata succedent; consi-

Secutura ex imperiis Græci recuperatione bona.

*derantes quoque, quod dictus comes ad sic ardui expeditionem negotii absque sedis Apostolicæ & fidelium prædictorum auxilio non sufficit per seipsum; quodque, utpote ejusdem ecclesiæ matris vestræ dilecti filii, quos nulla præterivit vel mutavit adversitas erga eam, in sic agendorum negotiorum arduorum * constituetis vos athletas Dei & fortissimos bellatores; universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente, obsecrantes per dominum Jesum Christum, quatenus ob reverentiam ejusdem sedis, & nostram magnanimitate solita in promptum auxilium ejusdem comitis sub velamento divinæ dexteræ consurgentes, sic eidem potenter & viriliter assistatis, quod dictus comes vestra & aliorum fidelium fultus potentia, felicem tanti operis exitum, annuente Domino, consequatur.* Gratuitam demum pœnarum noxarumque condonationem iis proponit, qui expiata rite conscientia adversus schismaticos strinxerint arma, opemve contulerint. *Datum Lugd.* XIX. *kal. februarii.* Solicitati etiam, transmisso ad ipsos earumdem literarum exemplo, Genuenses, (a) ut adversus Andronicum arma cum Carolo Valesiano Philippi Regis Francorum fratre conjungerent.

Tartaros & Arabes debilitatum iri.

* discrimine.

Pontificia ad Venetos exhortatio, ut illud bellum suscipiant.

(a) Reg. post cand. ep. Genuenses ad idem solicitati.

V.

Cæterum quo expeditionis illius sacræ, revocandique ad ecclesiæ obsequium imperii orientalis consilium perduceret Pontifex, principes invicem conciliare studuit, præcepitque Cluniacensi & Cistercienti abbatibus, ut inter Amadæum Sabaudiæ comitem & delphinum Viennensem mutuo implicitos bello inducias indicerent. De instruenda a Carolo duce expeditione in Græcos schismaticos iterum recurret sermo. Comparatam vero in eos hoc anno, inita a Carolo Rege Siciliæ cum Templariis, qui ex Cypro redierant, armorum societate, in Neapolitano regno classem fuisse duce Rogerio Templario equite belli peritissimo, ac plures Templarios, aliosque viros prædæ & rapinarum cupidos in eam confluxisse, narrat Bosius, (b) captamque tunc Thessalonicam fuisse: sed mox Templarios in Latinos, qui aliquas Græciæ provincias tenebant, impetus vertisse. Alias præterea maritimas oras Peloponnensi, Thraciæ & Hellesponti expilarunt Templarii, onustique divitiis in Gallias, ut iis tuto perfruerentur, se receperunt; effusaque luxus pompa, vitiorumque fœditate adeo omnium odia in se accenderunt, ut extremam sibi perniciem conscíverint, ut dicetur inferius.

Imperatæ Sabaudum inter ac delphinum induciæ.

(b) Bos. hist. equit. Hieros. p. 2. l. 1. Expeditio adversus Græcos suscepta.

VI.

Dum prope Lugdunum Clemens agebat apud S. Genesium, Robertus (c) dux Calabriæ, qui anno superiore Pistorienti obsidione pontificio jussu discesserat, parentis Caroli II. Regis Siciliæ nomine mense februario Siciliæ regnum Apostolicæ beneficentiæ, ac liberalitati solemni ritu acceptum retulit. A quo clientelares honores sibi exhibitos ita admisit Clemens, ut Romani Pontificis juribus consultum sanxerit, Siciliæ nimirum Reges ad præstandum illud officium ad apostolicam aulam evocari posse; ac literas exerit, quibus Carolus gesta a Roberto filio rata haberet. Assensit Carolus justis petitis, insertisque Roberti filii literis de clientis a se præstitis officiis, singula ab eo gesta confirmavit, dato hoc Neapoli ad Clementem diplomate (d).

(c) Jo. Vill. l. 9. c. 42. Robertus dux Calab. Pontifici patrio nomine fidem obstringit.

(d) Ext. in l. 3. priv. Rom. eccl. p. 127. & in arce S. Ang. & inter Col. lect. Plat. to. 1. p. 305.

Sanctissimo in Christo patri, & clementissimo domino suo, domino Clementi divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summo Pontifici, Carolus II. Dei gratia Rex Jerusalem & Siciliæ cum omni reverentia & honore devota pedum oscula beatorum.

Robertus primogenitus dux Calabriæ, ac meus in regno Siciliæ vicarius generalis per literas suas mihi nuper aperuit, quod in præstatione sacramenti fidelitatis, & homagii, ad quam eum benigne de speciali gratia meo nomine recepistis, idem primogenitus ad vestri & ecclesiæ Romanæ cautelam suas concessit literas sub serie subsequenti.

Cavet juri Pont. de vocando Rege Sicil. ad præstanda clientis officia.

Nos Robertus illustris Jerusalem & Siciliæ Regis primogenitus Calabriæ, dux ejusque vicarius generalis tenore præsentium notum facimus universis, quod die nono præsentis mensis februarii IV. *indict. apud S. Genesium prope Lugdunum offerentibus nobis procuratorio nomine dicti domini genitoris nostri, cujus inde mandatum speciale suscepimus, sanctissimo in Christo patri & clementissimo domino nostro domino Clementi, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summo Pontifici, sacro dominorum Cardinalium assistente collegio, ligium homagium, & fidelitatis debitæ juramentum pro regno Siciliæ & tota terra citra Pharum, quæ dictus dominus genitor noster a Romana ecclesia tenet in feudum, ipse dominus noster Papa tanquam pius pater & dominus benigne respondit, quod juxta formam conventionum initarum ab olim inter Romanam ecclesiam & claræ memoriæ dominum Carolum Regem Siciliæ avum nostrum non tenetur per procuratorem, vel nuntium homagium & juramentum prædicta recipere; quinimmo ex illarum vigore posset ad id dominum patrem nostrum personaliter evocare, vel ad eum aliquem mittere, qui nomine Romanæ ecclesiæ præmissa reciperet ab eodem: de paterna tamen benignitate, & gratia speciali a nobis illa nomine, quo supra, reciperet, cum ea protestatione videlicet, quod ipsa receptio sibi vel futuro Romano Pontifici præjudicium aliquod non pararet: quin utique vocare possent ad personalem præstationem illorum Regem Siciliæ, etiam si & quando sibi placuerit dictum*

ctum dominum patrem nostrum, vel ad eum personam aliquam mittere, quæ suo & ecclesiæ Rom. nomine illa reciperet ab eodem, cum nollet ipse dominus noster ad consequentiam trahi receptionem seu præstationem hujusmodi, nec per illam domino patri nostro, vel nobis, aut ejus successoribus in præstando per procuratorem, etiam primogenitum suum, homagium & juramentum prædicta in posterum novum aliquod acquiri. Qua quidem protestatione, ut præfertur, emissa nos eidem domino nostro, sacro assistente collegio, dictum homagium dicti domini genitoris nostri fecimus nomine, & fidelitatis præstitimus juramentum.

VII. *Et quia, sicut decet gratum filium & devotum, cum ipsius domini nostri beneplacito in iis & aliis concurrere promptis affectibus cupimus, & proinde nolumus propter ipsam præstationem nostram in aliquo derogari Romanæ ecclesiæ, dicto domino nostro, aut futuro Romano Pontifici; nec domino patri nostro, nobis, aut successoribus ejus in præstatione juramenti & homagii prædictorum per procuratorem vel nuntium novum aliquod in futurum propterea jus acquiri, ecce protestationi præmissæ liberaliter assentimus; sic tamen quod per assensum hujusmodi domino patri nostro, nobis, vel successoribus ejus in jure, si quod circa id sibi quomodolibet competit, nullatenus detrahatur: & nihilominus nos facturos & curaturos expresse promittimus, quod dictus dominus genitor noster infra festum beatorum Apostolorum Petri & Pauli proximum eidem præstationi præbebit assensum: de cujus præbitione infra idem tempus mittet ad sedem Apostolicam regias patentes literas aurea bulla regiæ majestatis impressa typario communitas. In cujus rei testimonium præsentes fieri fecimus literas sigilli nostri appensione munitas. Dat. Lugduni die undecimo februarii anno Domini MCCCVI. IV. indict.*

VIII. Ejus gesta a Carolo II. rata habita. *Ego igitur, pie pater, pro dicta gratia vestra gratus, sicut & de aliis vestris beneficiis, esse Deo dante confido, omnia & singula in præfatis literis dicti ducis contenta ratificans & acceptans, illis expresse consentio & mea ratihabitione confirmo. In cujus rei testimonium præsentes literas fieri feci, & aurea bulla meæ majestatis impressa typario communiri. Actum Neapoli anno Domini MCCCVI. Datum ibidem per manus Bartholomæi de Capua militis logothetæ & protonotarii regni Siciliæ sub eisdem annis Domini die* XV. *April.* IV. *in-*

dict. regnorum meorum anno XXII. *Cum se pluribus beneficiis Clementi obstrictum Carolus in superioribus literis professus sit, haud quidem inter alia id premendum silentio est, quod ei, ob præterita bella exhausto ærario, nonaginta trium millium unciarum auri supra trecentas quadraginta, ad quas pontificio fisco census exactis annis debiti ergo inferendas devinctus erat, solutio a Clemente extracta est. Et quidem primum cum Bonifacius VIII. memoratam vim auri labente anno hujus sæculi secundo, & festo Petri & Pauli Apostolorum die recurrente repeteret, nec solvendo esset Carolus, ad biennii flexum solutionis diem prorogavit. Cum vero tunc Benedicto XI. vita functo sedes pastore vacaret, Carolus Rex a Cardinalium senatu precibus elicuit, ut illius auri pensio ad proximum annum prorogaretur. Evecto vero superiore anno ad Pontificios apices Clemente V. Rex defuit officio: cumque censuris ob id se illaqueasset, missis oratoribus Clementem flexit, ut illum suscepta noxa solveret, diemque solvendæ illius vis auri ad Apostolorum Petri & Pauli celebritatem proferret. Quo beneficio affectus Carolus, grates Pontifici præstitit (a) regiis literis hac formula consignatis. Dat. Neapoli per Bartholomæum de Capua militem logothetam & protonotarium regni Siciliæ anno Domini MCCCVI. die* XVIII. *martii* IV. *indictionis regnorum meorum anno* XXII. *Appetente sacro Apostolorum Petri & Pauli die omne illud vectigale aurum tot annis debitum Pontificiis quæstoribus numerare non potuit: solitam vero in eum benignitatem explicuit Clemens: quare accepti beneficii testes repetitæ sunt de extracta solutione census ad Clementem V. Caroli literæ, cum in Provinciam venisset, quæ hac formula consignatæ sunt. Dat. Massiliæ anno MCCCVI.* XI. *novembr.* V. *indict. regnorum nostrorum anno* XXII. Ut vero demum Clemens insigni liberalitate ingentem illam vim auri, quam pendere haud poterat Carolus, nisi plura ditionis suæ loca, jurave regia distraheret, condonarit, suo loco dicetur.

Alia in Carolum Clementis beneficia.

(a) Ext. in arce S. Angel. & inter collect. plat. to. 1. p. 330. & in MS. Vallic. sig. lit. B. n. 12. p. 568. &c.

IX. Clem. Lugduno Burdegalam repetit. Contulit porro se proximo anno ad Clementem Carolus Rex, ut cum eo & Galliæ, Angliæ, Navarræ Regibus, aliisque principibus Pictavenses conventus iniret, quos cum celebrare pro instaurandis rebus orientalibus meditaretur Clemens, Lugduno egressus, non Italico itineri, sed Burdegalæ [1] repetendæ se accinxit. Cum vero Deseciam pervenisset xv. kal. apri-

NOTÆ [1] QUandiu pontifex substiterit Burdegalæ, quo, anno isto martio mense exeunte venit, quantum ex data literarum Clementis eruitur, annus circiter fuit; nam continuator Nangii, qui annum more Gallico ad martium usque producit, ad annum 1306. scribit: *mense martio vel circa papa Clemens, & cardinales . . . . . (Pictavis, cujus nomen erasum est) iverunt, & illic circum circa circiter per menses sexdecim residerunt.* Quæ utique chronologia ex data lite-

aprilis, ne Italiæ omnino oblitus videretur præfecerat (a) ducatui Spoletano præ-
nobilem virum fratrem suum Arnaldum Garsiam vicecomitem Leomaniæ. Quæ autem mala postea e deserta prædecessorum fede, atque exteris ditioni ecclesiasticæ præfectis emerserint, videbitur inferius. Profectus est deinde Nivernum, ubi datæ VII. kal. aprilis literæ ad Antonium Dunelmensem episcopum inferius adducendæ, indeque Bituriges adiit. De quo itinere hæc Bernardus (b): *Papa de Lugduno recedens rediit Burdegalam, transiens per Bituricam & Lemovicas, ubi fuit in festo sancti Georgii & Petragoram, seditque in Burdegala cum sua curia illo anno.* Bernardo consentit Westmonasteriensis, (c) qui vetusto oraculo id prædictum subdit, sed quod vehementi fictionis suspicione laborat.

(a) Clem. V. an. 1. to. 2. ep. 295. Vascones ditioni ecclesiasticæ præficit. Ejus itinera.

(b) Bernard. Rom. Pont.

(c) Vuest. flor. hist.

(d) Bern. chron. Rom. Pont. & MS. Vatic. bibl. sign. n. 3765.

X. Rex Aragon. Sardiniæ regni nomine fidem Clementi obligat. Asseruisse eo tempore Pontificem Jacobo II. Regi Aragonum Sardiniæ regnum, confirmasseque apostolica auctoritate, refert Bernardus his verbis (d): *In mense martii Clemens Papa confirmavit Regem Aragonum in regno Sardiniæ, dictusque Rex juravit Papæ fidelitatem pro dicto regno, promittens sub juramento, ascendere dictam insulam in mense septembri tunc proxime venienti.* Verum irrepsisse mendum in Bernardi orationem, ac loco martii mensem maii reponendum, ex Pontificiis literis ea de re Burdegalæ mense maii confectis constat; tum ex Surita (e) ac regio Jacobi diplomate x. Kal. maii edito, quo Joannem Burgundum sanctioris ærarii ecclesiæ majoris Balearium præfectum & Martinum Godorem procuratores instituit, ut Sardiniam jure fiduciario acceptam sacramento profiterentur, eoque nomine fidem Clementi devincirent, cum non modo suffecisset Jacobum Bonifacio clientelare officium exhibuisse: verum etiam e donationis legibus singulis Romanis Pont. Aragonum Reges, evolvente se primo adepti apostolatus anno, in eorum verba jurare tenerentur. Concepta est hisce verbis Regis Jacobi diplomatis forma.

(e) Sur. ind. l. 2. hoc an.

Noverint (f) universi, quod nos Jacobus Dei gratia Rex Aragonum, Valentiæ, & Sardiniæ & Corsicæ, comesque Barchinoniæ, ac sanctæ Romanæ ecclesiæ vexillarius, ammiratus, & capitaneus generalis, considerantes quod tempore donationis & concessionis per felicis recordationis dominum Bonifacium Papam VIII. nobis & nostris factæ in feudum de regno Sardiniæ & Corsicæ personaliter præstitimus dicto domino summo Pontifici, prout præstare debuimus juxta continentiam rescripti papalis pro dicta concessione confecti, homagium, vassallagium, & fidelitatis juramentum sub forma in eodem rescripto contenta; attendentes etiam quod homagium & alia prædicta nos & nostri tenemur secundum conditiones in dicto rescripto contentas renovare, facere, & præstare unicuique Romano Pontifici, & dictæ ecclesiæ infra annum a die, quo in Romanum Pontificem ele-

(f) Ext. apud Clem. l. 1. ep. 258.

Procuratores idonea ad id auctoritate instruit.

NOTÆ literarum apostolicarum confirmari potest. His admissis restituendus est ordo literarum quarumdam Clementis, quas anno non suo collocat Baluzius in collectione actorum veterum ad vitas paparum Avenionensium to. II. Quæ enim ibidem scripta legitur epistola ad Philippum Francorum regem in controversia arcis Malileonis vulgo *Mauleon de Soule*, quam sibi Angliæ & Gallorum reges vindicabant, quæque data est Burdegalis nonis julii pontificatus Clementis anno primo, non quidem anno MCCCV. scripta est; tunc enim nondum electioni de se factæ in pontificem publicum assensum Clemens præbuerat; sed annum sequentem MCCCVI. præfert; cujus pariter anni est altera, quæ ibidem succedit epistola eodem mense data; sicut & altera de eodem argumento arcis de Maloleone scripta Burdegalis V. idus augusti anno I. Quæ vero ad Philippum, ibidem col. 62. legitur epistola in qua regem certiorem facit de solemni consensu a se præstito in electionem suam in pontificem, tum & de futura coronatione sua; illa utique ad annum 1305. pertinet; cum vero inscribitur *Salani III. Idus octobris pontificatus nostri anno primo*, demonstrare utique posset Clementem annorum suorum epocham aliunde quam ex coronatione sua duxisse; sed cum apud Raynaldum ad annum 1308. 12. & 13. geminæ exhibeantur literæ pontificis eo anno 1308. scriptæ & signatæ *apud Laureum montem Burdegalensis diœcesis IX. kal. novembris anno tertio*, ex his perspicue demonstrari arbitror, epocham illam reipsa a coronatione quæ incidit in diem XIV. novembris anni 1305. cœpisse. Quare literæ illæ ante coronationem, vel epocham præferebant, quæ dein in coronatione deserit; vel pro more prædecessorum suorum Clemens literas illas signavit: *Apostolatus nostri anno primo*; quæ lectio substituenda est pro eo quod mendose ibi legitur *pontificatus nostri*. Hæc omnia ante me Pagius in breviario animadverrit. Hoc ordine dirigendæ aliæ ejusdem pontificis literæ, quæ apud eundem Baluzium præposterе collocantur.

Mendum etiam aliud occurrit in eodem Clementis registro apud Baluzium, quod emendatione indiget. Legitur enim ibi epistola Clementis ad Philippum regem Francorum, qua certiorem illum reddit de carceratione fratris Dulcini pessimi hæretici, cui Raynerius Vercellensis episcopus bellum feliciter intulerat, & die cœnæ Domini proxime præcedenti arce, qua se continebat, expugnata, cœperat. Literæ illæ signantur *Pictavis XVII. Kal. maii pontificatus anno primo*. Mendum hic cubare in annis pontificatus duplici argumento probari potest. Nam annum 1306. quo Clemens mense illo aprilis annum primum agebat, non Pictavis, sed Burdegalæ transegit. Insuper Dulcinus nonnisi anno 1307. die XXIII. martii feria V. in cœna Domini captus fuit teste anonymo synchrono, qui historiam Dulcini scripsit, vulgatam a Muratorio rer. Ital. to. IX. Igitur loco *pontificatus anno primo*, legendum est *anno secundo*. MANSI

electus fuerit computandum, per idoneum vel idoneos substitutos, postquam nos & nostri in dicto regno præstiterimus personaliter uni Romano Pontifici juramentum, fidelitatem, homagium, seu vasallagium supradicta; idcirco nominamus, facimus, ordinamus, & loco nostri substituimus, procuratores nostros nuntios & ambasciatores solemnes discretos viros Joannem Burgundi sacristam Majoricensem & canonicum Valentinum, ac Petrum Martini de Godor militem consiliarios & familiares nostros præsentis procuratorii exhibitores ambos insimul, & utramque in solidum; sic quod unus sine altero possit procedere, & processus unius alterius minime processum impediat, ad præsentandum se nomine, loco, & pro parte nostra ante sacram præsentiam sanctissimi in Christo patris ac domini domini Clementis, divina providentia noviter in Romanæ & universalis ecclesiæ summum Pontificem ordinati; & ad præstandum loco, nomine, & pro parte nostra tamquam Regis Sardiniæ & Corsicæ & pro ipso regno Sardiniæ & Corsicæ memorato domino summo Pontifici Clementi homagium, vasallagium, & fidelitatis juramentum juxta tenorem dictæ donationis rescripti; & ad dandum etiam dicto domino summo Pontifici, & Romanæ ecclesiæ loco, nomine, & vice nostra literas nostras patentes bulla aurea nostra bullatas, confectas super acceptatione conventionum & aliarum conditionum, sub quibus dictum Sardiniæ & Corsicæ regnum nobis & nostris collatum extitit & concessum. Ad quas dandas summo Pontifici & Rom. ecclesiæ prædicti papalis rescripti series nos astringit, & ad postulandum & recipiendum de præstatione homagii, vasallagii, fidelitatis, & juramenti prædictorum, & de datione dictarum literarum nostrarum rescriptum seu rescripta papalia, aut alia publica instrumenta in æternam certitudinem, memoriam, & testimonium præmissorum.

Imponit partes, ut Pontificium rescriptum de regni concessione eliciant.

Nos autem ipsis & eorum alteri circa ista plenarie committimus vices nostras, ratum & gratum habituri perpetuo quod per ipsos, vel eorum alterum actum fuerit in præmissis, & quolibet eorumdem. In evidentiam cujus rei præsens scriptum per subscriptum notarium nostrum inde fieri, & majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Dat. Valentiæ x. kal. maii anno Domini millesimo trecentesimo sexto. Signum Jacobi Dei gratia Regis Aragonum, Valentiæ, Sardiniæ & Corsicæ, comitisque Barchinoniæ, ac sanctæ Rom. ecclesiæ vexillarii, ammirati & capitanei generalis. Testes sunt Petrus de Ayerbe, Gondisalvus Eximini de Arenoso, Jacobus de Xercita, Berengarius de Entezat, Joannes Martini de Suna. Signum meum Bernardi de Avarsone notarii domini Regis Aragonum prædicti, qui de mandato suo hoc scriptum feci, & clausi loco, die, & anno præfixis.

Pervenere Burdegalam Jacobi II. Regis oratores, atque ubi literas Bonifacii, quibus Jacobo Sardinia & Corsica stipendiariæ ab eodem Bonifacio essent traditæ regioque nomine obstringendæ fidei factam potestatem exposuissent, solemni ritu in Cardinalium consilio ea regna sedi Apostolicæ accepta retulere (*a*): reque perfecta flagitarunt a Clemente, ut rem gestam publicis literis consignaret, atque etiam promulgaret, ut vivo Benedicto XI. alii Regis Jacobi oratores ipsius imperiis Pontifici Sardiniæ jure fiduciario acceptæ causa clientelari sponsione se devinxissent; cum tamen ob præcipitem Benedicti mortem diploma apostolicum de re gesta non emanasset. Admisit eorum preces Clemens, atque acta publica conscripsit (*b*).

(*a*) *Sur. ind. l. 2. hoc an.*

Perfuncti impositio munere oratores.

(*b*) *Lib. 2. ep. com. 258.*

XI. Apostolicum ea de re diploma.

Clemens, &c. Ad futuram rei memoriam.

Dilecti filii Joannes Burgundi sacrista ecclesiæ Majoricensis, & Petrus Martini de Godor miles Ilerdensis procuratores, nuntii, & ambasciatores Regis prædicti ad nostram præsentiam accedentes, ac recognoscentes regnum prædictum ad omnia & singula obligatum, quæ superius sunt expressa; procuratorio nomine ipsius pro eodem regno in nostra & fratrum nostrorum præsentia hujusmodi vasallagium, ligium, & homagium infra annum postea quam ad apicem fuimus apostolatus assumpti, fecerunt & præstiterunt in ipsius Regis animam simile juramentum: nobisque postmodum in continenti præsentaverunt & exhibuerunt ex parte Regis ejusdem literas dicti Regis ejus aurea bulla bullatas, in quibus non solum modi, conditiones, & conventiones prædictæ; sed & totus tenor literarum dicti Bonifacii prædecessoris super concessione hujusmodi confectarum totaliter inseruntur, recognoscendo & confitendo procuratorio nomine dicti Regis, quod idem Rex regnum prædictum sub ipsis modis, conditionibus, & conventionibus in feudum receperat: ipsosque modos, conditiones, & conventiones dicto nomine observare per omnia promiserunt, prout super iis plenam ab eodem Rege receperant potestatem, sicut de hujusmodi potestate constabat per instrumentum publicum, dicti Regis sigilli munimine roboratum.

Admissa a Pont. regia officia ac promissa.

Nos itaque hujusmodi vasallagium, ligium, & homagium, recognitiones, & promissiones facta & juramenta præstita a dictis sacrista & Petro milite procuratoribus dicti Regis nomine, ut præfertur, de prædictorum fratrum nostrorum consilio acceptamus. Tenores autem literarum ejusdem Regis, & instrumentorum prædictorum exhibitorum nobis ex parte ipsius, ut supertus continetur, præsentibus inseri fecimus, qui tales sunt: Sanctissimo ac reverendissimo in Christo patri ac domino, domino Clementi divina providentia sacrosanctæ Romanæ, & universalis ecclesiæ summo Pontifici, &c. Affert Jacobi literas superiori anno Perpiniani exaratas, quas nos suo loco attulimus. Quibus expositis adducit ejusdem Regis diploma Valentiæ x. kal. maii hoc anno exaratum, quo oratoribus devinciendæ sacramento Pontifici fidei provinciam contulerat, eoque recitato subiicit: *Nulli ergo omnium hominum liceat hanc paginam nostræ acceptationis infringere, &c. Si quis autem, &c. Datum Burdegalæ v. kal. junii anno* I. Ut vero Jacobus Rex Sardiniam & Corsicam ex invasorum manibus eriperet, vectigalium ecclesiasticorum, quæ in terris Regi obnoxiis perciperentur, decimas in iis regnis, quibus potiebatur, ad biennium ipsi attribuit (*a*).

Datæ ei pro comparanda Sardinia decimæ. (*a*) *Lib. 1. ep. com. 140.*

XII.

Permoverat Pontificem, ut in literis IV. non. jul. eo argumento conscriptis constat, ea ratio ad ecclesiasticas opes insumptus pro Sardinia & Corsica recuperandis convertendas, ut Jacobus eo regno auctus potentiam suam veluti classis Christianæ præfectus major terrore adversus Saracenos explicaret: agitasse enim eum de perditis Syriæ rebus instaurandis consilia, demonstrant inter cætera literæ ad Hospitalariorum equitum magistrum datæ (*b*), quem veluti transmarinarum rerum peritissimum ad sedem Apostolicam, ut ea de re cum ipso, ac Templariorum ordinis principe conferret, excivit. Urgebant enim Clementem Cypri & Armeniæ Reges, ut orientali ecclesiæ in periculum a Saracenis adductæ opitularetur. *Nos*, inquit, *movent non modicum ad prædicta, quam citius commode poterimus, exequenda illustrissimorum Regum Armeniæ atque Cypri, quibus compatimur toto corde, præsidia postulata: propter quod confiderare compellimur aliquas certas vias ad ipsum negotiam promovendum, super quibus tecum & cum dilecto filio magistro domus militiæ templi; de quorum circumspecta probitate, & probata circumspectione, ac vulgata fidelitate fiduciam obtinemus; deliberandum de fratrum nostrorum consilio decrevimus & tractandum: præsertim quod tu & ipse de præmissis viis, negotiis, atque factis, & cunctis circumstantiis eorumdem propter locorum vicinitatem, longam experientiam, & meditationem diutinam melius quam cæteri consulere poteritis quid agendum: & quia negotium ipsum principaliter quam cæteros post nos & Romanam ecclesiam, vos contingit.* Et infra: *Mandamus, quod ad veniendum te pares quanto secretius poteris bono modo, & quod quanto pauciores poteris tecum adducas, de iis, qui ad pugnandum & resistendum inimicis terramque illam sunt habiles guvernandi, cum citra mare poteris tui ordinis socios invenire, atque sic provisos, sic probatos & probos, pro te & terræ defensione, ac gubernatione vicarium, militesque tui ordinis, & alios utiles & necessarios pro te in terra illa dimittas, quod terræ illi ex absentia tua, quæ non longa erit, Domino concedente, nullum possit periculum imminere. Aliquos tamen tecum adducas, qui experientia, discretione, ac fidelitate pollentes tecum nos dirigere valeant in agendis. Dat. Burdegalæ* VIII. *id. junii.* Egregiam hoc tempore virtutem bellicam Hospitalarios equites adversus Turcas in insulæ Rhodi oppugnatione, quam demum post conferta plura annis quatuor gravissima prælia in suam redegere potestatem, explicuisse docet Bernardus his verbis (*c*): *Anno Domini MCCCVI. Hospitalarii cum exercitu Christianorum oppugnare cœperunt insulam Rhodi cum circumadjacentibus insulis circiter quinque, quæ ab infidelibus Turcis, qui illas inhabitabant, sub dominio Imperatoris Constantinopolitani. Ceperunt autem statim ab initio aliquas insulas & castella, steteruntque in pugna & conflictu obsidentes pariter & obsessi annis quatuor contra Turcos, & obtinuerunt finaliter Christiani.* Conjunxisse adversus infideles arma nonnullos Templarios ex Pontificiis literis encyclicis ad Reges, præsulesque datis idibus aprilis colligitur, quibus significavit Clemens Hymbertum Blanco equitum Templariorum in Arvernia præceptorem, ac Petrum de Leugres Massilienſem patritium, zelo defendendi Christiani nominis incitatos, gerendi in Saracenos belli provinciam ab sede Apostolica accepisse; quos propterea, ut studiis suis complecterentur, hortatus est: quibus etiam conceptum animo restituendæ Christi cultui Palæstinæ ardorem his verbis aperuit: *Terram sanctam, quam unigenitus Dei filius Dominus Jesus Christus, patrimonium sibi & hereditatem elegit, conspicientes feritate infidelium immaniter lacerari, & coinquinatorum pedibus conculcari, acerbas sentimus in corde punctiuras, quasi nostris visceribus lacessitis: ideoque vias & modos solerter exquirimus, quibus eidem terræ nostro cooperante ministerio, possint opportuna subsidia, donec tempora feliciora successerint, provenire.* Confirmavit aliis literis Hymbertum Blanco Templariorum præceptorem ac Petrum de Leugres prænobilem Massilienſem in susceptо consilio, quos fortiter adversus Saracenos bellum aggredi solicitavit (*d*).

(*b*) *Lib. 1. ep. 1. pag. 176.*

Molitur Clemens in Syria Christianam rem instaurare.

Armeniæ, & Cypri Reges oppressi a Sarac. Pont. opem implorant.

Hospitalariorum magistrum ad se evocat Pont.

Hospitalarii Rhodi oppugnationem aggressi.

(*c*) *Bern. in chron. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sign. n. 3765.*

Tenuit illa annos quatuor.

Nonnulli Templarii cum Hospit. arma jungunt.

(*d*) *Reg. post eand. ep. 176.*

Erexit eodem tempore Clemens orientales Christianos, quos finitimi Saraceni occidentalium ope destitutos continuis excursionibus, de quibus Jordanus (*e*) meminit, lacessebant: inter quos Leonem

XIII.

(*e*) *Jord. MS. chr. Vat. bibl. sign. n. 1960. c. 23.*

Armeni a Sarracenis bello appetiti.

Regem Armeniæ [1], ejusque patruos, qui bellum assidue gerebant cum infidelibus, ad induendos altiores animos excitavit: de ornanda enim occidentalium expeditione agi, atque interea vere proximo aliquot egregie instructas copias auxiliares ad eos trajecturas.

(a) Ext. apud Vvad. to. 3. hoc an. n. 26. ex Vat. reg. hujus an.

Venerabili (a) fratri Gregorio patriarchæ & charissimo in Christo filio Leoni Regi Armenorum illustri, nobilibus viris, fr. Joanni ordinis Minorum gubernatori terræ Armenorum dictorum, Uxiano & Almacho patruis Regis ejusdem.

*Sicut primo per venerabilem fratrem nostrum Constantinum archiepiscopum Mamistan. & deinde per dilectos filios magistrum Joannem Antiochen. & Colozanum & Ægidium nuncios vestros accepimus, te charissime fili Rex, regnumque tuum graviter inimici Crucis infestant, illudque hostilibus aggrediuntur incursibus &, quod absit, moliuntur suæ ditioni subiicere, funestis fœdare ritibus inhiant, nefarii *.. secta inficere satagunt, & impuris suis legibus profanare nituntur; laboribus vestris compatimur, in vestris vobiscum adversitatibus condolemus, in horum auditu terribili tinnitunt aures, tremunt viscera, & animus noster horret, turbatur in turbationibus vestris, in filiorum nostrorum timemus pavoribus, & in exultationibus hostium contristamur: contra hæc per generale passagium providere cupimus, intentio nostra versatur, idque futurum, Domino favente, speramus. Sed quia hoc dilatationem ex aliqua causa posset forsan recipere, ad præsens de aliquo, in vere autem proximo de alio convenienti & particulari subsidio vobis & regno prædicto, Deo auctore, putavimus succurrendum. Vos igitur confortamini & estote robusti, in bello fortes existite, cum antiquo serpente viriliter pugnaturi. Dat. Burdegalæ* VI. *non. julii.*

Eorum calamitatibus moveri se Pont. significat. * Mahometis.

Auxilia vere proximo pollicetur. Confirmat ad constantiam.

(b) Jord. chr. MS. Vat. sign. n. 1960. De Joanne Aytono.

Cæsos magna strage ab Armenis Saracenos proximo anno ex Jordano (b) visuri sumus. Cæterum de Joanne Leonis Regis patruo addenda videntur, quæ de eo refert S. Antoninus, (c) illum nimirum jam ante gessisse sceptrum Armeniæ ac nepoti Leoni transmisisse, ut divinis ex Franciscana disciplina vacaret, ac demum in tuenda fide sanguinem fudisse. *Rex*, inquit, *Armeniæ Joannes dimisso regno nepoti suo Leoni ex magna devotione ordinem Minorum intravit, sed quia contra regnum infideles Turci insurgebant, & dictus Leo resistere eis non valebat, zelo fidei succensus arma cum habitu suo assumpsit & infideles quamplurimos fugat & prosternit, demum ab infidelibus occisus fuit.*

(c) S. Ant. 3. p. tit. 24. c. 9. §. 13.

XIV. Patriarc. Hier. crucem induit.

Dum parantur pro Armenis auxilia, professus est inter cæteros religiosam militiam, accepto crucis symbolo, Antonius Dunelmensis episcop. idemque patriarcha Hierosolymitanus superiore anno a (d) Clemente ea dignitate exornatus: cujus eximium zelum Pontifex commendavit, (e) ac tum ipsius sociorumque bona, dum in oriente ageret, in clientelam apostolicam adscivit; ornavit etiam pluribus aliis prærogativis, ut extra provinciam pallio uteretur. Cumque Dunelmensis episcopatus causa Eboracensi archiepisc. obnoxius esset, ne ab illo jura petere teneretur sanxit. Præterea eidem patriarchæ provinciam imposuit, (f) Glasguensem episcopum, quem ad sedis Apostolicæ tribunal se sistere jusserat, si imperia respueret, in custodiam traderet: si vero itineri se accingeret, liberi & tuti commeatus syngrapham ab Eduardo Rege ipsi obineret. Ea porro causa Clementem ad exercendam severitatem ecclesiasticam in Glasguensem permoverat, cum is quæ Romano Pontifici reservata erant, temere sibi arrogaret: *Quis tuta*, inquit, *conscientia sine offensa Dei tacere aut dissimulare valeret tantam præsuntionis arrogantiam, ut quæ solus Romanus potest Pontifex, inferior contra fas & licitum divina & humana jura usurpet, & in contemptum Dei, nostrum & Rom. ecclesiæ dedecus inauditam exempli perniciem usurpare ni-*

(d) Vvest. flor. hist. ad an. 1305.

(e) L. 1. ep. 155.

Dunelmen. episcopatum gerere præmissus.

(f) Lib. 1. to. 2. post ep. p. 72. Glasguensis episcop. judicio a Clem. postulatus.

tuitatur, ac falso & temerarie sibi vendicare conetur? Solus summus sacerdos Aaron, cujus Rom. Pontifex typum gerit, intrat in sancta sanctorum, solus perscrutatur & tractat, quæ intra sancta sanctorum sunt a Deo, ut Domini voce jubeat Moyses, ut si quis exterius ad perscrutandum & pertractandum accesserit, moriatur, &c. Imponit archiepiscopo Eboracensi provinciam, ut Glasguensem episcopum omni ecclesiæ tam in iis, quæ ad divina, quam quæ ad humana spectant, administratione submoveat, jubeatque intra mensem sedi Apostolicæ se sistere, ut quæ justitia suaserit, imperia capessat.

Cantuarien. arch. in crimen apud Clement. vocatus. (a) Vvest. flor. hist. hoc ann.

Vocatum etiam hoc tempore apud Clementem in judicium Robertum Cantuariensem archiepiscopum, ac pacis perturbatæ atque aliquorum perduellionis defensæ crimine oneratum Westmonasteriensis (a) docet: profectum itaque Anglia Burdegalam ad causam dicendam se contulisse, ac munere pontificali abstinere jussum, donec impositum crimen a se depulisset. Verum ipsum ob ecclesiasticam libertatem, quam Eduardus in pluribus labefactabat, generose contra regiam potentiam defensam in invidiam & odium adductum, calumniisque circumventum ex Harpsfeldio (b) colligitur, unde biennio post pristinæ dignitati bonisque est restitutus.

(b) Harpsfel. hist. eccl. Angli 13. sæcul. c. 9.

XV. (c) Vvest. flor. hist. Vvalsing. in Eduar. Boeth. Scot. hist. l. 14. Robertus Brusius rebellionem in Eduar. movet. (d) Georg. Buchan. l. 8. Qua arte regiam severitatem eluserit. Cumeinum in loco sacro confodit. Anglos bello aggressus prælio gemino vincitur.

Interea cum Eduardus (c) senior Robertum archiepiscopum a Cantuariensi sede exulare cogeret, Robertus Brusius in eum, affectato Scotiæ regno, rebellionem movit, quam defectionem divinæ in Eduardum vindictæ nonnulli vertere. Admirationi sane plerisque fuit (d) Eduardum qui rebellionis meditatæ certior factus a Joanne Cumeino, consiliorum Roberti participe, qui ipsas etiam Roberti literas rei indices miserat, adeo imminens periculum neglexisse, ut Robertum custodiæ non traderet. Is enim acceptis literis, quas diligentius inspectas adulteratas probaturum sequenti die contendebat, libertati permissus contentis itineribus, inversis equorum ferreis soleis ne vestigia dignoscerentur, in Scotiam se proripuit, atque Joannem Cumeinum apud Dumfrens IV. id. februarii in choro Minoritarum tum forte agentem, proditæ fidei increpitum gladio confixit, quem repetitis vulneribus socii confecere. Inde ea cruentatus cæde Sconam profectus mense aprili hujus anni regale diadema, quod sibi hereditario jure debitum, adjudicatumque ab Eduardo perperam Joanni Baliolo contendebat, sumpsit; collectisque raptim copiis, ad deturbandos Scotia Anglos se accinxit. Verum ab Eduardi ducibus gemino prælio deletus magna suorum strage, quorum toto regno publica cædes & proscriptio fiebat, in silvas & antra compulsus (e) est.

(e) Vvest. Vvalsing. Boeth. Buchan. ubi sup.

Hoc etiam anno, ut narrat Jo. Magnus archiepiscopus Upsalensis (f) Suecia intestino bello implicita est: exeunte enim septembri Birgerus Rex ab Erico & Waldemaro fratribus, quorum odia male sopita erant, conflata conjuratione, una cum uxore & filiis, excepto primogenito Magno, qui ad Ericum Regem Daniæ avunculum a fidissimo famulo humeris traductus est; tum etiam cum Nicolao episcopo Arosiensi ac viginti duobus proceribus interceptus est, ac Gothiæ Sueciæque imperium fratribus permittere coactus, claususque arce Nicopensi. Inde atrox bellum exarsit, cum duces Sueciam & Gothiam unius anni flexu sibi subjecissent, Ericus vero vinctum Regem pristinæ libertati ac dignitati asserere niteretur.

(f) Magn. Goth. Sueonum hist. l. 20. c. 17. Albert. Krant. l. 5. c. 26.

XVI. Wenceslaus III. ex infidis cæsus.

Non minoribus malis Boemia involuta, quam Suecia, hoc anno luxit cæso Wenceslao III. Boemiæ Rege in procinctu Polonicæ expeditionis, dum exutis ob æstum ad lineam tunicam vestibus in conclavi obambulabat. Cujus nece funesta perditæ vitæ respondente, regnum in civiles fluctus conjectum est, concertantibus Boemis de eligendo Rege: denique in Henricum ducem Charinthiæ, qui Annam Regis defuncti sororem duxerat, germanorum odio consenserunt. Sed Albertus Romanorum Rex filio duci Austriæ, pulso Henrico, regnum armis comparavit. Quibus de rebus hæc Siffridus: (g) *Rex Boemiæ Vvenceslaus III. nondum coronatus, occisus est fraudulenter a quodam milite, procurantibus quibusdam baronibus regni sui. Hic cum esset adolescens vix sexdecim annorum & noviter duxisset filiam cujusdam ducis Poloniæ in uxorem, eodem anno nuptiarum sic miserabiliter peremptus est, non relinquens heredem regni. Tunc barones dicti regni elegerunt sibi Regem ducem Carinthiæ sororium scilicet præfati Regis occisi, inconsulto tamen Rege Romanorum, cujus interest conferre jam dictum regnum. Igitur Rex Romanorum Albertus forti manu intravit in Boemiam, & constituit ibi Regem filium suum Rodolphum ducem Austriæ, dans ei uxorem Reginam Boemiæ, videlicet Elizabetham Regis Vvenceslai II. viduam. Sic ergo regnum Boemiæ ad Theutonicos translatum est.*

Dux Charint. a Boemis Rex eligitur.

Rodulphus filius ab eo Rex Boemiæ constitutus.

(g) Siffr. ep. l. 2. Pellitur ab Alberto Rege Rom.

His consentanea scribit Dubravius (b), qui addit Wenceslaum perditorum morum fuisse, ac juvenili insania regia bona in helluones & compotatores profudisse, pluresque arces vili pretio distraxisse, deinde non refuso pretio repetere voluisse: ad quod ut adigeret proceres, in eorum conspectu collocatis ordine pluribus ollis, singulas bacillo confregisse, unumquemque suo nomine cientem, insultantemque: *Redde Regi quod regium*

(b) Dubrav. hist. l. 19. Ut Wenceslaus in se conjuratos eferarit.

est,

NOTÆ [1] Pauca hic annalista de Armenis, quorum tamen res ad ecclesiasticos annales pertinentes multæ suppetunt. Ut defectum hunc suppleam animadvertisse juvat, Armenos, quamquam diu ante Eccl. Rom. fidem & primatum agnoverunt, nunquam tamen ad id usque synodo aliqua celebrata publicum confessionis suæ documentum exhibuisse. Hujus rei gratia Ayton, qui ex Armeniæ rege monasticum cucullum S. Francisci induerat, Leoni filio suo Armeniæ regi author fuit, ut synodum Siscam, vel Sisim, quæ Regni Metropolis erat, indiceret, idque a Patriarcha vel Catholico eorum mandatum fuit executioni die XIX. martii anni sequentis. In eo magno eruditionis molimine Romana fides asserta, & confirmata est. Episcopi omnes excepto Catholico, qui ante finem concilii objerat, subscripti leguntur synodi actis, quæ ex Galano recitantur, in suprema Conciliorum collectione Veneto-Labbeana to. XIV. col. 1379. Armeni non tamen omnes, Romanam fidem susceperunt; soli enim Armeniæ inferioris seu Ciliciæ Episcopi, qui Catholico Ciliciæ parebant, resipuerunt. Cæteri vero Armeniæ superioris, qui in Archiepiscopis (quos & Catholicos appellant) dispescebantur duos, nempe in Alnacensem, & Archamarensem pristinis erroribus inhæserunt. Errores vero hos tuebantur: Christum, Deum licet & hominem agnoscerent, unam tamen naturam referre statuebant; Chalcedonense concilium reiiciebant; neque primatum Papæ agnoscebant. Hæc omnia erui ex actis concilii Armenorum anni MCCCXLII. vulgatis in collectione Martenii to. VII. MANSI

est, alioqui tergiversanti caput ad hunc modum comminuetur; ac plurium odium, quos ea res afficiebat, sibi conflasse. Regnasse porro duobus tantum annis affirmat ab obitu patris, atque adeo cum Wenceslaus senior superiori anno obierit, filii interitum in sequentem conjecisse videtur. Verum certissime constat, antequam Clemens literas apostolicas ad confirmandum Carolo Regis Siciliæ nepoti Ungariæ regnum anno sequenti IV. id. augusti exararet, fuisse defunctum, ut iisdem literis suo loco afferendis Pontifex testatur (*a*).

(*a*) *Lib. 2. ep. 302.*

XVII. Poloni in creando principe divisi. (*b*) *Mich. l. 4. c. 6. Crom. l. 11.*

Ex hac vero Wenceslai morte non modo in Boemia, ut diximus, verum in Polonia, cujus regios titulos sibi vendicabat, magnæ rerum conversiones secutæ: (*b*) Wladislaus enim Locticus, qui post Wenceslai senioris mortem Cracoviensem principatum, Boemis dejectis, receperat, ac juniore Wenceslao in Polonicæ expeditionis conatu cæso, molimina omnia ad regnum recuperandum convertit. Congregati vero ad comitia Poloni, Boemorum Regum excusso jugo, e Polonica gente principem sibi constituere aggressi *sunt, sed studiis discrepantes, alii* majori numero Wladislaum sibi præfecere, alii ut Posnanienses & Calissienses Henrico duci Glogovienſi se subjecere; cui Wladislaus bellum intulit, progressusque in Pomeraniam, eam suæ ditioni adjunxit: in qua tamen postea magnæ defectiones secutæ, bellorumque ingentium semina pullularunt.

Henricus spoliatæ ecclesiæ Trident. regno spoliatus pœnas dedit.

Quod ad Henricum ducem Charintiæ spectat; non sine divinæ justitiæ exemplo adepto Boemiæ regno depulsus est, qui parentis ac fratrum pernicioſis exemplis subornatus, Tridentinam ecclesiam suis juribus exuerat: Maynardum enim ducem Charintiæ, Tirolique comitem una cum filiis Othone, Ludovico, & Henrico censuris sæpius ab Romanis Pontificibus ob invasa Tridentini episcopi jura vidimus: qui cum interceſſore Alberto Rege concordiæ spem injeciſſent, Clemens Bartholomæo episcopo Tridentino ea lege relaxandarum pœnarum auctoritatem contulit, (*c*) ut erepta ecclesiæ restituerent, iisdemque pœnis forent irretiti, cum eodem crimine se devincirent.

(*c*) *Lib. 1. to. 2. p. 126.*

XVIII. Synodus Coloniæ a Petro archiep. congregata. (*d*) *Ext. act. in Collect. synod. Col.*

Hoc anno Henricus archiepiscopus Colonienſis pastorali munere egregie functus, synodum coegit (*d*) adversus Beguardos, qui fallaci religionis specie scelera omnia exercebant. Apostolorum nomen ii sibi arrogabant, ut eo fuco simplicibus illuderent, quam sectam jam ante a summis Pontificibus damnatam vidimus: religiosorum vero retento cultu, contra apostolicas sanctiones veteribus flagitiis fœdas hæreses adjunxerant, jactabantque puros se ab omni crimine, nec nisi ipsorum sectæ socios salutem posse adipisci: matrimonium crimini, fornicationem virtuti dicebant, conjuges altero etiam invito sequendi Dei causa segregare se posse, & quod horrorem cogitanti incutit, cœleste & æternum Numen perditioni obnoxium effutiebant. Quos nefarios errores cum synodus Colonienſis confutasset, hujusmodi impios mares ac feminas religiosum illum cultum ponere, labore manuum, non mendicitate sustentare vitam intentato anathemate jussit, ac mensis unius excurrentis spatio, ni parerent, constitutas in hæreticos leges in eos exercendas pronuntiavit. Porro alius Beguardorum errores in concilio Viennensi damnatos dicemus.

Damnati Beguardi & eorum errores.

Traductus est hoc anno, vel proximo incunte (quo Clementem ancipiti morbo laborasse visuri sumus) e Basilienſi sede ad Moguntinam Petrus Aichspadius, vir ingentis virtutis, qui magna exempla in gerendo episcopatu, revocandisque amissis ecclesiæ juribus explicuerat: commendatusque a Clemente clero Moguntino, tum Alberto Regi Romanorum pontificiis literis, quibus (*e*) eum fecit certiorem, creatum ideo Petrum non expetitis canonicorum suffragiis, quod Bonifacius etiam adhuc superstite Gerardo archiepiscopo sanxisset, præficiendi Moguntinis archiepiscopi jus sedi Apostolicæ reservatum (*f*). Ferunt ipsum ad eam dignitatem improviso casu evectum, missum nempe ab Henrico comite Lucemburgenſi, ut Balduinum fratrem ad ecclesiam Moguntinam promovendum curaret apud Clementem, sed ob imparem tanto muneri Balduini ætatem repulsam passum. Dum itaque reditum parabat, implicitum fuisse adversa valetudine Clementem, cumque Basilienſem episc. medica arte, quam olim erat professus, excellere accepisset, ipsum curandæ valetudini adhibuisse, illique brevi restitutum, ut gratiam reponeret, eumdem Petrum in Moguntinam sedem extuliſſe, addita hac voce: *Quia tam felix esset corporum curator, maxime convenire, ut & insignis constituatur animarum pastor, curator, & medicus.* Concepit inde Henricus Lucemburgenſis graves iras in Petrum, sed is postea Henricum ad imperium Romanorum excitavit, (*g*) ut suo loco dicetur.

Petrus Basil. episcop. ad sedem Mogun. translatus.

(*e*) *Clem. l. 1. ep. com. 53. & post eand. ep.*

(*f*) *Seran. Mog. rer. l. 5. in Petro Trithem. in chron. Hirsaug. Annal. archiep. Mogunt.*

Liberata est Gallia eodem anno magna lue, damnatis nimirum perpetuo exilio Judæis, quos etiam spoliatos bonis omnibus Philippi Regis jussu fuisse scribit Jordanus (*h*): *Anno*, inquit, *MCCCVI. in festo Maddalenæ fuerunt capti omnes Judæi & expulsi, confiscatis eorum bonis in regno Franciæ.* Eadem Bernardus (*i*) & alii tradunt, eaque arte Rex magnas opes cumulavit. Interea restituendæ in Galliis pristino splendori Aurelianensis academiæ cupi-

Restitutæ Clementi valetudinis ergo ea dignitate auctus.

(*g*) *Albert. Muſſat. l. 1. c. 1.*

Judæi regno Francorum pulsi.

(*h*) *Jord. chr. MS. Vat. bibl. sig. n. 1960.*

(*i*) *Bern. chr. Reg. Franc. Geneb. in chron. & alii.*

Invadit eorum spolia Philippus Rex. (*h*) *Lib. 1. to. 2. ep. 263. Geneb. in chron.*

cupidus Clemens, pluribus privilegiis ipsam exornavit, suique in illam singularis studii cautam hanc attulit (*a*): *Quod nos olim*, inquit, *essentiam minoris status habentes legendi & docendi in legibus scientia decoravit. Dat. Lugduni VI. kalend. febr.*

Augustinianis se addicit.

Hoc anno ad immortalitatem (*b*) evolavit S. Nicolaus Tolentinas, cujus vitæ exordia, exitusque miraculis claruere. S. Nicolai enim Myrenſis episc. meritis sterilibus parentibus datus, virtutemque cum ipso lacte suxisse visus, cœlestibus beneficiis adeo ornatus est, ut puer inter divina mysteria (*c*) Christum in sacra Eucharistia conspiceret. Postea Eremitarum S. Augustini sacra instituta amplexus omni virtutum genere, multisque cœlestibus prodigiis efloruit. Demum piorum laborum præmia in cœlo adepturus felicissimum mortis genus obiit, quod S. Antoninus his describit (*d*) verbis: *Per sex menses ante obitum ejus omni nocte ante matutinas auribus corporalibus cantum angelicum eum Dominus faciebat audire, & cum esset in ultima ægritudine, quid invisitantes eum a diversis languoribus sanati sunt.*

Audit concentus angelicos.

Morti appropinquans, vocatis fratribus, sic eos alloquitur: Quamvis nihil mihi conscius sim, tamen non in hoc justificatus me esse sentio, seu cognosco, & ideo si quem læsi, si in aliquo quempiam offendi, vos ipsi judicate, & delictis parcite, ut dimittantur & vobis delicta vestra. A priore petiit absolutionem, & omnia ecclesiæ sacramenta, quæ devotissime suscepit. Deinde rogavit, ut crux poneretur ante oculos ejus, ut continue aspicere posset eam. Salutans & multipliciter se ei commendans, exhilaratusque ait: Dominus meus Jesus Christus, sicæ matri inhærens & beato Augustino, mihi dixit: Euge serve bone & fidelis intra in gaudium domini tui. Demum orantibus fratribus, directis oculis ad crucem ait: In manus tuas Domine commendo spiritum meum; sicque anima sancta feliciter in cœlum evolavit. Post mortem ejus & sepulturam multa miracula ad invocationem nominis ejus facta sunt, cœci multi illuminati sunt, claudi plures erecti sunt, surdi auditum receperunt, loquelam muti non pauci, & quod maximum est, sex mortui resuscitati per merita ejus, quorum nomina & loca & modus describitur in legenda ejus, sed ob brevitatem dimitto. Captivi quidam carceres evaserunt, alii in mari naufragium. Institui de iis miraculis sacrum examen Joannes XXII. & Innocentius VI. jussere, ob quorum splendorem ac numerum decursu temporum auctum Eugenius IV. solemni ritu ecclesiastico sanctorum honores insigni diplomate (*e*) illi decrevit.

Recreatur cœlestibus visis. Post mortem miraculis effulget.

Confecrata ejus memoria ab Eugenio IV.

(*e*) *Ext. in bullar. in Eug. IV.*

I. Præcipuæ res hoc anno gestæ.

DIgressus Burdegala Pictavium Clemens anno salutis millesimo trecentesimo septimo, quinta indictione, ubi Francorum, Navarræ & Siciliæ Reges, Flandriæ comes & Carolus Valesiorum dux gravissimis de rebus colloquium habituri ipsum convenere, Andronicum Græcorum Imperatorem anathemate perculit, Ungariæ regnum Carolo adversus ducem Bavariæ adjudicavit, Francos inter & Anglos arctius fœdus astrinxit, Flandricam pacem confirmavit, celebrandæ synodi œcumenicæ consilium iniit, plures episcopos ad Tartaros religione Christiana excolendos transmisit; denique Philippum, Ludovicum & Carolum Reges, qui ipsum adierant, amplissimis studiis beneficiisque est complexus. Quæ singula antequam percurramus, celeberrimi illius conventus cum iis Regibus principibusque habiti historia illustranda est. Sane Joannes Villanus, (*a*) Bernardus, (*b*) & S. Antoninus (*c*) Pontificem Burdegala hoc anno Pictavium [1] concessisse consentiunt: quam profectionem nonnullæ confirmant apostolicæ literæ, ascripta est enim decimæ septimæ dies x. kal. martii apud Pessacum Burdegalensis diœcesis, atque undecimæ adjecta VII. idus martii dies Metali Pictavensis provinciæ; eoque Philippi Regis Francorum precibus adductum Clementem ex Villano S. Antoninus refert his verbis: *Ipso anno scilicet MCCCVII. mense junii, cum Papa Clemens ad instantiam Regis Franciæ cum curia sua ad civitatem Pictaviensem advenisset, ipse Rex Franciæ Philippus cum tribus filiis suis & domino Carolo Valesiano & Loysiis alias Ludovicis germanis suis, & multis baronibus suis, ac cum comite Flandriæ cum suis filiis & fratribus venerunt ad illam civitatem.*

(*a*) *Jo. Vil. l. 8. c. 91.* (*b*) *Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sign. n. 3765. in Clem. V.* (*c*) *Ant. p. 3. tit. 21. c. 1. §. 1.* Clemens e Burdegalensi secessu Pictavium petit.

Accessit etiam ad hos conventus Carolus Siciliæ Rex, ut ex literis Pontificis (*d*) liquet. Neque Eduardi Regis Anglorum oratores defuere, cum is Scotico bello implicitus esset. Hunc vero Regum cum Pontifice congressum ad instaurandam in Syria rem Christianam celebratum testatur Aytonus (*e*) Regis Armeniæ consanguineus, qui missos ob id a Carbanda Rege Tartarorum oratores refert, rogatusque a Pontifice, ut de Syriacarum ac Tartaricarum rerum statu scriberet, Nicolao Falconi pontificio interpreti historiam, quæ typis cusa est, dictavit; suumque de concicienda Asiatica expeditione consilium exponit, de quo in præfatione hæc habet: *Non habuissem audaciam consulendi super tam arduo negotio nisi de mandato vestræ sanctitatis processisset, quæ postquam ascendit solium pastorale provisione divina, toto mentis affectu studuit procurare, qualiter illa sancta civitas Hierosolymitana Christi cruore respersa de servitute infidelium eripi valeat, & reduci ad pristinam libertatem: & ob hanc causam Reges & principes Christianos in statu pacifico reformatos per gratiam Jesu Christi ad suum consilium revocavit, ut super his concilium fiat, & adhortatio pro subsidio terræ sanctæ.* Ad libri vero calcem expeditionis suscipiendæ vindicandæque de Saracenorum manibus Palæstinæ tempus appetiisse subjectis argumentis adstruit (*f*).

(*d*) *Clem. l. 2. ep. cur. 23.* Accedit ad illud Carol. Rex Sicil. Agitatum in eo de recuperanda Syria.

(*e*) *Ayt. in præf. hist. Clem. l. 3. ep. com. 624.* Aytonus Pontificis jussu orientalem histor. scribit.

Primo enim concessit nobis omnipotens & misericors Deus pastorem, & patrem sanctissimum, qui postquam sedit in sede pontificatus provisione divina, toto mentis affectu diu noctuque anxie cogitavit, qualiter terræ sanctæ subsidium valeat impertire, qualiter sepulcrum Domini valeat liberari a servitute inimicorum, blasphemantium nomen Christi. Et infra: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quo adeo firmiter demonstratur, quod terra sancta debeat liberari de potentia inimicorum; nam per gratiam Jesu Christi omnes Reges & principes Christiani, & communia inter se sunt in statu pacifico & quieto, nec aliqua procella odii, vel scandali perturbantur, sicut olim fieri consuevit; unde Deus omnipotens hoc nobis demonstrat, volens terræ sanctæ misericorditer opitulari. Præterea omnes Christiani diversarum partium, & regnorum fide, ac devotione accensi parati sunt tam humeris, quam cordibus figere signum crucis, & ad terræ sanctæ subsidium transfretare, non parcendo laboribus, nec expensis, & pro nomine Jesu Christi exponere se & sua viriliter & ferventer.*

(*f*) *Ayt. c. 55.*

III. Datum ab eo ad suscipiendum bellum sacrum consilium.

Ecce nunc tempus acceptabile, quod Christianis a Domino demonstratur: nam potentia inimicorum fidei Christianæ est ad præsens

NOTÆ [1] SI vera sunt, quæ de literis Pontificis ad Philippum scriptis in causa Dulcini in nota superiori scripsi, adventus Pontificis Pictavos ad mensem aprilem anticipandus est, quod & congruit cum literis Clementis ad Philippum, legendis apud Baluzium de vit. Papar. Avenion. tom. II. col. 96. quibus illum certiorem facit se eo perventurum *infra sex* vel septem dies mensis Aprilis. Ex quo corrigas continuatorem Nangii, qui Pictavos venisse Pontificem martio mense scribit. Colloquium vero Pontificis cum Regibus eo accitis circa Pentecosten hujus anni factum ex Continuatore Nangii discimus. MANSI

De Saracenorum debellata potentia.

sens mirabiliter diminuta tum propter guerras Tartarorum, cum quibus nuper bellando passi fuerunt conflictum, in quo Saracenorum innumerabilis cecidit multitudo, quæ nondum potuit restaurari; tum præterea quod ille soldanus, qui regnat hodie in Ægypto, est homo nullius valoris, & nullius penitus bonitatis. Est etiam aliud, quia omnes principes & soldani Saracenorum, qui consueverunt impertiri subsidium & juvamen soldano Ægypti tempore opportuno, totaliter defecerunt per potentiam Tartarorum, quod non remansit nisi unus, qui dicebatur soldanus Meredini, cujus etiam posse, & dominia redacta sunt sub servitute & potentia Tartarorum, & ipse personaliter est detentus: unde his temporibus absque magno discrimine & labore poterit recuperari terra sancta, & acquiri regnum Syriæ & Ægypti, ac totaliter destrui ac confundi potentia inimicorum impiorum facilius per gratiam Jesu Christi, quam fieri potuisset multis temporibus jam elapsis. Ecce nunc tempus acceptabile Christicolis a Domino demonstratum, nam Tartari offerunt se paratos Christianis dare subsidium & juvamen toto posse contra perfidos Saracenos; & ob hanc causam Rex Tartarorum Carbanda speciales nuntios destinavit, qui fratris sui Casani vestigiis inhærendo, offert se exponere libentissime posse suum ad subversionem & totalem destructionem inimicorum nominis Jesu Christi. Et tempore quidem isto cum auxilio Tartarorum terra sancta recuperari posset, & regnum Ægypti absque magno discrimine faciliter subjugari. Deceret igitur Christianos dare subsidium terræ sanctæ & absque tarditate. De propagata inter Tartaros Christiana religione, utque ab ea etiam Carbandas ad superstitionem Mahumeticam defeciverit, memorant auctores. Nunc de agitatæ Asiaticæ expeditionis consiliis institutam orationem prosequamur.

Missi a Carbanda Rege Tartarorum oratores ad jungenda cum Christianis arma.

IV. Obstrinxit se ad ea perducenda inter alios Reges Carolus II. Siculus, qui Hierosolymitani regni titulos gerebat, vel unum e filiis missurum spopondit, sive ad comparandam ferro Syriam, seu partam Tartarorum armis recipiendam, ut constat e literis, quibus illum Clemens ingenti auri vi, qua Rom. ecclesiæ devinctus erat, liberavit (*a*): *Convenisti & promisisti*, his Carolum compellat Pontifex, *quod quando passagium generale fiet pro recuperatione terræ sanctæ, tu in propria ibis persona, vel unum de filiis tuis mittes: quod si tu, quod absit, prius rebus solveris humanis, heres tuus regni Siciliæ personaliter perget, vel unum de fratribus, aut filiis suis in hujusmodi passagium destinabit. Et sive tu personaliter vadas, vel filium tuum mittas, sive dictus heres tuus vadat, aut fratrem, vel filium suum mittat, duces tu vel ille de prædictis, qui ibit, trecentos armatos equites equos phaleratos habentes, ita quod habeat quilibet eorum tres equos, & eosdem equites ibi tandiu tenebis, sive tenebit, heres tuus præfatus quamdiu durabit ipsius passagii prosecutio generalis; & post etiam, terra ipsa, vel parte ipsius acquisita, pro illius custodia equites ipsos tandiu tenebis, aut heres tuus jam dictus tenebit ibidem, quamdiu ecclesia utile reputabit usque ad complementum dictorum reliquorum debiti supradicti; quodque in ipso generali passagio, & prosecutione illius quatuor mensibus singulorum annorum, quibus durabit ipsa prosecutio generalis, vel acquisitæ terræ custodia supradicta, tu & heres tuus prædictus habebitis viginti galeas bene armatas, atque necessariis munitas propriis vestris per omnia sumptibus, donec ecclesia ipsa id utile reputabit usque ad complementum præfatum.*

(*a*) Lib. 2. ep. cur. 23. lib. priv. Rom. eccl. to. 3. p. 163. & 183. MS. Vall. sig. lit. B. n. 12 pag. 328.

Carolus Rex Sicil. ad profectionem Syriacam se obstringit.

Imperata illi a Clemente subsidia.

V. Ut Tartari Persidis Syriam Christianis restituere polliciti sint.

Quod si, antequam dictum passagium generale fieret, Tartari acquisiverint dictam terram sanctam, vel partem ipsius de Saracenorum manibus, & offerant acquisitam libere restituere Christianis; & summus Pontifex, seu Romana ecclesia reputet tutum & utile oblationem ipsam recipere, & ipse summus Pontifex, vel ecclesia, seu alii principes mundi pro recipienda ea gentem ad ipsum negotium sufficientem, quam idem summus Pontifex vel Romana ecclesia prout sibi videbitur, & placuerit, æstimabit & arbitrabitur; tunc mittes cum dicta gente, seu aliorum principum pro recipienda terra prædicta equites centum, equos similiter phaleratos & tres equos habentes, & galeas quinque, tenendos sumptibus tuis, equites scilicet continue, & galeas quatuor mensibus singulorum annorum, quamdiu gens sufficiens ecclesiæ, vel aliorum principum ibi morabitur, vel ecclesia Romana hujusmodi equites & galeas utiliter & necessario providerit ibi esse, usque videlicet ad satisfactionem reliquorum dictorum debiti memorati.

Coactæ decumæ.

Agitasse sane Clementem de expeditione ad restituendam Christiano cultui Syriam consilia, præter superiora demonstrant plures literæ, (*b*) quibus indictas jam ante a Gregorio X. in concilio Lugdunensi decumas ad bellicos sumptus redigi jussit: poscebarque, ut ante insinuatum est (*c*) Pontificis & principum occidentalium opem Armenia, quam Saraceni continuis atterebant excursionibus, ut deleto penitus Christi cultu in Asia Europæi Asiaticas expeditiones amplius non cogitarent. Verum de Saracenis hoc anno feliciter triumphatum ab Armeniis, refert Jordanus (*d*): *Saraceni*, inquit, *intraverunt Armeniam, sæpius discurrerunt, & afflictiones multas patriæ intulerunt. Tandem MCCCVII. de septem millibus*

(*b*) *Ep. com. 446. 448. 449.*

(*c*) *Anno 1306. n. 13.*

(*d*) *Jord. chr. MS. Vat. sign. n. 1960. c. 23. de Tartar.*

Sarraceni in Armenia deleti.

libus usque ad Tarsum pererrantibus vix evadere poterunt trecenti, quoniam mortui vel capti fuerunt: nec amplius Saraceni ausi fuerunt regnum introire, sed treuguas invicem firmaverunt. Eæ autem non diu tenuere, conflataque sunt proximo anno ad Armeniam tutandam auxilia.

VI. Nec modo de propugnanda Armenia, Syriaque a Saracenis vindicanda actum est, verum etiam Constantinopolitano Imperio schismaticis eripiendo, ex quo ingentis ad religionem in Asia instaurandam præsidii spes affulgebat (*a*). Junxerat ob id armorum fœdus cum Venetis Carolus Andegaviæ comes, idemque dux Valesiorum, qui uxoris Catharinæ, Balduini II. Imperatoris Constantinopolitani neptis, jura ab Andronico Palæologo occupata recuperare, atque orientale imperium ad ecclesiæ obsequium revocare meditabatur, ac Pontifex fideles ad religiosam militiam accepto crucis symbolo profitendam, propositis indulgentiarum præmiis, excitari jussit (*b*); ipsos enim optime de ecclesia merituros, si operam ad eripiendum Græcis imperium, ne Turci eo aliquando potirentur, collocarent: *Profecto*, inquit, *ad ipsum imperium de filiorum alienorum eripiendum manibus, ipse fidei zelus debet corda fidelium velut ignis accendere, nam si, quod Deus avertat, præfatum imperium ad Turcos, Saracenos, & infideles alios, qui assidue Andronicum præfatum impugnant, devenire contingeret, grave discrimen & confusionem gravissimam reciperet mater ecclesia, totaque religio Christiana, &c. Dat. Burdegal. VI. idus martii anno 11.* Quam juste hæc decerneret Clemens, tristis rerum eventus edocuit. Ad sustinendos vero illius contra schismaticos sacri belli sumptus decimæ (*c*) imperatæ, jussique prælules ad inflammandam ad pia arma juventutem Christianam navare operam (*d*).

(*a*) MS. arch. Vat. de reb. Tart. Armen. & Schism. p. 1. 2. 3. Meditanti Carolo Vales. comiti recuperare Const. imperium favet Clem.

(*b*) Lib. 2. ep. 273. Perpendit periculum ne in Turcorum rediga tur potestatem.

(*c*) MS. art. Vat. de reb. Tart. Armen. Schis. p. 1. 2. 3. 4. Decimæ ea de causa impositæ.

Venerabilibus fratribus archiepiscopo Ravennati, & universis episcopis provinciæ Romaniolæ.

(*d*) Ep. 273. Agitata de profectione Constantinopolitana consilia.

Plenis in Domino gaudiis exultamus, & plenitudinem sibi gratiarum exolvimus, quod dilectum filium nobilem virum Carolum comitem Andegavensem secundum cor nostrum filium devotionis habentes, ubi pro dilatatione & augmento catholicæ fidei profundis cogitationibus, laboriosisque vigiliis excitamur, in ipso secure quiescimus, velut in alto robustoque matris ecclesiæ membro & stabili firmamento. Ipse quidem ipsius fidei cultor eximius, pugil ecclesiæ strenuus, pacis amator inclytus, & unitatem memoratæ fidei prosequentium inimicus, sic progenitorum suorum gesta recolenda prosequitur, & eorum vestigia grandium meritorum studiis imitatur, quod ad Deum & sedem Apostolicam devotionem filialem manifeste ostenditur habere. Scimus enim, quod ab ejusdem comitis primordio juventutis exaltationem ecclesiæ & fidei prædictorum, velut ejusdem ecclesiæ specialis alumnus, promovere soliciter studuit, assistens eidem ecclesiæ ejusque fidelibus temporibus opportunis; & in hoc Dei negotium agi considerans, ferventi animo, brachio potenti & prompto exercitio, nullis parcendo laboribus, propriam & suorum exposuit personas pro defensione sæpedictæ fidei & ecclesiasticæ libertatis. Hujusmodi namque devotionis præclaram soliditatem in eodem comite, velut in filio benedictionis & gratiæ, non diminuerunt annorum curricula, sed ex eo potius ipsa devotio comprobatur suscepisse per lapsum temporis incrementum, quod ad recuperationem inclyti imperii Constantinopolitani ardenter aspirans, ad id se disponit attingere viriliter & potenter.

*Dum enim intra claustra nostri pectoris solicita meditatione revolvimus, quod imperium ipsum a cultu memoratæ fidei, qui vigere solebat in eo, separatum attendimus; dum illud ab olim per quondam Michaelem Palæologum tempore, quo vivebat, & post ejus obitum per Andronicum ejus filium, ipsorumque complices & fautores schismaticos, & ab unitate Christianæ fidei deviantes, elevatis superbiæ cornibus in divinæ majestatis offensam, Apostolicæ sedis injuriam, & totius Christianitatis opprobrium conspicimus damnabiliter occupatum; multo nimirum mœrore * * complectimur, trahimur in amara suspiria, & diris vexamur angustiis, & ad subveniendum ei de remedio, per quod ab ipsorum dominio, immo potius exterminio, Deo propitio, liberari & ad fidem reduci valeat orthodoxam, vias & modos libenter exquirimus, ac solicite opem & operam adhibemus. Quorum namque Christifidelium possent animi non turbari, & quorum corda ex tanto Christianitatis opprobrio non moveri? Profecto ad ipsum imperium de filiorum alienorum eripiendum manibus, ipse fidei zelus debet corda fidelium velut ignis accendere. Nam si, quod Deus avertat, præfatum Imperium ad Turcos, Saracenos, & infideles alios, qui assidue Andronicum præfatum impugnant, devenire contingeret, grave discrimen, & confusionem gravissimam reciperet Romana mater ecclesia, totaque religio Christiana.*

plemur

Clementis metus de Constantinopoli Turcis subiicienda.

*Cum itaque dictus comes, * qui idem charissimæ in Christo filiæ nostræ Catharinæ Imperatricis Constantinopolitanæ illustris uxoris suæ ad ejusdem recuperationem Imperii, ut prædicitur, ipsumque reducendum ad cultum fidei memoratæ se affirmet potenter, velle intendere, & ad id disponere vires suas; multique barones, nobiles & potentes zelo devotionis accensi secum propter hoc, sicut asseritur, sint proficiscí parati; nos qui ad tam necessarii, salubris, & felicis prosecutionem negotii debemus Christianos principes solicite quærere & dirigere, diligentia exacta quæsitos & quibus possemus modis inducere & invitare præmitis, subsidiis, & auxiliis opportunis, cupientes ab intimis quod præfatum negotium, quod non modicum Apostolicam sedem, omnesque Christi fideles nostræ fidei sæpedictæ contingit, salubrem, Deo favente, sortiatur effectum; & considerantes attentius, quod ad ejusdem consummationem negotii absque sedis & fidelium prædictorum auxilio, sub quorum fiducia præfatum negotium comes ipse intendit assumere, non potest sufficere per seipsum; hujusmodi & aliis pluribus dignis considerationibus ferventer inducti, universis Christicolis in regno Siciliæ tam ultra quam citra Pharum, ac Romandiolæ, ac marchiæ Anconitanæ, & terris ac districtu Venetiarum, & eisdem Venetis communiter vel divisim subjectis provinciis, ac terra Venetiarum & diœcesis Castellanæ, quæ partibus præfati imperii vicinæ noscuntur fore, de fratrum nostrorum consilio verbum vivificæ Crucis deliberavimus proponendum, ac ministerium prædicandi eandem, nec non tradendi venerabile signum ejus cunctis de regno provinciis, terris, districtibus, & diœcesibus supradictis devote petentibus vobis, & universis regni terrarum, provinciarum, districtus, & diœcesis prædictorum prælatis providimus committendum. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus per vos, vel per alium seu alios, quos ad hoc idoneos esse noveritis, universis Christifidelibus Ravennæ, & in provincia Romandiolæ constitutis proponatis juxta datam a Deo vobis prudentiam verbum ipsum, & venerabile signum crucis studeatis illud devote recipere volentibus elargiri, &c.* Proponit Pontifex indulgentiarum præmia iis, qui rite expiata mente sacro in schismaticos bello se devoverint, vel iis, qui milites suo sumptu in ea expeditione sustentarint. Quæ literæ hac loci & temporis nota consignatæ. *Dat. Burdegalis 11. id. martii anno 11.*

* ad jus

Allicere etiam studuit ad armorum societatem cum Carolo comite Fridericum Trinacriæ Regem, cui totius insulæ decimas biennio colligendas, si conscripsisset exercitum & cum classe regia ad sacrum bellum in Græcos proficisceretur, dari voluit: qui si iter non susciperet, præsules, quibus decimarum cogendarum provincia commissa est, eas Carolo comiti numerare jussit (*a*). Denique, ut nihil pontificiarum partium in Caroli comitis promovendo consilio prætermitteret Clemens, Andronicum in schismatis scelere obfirmatum anathemate perculit, (*b*) atque ad divellendos ab illius societate catholicos,

Ad avertendum id malum Carolum sacri belli ducem creat.

VII. Fridericus Rex Trinacr. ad belli societatem invitatus.

(*a*) Lib. 2. ep. 261.

(*b*) Ibid. ep. 264. & MS. arch. Vat. de reb. Tartar. Armen. & schism. pag. 5. ext. etiam in extravag. com. de sententia excom.

fidelium communione depulit omnes, qui cum ipso sentirent; conventionesque initas, etiam jurejurando sancitas, convulsit.

Clemens, &c. ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Anathematis sententia in Andronicum Imp. Græcor.

Andronicum Palæologum, qui Græcorum Imp. se nominat, tanquam eorumdem Græcorum antiquatorum schismaticorum & in antiquato schismate constitutorum, & per hoc hæreticorum & hæresis ipsorum, ac schismatis antiquati fautorem, de fratrum nostrorum consilio denunciamus excommunicationis sententiam latam a canone incurrisse, ac ipsius fore sententiæ vinculo innodatum. Cæterum universis & singulis Regibus, principibus, & ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus & cæteris omnibus, cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, aut status; necnon universitatibus civitatum, castrorum, & aliorum locorum districtus inhibemus, ne cum eodem Andronico Palæologo, in hujusmodi excommunicatione manente, societatem vel confœderationem aliquam contrahere sub quovis ingenio, vel machinatione præsumant; vel ei alias in iis, pro quibus excommunicatus est denunciatus a nobis, præstare consilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum: & si secus præsumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium præsumentes, non obstante qualibet indulgentia sub quacunque forma verborum vel expressione ipsis ab Apostolica sede concessa, vel imposterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, quam ex nunc in ipsos ferimus, incurrere volumus ipso facto. Terras autem ipsorum, necnon & universitates prædictas, quæ secus attentare præsumpserint, prout expedire videbimus, ecclesiastico subjacere curabimus interdicto; ad privationem omnium bonorum, quæ a quibuslibet tenent ecclesiis, & ad pœnas alias spirituales & temporales, prout utile putabimus, processuri. Et nihilominus societatem & confœderationem ipsas, etiamsi pœnarum & juramenti adjectione, vel quacunque fuerint alia firmitate vallatæ, decernimus irritas, & inanes. Datum Pictavii III. non. junii anno secundo.

Vetiti Catholici fœdus cum ipso coire.

Spernentibus imperia inflictum anathema.

VIII. Ad traducenda igitur in orientem occidentis arma Pontifex tollere bellorum civilium causas, initave ante fœdera arctiori firmare nexu aggressus est. Ad asserendam in primis in Gallliis concordiam, tradit S. Antoninus (*c*) eo consilio Philippum Regem ac Robertum comitem Flandriæ convenisse Clementem, ut initam jam ante inter ipsos pacem, qua perniciossimo ac diuturno bello finis erat impositus, auctoritate apostolica corroboraret. Extat de ea confirmata IV. non. jun. exaratum diploma Clementis, qui ubi nonnulla de ingenti ejus conciliandæ inter omnes Christianos principes concordiæ,

(*c*) Ant. 3. p. tit. 21. c. 1. §. 1. Pacis fœdera Francos inter & Belgas confirmæ Pontif.

mutuarumque voluntatum conjungendarum desiderio præmisit; tum quanta voluptate fuerit delibutus, ubi adductam in Gallias felicissime pacem, ac tumultus compositos accepit; hæc demum de fœderis initi ratione adnectit (a): *Post exitiosos excessus, nec non contrarietates & discordias, quas actore suggerente discordiæ habuerunt quondam Guido comes Flandriæ, & dilecti filii nobiles viri Robertus ejus primogenitus, ipsius fratres, nec non nobiles bonæ villæ & gentes Flandriæ comitatus contra charissimum in Christo filium nostrum Philippum Regem Francorum illustrem ipsorum dominum; ex quibus plurima guerrarum incommoda, rerum & personarum pericula, sicut est ubique quasi notorium provenerunt; placuit altissimo, qui actor pacis & amator charitatis existit, quod dissensiones hujusmodi sedarentur. Ipse quidem Rex attente considerans, & prudenter advertens, quod exaltat mansuetos Dominus in salutem, quodque optimum vindictæ genus existit nolle punire cum possit, & quod magnifice parcere magnanimitas est censenda; ac propterea eligens erga dictum Robertum, ejus fratres, & alios supradictos, uti potius in hac parte mansuetudine, quam rigore; ipsos ad ejus obedientiam, & mandata humiliter redeuntes, ad gratiam suam de abundantia clementiæ regalis admisit: sicque inter Regem prædictum ex una parte, dictosque Robertum, ejus fratres, nobiles, & alios supradictos ex altera est pax & concordia divina faciente clementia, reformata.*

(a) Lib. 2. ep. 287.

Eximia clementiæ laus.

Secutura ex eo fœdere ingentia bona describit Pontifex, subditque ut Petrus episcopus Prænestinus, Berengarius tit. SS. Nerei & Achillei, & Stephanus tit. S. Cyriaci in thermis presbyteri, & Raymundus S. Mariæ Novæ diaconos Cardinales retulerint, se conceptam ineundæ pacis certis verbis formulam perlegisse, atque inter cætera capita illud adjectum, Robertum, aliosque fœderatos Belgas flagitaturos a provinciæ præsulibus, ut ipsos anathemate defigerent, & eorum loca sacris interdicerent, si unquam scriptas leges infregissent; idemque pariter ab Romano Pontifice postulaturos, ut censuris iisdem eos percelleret, si ea perfidia se adstrinxissent, adeo ut ex numquam, nisi ad preces Francorum Regis amoverentur: cumque Roberti oratores id etiam sedi Apostolicæ exposuissent, ad firmiori vinculo adstringendam concordiam decernere Belgas iis pœnis implicitum iri, si pacta violare pertentassent. Utque sapienter statuta in opus perducerentur, Clemens Rhemensi archiepiscopo, episcopo Silvanectensi, atque abbati S. Dionysii provinciam dedit, (b) ut si Robertus dux, Guillelmus, aliique proceres initas concordiæ pactiones temerassent aliquando, iis anathema & sacrorum justitium infligerent.

Commendatur Philippus Rex ea in Belgas usum esse.

Iis flagitantibus, ut conventum erat, objectæ ipsis si fœdifragi forent censuræ

(b) Reg. post cand. ep.

Devincta eo religione Belgarum fide, actum de sanciendo inter Eduardum Anglorum & Philippum Francorum Reges fœdere, cujus gratia Pictavienses cœtus etiam celebratos testatur Bernardus his verbis (c): *Clemens Papa cum curia vadit Pictavium magna ex parte pro tractanda, & confirmanda concordia inter Regem Franciæ Philippum, & Regem Angliæ Odoardum.* Eadem iisdemque concepta verbis MS. Clementis gesta, quæ ex Bernardo excerpta videntur, afferunt (d). Ad componendam sane pacem, quæ Pontificis in Galliæ & Angliæ Reges propensissimo animo altius insidebat, missus fuerat (e) superiori devexo anno Petrus Card. episcopus Ostiensis: *Pro finali*, ut loquitur Clemens, *completione negotiorum ipsorum, quæ restant ad præsens super pace perficienda inter charissimos in Christo filios nostros Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges illustres.* Meminit de eo Westmonasterienses, (f) & Sabinensem vocat, quem magnis in Anglia exceptum honoribus ait; impositam vero provinciam feliciter obiit, arctiorique nexu fœdus, conjugandis nimirum matrimonio Eduardo juniore & Isabella Philippi filia, firmatum est.

X. Conciliatum a Clem. inter Franc. & Angl. Regem fœdus.

(c) Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sig. n. 3765. in Clem. V.

(d) Ext. in MS. Vall. bibl. sig. lit. C. n. 25.

Petrus episcop. Ostien. in Angl. missus.

(e) Clem. l. 2.

(f) Vves. flor. hist. hoc ann.

Pax affinitate devincta.

Constitutis iis fœderibus, Philippum Francorum Regem, quem teterrimis plenam calumniis provocationem in Galliis adversus Bonifacium divulgasse vidimus, ut juste flagitium commisisse videretur, contendisse ut prædecessoris memoriam hæreseos crimine damnaret, ejusque corpus, quod divina providentia trecentos post annos omnis corruptionis expers servavit, flammis daret, docet Joannes Villanus (g), cujus narrationem S. Antoninus (b) latinis verbis donatam historiæ insinuavit, & qua arte Regis postulata Clemens eluserit, cum non ea valeret constantia, ut aperte repellere auderet, subjectis verbis depromit: *Rex Franciæ supplicavit Papæ, quod sextam petitionem, quam ipse promiserat regi, usque ad illam horam nondum expressam adimpleret, sicut alias observaverat. Et hoc erat, ut memoriam Bonifacii VIII. deleret de catalogo Pontificum, ac combureret corpus ejus & ossa, asserens se posse probare contra illum per clericos suos, ipsum fuisse hæresi infectum & pluribus aliis sceleribus irretitum. Ad quam petitionem turbatus est Papa cum Cardinalibus in hujusmodi: cum rex multum instaret, ut impleret quod juramento firmaverat sibi facto, angustiæ erant illi undique. Nam importunius se habebat (Rex) ad offerendum probationes contra Bonifacium, & Regi juramento (Pontifex) se obligaverat, licet eum promissionis pœniteret, id in genere se facturum. Et ex alia parte consi-*

Philippus Rex exercandum scelus nimia ulciscendi libidine concipit.

(g) Jo. Vill. l. 8. c. 91.

(b) Ant. 3. p. tit. 21. c. 1. §. 2.

Contendit a Clemente, ut Bonifacium crimine hæreseos damnet, ejusque corpus redigat in cineres.

Bonifacii innocentia.

derabat, quia hoc agere esset injustum, & impium dedecus ecclesiæ redundans: cum Papa Bonifacius in nullo de hæresi argui valeret, sed potius ex lib. 6. quem edidit, decretalium ostendebatur sinceritas fidei ejus. Sed & ipse satis ecclesiam exaltavevat in tuendis juribus suis. Et ex Cardinalibus plures erant ab eo creati, inter quos erat Cardinalis Pratensis; unde sequebatur, quod si damnari debebat memoria Bonifacii, etiam & Cardinales ab eo instituti oportebat a dignitate sua deici. Quamobrem contrarii erant huic sententiæ non solum qui erant sectatores nepotis Papæ Bonifacii, sed etiam alii Cardinales, qui fuerant in electione Clementis pro Rege Franciæ. Cum ergo Pontifex perplexus esset inter has angustias, nam irritare Regem ex violatione promissi durum videbatur & scandalosum; implere vero promissum firmatum juramento impium & prælatorum perturbationi occasionem præbens omnino apparebat. Super hujus igitur ambiguitatis deliberatione solicitus Pontifex, consilium secretum quæsivit a domino Cardinale Pratensi, viro sagaci, scripturarum peritissimo, & in agibilibus mundi experientissimo, qui & noverat secrete tractata. Cui respondit: quod hic solum unum restabat remedium, videlicet dissimulatio; & quia Regi significaret rem utique arduam esse & difficilem, nec omnes Cardinales assentire huic rei: & ideo, ut efficacius petitio sua fortiatur effectum, opus celebrari generale concilium, & in ipso concilio proponantur articuli contra ipsum Bonifacium, quod erit ad majorem ejus vituperationem, & stabilius firmari poterit processus contra eum. Et ne impedimentum habeat negotium solum, universis publicetur edictum de concilio celebrando universali ad reformationem morum, & quædam ecclesiæ proficua instituendum, & tunc in eo congregato sua petitio impleretur. Ut autem locus sit magis communis omnibus quoad situm, quod assignetur illud celebrandum Viennæ, ubi omnes nationes fidelium satis apte concurrere possunt. His propositis, Rex contradicere non valebit: tu autem cum curia illuc pergens eris extra territorium jurisdictionis Regis in tua libertate, nec tibi vel curiæ nocere valebit. Placuit Pontifici consilium Pratensis, & illud executus est. Cum autem hoc Regi exposuisset, male contentus fuit, quod res ipsa tantum differretur: verum etsi gravaretur in mente sua, tamen videns se apte contraire non posse, acquievit placito. Sicque Pontifex de concilio celebrando publice per orbem destinavit edictum, pluraque etiam postulata a Rege gratiose concessit, ut etiam in concilio futuro quod postulaverat circa Bonifacium, obtinere speraret. Hactenus S. Antoninus.

Clementis pusillanimitas in Rege non reprimendo.

Diffugia captat deque celebrando concilio agitat.

Delecta pro eo congregando Vienna.

Effudisse conatus suos Philippum Fran-

corum Regem, ut Bonifacii Pontificis nomini infamia hæreseos inureretur a Clemente, ex publicis documentis constat. Angebat enim Philippum gravis cura, se apud universos fideles conjectarum in Bonifacium, quem ut Christi vicarium colere tenebatur, calumniarum, patratique in eo capiendo sceleris ignominia laborare: utque tanta facinora religionis zelo commisisse probaret, tum apud Benedictum Undecimum, tum apud Clementem Lugduni omni studio incubuerat, ut extincto Bonifacio judicium hæreseos intenderent: cumque ut suspectus accusator & hostis justissime repelleretur, ex ea mora ingentia sibi & suis creari pericula querebatur, quas etiam querelas Pictavii apud Clementem vehementius ursit. At Pontifex adducta re in consilium cum Cardinalibus, cum ii Philippi iras execrati suaderent Clementi, ut Regem a cœptis abduceret, permoveretque ut universam hanc Bonifacianam litem ecclesiæ discutiendam, dirimendamque permitteret; proposuit illi Pontifex ex ejusmodi controversiæ prosecutione veterem inter ecclesiam & regiam conjunctionem admodum labefactari posse, confundi pacem, Asiaticæ expeditionis consilia disturbari, offendi fideles, malaque ingentia oboritura: demum flexit, ut eam litem dimitteret, eumque iterum de commissis in Bonifacium flagitiis amplissima venia donavit, ut nulla ipsi posteriseve ob præterita labes adhæresceret, edito ea de re subjecto decreto. (a).

Quæ cautæ Philippum ad infectandum Bonifacii nomen inflammarint.

(a) Ex bulla autographa Clem. V. quæ extat in archiv. Vat. inc. Latamur in te.

Clemens, &c. Philippo Regi Francorum.

Ex parte tua fuit propositum coram nobis, quod denuntiantibus olim tibi nonnullis sublimibus, & magnæ auctoritatis personis, quod Bonifacius PP. VIII. prædecessor noster erat crimine pravitatis hæreticæ irretitus, quibusdam etiam ex personis eisdem ipsum super hoc accusantibus, & accusare volentibus solemniter & directe; ac requirentibus te tanquam fidei pugilem, & ecclesiæ defensorem, ut cum ex vitioso & illegitimo ingressu, progressu damnabili, perversis actibus, detestandis operibus & pernitiosis exemplis dicti Bonifacii status fidei, & ecclesiæ miserabilibus dispendiis, & ærumnis, gravisque ruinæ periculis subjaceret; ac in hujusmodi & similibus casibus, ubi de hæresi, aut illegitimitate summi Pontificis ex causa hujusmodi agitur, directrix veritatis, ac fidei, & ecclesiæ defensatrix semper extiterit inclyta domus tua, pro declaratione veritatis hujusmodi procuraves generale concilium convocari; tu qui pudenda patris proprio libenter pallio contexisses, denuntiatorum & accusatorum ipsorum frequentibus pulsatus instantiis, & assiduis clamoribus excitatus, negotium hujusmodi pro

Quo pietatis fuco scelus sit aggressus.

declaratione veritatis, ut videlicet præfati Bonifacii innocentia in hac parte claresceret, sicut teste conscientia exoptabas; aut ipso, si denuntiatis, & objectis contra eum lux veritatis assisteret, tanquam illegitimo prorsus amoto, & cunctis erroribus, iniquitatibus, & spurcitiis a domo Domini procul pulsis, de vero & legitimo pastore provideretur ecclesiæ sanctæ Dei; una cum prælatis, baronibus, collegiis, universitatibus, & communitatibus civitatum, & aliarum villarum, ac clero & populo regni tui, necnon aliis præcellentibus, & magnæ auctoritatis personis status tam ecclesiastici, quam mundani, aliisque fautoribus, adjutoribus, valitoribus, & sequacibus tuis ex fervore fidei & zelo justitiæ, ac pro reformatione status ecclesiæ & generali bono totius reipublicæ Christianæ deliberato consilio assumpsisti sub certis modis, & viis ad laudem divini nominis & exaltationem catholicæ fidei promovendum, ipsiusque promotioni & prosecutioni negotii tam in vita dicti Bonifacii, quam post ejus obitum apud bonæ memoriæ Benedictum Papam XI. prædecessorem nostrum, & eo sublato de medio, apud nos ad ecclesiæ præfatæ regimen, licet insufficientibus meritis, divina dispositione vocatos, dum paulo post nostræ promotionis auspicia Lugduni nobiscum pro hujusmodi, ac terræ sanctæ, & aliis negotiis arduis personaliter convenisses; operosis studiis, & indefessis solicitudinibus institisti. Quare nobis humiliter supplicabas, ut cum exhibitionis justitiæ in hac parte morosa protractio tibi & tuis diversis ex causis dispendiosa foret, & periculosa quamplurimum, in negotio memorato procedere, ac exhibere super justitiæ plenitudinem dignaremur.

Tentata sæpius ab eo molimina.

Urgetur a Clemente ut cœptis absistat.

Nos autem & fratres nostri considerantes attentius, & infra claustra pectoris meditatione solicita revolventes, quod infesta nimis negotii prosecutio memorati unitatis & charitatis antiquæ inter præfatam ecclesiam, ac te & progenitores tuos, regnumque prædictum, divina facientе clementia, servatæ diutius esse posset multipliciter detractiva, turbativa pacis, impeditiva prætacti negotii terræ sanctæ, ac scandali generalis & malorum multiplicium productiva; ac volentes tot & tantis malis & scandalis, ne in segetem periculose succrescerent, sed præcisis radicibus suo præfocarentur in ortu, ex debito pastoralis officii solicitius obviare; apud te de fratrum nostrorum prædictorum consilio, & ad eorum supplicationem instantem salutaribus monitis, paternis exhortationibus, & multa precum institimus lenitate, ut pro reverentia Regis Regum, cujus idem Bonifacius vices gessit in terris, pro honore ecclesiæ, ac pro vitandis tantis malis & scandalis, omisso rigore, ac rejectis anfractibus denuntiationum & accusationum hujusmodi præ-

Permittat totam controversiam sedi Apost.

tactum negotium, cognitionem, examinationem, ac totalem decisionem, seu determinationem eidem nostro & ecclesiæ supradictæ judicio vel arbitrio, provisioni & dispositioni totali tu ipse relinqueres, ac cum denuntiatoribus & accusatoribus præfatis libatis, quod similiter omnino relinquerent ordinares: ita quod nos & eadem ecclesia in negotio procedamus eodem, disponamus, & statuamus de ipso, eique finem congruum imponamus, prout catholicæ fidei ac universalis ecclesiæ statui & honori conveniens ac terræ prædictæ negotio & alias viderimus expedire.

XI. Pontificis votis assentitur.

Et demum post repetitas & iteratas quampluries hujusmodi nostrarum exhortationum & precum instantias, ac petitæ & habitæ longæ deliberationis inducias, te votis nostris & beneplacitis in hac parte filiales affectus de abundantia regalis clementiæ per effectum operis conformante, nos mansuetudinem regiam ac expertam in iis potissimum devotionis & reverentiæ filialis gratitudinem plenis in Domino laudibus commendantes, ac volentes propterea tibi & tuis adversus futura pericula paternæ solicitudinis studio providere; omnes sententias canonis & hominis & processus, suspensionum, excommunicationum, interdictorum, privationum, depositionum, & alios quoscumque processus juris vel facti, verbo vel literis, in scriptis vel sine scriptis, directe vel indirecte, implicite vel explicite, publice vel occulte contra te, regnum tuum, denuntiatores & accusatores prædictos, ac prælatos, barones, & alios incolas regni ejusdem quibuscunque præteritis temporibus; nec non contra confœderatos, alligatos, fautores adjutores, valitores & sequaces tuos vivos vel mortuos, cujuscumque nationis, præeminentiæ, honoris, ordinis, dignitatis, aut status, ecclesiastici vel mundani existant, etiam si cardinalatus, archiepiscopali, episcopali, imperiali, vel regali dignitate præfulgeant; a tempore motæ inter præfatum Bonifacium & te discordiæ, videlicet a festo sanctorum omnium, quod fuit anno nativitatis dominicæ MCCC. citra per dictum Bonifacium per quoscumque alios in vita, vel in morte ipsius, auctoritate sua quibuscumque causis, vel occasionibus, aut exquisitis coloribus & figmentis, quam per præfatum Benedictum immediatum successorem suum pro facto, vel occasione captionis dicti Bonifacii, & eorum, quæ in conflictu, vel facto captionis ejusdem, vel alias captione ipsius quomodolibet contigerunt spiritualiter & temporaliter factos, & habitos, ex certis & legitimis causis relaxamus, revocamus, irritamus, annullamus, cassamus, & ex nunc nullos, cassos, & irritos nuntiamus ex certa scientia, & de plenitudine apostolicæ potestatis: & si quævis calumnia, macula, sive nota ex præfatis de-

Omnibus sententiis quibus se devinxerat, liberatur.

Detersa ab eo quam fuscepérat infamiæ macula.

denuntiationibus, vel accusationibus, aut blasphemiis, aut quibuscumque contumeliis, injuriis verborum vel factorum, in chartis, vel scriptis, aut quibuscumque libellis famosis, occulte & publice, aut publicatione eorumdem, vel alias quoquo modo in memoratum Bonifacium in vita ejus, & post mortem illatis, aut eorum assumptione, vel prosecutione, aut culpæ, offensa, vel injuria quælibet, seu infamia juris, vel facti tibi, posteritati tuæ denuntiatoribus, accusatoribus, prælatis, baronibus, vel aliis incolis; necnon confœderatis, alligatis, fautoribus, adjutoribus, valitoribus, sequacibusve prædictis, aut aliquibus ex eis, aut aliis consentientibus, mandantibus, vel ratum habentibus, vivis vel mortuis, ex captione prædicta, aut ex rapina, seu deperditione thesauri ecclesiæ, aut ex aliis quibuscunque quæ in conflictu, vel facto captionis prædictæ, vel alias ipsius occasione, ut præmittitur, contigerunt, impingi, imponi, vel imputari possent in posterum, etiamsi supponeretur, vel diceretur captio ipsa facta nomine tuo, aut te mandante, procurante, vel ratum habente, aut sub vexillo tuo, vel insigniis armorum tuorum; prorsus amovemus, & tollimus, ac omnino remittimus, & quitamus, &c.

Participes sceleris in capto Bonifacio patrati pœnis ecclesiasticis subiiciuntur.

Addit Pontifex apostolica etiam benignitate a se detergi omnem infamiæ maculam, censurarumve notam, qua præsules, proceres, aliique ob impactas Bonifacio calumnias, initam in eum conjurationem, pontificiique thesauri expilationem injusti forent. Sanxit etiam Guillelmum Nogaretum, & Reginaldum Supinum equites qui Bonifacium ceperant, ejusque thesauros rapuerant, venia donatos, modo crimen susceptis rite pœnis a Petro episcopo Prænestino, Berengario tit. SS. Nerei & Achillei, & Stephano S. Cyriaci in thermis presbyteris Cardinalibus imponendis expiarent. Et quidem Reginaldo, & aliis Campanis ejus sociis nullas, cum absint, pœnas ad delendam noxam infligere, sed postea inflicturum: Nogareto vero, qui pluries coram memoratis Cardinalibus comparuerit; auditusque sit, ad criminis expiationem imperare transmarinam in Saracenos expeditionem, quam armis egregie instructus quinquennio vertente obeat, nec ab ea nisi ab ecclesia revocatus abscedat nulloque publico munere unquam fungatur, neque ob has pœnas ullius infamiæ macula aspersus censeatur. *Datum Pictavii kal. junii pontificatus nostri an.* 11.

XII. Instaurata postea eadem lis a Philippo.

Non exuit propterea Philippus Rex concepta in Bonifacium odia, sed judicium iterum eodem exitu ursisse visuri sumus: quam ne calumniatoris pœnas subiret, finxerit se orthodoxæ pietatis zelo litem movisse, eamque ecclesiæ perscrutandam permiserit, ut suo loco dicetur. Interim cum Pictavio Parisios esset reversus, exagitandos discruciandosque suppliciis Templarios suscepit ob immania defectionis a Christo, magiæque crimina ab accusatoribus iis objecta. Rem adeo insolentem ex his initiis prodisse ferunt; (*a*) priorem e Monte Falcone Tholosæ inquinatissimum flagitiis & hæreseos nota inustum a magistro ordinis perpetuo addictum carceri, atque alium equitem Noffum nomine, Florentinum genere, suis insignem sceleribus custodiæ traditum, communicato consilio, seque ex ergastuli squalore liberandi spe regiis magistratibus horrenda Templariorum ordinis flagitia indicasse, prædæque ingentis ex Templariorum maximis opibus redigendæ occasionem patere docuisse: donatos tamen impunitate male periisse, nam & Noffum laqueo demum extinctum, prioremque gladio cæsum esse. Ea vero per calumniam suborнata nonnulli scripsere, (*b*) inter quos S. Antoninus hæc habet: *Totum dicitur falso conflictum ex avaritia, ut illi religiosi Templarii (qui initium habuerant in Hierusalem, & postea multiplicati & diffusi per Franciam, & alias provincias habebant opulenta loca, & magnas divitias & possessiones) expoliarentur bonis suis, prout factum est, &c.* Haud sane dissimulandum est augeri hanc ex eo conjecturam, quod Philippus Rex scelestissimos impostores & calumniatores haberet consiliarios, quorum artibus omnino ducebatur: si enim ipsi Christi vicario, quem orthodoxum esse constabat, magiæ, hæreseos, aliaque immanissima scelera obiicere ac judicio persequi constantissime, vel impudentissime potius non perhorruit, certe minus conscientiæ in appetendis calumniis Templariis ac persequendis habuisse coniici posse videtur. Suadere etiam consiliariis ipsius id flagitium potuisse avaritiam a verisimili non abest, cum avaritiæ fœdissimas notas ubique reliquerint, ac Philippum ad ecclesiarum bona invadenda, opprimendos populos, injustam conflandam monetam, spoliandos toto regno Judæos, & alia turpia lucra aucupanda, quæ turpius dissipabantur, impulerint: demum Templariorum opes, quantumvis Philippus contrarium literis regiis profiteretur, magna ex parte invaserint. Ferunt etiam aliquot prodigiis eorum, qui ignibus fuere traditi, non exustis ipsorum cruciibus, comprobatam innocentiam: acerbissime præterea ob delatores suspectos suppliciis discruciatos ex humana fragilitate succubuisse ad crimina non admissa confitenda, eaque postea ad pyram constanter pernegasse. Sed ut universos Templarios objectis sceleribus non fuisse pollutos existimari potest, cum in Germania a conciliis provincialibus absoluti fuerint; ita plures Gallos, eosque insignes dignitate

(*a*) Jo. Vill. l. 8. c. 92. Bosius p. 2. l. x.

(*b*) Hoc fem. in Theob. 29. & alii.

Templarii apostasiæ a fide accusati.

tate iisdem contaminatos flagitiis maximis argumentis constat, atque ordinem ex allatis probationibus juste abolitum visuri sumus, cum duo millia testium & eo amplius objecta iis crimina confirmarint; & ipse Pontifex eandem confessionem a septuaginta duobus Templariis nullo objecto metu, sed ab iis præterita crimina multa doloris significatione effusoque planctu execrantibus expresserit, de quo suis locis inferius.

Ut vero, cum Regi Francorum de Templariorum criminibus delatum esset, una literarum significatione eodem die regio jusso, maximoque omnium stupore comprehensi sint, narrat Bernardus (*a*): *Anno*, inquit, *Domini prætaxato MCCCVII. res mira, res magna, nostris accidit temporibusque futuris scribitur memoranda. In festo siquidem S. Eduardi confessoris tertio idus octobris, feria* VI. *fuerunt capti primo Templarii ubique in regno Franciæ, & ex ordinatione Regis & consilii inopinate sane, mirantibus cunctis audientibus, antiquam templi militiam, ab ecclesia Romana nimis privilegiatam, una die subito captivari, causamque ignorantibus captionis tam repentinæ exceptis paucis secretariis & juratis: quæ causa tandem detecta fuit & publice infamata, profana videlicet professio eorumdem cum abnegatione Christi & expuittone super crucem in opprobrium Crucifixi; fueruntque plures ex eis, etiam de majoribus illius ordinis, confessi suæ nefandæ professionis ritum, tam abominabilem, quam execrabilem, quam nefandum, qui antea a nemine potuit unquam sciri. Plurimi autem ipsorum confiteri minime voluerunt, quamvis nonnulli subjecti fuerint quæstionibus & tormentis. Demum sedes Romana, cui prius factum incredibile videbatur, & captionem prædictam ægre ferebat, affecta est certior in Pictavis, ubi tunc curia morabatur; Templariisque nonnullis perductis coram Papa, & aliquibus (nonnulli objecta scelera confessi, negarunt alii) Cardinalibus, ibidem denuo confitentibus, & confessiones factas a se antea recognoscentibus esse veras, ipsorum confessionibus intellectis consequenter extitit ordinatum, ut ubique Templarii caperentur, ut veritas prodiret in lucem.* Eadem Jordanus (*b*) paucioribus verbis perstringit: MCCCVII. *Templarii subito in toto regno Franciæ capti sunt, & tandem depositi in sequenti concilio generali.* Eos porro regia quidem opera, sed pontificio imperio non ex levibus conjecturis, sed gravissimis argumentis captos, & magno numero adductos ad Pontificem, ac pluribus vicibus tum ex arcano tum palam eadem fassos crimina, eaque acerbe planxisse testem producimus ipsum Clementem, hæc publico postea edicto promulgantem.

(*a*) *Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sign. n.3765. in Clem. V.*

In Galliis eadem die comprehensi.

(*b*) *Jord. MS. Vat. sig. n. 2960.*

Ad perpetuam rei memoriam.

*Ad omnium fere notitiam jam credimus pervenisse, nefanda scelera & crimina abhorrenda hæresim notorie sapientia, quibus ordo & personæ Templariorum non levibus argumentis, sed manifestis indiciis, & violentis præsumptionibus diffamati noscuntur, super abnegatione videlicet domini salvatoris nostri Jesu Christi, & super nefanda, temeraria, & præsumptiva & hæretica conspiratione super ejusdem imaginem crucifixi; nec non & super pluribus aliis articulis (sodomitico nimirum vitio, idololatria & aliis) quos quia fore credimus manifestos, exprimi non oportet. Sicque excrebrescente infamia, imminentibus scandalis plurimis minime contemnendis, quæ non leviter totam scandalizabant ecclesiam, urgente conscientia, per totum orbem terrarum jam dudum ipsos capi mandavimus; & tandem cœpimus super iis contra eos inquirere per nos ipsos, nonnullis ex fratribus nostris ascitis ad inquisitionem prædictam nobiscum solicite peragendam. Et tandem præsentatis nobis eisdem personis non parvis, sed grandi numero, non levis, sed magnæ auctoritatis viris, olim in ordine supradicto sacerdotibus, præceptoribus, militibus, servientibus, per eorum confessiones & depositiones spontaneas libere factas coram nobis, & fratribus nostris in secreto prius, & postmodum coram nobis, totoquo collegio fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium patuit manifeste, quod personas ipsas confitentes, dicta crimina & scelera esse vera: iidemque confitentes omnes & singuli suum humiliter recognoscentes errorem, nostram & Apostolicæ sedis non justitiam, sed misericordiam & veniam imploraverunt. Quibus cum omni humilitate & reverentia, & proprii eorum recognitione erroris omnino persistentibus pro absolutione ab excommunicationis sententia, quam ex hujusmodi hæresis reatibus & sceleribus incurrerant, ipsis misericorditer impendenda; nos, qui licet indigni vicarii simus illius, * miserationes super omnia opera ejus existunt, & quia Romana mater ecclesia non claudit, prout nec claudere debet, gremium redeuntibus; facta a prædictis confitentibus cum humilitate & reverentia abjuratione hujusmodi hæreseos secundum canonicas sanctiones, eis juxta formam ecclesiæ fecimus munus absolutionis impendi, potestate injungendi eis propterea salutarem pœnitentiam nobis & dictæ sedi, seu quibus id committendum duxerimus, specialiter reservata, &c. Datum Tolosæ* III. *kal. jan. pontificat. nostri an.* IV.

Ut gravissimis de causis in eos motus sit Clemens.

Ut nullo incusso metu expressa sit scelerum confessio.

Ea sæpius constanter repetita.

Data venia criminis abjurantibus.

* cujus

Ex his refellas authores plures, qui nimis facile inanibus levissimorum hominum susurris fidem adhibuere, promissam fuisse Templariis veniam a Pontifice, eaque pollicitatione subornatos fuisse. Quis enim

enim, si rem perpendat accurate, viros graves tanto in numero tam immania crimina putet tanto cum dedecore sine tormentis confiteri, sibique falso imponere potuisse; cum ne quidem id unquam imbelles mulierculæ facturæ videantur, nisi scelerum facibus ardens conscientia eam confessionem, uberesque illas lacrymas expressisset? At de his, deque servato a Pontifice in Templarios judiciorum ordine proximis annis dicturi sumus. Non leviter vero ea res expeditionis Syriacæ consilia retardavit, cum Templariorum opera eam aggredi Clemens constituisset.

XIII.

Obfuere etiam admodum secutæ in Anglia rerum conversiones ob Eduardi senioris mortem, quam hoc anno media æstate contigisse scribit Westmonasteriensis (*a*), qui de illius maxima expeditione in Scotiam adversus Robertum Brusium, quem regnum illud mox rebellione invasisse ait, locutus, confectisque adversus Scotos pluribus felicibus præliis, quibus ipsos magnis attrivit cladibus, ac novi Regis fratres captos extremo affecit supplicio, Roberto in paludes ac loca nemoribus obsita depulso, subdit (*b*): *Cœpit Rex vexari dysenteria. Movit tamen nihilominus de Caerleolo, quinto nonas julii, parvis diætis versus Scotiam proficiscens. Pridie vero nonas julii, venit usque Burgum super Sabulo, ubi invalescente infirmitate, die crastina, scilicet sexta feria, præsenti vitæ valefaciens, dies suos in bono, & annos suos in gloria consummavit. Regnavit autem annis triginta quatuor, mensibus septem, diebus viginti uno, complevitque ætatis suæ annos sexaginta octo, & dies viginti.* Addit auctor Eduardi elogium, sed in quo, quamvis amplissimo, prætermittit defensam Syriam contra sultani Babylonici impetus, cum Ptolemaidi castra admovisset: stetisse enim tum illius virtute rem Christianam vidimus. Decrevisse etiam ipsum expeditionem Syriacam, quam tunc Clemens cum multis Regibus principibusque occidentalibus, atque etiam cum Carbanda Rege Tartarorum agitabat, obire, tradit Wallsinghamus (*c*). De eo porro hæc subiicit memoratus Westmonasteriensis: *Hic Eadvvardus fuit strenuus in armis per totam vitam suam in omni statu adeo quod totam Angliam de manu Simonis de Monteforti, comitum & baronum eidem Simoni adhærentium, qui etiam Regem Henricum patrem suum, & se ipsum tenuit in carcere, adquisivit, sicut superius in chronicis continetur. Totam etiam VValliam de manibus Leolini principis & Davidis fratris ejus, Aquitaniam de manu Regis Franciæ extorsit. Scotiam sibi sæpius subjugavit, sicut superiora gesta testantur. Sed capta Scotia proditiose per Robertum Brusium, ut supra proximo capitulo continetur, ipse idem inter exercitum in lecto mortis jacens, ex magnanimitate cordis mandavit & jussit corpus suum ibi remanere non sepultum, sed deferri in exercitu quousque tota Scotia esset finaliter acquisita. Sed hoc mandatum non potuit effectui demandari. Fuit corpus itaque delatum in Angliam & sepultum VVestmonasterii anno proximo sequenti* * XVIII. *die octobris, juxta sanctum Eadvvardum: ad caput patris, per manus venerabilium patrum domini Antonii patriarchæ Hierosolymitani & Dunelmensis episcopi, & Guillelmi archiepiscopi Eboracensis, cum cæteris episcopis, abbatibus & prælatis totius regni.* Hisque verbis auctor finem imponit historiæ, cui appendix adjecta est. Meminere porro Eduardi ut rerum gestarum gloria florentissimi Joannes Villanus (*d*) ac Bernardus, (*e*) quorum posterior hoc præclaro elogio ipsum exornat: *Eodem anno mense julii obiit memoratus Rex Angliæ Odoardus, vir in omni probitate famosus, cui successit in regno filius ejus nominis similiter Odoardus, qui eodem anno in sequenti mense februarii*, numerat auctor annos ab incarnati Verbi die, *duxit uxorem Regis Franciæ nomine Isabellam.*

(*a*) *Voesl. hist. flor. Scoti magnis cladibus attriti ab Eduardo seniore.*

(*b*) *Voesl. ibid. Vval. in Eduard. & alii.*

Illius mors.

Regni tempus.

(*c*) *Voesl. in Eduard. II.*

Ejusdem elogium.

Hoc eodem anno, quo Eduardus II. Rex Anglorum sceptrum capessivit, Ludovicus Hutinus, Philippi Galliarum Regis filius natu major Joannæ matris superiore anno vita functæ titulo Navarrena corona est redimitus: qui cum ad incundam regni possessionem, adigendosque in sua verba sacramento Navarros proficisceretur, flagitavit a Clemente, ut interdictum, quo regni princeps civitas Pompejopolis, ardente inter episcopum ac justitiæ præfectos dissensione, perculsa fuerat, amoveretur, quod pontificia clementia viribus carere jussit (*f*), dum ille in ea urbe versaretur. Exceptum a Navarris fausta procerum ac populi acclamatione refert S. Antoninus his verbis; (*g*) *Rex Parisios remeavit*, nimirum a Pictavensi colloquio cum Clemente habito, *& inde filium suum primogenitum Aloysium sive Ludovicum nomine in Navarram misit cum multitudine procerum, eumque ibi in Regem Navarræ coronari fecit in civitate Pampelonia.* Agunt de eo Hispani scriptores (*h*), ac Jacobum Regem Aragonum novas curas concepisse ajunt, ne Galli in Aragoniam proferre imperium molirentur; atque adeo Oscam profectum, ne vel ipsum a Sardica expeditione distraherent.

Firmatum eodem anno est Caroli Regis Ungariæ solium a Clemente, qui insignem constitutionem adversus Othonem ducem Bavariæ æmulum edidit, ut Ungariam civilibus bellis laniatam pristinæ paci restitueret, & Carolo Regi, qui a-

Jussit corpus insepultum manere donec perdomita omnino esset Scotia.

* XXVII. Res operi non mandata.

Hic Westmonasteriensis historia desinit.

Adjecta illi appendix.

(*d*) *Jo. Vill. l.8. c.90.*

Eduardus junior patri succedit.

(*e*) *Bern. & MS. gesta Clem. ubi sup. MS. Vat. sign. n.3765. in Clem. V. Buchan. l.8.*

XIV.

Isabellam sibi despondet.

(*f*) *Lib 2. ep. com. 388.*

(*g*) *Ant. 3. P. tit. 21. c. 1. §. 2. Paul. Æmil. in Phil pulc. Gaguin. in eod.*

Solemni ritu Pompejopoli corona cingitur.

(*h*) *Sur. ind. l.2. hoc an. Marian. l.15. c.7. & alii.*

XV.

Ungaricum regnum Carolo Martello contra Bavariæ ducem adjudicatum.

vitæ

viæ Stephani Regis Ungariæ filiæ, ac Ladislai sororis jure legitima successione sceptrum sibi debitum contendebat, dignitatem regiam assereret. Profecto jam ante Bonifacius, cum Wenceslaus Boemiæ Rex electionis jure illud affectaret, servatis judiciorum legibus sanxerat, non electionis, sed successionis jura in Ungariæ regno spectanda, neque Ungaros electione celebrata legitimi heredis juribus detrahere potuisse; ac Wenceslaum regno Ungarico abstinere jusserat. Cum vero extincto Wenceslao seniore Ungari seditiosi Othonem ducem Bavariæ excivissent ad regnum, idque bellis civilibus concussum extremo exitio pateret, Clemens Bavarum, neque ab eo, ad quem conferendæ regiæ inunctionis jus spectaret, corona redimitum, neque ullo successionis jure suffultum, incussa censurarum religione, regno, quod invaserat, abscedere, ac jura sua apud sedem Apostolicam disceptare imperavit (*a*).

(*a*) Lib. 2. ep. 302.

Clemens &c. Ad perpetuam rei memoriam.

Præjudicium Bonifacii pro Carolo contra Wenceslaum juniorem electum.

Dudum claræ memoriæ VVenceslao Rege Boemiæ tunc vivente, per ejus nuncium & literas supplicante felicis recordationis Bonifacio Papæ VIII. prædecessori nostro, ut negotium quondam VVenceslai ejusdem Regis filii tunc viventis, quem in Regem Ungariæ concorditer & canonice proponebat electum, & eundem Regem Boemiæ, ac tam suos quam ejusdem filii in hac parte sequaces in benevolentiam & gratiam ejus reciperet, ac se ipsis adjutorem, directorem benignum, & favorabilem in ipso negotio exhiberet; idem prædecessor super hoc pia & rationabili meditatione perpensans, quod præfatum regnum Ungariæ, tam nobile hactenus quam præclarum, in spiritualibus & temporalibus, per collisiones varias dignoscebatur esse collapsum; quodque charissima in Christo filia nostra Maria Regina Siciliæ illustris in eodem regno Ungariæ tanquam heres proximior se jus asserebat habere, & charissimus in Christo filius noster Carolus Rex Ungariæ illustris nepos ejus regnum ipsum in parte non modica ex persona jam dictæ suæ paternæ aviæ possidebat, de quo etiam in Strigoniensi ecclesia, juxta ritum antiquum Ungariæ, per personam idoneam regale susceperat diadema; memoratos Regem Boemiæ, ipsius filium & prædictum Carolum, eorumque sequaces & alios, qui sua crederent interesse, per piæ memoriæ Benedictum Papam XI. prædecessorem nostrum, tunc Nicolaum Ostiensem & Velletrensem episcopum, & in præfato Ungariæ regno Apostolicæ sedis legatum peremptorie citari mandavit, ut infra certi temporis spatium, in literis ejus expressum, cum omnibus actis, juribus, & munimentis suis, negotium contingentibus memoratum, coram prædecessore ipso Bonifacio deberent legitime comparere, super iis complementum recepturi justitiæ, ac facturi quæ pro dicti regni statu prospero per ipsum prædecessorem Bonifacium essent provide ordinanda.

Ut Carolus paternæ aviæ jure Strigonii corona cinctus sit.

XVI.

Eodem autem legato prædictos Regem & filium ac Carolum citante legitime, ac adveniente dicto termino; præfata Regina Siciliæ, intimato jam sibi ex parte prædecessoris ejusdem, ut & ipsa, si sua interesse putabat, in eodem termino compareret, & jam dictus Carolus nepos ejus per procuratores idoneos sufficienter instructos coram eodem prædecessore Bonifacio comparere cum reverentia debita curaverunt; venerabilibus fratribus nostris M. Zagabriensi T. Jauriensi, & B. Vuesprimiensi episcopis, & bonæ memoriæ S. archiepiscopo Colonensi, ac dilectis filiis nonnullis præpositis & archidiaconis de ipso regno Ungariæ ex vigore præfatæ citationis comparentibus similiter cum eisdem: jam dicti vero Boemiæ Rex ac natus ejus in prædicto termino, vel etiam postea comparere per se vel alium non curarunt; sed sub cujusdam palliationis astutia excusatores dilectos filios Henricum doctorem decretorum clericum, Joannem cantorem ecclesiæ de Veterribuda, & Joannem Romanum jurisperitum laicum ad præfati prædecessoris Bonifacii præsentiam destinarunt: qui eosdem Regem Boemiæ ac natum ejus excusare super eo, quod juxta præfatæ citationis edictum ad eundem prædecessorem Bonifacium procuratores sufficienter instructos non miserant, nitebantur; causas super hoc minus rationabiles, immo inanes & frivolas prætendentes: & nihilominus in pluribus consistoriis per eumdem prædecessorem Bonifacium ab ipsis excusatoribus seriose petito, si alias causas rationabiles excusationis haberent, vel ampliori forent potestate suffulti in excusatione culpæ contumaciam geminantes, dixerunt improbe, quod præfatus Boemiæ Rex nullo unquam tempore intendebat de ipso regno Ungariæ litigare; procuratoribus ipsis & nunciis eorumdem Reginæ Siciliæ ac nepotis instantibus, ut in contumaciam ipsorum Boemiæ Regis & filii ad declarationem & determinationem juris Reginæ ac nepoti competentis eisdem, prædecessor procederet memoratus.

Maria Regina & Carolo comparentibus judicium declinavit.

Boemi excusationes non admissæ.

Negante ipso subire judicium instit. Carolus ut contumaciæ damnaretur.

XVII. Jus possessorium a Bonif. datum Carolo.

Idem vero prædecessor, habita super iis cum fratribus suis examinatione solemni, profunda maxime meditatione recogitans statum præfati regni Ungariæ miserabilem & depressum, flebili quidem compassione condignum, quod revera ex prætacta præsertim contentione regnandi in pejus continue labebatur; quodque, sicut facti notorium permanentis evidentius ostendebat, notum prædecessori erat eidem, prædicta Regina Siciliæ, sicut primogenituræ jus obtinens claræ memoriæ Stephani Regis Un-

gariæ patris sui in eodem regno, propinquior erat successor & heres quondam Ladislao Regi Ungariæ fratri suo ex utroque parente, per quod opitulabatur eidem communis juris præsumptio, quæ in tali casu probandi onus in adversarium juste transfert; quia etiam quondam Carolus ipsius Reginæ primogenitus dicti Caroli genitor habitus erat quasi communiter, & præcipue per Romanam ecclesiam pro Ungariæ Rege dum vixit; nec ex parte dictorum Boemiæ Regis & filii de jure competente ipsis in Ungariæ regno prædicto allegatum erat aliquid vel assertum, nisi sola electio, quæ de ipso filio Regis proponebatur facta fuisse, quæ proculdubio diversis ex causis, prout ratio prima facie indicabat, minus legitima, immo prorsus videbatur inutilis; ex eo maxime quod, sicut scripti canonis series aperit, regnum ipsum Ungariæ successionis jure provenit, & electionis suffragio, arbitrioque non defertur; rationibus præmissis & causis aliisque motivis plurimis, quæ religionem debent judicantis instruere, in trutina rectæ deliberationis appensis, expedientia commixta licentiæ ac benigna humanitate servata; de plenitudine potestatis in apertam contumaciam eorumdem Boemiæ Regis & filii in præsentia plurium prælatorum, cappellanorum, familiarium prædecessoris ejusdem, & aliorum in consistorio vocatorum, & præsentibus eorumdem Boemiæ Regis & filii nuntiis, ac excusatoribus suprascriptis; idem prædecessor decrevit, diffinivit, declaravit, & voluit de fratrum consilio prædictorum, quod prædicta Maria in toto ipso regno Ungariæ ac pertinentiis suis omnibus, ac ubique terrarum Regina, & dictus Carolus nepos Rex Ungariæ nuncuparentur apertis labiis, scriptionibusque vulgatis, & intitularentur in publicis documentis; quodque prælati, clerici cujuscumque dignitatis, status, aut conditionis existerent, ac religiosi alii cujuscunque forent ordinis; nec non comites sive bani, barones, milites, cives, incolæ cujuscumque status, præeminentiæ, dignitatis, aut conditionis existerent; jam dicti regni Ungariæ, omniumque jurium & pertinentiarum ejus, ac aliarum regionum annexarum sibi, etiam si regnorum haberent titulum, dictis Reginæ Regique nepoti, tanquam ejusdem regni Ungariæ Reginæ ac Regi legitimis, pareret intendere, ac de fructibus, redditibus servitiis, juribus, & obventionibus aliis consuetis & Regi Ungariæ debitis, devote respondere curarent: prælatis, clericis, & religiosis, comitibus sive banis, baronibus, militibus, civibus, incolisque prædictis sub pœna excommunicationis injungens expresse, quam incurrerent eo ipso, si secus facerent, ut eisdem Reginæ & Regi Ungariæ circa recuperationem, defensionem, & conservationem regni prædicti assisterent auxiliis, consiliis,

Carolum parentem habitum a Rom. eccl. Ung. Reg.

Obtensa a Wenceslao electionis jura inania.

Veteres Ungariæ consuetudines.

Data Ungaris imperia, ut Carolo & Mariæ obsequentes essent.

& favoribus opportunis; quodque memoratos Regem Boemiæ vel ejus filium Regem Ungariæ nominare, vel titulare nulla nominatione, vel descriptione præsumerent, neve ipsis aut ministris eorum de fructibus, redditibus, proventibus, aliisque juribus dicti regni, & præfatorum sibi adjacentium quomodolibet responderent, vel ipsis circa occupationem, invasionem, detentionem, seu usurpationem memorati regni Ungariæ, ac præmissorum, quæ annexa sunt illi, publice vel occulte præstarent auxilium, vel consilium, seu præsidium favoris alicujus impenderent. Prælibatus enim prædecessor, prælatos, clericos, & religiosos, comites sive banos, barones, milites, cives & incolas memoratos ab omnibus homagiis, sacramentis fidelitatis, colligationis, aut conjurationis, quæ prælibatis Regi Boemiæ, filio, aut ministris eorum præstiterant, vel cum ipsis in præjudicium dictorum Reginæ ac Regis Ungariæ aliquatenus inierant; etiam si ea forent juramentorum, pœnarum adjectione, vel quovis alio vinculo roborata, quæ vacua juribus, & nulla fore censuit & carere decrevit omni robore firmitatis; absolvit, & ad eorum observationem quomodocumque, aut quantumcunque se astrinxissent pro observandis eisdem, ipsos non teneri decrevit.

Regem Boemiæ sibi non asciscerent.

Sacramenta illi præstita rescissa.

XVIII. Constitutum Wenceslao tempus, quo jure petitorio ageret apud sedem Apost.

Et ut quæ gravitati sedis Apostolicæ congruebant, prædecessor idem cum debita maturitate servaret, nec excluderet a suis processibus amicam in throno sedentibus æquitatem; Regi Boemiæ, filioque præfatis certum peremptorium terminum assignavit, infra quem ipsi per se, vel alium, seu alios, si qua jura de proprietate dicti regni Ungariæ se habere credebant, eidem prædecessori, & Apostolicæ sedi reverenter ostenderent, illaque peterent & prosequerentur ordine debito, & ut rationabile foret, sicut eis videretur melius expedire. Super possessorio tamen cujuscumque speciei vel generis de dicto regno Ungariæ memorato, Regi Boemiæ vel filio competente, propter eorum contumaciam sic contractam perpetuum eis duxit prædecessor ipse silentium imponendum. Ultra præmissi vero termini spatium, ne in potestate foret dictorum Boemiæ Regis & filii inquietare pro libito, molestare frequenter; & ut vitandi scandali occasionem tolleret, ad quam causam ex tunc in jure & proprietate competentibus ipsis forsitan in regno præfato, jurisdictionis suæ ac sedis Apostolicæ denegavit prædecessor idem incommutabili edictione præsidium, & eis in tribunali quocunque tum de justitiæ fomite, quam de potestatis plenitudine perpetuum silentium imposuit de fratrum consilio prædictorum: ita quidem, quod prædicta termini præfinitio, jurisdictionis denegatio, impositioque silentii ex tunc elapso ipso termino perinde vigorem & effectum haberent, ac si

Abscissa illi, eo elapso, disceptandi in judicio omnis spes.

in eorundem Boemiæ Regis & filii per formam citationis ſolitæ notitiam pervenirent: cum non foret veriſimile, ut præmiſſa in notitiam & conſcientiam dictorum Boemiæ Regis & filii debito tempore devenire non poſſent, quæ in præſentia ipſius conſiſtorii, prædictorum, prælatorum aliorumque plurium, & eorundem nuntiorum & excuſatorum maxime erant tam vulgata, tamque ſolemniter publicata, prout hæc & alia in ipſius prædeceſſoris Bonifacii bullatis literis inde confectis plenius & ſeriosius continentur: quæ omnia poſtmodum fuiſſe dicuntur in locis ſolemnibus dicti regni Ungariæ de mandato prædeceſſoris ejuſdem tempore debito ſolemniter nihilominus publicata.

Acta Bonifacii a Clemente confirmata.

Nos autem ejuſdem prædeceſſoris Bonifacii in hac parte veſtigiis inhærentes, ipſorum Reginæ ac Regis Ungariæ ſupplicationibus inclinati, conſtitutionem, diffinitionem, declarationem, voluntatem, mandatum ſive mandata, cenſuram, abſolutionem, termini præfixionem, ſilentii impoſitionem, præſidii denegationem, & alia ſuprædicta, quæ per eundem prædeceſſorem Bonifacium taliter facta ſunt, rata habentes, & grata, ea ex certa ſcientia de fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus: excommunicationis vero ſententiam ſupradictam volumus uſque ad ſatisfactionem condignam auctoritate noſtra, appellatione remota, inviolabiliter obſervari. Verum ſicut fama publica, quinimmo infamia referente, non abſque grandi admiratione ſeu potius turbatione didicimus, quod etiam ſic manifeſtum atque notorium nedum in ipſo regno Ungariæ ac vicinis, ſed in remotis etiam partibus eſſe dicitur, quod nulla poteſt tergiverſatione celari, nonnulli ex prælatis, clericis, religioſis comitibus ſive banis, baronibus, militibus, civibus, & incolis memoratis præfatorum Boemiæ Regis & filii in hac parte fautores atque ſequaces, immemores ſalutis eorum, hujuſmodi præcepta, ſententias & proceſſus prædeceſſoris ejuſdem damnabiliter contemnentes, ac venientes temere contra ea, præfatis Reginæ ac filio Regi Ungariæ juxta præmiſſum mandatum ipſius prædeceſſoris aſſiſtere circa recuperationem, defenſionem, & conſervationem jam dicti regni Ungariæ, ipſiſque parere, intendere, ac reſpondere minime curaverunt: quin potius ipſi Boemiæ Regi & filio, dum vivebant, eorumque miniſtris adverſus eoſdem Reginam & Carolum Regem Ungariæ, ac in eorum præjudicium præſtiterunt poſtmodum auxilium, conſilium, & favorem, prædictos Reginam & Carolum Regem ſuper ipſo regno, ac ejus bonis & juribus inquietando nequiter, & multipliciter moleſtando; propter quod præfatam excommunicationis ſententiam, latam per eundem prædeceſſorem Bonifacium, damnabiliter incurrerunt.

Nonnulli proceres, & epiſcopi contra Bonif. edicta ſentere cum Rege Boem.

XIX. Defuncto Wenceſlao ſenior. Othonem ducem Bavar. ad regnum occupandum evocarunt.

Eodem autem Rege Boemiæ viam deinde univerſæ carnis ingreſſo, præfato adhuc ipſius Regis vivente filio, nonnulli ex præmiſſis prælatis, clericis, & religioſis, comitibus ſive banis, baronibus, militibus, incolis, atque civibus, in ſenſum dati reprobum, & ſpiritu obcœcati nequitiæ, in multiplicationem exceſſuum, injuriarum contemptus, & offenſarum auſu præcipiti collabentes, contra eoſdem Carolum Regem & Reginam Ungariæ, nobilem virum Othonem Bavariæ ducem nequiter convocarunt, ſeu potius obduxerunt, adhærendo & aſſiſtendo ſibi patenter & publice ad invaſionem, occupationem, & detentionem dicti regni Ungariæ, vel alicujus partis ipſius, ac præſtando auxilium, conſilium, & favorem, ex quo etiam ipſos tenet excommunicationis præfatæ laqueus alligatos; idemque dux, ipſorum, & aliorum potentia fultus, & auxiliis communitus prætextu convocationis, ſeu obductionis hujuſmodi ad invaſionem, occupationem, & detentionem prædictam Ungariæ regni temeraria præſumptione ſe transferens, per ipſum B. Veſprimienſem, & quondam A. Chamadienſem epiſcopos ſe coronari, ut dicitur, in

Is profectus in Ung. inſignes regalium accepit.

Regem Ungariæ procuravit, in hoc etiam officium juriſdictionis Strigonienſis archiepiſcopi, ad quem Regis Ungariæ coronatio pertinet, faciens uſurpari: & eoſdem Carolum Regem & Mariam Reginam Ungariæ in adjudicata, ut præfertur, eis poſſeſſione dicti regni nequiter moleſtare, inquietare, & perturbare præſumit, invadendo, occupando, & uſurpando violenter, & injuſte pro viribus terras, loca, bona, & jura regni ejuſdem, ac etiam detinendo in ipſius regni ſubverſionem & ſcandalum, ſuæ ac ſuorum complicum & ſequacium in hac parte ſalutis diſpendium, & prædictorum Reginæ ac Regis grave damnum, præjudicium & jacturam. Propter quæ pro parte prædictorum Reginæ ac Regis Ungariæ pro adhibendo ſuper iis optimo remedio, ad noſtram & dictæ ſedis providentiam humiliter habitus eſt recurſus.

Injuſtum adverſus Carolum Regem bellum movit.

Maria Regina & Carol. adverſus illum ſedis Ap. auxilium imploraverunt.

Nos itaque nolentes hæc, non abſque divina & præfatæ ſedis injuria & contemtu attentata taliter & præſumpta, ſicuti nec debemus, conniventibus oculis præterire, quin circa ea, cum ſimus omnibus injuſtitia debitores, officii noſtri debitum, prout tenemur & expedire credimus, exequamur; prælatis, clericis, & religioſis, comitibus ſive banis, baronibus, militibus, civibus incolis, complicibus, & ſequacibus memoratis, excommunicationis in perſonas, & interdicti in terras & loca eorum, ac privationis omnium officiorum, & beneficiorum, privilegiorum, & gratiarum, atque bonorum, quæ a Romana, ſive ab aliis, vel in aliis quibuſcumque tenent, vel habent eccleſiis, pœnis, atque ſententiis, quas ipſo incurrant facto, ſi ſecus egerint, di-

Annuit eorum precibus Clemens.

Cenſuras iis incutit qui in Carolum rebellionem moverint.

ſtricte præcipimus, ut a præmiſſis omnibus, contra prædictos Carolum Regem & Reginam Ungariæ in auxilium & favorem ducis præfati per eos attentatis taliter & præſumptis, ceſſent penitus & deſiſtant: & tam eoſdem prælatos, clericos, & religioſos, comites ſive banos, barones, milites, cives, incolas, complices, & ſequaces; quam omnes alios & ſingulos tam de præfato regno Ungariæ ac ipſius pertinentiis & juribus, quam de aliis regionibus quibuſcumque ſive annexis ſive non annexis eidem regno, cujuſcumque ſint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, & ſtatus, etiamſi regali, vel alia quavis præfulgeant dignitate, attente monemus, eis omnibus, & ſingulis auctoritate prædicta ſub eiſdem pœnis & ſententiis, quas, ſi contrafecerint, eos incurrere volumus ipſo facto; diſtrictius injungentes, ne in præjudicium prædictorum Reginæ ac Regis Ungariæ præfatum Bavariæ ducem, vel quemvis alium Regem Ungariæ nominare titulare, vel deſcribere, ſeu habere, vel tenere præſumant; neve ipſum, vel miniſtros ejus quomodolibet recipiant, vel admittant; nec ei, vel hujuſmodi miniſtris ipſius in invaſione, occupatione, uſurpatione, vel detentione dictorum regni Ungariæ, jurium, & pertinentiarum ejus, aut annexorum ſibi, vel alicujus partis eorum præſtent auxilium, conſilium, vel favorem, publicum vel occultum, vel de aliquibus ejuſdem regni redditibus, bonis, & juribus quoquomodo reſpondeant, vel miniſtrent; neque cum eis, vel pro eis ullam faciant colligationem, conjurationem, convocationem, vel commotionem, ſeu alias noxiam novitatem, donec de juribus & proprietate dicti regni per eandem ſedem plene fuerit definitum.

Objectæ aliæ pœnæ.

XX. Intentatum, duci Bavariæ anathema.

Ipſum quoque ducem Bavariæ attente monemus, ſibique diſtricte injungimus ſub ſimilibus excommunicationis & interdicti ac privationis pœnis & ſententiis, quas ex nunc, prout ex tunc, ſi contra fecerit, proferimus contra eum, ac eas ipſo facto eumdem incurrere volumus, ne ſe Regem Ungariæ nominet; neve de illo titulum ſibi dignitatis regiæ, vel alterius dominationis aſcribat; neque præfatum regnum, vel aliquam ejus partem occupare, invadere, vel detinere præſumat; neve prælibatum Carolum Ungariæ Regem, vel miniſtros ipſius in poſſeſſione prædictorum regni Ungariæ, jurium, & pertinentiarum ejus, vel quorumcumque annexorum eidem, per ſe, vel per alium, ſeu alios impediat, perturbet quomodolibet vel moleſtet: ſed a qualibet eorum occupatione, invaſione, uſurpatione, ac detentione ceſſet & deſiſtat omnino quousque ſuper ipſius regni jure, ac proprietate plena præfatæ ſedis, ut præmittitur, definitio ſubſequatur. Et ne dici poſſit, quod quemquam a proſecutione ſui juris ſuper proprietate dicti regni excludere intendamus, ipſi duci Bavariæ uſque ad annum continuum poſtquam hæc in dicto regno, vel vicinis partibus juxta tenorem aliarum literarum noſtrarum extiterint publicata, peremptorium aſſignamus terminum; infra quem per ſe, vel alium, ſeu alios, ſi qua de proprietate prædicti Ungariæ regni jura ſe habere crediderit, illa nobis, & ſedi Apoſtolicæ reverenter oſtendere, petere, ac coram nobis, vel ipſa ſede proſequi debito procuret ordine, ac ſicut rationis extiterit, & melius ſibi videbitur expedire: parati enim ſumus exhibere ipſi favorabiliter & benigne ſuper hoc juſtitiæ complementum. Cæterum ne moleſtandi & turbandi pro velle ſit ei exceptionis cujuſcumque facultas, ultra præmiſſum aſſignatum ſibi terminum, niſi prius oſtenderit, petierit, & proſecutus fuerit, ut præfertur, ſuper jure proprietatis, ſi quod dicto duci forſitan in regno ipſo competeret, a noſtræ & dictæ ſedis ſit præſidio juriſdictionis excluſus: & in quocunque judicio, tam de rigore juſtitiæ, quam de apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, ei ſuper hoc perpetuum ſilentium imponimus de prædictorum fratrum conſilio & aſſenſu. Nulli &c. noſtræ confirmationis, præcepti, monitionum, mandatorum, aſſignationis & impoſitionis infringere, &c. ſi quis, &c. Dat. Pictavis IV. *idus auguſti anno ſecundo.*

Designatum unius anni tempus quo obtenſa jura apud ſedem Ap. probet.

XXI. Transmiſit (*a*) eam conſtitutionem Pontifex ad Strigonienſem archiepiſcopum, ac Vincentium Colocenſem deſignatum, quibus provinciam impoſuit, ut hæc decreta in Ungariæ regno divulgarent, atque epiſcopum Camadienſem, a quo ferebat fama Othonem ducem Bavariæ regia inunctione delibutum, judicio ad ſedem Apoſtolicam accerſerent: *Antonium*, inquit, *Camadienſem epiſcopum, ſi eundem Othonem, ut prædicitur, coronavit, ne tantus temeritatis exceſſus maneret impunitus, ſi per famam ſeu indaginem etiam non ſolemnem eum deliquiſſe conſtiterit, vos citare curetis, ut intra quadrimeſtre temporis ſpatium poſt citationem hujuſmodi noſtro & Apoſtolicæ ſedis conſpectui perſonaliter ſe præſentet.*

(*a*) *Reg. poſt eand. ep.* Chamadien. epiſc. ob impoſitam duci Bavariæ coronam accerſitus in judicium.

Ac ne quid ad tuendas Caroli Regis partes, componendamque fluctuantem Ungariam Clemens prætermitteret, cum religio in continendis in officio populis, vel ad obſequium adducendis rebellibus plurimum poſſit, Gentilem tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinalem, legationis in Ungaria, ac finitimis provinciis exercendæ munere auctum miſit (*b*). Quo argumento inſigne eſt diploma (*c*) Pictavis pridie kal. auguſti datum ad Ungaros, Polonos, Dalmatas, Croatas, Ramæos, Servios, Lodomerios, Galatios, Cumanos, apud quos deplorat ut florentiſſimum Ungariæ regnum ſeditionum pro-

Gentilis Card. legatus in Ungar. miſſus.

(*b*) *Lib. 2. ep. cur.* 27.

(*c*) *Reg. poſt eand. ep.*

Legatum in id incubiturum commendat.

cellis jactatum fluctuarit, defloruerit illius dignitas; in eo religionis cultus exoleverit, templorum incendiis, urbium excidiis, cædibus populorum fœdatum sit: ad quæ tollenda mala, pristinoque Ungariam splendori restituendam, cum eo se conferre non possit, significat legatum summa auctoritate instructum, rerumque gerendarum peritia, aliisque virtutibus insignem, nimirum Gentilem Cardinalem mittere, quem ut debito honore complectantur, ejus imperia excipiant, atque ubi opus fuerit, opem ipsi explicent, adhortatur; Albertumque Regem Romanorum, ut legato auxilium porrigeret, solicitavit (*a*): instruxit vero ad rem bene gerendam Gentilem Cardinalem plurima auctoritate, multisque privilegiis decoravit; (*b*) inter quæ permisit, ut Minoritas, quos in familiam suam adscisceret, si ad episcopales sedes gerendas, dum legationem obiret, eligerentur, ecclesiarum regimini admoveret (*c*).

Solicitatus Albert. Rex Rom. ne legato opera desit.

(*a*) *Ep. cur.* 31.

(*b*) *Ab ep.* 28. *ad* 30.

(*c*) *Ib. ep.* 39.

Perveniſſe proximo anno legatum Cardinalem in Ungariam, atque omnes illius motus compoſuiſſe, & adegiſſe Ungaros ad Caroli obſequium; Othonem vero ducem Bavariæ poſt ſuſceptum regium inſigne, dum adjuncto ſibi Bela Thomæ filio, ac multo inſtructus equitatu in Tranſilvaniam profectus eſſet, ut eam provinciam ſuo adiiceret imperio, a Ladiſlao Vayvoda captum, tentumque in carcere, donec poteſtati regiæ ceſſit, referunt Ungarici ſcriptores (*d*). At interceptum fuiſſe inſidiis narrant, (*e*) cum ad conciliandum ſibi Ladiſlaum Tranſilvaniæ præſidem illius filiam ſibi deſponditſet, invitatumque a ſocero mancipatum cuſtodiæ fuiſſe, & ex ea miniſtri ope auſugiſſe in Poloniam, agnitumque a duce Glogovienſi ejus filiam ſibi thoro junxiſſe; tum ejus & Boemorum ope in Bavariam, abjecta regni Ungarici ambitione, ſe cum uxore Polonica recepiſſe; quocirca omnia ad Carolum puerum in Ungaria proniora fuerunt.

(*d*) *Thur. in chr. p.* 2. *c.* 89. *Bonfin. dec.* 2. *l.* 9.

(*e*) *Aventin. annal. Bojor. l.* 7. *& alii.*

Otho vinculis traditus.

XXII. Lud. Tol. epiſc.

Non vulgaris hæc Caroli Siciliæ Regis felicitas fuit, ut non modo nepotem e Carolo Calabriæ duce filio Ungarica corona cinctum viderit; verum, quod maximum eſt, filium ſuum natu ſecundum Ludovicum, qui ſpreta regni Siculi ſucceſſione, religioſam S. Franciſci diſciplinam amplexus, dein Toloſanæ gerendæ eccleſiæ præfectus virtutibus emicuerat, miraculis poſt mortem radiare viderit: quæ cum certiſſimo adeptæ æternæ felicitatis argumento opinionem ſanctitatis illius diffunderent, Pontifex archiepiſcoporum Arelatenſis, Ebredunenſis, & Aquenſis, ac ſuffraganorum epiſcoporum, tum civium Maſſilienſium precibus adductus, Guidoni Xantonenſi, & Raimundo Lectorenſi epiſcopis partes contulit, (*f*) ut patrata Ludovici ope prodigia ad ſacrum examen revocarent, quo de ipſo ſanctorum albo addendo agitaretur.

(*f*) *Lib.* 2. *ep. com.* 282.

Clemens, &c.

Nuper ad nos venerabilium fratrum noſtrorum P. Arelatenſis, G. Ebredunenſis, & P. Aquenſis archiepiſcoporum, & ſuffraganeorum ſuorum, ac dil. univerſitatis hominum Maſſilienſium fide digna relatione pervenit, quod recolendæ memoriæ Ludovicus epiſcopus Toloſanus, chariſſimi in Chriſto filii noſtri Siciliæ Regis natus, ab ipſo ſuæ juventutis exordio, tanquam prædeſtinatus ad gloriam hereditatis æternæ, innocentiæ ſemitis divina inſpiratione perrexit, & in eo ætate ſuccreſcente, gradatim, ipſe glorioſis virtutibus & fama concrevit; ac deinde ſpretis pompis & vanitate mundanis, Chriſti pauperis veſtigia proſequens, & in ordine fratrum Minorum profeſſorum paupertatis devotam profeſſionem emittens, laudabiliter geſſit jugum obſervantiæ regularis; vocatuſque poſtmodum ad regimen eccleſiæ Toloſanæ, ſic ſibi per vitæ meritum, ſicque aliis proficere ſtuduit per exemplum, ſic quoque mundanis omnino relegatis affectibus ſe Deo gratum & acceptabilem hoſtiam immoluit, quod per grandia ejus præcelſaque merita, ipſo demum de hac luce ſubtracto, & reddito ejus ſpiritu Patri luminum, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, etiam antequam ejus corpus juxta ſui diſpoſitionem arbitrii apud locum dictorum fratrum in prædicta civitate Maſſilienſi traderetur eccleſiaſticæ ſepulturæ, ac ſucceſſive poſtmodum ipſe Pater altiſſimus, qui eum in ſuæ conſortem hereditatis firmiter creditur elegiſſe, multa & evidentia eſt miracula operatus.

Ut a vitæ primordiis coluerit ſanctitatem, Inſtituta Minoritarum ſit amplexus. Creatus Toloſ. ep, emicuerit virtutibus.

Miracula ediderit.

Et quamvis pro parte archiepiſcoporum, ſuffraganeorum, & univerſitatis eorumdem felicis recordationis Bonifacio Papæ VIII. prædeceſſori noſtro, iis ſemel & iterum reverenter expoſitis, & cum inſtantia multa petito, ut ſuper præmiſſis inquiri faceret diligenter, veritate ſibi patefacta lucidius, ad ejuſdem Ludovici canonizationem procederet juxta ritum; quia tamen, antequam prædeceſſor ipſe potuiſſet de prædictis per exactæ diſcuſſionis indaginem informari, fuit de hac luce ſubtractus, petitioni & inſtantiæ prædictorum taliter repetitis nequivit votiva ſatisfactio provenire. Quare archiepiſcopi, ſuffraganei, & univerſitas ſupradicta nobis per eorum patentes literas ſupplicarunt, quatenus eundem Ludovicum ſanctorum patrum catalogo aſcribere curaremus, ut auctoritate, ſicut convenit, apoſtolica dignus honor illi exhiberetur in terris, qui prout claris ſignis, & evidentibus argumentis apparet, honoratur in cœlis. Licet igitur quod divina clementia dignis effert honori-

Ob ea flagitavit clerus, ut ſanctorum honos illi decerneretur.

Religioſum de iis miraculis examen inſtitui jubet Clemens.

ribus, humana devotio promptis affectibus honorare debeat, & devotionis laudibus revereri; nos tamen in hujuſmodi negotio Apoſtolicæ ſedis conſuetam & debitam maturitatem obſervare volentes, fraternitati veſtræ de fratrum noſtrorum conſilio per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de vita & moribus præfati Ludovici, cum præſentis perageret vitæ curſum, ac de hujuſmodi meritis & miraculis veritate diligentius inquiſita, quicquid ſuper iis vos invenire contigerit, nobis ſcriptum fideliter ſub veſtris ſigillis per fideles & idoneos nuncios remittere ſtudeatis. Datum Pictavis III. *non. auguſti anno ſecundo.* Hoc nimirum anno MCCCVII. cum pontificatus Clementis anni a die, qua tiara pontificia ritu ſolemni eſt inſignitus, numerentur: anno enim Chriſti MCCCVI. auguſti menſe nondum Pictavium ſe contulerat.

XXIII. Interim S. Ludovici epiſcopi parens Carolus II. onuſtus plurimo ære alieno ob præterita bella, cum exonerari ab ſede Apoſtolica depoſceret, Arelatenſis archiepiſcopi oratoris opera Pontifici & cœtui Cardinalium proponebat, Romanos Pontifices, ut Siculi regni ſupremos dominos, ad defendendum illud contra invaſores, ſumptuſque bellicos ſuſtinendos obſtrictos fuiſſe. Quæ res ne fraudi & damno Romanæ eccleſiæ verteret, Clemens conſti-

(*a*) *Ext. in arce S. Angeli & in l. priv. Rom. eccl. to.* 2. *pag.* 206. *& inter Coll. Plat. to.* 1. *p.* 310. *& in MS. Vall. ſign. lit. B. n.* 12. *pag.* 160.

tutione edita promulgavit (*a*), ſedem Apoſtolicam ad tolerandos ſuperiorum bellorum ſumptus nullo modo teneri potuiſſe, nec ſi alia in poſterum moverentur ad defendenda ſua jura fiduciaria officio ullo devinciri.

Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Chariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Siciliæ Rex illuſtris, & claræ memoriæ pater ejus, dudum bello Siculo a quondam Petro olim Aragoniæ Rege, ſuiſque filiis ipſis illato afflicti graviter diu & attriti, coacti ſunt propter neceſſitates, expenſas, & onera, quæ belli ipſius diuturnitas introduxit, & adverſa fortuna paravit, impares ſumptibus hactenus a Romanis Pontificibus prædeceſſoribus noſtris, & Rom. eccleſia, a qua prædictum regnum genitor Regis ejuſdem tenuit, & ipſe Rex tenet in feudum, diverſa flagitare ſubſidia; eiſque uſque ad ſummam trecentarum ſexaginta ſex millium unciarum auri, ex cauſa mutui ab ipſis Rege & genitore hujuſmodi occaſione ſuſcepti, ſe ac bona ſua ſolemniter obligare. Nuper vero a nobis in præſentia fratrum noſtrorum & ſua Rex ipſe per venerabilem fratrem noſtrum Petrum aechiepiſcopum Arelatenſem ſuppliciter petiit, quatenus de miſericordia & Apoſtolicæ ſedis gratia, pluribus allegatis ſuæ ad ſolutionem tanti debiti impotentiæ cauſis; & ad fortius ſuadendum etiam juris rationibus, & variis argumentis admixtis, quod Romana eccleſia, ſicut domina regni præfati eis ut vaſſallis ejuſdem pro regno prædicto ad defenſionem tenebatur ipſorum & regni, ac onera & expenſas hujuſmodi occaſione ſienda ſubire debuerat, dicti debiti remiſſionem ei ſaltem compenſationis jure facere dignaremur.

Solvendo impar Sic. Rex miſericordiam eccleſiæ imploravit.

Onera, quæ ſubiiſſet expoſuit.

*Nos igitur prius ſuper his cum dictis fratribus noſtris & aliis viris prudentibus collatione habita diligenti, & prædictis rationibus confutatis; conſideratis etiam, quæ in conventionibus in conceſſione olim per eandem eccleſiam facta de regno eodem patri Regis ejuſdem appoſitis continentur; attentis inſuper multis aliis, quæ * variare longiſſimum foret, volentes errorem hunc, ne in futurum creſcat, in ſui ipſius ortu ſuccidere, & omnem in poſterum dubitationis materiam amputare; Rege ipſo præſente, & ad id ſuum ſponte & ſpecialiter præbente conſenſum, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio & aſſenſu, definimus & ſententialiter declaramus, quod Romana eccleſia in bello prædicto, quod ſæpe dictus Rex & genitor ejus in dicto regno Siciliæ paſſi ſunt, non debuit, nec ſi moveretur in poſterum contra eum, vel heredes, & ſucceſſores ejus bellum univerſale vel particulare quodcunque, aut rebellio quævis in eodem regno, ſive terris, quæ ab eadem eccleſia tenet in feudum, ipſos defendere, vel eis ſumptus aliquos in hoc impendere teneretur; ſed iidem Rex, heredes, & ſucceſſores ad expenſas, a quibus dictam eccleſiam pronunciamus & decernimus liberam & immunem, pro defenſione ſua, regni præfati, & quarumcunque terrarum ejus irrefragabiliter teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ diffinitionis, declarationis, pronunciationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Pictavis* XIII. *kal. auguſti pontificatus noſtri anno ſecundo.*

* narrare

Eccleſiam Rom. ad nullos ſumptus profundendos pro defendenda Sicilia fuiſſe obnoxiam.

Ego Clemens catholicæ eccleſiæ epiſcopus.
Ego Joannes tit. ſanctorum Marcellini & Petri presbyter Cardinalis ſubſcripſi.
Ego Benedictus tit. SS. Nerei & Achillei presb. Card. ſubſcripſi.
Ego Arnaldus tit. S. Marcelli presb. Card. ſubſcripſi.
Ego frater Thomas tit. S. Sabinæ presb. Card. ſubſcripſi.
Ego frater Nicolaus tit. S. Euſebii presb. Card. ſubſcripſi.
Ego Guillelmus tit. S. Potentianæ presb. Card. ſubſcripſi.
Ego Stephanus tit. S. Cyriaci in thermis presb. Card. ſubſcripſi.

Nomina Cardinalium, qui ſua adjecere ſuffragia.

Ego

Ego Leonardus Albanenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Petrus Sabinenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Joannes Portuenſis epiſcopus ſubſcripſi.
Ego frater Nicolaus Oſtienſis & Velletrenſis epiſc. ſubſcripſi.
Ego Petrus Præneſtinus epiſcopus ſubſcripſi.
Ego Landulfus S. Angeli diac. Card. ſubſcripſi.
Ego Guillelmus S. Nicolai in carcere Tulliano diac. Card. ſubſcripſi.
Ego Franciſcus S. Mariæ in Coſmedin ſubſcripſi.
Ego Ricciardus S. Euſtachii diac. Card. ſubſcripſi.
Ego Lucas S. Mariæ in via lata diac. Card. ſubſcripſi.
Ego Petrus ſanctæ Romanæ eccl. diac. Card. ſubſcripſi.
Ego Raymundus S. Mariæ novæ diac. Card. ſubſcripſi.
Ego Arduinus S. Mariæ in Porticu Card. ſubſcripſi.

XXIV. Obſtrictus eccleſiæ Carolus ad trecenta, ac ſexaginta ſex unc. auri millia.

Aſſertis itaque ſedis Apoſtolicæ juribus, ne ſucceſſores graviori onere premeret, ſi ipſos profundendis in defendendo regno ſumptibus implicuiſſet, benignitatem ſingularem explicuit, Pontifex in Carolum II. qui ob præterita bella ab evoluto tantarum converſionum tempore ingenteſque ſumptus tum a Carolo ipſius parente, tum a Gerardo epiſcopo Sabinenſi & Roberto comite Atrebatenſi Siculæ regiæ procuratoribus, tum ab ipſomet, poſtquam carcere laxatus eſt, profuſos graviſſimis nominibus onuſtus erat: adeo ut præſtita mutuo illi a Romana eccleſia auri moles ad trecenta & ſexaginta ſex millia unciarum aſcenderet: quibus ſolvendis cum impar eſſet Carolus, Clemens revocatis in memoriam inſignibus Caroli I. in eccleſiam meritis, tum Caroli II. officiis & obſequiis ut gratiam reponeret, & calamitatum, quibus regia Sicula tamdiu oppreſſa fuerat, miſereretur, aſſentiente Cardinalium collegio, tertiam illi totius ſummæ partem remiſit (*a*): de duabus vero reliquis ſummæ olim mutuo traditæ partibus ita cum Carolo Clemens, qui Syriacam expeditionem verſabat animo, pactus eſt, ut jam ante indicatum fuit. Exercendæ porro liberalitatis has cauſas attulit.

(*a*) *Ext. ea lit. in arce S. Ang.*

Clemens, &c.

Non ſine turbatione mentis diuturnitatem Siculi belli in conſiderationem deduximus, tui, filiorumque tuorum carceres, conflictus varios, tam maritimos quam terreſtres, quos paſſus es, cædes, incendia, prædas, damna, innumeraſque rurſus, quas belli calamitas introducit clades, advertimus & finem feliciorem nunc, qui datus eſt bello, conſpeximus diligenter. Hæc tuas, regnique prædicti attriverunt opes: hæc tui habendam miſerationem ſuadent: hæc noſtra commovent viſcera pietatis: his & diverſis munia quærere: his miſerabiliter ſupplex coactus es ſuffragia poſtulare. Quis dirus pater non miſereatur tui, fili chariſſime? Quis crudelis dominus tibi opem inclyte vaſſalle non ferat? aut quis paſtor ſævus te ovis præclara in uberrimis paſcuis non locabit? Abſit quod a principe recedas vacuus, a Romano Pontifice fruſtra poſtularis auxilium, & in tempore placito non fueris exauditus. Eliſeus non tantum viduæ mulieri ſubvenit, ut redderet debitum creditori; verum etiam unde ipſa, ejuſque filii viverent, de multa benignitate providit. Habet nempe aurum eccleſia non ut ſervet, ſed eroget, & neceſſitatibus ſubveniat oppreſſorum. Argentum quoque & aurum templi divitis Judæorum hoſtis non aſportaſſet Aſſyrius, ſi non avare aut in pompam ſervatum fuiſſet, ſed miſericorditer erogatum. In evangelii etiam narratur parabola, quod duorum debitorum non habentium unde redderent, creditor donavit utriſque. Nunquid habes fili unde commode reddas quod tanta mole debitorum premeris, qui ſecundum dignitatem regiam tibi & tuis liberis in expenſis providere debes, quive alias ex pluribus cauſis graviter aliis diceris debitis oneratus? Nunquid contra decus regium immobilia regni prædicti in ſolutum dabis eccleſiæ, ut relinquaris pauper & efficiaris egenus, & tui, ne egeas, non habeamus crudeliter rationem? Certe ad humanitatis, quæ requiritur in nobis, quod provideamus egenis, non eſſet, nec ſacerdotis hoc fore modeſtiæ probaretur, qui manum ſuam aperit inopi & extendit ad pauperem palmas ſuas. Jubilæus inſuper in lege veteri annus fuit, in quo fiebat remiſſio debitorum. Res quippe favorabilis eſt remiſſio debiti, & ideo major pars creditorum in hoc minori præjudicat, & qui inducias eligunt, præferuntur iis, qui bonorum poſtularint ceſſionem, &c. Dat. Pictavis kal. auguſt. anno 11. Inſigni adeo auctus beneficio Carolus Rex, qui Pictavium ad Clementem ſe contulerat, paucis poſt diebus illuſtre grati animi ob acceptum beneficium regium diploma confecit, quod in molis Adrianæ archæo reconditum eſt, & inter inſignia monumenta a Platina juſſu Sixti IV. collecta (*b*), tum in MS. noſtro Vallicellano extat: e quo hæc pauca decerpſiſſe ſuffecerit.

Causas explicandæ in eum miſericordiæ exponit Pont.

Agit Clementi Carolus pro impenſo beneficio grates.

(*b*) *Ext. in arce S. Angeli & inter Collect. Plat. to. 1. pag. 314. & in MS. Vall. ſign. lit. B. n. 12. p. 328. & 399. & in MS. ſign. lit. D. n. 1. p. 130. & 138.*

Pie pater & domine, quia gratitudinis exigit debitum, ut gratus beneficia recipientis affectus præterita memoret, præſentia recognoſcat, ego ingratitudinis vitium fugiens libenter intra pectoris clauſtra diſcutio & ſolicita meditione revolvo quanta

ta ſancta mater eccleſia, & prædeceſſores veſtri Romani Pontifices præfatum dominum genitorem meum & me diligentia foverint, quam ferventer nobis in neceſſitatibus & opportunitatibus noſtris porrigendo dexteram auxiliatricem aſtiterint, quamque ſtudioſe in promptu exurgentes in auxilium noſtris periculis obviarint: ſed & nunc, beatiſſime pater, vos qui prædeceſſoribus ipſis veſtris in affectus plenitudinem ad me, regnum, & liberos meos ſucceſſiſſe noſcimini, immo pro relevanda mei ſtatus oneroſa conditione divino nutu in hæc tempora videmini reſervati, de innata vobis liberalitate ac miſericordia ſuprascripti debiti trecentarum & ſexaginta ſex millium unciarum auri, ſive ſit tantum, ſive ſit minus, ſive etiam plus aſcendat, tertiam partem mihi beredibuſque meis, & ſucceſſoribus remiſiſtis, & de gratia ſpeciali donaſtis: pro quibus remiſſione & donatione uberes exolvens gratias, ad pedes veſtræ ſanctitatis reverenter accumbo, &c. Dat. Pictavis an. Domini MCCCVII. XXI. julii V. *indictionis regnorum meorum anno* XXIII.

XXV. Beatrix Drocenſis comitiſſa voti non perfecti religione ſoluta.

Conſulente inter hæc ſedem Apoſtolicam Beatrice Drocenſi comitiſſa, ſe olim accepto crucis ſymbolo expeditioni Syriacæ voto adſtrinxiſſe, ac Tunetum, cum S. Ludovicus eo duxiſſet exercitum, profectam indeque, cum diſſolutus eſſet, reverſam crucis ſignum abjeciſſe: cumque perficiendi voti ſpes adempta eſſet, ad excutiendam facti religionem quid gerendum incumberet, flagitante; Clemens omni religionis nexu illam exolvit (*a*). Proſecutus ſimiliter eſt Clemens apoſtolica benevolentia Blancam S. Ludovici filiam, quæ ætate provecta ornando virtutibus animo ſtudebat; cui multas prærogativas contulit (*b*) ob parentem ſanctiſſimum, ac modo ipſa expiatarum exhomologeſi noxarum dolore afficeretur, indulgentias eſt impertitus.

(*a*) *Lib. 2. ep. com. 372.*

(*b*) *Ib. ep. com. 372.*

Blancæ S. Lud. filiæ indulgentiæ datæ.

Dilectæ in Chriſto nobili mulieri Blancæ filiæ ſanctæ memoriæ Ludovici confeſſoris, Regis Franciæ.

Zelum habens intimæ devotionis ad Deum, ſic ſupernæ beatitudinis te conſtituis amatricem, quod illam ſtudio piæ vitæ quærere non deſiſtis; noſque tanto libentius favoris apoſtolici plenitudine pia tua vota proſequimur, quanto amplius tuæ ſalutis diligimus incrementum. Ut igitur ex largitione ſpiritualis gratiæ benevolentiam, quam ad te tanquam filiam benedictionis habemus, ſentias per effectum, de omnipotentis Dei, noſtra, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, tibi dummodo vere pœnitens fueris & confeſſa, centum annos de injuncta tibi pœnitentia miſericorditer relaxamus. Datum Pictavis 2. *non. novembris anno ſecundo.*

XXVI. (*c*) *Sanut. l. 3. p. 13. c. 8. & c. 12. Odor. in chr. & de Tart.*

Collatis (*c*) a Clemente apoſtolica liberalitate ſacris beneficiis, ad illius incontinenda diſciplina eccleſiaſtica severitatem ſermonem traducimus. In primis contra præſules dignitate & auctoritate conſpicuos, qui cæteros exempli improbitate inficerent, zelum magis acuere viſus eſt: *De prælatorum*, inquit, *præſertim religioſorum exceſſibus, qui ex religionis obſervantia majori debent nitore fulgere, eo gravius concitamur, quo ipſi magis per exercitium bonorum operum aliis debent exiſtere ſpeculum & exemplar: eorumque culpæ damnabilius tolerantur, cum & exempla magis pernicioſa producant, & pericula pariant graviora.* Defecerant inter cæteros ab officio Dietherus [1] archiepiſcopus Trevirenſis ordinis Prædicatorum alumnus Adolphi Naſſovii olim Regis Romanorum frater, qui præter ſimoniæ, dilapidationis bonorum, eccleſiæ contemptus in ſedem Apoſt. crimina, Alexandrum abbatem monaſterii S. Matthæi in Trevirorum ſuburbanis ad tribunal apoſtolicum appellantem monaſterio pepulerat, aliumque intruſerat. Ob quæ demandatum eſt munus (*d*) Emternacenſi, & Lucemburgenſi Trevirenſis diœceſis abbatibus, ac præpoſito eccleſiæ Leodienſis, ut ipſi ad dicendam cauſam apud ſedem Apoſtolicam diem indicerent.

In præſules deſcifcentes ab officio animadvertit Clemens.

Dietheri archiep. Trevirenſis crimina.

(*d*) *Lib. 2. ep. com. 139.*

Mandamus, inquit, *quatenus vos, vel duo aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios eundem archiepiſcopum ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut infra trium menſium ſpatium, a die factæ citationis hujuſmodi numerandum, ſub excommunicationis pœna, quam niſi veniendo paruerit eo ipſo incurrat, apoſtolico ſe conſpectui perſonaliter repræſentet, noſtris beneplacitis & mandatis plenarie pariturus, & recepturus quod juſtitia ſuadebit, &c.* Convulſit Pontifex omnia ab archiepiſcopo contra abbatem geſta, poſtquam is ad Ro-

Siſtere ſe Apoſt. ſedi ad cauſam dicendam juſſus.

NOTÆ [1] Obiit hoc anno Dietherus Trevirorum Archiepiſcopus, quo & Annaliſta optime collocat; ſed menſem & diem emortualem omittit, quos ambos ſervavit nobis vetuſtus author rerum ab Archiepiſcopis Trevirenſibus geſtarum, quem Martene in collectione to. IV. vulgavit. Narrat ille Dietherum hunc nulla præmiſſa cleri electione a Bonifacio VII. authoritate, qua pollebat, ſumma aſſumptum fuiſſe in archiepiſcopum. Sed poſtmodum multis accuſatus a Clero, a Clemente V. ad cauſam ſuam apud ſe dicendam accitus fuit, ut late in Annalibus: obiit die XXIII. Novembris. Succeſſor illi datus eſt electione capituli die VII. decembris Balduinus Lucemburgicus, qui ſequenti anno VI. Id. Martii a Clemente in Presbyterum, ac die ſequenti in Epiſcopum conſecratus fuit. MANSI

Moritur.

Romanum Pontificem provocaſſet. *Datum Pictavis* II. *non. junii anno* II. Inhorruit ex intentato ſibi judicio Dietherus, curiſque anxius, cum profectionem adornaret, morbo tentari cœpit, quo e vivis ſublatus eſt. (*a*) Cum vero cleri odia in ſe vehementer accendiſſet, nulli funebres honores ipſi exhibiti a clero fuerunt, ſed tantum a Dominicanæ familiæ religioſis viris, quorum inſtituta fuerat profeſſus. In ejus porro locum ſuffectus eſt a canonicorum collegio Balduinus Henrici Lucemburgenſis comitis frater, atque a Clemente V. ſacratus, ac pallio exornatus: cujus opera Henricus proximo anno Germaniæ, deinde Boemiæ regna conſecutus eſt.

(*a*) *Ann. archiep. Trevir.* Succedit ei Balduinus.

Parto namque ſuperiore anno Alberti patris Cæſaris beneficientia Boemiæ regno, haud diu potitus eſt Rudolphus (*b*) Auſtriacus: cum enim alienatas a Wenceſlao juniore arces ad regium imperium revocare niteretur, ac Zuicovam arcem munitiſſimam Bavari Straconicenſis oppugnandam Henrico Roſenſi commendaſſet, & Horaſditium oppidum, in quo Bavarus inerat, obſediſſet, dyſenteria ex fugacium fructum eſu correptus, Pragamque relatus vita functus eſt, & a Joanne epiſcopo aliquandiu obnoxium eſt, ne ſepulcro mandaretur corpus, quod reluctante ipſo Rudolphus ſanctæ Margaritæ caput a templo S. Viti in Auſtriam transtuliſſet. Certatum deinde in regni comitiis magno ardore eſt de Rege Boemiæ præficiendo, ac Joannes epiſcopus jus Annæ, quæ Henrico nupta fuit, legibus propugnabat, fratribus non extantibus primam ſororibus in ſucceſſione regni cauſam eſſe, non quidem ut ipſæ exerceant imperium, ſed id viro comparent ſi eum habeant, quem pater, regnumve iis tradiderit, quam ſententiam complures proceres ſunt amplexi: at Pragenſes defuncti Rudolphi fratrem optabant in ſolium evehere. Quo accepto Albertus Germaniæ Rex expeditionem in Boemiam ſuſcepit: verum a Cuthnenſibus propulſatus, appetente hyeme copiarum partem reliquit in munitionibus, partem in Auſtriam deduxit; primo vere majorem belli apparatum inſtructurus. Sed illius conatus inopina mors a Joanne nepote illata oppreſſit, ac proximo anno Boemiæ regnum Henricus Charinthius Annæ uxoris jure repetivit: at non multo poſt Joanni Lucemburgenſi ceſſit, ut ſuo loco dicetur.

(*b*) *Dubrav. hiſt. Boem. l. 19. & alii.* Rudolphi Regis Boemiæ obitus.

Henricus Charinthius regno reſtitutus.

De ſucceſſore certatum.

XXVII. Geſta ante papales infulas ſuſceptas valere decernitur.

Interim prætereundum non eſt, Clementem ad aſſerendam pontificiam auctoritatem, ac geſta ante ſuſceptam tiaram apoſtolicam corroboranda, conſtitutionem edidiſſe, qua promulgavit, (*c*) eodem valere robore, quæ ante, vel poſt ſolemni ritu acceptas papales infulas decreta eſſent: eademque ab Innocentio III. ſancita, (*d*) ut omnem dubii ſcrupulum adimeret, vel diplomata antea data infringere meditantium temeritatem frænaret.

(*c*) *Lib. 2. ep cur. 18. ext. inter extravag. de ſen. excom.*

(*d*) *An.* C. 1198. *n.* 12.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quia nonnulli, prout accepimus, contra doctrinam Apoſtoli, quin potius imprudentiæ innitentes, ac diſceptare ſuper iis, de quibus eis non expedit, ſatagentes aſſerere non verentur, quod ſummus Pontifex ante ſuæ benedictionis & coronationis ſolemnia ſe non debet intromittere de proviſionibus, reſervationibus, diſpenſationibus, & aliis gratiis faciendis; nec ſe in literis epiſcopum ſimpliciter, ſed electum epiſcopum ſcribere, neque etiam uti bulla, in qua nomen exprimitur ipſius; nos nolentes, quod literæ noſtræ tam ſuper gratiis, quam negotiis quibuſcumque confectæ, quæ ante noſtræ benedictionis & coronationis ſolemnia emanarunt, occaſione hujuſmodi per quorumvis cavillationes quoquo modo vacillent, auctoritate apoſtolica declaramus, ipſas exiſtere validas, plenamque habere roboris firmitatem: diſtrictius inhibendo, ne quis eas de cætero tali occaſione audeat impugnare. Nos enim ex nunc in omnes & ſingulos, qui contra hujuſmodi declarationem & inhibitionem noſtras venire præſumpſerit, excommunicationis ſententiam promulgamus. Nulli ergo, &c. Dat. apud Peſſacum Burdegalenſis diœceſis IV. *kalen. martii anno ſecundo.*

Contrarium aſſerentes damnati.

Huic conſtitutioni aliam addimus, quam in eodem Peſſacenſi ceſſu tulit, poſtquam e difficili morbo convaluiſſet: gravi enim religione animum premi ſenſerat, dum adverſa tentatus valetudine ſibi vacaret, ob plures eccleſias patriarchales, archiepiſcopales, epiſcopales, tum monaſteria ſuis deſtituta paſtoribus eccleſiaſticorum, vel ſæcularium cuſtodiæ & patrocinio commendata: quarum eccleſiarum & monaſteriorum jura ab his diſſipantur, utpote qui opibus tantum ſacris inhiarent; divinique cultus ſplendor obſoleſcebat. Ad evellendum itaque illum ex animo ſtimulum, commendas omnes (ut vocant) ſubjecto diplomate revocavit (*e*).

XXVIII. Alia Clementis conſtitutio.

Sacerdotia &c. in commendam tradita revocat Clem.

(*e*) *Lib. 2. ep. cur. 17.*

Clemens, &c. Ad perpetuam rei memoriam.

Pridem nos, licet inſufficientibus meritis, ad ſummum apoſtolatus apicem, ſicut Domino placuit, evocati, ab ipſo noſtræ promotionis exordio antiquæ notitiæ Regum, prælatorum, magnatum, & aliarum nobilium perſonarum eccleſiaſticarum & ſæcularium memores exiſtentes; ac ipſorum aliquibus tum quia in terris morantes eorum gradum hujus promotionis habuimus, tum quia ſolitæ ad eos amicitiæ ſpiritualibus affectibus ducebamur, aliquibus vero ex aſſueta Romanorum liberalitate Pontificum, quam in ſuis exercere ſunt ſoliti novitatibus, volentes honoris & liberalitatis affluentia com-

Ut plures eccleſias in commendam deferit.

complacere, ad eorum importunas tamen & multiplicatas precum inſtantias nonnullis clericis, & perſonis eccleſiaſticis, religioſis & ſæcularibus diverſorum ordinum, dignitatum, conditionum, & ſtatuum patriarchales, archiepiſcopales, & epiſcopales eccleſias, ac monaſteria, propriis deſtituta paſtoribus, ſub commendæ, vel cuſtodiæ, ſeu curæ, vel guardiæ, aut adminiſtrationis titulo, nomine, vel vocabulo duximus perpetuo, vel ad vitam, ſeu ad certi temporis ſpatium committenda. Super iis autem, an tales videlicet & tantas gratias per nos ſceri decuiſſet, variorum & arduorum negotiorum multiplicate diſtracti uſque ad tempus, quo infirmitate ſatis periculoſa nos iis diebus Deus viſitavit omnipotens, nequivimus plenarie cogitare. Verum in debilitate ipſius ægritudinis conſtituti, & a negotiorum utcumque diſcuſſione ſemoti, ad hæc ſub diligenti examine direximus aciem noſtræ mentis, demumque proſpeximus evidenter, quod eccleſiarum & monaſteriorum eorumdem cura negligitur, bona & jura diſſipantur ipſorum, ac ſubjectis eis perſonis & populis ſpiritualiter plurimum & temporaliter derogatur, eiſque redundant ad noxam, quæ dicebantur cedere ad profectum: ac ne dum ipſis, ſed & Romanæ matri eccleſiæ, quæ diſponente Domino ipſorum caput fore dignoſcitur & magiſtra graviora inde futura pericula formidantur.

Morbo tentatus ſenſerit inde graves religionis aculeos.

Commendæ ab eo revocatæ.

Nolentes igitur iis tot & tantis diſpendiis cauſam relinquere, ſed volentes potius opportunum & debitum in hac parte remedium adhibere; omnes & ſingulas commiſſiones hujuſmodi per nos, ut præmittitur, factas quibuſcumque cujuſvis ordinis, dignitatis, aut ſtatus, ſi etiam ſanctæ Rom. eccleſiæ Cardinalis quocunque modo, vel tempore factæ noſcantur, auctoritate apoſtolica ex nunc ex certa ſcientia revocamus, caſſamus, & annullamus, ac decernimus non habere aliquam roboris firmitatem, &c. Dat. apud Peſſacum Burdegalen. diœceſis X. *kal. martii anno ſecundo.*

XXIX. Religio apud Tartaros propagata.

Nec tantum conditas olim eccleſias, ne commendatorum vitio peſſum irent, tueri Pontifici curæ fuit; verum ad novas in oriente condendas ſolicitudinem apoſtolicam collocavit. Tartaros ex Aytono & Clementis literis ſuperius, dum de expeditionis Syriacæ conſiliis egimus, erga Chriſtianam religionem præclare affectos vidimus. Succeſſerat (*a*) in Tartarorum imperio Tamor Cham avo paterno Cobilæ, ad quem fide Chriſtiana informandum Joannem e monte Corvino miſſum fuiſſe a Nicolao IV. vidimus; (*b*) petierat enim evangelicos ſacerdotes ad ſe legari: tum etiam antea ad Gregorium X. legationem decreverat, qua erat queſtus, demones Tartaris illudere & pro diis coli. Nec derant in ipſius aula magi, qui ut olim Pharaoni impoſuerant ita ipſum vanis oſtenſis a veri numinis cultu abducere niterentur, ut narrat Marcus Paulus Venetus (*c*): *Habet*, inquit, *magnus Cham magos, qui dæmonum arte obtenebrant, & in caliginem convertunt aerem, luce ſuper palatium Regis clara permanente. Agunt etiam hi magi, ut Rege juxta menſam ſedente; ſcyphi aurei dæmonum arte ab alia menſa, quæ in medio aulæ conſiſtit regia portans vaſa, ſuper menſam Regis exiliant: dicuntque ſe id ſecreta quadam efficere arte. Et quando feſta idolorum ſuorum celebrant, dantur illis a Rege arietes: quos cum lignis aloes & thure ſeu odoriferum ſacrificium diis offerunt; coctaſque arietis carnes cum cantu & maxima lætitia idolis devorandas exhibent, jus vero carnium ante idola effundunt, aſſerentes ſe deorum ſuorum promereri clementiam, qui terris fertilitatem largiantur.*

(*a*) *Aython. hiſt. Orient. c. 47. Marc. Paul. Ven. l. 3. c. 8.*

(*b*) *To. 2. ann. Chr. 1289. n. 62.*

Ut imperatores Tartari fidem a Romana eccleſia hauſerint.

(*c*) *Marc. Paul. Ven. l. 1. c. 65.*

De magorum præſtigiis in aula Tartarica.

Sed qui divinos honores a miſeris, quibus evangelii lux nondum affulſerat, extorquebant, quam ſint viles & infelices, ipſimet horrendis ululatibus cultoribus ſuis indicabant; ait (*d*) enim Marcus Paulus: *Si a civitate Campition, verſus orientem itinere quinque dierum procedatur, audiuntur in locis intermediis nocturno tempore horribiles voces dæmonum, donec veniatur ad regnum Ergimul.*

(*d*) *Cap. 62.*

Ut dæmones in idolis colantur.

Se infelices ululatibus demonſtrent

Inſtructum porro ab apoſtolico internuntio Joanne e Monte Corvino, Cobilam ſpretis magorum præſtigiis, Chriſtianam fidem ſuſcepiſſe, memorat Aytonus his verbis (*e*): *Iſte Cobila Can* XLII. *annis tenuit imperium Tartarorum. Chriſtianus fuit, & fundavit quandam civitatem, quæ vocatur Jons, in regno Cathay, quæ major eſt Roma, ut dicitur: & in illa civitate morans traxit Cobila Can Imperator Tartarorum uſque ad ultimum diem vitæ ſuæ.* Eo autem ac nepote ex Chingis filio imperantibus, fides Chriſti ita aucta eſt, ut ad fideles paſcendos religionemque amplificandam non modo ſacerdotes, ſed etiam archiepiſcopi & epiſcopi mittendi eſſent, ac Pontifex hoc anno Joannem e monte Corvino, virum religioſum, diſſeminandæ fidei zelo incenſum, qui in Tartaria plures infideles ad Chriſtum pellexerat, archiepiſcopum Cambalienſem in Cathay regno creavit: (*f*) nonnullos viros religioſos laborum & gloriæ futuros participes ſubmiſit, quos archiepiſcopi Cambalienſis creavit ſuffraganeos, & ſacris epiſcopalibus initiari juſſit. Tanti viri, quibus auguſta adeo tenebricoſo orienti evangelicæ lucis inferendæ provincia impoſita eſt, fuere Andreas e Peruſio, Nicolaus e Bantra, Gerardus, Ulricus, Sayfuſtordf, Peregrinus e Caſtello, Guillelmus e Villanova Minoritæ, quorum nomina digna immortalitate ſilentio obruere non potuimus. Ad quos ſingulos ſub-

(*e*) *Ayton. hiſt. orien. c. 19.*

Ut Cobilæ Chriſto nomen dederit.

(*f*) *Ibid. ep. cur. 46.*

jecta verborum forma conceptæ literæ datæ, atque Andreæ in regesto pontificio inscriptæ extant (a).

(a) Lib. 2. ep. com. 652.

Clemens, &c. Dilecto filio fratri Andreæ de Perusio ordinis fratrum Minorum per nos assumpto in episcopum suffraganeum archiepiscopalis sedis Combaliensis in dominio Tartarorum.

Joannes e monte Corvino.

Nuper considerantes attentius clara sanctæ operationis studia, quæ dilectus filius frater Joannes de monte Corvino in archiepisc. Cambaliensem per nos assumptus in partibus Tartarorum, secum Domino faciente virtutem, operatus est hactenus, ac in partibus ipsis existens assidue operatur, ipsum fratrem Joannem ordinis fratrum Minorum professum

Creatur Cambaliensis archiepisc.

& in dictis partibus existentem de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis in civitate Cambaliensi, magna utique & honorabili regni magnifici principis magni Regis Tartarorum, in archiepiscopum assumpsimus, & præfecimus in pastorem, curam & solicitudinem animarum omnium existentium in toto dominio Tartarorum sibi plenariam committentes; eique exercendi omnia, quæ ad jura archiepiscopalia spectare noscuntur, prout permittunt canonicæ sanctiones, eadem auctoritate plenam & liberam potestatem. Ut autem in eisdem partibus incrementum salutis animarum perfectius provenire valeat, & fides catholica semper de bono in melius per evangelicæ prædicationis doctrinam auctore Domino prosperetur; nos summi Regis magisterio eruditi, qui inclinata cœlorum altitudine, ut hominem redimeret, factus homo discipulos, quos elegit, in universum mundum misit evangelium prædicare, cupientes viros providos & discretos, scientes ad salutem populos incredulos erudire, in partem hujusmodi solicitudinis evocare, qui rectas faciant semitas Dei nostri, populum acceptabilem ei reddant; te sufficienter in lege Domini eruditum, vita & religione conspicuum, morum honestate decorum, ac multarum virtutum titulis commendatum, de fratrum nostrorum consilio, & apostolicæ potestatis plenitudine in adjutorium commissæ dicto fratri Joanni solicitudinis pro majori animarum salute specialiter deputamus, ac in dicto dominio in episcopum assumimus & præficimus in pastorem; mandantes auctoritate præsentium venerabili fratri Joanni Portuensi, & dilectis filiis nostris Joanni tit. SS. Marcellini & Petri presbytero, ac Lucæ S. Mariæ in via lata diacono Cardinalibus, ut tibi auctoritate nostra faciant munus consecrationis impendi, & constituentes te suffraganeum archiepiscopi supradicti; tibi nihilominus & successoribus tuis episcopis in eodem domino concedentes, ut omnibus & singulis gratiis & concessionibus, quas nuper per literas nostras fratribus dicti ordinis in terras Saracenorum, paganorum, & aliorum

Cambaliensis archiep. suffraganei instituti.

Submissi alii in Tartariam religiosi viri.

infidelium proficiscentibus, auctoritate apostolica duximus indulgendas, auctoritate nostra libere uti possis.

Privilegiis aucti.

Volumus itaque, ac tibi in remissionem injungimus peccatorum, quatenus hujusmodi commissum tibi pastorale officium in Dei & nostro nomine devote suscipiens, cum divinæ benedictionis gratia ad partes easdem te personaliter conferas, propositurus ibi verbum divinum, prout Spiritus S. gratia dabit tibi; ac de nostro & Apostolicæ sedis favore plene confisus dictum officium sic solerter & solicite secundum datam tibi a Deo prudentiam exequi studeas, ut fructum afferas, & fructus tuus manens in prolem filiorum adoptionis excrescat, ac sponsa Christi ecclesia de sua fœcunditate in Christo sponso suo congaudens, fidelem & utilem ministrum se destinasse lætetur, & dictarum partium populi salutis & quietis angelum suscepisse in Domino glorientur; tuque proin nihilominus ipsius ecclesiæ gratiam, & divinæ retributionis gloriam uberius mereari. Dat. Pictavis x. kal. aug. anno secundo.

XXX.

De hac episcoporum creatione, celebrata a Clemente pro inferendo Tartaris Catayensibus evangelio, Odoricus Forojulienſis (b), atque ex eo Wadinghus in Minorum Annalibus meminere: affert autem Odoricus partem diplomatis pontificii ad Joannem e monte Corvino, fidei Christianæ apud Tartaros propagatorem & Cambalienſis ecclesiæ conditorem dati, alteriusque partis sententiam adducit: qua nimirum Clemens Joannem archiepiscopum Tartariæ omnibus episcopis & præsulibus earum partium præficit ea lege, ut se Romano Pontifici obnoxium profiteatur, atque ab eo usum pallii accipiat: tum dandi ecclesiis, sacrandique episcopos, sacerdotes & clericos auctoritate instruit; demum ob ecclesias structas, & novi veteriſque testamenti in iis depicta mysteria, ut eorum aspectu imperiti populi ad Numinis cultum alliciantur, commendat.

(b) MS. Odorici Forojul. & ex eo Wadd. to. 3. hoc ann. n. 9. & segq.

Cambaliensis archiepisc. privilegia. Commendatur ob sacras imagines in templo locatas.

Quod attinet ad superstitionem, qua infelix gens Tartarorum involuta erat, (c) de qua plura breviter alias perstrinximus nunc fusius de ea agemus. Imprimis hæc refert Aytonus princeps Curchi: (d) *Tartari sunt ab aliis nationibus gentium modis & moribus sic diversi, quod vix posset absque tædio ipsorum diversitas explicari. Confitentur enim, unum Deum esse immortalem, & invocant nomen Dei: aliter vero parum faciunt, quia non jejunant, vel orationes sive afflictiones faciunt ob Dei reverentiam, sive alia bona opera: nec Dei timore mala perpetrare * permittunt Tartari: Homines interficere non reputant esse peccatum: & si dimitterent frænum in equorum suorum ore, quando pascere se deberent, Deum crederent mortaliter*

Cham Tart. ad fidem Christianam amplectendam solicitat.

(c) A. C. 1271. n. 20.

(d) Ayton. hist. Orient. c. 48. De Tartarorum religione & moribus. * prætermittunt

liter offendisse: Fornicationem & luxuriam non reputant esse peccatum. Plures uxores ducunt: & oportet secundum consuetudinem, quod filius novercam suam ducat post obitum patris sui, & frater relictam fratris. Hæc Aytonus, qui de Tartaris Syriæ finitimis videtur loqui: Marcus enim Paulus Venetus, qui ante hæc tempora scripsit, penetrataque interiore Tartaria pluribus annis in aula Cobilæ Imperatoris Tartarorum, a quo ipsius parentem missum ad Pontificem pro sacerdotibus Christianis efflagitandis vidimus, Tartaros pro gentium varietate moribus & superstitionis genere discrepare atque idololatriæ mancipatos refert (a).

(a) Marc. Paul. Ven. l. 1. c. 58. Tartaria interior idololatriæ mancipata.

Colunt, inquit, *Tartari pro Deo numen quoddam ab illis confictum, quod Natagai vocant; putantque illud deum esse terræ, qui curam de ipsis & filiis eorum, de fructibus terræ atque gregibus pecorum gerat. Hoc numen in maximo habent honore; nec est aliquis, qui in domo sua illi non imaginem dedicaverit: & quoniam credunt numini Natagai esse uxorem & liberos, collocant etiam ipsi juxta penates suos imagunculas quasdam uxoris ac filiorum loco uxoris quidem simulachrum ad sinistram, & filiorum imagines ante faciem idoli collocantes. His idolis magnam exhibent reverentiam, præsertim quando vadunt ad prandium & cœnam: tunc enim, antequam ipsi comedant, perungunt ora imaginum pinguedine carnis coctæ, & partem prandii aut cœnæ extra domum in honorem illorum ponentes, credunt deos hinc cibari.* Idem oculatus testis narrat in amplissimis regnis idola & dæmones coli; de Sachion enim insigni urbe provinciæ Tanguth locutus, hæc subdit (b): *Habet urbs ipsa multa monasteria diversis idolis consecrata, in quibus multa offeruntur sacrificia, & dæmonibus magna a populo exhibetur reverentia. Et quando homini filius nascitur, statim commendat eum idolo alicui, atque in honorem ejus anno illo in domo sua nutrit arietem, quem anno a nativitate filii revoluto, proximo illius idoli festo una cum filio offert cum multis ceremoniis, & magna reverentia: postea coquuntur carnes arietis, & idolo denuo offeruntur, dimittunturque ante idolum tamdiu suspensæ, donec completæ fuerint infandæ orationes, quas ante ipsum juxta consuetudinem suam murmurare solent.*

(b) Eod. l. 2. c. 45. Ut nascentes confecrentur dæmonibus.

In urbe etiam Campition ejusdem provinciæ metropoli multa monasteria sacrata idolis reperiri narrat, de quibus hæc refert (c): *Idola illa sunt formata vel ex lapide, vel ex ligno, vel ex luto desuper deaurata. Inter hæc quædam sunt tam magna, ut decem passus contineant longitudine terræ, si supina jacerent affixa: juxta quæ parva sunt posita idola, quæ majoribus reverentiam exhibere videntur. Habent hæc idolorum portenta etiam suos sacrificulos & religiosos, qui cæteris honestius vivere videntur: nam quidam servant castitatem, multumque cavent, ne deorum suorum legem prævaricentur.* Discrepantes horum pseudomonachorum sectas, quarum dæmon auctor est, in descriptione provinciæ Ciandu percenset inferius (d): *Inveniuntur*, inquit, *in regione illa plurimi monachi idolorum cultui deputati. Habent hi monasterium quoddam magnum oppiduli habens magnitudinem, in quo sunt circiter duo millia monachorum, qui idolis serviunt rasura & veste a laicis sequestrati: nam radunt caput & barbam vestemque induunt religiosam. Hi in idolorum solemnitatibus magnis clamoribus cantant, luminaria multa in templo accendunt, aliisque compluribus distinentur stultis cerimoniis.*

(c) Cap. 49. De idolorum forma & materia.

(d) Cap. 66. Et pseudomonachis. Religionis Christianæ ritus ab iis adumbrati.

Sunt & in aliis locis monachi & varii idolatræ, quorum quidam multas habent uxores, alii vero pro honore deorum suorum caste vivunt, vitam austeram ducentes: nam nihil comedunt præter farinæ purgamenta aquis diluta. Vestiuntur quoque pannis rudibus & asperis coloris abjecti; & lecti mollitiem vitantes, dormiunt super rigentia stramina. Alii tamen monachi, qui laxioris sunt vitæ, judicant hos tam austere viventes hæreticos, quod non debito vivendi modo deos colant. Deludit dæmon ea religionis specie infelices idololatras: alios vero ita in libidines provolvit, ut rationis lumen in iis, quos insanis opinionibus imbuit, pene extinguat. In provincia enim Camul ea percussi sunt amentia, ut uxores viatoribus prostituere gloriæ ducant, putentque ut ait Marcus Paulus (e): *Se propter illud hospitalitatis beneficium deorum suorum consecutos gratiam, & terram nunquam deorum munere sua destitutam fœcunditate.* Insanus æque atque crudelis est is ritus, quo a dæmonibus cæterum hominum animalium animas defuncto principi in alio orbe famulari arbitrentur; quo circa maximas strages edunt: *Quando*, inquit (f), *corpus magni Cham tumulandum defertur ad montem Alchai, bi qui ipsum ad sepulturam comitantur perimunt passim eos, quos in via obvios habent, dicentes: Ite & domino nostro Regi servite in alia vita; tanta enim insania percussi sunt a Sathan ut credant taliter occisos in futura vita Regis obsequio mancipandos. Nec modo sic contra homines insaniunt, verum & in equos sæviunt, quos obviam venientes, jugulant una cum defuncti Regis optimis equis putantes illos Regi usui futuros.* Et infra: *quando corpus magni Cham Monga hujus prædecessoris ad montem Alchai sepeliendum ductum fuit, milites funus concomitantes, feruntur circiter viginti millia hominum prædicta occasione interfeciſſe.*

Ut dæmon insanis opinionibus obcæcet barbaros. Adulteria adscripta virtuti.

(e) Cap. 46.

(f) Cap. 54. De statu alterius vitæ insana opinio.

In funere Imp. horrendæ editæ strages.

His insanis opinionibus delibutos infideles dæmon ad fundendum humanum cruorem impellebat: quos etiam deludebat variis astrologiæ ineptiis, ac superstitionibus, ut studiose curarentur illorum corpora, quorum animas in inferos traxerat, *In mortuorum parentatione*, (*a*) inquit idem Marcus, *his utuntur cerimoniis: Curant proximi quique, ut corpora exanimata comburantur in hunc modum. Primo interrogant astrologos, quando mortuus in ignem sit coniiciendus; tum illi quærunt: quo anno, quo mense, die, & hora is, qui in fata concessit, sit natus: constellationeque prospecta, indicant diem, quando sit comburendus. Alii vero mortuum corpus aliquot diebus reservant aliquando septem diebus, quandoque per mensem, nonnunquam per sex menses domi, capsam illi parantes, & tali ingenio latera compaginantes, ut nullus fœtor ex eo exhalare posset. Corpus etiam ipsum aromatibus condiunt, & capsam pulchre depictam panno pretioso operiunt, & singulis diebus, quibus cadaver domi tenetur, hora prandii mensa juxta capsam præparatur, vino & cibis per integræ horæ spatium desuper positis; putantes defuncti animam de appositis manducare. Et quando defuncti corpus est efferendum, astrologi consuluntur, qua ex parte id sit faciendum: nam si porta aliqua, dum construeretur, caruit bonis fatis, illam indicant fugiendam atque incongruam, per quam mortuorum cadavera efferantur; indicantque aliam, quæ huic rei accommoda sit, aut novam jubent in pariete fieri aperturam. Dum vero funus per civitatem portatur, lignea tuguria in via construuntur, atque sericis & aureis pannis cooperiuntur: & cum defuncti cadaver ante ea portatur, effundunt in terram vina & delicata cibaria, putantes defunctum in alia vita his recreari rebus. Antecedunt etiam funus ipsum varia instrumenta musices, in quorum concentu maxima est jucunditas. Et cum ad locum combustionis ventum fuerit, scribunt & pingunt super chartas imagines virorum & mulierum, itemque multorum denariorum, quæ omnia simul cum cadavere comburuntur; ajunt enim, defunctum illum tot servos & ancillas, animalia & denarios in alia vita habiturum, quot cum eo fuerint imagines combustæ, victuruque sit perpetuo in divitiis illis & honore. Hanc superstitionem servat fere ubique cœcitas paganorum in partibus orientis, cum cadavera defunctorum comburunt.* His circumventos ludibriis infideles dæmon ex nefario cum magis commercio variis præstigiis trahebat in exitium, ut describit memoratus Marcus Paulus Venetus, (*b*) pluribusque fide dignissimis historiis probat: atque in primis in regno Reobarte, concitari artibus magicis aereas impressiones, diemque tenebris obrui refert.

(*a*) Cap. 45.

Insana in funeribus superstitio.

Animas cibis vesci autumant.

De astrologorum amentia.

(*b*) Eod. l. 1. c. 12.

Sunt, inquit, *in ea regione multi prædones, quos Caraonas vocant, habentque Regem. Utuntur hi prædones incantationibus: & quando ad prædam excurrunt, arte illa diabolica id efficiunt, ut aer interdiu per magnum temporis spatium adeo obscuretur, ut a nemine videri & caveri possint; prorogantque hujusmodi caliginem interdum quinque, & aliquando septem diebus: & interim campos pervagantur in maximo numero, ut etiam quandoque turma eorum decem millia grassatorum complectatur. In aciem bellatorum more se rediguntque, & in latum diffusi sic procedunt: & quidquid illis obviam venit, homines & jumenta, capiunt: juvenes vænum exponunt, senes vero occidunt. Ego Marcus, qui hæc scribo, semel in hanc incidi caliginem: & quantam parum aberam a castro, quod Canosalim dicitur, facile periculum evadere potui ad castrum fugiendo; plures tamen e comitiva mea, in retiaculum illud dæmoniacum incidentes, partim venditi, & partem interfecti fuerunt.*

Magicæ artes in usu ad perdendos homines.

Tradit idem auctor (*c*) vagari dæmones in deserto maximo Turciæ, quod a civitate Lop excurrit, ac peregrinantes in exitium trahere: *Cernuntur*, inquit, *& audiuntur in eo interdiu & sæpe noctu dæmonum variæ illusiones; unde viatoribus summe cavendum est, ne multum ab invicem seipsos dissocient, aut aliquis a tergo sese diutius impediat: alioquin quamprimum propter montes & colles quispiam comitum suorum aspectum perdiderit, non facile ad eos perveniet. Nam audiuntur ibi voces dæmonum, qui solitarie incedentes propriis compellant nominibus, voces fingentes illorum, quos comitari se putant, & a recto itinere abductos in perniciem deducunt. Audiuntur interdum in aere concentus musicorum instrumentorum; sed frequentius tympanorum.* Hic erat infelix Tartarorum status, & qui cum divitiis omnis generis circumfluebant, spiritualibus bonis erant orbati, & infra animantia se prosternebant: *Vivunt*, inquit (*d*), *in multis non secus quam bestiæ, ut satis mihi mores eorum sunt perspecti*; atque ideo ob effrænatam libidinum licentiam evangelium altas apud eam nationem radices non defixit, quamvis sæpius Romanos Pontifices ad ipsam præcones evangelicos misisse visuri sumus. Non defuit autem apostolico muneri Clemens, ut Tamor sive Temur Cam (id est Imperatorem, de quo in imperio Cobilæ succeſſuro, utpote defuncti primogeniti filio, meminit ante hæc tempora Marcus Paulus Venetus) ad veri Numinis cultum pelliceret: exscripsitque memoratus antea Odoricus Forojulienſis pontificium diploma quo, illum ad exuendam veterem superstitionem, & sacra Christiana amplectenda solicitat; tum ob regia studia in sacerdotes Chri-

(*c*) Eod. l. 1. c. 44.

Ludibria dæmonum exitialia.

(*d*) Cap. 94.

Cur Evangelium apud Tartaros altas radices non fixit.

stianos collata gratulatur his verbis (*a*).

Clemens, &c. magno Regi Tartarorum Deum colere & timere.

Benedictus Deus & pater luminum, qui ubi vult spirans, potenter effecit, quod tu, sicut digna fide relatione libenter accepimus, in amore virtutum & piis operibus exercendis studiose intendens, ministros Christianæ fidei sereno oculo pie respicis, & verba salutis libenter audiens, ipsos in conspectu tuæ magnitudinis gratanter admittis: ex quo nobis super hoc Deo largitori bonorum omnium devote laudes & gratias referentibus, firma spes salutis ingeritur, quod ipse Deus miserator & multum misericors sic oculos tuæ magnitudini aperiat clara luce, quod ex tot errorum tenebroso objecto nubilo ipsum Deum unicum dominum & Jesum Christum redemptorem tuum perfecte cognoscere, & animum tuum pio & recto ordine perquires. Attende igitur, magnifice princeps, & prudenter agnoscas, quod inter cætera, quæ magnitudinem tuam exaltabunt & dilatabunt potentiam tuam, & fulgorem tui diffundere poterunt principatus & potestatis, præcipue catholicæ fidei sacramentum felicitatem tuam ad perpetuæ beatitudinis inæstimabilem gloriam promovebit; teque per illam Christus sol justitiæ, remunerator magnificus præmiorum, inter sanctos & electos suos feliciter in cœlestibus collocabit, tuique facti recolendi memoriam posteritatis ad futuros transmittet, &c.

(*a*) Ext. apud Odor. Forojul. & Wading. hoc ann. n. 11.

Ob studia in Christianos collaudatur.

Proposita illi divina præmia.

I. Expoſita compendio hoc anno geſta.

INſignis extitit nova rerum partim triſtium, partim lætarum converſione annus milleſimus ſupra trecenteſimum octavum, indictione ſexta, quo legati Cardinalis opera ſedatæ in Ungaria turbæ, decreti in Raſciam Uroſio ad eccleſiæ gratiam redire meditante nuntii apoſtolici; Cyprus inteſtinis diſſenſionibus concuſſa eſt, Germania cæſum Regem Romanorum luxit, planxit Roma ſacroſanctæ Lateranenſis baſilicæ eccleſiarum omnium principis incendium, Inſubria impuriſſimi hæreſiarchæ, ac ſequacium ſupplicium vidit; exercuit Gallia in Templarios judiciorum ſeveritatem, atque in eorum cauſa Viennenſe concilium a Clemente indictum eſt. Urgebat Clementem Philippus Francorum Rex, uti Templarios, de quibus anno ſuperiore memoravimus, nefandorum ſcelerum a ſe poſtulatos, damnaret. Utque in re graviſſima Pontifex ſummam conſilii maturitatem adhiberet, nec ſontes inſonteſque iiſdem pœnis involveret, viros prudentia & auctoritate conſpicuos creavit judices, qui de Templariis diligentiſſime cognoſcerent, atque eorum geſta excuterent, ut vel de iis ad veterem diſciplinam revocandis, vel delendo eo ordine ſedes Apoſtolica, tota de re certior facta conſultiſſime deliberaret. De quibus hæc Bernardus (a).

Francorum Rex Templarios apud Pontif. accuſat.

(a) *Bern. chron. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. ſig. n. 3765. in Clem. V.*

II. Templarii comprehenſi.

Eodem anno Dom. prætaxato MCCCVIII. in menſe auguſti Papa Clemens ad univerſa Chriſtianitatis tam regna, quam climata literas apoſtolicas deſtinavit, ut videlicet Templarii caperentur; & contra ſingulares perſonas illius ordinis per diœceſanos cum adjunctis ſibi perſonis religioſis inquiſitio fieret ſuper articulis redditis contra ipſos, & judicarentur in ſingulis provinciis in metropolitano concilio æqua lance. Fuerunt inſuper per Papam delegati viri ſpectabiles & inſignes in diverſis partibus Chriſtianitatis ſuperintendentes, qui de toto ordine inquirerent, ut poſſet illius ordinis reformatio debita, vel totalis ejectio fieri in proximo futuro concilio generali. Conſentiunt Bernardi dictis apoſtolicæ literæ (b) ad univerſos eccleſiarum præſules miſſæ, quibus imperavit Pontifex, uti Templarios, in quos nondum a ſacræ fidei cenſoribus quæſtio exercita eſſet, publico programmate accerſerent in judicium: tum provinciales ſynodos cogerent, in quibus equeſtris illius ordinis ſingulos viros, diligenter diſcuſſos, ex formula ad eos tranſmiſſa, vel criminis ſuſpicione liberarent inſontes, ſonteſve meritis pœnis afficerent.

(b) *Clem. l. 3. poſt ep. com. 780.*

Indictæ provinciales ſynodi.

Præterea ad exercendam majori diligentia in Templarios judiciorum ſeveritatem, ſcrutandaque eorum flagitia miſſi ſunt ad complures orbis provincias apoſtolici nuncii rerum peritia inſignes, quibus quærendi in illos jus decretum eſt. (c) Præcipua porro capita illius formulæ, ex qua ad examen Templarii adducti fuerunt, extitere immania crimina, quibus communis fama ipſos reſperſerat, infanda nimirum hæreſi, atque idololatria infectos eſſe: Chriſtianum nomen ejuraſſe: Salvatoris imaginem conſpuere: idolum criſpantibus cincinnis aureis ſpectabile, a quo felicitatem divitiarumque affluentiam precabantur, colere; atque in cœno nefandarum libidinum volutari. Quæ ſcelera execranda plurimi ex iis magnæ auctoritatis viri ſponte nullo terrore adhibito coram Cardinalibus confeſſi, damnataque hæreſi, eccleſiæ reſtitui flagitarunt: quibus venia ex eccleſiæ ſolita clementia data eſt.

(c) *Lib. 3. ep. cur. 23. ext. etiam apud Rub. hiſt. Raven. l. 7.*

Præcipua ſcelera Templariis objecta.

III.

Vertit vero divinæ vindictæ ac providentiæ Pontifex, occulta hæc flagitia in lucem erupiſſe, in literis ad Moguntinum, Colonienſem, Trevirenſem, & Magdeburgenſem archiepiſcopos datis (d): *Deus*, inquit, *ultionum, cui nihil eſt occultum, & apud quem pro ipſius voluntate pro bono & malo retributionem univerſi ſuſcipiunt, deteſtanda ſcelera, & abhorrenda crimina, velut intolerabilia, & hæreticam ſapientia notabiliter pravitatem, quibus ordo, fratres, & perſonæ Templariorum ſub tecto diutius laboraſſe, proh dolor! & laborare dicuntur, noſtro & Apoſtolicæ ſedi ex ſua providentia patefecit auditui: noſque, licet indigni, vices ejus gerentes in terris, fratrum noſtrorum & aliorum etiam ſolemnium ſapientumque virorum communicato, & nobis aſſiſtente conſilio, ad inquirendum ſuper iis, & ad extirpandos, ſi veritate nitantur, tantæ abominationis errores, actuſque nefarios evellendos, ſub divini auxilii ſpe, ac ſuſtentatione omnium diligentia ſumma deſcendimus, & deſcendendo conſcendimus ad cor altum, ut exaltetur ipſe Deus, & impii cornua, qui ſemper quærit fidelium devorare animas, confringantur, &c. Dat. Pictav. II. id. aug. an.* III. Iiſdem archiepiſcopis omnium bonorum mobilium, vel immobilium, quæ in Germania Templarii obtinuerant, adminiſtrationem, cuſtodiamque demandavit, ne ſacræ eæ opes iis equitibus, dum pietate olim florebant, pro gerendo adverſus infideles bello attributæ, diffluerent ac diſſiparentur, earum invaſores coercerent cenſuris, vectigalia cogerent; atque adhibitis teſtibus agros, poſſeſſiones, domos, xenodochia, aliaque in tabulas publicas referrent, de quibus poſtmodum ſedi Apoſtolicæ rationem redditur eſſent: pontificii enim eſſe conſilii ea omnia in-

ſtau-

(d) *Lib. 3. poſt ep. com. 780. p. 212.*

Divina providentia in iis in lucem educendis.

Data præſulibus bonorum ordinis cuſtodia.

ſtaurandis terræ ſanctæ rebus addicere. Quo argumento ad aliorum regnorum præſules ſimiles literas miſit (a).

(a) *Ibid.*

IV. Indictum Viennenſe concilium.

De iis porro, deque Templariorom equeſtri ordine ſtatuendum duxit in concilio œcumenico, Viennæ in Delphinatu ad kal. octobris evolvendo biennio poſt celebrando, ad quod Philippum Francorum, Eduardum Angliæ, Carolum Siciliæ, ejuſdemque ex filio nepotem Carolum Ungariæ, Fridericum Trinacriæ, Jacobum Aragonum, Fernandum Caſtellæ ac Legionis, Dionyſium Luſitaniæ, Ludovicum Navarræ, Jacobum Balearium, Henricum Cypri, tum Boemiæ, Daniæ, Sueciæ, Norvegiæ Reges rogavit accedere. In ea enim ſynodo de fidei incorrupta puritate adverſus novas, quæ emergebant, hæreſes, ac ſancienda diſciplina eccleſiaſtica; de vindicanda ex Saracenorum tyrannide Palæſtina, inſtaurandaque in ea religione Chriſtiana decernendum fore. Dedit etiam imperia Pontifex archiepiſcopis, ut de iis, quæ cenſura notanda eſſent, ad œcumenici concilii patres referrent. Quarum literarum (b) potiorem partem ob rei dignitatem inſerendam ducimus.

Vocati ad illud Reges.

(b) *Lib. 3. ep. cur. 58. ext. etiam in bull. & præfixa eſt actis Vienn. concil.*

Clemens, &c.

Ut ſub initia pontificatus ſibi indicata ſint ipſorum crimina.

Dudum circa noſtræ promotionis ad apicem ſummi pontificatus initium, etiam antequam Lugdunum, ubi recepimus noſtræ coronationis inſignia, veniremus, & poſt tam ibi quam alibi ſecreta quorumdam nobis inſinuatio intimavit, quod magiſter, præceptores, & alii fratres ordinis dictæ militiæ templi, & etiam ipſe ordo, qui ad defenſionem patrimonii ejuſdem Jeſu Chriſti fuerant in tranſmarinis partibus deputati, contra ipſum Dominum in ſcelus apoſtaſiæ nefandum, deteſtabile idololatriæ vitium, execrabile facinus ſodomorum, & hæreſes varias erant lapſi. Sed quia non erat veriſimile, nec credibile videbatur, quod viri tam religioſi, qui præcipue pro Chriſti nomine ſuum ſæpe ſanguinem effundere, ac perſonas ſuas mortis periculis frequenter exponere credebantur; quique multa & magna tam in divinis officiis, quam in jejuniis & aliis obſervantiis devotionis ſigna frequentius prætendebant, ſuæ ſic eſſent ſalutis immemores, quod talia perpetrarent; hujuſmodi inſinuationi ac delationi ipſorum, ejuſdem Domini noſtri exemplis & canonicæ ſcripturæ doctrinis edocti, aurem noluimus inclinare.

Negata ſit fides ob eorum horrorem.

Philippus Rex illa judicio fuerit perſecutus.

Deinde vero chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum illuſtris, cui eadem fuerant facinora nunciata, non pro typo avaritiæ, cum de bonis Templariorum nihil ſibi vendicare vel appropriare intendat: immo ea per deputandos a nobis gubernanda, cuſtodienda, & conſervanda liberaliter & devote dimiſerit, manum ſuam totaliter amovendo, & ſeneſchallis, ballivis, & aliis ſuis officialibus, necnon & ducibus, comitibus, baronibus, & aliis ſubditis quibuſcumque per ſuas patentes literas mandaverit, ut curatoribus & adminiſtratoribus generaliter in regno Franciæ deputatis a nobis, & deputatis a ſingulis archiepiſcopis & epiſcopis in ſuis civitatibus & diœceſibus, bona mobilia & immobilia dictorum Templariorum, quæ prædicti officiales regii & alii ſubditi ceperunt & tenent, tradant integraliter & realiter indilate, & quod eoſdem adminiſtratores tueantur & defendant, quoad cuſtodiam & adminiſtrationem dictorum bonorum; ſed fidei orthodoxæ fervore ſuorum progenitorum veſtigia clara ſequens accenſus, de præmiſſis quantum licite potuit ſe informans ad inſtruendum & informandum nos ſuper his multas & magnas nobis informationes per ſuos nuntios & literas deſtinavit.

Non avaritiæ, ſed zelo tribui poſſit ejus accuſatio.

Indiciaria acta tranſmiſerit Rex.

V.

Infamia vero contra Templarios ipſos increbreſcente, validius ſuper ſceleribus antedictis, & quia etiam quidam miles ejuſdem ordinis magnæ nobilitatis, & qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur, coram nobis ſecreto depoſuit juratus, quod in receptione fratrum præfati ordinis hæc conſuetudo, vel verius corruptela ſervatur: quod ad recipientis vel ab eo deputati ſuggeſtionem, qui recipitur, Chriſtum Jeſum negat, & ſuper crucem ſibi oſtenſam ſpuit in vituperium Crucifixi, & quædam faciunt recipiens & receptus, quæ licita non ſunt, & obviant aliter eorum honeſtati, prout ipſe tunc confeſſus fuit coram nobis; vitare nequivimus, urgente nos ad id officii noſtri debito, quin tot ac tantis clamoribus accommodaremus auditum. Cumque demum, fama publica deferente, ac clamoſa inſinuatione dicti Regis, nec non & ducum, comitum, & baronum & aliorum nobilium, cleri quoque ac populi dicti regni Francorum ad noſtram propter hoc tam per ſe, quam per procuratores & ſyndicos præſentiam venientium, quod dolenter referimus, ad noſtram audientiam perveniſſet, quod magiſter, præceptores, & alii fratres dicti ordinis, & ipſe ordo præfatus pluribus aliis erant criminibus irretiti; & præmiſſa per multas atteſtationes, confeſſiones & depoſitiones præfati magiſtri & plurium præceptorum & fratrum ordinis prælibati, coram multis prælatis & hæreticæ pravitatis inquiſitore in regno Franciæ factas, habitas, & receptas, & in publicam ſcripturam redactas, nobiſque ac fratribus noſtris oſtenſas probari quodammodo viderentur; ac quia fama & clamores prædicti in tantum invaluerant, & etiam aſcenderant tam contra ipſum ordinem, quam contra ſingulares perſonas ejuſdem, quod ſine gravi ſcandalo præteriri non poterant, nec abſque imminenti periculo tolerari; nos illius, cujus vices, licet immeriti, in terris gerimus, veſtigiis in-

hæ-

Secreta Templarii de Chriſto abjurato confeſſio Pontifici facta.

Pluribus aliis flagitiis inquinatus ordo.

hærentes, ad inquirendum de prædictis ratione prævia duximus procedendum: multosque de præceptoribus, presbyteris, militibus, & aliis fratribus dicti ordinis reputationis non paucæ in nostra præsentia constitutos, præstito ab eis juramento, quod super præmissis meram & plenam nobis dicerent veritatem, super prædictis interrogavimus & examinavimus usque ad numerum septuaginta duorum, multis ex fratribus nostris nobis assistentibus, diligenter; eorumque confessiones, per publicas manus in autenticam scripturam redactas, illico in nostra & dictorum fratrum nostrorum præsentia, ac deinde, interposito aliquorum dierum spatio, in pleno consistorio legi fecimus coram ipsis, & in suo vulgari cuilibet eorum exponi: qui perseverantes in illis, eas expresse & sponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt.

VI. Septuaginta duo Templarii coram Pont. objecta fassi.

Post quæ, cum magistro & præcipuis præceptoribus præfati ordinis intendentes super præmissis inquirere per nos ipsos, ipsum magistrum & Franciæ, terræ Ultramarinæ, Normanniæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ præceptores majores, nobis Pictavis existentibus, mandavimus præsentari. Sed quoniam quidam ex eis sic infirmabantur tunc temporis, quod equitare non poterant, nec ad nostram præsentiam quoquomodo adduci; nos cum eis scire volentes de præmissis omnibus veritatem, & an vera essent, quæ continebantur in eorum confessionibus & depositionibus, quas coram inquisitore hæreticæ pravitatis in regno tuo præfato, præsentibus quibusdam notariis publicis & multis aliis bonis viris, dicebantur fecisse, nobis & fratribus nostris per ipsum inquisitorem sub manibus publicis exhibitis & ostensis, dilectis filiis nostris Berengario tit. SS. Nerei & Achillei, & Stephano tit. S. Cyriaci in Thermis presbyteris, ac Landulpho S. Angeli diacono Cardinalibus, de quorum prudentia, experientia, & fidelitate indubitatam fiduciam obtinemus, commisimus & mandavimus, ut ipsi cum præfatis magistro & præceptoribus inquirerent, tam contra ipsos, & alias singulares personas dicti ordinis generaliter, quam contra ipsum ordinem super præmissis cum diligentia veritatem; & quidquid super his invenirent, nobis referre, ac eorum confessiones & depositiones, per manum publicam in scriptis redactas nostro apostolatui deferre, ac præsentare curarent, eisdem magistro & præceptoribus absolutionis beneficium a sententia excommunicationis, quam pro præmissis, si vera erant, incurrerant, si absolutionem humiliter ac devote peterent, ut deberent, juxta formam ecclesiæ impensuri. Qui Cardinales, ad ipsos magistrum & præceptores personaliter accedentes, eis sui adventus causam exposuerunt.

Missi Cardinales ad magistrum, & præceptores judicio interrogandos.

VII. *Et quoniam tam personæ quam res ipsorum & aliorum Templariorum, in dicto regno Franciæ consistentium, in manibus nostris erant, quod libere absque metu cujusquam plene, ac pure super præmissis omnibus ipsis Cardinalibus dicerent veritatem, eis auctoritate apostolica injunxerunt. Qui magister & præceptores Franciæ, terræ ultramarinæ, Normandiæ, Aquitaniæ, ac Pictaviæ coram ipsis tribus Cardinalibus, præsentibus quatuor tabellionibus publicis & multis aliis bonis viris, ad sancta Dei evangelia ab eis corporaliter tacta præstito juramento, quod super præmissis omnibus meram, & plenam dicerent veritatem, coram ipsis singulariter, libere, ac sponte absque coactione qualibet & timore*

Eorundem confessio recepta de Christo ejurato & consputa cruce,

deposuerunt & confessi fuerunt inter cætera Christi abnegationem, & spuitionem super crucem cum in ordine templi recepti fuerunt: & quidam ex eis se sub eadem forma, scilicet cum abnegatione Christi & spuitione super crucem, fratres multos recepisse. Sunt etiam quidam ex eis quædam alia horribilia & inhonesta confessi, quæ ut eorum ad præsens parcamus verecundiæ, subticemus. Dixerunt præterea & confessi fuerunt esse vera, quæ in eorum confessionibus & depositionibus continentur, quas dudum fecerant coram inquisitore hæreticæ pravitatis.

Quæ confessiones & depositiones dictorum magistri & præceptorum, in scripturam publicam per quatuor publicos tabellarios redactæ, in ipsorum magistri & præceptorum & quorumdam aliorum bonorum virorum præsentia, ac deinde interposito aliquorum dierum spatio coram ipsis eisdem lectæ fuerunt de mandato & in præsentia Cardinalium prædictorum, & in suo vulgari expositæ cuilibet eorumdem. Qui perseverantes in illis, eas expresse, ac sponte, prout recitatæ fuerant, approbarunt, & post confessiones & depositiones hujusmodi ab ipsis Cardinalibus ab excommunicatione, quam pro præmissis incurrerant, absolutionem flexis genibus, manibusque complexis humiliter & devote, ac cum lacrymarum effusione non modica petierunt. Ipsi vero Cardinales, quia ecclesia non claudit gremium redeunti, ab eisdem magistro & præceptoribus hæresi abjurata expresse, ipsis secundum formam ecclesiæ auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt; ac deinde ad nostram præsentiam redeuntes, confessiones & depositiones prælibatorum magistri & præceptorum in scripturam publicam per manus publicas, ut est dictum, redactas nobis præsentaverunt, & quæ cum dictis magistro, & præceptoribus fecerant, retulerunt. Ex quibus confessionibus & depositionibus, ac relatione invenimus sæpefatos magistrum & fratres in præmissis & circa præmissa, licet quosdam ex iis in pluribus & alios in paucioribus, graviter deliquisse. Et infra.

Ut perstiterint in eadem confessione.

Censuris, sed non vinculis, liberantur.

Relata ad Pont. judiciaria acta de iis confecta.

VIII. *Et quia salubre in iis adhiberi remedium interest generaliter omnium; nos cum eisdem fratribus nostris, aliisque viris prudentibus exacto ac frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum fratrum consilio universale concilium, sicut imitatione dignæ sanctorum patrum consuetudo laudabilis longævæ observationis exemplo nos instruit, a proximis kal. octobris ad duos annos immediate sequentes decrevimus congregandum; ut in eo tam circa dictum ordinem & personas singulares & bona ejusdem & alia, quæ statum tangunt fidei catholicæ, quam circa recuperationem & subsidium terræ sanctæ, ac reparationem, ordinationem, & stabilitatem ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum & libertatum earum illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione concilii roboretur, per cujus salutiferam executionem virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertas solida stabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejusdem terræ statu prospero reparato; occupata restituat, vastata restauret, & restaurata conservet, nobisque viam aperiat idem ipse qui novit & facultatem tribuat ipse qui potest.* Et infra.

Concilium œcumenicum ob id indicit.

Causæ ob quas congregandum fit.

Mandavimus insuper, ut iidem archiepiscopi & prælati per se vel alios viros prudentes, Deum timentes, & habentes præ oculis, omnia quæ correctionis & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius concilii notitiam deferant. Et nos nihilominus variis modis & viis solers studium & efficacem operam dare proponimus, ut omnia talia in examen hujusmodi deducta concilii correctionem & directionem recipiant opportunam, &c. Datum Pictavis II. *id. augusti pontificatus nostri anno* III.

Jubentur præsules disquirere quæ in singulis provinciis vidéntur emendanda.

Indicta est (*a*) omnibus & singulis Templariis dies, ut in hoc concilio procuratorum opera ad dicendam de objectis ordini causam compareremt: ac Petro episcopo Card. Prænestino, cui magistri ordinis & præceptorum Franciæ, Aquitaniæ, Normanniæ, Pictaviæ, ac Provinciæ custodia commissa erat, datum negotium, ut ipsos coram Viennensi concilio ad excipiendam sententiam produceret (*b*). At de Templariis hactenus. Nunc ad impurum Dulcinum ejusque sectarios, qui ad effundendas furenti libidini liberas habenas infanda hæresi se devinxerant, divino judicio justis affectos supplicüis, sermonem traducimus.

(*a*) *Lib. 3. ep. cur. 23.*

Dicta apud concilium Templariorum ordini dies.

(*b*) *Eadem ep.*

IX. Infanda novæ hæreseos dogmata.

Præmunierat jam ante Christifideles, documentis apostolicis Pontifex adversus hunc pseudomonachum, qui effutiebat legem Spiritus sancti evangelicæ legi successisse, illamque amoris & charitatis appellabat: unde ad fornicationes exercendas ex charitate suos instruebat, eoque lenocinio pronam in vitia utriusque sexus multitudinem ad se pellexerat. Quæ cum in dies augeretur, Clementis jussu sacra in eam militia indicta est duce episcopo Vercellensi, cui parti de impiis triumphi gloriæ partem magnam tribuit Bernardus his verbis (*c*): [1] *Eodem anno*, nimirum MCCCVII. sed ab incarnato verbo numerato, atque adeo cum MCCCVIII. concurrente, *in quadragesima subsequenti inquisitores hæreticæ pravitatis in partibus Lombardiæ superioris de ordine Prædicatorum cum episcopo Vercellensi, cruce cum plena pecca-*

(*c*) *Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sign. n.* 3765.

NOTÆ [1] Nescio quod venerit in mentem Raynaldo cum Dulcini supplicium in hunc annum conferendum censuit; omnes enim, quotquot historiam hanc literis consignarunt, ac præsertim anonymus, qui de hæresi hac per hos annos scribebat, rem gestam anno præcedenti commemorat. Nec diversus est S. Antoninus, qui Pisano more annum supputans, recte scribit, captos fuisse hæreticos illos *die sancto cœnæ anno incarnationis Domini incoato* MCCCVIII. annus enim Pisanus 1308. cum die XXV. martii conjunctus reddit annum nostrum 1307. Cæterum Dulcinus supplicium tulit *die primæ mensis Junii anni millesimi trecentesimi septimi* ait cœvus Auctor commentariorum hæresis Dulcinianæ de quo supra, legenduque Rer. Ital. to. IX. col. 427. &c. Cum vero apud eundem anonymum Dulcinus pro judicio interrogatus fassus sit jam inde ab annis fexdecim hæresim suam se docuisse; deducta hinc supputatione, hæresis hujus epocham anno circiter 1291. assignemus oportet. Præluxit vero Dulcinus Vicleffo, & Luthero, quod enim hi postmodum hæresis suæ fundamentum posuerunt, Romanæ nempe Ecclesiæ reprobationem, & a fide apostasiam, id pariter & Dulcinus jactaverat; omnem ab Ecclesia & Præsulibus detrahens authoritatem, quam totam vicissim sibi suisque arrogavit, utpote, qui soli Apostolicam vitam sectarentur: a quo vitæ statu cum jam inde a tempore S. Silvestri Ecclesiæ antistites declinassent; hinc nullus exinde fuit non seductor & prævaricator, si unum exceperis, ajebat, S. Petrum Cœlestinum, quem hæretici illi summis laudibus commendabant. Abolebant igitur exteriorem omnem cultum tum in Ecclesiis, tum imaginibus præstitum; ac denique Romani Pontificatus solutionem imminentem, præsagiit Dulcinus: quin & eo impudentiæ devenit, ut insignis illius rerum mutationis epocham certam anno 1305. definiret; quo novo argumento reum impostura tenet illum auctor alterius commentarii rerum Dulcinianarum, quem sub nomine additamenti ad historiam Dulcini dedit Muratorius Rer. Italic. to. IX. Anonymus ille, unde hæresum Dulcini chatalogum hausi, scribebat anno 1316. post terminum a Dulcino præfinitum decennio; nec tamen illa Ecclesiæ immutatio adhuc contigerat. MANSI

Sacrum bellum contra Dulcinianos gestum.

torum indulgentia prædicata, congregaverunt exercitum magnum contra Dulcinum Novariensem hæresiarcham, imitatorem non tam veterum, quam novorum errorum, & perversorum dogmatum inventorem: qui multos infecerat, multosque traxerat, & habebat plurimos discipulos & sequaces, morabaturque cum suis in montanis Novariensibus. Accidit autem, quod propter intensa frigora multi, qui erant in dictis montibus, fame & frigore deficientes a viribus & a vita, in suis erroribus perierunt. Ascendentes autem fideles de exercitu ceperunt ibidem Dulcinum, & cum eo centum quinquaginta personas: mortui vero fame & frigore cum interfectis gladio quadringenti, & amplius sunt inventi. Cum eodem quoque Dulcino fuit capta Margarita non tam malefica, quam hæretica consors ejus in scelere & errore. Prædicta vero captio fuit facta in hebdomada sancta in die sancto cœnæ anno incarnationis Domini inchoato MCCCVIII.

Parta de iis victoria.

Sumptum de Dulcino supplicium.

(a) MS. Vat. bibl. sig. n. 3765. in Clem. V.

(b) Mavt. Pol. l. 4. hoc an.

(c) Jo. Vill. l. 8. c. 84.

(d) Anton. 3. p. tit. 21. c. 1. §. 1.

(e) Sabellic. enn. l. 7. & alii.

Contra prædictum Dulcinum de mandato apostolico fuerat antea crux cum indulgentia prædicata, & inquisitores pluries moverant exercitum contra ipsum: sed non poterant prævalere, quia sequaces & fautores ac defensores ejus multiplicati erant super numerum in partibus Lombardiæ. Tandem facta fuit debita executio justitiæ de eisdem per curiam sæcularem, fuitque dicta Margarita ante Dulcini oculos membratim concisa, dehinc & ipse Dulcinus membratim inciditur, & amborum ossa & membra omnia pariter comburuntur cum quibusdam aliis suis complicibus, prout eorum scelera merebantur: non tamen perversum dogma Dulcini cum ipso extincto penitus est extinctum. His consentanea tradunt MS. Vaticanum, (*a*) Martinus Polonus, (*b*) Joannes Villanus, (*c*) S. Antoninus, (*d*) & alii, (*e*) qui eundem hæresiarcham una cum aliis utriusque sexus ejusdem perfidiæ conscriis a Novariensibus flammis injectum scribunt.

X. Lateranen. basilica consumpta incendio.

Defluximus ad res Italicas, quæ multis populorum motibus turbidæ ingentia postea mala secuturis annis peperere. Utque ab urbanis inchoemus, versum est religioni, ac tristi præsagio a Romanis, sacrosanctam Lateranensem basilicam repentino incendio conflagrasse, ut refert hisce verbis Bernardus (*f*): *Eodem anno in festo S. Joannis ante portam Latinam combusta est ecclesia S. Joannis de Laterano Romæ, unde in Urbe magna lamentatio facta fuit, quasi hoc super ipsos divinum judicium reputantes.* Eluxit ea in calamitate divina providentia: cum enim volitantium flammarum globi obvia quæque depascerent, ædiculæ sacræ, cui Sancta sanctorum ob pretiosissimas conditas in ea reliquias nomen erat, pepercere, ut Antoninus testatur (*g*): *Ipso*, inquit, *anno*

(f) Bern. chr. Rom. Pont.

(g) Ant. 3. p. tit. 21. c. 1. §. 4.

*mense * junii iguis a casu successus est in palatio S. Joannis Lateranensis in Urbe, combussitque omnes habitationes canonicorum ejus, ac totam ecclesiam, & domos omnes per circuitum. Solum remansit illæsa capella, quæ dicitur Sancta Sanctorum, quæ testudinata erat, & ibi capita Apostolorum Petri & Pauli cum reliquiis aliorum sanctorum quiescebant; unde maxima jactura secuta est ex rebus consumptis ibi ab igne, & ædificiis destructis.*

* maii

Canonicorum ædes flammis conflagrarunt.

Capita Apostolorum & SS. reliquiæ servata illæsa.

Librat justis ponderibus Clemens prodigium illud divinæ misericordiæ, quæ si ea perire, quæ humana industria, vel opibus refici poterant, passa est, augustissima tamen religionis nostræ monumenta, ut altare ligneum, in quo S. Petrus sacra peregit (ex cujus inspectione hæretici nostri temporis, qui divinum sacrificium reiiciunt, convinci possint) aliasque prætiosissimas reliquias, quarum jactura irreparabilis fuisset, corripi flammis, quæ marmora absumebant, argentumque liquefecerant, non permiserit; ut e pontificiis literis (*b*) ad Jacobum Columnam diaconum Card. datis constat.

(b) Lib. 3. ep. cur. 33.

Clemens, &c. dilecto filio Jacobo de Columna S. R. E. diacono Card.

Ad apostolatus nostri notitiam fide dignorum relatione pervenit (quod non absque vehementi dolore nos & fratres nostri recolimus) quod nocte præcedenti festum B. Joannis ante portam Latinam ardens ignis ex incuria forte custodum, emissus sacristia primo, deinde pœne totum tectum majoris navis venerabilis ecclesiæ in honorem Salvatoris omnium dedicatæ vorante flamma consumpsit, marmoreis nonnullis columnis concrematis incendio, ac canonicorum altari & choro succensis. Cumque dubitaretur, & merito, ne sacrosanctas ejusdem ecclesiæ venerandi toto terrarum orbe dominici ac patriarchalis majoris altaris reliquias ignis edax absumeret, ipsius argenteo liquente ciborio, astitit ecclesiæ suæ divinæ pietatis dignatio, in ira misericordiæ memorans. Nam celeberrimas ipsius reliquias, nec non arcam seu altare ligneum, in quo B. Petrus Apostolorum princeps celebrasse recolitur, per devotorum manus intrepidas ignis flammis eripuit, illæsa custodivit, & nunc in capella sancti Thomæ, in eadem ecclesia Lateranensi sita, venerabilis fratris Joannis episcopi Tusculani, & dilectorum filiorum nostrorum Francisci S. Luciæ in Silice diaconi Cardinalis, quibus per alias nostras literas super hoc scribimus, & tuo consignata sigillis conservari fideliter asseruntur. Et infra.

Patriarchalis altaris reliquiæ e vasere incendium.

Altare ligneum, in quo S. Petrus divina peragebat, e mediis flammis ereptum.

Agentes itaque una cum prædictis fratribus humiliter omnipotenti Deo de sua grandi salvatarum reliquiarum misericordia gratias, habemus exinde in tribulatione lætitiam, in afflictione solamen, dum non imparis muneris esse cognoscimus eas de

do tam magnis liberari periculis, quam hactenus nobis ipsas divina fore largitione concessas. Probata insuper continuata devotio, contritio marium & mulierum nostri peculiaris populi Romani iis casibus, sicut fide dignorum habet assertio, operibus se commendans, quas in augmentum virtutis, & gratiæ, meritorumque cumulum optamus augeri, pio nostrum dolore animum liquefecit, &c. Subdit se mox animum ad instaurandam Lateranensem ecclesiam, atque pristino splendori magnis operibus restituendam convertisse, atque adeo Isnardum archiepiscopum Thebanum cum magna pecuniæ vi transmittere, ut cum ipsius Cardinalis Columnensis, atque aliorum purpuratorum patrum, nimirum Joannis episcopi Tusculani, & Francisci sanctæ Luciæ in Silice diaconi, ad quos extant literæ, (*a*) consilio operi manum admoveat. Pergit Pontifex.

Isnardus archiep. ad basilicam reficiendam missus

(a) Reg. post ep. cur. 35. XI.

Interim vero, quia prædictarum reliquiarum, quæ in præfato majori altari servabantur, nobis est cura præcipua, discretioni tuæ præsentium tenore committimus & mandamus, quatenus, ni forsan hæc per eorundem Cardinalium & tuæ circumspectionis prudentiam forent hactenus adimpleta, tu una cum prædictis Cardinalibus, aut eorum altero te ad prælibatam capellam S. Thomæ personaliter conferens, omnes memoratas reliquias in eodem majori altari solitas conservari trium vestrum, si fieri possit, vel duorum saltem sigillis, ac altare ligneum consignare procures; deinceps nec per te, nec per quoscumque alios mutanda, vel tangenda, nisi inevitabilis fortassis necessitatis articulus immineret, absque nostra, vel præfatæ sedis licentia speciali. Deo namque opitulante proponimus, quod celeberrimum præfatum altare ligneum per manus nostras illic, ubi, & prout fuerit, cum memoratis reliquiis, collocetur.

Jussi Cardinales sacras reliquias suis sigillis consignare.

Deliberat Clemens Romam accedere.

Ad hæc licet de sæpedictis altari ligneo venerabilibusque reliquiis sic ex causa, ut prædiximus, duxerimus ordinandum, pavimenti tamen locum, ubi in eadem Lateranensi ecclesia ipsum ligneum servabatur altare, ac aliam super terram ipsius altaris insignia, puta ciborium, columnas, cancellos, & si qua alia fuerant, refici volumus, ut Deo propitio tempore accepto, ut diximus, reponendum ligneum altare, convenienter ornetur, ecclesiæ ac populi devotionem accendat, sic in sua sanctificatione permaneat domus orationis in statum pristinum suscitata, &c. Dat. Pictav. III. id. aug. anno tertio.

Pristino splendori altare restituere.

Concussi adeo lugubri incendii casu magno terrore Romani ad divinas iras placandas solemnes supplicationes instruxere atque ad opus instaurandum incubuere. De quibus hæc Bernardus (*b*): *Fecerunt*

Effusa populi Rom. in eo casu comploratio.

(b) Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. sig. num. 3765.

clerus & populus processiones ad Dei misericordiam, & gratiam implorandam; hincque in Urbe sedantur discordiæ, paces fiunt, viri quoque timorati, ac mulieres devotæ Romanorum assumunt lamentum, signa pœnitentiæ demonstrantes: ad reparationem vero ecclesiæ omnes solicite dant operam, & mutuo se hortantur. Collaudavit Clemens Romanorum zelum, atque egregium erga res sacras studium, qui pietatis sensu delibuti, instructis agminibus religiosis, se flagris cædebant, profusis suspiriis divinam clementiam implorabant, adibant religiosa loca, ac fastu posito, nullo dignitatis, sexus, ætatis discrimine sacram Lateranensem basilicam instaurabant. De quibus hæc ad ipsos scripsit Pontifex (*c*): *Habet fidelis relatio, quam vestrorum nuntiorum, & literarum series roboravit, sacrosanctas majoris altaris Lateranensis ecclesiæ devotorum manibus, opitulante Deo, ereptas incendio, illæsasque esse reliquias. Habet hæc eadem, vestrum tam marium, quam mulierum ad reparationem reædificationemque ipsius ecclesiæ continuatam indefessis laboribus pietatem, qua nullo ætatis, nobilitatis, divitiarum, sexusve discrimine nunc humeros submittitis oneri, nunc manus ministerio exhibetis; quaque Apostolorum limina, nunc cæterorum sanctorum ecclesias immutati habitu, emundati corde in melius, pacis amatores effecti, rancores aspernantes & odia, interdum ex vobis maribus in disciplinam sua fustigantibus corpora contritione, gemitibus, lacrymis divinam implorando clementiam, concomitante clero processionaliter visitatis. Laudemus itaque omnipotentis Dei misericordiam, cujus proprium est misereri semper & parcere, ipsiusque conservatis tantis reliquiis munificentiam cognoscamus, &c.* Restituendæ igitur pristino splendori basilicæ Lateranensis solicitus Clemens, fideles propositis indulgentiis ad molitionem operis erogata stipe promovendam allexit (*d*): tum citerioris ulteriorisque Siciliæ Reges vectigales ligna idoneæ suppeditare jussit (*e*). Ipsum etiam ingentem pecuniarum vim contulisse, ac basilicam ad culmen majori elegantia ac magnificentia, quam antea assurrexisse, testantur scriptores (*f*). Et quidem Joannem XXII. in gloriæ proventi illius operis communionem accessisse constat: nunc reliqua ad hunc annum spectantia prosequamur.

Iratum numen mulcere piis operibus studuit.

Illius in basilica Lateran. instauranda fervor.

(c) Lib. 3. ep. cur. 36.

Peractæ solemnes supplicationes.

(d) Eod. l. 3. ep. cur. 37.

(e) Ib. ep. cur. 39.

(f) Jo. Vill. l. 8. c. 97. Bern. chr. Rom. Pont. Ant. ubi sup.

XII. Ob translationem sedis in Gall. ingentium bellorum initia in ditione eccl.

Dum Clemens moram in Galliis diuturniorem trahebat, coorti sunt ob illius absentiam gravissimi tumultus. Rebellarunt enim Anconitani, Æsculani, aliique Piceni populi, qui armorum societatem iniere Poncello Ursino duce, ut se ab imperio sedis Apostolicæ subducerent: iisque etiam nonnulli viri prænobiles se conjunxere. Quibus cum divinarum humana-

In Piceno passim conjurationes factæ.

rumque pœnarum terrorem incussissent magistratus pontificii, ut ipsos ad obsequium revocarent, atque etiam Pontifex amplissimis verbis ad officium solicitasset, nullo metu, nulla religione, a suscepto scelere abduci potuerunt: immo crudeli bello finitimos populos, quos in sedem Apostolicam studium, atque observantia in fide continebat, ut eos in scelus pellicerent, lacessiverunt. De quorum pertinacia queritur subjectis verbis Clemens (*a*).

(*a*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 40.

* *retrahit*,

Mirandum occurrit, quod licet animalia bruta læsio similium sibi * *retraxit, satisque præ oculis ipsi rebelles habeant, qualiter in ipsa provincia lociſque contiguis ecclesiæ Romanæ rebellibus & indevotis evenerit non solum bonis eorum, sed & personis dire & crudeliter exterminio expositis & ruinæ; rebelles tamen hujusmodi sic ista contemnere, sic videntur ad ea nunc usque nullo modo terreri, quod ab eisdem excessibus non solum abstinere non curant, sed tanto diuturnitate continuationis aggravant & excedunt, quanto detestabilius est post illæ, tam dire vindicata in aliis, non vereri pertinaciter in seipsis, nec abhorrere vindictam, ut illud moralis Philosophi adimpleri videatur in eis, quo dicitur: Hæc est humani cordis duritia, ut non solum audiendo, sed nec videndo periisse alios extimeant, ni perire conspiciant & seipsos, &c.* Æsino & Scurensi episcopis provinciam imposuit, ut Poncellum a cœptis abducere studerent. *Dat. apud Laureum montem Burdegalensis diœcesis* IX. *kal. novemb. anno* III.

Sævitum in rebelles armis nec ad officium revocati.

Queritur de iis Clemens.

XIII. Imploratum Car. Regis auxilium.

(*b*) *Lib.* 3. *ep.* 42.

Ad infringendam vero rebellium pervicaciam Clemens, ne malum periculosius serperet, Caroli Regis Siciliæ Rom. ecclesiæ stipendiarii fidissimi auxilium imploravit, (*b*) hisque verbis, ut in arma prosiliret, excitavit: *Adhibe fili precibus paternis & votis filialis promptitudinis intellectum, accinge te ad propulsandas patris & matris injurias, velut filius benedictionis & gratiæ, virtute ac fortitudine solita lumbos tuos: exurge in adjutorium matris ejusdem, ne contra ipsam prævaleant insurgentes: sed filii fidelis & fortis circumdata præsidiis, & validis amplexata lacertis exurgat, te duce Deoque præduce, victrix.* Et infra: *Serenitatem regiam cum omni rogamus fiducia & hortamur attente, quatenus suscipiens alacriter, & devote exaudiens, ac efficaciter cum omni celeritate & promptitudine implens nostrarum precum primitias, ex nostri cordis intimis prodeuntes, & attendens, quem ad te gessimus & gerimus peculiaris dilectionis affectum, amoris glutinum, & confidentem zelum, ut iidem rebelles in fræno & camo constricti ab eorum perversis actibus resipiscant, &c. Dat. apud Laureum montem Burdeg. diœcesis* IX. *kal. novemb. anno* III. Eodem argumento datis literis majorem natu Caroli filium, nimirum Robertum ducem Calabriæ, ac Philippum Tarentinum principem ad corripiendas in hostes ecclesiæ copias inflammavit (*c*). Tum Bertrandum montis Albani abbatem & Guillelmum Revellen. ecclesiæ Albanensis præpositum Apostolicæ sedis nuntios omnem operam in Picentibus ad officium adducendis collocare jussit: (*d*) quos si flectere ad obsequium non possent, equestres copias a Carolo Rege Siciliæ deposcerent, quas ex accepti jure fiduciario regni legibus laboranti ecclesiæ egregie instructas mitteret. Quarum numerum ita expressit: *Trecentos milites*, de cataphractis equitibus loquitur, *juxta conventionem dudum initam inter Rom. ecclesiam & claræ memoriæ Carolum Siciliæ Regem patrem suum, in eadem provincia ad humiliandam prædictorum superbiam & pertinaciam edomandam sine mora transmittere non postponat.*

(*c*) *Ib. ep. cur.* 43. *& reg. post eand. ep.*

(*d*) *Ib. ep.* 54.

Petitum vectigal militare.

XIV. Ferrarienses se in libertatem vindicant.

Excitati sunt eodem tempore Ferrariæ post Azonis mortem, (*e*) dum Franciscus illius frater ac Friscus Azonis spurius inter se de principatus successione contendebant, maximi populares tumultus, quibus marchiones Estenses ejecti sunt. Quam occasionem recuperandæ Ferrariæ præclaram sibi objectam arbitratus Clemens, Ferrarienſibus ob depulsum cervicibus jugum gratulatus est, verbisque amantissimis ad sedis Apostolicæ, cui ab evolutis retro temporum curriculis erant obnoxii, obsequium allicere studuit (*f*).

Azone mortuo de principatu contenditur.

(*e*) *Cortus hist. l.* 1. *c.* 9. *Pigna de princ. Atestin. l.* 4.

(*f*) *Lib.* 3. *post ep. com.* 26. Studet Pontifex Ferrarienses ad ecclesiæ obsequium allicere.

Clemens, &c. dilectis filiis universitati civit. Ferrarien. ac ejus territorio.

Licet Ferrarien. civitas cum ejus districtu, territorio, & comitatu ad eandem ecclesiam spiritualiter & temporaliter pertinere noscatur, incolæ tamen civitatis, comitatus, & territorii prædictorum jam longis retro temporibus sub diversorum eos sibi subjugantium potentia constituti, regiminis eorum matris & dominæ, ecclesiæ videlicet præliabatæ, id faciente malitia temporis, dulcedinem non gustarunt. De quo tanto dolemus amplius, & condolemus eisdem, quanto magis exinde dicta ecclesia dispendium, dictique incolæ ac alii circumpositæ regionis læsionem sui status non modicam subierunt. Quia vero illo jam faciente, qui post nubilum dat serenum, & tranquillitatem post turbinem subministrat, tempus ut opinamur advenit, in quo Ferrarienses prædicti, pulsis procul, qui eos sicut escam panis devoraverunt & devorant, ac macula servitutis exterſa, suæ matris lætos, si non desipiant, sortientur amplexus, suavitatem jugem experientur ipsius, & salubris gubernationis ejus levi onere, divina favente clementia, perfruentur, &c. Et infra.

Festinate igitur, filii, maternum repetere gremium, adulterinæ dominia fugite, si qua recepistis abiicite, & diligenter attendite quod nil securitate dulcius, nil pulchrius libertate. Inspice civitas nostra quid tibi amatores tui, cum quibus adulterata es, hactenus attulerunt. Fornicationis tuæ rememora fructus, & cerne stipendia, quæ sumpsisti, quia mercedem tuam civium tuorum cædes invenies, servitutem gravissimam, & continuos timores advertes, eorum exilia insuper, tui incendia & ruinas non desines intueri. Videte ne acceptabile tempus vestrum recipiatis in vanum. Cavete ne dies salutis vestræ negligatis assumere: sed matrem pariter recognoscatis & dominam vos vocantem. Properate confidenter ad eam, ut sub ejus suavi dominio in pulchritudine pacis, & ubertate quietis, Deo præbente, in posterum sedeatis. Datum Pictavis v. *kalend. maii anno tertio.*

Ut se libertati asserant hortatur.

Calamitates præteritas ob exterorum dominium proponit ob oculos.

XV. Ad Ferrarienses missi nuntii.

(*a*) *Ib. ep.* 26.

Imminebant occupandæ illi urbi Veneti, ad quorum artes frangendas Clemens Arnaldum abbatum Tutellensem & Onufrium Trebanum Meldensis ecclesiæ decanum nuntios apostolicos ad Ferrarienses misit, (*a*) ut ipsos in ecclesiæ ditionem admitterent. Tum instruxit auctoritate, ut coitiones in publicæ rei perniciem dissolverent, atque etiam civibus religiosissime vetarent cujuscumque dominatum sibi asciscere, atque omni administratione depellerent, si quos forte dominos suis cervicibus imposuissent. Perfuncti (*b*) sunt strenue munere internuntii apostolici, ac Rom. ecclesiæ nomine dominium ac possessionem Ferrariæ iniere: coram enim ipsis patritii plebeiique solemni ritu Romano Pontifici obnoxios esse professi sunt, creati rogante populo ab iis magistratus, acceptæ claves civitatis, ac milites præsidiarii impositi, administrata eorum nomine justitia, atque in Massa Fiscalia totoque Ferrariensi tractu arcibus præfecti dati; cum Veneti Ferrariam in suam potestatem redigere sunt meditati. Præsensere nuntii eorum consilia, auditoque bellico, quem instruebant ad expugnandam Ferrariam apparatu, apostolica auctoritate, literis suis, tum Castellanensis episcopi opera Petrum Gradenicum ducem, ac senatum Venetum monuere, ne Romanam ecclesiam illius urbis possessione potitam turbarent, neve ullam ipsi injuriam inferre molirentur. Cumque insuscepto consilio perstarent, Arnaldus abbas Tutellensis nuntius apostolicus Venetias se contulit, ut ducem, senatum, populumque a movendo bello abduceret. At Veneti, spretis illius monitis, atrocibus ipsum contumeliis excepere, appetiere saxis, concitataque seditione inconditis clamoribus mortem intentarunt, & violatis induciis, ac misso cum exercitu, bellicis machinis instructo, Joanne Superantio, jura ecclesiæ invasere; (*c*) expugnavere arcem, cui Thedaldi nomen est, Ferrariæ suburbia, pontem, quo fluvii utraque ripa jungebatur, turrimque illi impositam occuparunt.

(*b*) *MS. Vat. bibl. sig. num.* 3977. *pag.* 173. *Clem. in bulla excom. Venet. ex typog. vat. an.* 1606.

Veneti Ferrariam sibi subiicere moliuntur.

A nuntiis apost. cœptis abstinere jussi.

Arnaldium abb. internuntium Veneti contumeliis appetunt.

(*c*) *Pigna l.* 4. *Sabellic. enn.* 9. *l.* 7. *& alii.*

XVI. Ferrariam oppugnant.

Nonnullis potiuntur propugnaculis.

(*d*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 4.

Objectæ illis censuræ.

Cum hostilis illius irruptionis in Ferrariensem agrum a Venetis factæ rumor ad sedem Apostolicam perveniſſet, Pontifex Ferrarienſi episcopo, abbati Tutellensi, de quo paulo ante memoravi, atque Onufrio e Trebis Meldensis ecclesiæ decano provinciam imposuit, (*d*) ut Venetos blandissimis monitis ad ea restituenda provocarent: ac ni evoluto decem dierum spatio dictis audientes fuissent, ipsos anathemate defigerent, censurasque in locis comitatus Ferrariensis, in quibus visum esset, solemni ritu promulgari juberent. His vero verbis de Venetis questus est.

Profecto eidem terræ Venetiarum tantæ nobilitatis titulis insignitæ paterna nimirum affectione compatimur, quod per hoc in decoris sui gloria maculam posuisse dignoscitur, & indevotionis semitam adiisse. Dolemus etiam quod eadem mater ecclesia in ipsorum culpis offenditur, quodque ipsi in perniciem incaute dilapsi gravi terram ipsam infamia respersere: turbatur etenim ecclesia ipsa, utpote pia mater, in turbationibus civitatis ipsius, affligitur in flagellis, in passionibus patitur, in oppressionibus premitur, in offensis offenditur, & participat in adversis, &c. Invasere interea Ferrariam Veneti, atque ab senatu Veneto Joannes Superantius urbis prætor reipublicæ nomine creatus est. Quibus lacessiti injuriis Arnaldus abbas & Honuphrius e Trebis decanus apostolica auctoritate Petrum Gradenicum ducem, senatum Venetum eorumque administros anathemate, ac ditionem Venetam interdicto ecclesiastico perculere. Necdum pervenerat ad Clementem Ferrariensis excidii tristis nuntius, inflictasque a nuntiis apostolicis censuras, cum flectere iterum Venetos precibus minisque, datis hisce ad eos literis, pertentavit (*e*).

Anathemate damnati.

Ignarus acceptæ cladis Pont. Venetos mulcere nititur.

(*e*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 3.

Dilectis filiis nobilibus viris duci, consilio, & communi Venetiarum.

Scripta eo argumento blanda exhortatio.

Attendite filii ad Christi Vicarium patrem vestrum, & ad matrem ecclesiam, quæ vos in spiritu regeneravit & aqua. Audite, quæ sumus, prudenter quæ loquimur, & aures vestras in verba oris nostri diligentius inclinate. Concrescat in vobis ut pluvia eloquium nostrum, & sicut ros super gramen perfundat vestri cordis intima sermo patris. De sinu quidem ejus spargenda in vobis semina prodeunt, fructum germinatura multiplicem, si devote susceperitis illa, eisque agrum deputaveritis mentes vestras Intendimus enim ab oculis vestris paterno vocis oraculo nubem excutere, ut exclusa tenebrarum caligine quid agatis, & quid vestri mereamini actibus, posi-

fitis tam exteriori quam interiori lumine contemplari. Non enim secundum motum animi turbationis stimulo concitati, sed juxta paternæ mansuetudinis gratiam, quæ provocata durius, benignius miseretur, mentem nostram vobis aperire decrevimus, ut in nostrorum suavitate verborum ad illam cognitionem devota vos pœnitudo reducat, quod sub examinatione recti judicii cognoscatis aperte, si in vestris actibus digne nobis materia commotionis emergit, si justa contra vos turbatione movemur, & ex rationabili causa indignatio nostra procedit; & an exaggerari, & exaggerata puniri meruit tanta temeritas offensorum.

Non est quidem vobis incognitum, quod eadem mater ecclesia semper vos dilexit ut filios, semper terram vestram brachiis maternæ dilectionis astrinxit, semper eam portavit in sui sacrario pectoris prædilectam, semper oculo benignitatis inspexit, & semper, ut felicibus gratularetur eventibus & gratis successibus fulciretur, intentis desideriis concupivit, ad vestrum & ipsius terræ statum prosperum intendendo. Scimus enim quod hujusmodi sermo noster veris innititur, scimus quod nostræ assertionis series nihil fictionis innectit, scimus quoque quod hujusmodi verborum nostrorum oracula plenæ veritatis adminiculo consoventur, &c. Dat. Lectoræ II. *non. decemb. anno* IV. Adhibuit (*a*) etiam patriarchæ Constantinopolitani, & Castellanensis ac Patavini episcoporum, tum etiam Siciliæ & Trinacriæ Regum auctoritatem, precesque ad flectendos Venetos: sed ii in cœptis perstitere. Ut vero sequenti anno a Clemente defixi censuris atque a legato inde pulsi fuerint, dicetur. Jam reliquas Italicas res prosequamur.

(*a*) *Clem. in bulla exc. Venet. ubi sup.*

XVII. Academia Perusiæ instituta.

Decorata est hoc anno Perusia nobili academia, quam ob egregium civium in ecclesiam studium se excitasse, Clemens testatur, dato apud Sanctonas diplomate VI. id. septemb. pont. anno III. consignato. Clementem vero exeunte mense augusto Pictavio discessisse, docet subjectis verbis Bernardus: *Eodem anno circa finem præcedentis mensis augusti dominus Papa cum curia sua recessit de Pictavo, transivitque per Burdegalesium, & Agennesium, fuitque Tolosæ in festo natalis Dominis usque ad epiphaniam.* Ex quibus colligitur Clementem Pictavio discedentem, dum in itinere substitit apud Sanctonas, apostolicum diploma de instituenda Perusina academia confeciisse.

Clementis varia per Gallias itinera.

Ulyssiponensis acad. instituta a Nicolao Coimbricam a Clemente traducta.

Egerat jam ante Dionysius Lusitaniæ Rex cum Clemente de academia Coimbricensi constituenda: quæ quidem primum in urbe regia, ipso rem a Nicolao IV. flagitante, cum non armis modo ad barbaros edomandos, verum etiam literis, ac sapientia ad probe administranda jura regnum florere par esset, excitata fuerat, amplissimitque privilegiis exornata. Sed cum postmodum inter cives, ac literis operam dantes discordiæ exarsissent, quæ extingui facile non possent, exposuit Clementi Dionysius Coimbricam ob loci amœnitatem, rerumque affluentiam opportuniorem videri, in quam academia prærogativis iisdem, quibus a Nicolao donata fuerat, potitura traduceretur. Assensit (*b*) Pontifex, atque archiepiscopo Bracharensi, & Coimbricensi episcopo rei perficiendæ provinciam demandavit: tum in illius academiæ sustinendam amplitudinem ac dignitatem sex ecclesiarum Ulyssipponensium vectigalia, deducta ex iis ad sustentandos sacerdotes parte, in doctorum stipendia derivavit. Hæc prætermittere noluimus de amplissima academia, quæ postea rei literariæ maxima gloria effloruit.

(*b*) *Lib. 3. ep. com. 384.*

XVIII. Tradita a Clem. hoc anno privilegia.

Conjungenda vero hic existimamus nonnulla Clementis sancita. Haquino in primis Norvvegiæ Regi, ut clericos regiæ familiæ a quovis Norvvego antistite sacris ordinibus initiandos curaret, potestatem fecit (*c*): Balduinum archiepiscopum Trevirensem ad ipsius ecclesiæ invasores comprimendos infligendarum pontificio nomine censurarum auctoritate instruxit, (*d*) eximitque ab æris alieni a prædecessoribus contracti solvendi onere, nisi in ecclesiæ Trevirensis rem derivatum esset: *Auctoritate*, inquit, (*e*) *tibi præsentium indulgemus, ut ad debitorum per prædecessores tuos archiepiscopos Trevirenses ecclesiæ nomine contractorum, nisi ea in utilitatem ipsius ecclesiæ conversa fuisse probaverint, per creditores compelli non possis invitus. Dat. Pictavis* VII. *kal. april. anno* III. Hæc statuit Pontifex, ne ecclesiastici temere ecclesias suas ære alieno obruerent, quod non in earum utilitatem verterent, sed in alia profunderent. Ita Lugdunensem etiam archiepiscopum eadem religione liberavit. Asseruit etiam Roberto Cantuariensi archiepiscopo (*f*) regia inunctione Angliæ Regis liniendi, exornandique diademate auctoritatem: *Cum*, inquit, *sicut oblata ex parte tua petitio continebat, coronatio charissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ, quæ illi in proximo imminet, feliciter, dante Domino, facienda, ad te ratione tuæ ecclesiæ pertinere noscatur, nos nolentes, quod in hac parte officium tuum valeat impediri, tuis supplicationibus inclinati omnes literas, si quas super commissione coronationis ipsius Regis alicui, vel aliquibus forte direximus, cujuscumque tenoris existant, auctoritate præsentium revocamus. Nulli ergo, &c. Dat. Pictavis* XI. *kalen. februarii anno* III.

(*c*) *Ead. l. 3. ep. com. 122.*

(*d*) *Ibid. 3. ep. com. 446.*

Episcopi non obstricti ad dissolvenda prædecessorum nomina.

(*e*) *Reg. post cand. ep.*

Si res in ecclesiæ utilitatem versa tenentur.

(*f*) *Ib. ep. 20.*

In Germania conscendit imperiale solium Henricus Lucemburgi dux, cum Albertus Rex a nepote, cui ditionis hereditariæ partem eripuerat, vita & regno exutus fuisset. De cujus cæde hæc Bernardus tradit (*a*): *Anno Dom. MCCCVIII. fuit occisus Albertus Rex Alemanniæ a nepote suo filio fratris sui*, cui Joannem nomen fuisse testantur alii, *cujus causa fertur, quia omnia dabat filiis, & de ipso parum curabat; quamvis ipse esset filius primogeniti.* Martinus vero Polonus (*b*) juvenem furore ob ducatum Sueviæ sibi præreptum in patruum fuisse incitatum: aliamque irarum causam adjungunt Joannes Villanus, (*c*) atque ex eo S. Antoninus, (*d*) cujus hæc verba sunt: *Anno eodem*, scilicet *MCCCVIII. kal. maii Rex Albertus de Alemannia, qui electus fuerat Imperator, cum per navigium transisset quendam fluvium, ac de navi in terram descenderet, nepos ejus interfecit eum gladio, ex eo quia usurpaverat sibi partem ducatus Austriæ, ad se jure hereditario pertinentem.*

(*a*) *Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sig. n. 3765.*

(*b*) *Mar. Pol. l. 4. hoc an.*

(*c*) *Jo. Vil. l. 8. c. 95.*

(*d*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 1. §. 4.*

Illius necis causæ.

In cæso Alberto divinæ exemplum vindictæ, quæ ab ipsis Regibus & Imperatoribus fusi injuste sanguinis pœnas repetit, ne quis ob terrenam potentiam se illi subducere putet, suspici potest. Qui enim Adolpho Romanorum Regi vitam & imperium eripuerat, a sicario postea utroque exutus est. Quo sublato, Germani principes Francofurtum ad creandum novum Regem confluxere, communique animorum & votorum conspiratione in Lucemburgensi comite consensere, de quo hæc Bernardus (*e*): *In festo S. Catharinæ electores regni Alemanniæ Reges convenerunt in Frankeburg, & elegerunt in concordia comitem Lucemburgensem, Henricum nomine, in Regem Alemanniæ & Romanorum.* Afferunt eadem MS. gesta Clementis, describitque accurate hujus electionis modum Albertinus Mussatus (*f*) nobilis Patavinus, Henrico Imperatori charus, qui commentarium de rebus ab eo gestis ipsi inscripsit, ut constat ex prologo ipsius præfixo in MS. Vaticano, in quo etiam libri suis capitibus distincti sunt: unde ipsi eo, non altero excuso Venetiis utimur. Narrat igitur, ut Petrus Moguntinus archiepiscopus Lucemburgensi familiæ addictissimus & Balduinus Trevirensis Henricum ad solium evexerint.

Alia altior ex divina justitia ob Adolph. Regem interfectum petita causa.

(*e*) *Bern. ubi sup. Gesta MS. Clem. Jord. MS. Vat. bibl. sign. n. 1960. c. 238. & alii.*

Henricus Lucemburgensis comes a principibus eligitur.

(*f*) *Alb. Muss. Patav. MS. Vat. bibl. sign. n. 2962. l. 1. c. 2.*

Orbis, inquit, *terrarum vacante imperio, cum de novi principis electione instaret agendum convenere primates, quibus jus eligendi concessum est ex imperialibus institutis: inter quos Maguntinus episc. do-*

mui Lucemborc fidelitatis astrictus homagio, una cum Trevorensi archiepisc. aspirans in Henricum sublimandum, dudum subticuit, dum reliqui, quos jam præsenserat, in diversos intendere concepta depromerent. Sic itidem per triduum ferme habita de compromissis in plurimos mentione calescentibus in dissensiones animis, ad scrutinia declinavere. Scisitatis itaque clandestine, ut assolet, vocibus Henrici vox edita est quaternis assensibus, binis scilicet Trevorensis & Maguntini ad idem intendentium, & binis qui ob aliorum invidias animos diverterant non votis, sed aliorum contemptibus in Henricum. Sive autem sic, seu divinitatem humanis anteponamus conatibus, declaratus est Henricus Romanorum Rex & Imperator semper Augustus, conniventibus porro reliquis. Res hæc per fines vulgata Germaniæ nonnullis admirationi fuit, nec prius credita quam patentissima documentorum monumenta manarent, edictaque provincias communi assertione complerent. Suberat admirationis occasio, cum ad summos elevaretur principum apices hoc supremæ dignitatis fastigium applicari mos esset. Et equidem mira res, ut quanto humilius habuerit ipse primordium, tanto celerius volavit in sublime natura fortunaque faventibus, ut mundanis utamur vocabulis, non abnuentes Dei nutum in excelso consistere.

Archiep. Mogunt. dignitatis auctor.

Cur vero Germani, in varias factiones in hujusmodi comitiis distrahi soliti, tanta consensione animorum in Henricum suffragia contulerint, non modo ob egregias virtutes, quæ in ipso emicabant, abductos; sed maxime ad Gallorum Romanum imperium sibi olim a Germanis ereptum recuperare meditantium evertenda consilia rem acceleraſſe, cum a Pontifice, qui ecclesiam a Gallis, si in tantam evaderent potentiam, in servitutem redactum iri metuebat, moniti essent, Philippum Regem omnes impetus ad rem perficiendam conversurum, ni ejus consilia accelerata electione eluderent; diffuse & accurate narrat Joannes Villanus (*g*) ejus ævi scriptor, quem S. Antoninus, paucis immutatis, subjectis Latinis verbis reddidit (*h*).

(*g*) *Jo. Vill. lib. c. 101.*

(*h*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 1. §. 5.*

XX. Ut Philippus Rex imperium ad Francos revocare nisus sit.

Interfecto Alberto Imperatore, ut dictum est supra, cum vacaret imperium an. Domini MCCCVIII. electores imperii erant inter se in magna altercatione in Alemannia de persona, quam deberent ad dictam dignitatem eligere. [1] *Rex autem Franciæ Phi-*

NOTÆ [1] HOc anno interfectum Albertum Imperatorem, & in ejus locum ascendisse Henricum Luxemburgensem, ambigit nemo. Mensis pariter, & dies necis Alberti in propatulo est, rectèque ab Annalista adnotatur. De electione vero Henrici accuratior rerum expositio desideratur. Electores Imperii ad consultandum de electione convenerunt non quidem Moguntiæ neque Francofurti, ut scriptores ab Annalista adducti asserunt, sed in Rensi, quod oppidum est in Trevirensi Archiepiscopatu prope Confluentiam, Germanis nunc nomine Coblens notum. Eo

losi

Philippus audita vacatione imperii cogitavit facile posse imperium redire ad Francos ratione sextæ promissionis factæ sibi a Papa, si operam daret, ut Papa crearetur, prout factum est. Nam cum explicasset jam eam, videlicet in delendo quidquid gestum foret per Bonifacium, & memoriam ejus, ad quod Papa se difficultabat, & in posterum hoc offerebat agendum; arbitratus est Rex commutari facere quod fuerat postulatum ab eo in sibi utilius & honorabilius negotium, ut videlicet loco prædictæ petitionis hoc concederetur, ut Papa operam daret, ut dominus Carolus Valesianus frater ejus eligeretur in Imperatorem, quod satis æquum & exequibile videbatur: cum Bonifacius Papa hoc ei promisisset, & ad hoc ipsa multa fecerat pro ecclesia: sed & olim imperium fuerat apud Francos tempore Caroli magni translatum a Græcis ad eos, sic posset transferri de Teutonicis ad Francos.

Carolum Valesium ad illud fastigium promovere.

Rex igitur secretum consilium habuit super hoc cum domino Carolo præfato, & postmodum cum baronibus & consiliariis suis, quod omnibus placuit; & sumpta determinatione, ut propter hoc exequendum nullis parceret expensis ad congregandas copias, dominus Carolus cum magna comitiva procerum præparavit se ad eundum Avenionem, & visitandum Pontificem, tum cum curia sua ibi residentem, sub prætextu solicitandi ipsum ad implendum promissa circa Bonifacium Papam condemnandum, re autem vera ab eo petiturus imperium Romanorum. Ordinaverat autem secum ducere circa sex millia armigerorum, ut nullus auderet propter tantam multitudinem se opponere ei, quod intendebat. Sed omnipotens Deus, qui dissipat consilia principum, & reprobat frequenter cogitationes populorum, quoniam vanæ sunt, non permisit rem ipsam suum sortiri effectum, ne ecclesia regno Franciæ subiiceretur. Nam etsi consilium secretissimum habitum fuerat de re ipsa, & mandatum omnibus omnino celandum; tamen unus ex consiliariis intimavit secreto Pontifici, quod deliberatum fuerat: qui Pontifex secretum sibi revelatum intimavit Cardinali Ostiensi, scilicet Pratensi, quid agendum foret consulens.

Patefactum ac discussum fuerit illius consilium.

At Cardinalis Pratensis præfatus, qui jam indignationem conceperat contra Regem Franciæ propter postulationes ejus inordinatas, & graves, præcipue illam, quod deleretur memoria Bonifacii cum omnibus gestis per eum. Paucisque interjectis: *Pratensis, inquam, Cardinalis ait: Pater sancte, hic non est aliud remedium ad obviandum, ne ecclesia subiiciatur Regi Franciæ, nisi istud, quod quam citissime*

XXI. Nocuerit in ea causa Philip. Bonifacii VIII. memoriam infectatum esse.

NOTÆ *loci ex antiqua consuetudine ad tractatum de electione* (Regis Germaniæ) *habendum convenire* (Electores) ait anonymus author gestorum Trevirensium Archiepiscoporum vulgatus in collectione Martene to. IV. ex quo scriptore ea desumpsi, quæ hic narranda suscepi. Quod vero Henricus Luxemburgensis cæteris omnibus Germaniæ principibus præferretur, non parum operæ posuit Balduinus Trevirensis Archiepiscopus, ut idem author exponit, sicuti & Dux Brabantiæ ejusdem Henrici socer, ut Ferretus Vicentinus est author; ac denique Archiepiscopus Moguntinus, de quo Albertinus Mussatus coævus author histor. August. lib. I. rubr. IV. Cum vero singuli hi Principes peculiares causas haberent eligendi Henrici, qui & Trevirensis Archiepiscopi frater erat; & Petrus Moguntinus cum adhuc in minoribus ageret ministerium medici gesserat apud illum; hinc suspiciosa mihi redditur tota illa historia Joannis Villani ab Annalista hic recitata, in qua id consilii suggestum fuisse Principibus a Pontifice narrat. Cum prætertim id fileant æquales cæteri scriptores, & apud Baluzium in vitis papar. Avenion. tom. II. pag. 119. occurrant literæ Raimundi Cardinalis ad archiepiscopum Colonienſem, quibus Cardinalis ille apud Pontificem tunc Pictavis agentem mense Julii, Colonienſem hortatur, ut eligi in regem Romanorum Carolum Valesium curet, qua in re gratam operam Pontifici, utilem Ecclesiæ navaturum illum asserit. Ex his vero intelligimus, vel saltem suspicandi locus datur consilium illud Philippi de Caroli electione nec omnes latuisse, quod Villanus asseruit, nec a Carolo adeo abhorruisse Pontificem. Manifesti etiam erroris in hac narratione arguitur Villanus, quod scribat Philippum profectionem Avenionensem ad Pontificem adornasse. Nunquam hoc anno Pontifex Avenione moratus fuit, ut ex ejus vita a Bernardo Guidonis scripta probari posset. Insuper Philippus hoc anno Pontificem adiit Pictavim, ut ex prima vita Clementis apud Baluzium de vitis Papar. Avenion. discimus, & cum illo egit, quo tempore imperium jam vacabat, quemadmodum ex eadem vita facile probari potest. Quomodo cum iis cohæreat Villanus asserens Philippum profectionem ad Pontificem destinasse, ut cum illo de procurando sibi imperio tractaret; sed subita electione Henrici spe frustratum sua cœptum iter deseruisse? Cur non egit cum Pontifice, quo tempore colloquium cum illo habuit? Utcumque sese res habeat, constat conventum fuisse inter Principes de Henrico eligendo, eamque tractationem in Reise habitam, electionem vero peractam Francofurti idem, qui supra, author gestorum Trevirensium Archiepiscoporum affirmat, cui per omnia congruit Author magni chronici Belgici, & Trithemius in chronico Hirsaugiensi. Dies electionis in controversia est, nam alii diem S. Catharinæ M. alii vero diem 27. novembris assignant, quorum posteriorem sententiam, præter Trithemium fulcit author rerum ab Archiepiscopis Trevirensibus gestarum. Sed facile utramque conciliat Osius in notis ad historiam Albertini Mussati, notans ex Trithemio electionem quidem absolutam die 25. novembris S. Catharinæ sacræ; die vero 27. ejusdem solemni ritu promulgatam fuisse, quæ verba sunt Trithemii in eodem chronico. Nec sane inficiari quis potest die XXVII. novembris Henricum palam renunciatum fuisse regem, cum ea die a se præstitam solemnem electionem asserant Principes in decreto ejusdem electionis legendo apud Baluzium Vit. Papar. Avenion. to. II. col. 265. sub num. XXXV. MANSI

Consil. a Card. Pratensi datum Clementi ad eludenda Gallorum petita.

me secreto significetur electoribus imperii, quod procedant ad electionem novi Imperatoris sine mora aliqua, alias imperium in procinctu devolvetur ad Francos, quod totum expediatur antequam Rex veniat ad hoc postulandum. Placuit Pontifici consilium id, & addidit: Pro quo scribemus, ut assumatur ad imperium. Cardinalis vero sagax, intendens providere non solum ecclesiæ sanctæ, sed etiam parti Gibellinæ, cui videbatur favere, respondit: Ego percepi a pluribus, quod comes Lungumburgi (alias Luxemburgi) hodie est notabilior homo, qui sit in Alemannia, in armis strenuus & magnanimus, fidelis in negotiis agendis, ac vir catholicus; unde si assumatur ad eam dignitatem, non dubito quin sit fidelis ecclesiæ, obediens tibi & multa acturus magnifica pro Christiana religione. Non displicuit Pontifici vir nominatus, cum & ipsi laudabilia de illo audisset. Sed quomodo, inquit, faciemus quod Cardinales non advertant, & qui sunt amici ex eis Regi, non ei insinuent? Respondit Cardinalis: Literas tuas secretas parvulo sigillo signatas destinato ei, & electoribus, & ego etiam per meas materiam plenius explicabo, quas familiaris meus deferet Cardinalibus hoc ignorantibus.

Præmoniti Germania Pont. & Card. Pratenſ. Henricum remota omni mora creant.

*Hoc totum impletum est: & missis literis per fidelem nuncium secreto, ipsisque redditis postquam applicuit, intra octo dies congregati principes, ad quos spectabat electio, * in Magdeburgo nemine discrepante elegerunt in Regem Romanorum Henricum comitem Luxemburgi, qui fuit Henricus * VI. Ideo autem festinaverunt electionem, quia Pratensis Cardinalis per suas significaverat literas, quod cito se expedirent, & talem eligerent: alias imperium devolveretur ad Francos. Facta igitur electione dicti Henrici, divulgatum est hoc in curia Papæ, necnon & in curia Regis Franciæ. Quibus auditis Rex Franciæ, qui se præparabat cum maxima comitiva proficisci ad curiam pro negotio imperii consequendi, videns se frustratum spe sua, indignatus est, & nunquam fuit postea amicus Papæ.*

* alii, Lucemburgi * VII.

Philippi Regis animus inde a Clemente abalienatus.

Iis consentanea de Henrici electione, quem septimum ejus nomine numerant, tradunt Ptolemæus Lucensis, (*a*) historiæ Lantgraviorum Thuringiæ anonymus auctor, (*b*) Paulus Langius, (*c*) Conradus Vecerius, (*d*) aliique innumeri recentiores. Fuisse vero illum anno proximo, die sacro epiphaniæ Aquisgrani regia corona cinctum, tradit una cum aliis Bernardus (*e*). At de his hactenus.

(*a*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 39.* (*b*) *Hist. Lant. Thur. c. 83. hoc ann.* (*c*) *Lang. hist. Citizen. eod. ann.* (*d*) *Vecer. in Henr. Imp.* (*e*) *Bern. chr. Rom. Pont. hoc ann.*

XXII.

Hoc anno Ungari diuturno bello civili fessi, ac sacrorum usu a Gentili Cardinale legato ob negata Carolo Regi apostolica sententia confirmato obsequia privati, demum ad officium concordiamque se redegere, (*f*) indictis ab eodem legato prope Pestum omnium ordinum regni comitiis celeberrimis, in quibus cum legatus ex sua concione sedi Apostolicæ imponendi Ungaris Regis jus tribuere visus esset, proceres publice sunt professi, non sentire ipsos Regem a legato constituendum; sed quem ipsi ex veteri more stirpe regia procreatum Regem agnoviſſent, pontificiarum esse partium confirmandi & inungendi: iisque auditis legatus, cum Regem ex Maria Stephani Regis filia duxisse genus demonstrasset, omnes Ungariæ ordines, etiam illi, qui antea Carolo erant adversati, atque Wenceslao, deinde Othoni Bavaro, iterumque Boemo adhæserant, ipsum festis vocibus Regem salutavere, obsequiumque devovere. Ita demum lata jam ante in regni Ungarici controversia apostolica sententia de potioribus successionis quam electionis juribus admissa est. Ad quæ illustranda publicæ tabulæ ea de re editæ (*g*) afferendæ visæ sunt.

Conciliati Carolo omnes, qui antea erant adversati.

(*f*) *Thur. l. p. chr. 1389. Bonfin. dec. 2. l. 9. Ranzan. epit. ver. Ung. ind. 18.*

(*g*) *Ext. in arce S. Angel. & in lib. privil. Rom. eccl. to. 1. pag. 149. & inter Collect. Plat. MS. Vat. arch. to. 2. pag. 319. & MS. bibl. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 455.*

In nomine Domini Amen. Anno ejusdem millesimo trecentesimo octavo, indictione sexta, mense novembris, die XXVI. *pontificatus Domini Clementis PP. VI. anno* IV. *reverendus in Christo pater & dominus, dominus Gentilis Dei gratia tit. S. Martini in montibus presbyter Cardinalis, in regno Ungariæ, ac partibus illi contermiſ Apostolicæ sedis legatus, ex quo ad ipsius legationis partes accesſit, quod fama prænoverat, ex rei evidentia & facti experimento percipiens; tempestatis videlicet fremitum, qui regnum ipsum multæ fertilitatis olim, ut asseritur, jucunditate refertum, multaque solitum devotione clarescere, hostis antiquus, pacis æmulus, ac zizaniæ seminator generali turbine conquassarat; particularibus quoque dissidiis fere in singulis ejusdem regni partibus suscitatis, ex quibus adeo invaluerat commotionis horror in illo, & locum sibi dissensio, quæ detrimenta solet vastitatis inducere, vendicarat, quod excellenti principe domino Carolo Ungariæ Rege illustri, ac nonnullis baronibus & nobilibus dicti regni ad invicem dissidentibus, & inter eos odii, ac rancoris igne succenso, detrahebatur subditorum aversione regalis magnificentiæ culmini, ab eis ipsius Regis avertebatur affectus, ac mutuis hunc in commodis deperibat; cœpit circa ipsius regni sedanda scandala indesinentis solertiæ studio vigilare, ac fervore officiosi exuberare favoris instantius pro ipsius domini Regis, quem infra claustra pectoris in singularitate dilectionis habet, ut filium, ac incolarum regni ejusdem statu prospero & tranquillo, cogitationes paci assidue meditando.*

Successionis juribus monumentum publicum.

Ut Card. legatus ad Ungariæ dissensiones sopiendas missus sit.

De convocato ab eodem Budæ omnium ordinum conventu.

Post adventum igitur ejusdem domini legati, Budam per nuntios ipsius & literas pro ejusdem regni negotiis, suæ commissi legationis officio, promovendis feliciter, ge-

generali prælatorum, ac baronum & nobilium, aliarumque notabilium personarum, tam ecclesiasticarum quam sæcularium, concilio ad octavam festi B. Martini confessoris tunc instantis solemniter convocato; circa ipsam octavam ad idem concilium eorundem prælatorum, ac baronum plurimi, ac multitudo nobilium & personarum ipsarum copiosa personaliter; aliqui vero eorundem baronum quorum personalem adventum ad id concilium longa distantia præpedivit, per procuratores idoneos convenerunt.

Præsulum, ac principum, qui interfuere præcipua nomina.

XXIV. *Sane Henrico magistro & bano Sclavoniæ, ac nonnullis baronibus aliis, ac nobilibus, quibus ad superius castrum Budæ, ubi tunc legatus ipse cum sua curia morabatur, propter armatorum multitudinem, quam secum habebant, nequaquam patebat aditus ultra Danubii flumen ex ipsius castri opposito constitutis; ipse dominus legatus, insistens cœptis alacriter, suique status præeminentiam & dignitatem officii non attendens, quinimmo semetipsum humilians, una cum præfato Rege aliisque prælatis & baronibus, citra flumen ipsum cum eo manentibus, spatiosam fluminis ejusdem planitiem, piscatoris more aquarum intrepidi cymba transiliit: ac in loco fratrum Prædicatorum, juxta flumen ipsum sito, cum ipso domino legato prælatorum, baronum, & nobilium, & dictarum personarum multitudo; cives etiam, & advenæ copiosi, quos eximii spectaculi rumor, ac vulgata conventionis dicti concilii celebritas excitarat, insperatæ pacis admiratione stupidi & tot discordium animorum unitatis increduli, pacisque avidi convenerunt. Quibus in ejusdem domini legati, ac mei, aliorumque notariorum, & testium subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum præsentia constitutis; dictoque domino Rege, ac venerabilibus in Christo patribus dominis Dei gratia Thoma Strigoniensi, ac Vincentio Colocensi archiepiscopis, & H. Vvaciensi, Benedicto Vesprimiensi, Joanne Nitriensi, Petro Quinqueccles. siensi, Martino Agriensi, & Augustino Zagabriensi episcopis, & Nicolao postulato Jauriensi ad dexteram; & magnificis viris dominis Henrico præfato magistro & bano Sclavoniæ, magistro Nicolao filio Gregorii nepote ejus, Homodeo palatino de genere Haba, magistro Dominico, magistro kocos, & Ladislao bano de katolt, Copos palatin. pro se, ac Beka magistro tavarnicorum, dominæ Reginæ fratre suo, filiis Thomæ de genere Borsæ, ac Petro filio Compoldi de genere Haba ad sinistram ipsius domini legati sedentibus; & nunciis seu ambasciatoribus & procuratoribus magnificorum virorum Ugrini magistri tavarnicorum Regis, & Ladislai Vvoivvodæ Transilvan. & comitis de Zomik, ac Matthæi Trinæ palatin. ibidem præsentibus, ac pressa nobi-*

Habita a legato oratio.

lium aliorum & vulgi stante corona; idem dominus legatus proposuit verbum Dei, assumpto illo evangelico themate: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? &c. serioseque retexens agri semina, idest, regni Ungariæ, quæ in illo Dominus seminarat, ex quibus Reges catholici, tanta sanctitatis & vitæ claritate conspicui prodierunt, quod sanctorum ascribi catalogo meruere; quodque coronam regni primus Rex Ungariæ sanctus Stephanus a Romano Pontifice consecratam acceperit, prout Ungarorum historiæ, quas legatus ipse præ noverat, asseruit protestari; alias etiam thema ipsum ad suæ intentionis propositum super statu ejusdem regni mirabiliter reducendo.

XXV. *Post quæ sub specie tuendæ libertatis ejusdem regni, inter ipsos barones & nobiles murmur, quod ipsius domini legati attigit aures, per querelam patulam in publicum productum exoritur: videlicet quod nolebant, nec erat aliquatenus intentionis eorum, quod ecclesia Romana, vel ipse dominus legatus ejus nomine, sæpedicto regno de Rege ullatenus provideret; sed placebat eis, quod illum, quem ipsi ex antiquo & approbato ejusdem regni more vocaverant, & in Regem assumpserant, præfatus dominus legatus ejusdem ecclesiæ Romanæ nomine in verum Regem Ungariæ confirmaret; & quod etiam perpetuis futuris temporibus veri summi Pontifices, & ipsa Romana ecclesia haberet jus confirmandi & coronandi Reges Ungariæ, de vera regali progenie propagatos, quos ipsi unanimiter & concorditer de dicta progenie ducerent eligendos. Ipse vero dominus legatus, ad consummationem cœptorum per eum feliciter, ferventer anhelans, ad eorundem prælatorum, baronum, & nobilium supplicationem, petitionem, & expressum consensum, præfatum dominum Carolum, de prædictorum Regum Ungariæ ex domina serenissima, domina Maria Siciliæ ac Ungariæ Regina illustri nata claræ memoriæ Stephani Regis Ungariæ vera progenie propagatum; cujusque in eodem regno successio legitima per eandem ecclesiam extitit declarata, sibique de jure deberi regnum hujusmodi diffinitum, in ejusdem regni verum Regem, ipsius ecclesiæ Romanæ nomine, cum solemnitate debita confirmavit, & prædictæ ipsius ecclesiæ Romanæ nomine acceptavit: & subsequenter omnes unanimiter & concorditer post confirmationem hujusmodi, tam adhærentes quam adversantes hactenus eidem domino Carolo, receperunt & recognoverunt singulariter & divisim ipsum dominum Carolum verum Regem, ac regni Ungariæ successorem, sibique servire, ac obedire teneri tanquam vassalli legitimi & fideles domino naturali. De quibus etiam per eos firmiter adimplendis, & inviolabiliter observandis, junctas manus, prout solet a profitentibus*

Contestantur Ungari non esse Pontificis Regem ipsis imponere, sed quem e regia stirpe elegerint confirmare.

Illustrata Caroli successione legatus Rom. ecclesiæ nomine ipsum confirmavit.

Assentiere proceres, fidemque Carolo devinxere.

Ut Rex in sublime elatus festisque vocibus salutatus sit.

tibus regulas fieri, infra sæpedicti domini legati mittentes manus, juramentum & fidem super veræ crucis lignum, ipsique, ac dicto domino Regi singulariter pacis osculum præstiterunt. Statimque ipsum dominum Carolum Regem, catervatim elevatum sustollentes manibus, plausu ac vocibus extulerunt regium lætis ad sydera nomen, subsequenter Te Deum laudamus solemniter decantando.

Actum, ut prædicitur, in dicto loco Prædicatorum, prope civitatem Pestiensem, ultra ipsum Danubium ex opposito dicti castri, præsentibus reverendo in Christo patre domino Thoma episcopo Veglensi, ac venerabilibus & religiosis viris fratribus Paulo priore Prædicatorum & Haymone ministro Minorum fratrum ordinum provincialibus, & Salomono vicario prioris provincialis fratrum eremitarum in provincia Ungariæ, cum eorundem ordinum fratrum multitudine, ac venerabilibus & discretis viris magistris Philippo de Sardinia Arborensis & Joanne de Aretio Auximanensis ecclesiarum canonicis auditoribus; nec non magistris Guillelmo de Sanguineto, Joanne Anglico, & Alberto de Parma capellanis præfati domini legati, & notariis publicis, ac infrascriptis ad hoc specialiter vocatis & rogatis & alia diversarum copiosa multitudine nationum. Agit de his, præ-

(a) Thur. 2. p. chron. c. 89.
(b) Ranz. ind. 18.
(c) Bonfin. dec 2. l. 9.

ter Thurosium (*a*) & Ranzanum, (*b*) accurate Bonfinius, (*c*) additque Carolum restituto a Ladislao wayvoda Transilvano sacro diademate, quo olim S. Stephanus a Rom. Pontif. donatus fuerat, apud Albam Regalem solemni ritu fuisse redimitum.

XXVI. Urosius Rasciæ Rex pro expetenda Rom. ecclesiæ conjunctione mittit oratores ad Clementem.

Ex Ungaricis rebus ad Rascianas digredimur. Moderabatur tum Rasciorum sceptrum Urosius, qui pietatis sensu delibutus abrumpere funesta Græci schismatis, quibus implicitus tenebatur, vincula meditatus, jam ante Marcum Lucani & Tryphonem Michaelis oratores ad Clementem miserat, ut ineundæ cum Rom. ecclesia conjunctionis, quo flagrabat, desiderium exponerent, viroque exposcerent doctrina excultos ad subditos populos instruendos informandosque fide catholica: tum etiam vexillum ab Apostolica sede flagitarent, quod adversus nominis Christiani hostes præferrent. Quo felici nuntio recreatus Clemens, e Prædicatorum & Minorum ordinibus religiosos viros lectissimos transmisit; præscripsitque fidei formam, (*d*) quam esset professurus: præterea exegit, ut inter divina mysteria ea symboli verba, quibus processio Spiritus sancti a Patre, & Filio exponitur, decantarentur, ipseque ac subditi, ejurato tite schismate, Romanæ ecclesiæ obsequium sacramento sponderent.

(d) Lib. 3. ep. cur. 21. & MS. bibl. Vat. sign. n. 2977. pag. 82.

Gratulatur id illi Pontifex.

Magnifico viro Urosio Regi Rasciæ illustri gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Benedictus Deus & pater domini nostri Jesu Christi, pater misericordiarum & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, qui ubi vult spirans, sic noviss ime his diebus oculos tuæ mentis aperuit radio novæ lucis, ut excussa inde tenebrarum caligine in votis habeas sacrosanctæ Rom. ecclesiæ matri fidelium & magistræ in fidei veritate ac unitate conjungi. Multum quippe teneris Deo, princeps clarissime, qui sic te oculo suæ pietatis respiciens, ad cognitionem & claritatem veræ fidei clementer adduxit; ex quo magnitudo tua promovebitur ad salutem, & solium tuum stabili vallabitur firmitate. Multum etiam lætari debet mater ecclesia, & nos profecto multiplici alacritate perfundimur, quod diebus nostris tam nobilis ovis, tantusque populus ad ovile reducatur dominicum, schismate aliisque pulsis erroribus, Christi corporis, quod ecclesiæ est, membrum efficiantur, in eo luceant, perficiantur, & vivant.

Marcum Lucani, & Tryphonem Michaelis honorifice se excepisse significat.

Sane, serenissime princeps, tu pridem Spiritus sancti gratia illustratus viros provvidos & discretos Marcum Lucani & Tryphonem Michaelis, magnificentiæ tuæ nuncios, cum literis regiis ad nostram præsentiam destinasti, quid hujusmodi tui propositi laudabile desiderium coram nobis & fratribus nostris prudenter & fideliter exponentes, a nobis inter alia suppliciter postularunt, ut te tanquam devotum filium ad gremium dictæ ecclesiæ, & sub protectione ipsius benigne recipere digneremur, tibique aliquos viros idoneos Apostolicæ sedis nuncios mitteremus, per quos tu & illi de regno tuo in fide catholica & in via mandatorum Domini possitis salubriter informari. Unde nos, qui Christi vicarius, & Petri Apostolorum principis effecti, disponente Domino, licet immeriti, successores ad ea præcipue nostræ curæ prorogamus affectum, ac diligenti studio & studiosa diligentia seduli vigilamus, ut errantes ad viam veritatis adducere, omnesque lucrifacere Deo, sua nobis gratia suffragante, possimus; habita super his, quæ iidem tui postularunt nuntii, cum prædictis fratribus nostris discussione solemni, de ipsorum consilio pie decrevimus hujusmodi votis tuis

Studium ei apostolicum pollicetur.

libenter annuere, ipsasque petitiones tuas, quantum cum Deo possumus, favorabiliter exaudire, si quod ore profers, corde credis, & quod corde credis, opere compleas evidenter: tibi nihilominus tenore præsentium declarantes, quid tibi ac cæteris sub tua ditione degentibus faciendum incumbit, ut ad sinum ejusdem ecclesiæ sano frotus consilio venias reverenter. Quæ si inspirante Domino feceris, ipsa ecclesia mater pissima, filio redeunti sinum largissimæ pietatis aperiens, in tuos læta properabit amplexus. Fides autem Catholica, quam te, clerum, & populum regni tui profite-

Orthodoxæ fidei formam proponit.

ri, & a nobis recipi ac acceptari volumus, hæc est. Credimus in sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, &c. uti habetur in professione fidei a Clemente IV. missa ad Græcos, quam nos dedimus tomo XIV. anno MCCLXVII. num. 2. ad illa usque verba, *quam in quibuscumque aliis semper salva.* Concepta est iisdem verbis hæc fidei forma, atque ea, quæ a Clemente IV. & Gregorio X. Græcis, Russis, Tartaris, aliisque populis fidelium consortio aggregandis proposita est.

Indicit, ut processio Spiritus S. ex Patre & Flio in Symbolo decantetur.

Profiteatur Rom. Pont. primatum.

Archiepiscopi pallium ab eo accipiant.

XXVII. *Quæ vero circa reditum tuum ad unionem sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac schisma eminus profugandum exigimus, inferius annotantur. In primis quod symbolum Nicæni concilii: Credo in unum Deum, in ecclesiis regni tui & terrarum tibi subjectarum in ea parte, ubi de Spiritus sancti processione in eo agitur, cantetur publice, dum missarum solemnia celebrantur, & sic etiam doceatur populus: Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Et quod tu, prælati, clerus, calogeri, & populus dicti regni tui profiteamini Romanum Pontificem esse Christi vicarium, & beati Petri Apostoli successorem, eamque potestatem habere ligandi atque solvendi, quam idem Apostolus noscitur habuisse; ac ipsam etiam Romanam ecclesiam super omnes obtinere primatum & etiam principatum: quodque tu pro te & pro populo tuo obedientiam & reverentiam eidem promittas ecclesiæ, ac prælati ejusdem ipsa jurent, omni schismate primitus abjurato: & quod archiepiscopi, episcopi, abbates, archimandritæ regni tui per electionem canonicam eligantur, sive etiam postulentur; ita quod inferiores prælati suarum electionum confirmationes a superioribus suis recipiant, episcopi vero a metropolitanis suis confirmationem & consecrationem, metropolitani autem hæc & pallium, in quo pontificalis plenitudo designatur officii, sine præjudicio Constantinopolitanæ sedis & patriarcharum, qui erunt ibidem, gratiam & communicationem Apostolicæ sedis habentium, si forsan regnum tuum vel aliqua ejus pars de patriarchatu dictæ Constantinopolitanæ sedis existat, suscipiant ab Apostolica sede prædicta, regali potestate & qualibet alia laicali nihil sibi in his quomodolibet vendicante. Latinorum ecclesias in regno tuo positas, per te vel alium occupatas dimittas libere, & ab aliis facias omnino dimitti. Latinos in honore habeas, & præcipue sacerdotes. Eorum a te & hominibus regni tui non declinentur missæ, neque sacrificia, sed pro loco & tempore cum omni reverentia audiantur.*

Patriarcha Graden. ac nonnulli Prædicatores, & Minoritæ ad Urosium missi.

XXVIII. *Verum, ut tantæ salutis opus, ac tanti boni felix auspicium optatum, faciente Deo, sortiatur effectum, ecce venerabilem fratrem nostrum Ægidium patriarcham Gradensem, & dilectos filios fratres Lapum Prædicatorum & Artanisium Minorum fratrum ordinum procuratores in Romana curia generales, latores præsentium, viros utique vita & religione conspicuos, honestate decoros, sacræ scripturæ scientia præditos, ac nobis, & dictis fratribus nostris acceptos, pro his exequendis ad tuam magnificentiam, tanquam salutis & pacis angelos, juxta tuæ petitionis instantiam destinamus: quorum salutaribus eruditionibus, favente illo, in cujus manu Regum corda consistunt, ipsum dominum Jesum Christum perfecte cognosces, & suum gloriosum nomen catholicæ fidei observatione colere non postpones: ac status tuus, supra firmam petram ecclesiæ apostolicæ solidatus, spiritualibus & temporalibus proficiet incrementis, tuque demum coronam perennis gloriæ consequeris. Rogamus itaque serenitatem regiam, monemus, & hortamur attente, per aspersionem pretiosissimi sanguinis Jesu Christi obsecrantes, quatenus de tua tuique populi salute cogitans, præfatos nostros nuncios, propter hoc ad tuam excellentiam accedentes, ob reverentiam Apostolicæ sedis & nostram benigne recipias, & honorificentia debita ac condigna pertractes; ac sic attente præbeas ipsorum salutaribus monitis aures tuas, ut verba, quæ ex parte tua prædicti tui retulerint nuncii, per exhibitionem operis compleantur; & spes, quam de tua laudabili intentione concepimus, fructus nobis & ipsi ecclesiæ afferat concupitos, tuque præter divinæ retributionis præmium, nostram & dictæ sedis gratiam uberius consequi merearis. Dat. Pictav. kal. aprilis anno tertio.*

(a) Reg. post eand. ep.

Data nuntiis facultas, ut Rassiæ Regem in clientelam Apost. accipiant.

Vexillum ecclesiæ adversus infideles præferendum tribuant.

XXIX. Commisit aliis literis provinciam legatis, (a) ut Regem in sinum Romanæ ecclesiæ admitterent, ac promissa perficienti vexillum in ipsius exercitu præferendum, cum adversus infideles expeditionem moveret, traderent: tum in missarum solemniis dominicum corpus in fermentato confici permitterent: *Discretioni*, inquit, *vestræ de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus ad præsentiam dicti Regis vos personaliter conferentes, & habentes præ oculis solum Deum, ipsum Regem & personas alias supradictas ad unitatem veræ fidei, & communionem sanctæ Romanæ ecclesiæ salubribus inducatis monitis; & inductos, ut præmittitur, recipiatis eosdem. Quod si annuente Deo tam circa catholicam fidem, quam circa præmissa alia, quæ fieri volumus per Regem ipsum & alios, de quibus supra fit mentio, veraciter compleantur, auctoritate nostra Regem eundem & regnum sub protectione dictæ sedis Apostolicæ recipiatis & nostra, & vexillum ab eo ex devotione petitum contra infideles illarum partium sine alterius præjudicio*

Devinctos anathemate restituant Rom. eccl. communioni.

usque ab beneplacitum apostolicæ sedis tradatis eidem, ipso Rege & aliis de dicto regno, qui propter schisma, & non recognoscendo primatum sanctæ Romanæ ecclesiæ excommunicationis vinculo sunt ligati, primitus absolutis.

Permittant Christi corpus in fermentato confici.

Nonnullisque interjectis, quibus aliis Rassiorum petitis obsecundaturum se pollicetur, cum de iis certior factus fuerit, addit: *Quod autem in fermentato pane per sacerdotes non Latinos regni prædicti rite ordinatos in missarum solemniis corpus conficiatur dominicum, quousque aliud per Apostolicam sedem ordinatum fuerit, cum præmissa perfecta extiterint, & quod idem Rex interesse possit missis hujusmodi; toleramus, &c.*

(a) Berchr. Rom. Pont.

Legatorum labores incassum consumpti.

(b) Bern. chron. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sig. num. 3765.

Agit de ea legatione Bernardus, (a) quam hoc anno decretam affirmat: subditque Urosium legatos apostolicos debita observantia prosecutum, pia tamen vota, ne matrem fratremque in se concitaret, in opus non perduxisse: *Anno*, inquit, (b) *Domini prætaxato MCCCVIII. mittuntur nuncii, & legati a Papa frater Ægidius de ordine Prædicatorum patriarcha Gradensis, & procurator ordinis fratrum Prædicatorum & fratrum Minorum in curia ad Regem Rasciæ, qui prius ad Papam suos nuntios destinarat, innuens quod volebat fidei & obedientiæ Romanæ ecclesiæ se submittere & subesse, & regnum suum pertrahere ad hoc ipsum. Fueruntque præfati nuncii Papæ recepti a Rege debito cum honore: finis tamen intentus nullus fuit, aut modicus subsecutus, quia ipse matris suæ & fratris metu retractus penitus nihil egit.*

(c) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 39.

Attingit aliam causam Ptolemæus Lucensis, (c) de Clemente ita locutus: *Misit nuncios ad Regem Rasiæ, qui ad obedientiam Romanæ ecclesiæ promiserat se venturum, quia Veneti cum Carolo sine terra concordaverant imperium accipere Constantinopolitanum. Videns autem tractatus non procedere, papales nuncios vacuos remisit.*

Legati a Pontif. ad Tartaros missi. Tartaror. Rex ingentia Pontif. ad recuperandam Syriam pollicetur auxilia.

(d) Lib. 3. ep. 29.

XXX. Nec minus operæ ad Tartaros ad Christi obsequium pelliciendos, quam Rassios a schismate abducendos a Clemente impensum est: ad quos hoc anno Gullelmum e Villanova Minoritam, a se Cambaliensis in Tartaria archiepiscopalis sedis suffraganeum episcopum creatum, transmisit, (d) ut in iis regionibus fidem Christianam propagaret, quæ jam latius emicare cœperat. Affectos quidem egregie in rem Christianam Tartaros fuisse probat insignis illa Olgetucani Regis Tartarorum ad Clementem legatio, qua exposuerat, se ad evertendam Saracenorum in Asia tyrannidem arma cum Christianis conjuncturum, ac præter ingentes commeatus & ducenta equorum millia, quæ ex circumjectis Armeniæ provinciis educturus esset, mox atque occidentales in Syriam appulissent, in eorum auxilium centum millibus equitum succinctum provolaturum. Quæ ubi accepit Pontifex, datis ad Olgetucanum literis gratulatus ei est, (e) tam pium desiderium in ipsius pectus ab Spiritu sancto demissum; utque quamprimum Christiana sacra amplecteretur, excitavit: Syriam olim Christi cultui addictam fuisse, ipsiusque etiam sacro sanguine purpuratam, nec ab aliis quam iis qui æterni Numinis veri cultores essent, incolendam.

(e) Lib. 3. ep. cur. 11.

Magnifico viro Olgetucan Regi Tartarorum veritatem agnoscere, & agnitam custodire.

Gratiæ ei a Pontifice actæ.

Dum ad recuperationem terræ transmarinæ (videlicet regni Jerusalem, quod Deus omnipotens sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, in personis antiquorum patrum filiorum Israel promisit & dedit, & in plenitudinem temporum unigeniti Filii sui, Dei & domini nostri Jesu Christi nativitate, habitatione, prædicatione, & sanguinis aspersione sanctificavit & consecravit, eidemque ecclesiæ in uno corpore, cujus caput est idem dominus noster Jesus Christus, per unitatem fidei constitutæ firmavit; atque ad reprimendam Saracenorum hostilem invasionem, qui regnum Jerusalem prælibatum & terram prædictam in præjudicium & contemptum Christianæ religionis jam dudum hostiliter invaserunt & occupaverunt, ac velut de propria hereditate de regno & terra prædictis Christicolas expulerunt, inibi Christianæ religionis cultum, quo Deus omnipotens secundum evangelium unigeniti Filii sui domini nostri Jesu Christi per viros apostolicos divulgatum a sanctis patribus, qui ante nos terram prædictam tenuerant, colebatur, in sectam aliam, cultum etiam omnino diversum, Deoque odibilem perverterunt) dumque ad hanc injuriam propulsandam prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum inhærentes vestigiis cum omni vigilantia vias exquirere, & exquisitas operi applicare operosa solicitudine studeremus; Thomam Ilduci nuntium tuum & literas, quas ipse nobis ex parte tua portavit, consueta sedi Apostolicæ benignitate recepimus; & tam ea quæ ipsæ literæ continebant, quam ea quæ dictus nuncius coram nobis dicere, ac proponere pro tua parte similiter voluit, audivimus diligenter.

Honorifice exceptum a se oratorem significat.

XXXI. *Profecto gratanter ex literarum inspectione & nuntii ejusdem relatione percepimus, quod ad terræ præfatæ subsidium & recuperationem nos reddens attenta persuasione solicitos, ducenta millia equorum & ducenta millia salmarum bladi in Armeniæ partibus statim, quod Christianorum exercitus erit ibi; & personam tuam insuper cum centum millibus equitum ad felicem*

Cum centum millibus equitum conjuncturum se Christianis promiserat Tartarus.

cem, Deo dante, ipsorum Christianorum progressum, & ad profugandum de dicta terra Saracenorum hostilem potentiam te daturum & expositurum viriliter obtulisti. Hujusmodi quidem oblatione cum jucunditate suscepta, velut cibo quodam spiritualiter confortati, non alterius angelum putavimus, quam illius, qui per angelum suum tulit Abacuc cum cibo ad confortandum Danielem in lacu. Absque dubio dulciter nos cibasti, dum nobis tam magnifici subsidii spem dedisti. Hujusmodi autem subsidii & optatæ recuperationis terræ præfatæ negotio cum eisdem fratribus plena examinatione discusso, licet inter cætera nostra & fratrum nostrorum desideria hoc habeatur assidua meditatione præcipuum, ut

Pontificis responsio.

terra, in qua steterunt pedes Domini, ad cultum Christianæ religionis, dante Domino, redigatur; videndum tamen occurrit, & exactissima discussione pensandum, per quem modum tam pium sanctumque propositum felicem sortiatur effectum. Et idcirco nos & fratres iidem super iis diligentem deliberationem adhibere curabimus: & sperantes in Altissimi dextera cum servis suis faciente virtutem, quod administrabit Dominus, quantum in nobis fuerit, exequemur: cumque transfretandi acceptabile tempus advenerit, tibi per literas, seu nuntios significare curabimus, ut ad ea perficienda, quæ tua magnificentia pollicetur, inveniaris per operis efficaciam præ-

Regem ad Christiana sacra amplectenda hortatur.

paratus. Tu vero ad eundem Christum, qui est via, veritas, & vita, cuique servire regnare est, fide ac opere te convertens, erga eandem terram in oblato proposito sic stabiliter perseveres, sicque in iis & aliis cures ipsius Christi redemptoris in terris beneplacita prosequi, quod ab eo in cœlis delitiarum suarum, & gloriam amplam merearis consequi portionem, ac nos & Apostolica sedes in tuis honoribus & profectibus delectemur. Dat. Pictav. kal. mart. an. III.

XXXII. Auxiliares copiæ in orientem ad debilitandos Saracenorum impetus decretæ.

Ut facta Regi Tartarorum promissa perficeret Clemens, ad ornandam in occidente crucesignatam expeditionem incubuit, plurimique Reges, ac principes pio recuperandæ terræ sanctæ ardore sunt accensi. Inter quos Philippus Francorum Rex magnas spes Pontifici injecit, se in Saracenos armorum potentiam conversurum: sed cum longo apparatu opus esset, atque haud leve periculum immineret, ne ii debilitatas orientalium Christianorum vires opprimerent, Armeniamque & Cyprum, quæ barbarorum furori superfuerant, obruerent; præmittenda censuit cataphractos mille equites, & quatuor peditum millia, ut secuturo exercitui viam munirent, Cypriosque & Armenos adversus hostium impetus confirmarent. Quas copias antequam Templariorum scelera in lucem emersissent, ex ipsis atque Hospitalariis conficere decreverat: sed cum ii judicio postulati essent, ex Hospitalariis solummodo contrahendas decrevit. Quo argumento ad supremum ordinis illius equestris magistrum literas dedit (*a*), ipsisque stipendia ex ærario pontificio, ac Regis Francorum liberalitate suppeditatum iri spopondit.

(*a*) Eod. l. 3. ep. 626.

Clemens, &c. magistro & fratribus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

Pontificia exhortatio ad fideles, ut sacra arma corripiant.

Exurgat Deus & inimici dissipentur ipsius. Exurgant cum eo fidei zelatores: apprehendant arma timoris Domini: induant se fidei orthodoxæ lorica: divini amoris scutum assumant; & sub potentia virtutis Altissimi roborentur: opprobriorum etenim Crucifixi, quæ fuerunt ei ab insipientibus tota die, vindices ejus sint memores, & erga statum miserabilem terræ sanctæ plenitudinem miserationum exerceant, compassionis fluenta derivent, & misericordiæ aperiant viscera pietatis; quia venerunt gentes in hereditatem Domini, & sanctum ejus tabernaculum polluerunt. Accendantur quidem ut ignis corda fidelium ad ipsius terræ necessitatibus succurrendum, & affectus auctis piæ considerationis ardoribus inflammentur. Præbeant quoque promptas manus ad opera, & sub spe cœlestis auxilii prælium Domini præliantes ad juvandam illius causam ferventi magnanimitate consurgant, qui multos in paucis suæ potentiæ virtute concludit, non obdormiens nec dormitans in mentibus gerentium bellum ejus, ipsorum custos pervigil & magnificus triumphator; seque accingant gladio potentissimo circa femur ad ipsius injurias ulciscendas.

Terræ sanctæ infelix sub Saracenis servitus.

Voce quidem assiduæ lamentationis exclamat, & improperat terra ipsa fidei orthodoxæ cultoribus, quod recordari non desinant, quid eis in partibus transmarinis acciderit intueantur, & attente considerent totius Christianitatis opprobrium: quoniam præclara nostri Salvatoris hereditas versa est ad alienos, & locus ille sanctissimus, ubi cœli Regem virgo puerpera genuit, locus redemptoris nostri pretiosissimo cruore perfusus, locus ubi poni meruit sepulcri dominici firmamentum, & locus quem resurgens Christus a mortuis suæ resurrectionis gloria multipliciter illustravit, alienarum subvertitur imperio nationum. Recenseant etiam effusis lacrymis, multiplicibusque singultibus infra claustra pectorum diligenter qualiter dudum ille perpetuæ maledictionis alumnus Babylonicus persecutor Christianorum, sanguinem sitiens, de fœdis cubilibus Babylonis contra renatos fonte baptismatis animis furibundis exiliens, Tripolitanam & demum Acconensem civitates, fidelium militum præsentium viribus superatis, civitates easdem & nonnulla alia loca solemnia in arcu & pharetra furentibus gladiis comprehendit, & fideles ipsos velut occisione oves in terra marique sæviens ejus

Ut soldanus Babylonius plures urbes expugnarit.

gladius interemit, civitates & loca prædicta redigens in cinerem & favillam.

XXXIII. Christianos hæc sine ignavia pati non posse.

Cujus igitur pectus adeo posset incallere duritie, quod pro terræ ipsius afflictionibus relevandis non emolliret piæ considerationis affectus? Quis etenim nisi ferreum pectus habens, vel adamantis durissimi corda gerens, eidem terræ non aperiat viscera pietatis? quis non provocetur ex intimis? quis non accendatur ad iram? & quis non animetur ad actum debitæ ultionis? Absit enim, ut a tam salutari Christi servitio quisque se retrahat. Absit, ut relinquat arma rubigini. Absit, quod animum neget victoriæ, cum non desit victoribus corona per gratiam & meritum in præsenti, & per gloriam & præmium in futuro. Et quidem illatas quisque subditis suis offensas ulciscitur, & Dei sui non vindicabit injurias tam atroces? Ad hereditatem quilibet suorum manus invasorum extendi non sustinet, & patietur hereditatis dominicæ tanto tempore detentores? Ne igitur, qui crucem adorant, in Crucifixo dissimulent, quod juste non tolerarent in homine; pungat eorum mentes & animos contumelia Redemptoris, eosque zelus accendat fidei memoratæ. Dum enim mirabilis & plenus amaritudine status ejus, lugubrisque conditio se nostris considerationibus offerunt; dum ejus diram horrendamque

Quemque dolore Syriæ cladis moveri debere.

calamitatem vocibus suæ flebilis lamentationis audimus, eo turbamur amarius, acerbiusque Luceramur in intimis, quo sibi subductæ quietis dulcedinem magis ac magis desideranter appetimus, & tranquillitatis deperditæ tempora propensius affectamus. Sentimus quidem per effectum uberem piæ mentis ejus afflictiones innumeras, palpamus suarum multiplicium incendia passionum, & per compassionis intimæ pietatem non absque lacrymarum profluvio ejus deploramus angustias, & secum doloris sui tormenta partimur.

Significat Philippum Regem Francorum egregie ad restituendam rem Christianam animatum.

Tristatur quoque ac turbatur in intimis pia mater ecclesia tantis intrinsecus confossa doloribus, perfunditur lacrymis vultus ejus, sibi undique lamenta consurgunt, dum quos regeneravit in filios, efferi hostis laceravit impietas, & in fidei orthodoxæ cultores dire sævit gladius impiorum; se nihilominus mater ipsa, pro juvanda terra prædicta semper multis solicitudinibus anxiam exhibens, & ostendens ferventibus studiis operosam, & quanto sibi extitit ex alto permissum, manus & mentem ab ejus auxilio non retraxit.

Præmittendam interim aliquam teiem ad Cyprum & Armeniam defendendas.

Profecto copiosus in misericordia Dominus, qui de suæ abundantia pietatis animos Regum & principum devotionis igne succendit ad salubrium exercitium actionum, præcordia charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris cœlestis benedictionis rore perfudit, sicque ipsum fidei zelus ejusdem succendit, ut terræ præ-

dictæ afflictionibus & pressuris pro affectu compatiens, ad ulciscendas in illa ipsius Salvatoris injurias, & ejusdem terræ gravamina relevanda adeo ferventer desiderium dirigitur mentis suæ, quod ducimur in Domino firma fiducia, & in illo, qui mari & ventis imperat, & post nubilum tempora serenitatis indulget, devote speramus, quod per ipsius Regis ministerium studiosum, auxiliante illo, cujus agitur in hac parte negotium, eidem terræ proveniet passagii generalis auxilium, & optatæ recuperationis claritas illucescet.

Si ea regna subiiciantur infidelibus, religionem in exitium adductum iri.

Quia vero tam arduum tantæque profunditatis negotium non potest sub brevi temporis spatio, prout desideramus & expedit, debitam & congruam ordinationem suscipere; nosque timore gravissimo in mente perterriti, ne Cypri & Armeniæ regnorum nobilium, quæ crucis hostium premuntur incursibus, & usque intrinsecus ad intima laceramur, ac ipsorum invalescente perfidia affliguntur varietate multiplicis cruciatus, prout insinuatur eorumdem regnorum fidelium vocibus oppressorum, sub rabie persecutionis ipsorum decidat fortitudo, & per hostium ipsorum sævitiam, eisdem regnis positis in desolationis excidium, fideles ipsi diræ mortis casibus exponantur; vias & modos studiis diligentis indagationis exquirimus, quibus terræ ac regnis eisdem opportuni manum auxilii porrigere valeamus. Ob quam gravem confusionem recipere, si quod Deus avertat, talis casus emergeret, tota religio Christiana! Ob quam opprobriosæ dispendium deformitatis incurreret, si per ipsorum hostium rabiem truculentam tam nobilibus membris eam, quod absit, contingeret mutilari! Quis enim posset eis misericordiæ viscera claudere? Quis denegabit ea suppliciter illis pulsantibus aperire? Quis a se sic virtutem misericordiæ relegabit, quod super turbam fidelium eorumdem nesciverit misereri? Credimus enim quod cum eis in hujusmodi necessitatis articulo subvenitur, gratum Deo sacrificium immolatur.

XXXIV. Delectos ad opem iis ferendam Hospitalarios.

Verum levantes in circuitu oculos nostros, ut videremus si quos pugiles & athletas Domini, & si quos reperiremus vindices Crucifixi ad bellum paratos ipsius; tandem ad vos nostræ mentis reflectentes intuitum, & sperantes quod ad defensionem terræ & regnorum ipsorum, ad quam estis specialiter deputati, ferveatis ex corde, ac pro liberatione terræ ipsius de manibus impiorum, & defensione regnorum ipsorum nulla mortis pericula formidetis; certum per vos equitum & peditum armatorum passagium, quod sub mille videlicet equitum & quatuor millium peditum numero concludi volumus, & mandamus, prius tecum, fili magister, & cum magistro militiæ templi, & majoribus præceptoribus antequam

idem

idem magiſter ipſius militiæ caperetur, & quampluribus aliis ſæcularibus magnis & prudentibus viris, qui ſtatum, & conditionem terræ ac regnorum ipſorum plenius cognoverunt, diutina & matura deliberatione præhabita, prout tanti negotii gravitas exigebat; habitoque ſuper hoc chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Cypri & Armeniæ Regum illuſtrum pleniori nobis per ipſorum literas deſtinato, & ſubſequenter ejuſdem Regis Francorum, & noviſſime fratrum noſtrorum conſilio, ad dictorum Cypri & Armeniæ Regum inſtantem inſtantiam pro illius modici reſidui, quod fidei prædictæ cultoribus in eadem terra remaniſſe dignoſcitur, ac ipſorum terræ & regnorum defenſione, ac ſecura cuſtodia, & ad opportuna præparanda obſtacula perfidis Chriſtianis, ne victualia & merces prohibitas eiſdem deferant Saracenis, & Saracenos ipſos, prout poſſibile fuerit impugnandum; non de decimæ vel partis cujuſlibet eccleſiaſticorum impoſitione facta, reddituum, ſed de theſauro noſtræ cameræ, ejuſdem Regis Francorum affluenti ad hoc pecuniario adjuncto ſubſidio, in proximo vernali tempore providimus ordinandum, & proſequendum per vos, Deo duce, per quinquennium ſecuturum, per hoc ipſius cameræ attenuando ærarium, & ſemitas quodammodo, pontes, & vias ad idem generale paſſagium præparando. Ex quo quidem paſſagio, Deo favente, uberioris fructus eiſdem terræ & regnis commoda proventura ſperantur, quam de quovis paſſagio in ipſorum terræ, & regnorum facto ſubſidium proveniret a longis retroactis temporibus.

Stipendia ex ærario pontificio & liberalitate Regis Franc. ſuppeditatum iri.

Indulgentiæ magiſtri Hoſpitalariorum ſigna ſecuturis propoſitæ.

Proponit Pontifex ad incendendos eorum animos, qui ſe ornandæ hujuſmodi expeditioni comparabunt quos vel a legato Apoſtolicæ ſedis vel a ſuis præſulibus cruce inſigniri ſine publicis concionibus præcipit, criminum condonationem, quam modo Hoſpitaliorum magiſtro pareant, pollicetur. Si vero ab ejus imperiis ſe ſubduxerint, denuntiat hujuſmodi divinis præmiis carituros. Quo etiam beneficio non milites modo, verum navarchos quoque, ac remiges eſt proſecutus, eorum bona ſedis Apoſtolicæ, ac provinciarum antiſtitum clientelæ commendatum iri, invaſoreſque cenſuris comprimendos: tum Judæos ad remittendas illis uſuras adigendos. *Dat Pictavis* III. *id. aug. anno tertio.* Continentur etiam aliis literis (*a*) plura privilegia, bellum illud ſacrum ſuſcepturis collata, ut nimirum clerici ſacerdotiorum ſuorum redditibus potiantur, atque ad biennium illos vendere, locare, pignorive ſubiicere poſſint: ac ſi diutius in terra ſancta verſari cupiant, eodem beneficio gaudeant, nec a provinciarum præſulibus ad reſidendum in eccleſiis compelli cenſuriſve defigi poſſint.

(*a*) *Ibid. ep. com. 625. & 648.*

Præterea præſulibus ſe Hoſpitalariis ferendi terræ ſanctæ auxilii provinciam commiſiſſe ſignificavit, eoſque ſolicitavit, ut fideles ad tantæ gloriæ ſocietatem pellicerent, hortarenturque ut in mortis diſcrimine conſtituti eleemoſynas pro tanto opere promovendo erogarent: cœleſtia illis præmia non defutura. Tum preces ad conciliandam Numinis opem inter divina fundendas indixit (*b*).

Prærogativæ clericis ad ſacrum bellum ituris conceſſæ.

(*b*) *Ib. ep. com. 627.*

Vobis, inquit, *auctoritate apoſtolica diſtrictius injungimus, ut quotieſcunque vos miſſarum officia celebrare contigerit, orationes contra paganorum perfidiam per eccleſiam ordinatas, quarum prima Omnipotens ſempiterne Deus, ſecunda deputata ſpecialiter ad ſecretam, Sacrificium Domine, & tertia dici poſt communionem præcipue conſuetam, Protector, incipiunt, devotis mentibus effundatis, & per ſingulas perſonas eccleſiaſticas in ſacerdotio conſtitutas vobis ſubjectas, pio cordis affectu dici in miſſarum earundem officiis faciatis. Datum Pictavis* III. *id. aug. anno tertio.*

Preces ſacræ Deo pro cruceſignatis porrigendæ.

Galliarum etiam Regem Philippum, quem in operis ardui ac gloriæ ſocietatem adducere cupiebat, rogavit (*c*) ut Hoſpitalariis facilem ſe & benignum impertiretur: permitteret ut ex ipſius regno arma & commeatus educerent, ac vectigalia pro efferendis rebus neceſſariis remitteret. Ubi de ingenti ſua conficiendæ expeditionis ſolicitudine hæc ediſſerit: *Poſtquam fuimus, licet immeritis, ad ſummum apoſtolatus apicem divina diſpoſitione vocati, tecum tam Lugduni quam Pictavis, prout tua non ignorat ſerenitas, ſuper dictæ terræ ſuccurſu, de quo inte, quem velut fidei claritate conſpicuum, & cœleſtis dono gratiæ ſtatus altioris excellentia illuſtratum, præ cunctis hominibus poſt Romanam Pontificem contingit negotium dictæ terræ, plus quam in alio quoquam confidimus, pluries colloquium habuimus & tractatum, ſpem firmam ſuſcipientes in Domino fieri per nos, ac per tuæ ſerenitatis induſtriam in ſubſidium dictæ terræ paſſagium generale, ac per ipſum eidem terræ finale remedium adhiberi, &c.* Rogat ut imperet ſubditis, ne equos, arma, lignave ad naves compingendas Saracenis invehant, quibus hoſtes rem Chriſtianam peſſundant.

XXXV.

(*c*) *Ib. ep. com. 624.*

Inſtaurationem rei Chriſtianæ in Syria proximæ a Pont. Romano Francorum Regem tangere.

Demum, ut Chriſtiani nominis hoſtibus præſidia ſuperiora ſubducantur, ſuos oratores ad Venetorum ducem, Genuenſium prætorem, Piſanorum præfectum, aliaſque reſpublicas mittat, quibus ab iis magnis precibus contendat, ne Saracenis commeatus arma, machinas, aut alia hujuſmodi inferri permittant, regiſque precibus minas admiſceat: ſuos vero oratores prius ſedem Apoſtolicam adire jubeat, ut eorum beneficio illarum rerum publicarum magiſtratibus apoſtolicas literas tranſmittat; tum concludit. *Sic*

Hortatur ut ſubditos ab inferendis mercibus Sarracenis arcere pergat.

Sic itaque in omnibus ſupradictis habere te ſtudeas, quod poſt humanæ laudis præconium tibi exinde proventurum a cœleſti Rege, cujus dono tui regni ſublime in terris ſolium obtines, hereditatis ſupernæ præmium merearis obtinere. Dat. apud S. Æmilianum Burdegalenſis diœceſis XII. *kal. octob. anno* III.

XXXVI.

Quod ad literas (*a*) ſpectat, quas Philippi Regis oratoribus Venetis, Genuenſibus, Piſanis, aliiſque populis porrigendas daturum ſe eſt pollicitus Clemens; e regeſto Pontificio potiori ex parte deliberandæ viſæ ſunt, quibus ipſos ad recuperandam Syriam excitat, rogatque ut Hoſpitalariis inſtruendarum in eorum portubus navium, ac rerum neceſſariarum educendarum tribuant poteſtatem; tum legum metu mercatores contineant, ne merces vetitas nominis Chriſtiani hoſtibus invehant: *Quia*, inquit (*b*), *tam arduum negotium non poterat juxta noſtrum deſiderium, & prout erat expediens, debitam abſque longi diffugio temporis ordinationem ſuſcipere, certum equitum & peditum paſſagium, per quod cum auxilio divinæ clementiæ præparabitur via & ſemita ad generale paſſagium ſupradictum per dilectum filium magiſtrum & fratres hoſpitalis S. Joannis Jeroſolymitani cum, dicto Rege ac eodem magiſtro tunc apud ſedem Apoſtolicam conſtitutis diligenti deliberatione præhabita, de theſauro noſtræ cameræ affluenti ad hoc ipſius Regis pecuniario adjuncto ſubſidio, ad defendendum interim terras illas, quas adhuc in partibus illis obtinent fidei prælibatæ cultores; & ad opportuna properandum obſtacula perfidis Chriſtianis, ne victualia & alia prohibita deferant Saracenis, & Saracenos ipſos, prout fuerit poſſibile impugnandum; in proximo futuro veris tempore deliberavimus faciendum, & proſequendum per ipſos, Deo duce, per quinquennium ſecuturum.* Et infra.

(*a*) *Lib. 3. ep. com. 839.*

Itali mercatores ab eo ſcelere deterriti.

(*b*) *Ibid. 3. ep. com. 839.*

De præmittendis nonnullis agminibus.

Intentatæ pœnæ.

Ad hæc licet ſine omni hæſitatione credamus, vos ad relevandas afflictiones & miſerias dictæ terræ inter fideles alios, quos ordo Chriſtianæ religionis includit, effectualiter dirigere deſiderium mentis noſtræ; ut omnis tamen ſuper hoc oblocutio præcidatur, faciatis in civitate prædicta ſpecialia cum gravibus pœnis, opportuniſque cautelis per vos & cives ac ſubditos veſtros inviolabiliter obſervanda ſtatuta, ut nullus ex civibus vel ſubditis ipſis arma, equos, ferrum, lignamina, victualia, aut mercimonia quælibet in Alexandriam vel alia loca Saracenorum terræ Ægypti deferre, mittere vel portare, ſeu de portubus veſtris, ut eiſdem deferantur extrahere, vel extrahi permittere quoquomodo præſumant, per vos ſi contrafecerint, præter pœnas canonicas graviter puniendi, &c. Dat. apud S. Æmilianum Burdegalenſis diœceſis XII. *kal. octob. anno tertio.*

Edidit eadem de re conſtitutionem Clemens, (*c*) cenſuraſque a prædeceſſoribus iis inflictas, qui ferrum, equos, ligna conficiendis navibus idonea, arma, commeatuſve inveherent, renovavit: ſanxitque, ſi in facinore comprehenderentur, abducendos in ſervitutem, ac bona direptioni expoſitum iri: inurendos infamiæ nota, ut nec teſtamentum condere, nec de bonis diſponere poſſint: criminis vero expiationem a ſacerdote non conſecuturos, ni quæſtum omnem nefario illo commercio partum in ſacri adverſus infideles belli ſumptus derivarent. Tum aliis literis (*d*) patriarchis, archiepiſcopis, cæteriſque antiſtibus provinciam dedit, ut diebus feſtis, præſente populi circumfuſa multitudine, ſolemni ritu defixos anathemate, infames, & inteſtabiles tanti criminis participes divulgarent, ſtudiumque conferrent, ut apoſtolica hujuſmodi ſancita inter urbanas leges referrentur.

(*c*) *Eod. l. 3. ep. com. 633.* Conſtitutio Pont. in ſceleris illius participes.

(*d*) *Reg. lib.*

Nec modo impii hujuſmodi Chriſtiani, in quibus avaritia religionis ſenſum extinxerat, adjecerant barbaris vires animoſque, ut paribus cum noſtris armis inſtructi ferociter exultarent: verum etiam continuæ fidelium diſſenſiones alebant eorum audaciam, ut mutuis cladibus exhauſtos, animiſque diviſos magno terrore invaderent. Cyprus certe adeo tum ſtudiis contrariis fluctuabat, ut pateret exitio, cum Henricus Rex & ipſius frater Almaricus Tyri princeps de regni adminiſtratione contenderent: adeoque controverſia exarſit, ut Rex oratorum opera Apoſtolicæ ſedis auxilium imploraret, expoſtularetque, injuſte ſibi relicta tantum regii nominis umbra rerum adminiſtrationem ereptam, & cuſtodia obſeſſum teneri. Quibus Almaricus reſpondebat, fratrem graviore implicitum morbo adeo ſub regni mole ſuccubuiſſe, ut ſceleri fræna laxaret, eoque aſſentiente, ac procerum conſilio regni habenas ſuſcepiſſe. Cumque regii oratores confectas ea de re literas vi & metu extortas ſubinferrent, Clemens Thebanum archiepiſcopum ac Raymundum e Pinibus capellanum pontificium legatos in Cyprum decrevit (*e*), ut ad adducendos in mutuam concordiam Henricum & Almaricum incumberent, ac ſi pax inter eos coaleſcere non poſſet, totius rei circumſtantias explorarent, ſedique Apoſtolicæ exponerent, ut æquam ſententiam ferret.

XXXVII. Chriſtianorum diſſenſiones exitio ipſis fuere.

Henricus Rex Cypri & Almaricus frater de regni adminiſtratione inter ſe certant.

Pontifex controverſiam ſtudet componere.

(*e*) *Lib. 3. ep. cur. 8.* Datæ ea de re ad nuntios Apoſt. lit.

Clemens, &c. venerabili fratri Nicolao archiepiſcopo Thebano & dilecto filio magiſtro Raimundo de Pinibus canonico Vaſatenſi capellano noſtro.

Ad Apoſtolicæ ſedis perlato notitiam, noſtriſque auribus inſtillato, prout infauſti & multiplicati rumoris habet aſſertio, qui intima noſtri pectoris amaricat, & punctionis aculeo durioris affligit, quod in re-

gno Cypri sator zizaniæ, cunctorumque malorum incentor gravissimas dissensionum materias seminavit, etiam inter illos, qui os unum & caro una sunt, tam spiritualis quam carnalis fraternæ dulcedinis unione conjuncti, charissimum scilicet in Christo filium nostrum Henricum Cypri Regem illustrem, & dilectum filium Amauricum dominum Tyri, ejusdem regni Cypri gubernatorem germanum ipsius, diversosque & variæ conditionis eorundem sequaces, dicto Rege Cypri coram nobis & fratribus nostris lamentabiliter per suas literas & nuntios conquerente, & inculcante querelas, per eundem fratrem atque germanum suum, ejusque sequaces, se regni sui administratione ac regimine indebite spoliatum, bonis & thesauris suis temere destitutum, sibique ac sibi adhærentibus diversis & variis multifarie irrogatis injuriis, solo ac nudo sibi regio nomine remanente: adeoque se arctatum gravi custodia asserit, quod desideranti pro hujusmodi negotio ad sedem Apostolicam solemnes mittere nuntios, ad quam a cunctis oppressis, tanquam ad piam matrem debet esse recursus, facultas hujusmodi suum votum implendi sibi non suppetat, nec potestas: præcipue cum per eundem dominum Tyri, suosque sequaces graviter in iis & aliis peccari conqueratur in ipsum: cujus querelæ cognitio ad sanctam spectat ecclesiam, ut peccatorem revocet a vitio ad virtutem; maxime cum contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis, cujus observantia peculiari privilegio ad Romanam noscitur ecclesiam pertinere.

Ut Henricus regni administratione dejectum se queratur.

XXXVIII. Quid contra Almaricus exponat.

Sed e contra ex parte supradicti domini Tyri ejusdem regni Cypri gubernatoris extitit propositum coram nobis & nostris fratribus antedictis, quod ad fratrem suum Regem habet semper & habuit omnem reverentiam & honorem; sed eodem Rege divina permissione infirmitatibus impedito, adeo quod regni negotiis non valebat intendere, sicque negotia regni periclitabantur omnino, tam in criminalibus quam in civilibus omni deficiente justitia, immo & justitiam implorantium auditore, sicque regno ipso desolationi omnimode exposito, dispendio etiam & jacturæ; idem ipse Rex voluit & consensit, habito super hoc baronum, militum, & popularium regni consensu & unanimi voluntate, quod idem dominus Tyri frater ipsius, & qui eidem Regi, si absque legitimo decederet filio, ut asseritur, juri regni succederet; de cujus magnanimitate & potentia ac industria præsumebant Rex ipse atque regnicolæ, quod regnum ipsum in statum dirigeretur pacificum, cunctis debitæ reformationis ipsius regni esset generalis gubernator & rector, cujus curam & generalem administrationem & regimen, licet invitus, nonnisi pro dicti Regis & regni voluntate, utilitate, & necessitate susceperit, & gerit: ac de hujusmodi consensu per procuratores ejusdem domini Tyri publice producebantur literæ regio sigillo, prælatorum, magistrorum hospitalis, & militiæ templi, baronum etiam & quorundam religiosorum sigillis pendentibus consignatæ, ut prima facie apparebat: e contra procuratoribus & nuntiis Regis replicantibus coram nobis, hujusmodi cautiones & literas per vim & metum extortas, qui cadere poterant in constantem, & sub armorum tumultu & bellico apparatu. Sicque partibus eisdem aliquandiu super iis altercantibus coram nobis, tandem per procuratores & nuntios dicti Regis nobis cum reverentia & instantia extitit supplicatum, quod providere super iis paterna solicitudine curaremus, ac inquisita veritate super propositis redderemus unicuique quod est suum, ac decerneremus mediante justitia quod jus & ratio exposceret, & expediens videremus. Ideoque cum fratribus nostris diligenti tractatu præhabito, & iis, quæ circa hæc attendenda putavimus, diligenti meditatione discussis, vos, quos ecclesiæ nostræ & nostri zelatores honoris, necnon ad prætacta pericula propulsanda sinceris affectibus affici, ad hujusmodi ministerium duximus eligendos, &c. Provinciam iis demandat, ut inter Cypri Regem, atque ipsius fratrem Tyri dominum pacem conciliare studeant; ac si ipsorum industriam odiorum pertinacia eludat, de Regis, regni statu, procerum voluntatibus, populorum studiis, deque re tota diligentissime inquirant, sedemque Apostolicam instruant: tum partes adversas ad dicendam causam sedi eidem se sistere jubeant, ut quod ad divinam tuendam gloriam, nomenque Christianum augendum congruere visum fuerit, decernatur. *Datum Pictavis* x. *kal. februarii an.* III.

Subiicient Henrici procuratores, vi & metu extorta.

Instituerint ut sedes Ap. de iis cognosceret.

Constituti ad id nuntii apostolici.

Demandatum iis munus.

Ut publica Regis & ordinum monumenta producat.

Concussæ his dissensionibus Cypro spe & cupiditate imminebant Saraceni: ad quorum impetus propulsandos cum Henricus Rex Famagustam nudatam mœnibus cingere propugnaculis, ac magnis molibus munire decrevisset, suique consilii Clementem certiorem fecisset; Pontifex eam rem magno rei Christianæ commodo vertere perpendens Cyprumque adversus Saracenos firmandam, ut ex ea insula in fidei hostes ad recuperandam terram sanctam irrumpi posset, apostolico diplomate omnibus iis, qui expiata sacra confessione conscientia ad promovendum opus, in quod magni sumptus profundendi erant, stipem conferrent centum dierum indulgentiam proposuit (*a*). Porro Cypri Regem fuisse proximo anno pulsum in Armeniam, ac dein in regnum revocatum a suis, exceptumque summo gaudio refert Sanutus (*b*).

Henricus Famagustam firmare propugnaculis deliberat.

Stipem ad opus perducendum collaturis indulgentias proponit Clemens.

(*a*) *Lib.* 3. *ep. com.* 406.
(*b*) *Sanut. l.* 3. *p.* 3. *c.* 11.

Absolvimus hunc annum adductis nonnullis privilegiis, quæ Clemens hoc anno Bur-

XXXIX.

Ecclesiæ Burdegal. privilegiis gratiisque aucta.

Burdegalensi ecclesiæ principi in S. Andreæ honorem excitatæ contulit: atque in primis translationis reliquiarum ejusdem Apostoli festum diem celebraturis nono maii, ac diebus proxime consecuturis lustrantibus eam basilicam nonnulla indulgentiarum præmia contulit (*a*), cum præclarissimis sanctorum lipsanis exornata esset: *Considerantes*, inquit, *quod eadem Burdegalensis ecclesia in honore beati Andreæ Apostoli gloriosi constructa metropolitana insignis existit, & alias multæ coruscat privilegio dignitatis; quodque in ea de ipsius Apostoli sacratissimo corpore, & aliorum plurimorum Apostolorum, martyrum, confessorum, & virginum venerabiles reliquiæ, quæ multa sunt veneratione colendæ a cunctis fidelibus, requiescunt, &c. Dat. Pictavis* XII. *kal. febr. an.* III. Eodem in patriam studio incitatus eam ecclesiam eleganti opere ad culmen perducendam statuit: quare Burdegalensi archiepisc. provinciam dedit (*b*), ut evolvente se viginti annorum spatio sacerdotiorum vacantium primi anni vectigalia, exceptis abbatiis in sua diœcesi, in eam rem derivaret. Ad augendum quoque ejusdem ecclesiæ splendorem superiori anno Clemens, cum religiosæ disciplinæ nitor apud canonicos defloruisset, sanxerat, (*c*) ut sæculares canonici in religiosorum decedentium locum ad divinam rem curandam subrogarentur.

(*a*) *Lib.* 3. *ep. cur.* 6.

(*b*) *Lib.* 2. *ep. com.* 57.

(*c*) *Lib.* 2. *ep. com.* 114. B. Clara e Montefal.

Migrasse hoc anno ad cœlos ferunt (*d*) B. Claram abbatissam monasterii S. Crucis oppidi Montisfalconis, quæ multis post mortem miraculis inclaruit, adeo ut de illis Joannes (*e*) XXII. aliquot post annis, uti dicemus, religiosam actionem instrui jusserit ad beatarum virginum honores illi decernendos, uti dicetur inferius, quin etiam Urbanus VIII. nostro ævo, propagata ejusdem Virginis flexu temporum sanctitatis gloria, colendam illius memoriam officio ecclesiastico sanxerit (*f*): immo ipsa ingentis instar miraculi fuit, quippe dum viveret, & divino æstuans amore sacrosanctæ Christi passionis mysteria attenta mente aliquando perpenderet, cœlesti viso Christus crucem gestans sese illi interdum objecit, atque in corde medio præcipua passionis suæ instrumenta impressit, finxitque adeo, ut cum post mortem ejus corpus exenteratum esset, & cor ob magnitudinem divisum Jesu Christi crucifixi imago e carne efformata, nativisque expressa coloribus conspecta (*g*) sit: quin etiam reperti in vesicula fellis tres lapilli pari magnitudine, & pondere, addito hoc insuper miraculo, ut unus duobus æqui ponderaret, & trium conjunctorum pondus unius tantummodo pondus adæquaret, quo sanctissimæ Triadis, quam illa præcipuo pietatis sensu adorabat, mysterium adumbratum est.

(*d*) *Ferar. novo cat.* 17. *aug. Vvad. in annal. hoc ann. n.* 72.
(*e*) *Jo. an.* 2. *ep. com.* 315.

(*f*) *Bull. to.* 4. *Urban. VIII. const.* 23.

(*g*) *Berenq. Affric. in B. Claræ vita. Vvad. hoc ann. n.* 73. Scoti mors.

Obiisse eodem anno tradunt (*h*) Coloniæ Joannem Duns cognomento Scotum, cui ab acumine ingenii in ventilandis theologicis quæstionibus, Subtilis elogium adjectum est, de cujus scriptis insignibus agunt scriptores (*i*) ecclesiastici: de mortis vero genere discrepantes sunt sententiæ, cum vulgo jactetur illum epileptico morbo correptum, cum adhuc spiraret, a sodalibus Colonienſibus vivum sepultum sibi manus arrosisse, alii ut fabulam confictam ab ejus doctrinæ invidis confutent: de quo pluribus Wadingus, agit, traditque illum Parisiis ideo Coloniam transmissum, ut doctrinæ suæ luce offusas Colonienſibus a Beguardis errorum tenebras discuteret.

(*h*) *Vvad. ex epitaph. hoc ann. n.* 37. *Annal. Colon. hoc ann.*
(*i*) *Trith. de script. eccl. Sixt. Senen. in bibl. Possev. in app. Card. Bellar. de script. eccles.*

I. Gestorum hujus anni compendium.

ANno a Virginis partu millesimo trecentesimo nono indictione septima, Henrici Lucemburgensis, a Germanis principibus Regis Romanorum designati, electio a Clemente confirmata est: composita in solemni ordinum conventu a Gentili legato Cardinale Ungaria, pacata profligatis propulsatisque Ferraria Venetis Italia, concitata in Mauros Hispania, suscepta in Saracenos ab Hospitalariis expeditio, exerta in Templarios legum severitas, instituta ad Bonifacii VIII. ab invidorum calumniis vindicandam memoriam judiciorum forma; denique a Pontifice ex singulari in S. Bertrandum Convenarum episcopum, cujus nomen gerebat, atque in sede successor olim exiterat, singulari pietatis studio reliquiarum ipsius translatio magno apparatu celebrata. Utque ab ea sacra pompa, quæ ineunte anno ingenti populorum concursu instructa est, ducamus initium, rei gestæ seriem ex Bernardo (*a*) accuratissimo scriptore decerpemus.

(*a*) Bern. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sign. n. 3765.

II. S. Bertrandi Conven. episc. translatio celebrata a Clem.

Recedens de Tolosa, de Clemente loquitur, cujus itinera describit, *declinavit ad sedem S. Bertrandi confessoris diœcesis, quæ dicitur Convenarum: ubi in festo B. Marcelli Papæ scilicet* XVII. *kal. februarii corpus sacrum S. Bertrandi episcopi confessoris, cujus ipse fuit consors in nomine & successor in sede, de loco, in quo prius erat, in capsam transtulit pretiosam, quam ad hoc idem Papa Clemens prius fecerat suis sumptibus fabricari. Magnam quoque concessit indulgentiam visitantibus ibidem sacras confessoris reliquias annuatim.* Hæc Bernardus, quæ etiam in MS. Clementis gestis (*b*) iisdem pene verbis leguntur, confirmanturque literis apostolicis, (*c*) quibus sancti præsulis encomia celebrantur: religiosam vero pompam, qua sacra lipsana transtulit, describit Pontifex.

(*b*) Ext. apud nos sign. lit. C. n. 25.
(*c*) Lib. 4. ep. com. 332.

Clemens, &c.

Quanta celebritate reliquiarum illius translationis pompa perfecta sit.

Cupientes eundem sanctum, quem dominantium Dominus honoris prærogativa sublimavit in cœlis, debita in terris honorificentia venerari, sacratissimum corpus ejus de infimo ad locum celebrem & solemnem in ecclesia vestra paratum, venerab. fratre Nicolao episcopo Ostiensi, & dilectis filiis nostris Berengario tit. SS. Nerei & Achillei presbytero, Landulfo S. Angeli, Raimundo S. Mariæ novæ, & Arnaldo S. Mariæ in portica diaconis Cardinalibus, nec non venerabilibus fratribus nostris Rothomagensi, & Auxitano archiepiscopis, ac Tholosano, Albiensi, Migalonensi, Aduvensi, Tarivensi, & Convenarum episcopis nobis astantibus, ac præsentibus dilectis filiis .. de Cimorra .. de Fonte frigido .. de Scala Dei .. de Bonofonte, & .. de Benedictione Dei monachorum abbatibus S. Benedicti & Cistercienstis ordinum, Auxitanæ, Narbonensis, Tarivensis, & Convenarum diœcesum, ac aliorum fidelium multitudine copiosa, XVII. *kal. februarii cum debita reverentia, & honore propriis manibus duximus transferendum, &c. Datum Convenis* XVII. *prædictarum kal. februarii anno quarto.*

III. Gallicani præsules bonorum Templariorum custodiam suscipere jussi.

Antequam Convenas se conferret, plura in Templariorum, quos ut divinæ læsæ majestatis reos bonis privari, carceribusque mancipari jusserat, causa Tolosæ decrevit; ac datis ad Galliarum præsules literis (*d*) significavit, Philippum Regem in congressu Pictavis secum habito consilium iniisse, ut Templariorum bona, ne inhiantium avaritiæ & prædæ paterent dissiparenturve, regiæ custodiæ committeret, neque ulla arte & fuco eas opes sibi arrogaturum spopondisse: deinde ad pontificis preces præfectis regiis ac magistratibus imperasse, ut ab iis sibi temperarent, quo ecclesiasticorum custodiæ traderentur; rem vero nondum in opus adductam. Atque adeo decernit, ut in singulis diœcesibus viros probos ad ea servanda designent, quos sacramento obstringant, rem summa fide gesturos: tum etiam eam provinciam nonnullis integritate conspicuis demandavit. Obtemperatum est Pontifici; extant enim regia Philippi edicta de Templariorum bonis Clementis administris consignandis, quæ in archivio inferiore Avenionensi reperta sunt (.).

(*d*) Ib. ep. 14.

Nec in Galliis modo, verum in Aragonia etiam concitata persecutio in Templarios, qui illius terrore perculsi, ut refert Surita, (*f*) munitissimis arcibus & castris se receperant: sed immissis a Jacobo Rege copiis, ad deditionem compulsi pontificiis imperiis, parituros spopondere. Qua de re certior a Rege factus Clemens apostolicum nuncium capellanum suum transmisit, ut eas arces pontificio nomine reciperet, atque una cum Templariis regiæ custodiæ permitteret. Dispersa Templariis infamia, atque ejuratæ Christianæ fidei criminibus impositis, ob quæ ipsos vocasset in judicium, ut fontes plecteret, insonteve absolveret, ad alia regna sparsæ literæ: ac ne interea eorum opes ac possessiones in rem Syriacam convertendæ dissiparentur, nonnullos antistites iis conservandis præfecit, Regesque iis præsidio jussit esse, inter quos hæc Eduardo monita dedit (*g*).

(*e*) Ann. 1294. legat. Octav. Aquav. n. 29. 90.
(*f*) Sur. l. 5. annal. c. 73 In Aragonia Templarii Jacobo Regi deditionem faciunt.

Decet, inquit, *fili charissime, regiæ magnificentiam dignitatis, tuam matrem ecclesiam & Apostolicam sedem sincero animo, & devotis affectibus revereri, ac ea quæ sibi*

(*g*) Lib. 4. ep. cur. 63.

sibi sunt placita efficaciter adimplere, ut Rex regum ejusdem sponsus ecclesiæ, qui super Reges & regna imperat, dominatur & regnat, se in eis a te honorari prospiciens exaltet, & provehat tui regalis culminis incrementa, &c. Dat. Avenione kal. septembris anno IV. Ad afficiendos vero meritis pœnis illius ordinis equites, qui a fide desciverant, aliisque se contaminarant criminibus, præsules in eos inquirere omni diligentia ac judiciorum servato ordine jussit. Quo argumento plures extant literæ, (*a*) quarum notas in margine apponere suffecerit. Tum archiepiscopum Pisanum nuncii Apostolici instructum auctoritate ad Insubres, Tuscos, Dalmatas, & Istros, ut quæstionem in earum provinciarum Templarios exerceret, imperavit (*b*).

Præsules Templariorum singulorum causam cognoscere jussi.

(*a*) Ib. ep. cur. 64. 65. 66. 67. 68. 74. 75. 76.
(*b*) Eod. l. 4. ep. com. 939.

IV.

Hæc decernebat in Templarios Clemens, cum Philippi Regis, a quo in eos concitatum vidimus, precibus actus inauditi judicii, quo prædecessoris hostibus persequendæ illius memoriæ, ac probandi criminis hæreseos, quo Romanum Pontificem notabant, auctoritas concessa, formam instituit. De qua hæc Bernardus (*c*): *Eodem anno Domini MCCCIX. Clemens Papa ad instantiam Regis Franciæ & suorum in publico consistorio pronuntiavit, ut liceret prosequi volentibus procedere contra memoriam Bonifacii Papæ VIII. defuncti.* Extat ea de re Clementis diploma, (*d*) quo expositi, se a Philippo Lugduni primum, deinde Pictavii postulatum, ut ab sede Apostolica judicium de crimine hæreseos Bonifacio impositio institueretur. Et quamvis nullatenus, uti debebat, putaret Bonifacio ex catholicis parentibus ortum, qui Martino IV. & Adriano V. in legationibus ab iis gestis operam navarat, dein munera curiæ exercuerat, tum Cardinalatu fuerat exornatus, susceptoque pontificatu hæreses insectatus fuerat, & dogma catholicum confirmarat, hæreseos labe inquinatum fuisse; ob decus tamen sedis Apostolicæ, & ad ecclesiæ puritatem asserendam professus; est, accusatoribus, ut suas probationes afferrent, diem indixisse.

Petita ex ejus gestis.

(*c*) Benn. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sig. n. 3765. in Clem. V.
(*d*) Ext. apud Maucler. p. 4. l. 7. c. 8.

Clemens Philippo Rege urgente accusandi Bonifacii potestatem facit.

Clemens, &c. ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Dudum, postquam divina cooperante clementia, fuimus ad apicem summi apostolatus assumpti, primo Lugduni & deinde Pictavis cum nostra curia residentes, charissimus in Christo filius noster Philippus Rex Francorum illustris zelo, ut credimus & ipse promebat, fidei orthodoxæ & devotionis accensus, credensque ecclesiæ statui plurimum expedire, nos cum instantia requisivit, & ad ipsum dilecti filii nobilis viri Ludovicus natus claræ memoriæ Philippi Regis Francorum Ebroicensis, Guido S. Pauli & Joannes Drocensis comites, ac Guillelmus de Plasiano miles, qui contra Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum, quem dicebant in labe pravitatis hæreticæ decessisse, crimen hæreseos se velle imponere & ad illud probandum sufficientes probationes habere, illaque coram nobis velle proponere asserebant; postularunt instanter, quod ipsis videlicet nobilibus benignam audientiam exhibentes, ad recipiendas probationes hujusmodi, memoriamque damnandam ejusdem defuncti justitia prævia procedere curaremus.

Accusatorum Bonifacii protervia.

*Nos vero quamvis de ipso, quod de orthodoxis parentibus & catholica patria traxit originem, ac in curia Romana pro majori parte temporis vitæ suæ nutritus extitit, ac cum Martino dum in Franciæ, ac Adriano in Angliæ regnis prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus legationis officio fungerentur, successivis temporibus quasi continuo conversatus cancellariæ officium exercuit cum iis; & subsequenter in dicta Romana curia, in qua prius exercuerat advocationis officium, ad officium notariatus primo, & deinde ad honorem Cardinalatus S. R. E. & demum in summum Pontificem assumptus extitit; qui ad honorem Dei & roborationem fidei, & hæreticorum exterminium multas edidit sanctiones, in prædicatione divina, officia exercendo in præfata curia, & etiam extra eam, tum in dictis regnis Franciæ & Angliæ, cum aliis diversis mundi partibus, antequam summus Pontifex * .. cum viris auctoritatis eximiæ catholicis & ecclesiasticis conversatus, alias etiam * .. apparebat, & communiter semper vixit, prædicta veritate subniti nullatenus crederemus; quia tamen crimen hæreseos, quod est inter cætera crimina plus execrabile ac horrendum, magisque detestabile ac damnosum, contra dictum prædecessorem oppositum dissimulanter indiscussum non negligi debebat; ad præfati Regis aliorumque nobilium prædictorum instantiam, & ne in sacrosanctæ Romana ecclesia, quæ mater est cunctorum Christi fidelium & magistra, quæque cunctis tribuit catholicæ religionis normam, veramque doctrinam fidei orthodoxæ, videamur negligere, quod in aliis debet diræ censuræ acerbitate damnari; dum adhuc cum prædicta curia Pictavis essemus, præfatis oppositoribus de fratrum nostrorum consilio audientiam duximus concedendam, & iis primam diem juridicam post festum purificationis B. Mariæ virginis proximum, jam transactum, ad comparendum coram nobis Avenione, & quantum, ac prout esset de jure in ipso negotio procedendum, pro peremptorio termino signantes, &c. Actum Avenione in domibus fratrum Prædicatorum, videlicet in aula inferiori, in qua consistoria publica tenemus, id. septembris pontificatus anno* IV.

Gravissima innocentiæ Bonif. argumenta.

* eligeretur
* catholicus

Institutum ad fidem asserendam judicium.

Cum ita sanxisset Clemens discutiendam

Bo-

Bonifacianæ accusationis causam, dedit imperia (*a*) episcopo Parisiensi, & Guillelmo Godinio ordinis Prædicatorum, postea Cardinali, ut Guillelmo Plessiano harum omnium in Bonifacium calumniarum artifici nefandissimo, & Ludovico principi Ebroicensi, aliisque duobus comitibus a Guillelmo subornatis ut se accusatores constituerent, diem indicerent ad futiles suas probationes depromendas: *Ut*, inquit, *clarius in hujusmodi negotio procedatur, fratrum nostrorum super hoc, dum erimus Avinione, communicato consilio: discretioni vestræ de ipsorum fratrum consilio per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, Ludovicum, Guidonem, & Joannem comites, ac Guillelmum militem præfatos ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut prima die juridica post dominicam memoratam, quam eis similiter pro peremptorio termino assignetis, coram nobis si sua putaverint interesse, Avinione legitime comparere procurent ad procedendum in dicto negotio, & pertinentibus ad idem negotium, si, quantum, & prout de jure fieri poterit & debebitur. Diem vero hujusmodi citationis & formam, & quicquid inde duxeritis faciendum, nobis per vestras literas, harum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Datum in Prioratu de Grausello prope Malausan. Vasionensis diœcesis* XV. *kal. novembris an.* IV. Hoc freti rescripto Guillelmus Nogaretus, & Guillelmus Plasianus Bonifacii accusatores mirique calumniarum artifices, suas accusationes in publica acta redegere, quæ porrexerunt Clementi, extantque in archivo Vaticano Romam Avenione translata, ex quibus eorum impostorum impietas arguitur. Perhorruit vero Christianus orbis ad rei adeo insolentis famam, & Castellæ atque Aragoniæ Reges Catholici missis, ut refert Surita (*b*), oratoribus apud Clementem questi, injectum fidelibus scandalum, quorum aures pias ferre non possent, Romanum Pontificem in crimen hæreseos adduci. Philippus vero Francorum Rex in Hispanos retorsit, ideo judicium disturbare molitos, quod ipsorum interesset, cum Jacobus Aragonius Sardiniæ & Corsicæ regno a Bonifacio donatus esset; Ferdinandus justorum natalium dignitate, exclusis regno infantis Ferdinandi filiis, affectus. Nec Hispani modo, verum Germani quoque, Belgæ, & Itali, ut refert Albertinus Mussatus (*c*), Philippi Regis consilia execrati sunt: ob idque potissimum Henricus Rex Romanorum magnis studiis provectus, ut illius vim reprimeret, ut dicetur inferius. Cæterum Clemens cum ex eo judicio nullam sedi Apostolicæ notam aspersum iri prævideret, ac Bonifacii memoriam, quam obtrectatores obscurare nitebantur, illustrandam in suscepta sententia perstitit, demum accusatores magno suo pudore conticescere coacti sunt, ac Bonifacii nomen in suum decus assertum, de qua re suo loco dicetur: jam reliqua prosequamur.

(*a*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 69. Accersitus ad illud Plessianus calumniarum artifex.

(*b*) *Sur. ind. l.* 2. *& annal. l.* 5. *c.* 87. Fideles de re adeo inaudita scandalum passi.

(*c*) *Albert. Muss. l.* 1. *c.* 3.

V.

Actum est de restituenda, uti cœptum erat, in pristinum splendorem academia Aurelianensi, ac plura ad veterem literariam disciplinam, quæ professorum incuria defloruerat, sanciendam constituta: cujus rei cura archiepisc. Bituricensi & episcopo Carnotensi a Clemente demandata est (*d*). Similiter revocata in pristinum decus ab eodem Pontifice Bononiensis academia, (*e*) quam Neapoleo Cardinalis Bononiæ jam ante legatus una cum fede episcopali, aliis gravissimis divinis humanisque pœnis Bononiensibus magistratibus inflictis, ademerat; atque in constitutione (*f*) Honorii III. contentas pœnas contraxisse promulgarat. Exasperarat enim legatum nonnullorum insolentia, qui in ipsius palatium impetum fecerant, quorum clientelam susceperant urbani magistratus. Sed cum ipsos pœniteret criminis, atque oratores ad Clementem ad illud expiandum misissent, Pontifex in gratiam ipsos admisit, ac templa, sedem episcopalem, & academiam restituit, (*g*) quam etiam anno sequenti majoribus privilegiis amplificavit (*h*): atque inter cætera, ad augendam illius dignitatem decrevit, ut qui in ea doctoratus laurea decorati essent, in aliis academiis eam disciplinam profiteri (*i*) possent. Munivit etiam illam ineunte sequenti anno ea prærogativa, ut (*k*) a nullo legato apostolico ab ea urbe divelli, vel interdicto feriri posset, infligendarumque earum pœnarum auctoritas, si unquam ab officio discederent, soli Romano Pontifici foret reservata. Tum Ravennati archiepiscopo, ac si Ravennatium sedes vacaret, Ferrariensi, Parmensique episcopis provinciam imposuit, ut academicos Bononienses ab improborum injuriis vindicarent. Quæ beneficia ac nonnulla alia liberaliter Bononiensibus contulit Clemens, ut navatam ab iis pro ecclesia in Ferrariensi bello egregiam operam commendaret. In quod cum defluxerit oratio, illius historia jam a nobis percurrenda est.

(*d*) *Lib.* 3. *ep. com.* 372.

(*e*) *Ib. ep. com.* 152. *& 528.* Sopitæ nonnullæ simultantes exortæ Bononiæ.

(*f*) *Ext. to. nostro annal. XIII. in Honor. ann. Chr.* 1225. *n.* 50. *& in MS. Vat. bibl. sig. n.* 2977. *pag.* 129.

(*g*) *Clem. V. l.* 4. *ep. com.* 528.

(*h*) *MS. Vat. bibl. sign. n.* 3977. *p.* 175.

(*i*) *Lib.* 5. *ep. com.* 158.

(*k*) *Ibid. ep.* 156. Privilegia academiæ Bononiensi concessa.

VI. Veneti anathemate defixi.

Deterrere pluribus literis exeunte anno exaratis Venetos ab invadenda Ferraria-

erat

erat conatus, [1] gravissimaque minas incusserat, ni cœptis absisterent. Sed cum ipsius preces nil valuissent, ac Joannes Superantius patritius Venetus submissus cum exercitu Ferrariæ præfecturam, pulsis interruntiis apostolicis, qui urbem ad obsequium ecclesiæ traduxerant, & aliis magistratibus pontificiis, ferro flammaque succinctus occupasset, Pontifex graves censuras in Petrum Gradenicum ducem Venetorum, Joannem Superantium, Vitalem Michaelem præfectos, senatum, aliosque Venetos omnium ordinum est jaculatus (*a*). Qua de re hæc tradit Jordanus (*b*): *MCCCIX. Clemens V. magnum processum fecit contra Venetos, quia Ferrariam urbem ecclesiæ indebite occupaverant.* Extat id judiciarium edictum die cœnæ dominicæ pontificatus anno IV. consignatum in pontificio regesto & anno hujus sæculi sexto ex typographia Vaticana excusum: in cujus initio exponit, ut Ferraria in fundo ecclesiastico condita a primis illius fundatæ temporibus Romanis Pontificibus fuerit obnoxia: *Est*, inquit, *certo certius, quod civitas Ferrariensis cum suo comitatu & districtu & omnimoda jurisdictione, ac juribus & pertinentiis ad jus & propietatem ecclesiæ Romanæ, in temporalibus pertinet & pertinuit ab antiquo; licet tyrannica rabies civitatem ipsam, comitatum, territorium, districtum, & habitatores ejus aliquibus temporibus oppresserit violenter: qua persecutione, Deo cujus esset negotium inspirante, cessante, eadem Romana ecclesia fuit in possessione, vel quasi, pacifica & quieta, sed ab octo mensibus circa principium mensis aprilis vel circa incœperunt*, de Venetis loquitur, *nos & Romanam ecclesiam in possessione antiqua prædictorum indebite molestare & temere impedire.*

(*a*) *Lib.* 4. *ep. cur.* 84. *MS. Vat. bibl. sig. n.* 3977. *pag.* 173. *ext. typis cusa inter monitoria & declarationes excom. contra Venetos.*

(*b*) *Jord. MS. Vat. sign. n.* 1960. *c.* 234. *p.* 10. *n.* 1. Ut Ferraria spectarit jure ad ecclesiam. Injuria a nonnullis occupata.

Pergit fusa oratione recensere, quod jam ante (*c*) indicatum est, ut Arnaldo abbate monasterii Tutellensis, atque Honuphrio ecclesiæ Meldensis decano pontificio nomine Ferrariensi urbe potitis, populus universus professus esset, Ferrariam juris esse Romanæ ecclesiæ, ac nuncii apostolici claves Ferrariæ recepissent, constituissent portarum & pontium custodes, adegissent sacramento in verba pontificia urbis prætorem ejusque senatum, præfectos imposuissent Massæ Fiscaliæ, denique supremum jus exercuissent, antequam Joannes Superantius ad Ferrariensem rem administrandam a Venetis esset submissus; addit nuntios, novarum rerum auditâ fama, monuisse senatum Venetum, ne Romanæ ecclesiæ jus in Ferrariensi ditione turbaret, atque etiam abbatem Tutellensem Venetias accessisse, ut a cœptis ipsum revocaret: concitata vero seditione intentatam nuncio fuisse necem, atque ejus familiam saxis appetitam; deinde apertum bellum illatum cladesque inflictas, anno superiori a Ferrariensi administratione dejectos ecclesiæ magistratus exponit, deque tanto facinore effusis justis querelis ducem ac senatum Venetum, tum expresso nomine Joannem Superantium, qui Ferrariensem dominatum eripuerat ecclesiæ, ac Vitalem Michaelem, qui Venetæ reipublicæ nomine Ferrariam regebat, anathemate defixit, edixitque ut Romanæ ecclesiæ jura restituerent. Ni parerent, forarum usu & commercio publico Venetorum omnem ditionem privavit: inusit infamiæ notam magistratibus, legum & judiciorum beneficio privatos pronuntiavit, viros ecclesiasticos abire ditione Veneta jussit, exceptis iis, qui baptismalia infantibus, & morituris confessionis sacra conferrent. Demum si in cœptis perstarent, præfixo ad veniam poscendam tempore, ducem insignibus ducalibus exuendum, & omnes Venetorum fortunas fisco addicendas, Regumque in eos imploranda arma pronuntiavit, donec Ferrariam ecclesiæ restituissent. Quæ literæ Avenione exaratæ die cœnæ Domini pontificatus anno IV. consignatæ sunt.

(*c*) *Ann.* 1308. *n.* 14. 15. 16.

VII. Non deterriti censuris Veneti.

Non facto anathemate, de quo etiam Veneti historici mentionem faciunt, (*d*) pœnisque aliis eo diplomate inflictis revocati sunt ad officium Veneti; sed majori in Pontificem ira perciti, atque deriva-

(*d*) *App. MS. hist. Dandul. in Petro Grad. MS. diarium Ven.*

NOTÆ [1] UT totam historiam belli Ferrariensis cum Venetis chronologicis notis distinguamus, res altius, ab anno scilicet superiori, repetenda est, quam in rem ducem mihi constitui vetustum & cœvum authorem chronici Estensis vulgatum a Muratorio rer. Italic. to. XV. Obiit Azo Estensis Ferrariæ dominus die ultima Januarii anni præcedentis, successitque illi in principatu Ferrariæ Fresco filius ejus spurius. Novum dominum tulere Ferrarienses usque ad mensem augusti; tunc vero seditio cœpta, quæ paulatim crescens, eo tandem devenit, ut Frescum ex urbe in arcem haud longe positam compelleret. Ille res suas in deterius prolabi sentiens, Venetorum auxilium imploravit, quibus & civitatem vendidit. Accurrerunt actutum Veneti, viribusque & armis tentatam Ferrariam tandem in potestatem suam redegerunt, quæ deditio Decembri mense anni 1308. pacta fuit. Hoc vero anno 1309. Ferrarienses Venetorum dominii pertæsi id tamen effecerunt *ut die Jovis mense junii* Veneti silentes digrederentur urbe, seque in arce communirent. Nec diu post Cardinalis de Pelagra legatus Papæ venit Ferrariam, statimque copias cogere cepit, ut Venetos penitus expelleret. Igitur exercitu comparato pugna inita est cum Venetis die 28. mensis Augusti, in quo res bene cessit Ecclesiæ, ac Veneti arce totaque Ferrariensi ditione facessere jussi sunt. MANSI

vationibus fluminum comitatum corrumpere, arceſque reliquas machinis everterre perrexere, ut quæritur Clemens in literis ad Firmanum epiſcopum datis (*a*): cui etiam ſignificavit inter cæteras iis cenſuras ſacro cœnæ dominicæ die incuſſas, ipſos in ſervitutem addictos, occupantibus bona direptioni ſive in Italia vel in Græcia expoſita præcepitque; ut ſi quos in ſua diœceſi reperiret, eos manciparet cuſtodiæ, ac bonis exueret: qua de re data pluribus præſulibus, provinciarum Præſidibus, ac Regibus imperia (*b*). Miſſum etiam a Clemente ad Aragonum Regem nuncium, ut illum ad Venetos in ipſius regno agentes opprimendos adduceret, refert Surita (*c*), atque expoſuiſſe, Venetos nulla laceſſitos injuria, poſtquam Ferrarienſes pulſo Friſco Azonis ſpurio, in eccleſiæ obſequium procubuiſſent, injuſtum bellum ad legitimam nuntiis apoſtolicis poſſeſſionem eripiendam ſuſcepiſſe: quæ a diario Veneto, (*d*) in quo habetur, Venetos pluribus in locis exagitatos, ac bonorum jacturam paſſos, atque etiam a Bernardo (*e*) & Clementis geſtis (*f*) & MS. (*g*) Vaticano confirmantur.

(*a*) *Lib. 4. ep. cur. 84.*

(*b*) *Ib. ep. 82. 85. 86. 87. & poſt eand. ep.*
(*c*) *Sur. l. 5. c. 82.*
(*d*) *Diar. MS. Ven. Pigna l. 4.*
(*e*) *Bern. chr. Rom. Pont. in Clem. V.*
(*f*) *MS. Vall. bibl. ſign. lit. C. n. 25.*
(*g*) *MS. Vat. bibl. ſign. 3765. in Clem. V.*

VIII. Sacrum bellum in Venetos indictum. Eccleſiaſtica ditio diſſenſionibus exagitata.

Cum hæc etſi aſperiora decreta parum valerent, ac niſi ferro cum Venetis res decernenda videretur, religioſam in eos militiam Pontifex, dato crucis ſymbolo, ac propoſitis eccleſiæ ſigna ſecuturis præmiis indulgentiarum, quæ arma in Saracenos gerentibus concedi erant ſolita, indixit, (*b*) Arnaldumque e Pelagrua S. Mariæ diaconum Cardinalem ſacro bello præfecit: quem etiam ad exortos in multis ditionis eccleſiaſticæ provinciis, maxime Anconitana marchia, Spoletano ducatu, Campania, ac Maritima tumultus componendos miſit. Extant plures ea de re ad ipſum datæ literæ (*i*): quem etiam privilegiis ornavit, (*k*) ac pacis arbitrum in Inſubria, Etruria, aliiſque provinciis conſtituit (*l*)

(*b*) *Ib. ep. cur. 27.*
(*i*) *Ib. ab ep. 28. ad ep. 56.*
(*k*) *Ep. 56.*
(*l*) *Ep. 56.*

Geſſit Arnaldus magna animi conſtantia munus ſibi impoſitum, crucique vexillis expoſitis, ingentem hominum multitudinem ad ea traxit (*m*). Ad quæ videtur alludere diarium (*n*) Venetum, dum ait, propoſitas iis fuiſſe indulgentias, qui Venetis necem (in acie ſcilicet) inferrent. Ut vero iis ſuccinctus copiis Cardinalis legatus Ferrariam recuperarit, ſubjectis verbis deſcribit Bernardus (*o*): *Fuit miſſus legatus a latere Papæ dominus Arnaldus de Pelagrua diaconus Cardinalis, in Italiam feſtinavit, & ſubſecuta eſt hominum magna ſtrages: fuitque capta & recuperata Ferraria per legatum in ſequenti menſe auguſti in feſto S. Auguſtini, non ſine multo effuſo ſanguine Ferrarienſium & Venetorum in prælio juxta Padum. Fertur autem numerus occiſorum hominum una die* VI. *millia exceptis mortibus plurimorum, quæ præceſſerant, & poſtmodum ibidem & alibi ſunt ſecutæ.*

(*m*) *Jo. Vill. l. 8. c. 103.*
(*n*) *Pign. l. 4. Diar. Ven. MS. Petr. Gradenſ.*

Ferraria Venetis erepta a Card. legato.

(*o*) *Bern. chr. Rom. Pont. hoc ann.* Strages de ipſis edita.

Aſſentiuntur Bernardo MS. Vaticanum, (*p*) Jo. Villanus (*q*), S. Antoninus (*r*) & alii. Faviſſe vero eccleſiaſticis copiis cives ex MS. diario colligitur, in quo refertur Vitalem Michaelem creatum a Venetis Ferrariæ præfectum a Ferrarienſibus pulſum eſſe: additque Villanus, Venetos, cum urbem obſidione cingere molirentur, nondum amiſſa arce, cui Thedaldi nomen eſt, apud Francolinum cæſos: cujus inſignis victoriæ partem Florentinis aſcribit S. Antoninus, arcemque recuperatam ſubiicit: *Veneti*, inquit, *a legato Cardinale, qui nepos erat Papæ, cum copiis ſuis, inter quas etiam erant Florentini, ita ſunt debellati & ſuperati, ut ad ſex millia exercitus Venetorum mortui ſint in bello partim occiſi, partim in Padum ſubmerſi. Et ſic ex toto eccleſia recepit Ferrariam cum caſtro Thedaldi.*

(*p*) *MS. Vat. bibl. ſig. num. 3765. in Clem. V.*
(*q*) *Jo. Vil. l. 8. c. 103.*
(*r*) *Ant. p. 3. tit. 21. c. 2. ante §. 1.* Florentini in hoc operam Pontifici commendarunt.

Porro ad reponendam gratiam Florentinis ob navatam egregie in eo bello operam, ſublatum a legato interdictum ac ſacra iis reſtituta, refert idem auctor. Eodemque etiam beneficio Bononienſes, dum una cum Inſubribus ad in bellum ſe accingebant, affectos vidimus: quos etiam ſequenti anno, cum feliciter jam confectum eſſet, ob eximiam, quam in eo explicuerant, virtutem militarem encomiis celebravit (*s*). Revocata ad eccleſiaſticum imperium Ferraria poſtea in Ateſtinorum rediit ſervitutem, (*t*) cum Pontifex illius præfecturam Siculo Regi contuliſſet, ſperneretque res Italicas tranſalpino ſolo delinitus: at de his poſtea in Joanne Clementis ſucceſſore. Clemens porro ſæpius Italos ſpe ſui adventus permulſit, atque hoc ipſo anno Romanis his literis abblanditus eſt: *Romani, ut vera loquamur, noſter peculiaris exiſtunt populus intima nobis affectione dilectus: ipſi ſunt Romanæ eccleſiæ ſpeciales alumni, quos ſinceris amplectimur brachiis, & paterni favoris ubere confovemus. Ipſi ſunt filii, quorum exaltationem appetimus, honorem diligimus, & commoda votis ferventibus concupimus: quorum nos perturbat adverſitas, contingit pungitive turbatio; quorumque proſperitas dulcedine refovet, & tranquillitas reficit affluentia gaudiorum.*

(*s*) *Lib. 5. ep. com. 157.*
(*t*) *Pign. l. 4.* Officioſa in Romanos Pontificis verba.

Inter hæc redimitus (*u*) fuerat corona Aquiſgrani anno ineunte Henricus, antea Lucemburgenſis comes, Romanorum Rex ipſo epiphaniæ ſacro die. Quam contuliſſe Henricum Colonienſem archiepiſcopum ait S. Antoninus (*x*): quamvis præpoſtero ordine, ut oſtendunt literæ apoſtolicæ (*y*), poſt obtentam a Clemente confirmationem corona Germanica exornatum innuat. Quod attinet ad ritus ſacros in ea celebritate ſervatos; plurimam illi pietatem redolent, ac deſcripti ſunt accurate in veteribus monumentis, quæ Goldaſtus (*a*) collegit, ſuntque digniſſimi quos noſtris annalibus commendemus.

IX. Henric. Rex coronam Aquiſgrani accipit.

(*u*) *Bern. l. de Rom. Imp. MS. Vat. bibl. ſignat. n. 2043. & MS. ejuſd. bibl. ſig. n. 3765. in Clem. V. Jord. Chron. MS. Vat. ſig. num. 1960. c. 238. de Imp. Hen. Stero in annal. Ptol. Luc. hiſt. eccl. MS. l. 24. c. 40. & alii.*
(*x*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. in prin.*
(*y*) *Lib. 4. ep. com. 57.*

(*a*) *Ext. apud Goldaſt. to. 3. p. 401.*

Imperialis proceſſus in unctione Regis Romanorum, & in ejus coronatione & conſecratione ſervandus.

Ritus in ſacrando Aquiſgrani Romanorum Rege.

In coronatione & unctione Regis Romanorum debet eſſe talis proceſſus. Primo poſt electionem concorditer, vel a majori parte factam comparebit Rex Romanorum noviter electus in eccleſia Aquenſi: & ibidem archiepiſcopus Colonienſis ex jure regni debitus conſecrator indutus ſuis pontificalibus ornamentis, & ſimiliter archiepiſcopus Moguntinus & Treverenſis archiepiſcopus erunt induti ſuis pontificalibus ornamentis, & deſuper pluvialibus cum debito ordine miniſtrorum, cruce, thuribulo, & textu evangeliorum præcedentibus, qui obviam ibunt Regi electo venienti ad fores eccleſiæ Aquiſgranenſis, ubi archiepiſcopus Colonienſis eum recipiet dicens: Adjutorium noſtrum in nomine Domini. Et clerus: Qui fecit cœlum & terram. Archiepiſcopus: Sit nomen Domini benedictum. Miniſtri: Ex hoc, nunc, &c. Archiepiſcopus dicet collectam illam: Omnipotens ſempiterne Deus qui famulum tuum N. regni faſtigio dignatus es ſublimare, tribue ei, quæſumus, ut ita præſentis ſæculi curſum cunctorum in communem ſalutem diſponat, quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. Per Dominum, &c.

Ut templo excipiendus ſit.

Et hac collecta dicta, archiepiſcopi Moguntinenſis & Treverenſis, præſidente archiepiſcopo Colonienſi, ſuſcipiant Regem unus ex uno & alter ex altero lateribus, per manus ipſum ducentes ad chorum Aquenſem: & ſic præcedente archiepiſcopo Colonienſi cum clero, cruce, thuribulo, textu evangeliorum, & reliquiis præcedentibus, clerus cantet: Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, &c. cum verſiculo pſalmi: Si me audieris &c. Et tunc, cum perductus fuerit Rex electus ad chorum, proſternet ſe ſuper tapete poſito ad gradus altaris, & Rex totum ſe proſternet ad longum. Ubi archiepiſcopus Colonienſis ſuper eum proſtratum dicet: Domine ſalvum fac Regem. Oremus. Deus qui ſcis genus humanum nulla poſſe virtute ſubſiſtere, &c. Item. Oremus ſempiterne Deus, qui cœleſtium terreſtriumque moderator famulum tuum ad regni faſtigium dignatus es promovere, &c. His dictis, elevet ſe Rex, & ponat ſe ſuper ſedem regiam, & addatur ei Regina, ſi præſens fuerit, & collocetur juxta Regem in latere ſiniſtro: ac archiepiſcopus Moguntinus a dextro, Treverenſis vero in ſiniſtro latere juxta Reginam ſe ponant. Et tunc archiepiſcopus Colonienſis, induta caſula, celebraturus miſſam dicat: Confiteor Deo omnipotenti, &c quo dicto, incipit miſſa

Locandus in regio ſolio.

*ſolemniter: Ecce advenit dominator. Verſic. * judicium Regi da. Et tunc dicentur duæ collectæ, illa ſcilicet: Deus, qui miro ordine angelorum, &c. de tribus Regibus, ac Alleluja; & ſequens officium totum de tribus Regibus. Lectio Iſaiæ prophetæ. Surge illuminare Jeruſalem, &c. Si autem eſſet tempus quadrageſimale, dimiſſis Alleluja & proſa, cantabitur tractus: Deſiderium animæ ejus, uſque ad verſiculum: Poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Et tunc ſurgat Rex, & depoſito pallio regio, ducetur per archiepiſcopos Moguntinum & Treverenſem ad gradus altaris: & proſtratus in totum in modum crucis, cantetur litania a duobus clericis. In quo loco ſuo erigat ſe archiepiſcopus Colonienſis, qui proſtratus * cum Rege * baculum in manibus ſuis tenens dicet inter cantandum litanias per clerum: Ut hunc famulum tuum N. in Regem eligere digneris. Clerus: Te rogamus, &c. Item archiepiſcopus Colonienſis: Ut eum benedicere † ſublimare † & conſecrare † digneris. Clerus: Te rogamus, &c. Item Colonienſis: Ut eum ad regni & imperii faſtigium feliciter perducere digneris. Clerus. Te rogamus, &c. Deinde illi duo clerici complent litaniam: Ut Pontificem noſtrum, &c. Et finita litania, eriget ſe dominus Colonienſis, & Rex ſimiliter ſe levet. Et dominus Colonienſis a Rege quæret: Vis ſanctam fidem catholicam a ſanctis Apoſtolis traditam tenere & operibus fide dignis ſervare? Reſpondebit ei Rex: Volo. Item Colonienſis quæret: Vis ſanctis eccleſiis eccleſiarumque miniſtris fidelis eſſe tutor & defenſor? Reſpondebit Rex: Volo. Item Colonienſis quæret tertio: Vis regnum Dei tibi a Deo conceſſum ſecundum juſtitiam prædeceſſorum tuorum regere & efficaciter defendere? Reſpondebit Rex: Volo. Item Colonienſis: Vis jura & regna imperii bonaque ejuſdem injuſte diſperſa conſervare & recuperare, ac fideliter in uſus regni & imperii diſpenſare? Reſpondebit Rex: Volo. Item Colonienſis quæret: Vis pauperum & divitum, viduarum & orphanorum æquus eſſe judex & pius defenſor? Reſpondebit Rex: Volo. Item Colonienſis quæret: Vis integerrimo in Chriſto patri & domino Romano Pontifici, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ defenſionem debitam & fidem reverenter exhibere, &c? Reſpondebit Rex, poſitis duobus digitis manus ſuæ dextræ ſuper altare: Volo, & in quantum divino ſuffultus fuero adjutorio & precibus Chriſtianorum adjutus, quantum valuero omnia præmiſſa fideliter adimplebo. Sic me Deus adjuvet, & ſanctum ejus evangelium.*

* Deus

Quæ repetendæ precum formulæ.

Ut Rex ante aram ſe proſternere debeat.

* erat *, &c

Princi-pum populique voluntates de eo admittendo exquiſitæ.

Et tunc reducitur iterum ad altare, ubi dominus archiepiſcopus Colonienſis a principibus Alemanniæ, clero, & populo circumſtantibus quæret, & ſic dicet: Vultis tali principi & rectori vos ſubiicere, ipſiuſ-

Quæ' petita ab eo exigun-tur.

siusque regnum firmare, fide stabilire, atque jussionibus illius obtemperare juxta dictum Apostoli: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, sive Regi quasi præcellenti? ad quam quæstionem archiepiscopi Moguntinensis & Treverensis, principes Alemanniæ, clerus, & populus assistentes respondebunt, dicentes: Fiat, fiat, fiat, Quia tamen Rex non intelligit quandoque Latinum idioma, præmissa per archiepiscopum Colonien sem aut clericos ejus præmissas interrogationes declarabit.

Quibus precibus lustrandus.

Quo facto, Rex prosternet se in longum, & Colonien sis dicet super eum benedictionem. Oremus. Benedic domine hunc Regem nostrum N. qui regna omnium moderaris a sæculo, &c. Item Colonien sis super eum dicet: Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, &c. Post: Amen.

In quibus partibus perungendus.

Iterum erigit se Rex, & dominus Colonien sis unget caput ejus, pectus inter scapulas, & ambas juncturas brachiorum circa scapulas de oleo cathecumenorum, dicens: Pax tibi. Ad quod clerus: Et cum spiritu, &c. Et tunc Colonien sis dicet: Ungo te in Regem de oleo isto in nomine Patris † & Filii † & Spiritus † sancti. Et interea clerus cantet: Unxerunt Salomonem Sadoch sacerdos & Nathan propheta Regem in * Gihon *Syon, & procedentes læti dixerunt: Vivat Rex in æternum. Postea Colonien sis ungat palmas manus dicens: Ungantur manus istæ de oleo sacro, unde uncti fuerunt Reges & prophetæ, & sicut unxit Samuel David in Regem, ut sis benedictus & constitutus Rex in regno isto super populum istum, quem dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum & gubernandum: quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat Deus, &c. Interea clerus iterum cantat. Unxit te Deus, &c. Et factis unctionibus istis statim sint parati capellani domini Regis, & cum lana mundissima detergant omnia loca, ubi oleum appositum est.*

Sacerdotali cultu induitur.

Et tunc ducetur Rex ad armarium, & induetur ibidem sandaliis, alba, stola, ad modum crucis in pectore sine cappa: & ita redeat ad sedem suam circa altare. Et tunc Colonien sis dicet collectam: Prospice omnipotens Deus serenis obtutibus gloriosum Regem nostrum: & sicut benedixisti Abraham, Isaac, & Jacob, &c. Item aliam collectam: Spiritus sancti humilitatis nostræ officio copiose in te descendat. Item alia: Deus, qui es justorum gloria, & misericordia peccatorum, &c. Per omnia sæcula sæculorum, assistentes respondeant: Amen. Colonien sis: Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus, &c. Vere dignum & justum est, &c. Specialem præfationem, ut in ordinario episcopi Colonien sis habetur. Item collecta alia: Quoniam Dei filius Jesus Christus dominus noster, qui a Patre oleo exultationis, &c. His dictis, postea regalia tradentur Regi hoc ordine:

Imploratur illi divinum auxilium.

Quo ritu insignibus regiis exornetur.

& locentur primo ad sinistram altaris in mensa; & tunc Colonien sis, Moguntinensis, & Treverensis simul tradent domino Regi gladium, & dicet Colonien sis: Accipe gladium per manus episcoporum vice & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas tibi regaliter impositum. Hinc accinctus gladio accipiat a domino Colonien si armillas, pallium, & annulum, dicente sibi Colonien si: Accipe regiæ dignitatis annulum, & per hunc catholicæ fidei cognosce signaculum, &c. Postea dominus Colonien sis tradet ei sceptrum & pomum, & dicet: Accipe virgam virtutis & æquitatis. Hinc domini Colonien sis, Moguntinensis, & Treverensis simul supraponent Regi coronam regiam, scilicet Caroli magni, de Nurenberg adductam, & pariter dicant: Accipe coronam regni, &c.

Sacramenti ab eo nuncupandi formula.

Hinc domini Moguntinensis & Treverensis ducent Regem ad altare, & Rex, positis manibus supra altare, hanc professionem faciet in suo vulgari, id est Teutonico, prius tamen in Latino: Profiteor & promitto coram Deo & angelis ejus amodo & deinceps legem & justitiam, pacemque sanctæ Dei ecclesiæ servare, populoque mihi subjecto prodesse, & justitiam facere, & jura regni conservare, salvo condigno divinæ misericordiæ respectu, sicut cum auxilio principum & fidelium regni atque meorum melius invenire potero. Sanctissimo Romano Pontifici & ecclesiæ Romanæ, cæterisque pontificibus & ecclesiis Dei condignum & canonicum honorem exhibere volo. Ea etiam quæ ab Imperatoribus & Regibus ecclesiis seu ecclesiasticis viris collata sunt & erogata, inviolabiliter ipsis conservabo, & faciam conservari. Abbatibus & ordinibus vassallis regni honorem volo portare & exhibere, Domino nostro Jesu Christo mihi auxilium præstante, fortitudinem, & decorem.

Denuntiatur ipsi, non successione, sed electione factum Germaniæ Regem.

Post istam professionem Moguntinensis & Treverensis archiepiscopi ducent Regem ad solium suum, clero cantante officium, quod incipit: Desiderium animæ tribuisti, &c. & versiculum: Qui prævenisti eum. Hinc ducetur Rex superius ad altare Apostolorum Simonis & Judæ in ecclesia Aquensi; & deinde dicet archiepiscopus Colonien sis Regi: Ita retine amodo locum regni, quem non jure hereditario, nec paterna successione, sed principum electorum in regno Alemanniæ, seu verius Romanorum tibi nosras delegatum; maxime per auctoritatem Dei omnipotentis, & traditionem præsentem & omnium episcoporum, cæterorumque servorum Dei, &c.

Qui ritus in Regina sacranda servandi.

His itaque cum Rege peractis, si Rex habuerit Reginam, quæ affuerit, inungatur Regina ante altare coram domino archiepiscopo Colonien si, qui super eam prostratam dicat benedictionem: Omnipotens sempiterne Deus fons & origo totius bonitatis, qui feminei sexus fragilitatem, &c. &

& tunc proiiciat se Regina per modum crucis in longum ante dominum Colonien sem, qui iterum dicat super ea benedictionem: Deus qui solus habes immortalitatem, &c. Hinc detegatur pectus Reginæ per suas pedissequas; & archiepiscopus Colonien sis circa præcordia pectoris Reginæ de oleo sacro unget eam dicens: Spiritus sancti gratia humilitatis nostræ officio in te copiose descendat, &c. Hinc Colonien sis, Moguntinensis, Treverensis archiepiscopi pariter supraponant coronam ad caput Reginæ, dicentes: Officio indignitatis nostræ in Reginam benedictam ponimus coronam regalis excellentiæ. His dictis capellani Reginæ accedant & detergant loca cum oleo deuncta cum lana munda & alba: & postea pedissequæ Reginæ ipsam reinduant. Quo facto, ducatur juxta Regem, & sedeat in latere sinistro Regis, & prius clero cantante. Te Deum laudamus.

Divina res solemni pompa peragenda.

His peractis, legitur evangelium secundum Matthæum: Cum natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis. Deinde dicitur, Credo, Offertorium, Reges Tharsis, &c. Et Rex sceptrum in manu tenens offeret ad altare, ubi missa cantatur: deinde offerat Regina: postea principes Moguntinensis, Treverensis: postea alii principes electores secundum gradum suum. Et procedetur in missa usque ad illum locum: Et pax ejus.

A justitiæ administratione regnum auspicandum.

Completo officio missæ, & mox post electionem Rex confirmet privilegia principum electorum, & juret, quod postquam unctus fuerit & coronatus & diademate imperiali per Romanum Pontificem ornatus, iterum principum electorum privilegia confirmabit. Quibus sic peractis, Rex cum principibus electoribus ingredietur auditorium: & si tunc fuerint aliqua negotia specialia & ardua regni tractanda, illa tractabunt. Et ita Rex ipse processu temporis cum suis principibus a proceribus regnum Romanorum administrabit, pacem conservando, oppressos relevando, injustos reprimendo, & justitiam defendendo in jure; & ita cum Dei adjutorio regnum & regimen sacri Romani imperii feliciter continuando: quod ipse et misericorditer præstet, qui sine fine vivit & regnat per omnia sæcula sæculorum benedictus. Amen. Hac Henricus celebritate perfecta more majorum ad (*a*) imperiale nomen eblandiendum, asserendumque partum ex electorum suffragatione in solium Romanum jus, oratores transmisit: excitatum ad id Henricum fuisse stimulis gloriæ, ut Italicum regnum adipisceretur, imperiumque tot annis squalore obsitum pristino splendori restitueret; tum a Gibellinarum partium sequacibus permotum, pontificiæque benevolentiæ aura excitatum, cum Philippus Rex Francorum ob impositas Bonifacio calumnias, motamque de cremandis ejus ossibus litem, Clementis & Cardinalium animos a se abalienasset; refert subjectis verbis Albertinus Mussatus (*a*).

(*a*) *Albert. Muss. l. x. c. 3.*

Restituendæ imperii amplitudinis volvit consilia.

Henricus hic titulum nactus imperii, universorum principum ferventibus assensibus, & plebis clamoribus, & clericorum antistitum applausibus in sedem augustam delatus est: cujus jugum subiere libentes qui trans & cis Rhenum accolunt, & omnes Theutones, ad hunc se se referentes ut ad perspicuum columen Cæsareæ majestatis, pacata Alemannia, finibusque Aquilonis, usque in oceanum ad majora direxit animum, desuetum jam dudum regnum per fines terræ revivisc ere posse conjectans insignibus argumentis, seque in horum initium coronas utrasque adepturum permetiens, Italorum tentare partes induxit in animum. Consciterat namque plurimas Italiæ civitates per optimatum factiones arcuisse in exilia cives partium schismatibus, quæ hinc Gelphorum sub ecclesiæ, hinc Gibolengorum sub imperii clypeis nomina sibi quondam iuduerant, quarum nonnullæ, & præsertim Longobardorum posse tyrannides sive exiliis, sive coertionum prostigationibus diu marcuerant, cujus rei invidia ad se simile vero erat extorres concurrere. Sicque pacis ingenti suasione alliciendos populos ad cultum novi & specios i nominis imperatoriæ majestatis, nec hujusmodi regiæ virtutis institutum circumspecta refellit opinio. Nam & Tuscorum quidam optimates ex Gibolegis partis antiquæ, nec non ex diversis Gelfis, qui Alborum intolerantia Gibolengi nominis sibi prænomen elegerant, ejusdem propositi complices montes transiliere ad ipsum Regem el ciendum muneribus & subsidiis, ad quæ etiam hortamenta suggessisse acceptum est Albuinum & Canem Veronæ dominatores, quæ res postea successu rerum ludibrio gentibus fuit diminutionis statuum eorumdem confecutione, & gravium pecuniarum exhaustu. His informatus conceptibus & instinctu nobili Clementem Papam, Cardinalitumque cœtum, quos cum Philippo Francigenarum Rege litis causa, quæ pro cremandis olim Bonifacii Papæ ossibus de hæresi accusati Regem urgebat, simultates gerere non ignorabat, accersiri statuit impetraturus coronationis suæ decus, & in actus quoscumque favores ecclesiæ triumphantis.

Italicum Regnum recuperare molitur.

Gibellinorum spe excitatur.

Phil. Regis Franc. odio ecclesiæ fluctibus effertur.

Perfuncti sunt eo munere (*b*) Basilien sis & Curien sis episcopi, delphinus Viennæ, ac Sabaudiæ, Namurci, & Sarapontis comites, quibus Henricus insignes reverentiæ & amoris notis literas dedit, (*c*) quibus Clementem deprecabatur, ut ipsum imperiali inunctione liniret, manibusque pontificiis diadema conferret. Utque petita obtineret, significabat, se oratoribus munus auctoritatemque demandasse, ut regio nomine conceptum quibus vellet verbis fidei sacramentum nuncuparent.

(*b*) *Bern. de Imp. Rom. in Henr. MS. Vat. bibl. sig. n. 2043. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 40. MS. Vat. bibl. sig. num. 3765. de Rom. Pont. in Clem. V.*

(*c*) *Ext. in arc. S. Ang. & l. 8. ep. cur. 75. l. priv. Rom. eccl. to. 3. pag. 81. & MS. Vall. sign. lit. B. n. 12. p. 47. repo in archiv. Avinion. autogr. an. 1594. n. 24. Oratores ad Pont. mittit.*

Sanctissimo in Christo patri & domino suo, domino Clementi sacrosanctæ Romanæ, ac universalis ecclesiæ summo Pontifici, Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, cum reverentia debita devota pedum oscula beatorum.

Qui ea legatione perfuncti.

Cupientes ferventi desiderio vobis patri, ac domino nostro clementissimo, & Apost. sedi zelum nostræ devotionis offerre, nosque vestris & ipsius sedis beneplacitis coaptare, nostroque, & sacri Romani imperii statui sicut expedit providere, venerabiles Othonem Basilien sis, & Sipbridum Curiensis ecclesiarum episcopos principes nostros, & spectabiles viros Amedeum comitem Sabaudiæ affinem nostrum, Joannem dalphinum Viennensem & Albonensem comitem, Guidonem de Flandria consanguineum nostrum, Joannem comitem de Saraponte fideles nostros dilectos, & honorabilem virum magistrum Simonem de Manulla vestrum capellanum thesaurarium Metensem secretarium & familiarem nostrum dilectum, de quorum fide, legalitate, & industria plenam obtinentes fiduciam, fecimus & facimus, constituimus & ordinamus nuncios & procuratores nostros, mandatum nostrum in se sponte suscipientes; ipsosque ad vestram præsentiam pro nostris & imperii negociis specialiter destinantes, damus & concedimus eisdem plenam, generalem, & liberam potestatem, ac speciale mandatum in vestræ sanctitatis præsentia, devotionem & filialem reverentiam, quam erga vos & sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem nostram sinceris affectibus gerimus, exponendi, petendi, procurandi seu impetrandi pro nobis, & nostris favorem & gratiam vestram; nec non tractandi, explicandi, exercendi, promittendi, offerendi seu præstandi in animam & super animam nostram, debitæ vobis & sanctæ Romanæ ecclesiæ fidelitatis, & cujuslibet alterius generis juramentum; & specialiter ad petendum a vobis unctionem, consecrationem, & coronam imperii de sacratissimis manibus vestris nobis impendendum, ac faciendi omnia alia & singula, quæ circa hujusmodi nostra & imperii negotia tractanda, explicanda, exercenda, promittenda fuerint, seu etiam facienda, quæ secundum Deum & honestatem viderint expedire, & quæ ad nos promovendum ad Romanum imperium fuerint facienda: ac etiam requirenda, & cætera facienda, quæ regalis excellentia nostra, faceret & facere posset, etiam in his, quæ mandatum exigunt speciale, & perinde ac si omnes casus, qui mandatum exigunt speciale, essent in præsenti procuratorio specialiter denotati: promittentes nos ratum gratum & firmum perpetuis temporibus habituros quicquid in præmissis, aut circa præmissa per dictos nuncios & procuratores nostros omnes, vel majorem partem eorum, qui præ-

Imperialem coronam jussi a Clem. regio nomine deposcere.

sentes fuerint, expositum, petitum, impetratum, tractatum, promissum juratum seu factum fuerit, aut quomodolibet procuratum. Volumus insuper salvis præmissis, quod prædicti procuratores & nuncii nostri possint omnes insimul, vel major pars eorum facere procuratorium fortius quam fieri poterit nomine nostro & in persona nostra sub sigillis eorum ad prædicta facienda, si defectus aliquis fuerit in prædictis. In cujus rei testimonium præsentes literas scribi, & majestatis nostræ sigillo jussimus communiri. Dat. Constantiæ IV. *non. junii indictione septima anno Domini M. CCC.* IX. *regni vero nostri anno primo.*

Obstringit se Henricus ad rata habenda quæ ab iis gesta fuerint.

XI.

Perfecere imperata ab Henrico oratores, atque deinde in medio purpuratorum patrum consessu, cum a Clemente flagitarent, ut Henricum Regem Romanorum approbaret, Pontifex servato majorum ordine, designatum Regem ut gerendo sceptro virtutibus parem, atque ad imperiale fastigium evehendum confirmavit, tempusque ad eum diademate cingendum constituit, nimirum ab evoluto a festo proximo purificatæ Virginis biennio recurrentem diem, ut referunt Jordanus, (*a*) Bernardus, (*b*) Ptolemæus Lucensis, (*c*) ac Stero (*d*). Apostolica sponsione secundo applausu excepta, Regis Romanorum oratores se Pontifici paratos exhibuere, ut Henrici nomine fidem sacramento devincirent. Qua de re subjectum instrumentum confectum (*e*):

(*a*) *Jord. chr. MS. Vat. sig. n.* 1960. *c.*238. *de Imp. Hen.* (*b*) *Bern. de Rom. Imp. MS. Vat. bibl. sig. num.* 2043. & *chr. Rom. Pont.* (*c*) *Ptol. Luc. hist. concl. MS. l.*24. *c.*40. (*d*) *Stero Altahem. in annal.*

Instrumentum sacramenti præstiti per procuratores suos nomine domini Henrici Regis Romanorum.

In nomine Domini. Amen. Noverint universi hoc instrumentum inspecturi, quod anno Domini MCCCVIIII. die sabati vicesima sexta mensis julii indictione septima, pontificatus sanctissimi patris & domini nostri, domini Clementis divina providentia Papæ V. anno quarto in palatio papali Avinion. videlicet in domo fratrum Prædicatorum ejusdem loci, in qua sanctissimus pater & dominus noster, dominus Clemens divina providente clementia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summus Pontifex tunc residentiam faciebat, in consistorio publico & solemni, in quo erat idem dominus Papa, & cum eo præsentia reverendorum patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalium, & aliorum archiepiscoporum, episcoporum, electorum, abbatum & aliorum prælatorum, ac cæterarum personarum, tam ecclesiasticarum quam sæcularium, maxima multitudo; & venerabilis patris domini Sifridi episcopi Curiensis, ac spectabilium virorum dominorum Amedei comitis Sabaudiæ, Joannis dalphini Viennensis, ac Albonensis comitis, Guidonis de Flandria, Joannis de Saraponte comitis, & discreti viri magistri Simonis de Manulla thesaurari Metenten-

Publicæ de eo ritu perfectæ literæ.

tensis procuratorum & nunciorum serenissimi principis domini Henrici Regis Romanorum illustris ad infrascripta constitutorum, prout inferius continentur; postquam idem dominus summus Pontifex, solemnitate debita præcedente, prædictum dominum Henricum in Regem electum, in Imperatorem postmodum promovendum, reputavit, nominavit, & declaravit Regem, exigente justitia, Romanorum; & personam ipsius approbans, pronunciavit eam & declaravit esse sufficientem, habilem, & idoneum ad imperium obtinendum, & eidem ad recipiendas unctionem, consecrationem & imperialis diadematis impositionem de manibus suis sanctis, certos locum & terminum assignavit: & ad præstandum juramentum ipsi domino summo Pontifici, & ecclesiæ Rom. in animam & nomine dicti Regis, quod dicti sui procuratores & nuncii eidem domino Papæ se frequenter obtulerant præstaturos, fuit hoc modo processum.

Lectæ in consist. Henric. Regis literæ.

In primis quidem venerabilis pater dominus Bertrandus episcopus Albiensis domini Papæ camerarius publice, ac clara voce legit quandam patentem literam magno sigillo dicti domini Regis pendenti signatam, procuratorium seu potestatem dictorum procuratorum seu nunciorum plenarie continentem, cujus literæ de verbo ad verbum, nil addito vel mutato, tenor dignoscitur esse talis.

Subiiciuntur Henrici ad Clementem literæ, quas superius opportuniori loco attulimus. Quibus perlectis, ac perspecta oratoribus obstringendæ fidei demandata auctoritate, Neapoleo Cardinalis sacramenti formam suis conceptam verbis proposuit, ex qua ii jurejurando ad tuendum pontificium honorem, servanda sedis Apostolicæ jura, non affectandam ditionem ecclesiasticam, comprimendos ecclesiæ hostes se devinxere; atque Henricum ea omnia repetito sacramento in ipsa imperialis inunctionis celebritate confirmaturum spopondere. Cujus rei gestæ seriem ex iisdem publicis monumentis decerpimus.

XII.

Perlecta sacramenti forma, qua ii se obstricturi erant.

Deinde, nimirum post Regis Romanorum literas in consistorio repetitas, *reverendus pater dominus Neapoleo S. Adriani diaconus Cardinalis publice legit quandam cedulam continentem formam juramenti, quod dicti procuratores & nuncii domino Papæ, ac ecclesiæ Romanæ in animam & nomine dicti Regis præstare debeant. Qua lecta secundum formam illam dicti procuratores & nuncii juramentum hujusmodi præstiterunt in modum sequentem: Nos Sifridus Curiensis episcopus, Amedeus comes Sabaudiæ, Joannes delphinus Viennensis & Albonensis comes, Guido de Flandria, Joannes comes de Saraponte, & Simon de Manulla thesaurarius Metensis nuncii & procuratores serenissimi principis Henrici Romanorum Regis, habentes ad omnia infrascripta plenam & generalem ac liberam potestatem, & speciale mandatum ab eodem, prout constat per prædictas patentes literas ipsius, vobis sanctissimo patri & domino, domino Clementi divina providente clementia Papæ quinto vice & nomine dicti domini nostri Regis & in animam ipsius promittimus, & juramus per Patrem & Filium & Spiritum sanctum & per hæc sancta Dei evangelia, & per hoc lignum vivificæ crucis, & per has reliquias sanctorum, quod nunquam vitam aut membra, neque ipsum honorem quem habetis, sua voluntate, aut suo consensu, aut suo consilio, aut sua exhortatione perdetis; & in Roma nullum placitum, aut ordinationem faciet de omnibus, quæ ad vos pertinent aut Romanos, sine vestro consilio & consensu: & quicquid de terra ecclesiæ Romanæ pervenit ad ipsum, aut perveniet, vobis reddet quam citius poterit: & quandocumque in Lombardiam & Tusciam aliquam mittet pro terris & juribus suis gubernandis, quoties mittet eum jurare faciet illum, ut adjutor vester sit ad defendendum terram S. Petri & Romanam ecclesiam secundum suum posse: & si permittente Domino dictus dominus noster Rex Romam venerit, sanctam Romanam ecclesiam & vos rectorem ipsius & successores vestros exaltabit secundum suum posse: & cum Romæ vel alibi per vos in Imperatorem coronandus fuerit dominus noster Rex prædictus, dictum sacramentum & aliud fieri consuetum ad requisitionem vestram tempore coronationis suæ personaliter renovabit, &c.*

Quibus verbis concepta fuerit.

His consentiunt historici. Ad quæ illustranda Bernardum paucis verbis hæc omnia complectentem afferendum ducimus: *Anno*, inquit, (*a*) *Domini MCCCIX. veniunt nuncii solemnes & ambaxatores Regis Alamanniæ Henrici ad Papam apud Avinionem, scilicet tres comites & duo episcopi, petentes confirmationem electionis & coronationis imperii ab ipso Papa sibi dari. Papa vero ejus electionem admisit & confirmavit in Avinione mense julii subsequenti, volens ipsum nominari Regem Alamanniæ & Romanorum, & quod posset agere quæ Regis erant: & coronationem imperii promisit, tempus eidem assignans, ut a festo purificationis ad duos annos Romam veniret, coronam ibidem imperii recepturus.*

Succincta Bernardi de re gesta narratio.

(*a*) *Bern. chr. Rom. Pont. & in lib. de Rom. Imp. MS. Vat. bibl. sign. n.*2043. *MS. Vat. bibl. sig. n.*3765. *Ptol. Luc. hist. eccl. l.*24. *c.*40.

XIII.

His solemni more perfectis, Clemens gesta in purpuratorum patrum senatu apostolico diplomate sanxit, ut Albertinus Mussatus narrat: locutus enim de petito imperiali diademate subjungit (*b*): *Quod & facile sui obtinuere legati, literis patentibus termino ad hoc in certam diem præfixo, constitutione solemni emologata electione cum sacræ benedictionis præ-*

(*b*) *Alb. Muss. l.*1. *c.*3.

comio,

tonio, cui & diadematis appositioni se ipsum Romæ in sedem pontificalem compariturum & effecturum despondit. Inscriptæ sunt Henrico eæ literæ (*a*) de asserta ipsi regia dignitate, promissisque imperialibus apicibus, quibus Clemens rei gestæ seriem exponit, ut una cum Cardinalium collegio diligenti discussisset examine, an pares virtutes ad regium nomen decusque imperiale sustinendum afferret; cumque ipsum necessariis tanto muneri ornamentis pollere comperisset, suffragio apostolico Regem renuntiasse, atque imperiale diadema illi conferendum decrevisse: verum cum indicti a se concilii œcumenici tempus immineat, ipseque gravissima negotiorum ad Christiani nominis decus spectantium mole sit implicitus, e quibus nec se expedire facile, neque ea abrumpere sine ingenti periculo posset, imperialis inunctionis celebritatem ad biennium distuliisse: interea præcipere omnibus Romani imperii populis ac proceribus, ut illius jussis obtemperent, meritisque officiis complectantur. Tum ad reponendam in defendendo honore ecclesiæ, quam sibi addictam senserat, gratiam adhortatur, ac saluberrimis aliis monitis, ut sceptrum pie ac magnifice sustentarent, informat.

(*a*) *Lib. 1. ep. com. 571.*

Confirmata Henrici creatio, sed coronatio auguſtalis dilata.

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Henrico Regi Romanorum illustri.

Nuper venerabiles fratres nostri... Basilienſis & ... Curienſis episcopi, & dilectus filius nobilis vir Amedeus Sabaudiæ, Joannes dalphinus Viennenſis, & Albonenſis comes, Guido de Flandria, Joannes de Saraponte comes, & magister Simon de Marvilla thesaurarius ecclesiæ Metenſis ambasciatores, procuratores, & nuncii tui ex parte tua cum pleno sufficienti mandato, prout per tuas patentes literas magni tui sigilli appensione munitas nobis extitit facta fides, ad nostram præsentiam destinati, coram nobis & fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus in publico & solemni consistorio nomine tuo & omnium principum, in Regis in Imperatorem postmodum promovendi electione, voces habentium, tam de consuetudine quam de jure, proposuerunt inter cætera coram nobis electionem de te ad prædictum regnum, & ad imperium postmodum promovendo ab omnibus principibus, vocem in hujusmodi electione habentibus, fuisse concorditer & legitime celebratam, teque electioni hujusmodi consensisse, & alias solemnitates recepisse Aquisgrani, quas prædecessores tui recipere, consueverunt ibidem. Ex his emendandus S. Antoninus, qui præposterо ordine post confirmationem obtentam a Clemente Henricum Aquisgranum iter intendisse ait, (*b*) ut a Colonienſi archiepiſcopo corona cingeretur; *supplicantes instanter, ac inter alia humiliter postulantes, tibi unctionem & consecrationem per nostras manus impendi, & te in Imperatorem Romanorum, advocatum & defensorem ecclesiæ imperiali diademate coronari, & ad hoc tibi certos locum & terminum assignari, & alias tibi concedi per sedis Apostolicæ favorem & gratiam consuetos.*

Pontificiæ ad Henricum ea de re lit.

(*b*) *Ant. 3. p. tit. 22. c. 2. in princ.*

Postulant ejusdem nomine imperiale diadema.

Nos igitur præmissis per eosdem ambasciatores propositis diligenter auditis, necnon prædicto mandato, electionis quoque prædictæ decreto cum prædictis fratribus diligenter inspectis, plenaque deliberatione discussis, factaque nobis de hujusmodi electione concordi & legitima plena fide; examinatione quoque de persona tua in eorundem fratrum præsentia per nos facta, in quantum te absente fieri potuit, super conditionibus omnibus, quæ requiruntur in illo, qui est ad imperialis culminis apicem sublimandus; quia ab olim nos & fratres nostri ex frequenti, & familiari conversatione tua, & magnorum ac proborum virorum testimonio indubitato & certo excellentiam tuam fore percipimus magnarum virtutum gloriosis titulis insignitam, discretionis immensitate sublimem, providentiæ maturitate fœcundam, devotionis claritate conspicuam; quodque in ea adeo prompti viget intellectus prosperitas, veritatis dilectio & constantis fortitudinis firmamentum, ut tantarum virtutum castris in ipsa regnantibus sublimium honorum extolli fastigiis rationabiliter mereatur; te charissimum filium nostrum Henricum in Regem electum deputamus, nominamus, denuntiamus, & declaramus Regem Romanorum de ipsorum fratrum consilio, justitia exigente; tuamque personam tot excellentium meritorum claritate suffultam approbamus, pronuntiamus, & declaramus plene sufficientem & habilem ad suscipiendum hujusmodi imperialis celsitudinis dignitatem: decernentes & pronuntiantes, unctionem, consecrationem, & imperii Romani coronam tibi per manus nostras debere concedi loco & tempore opportunis, ad quæ ex nunc nos offerimus paratos: magnitudini tuæ nihilominus concedentes nostrum & Romanæ ecclesiæ favorem & gratiam consuetos; præcipientes ex nunc omnibus subditis tuis, quod tibi tanquam Regi Romanorum vero, & per sedem Apostolicam approbato ad imperium obtinendum, efficaciter pareant & intendant.

Discussum a se fuerit cum Cardd. an gerendo imperio par foret.

Perspectis illius virtutibus Regem Roman. pronuntiat.

Jubet imperii clientes ipsi obtemperare.

XIV.

Et quia tam pro generali futuro concilio, quod jam mandavimus convocari, quam pro aliis arduis & inevitabilibus fidei Christianæ negotiis multa nobis imminent necessario facienda, quæ non possent absque gravi periculo universalis ecclesiæ prætermitti, ante quorum expeditionem, alia ponderosa implicare negotia, vel explicationi ipsorum intendere commode non possimus; ut urgentibus ad præsens negotiis utiliter expeditis, annuente Deo votis tuis & postu-

lationibus tam feliciter, quam celeriter satisfiat, celsitudini tuæ ad unctionem, consecrationem, & coronationem imperii Romanorum de manibus nostris in basilica principis Apostolorum de Urbe, Deo auctore, sumendas festum purificationis B. Mariæ, quod erit usque ad biennium, computandum a proximo futuro festo purificationis ejusdem, tibi de ipsorum fratrum consilio assignamus. A dictis quoque procuratoribus & nunciis tuis, habentibus super hoc plenum & speciale mandatum, in animam tuam, prout ipsi nobis frequenter obtulerant, recepimus debitum juramentum.

Imperialem inunctionem ad biennium extrahit.

Paterna ad Henricum exhortatio.

Euge igitur, fili charissime, recognosce humiliter tui beneficia Creatoris, ejus beneplacitis te coapta, dirige vias tuas in semitis mandatorum ipsius, ejus ministros honora, immo ipsum in illis; honora ecclesiam matrem tuam, longevitatem namque vitæ, parentum etiam temporalium honorificatio pollicetur. Recogita diligenter & tenaci commenda memoriæ, quam gratiosam tam olim in multis casibus, quam nunc in nunciorum tuorum expeditione celeri & felici Romanam ecclesiam invenisti: & ideo ipsam, ejus & aliarum ecclesiarum honorem & jura dilige, protege, & conserva, pacem dilige, Regem imitando pacificum. Firma justitia thronum tuum, illam sectare, fructus enim justitiæ pax illa, si ante te ambulet, gressus tuos ponens in via tibi ab invio præcavebit. Nec te clementia deserat, quæ amicos & devotos multiplicans ad imperii adiicit firmitatem. Age viriliter & semper cor tuum in Domino confortetur. Dat. Avinioni VII. *kal. aug. anno* IV.

XV.

Dum hæc ab Romano Pontifice decernebantur, proceres populique in Pannonia Gentilis tituli sancti Martini in montibus presbyteri Cardinalis atque Apostolicæ sedis legati opera mutuo nexu ac fœdere post diuturnas dissensiones devincti sunt. Ad delenda enim veterum discordiarum semina, atque ad temperandam optimis institutis Ungariam habiti sunt Budæ ab eodem legato, Clementis V. auctoritate, solemnes præsulum ac procerum conventus, in quibus, consentientibus omnibus ordinibus, egregiæ constitutiones sancitæ sunt, (*a*) quarum præcipuæ nobis tantum leviter delibandæ. In primis pro alenda publica pace omnes, qui adversus Carolum Regem conjurarent, non modo politicis legibus plectendos, sed etiam nonnullis pœnis ecclesiasticis, quæ ipsos etiam posteros irretirent, afficiendos decrevit.

(*a*) *Ext. in l. priv. Rom. eccl. to. 1. pag. 192. & in MS. Vall. sig. lit. B. n. 12. pag. 505.* Latæ in Regis Caroli conspiratores sententiæ.

Præsenti decreto de consensu præsentis concilii duximus statuendum, ut si quis in hoc flagitii genus irrepserit, quod in dominum Carolum illustrem Regem Ungariæ manus violentas injecerit, aut aliquod in personam ipsius nocumentum procuraverit, vel socius fuerit facientis; aut fieri mandaverit, vel consilium dederit aut favorem, seu receptaverit scienter eundem; præter pœnas, quas dictæ leges reis hujusmodi criminis ingerunt & infligunt, omnibus feudis, gratiis, privilegiis, indulgentiis, & beneficiis spiritualibus & temporalibus, eis ab ecclesia quacumque concessis, sit privatus & perpetuo spoliatus. Et nihilominus vasalli, comites, castellani, Jobagiones & alii officiales ipsius a fidelitate, homagio, obedientia, & alia qualibet præstatione, qua ei tenebantur astricti, juramento, vel quacumque alia firmitate vallata, eo ipso sint absoluti & liberi præsentis auctoritate decreti. Et ut tanti criminis ultio feratur non solum in actores scelerum, sed in progeniem damnatorum, cum dignum sit, ut nefandi ratione flagitii ultionis severitas amplius extendatur, & propter enormitatem delicti pœnarum modus exuberet; præsenti adiicimus sanctioni, quod nulli talium filiorum aperiatur janua dignitatis ecclesiasticæ vel honoris, immo perpetuo ad quodlibet ecclesiasticum ministerium præsentis constitutionis auctoritate reddatur inhabilis, nec ad aliquod ecclesiasticum beneficium, nisi per dispensationem sedis Apostolicæ vel legati de latere, possit quomodolibet reassumi. Publicata ut supra, nimirum Budæ, VIII. *idus maii.*

XVI. Corona regia Ungarica cur sancta vocata.

Promulgata alia est sanctio gravissima de corona regia, quam sanctam vocabant, eo quod S. Stephanus Ungariæ Rex a Pontifice Romano acceptam gestasset, tantæque apud Ungaros venerationi erat, ut simplices jus regium in ea corona situm putarent. Quæ opinio cum antea Wencellao Rege Boemiæ, dein Othone duce Bavariæ, demum Ladislao Wayvoda ea potitis graves tumultus peperisset; legatus Cardinalis decrevit, eam profanam habitum iri, nisi a Wayvoda constituto tempore restitueretur, aliamque Carolo Regi lustratam sacra prece ab Romana ecclesia in prioris locum ejusdem dignitatis tradendam: *De consilio*, inquit, *& assensu venerabilium in Christo Patrum & dominorum archiepiscoporum, episcoporum, & baronum regni prædicti præsentium duximus statuendum, quod corona præfata, quæ per nobilem virum Ladislaum Voyvand detinetur ad præsens, nisi usque ad proximum futurum concilium, in præsenti concilio ordinatum, nobis libera & expedita restituta fuerit, ex nunc præsentis constitutionis vigore sit penitus interdicta, & pro interdicta, profana, & reproba tamdiu ab omnibus habeatur, quamdiu per ipsum Ladislaum, vel quemcumque alium sic detenta fuerit, & quousque ad manus nostras, seu legitimi Regis vel Albensis ecclesiæ, ad quam spectare dignoscitur, libere fuerit restituta; & quod alia fabricetur, quæ per nos nomine Romanæ ecclesiæ*

Decretum quandiu in Ladislai Wayvodæ fuerit potestate profanam censendam.

Ni constituto tempore restituta sit, aliam Rom. ecclesiæ nomine Carolo tribuendam.

siæ eidem Regi & regno donetur, & per nos seu auctoritate nostra benedicatur solemniter: qua in locum succedente prioris, dictus Rex successoresque sui coronentur, eamque auctoritate nostra, ut prædicitur, benedictam, tam Rex & successores prædicti, quam barones & nobiles, ac populus universus pro vera & legitima corona perpetuo recipere debeant & habere: juris enim declarati existit, quod in locum alterius eadem auctoritate surrogata res quælibet, jure, quo illa, censeatur eodem, illiusque generaliter sortiatur naturam, in cujus locum substituitur & honorem.

Ea deperdita vel detenta aliam a Rom. ecclesia postulandam.

Quod si corona præfata rehabita, seu alia fabricata, & auctoritate nostra benedicta, de novo occupari, abscondi, deperdi, vel sic deficere, quod ad usum debitum non possit haberi, quoquo modo contingat, volumus quod per venerabiles in Christo patres dominos Strigoniensem & Colocensem archiepiscopos, de consilio & consensu omnium vel majoris partis suffraganeorum suorum, interdicant sic occupata vel perdita, quousque occupatione cessante, prædicta corona eadem in Albensi ecclesia reposita fuerit, seu Regi legitimo liberaliter restituta: & alia similiter nomine Romanæ ecclesiæ fabricetur & benedicatur, quæ taliter benedicta, pro vera & legitima habeatur ab omnibus, ut de benedicenda auctoritate nostra superius est statutum. Si autem præfati archiepiscopi se concordare, vel consensum majoris partis suffraganeorum suorum habere nequiverint, super eo, quod fieri debeat, sedes Apostolica consulatur; totiesque prædicta juxta modum superius declaratum fieri possint & debeant, quoties eventus necessitatis suaserit sic agendum.

Incussum anathema sacram illam coronam invadenti.

Cupientes insuper ut quos reverentia Dei, amorque virtutis a malo non revocat, formidine saltem pœna perterriti assuescant odisse peccatum, statuimus ut si quis deinceps in eam temeritatem proruperit, quod præfatam sacram coronam seu eam vel eas, quas illius loco surrogari contigerit, per se vel alium, publice vel occulte, furtive surripiat, vel per violentiam occupet, seu in læsionem & damnum legitimi Regis, qui pro tempore fuerit, aut regni ejusdem quoquo modo detineat vel usurpet, surripienti, occupanti, detinenti, vel usurpanti prædictis sub quovis colore quæsito auxilium, consilium dederit, vel favorem, cujuscumque præeminentiæ, status, & conditionis existat, eo ipso sententiam excommunicationis incurrat: & si quidem prædicta vel eorum aliquod publice fecerit, seu fautor fuerit facientis, omnibus feudis, concessionibus, privilegiis, vel quibuscumque gratiis, quæ a Romana vel alia quacumque ecclesia obtineat, sine spe restitutionis præsentis constitutionis vigore perpetuo sit privatus. Si vero clericus fuerit, dignitatibus, ecclesiis, & beneficiis omnibus, quæ obtinet, se privatum & ad obtinendum inhabilem, & nihilominus excommunicationis sententiam, etiamsi episcopali & suprema dignitate præfulgeat, incurrisse se noverit ipso facto. Si autem universitas fuerit, interdicto, & nihilominus universitatis ejusdem principales auctores excommunicationi subjaceant: & demum nisi sic offendentes resipuerint, cum Dathan & Abiron (quos terra vivos absorbuit) accipiant portionem. Nullus insuper, præterquam in mortis articulo & satisfactione præmissa, a dicta sententia excommunicationis absolvi, nec interdictum ipsum relaxari valeat sine Apostolicæ sedis, vel nostra licentia speciali. Publicata ut supra, nimirum Budæ, VIII. idus maii.

Objectæ aliæ pœnæ.

XVII. Caroli Regis Sicil. mors. (a) Ber. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sign. n. 3765. (b) Jord. MS. Vat. bibl. sig. n. 1960. c. 234. (c) Jo. Vill. l. 8. c. 108. (d) Ant. 3. p. tit. 21. c. 9. §. 1. (e) Jo. Vil. ubi sup. Coll. hist. Neap. l. 5. Pater erat S. Ludovici epis. Indulgentiæ pro illius anima oraturis concessæ. (f) Lib. 5. ep. com. 206. Regina id beneficium a Pont. flagitarat.

Cœperat Ungaria latis a legato apostolico optimis constitutionibus ad pristinum splendorem reflorescere sub Rege Carolo, cum illius avus paternus ejus nominis secundus Siciliæ Rex e vivis excessit, de quo hæc Bernardus: (a) *Anno Domini MCCCIX. quinta die introitus maii obiit Carolus II. Rex Siciliæ, comesque Provinciæ, filius quondam primi Caroli Regis Siciliæ, regni sui, computando ab obitu patri sui,* XXV. Quibus consentanea tradunt Jordanus, (b) Joannes Villanus, (c) & S. Antoninus, (d) illumque in senectute laudes regias incontinentiæ vitio (e) fœdasse, sed par est credere divinam misericordiam sanctissimi ipsius filii Ludovici, qui fastu regio conculcato D. Francisci humilitatem sectatus erat, precibus placatam flexisse Carolum ad expianda lacrymis scelera: pro cujus etiam anima levanda illius uxor Regina Maria plurimas preces apud Deum effudit, obtinuitque a Clemente Papa sequenti anno, ut fideles ad exhibendum illud viro pietatis officium pelliceret, indulgentiarum præmia iis erogari, (f) qui pro eripienda flammis purgatoriis illius anima sacras orationes Deo porrexissent.

Clemens, &c. universis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis.

Cum claræ memoriæ Carolus Rex Siciliæ, qui dum viveret, fidelitatis constantiam, obsequendi promptitudinem, & devotionis affectum impendere fideliter studuit ecclesiæ matri suæ in terra morientium positus, & justis operibus fidei tenuerit salutiferum sacramentum, & dormitationem accipiens optimam repositam gratiam habere credatur; nos charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Reginæ Siciliæ illustris relictæ dicti Regis viduæ precibus annuentes, volentes ut ii, qui pro salute animæ dicti Regis apud Deum orationibus devotis instabunt, lætitiæ dona offerant & salutis, omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui pro anima prædicti

dicti Regis devote Deum oraverint, pro singulis diebus, in quibus hujusmodi orationes ad Deum effuderint, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi viginti dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus post quinquennium minime valituris. Dat. Aven. III. non. februarii anno V.

XVIII. Controversia de Siculi sceptri successione inter Robertum & Carolum Reg. (a) *Annal. to.* XIV. *Ann. Chr.* 1297. *n.* 53. Robertus Sicilia potitur.

Exorta est extincto Carolo haud levis de regni successione inter Robertum Caroli tertium natu filium & Carolum Ungariæ Regem, quem Siculi regni jura, utpote ex Carolo Martello majori natu Regis Siculi filio oriundum respiciebant. Sed Bonifacii VIII. constitutio adversabatur Carolo, qua ad sopienda bella imminentia a Carolo II. Regem consultus sanxerat, (a) ut is Siculo sceptro succederet, qui proximo gradu Regem Siculum eo tempore, quo e vivis exeederet, habita in eodem gradu ætatis ratione, attingere compertus esset. Cum vero S. Ludovicus episcopus Tolosanus secundus natu defuncto Carolo Martello melioris regni spe caducum sceptrum immortali commutasset, Roberti causa vicit (b) Clementis Pontificis auctoritate, cum id Siculæ rei conduceret, tum ob Roberti sapientiam ac scientiam militarem, tum ne Carolus, qui vix Ungarico regno sufficeret, alterius regni mole obrueretur: cum maxime ea regna disjuncta essent, bellisque gravissimis sæpius fluctuarent. Ut vero postea post Roberti mortem inter utriusque posteros ea recruederit controversia, atque in bellum funestum eruperit, suo loco dicetur.

(b) Pandul. Coll. 5. hist. Neap.

Jam cœptam de Roberto orationem prosequamur, de cujus auspiciis hæc Bernardus (c): *Successit in regno & comitatu Robertus filius ejus, qui fuit coronatus & unctus in Regem per Clementem Papam V. apud Avinionem dominica prima sequentis augusti anno Domino prætaxato.* Adstipulantur his Jordanus (d) aliique auctores. De Roberti tamen successione in regno Siculo dissentit a Bernardo Jo. Villanus (e) in designando perfectæ regiæ inunctionis die, dum ait Robertum junio mense Neapoli magno procerum comitatu, triremiumque apparatu in Provinciam vectum ad Clementem se contulisse, atque ab eo festo Deiparæ natalitio die diademate solemni ritu exornatum. Constat certe ex Roberti literis ipsum die vigesima sexta mensis augusti hujus anni Avenione Pontificis beneficio atque auctoritate Siculum sceptrum capessere professum esse, fidemque suam concepta subjectis verbis formula (f) obstrinxisse.

(c) Bern. chr. Rom. Pont. MS. Vat. sign. & n. 3675. Regia inunctione a Clemente linitur. (d) Jord. MS. Vat. sig. num. 1960. (e) Jo. Vill. l. 8. c. 112. (f) Extat apud Clem. l. 4. ep. com. 999. & in arce S. Ang. in l. priv. Rom. eccl. to. 3. p. 297. inter Coll. Plat. to. 1. pag. 335. & in MS. Vall. bibl. sig. lit B. n. 12. p. 319.

In Nomine Domini. Amen. Ego Robertus Dei gratia Rex Siciliæ ad honorem Dei omnipotentis Patris & Filii & Spiritus sancti & beatæ gloriosæ virginis Ma-

In illius verba jurat. Sacramenti formula.

riæ, beatorum quoque Apostolorum Petri & Pauli, & ecclesiæ Romanæ ligium homagium facio tibi domino meo Clementi Papæ V. tuisque successoribus canonice intrantibus, & ipsi Romanæ ecclesiæ pro regno Siciliæ & tota terra, quæ est citra pharum usque ad terrarum confinia ejusdem ecclesiæ: quæ utique regnum & terram, excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus districtibus & pertinentiis suis secundum antiquos fines territorii, pertinentiarum, & districtus civitatis ejusdem, per Romanos Pontifices distinctos vel in posterum distinguendos claræ memoriæ domino Carolo Regi Siciliæ avo meo & heredibus suis quorum ego heres existo, prædicta ecclesia Romana concessit: & recognosco & fateor, quod inter Romanam ecclesiam & prædictum avum meum conditiones, conventiones, modus & forma, ac pacta infrascripta intervenerunt, & fuerunt apposita in concessione regni sibi suisque heredibus per Romanam ecclesiam facta, seu auctoritate ipsius in prædicta concessione, pertinentia, seu spectantia ad personas eorum, qui successuri erant ipsi avo meo suisque heredibus in terra & regno prædictis & eorum qui in eisdem successuri sunt mihi meisque heredibus: nec non ad successionem, vel formam, seu modum succedendi ipsi avo meo suisque heredibus, & mihi meisque heredibus in regno & terra præfatis. Quæ omnia & singula tamme, quam meos in dictis regno & terra heredes servaturos promitto, & contra ea non venturos, quæ talia sunt. Si in nostro vel heredum nostrorum obitu legitimum, prout subsequitur, heredem nos aut ipsos, quod absit, non habere contigerit, regnum ipsum ad Romanam ecclesiam, ejusque dispositionem libere revertatur, &c.

Profitetur ecclesiæ benecentia datum avo regnum.

Pactiones cum Carolo I. initas firmat.

Eædem pactiones sunt iisdem conceptæ verbis, quæ a nobis in XIV. tomo (g) allatæ sunt, quarum postrema hæc est.

(g) A. C. 1265. n. 14. & an. 1289. n. 2. &c. XX.

Promitto etiam quod nullam confœderationem, seu pactionem, vel societatem cum aliquo Imperatore, vel Rege, seu principe vel Saraceno, Christiano, vel Græco, aut cum aliqua provincia, seu civitate, aut communitate, vel loco aliquo scienter contra Romanam ecclesiam, vel in damnum ecclesiæ faciam: & si etiam fecero ignoranter, tenear & promitto ad mandatum ecclesiæ revocare. Denique omnes præmissas conditiones, quæ in persona mea apponuntur, circa meos etiam in regno ipso heredes & successores volo & intelligo esse dictas, salvis omnibus, quæ circa alios heredes meos ordinata constitunt, prout superius est expressum. Ego etiam do hoc privilegium, seu literas præsentes tibi domino Papæ & Romanæ ecclesiæ memoratis aurea bulla bullatum seu bullatas, in quo vel in quibus proprio juramento fateor & recognosco expresse, regnum Siciliæ & totam

Heredes iisdem obstrictos pacisci-tur.

XIX.

terram, quæ eſt citra pharum, uſque ad confinia terrarum Romanæ eccleſiæ (excepta civitate Beneventana cum territorio & pertinentiis eius, quæ, ut dictum eſt, eccleſiæ remanebit eidem) ex ſola gratia & mera liberalitate ſedis Apoſtolicæ ſæpedicto avo meo, mihi, meiſque heredibus in feudum fore conceſſa; meque habere & tenere regnum & terram hujuſmodi a dicta Romana eccleſia in feudum pro me meiſque heredibus in dictis regno & terra ſub pactis & conditionibus, forma, modo, & conventionibus prædictis, & ſub aliis, quæ in literis felicis recordat. Clementis Papæ IV. plenius continentur, exceptis duobus capitulis infraſcriptis.

XXI.

Cæterum ut præmiſſa omnia & ſingula, & inſuper ut conditiones, conventiones, & pacta, quæ inter ſanctam Romanam eccleſiam & ſæpedictum claræ memoriæ avum meum intervenerunt, ſeu fuerunt appoſita tempore, quo ſæpedicta terra & regnum pro ſe ſuiſque heredibus conceſſa fuerunt in feudum, prout in literis felicis recordationis Clementis Papæ IV. plenius continentur, illibata perpetuo maneant & inconcuſſam ſemper obtineant firmitatem; ipſa omnia & ſingula juro duobus exceptis nude capitulis, uno de quinquaginta millibus marchis ſterlingorum, & earum ſolutione, ſanctæ eccleſiæ debitis ex conventionibus memoratis per jam dictos parentes meos & me heredem ipſorum, remiſſis mihi meiſque heredibus in perpetuum, & donatis per ipſam eccleſiam & vos clementiſſimum dominum meum dominum Papam Clementem cum conſilio & aſſenſu dominorum Cardinalium, de mera liberalitate veſtra, & ſpeciali gratia relaxatis, & de eis ſummis ego & mei heredes de nexu cujuſlibet obligationis aut pœnalis promiſſionis, quibus eſſemus aſtricti propterea, in perpetuum abſoluti & exinde quietati: alioque capitulo de perſonalibus jam dicto avo meo impoſitis, de habendis per eum mille militibus ultramontanis cum certo equitaturarum & baliſtariorum numero, & veniendo ad proſecutionem negotii dicti regni in ſtatutis terminis & præfixis, & ſub certarum interminatione pœnarum, quia hæc eſſe conſtat impleta. Et per ſtipulationem ſolemnem promitto, quod plenarie adimplebo & inviolabiliter obſervabo, nec ullo unquam tempore veniam contra illa. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei evangelia. In prædictorum autem teſtimonium, perpetuamque memoriam præſens ſcriptum exinde confici juſſi, & aurea bulla regiæ majeſtatis impreſſa typario communiri. Dat. Avin. anno Domini MCCCIX. die XXVI. *menſis auguſti ſeptimæ indictionis, regni mei prædicti anno* I. Quo porro ritu memorata clientelaris ſponſio a Roberto Rege Clementi exhibita fuerit, extat illius deſcriptio inter inſignia monumenta, quæ Nicolaus Cardinalis Aragoniæ collegit (*a*).

Remiſſa Roberto L. mill. march. jure inveſtituræ debita.

Exceptæ nonnullæ leges jam completæ.

Qui ritus in nuncupando ſacramento ſervati.

(*a*) MS. arch. Vat. ſign. n. 448. pag. 16.

Modus faciendi homagium domino Papæ de regno Siciliæ, quando confertur Regi.

Notandum, quod modus, qui conſuevit in præſtatione homagii hujuſmodi fidelitatis juramenti obſervari eſt, quo leguntur primo per extenſum omnia pacta & conventiones factæ pro conceſſione regni Siciliæ, uſque ad finem ab illo loco: Carolo Regi Siciliæ; uſque ibi: Datum Romæ, vel Avenione. Poſtmodum prior diaconorum in vulgari omnia vel ſaltem ſubſtantiam omnium exponit: & hoc neceſſarium eſt, quod exponat de verbo ad verbum in vulgari forma, quæ hic eſt: Ego Carolus, &c. uſque ibi inclusive: Et ſancta hæc Dei evangelia; & ſubjungat in vulgari: Sicut ego dixi & dominus noſter ſane intellexit, ſic vos juratis? Ita Deus vos adjuvet, & hæc ſancta Dei evangelia. Et Rex repetit more ſolito: Sicut vos dixiſtis, &c. Ponat manum ſupra librum, & oſculetur. Et nota, quod Rex ſtat genuflexus cum computatur prædictum juramentum per diaconum, & cum jurat. Fit poſtmodum ſtipulatio per Papam, vel notarium nomine Papæ & Romanæ eccleſiæ de pactis & conventionibus & ſacramentis obſervandis, quæ Rex promittit per hujuſmodi ſolemnem ſtipulationem. Surgit Rex, & genuflexus ponit ambas manus ſuas inter manus Papæ ſedentis, & dicit Papa: Tu facis eccleſiæ Romanæ ligium homagium, ut lectum eſt, & Cardinalis computavit? Ille reſpondet, quod ſic. Et Papa dicit: Nos ita te ad homagium recipimus. Oſculatur Rex pedem Papæ, & ad oſculum recipitur.

Ut Rex provolvat ſe in genua.

Manus inter pontificias teneat.

Deoſculetur pedem, ac deinde ad oſculum oris admittatur.

XXII.

Promulgatæ etiam a Clemente literæ apoſtolicæ (*b*) de Roberto donato jure beneficiario. Siculo regno ex pactis, inter Carolum I. ipſius avum ac Romanos Pontifices conventis, ad rei geſtæ memoriam a temporum oblivione vindicandam.

(*b*) Lib. 4. ep. com. 977.

Clemens, &c. charissimo in Chriſto filio Roberto Regi Siciliæ illuſtri.

Ne in poſterum rei geſtæ memoriam diuturnitas temporis forſan obliteret, literarum noſtrarum præſentium inſinuatione teſtamur, te ligium homagium & fidelitatis juramentum ratione regni Siciliæ & terræ citra pharum (excepta civitate Beneventana cum toto territorio & omnibus diſtrictibus & pertinentiis ſuis, ſecundum antiquos fines territorii, perſonarum, & diſtrictus civitatis ejuſdem per Romanos Pontifices diſtinctos, vel in poſterum diſtinguendos, claræ memoriæ Carolo Regi Siciliæ avo tuo & heredibus ſuis, quorum tu heres exiſtis, a Rom. eccl. conceſſorum) nobis feciſſe ac præſtitiſſe in forma ſubſcripta, ſuper hoc literis formam eandem exprimentibus bullatis aurea tua bulla conceſſis, (c) quarum tenor talis eſt. Adducit conceptam a Roberto ſuperiorem ſacramenti formam ac leges, quibus regnum ſedis Apoſtolicæ beneficio accepit: iiſque recenſitis ſubjungit, ſe conventa admittere, violanti promiſſa anathema incutere, regnumque ad eccleſiam, ſi caſus deſcripti emerſerint, revocatum.

(*c*) Ext. etiam in MS. Vall. ſign. lit. B. n. 12. pag. 319.

Deſponſam ſibi a Roberto fidem admittit Pont.

Nos itaque hujuſmodi homagium & fidelitatis juramentum, promiſſiones tuas & omnia, ut præmittitur, a te facta de fratrum noſtrorum conſilio acceptamus: & nihilominus, quia in quibuſdam articulis ſeu capitulis prædictorum in dictis literis contentorum expreſſius continetur, quod in certis caſibus tu & heredes tui excommunicationis ſententiam incurratis, & dicta regnum & terra tua & ipſorum heredum ſint eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto; quodque in certis caſibus tam tu, quam tui in dicto regno & terra heredes a ſupradictis regno & terra cadatis, & ipſa regnum & terra libere ad Rom. eccleſiam devolvantur, & totaliter revertantur; nos ex nunc hujuſmodi ſententias, videlicet excommunicationis in te & eoſdem heredes, & interdicti in præfatum regnum & terram prædictam, nec non privationis omnis juris tam tibi, quam ipſis heredibus in ſæpeditis regno & terra, vel ad ea quomodolibet competentis vel competituri, ſi tua vel ipſorum culpa hujuſmodi caſus emerſerit; de prædictorum fratrum conſilio auctoritate apoſtolica promulgamus, decernentes quod cum hujuſmodi caſus privationis emerſerit, prædictum regnum & terra præfata libere ad eandem eccleſiam Romanam devolvantur, & revertantur ad eandem: ita quod ex tunc nullum jus tibi tuiſque heredibus competat in eiſdem, ſed de illis Romana eccleſia libere diſponere valeat, prout ſibi placuerit, & videbitur expedire. Nulli ergo, &c. Datum Aven. VI. *kal. ſeptembris anno* IV.

Contentas in regni donatione leges confirmat.

Sancit) in deſignatis caſibus Siculum regnum ad eccleſiam devolutum iri.

XXIII.

Cumulavit Robertum Clemens novo beneficio, remiſſo reliquo ære alieno, quod pater avuſque in Siculo bello abſumpſerant, quodque ad trecenta & amplius millia unciarum auri aſcendiſſe refert Jo. Villanus: (*a*) de quibus pactum Clementem cum Carolo II. diximus, præter condonata (*b*) memorata quinquaginta millia marcharum accepti pontificia liberalitate regni ergo debita. Tum etiam Fridericum Regem Trinacriæ non vulgari beneficio devinxit, donatis ei omnibus obventionibus ab ipſo, dum bellum cum Rege Carolo II. geſſerat, injuſte perceptis. Refert vero Surita (*c*) ſopitas tum a Jacobo Rege Aragonum nonnullas controverſias, quæ Robertum inter ac Fridericum vertebantur, atque ab eo pronuntiatum, ut Fridericus arces, quas in Calabria teneret, Roberto reſtitueret: Robertus arcem, cui Jachi nomen eſt, in Catanenſi tractu cederet Friderico, Tunetanus vero Rex Roberti ac ſucceſſorum fiduciarius cenſeretur: præterea Jacobum perpetuo fœdere Fridericum ac Robertum devincire cupientem, cum Fridericus comparandi ſibi e Saracenorum manibus Jeroſolymitani regni deſiderio flagraret, miſiſſetque Arnaldum e Villanova oratorem, inſignem medicum, ut cum Roberto de transfundendis in ipſum Fridericum regni Jeroſolymitani juribus, promiſſo ei certis legibus Trinacriæ regno agitaret, regii ſcrinii præfectum adjunxiſſe: cumque Arnaldus Maſſiliæ e morbo decubuiſſet, præfectum eundem rem cum Roberto Avenione agitaſſe: qui cum metueret ne, ut antea Aragoni cum Sicilia ex fœderis legibus a Bonifacio cum Jacobo initis abſceſſuri eſſent, pepererant ſibi Sardiniæ jura, nec Siciliam dimiſerant, ita tum regnum Hieroſolymitanum ſibi vindicarent, nec Trinacriam reſtituerent; reſpondit non aliter ſuæ indemnitati caveri poſſe, aut fidem Friderici obſtringi, quam ſi mediæ inſulæ imperium ſibi cederet, præfectoſque fidiſſimos cum militari præſidio arcibus imponeret, reliquam vero partem inſulæ Jacobus Rex Aragonum milite firmaret, tum non minus utilem quam magnificam aliam expeditionem confici a Friderico, vel regna ampliora comparari poſſe ſignificavit: ad quæ aperienda Friderico conſilia Arnaldus in Trinacriam iter intendit. At cum inanem Jeroſolymitanum titulum Friderico permittere Robertus recuſaret, nec Trinacriam ſibi ſuiſve peperit, nec ex barbarorum tyrannide regnum Jeroſolymitanum ereptum eſt.

Tunetanus Rex Regis Siculi ſtipendiarius.

Friderici Rex Jeroſolymitani regni armis comparandi jura a Roberto depoſcit.

Quibus legibus Robertus ea Friderico permittere voluerit.

(*a*) Jo. Vill. l. 8. c. 112.

(*b*) Clem. an. 4. ep. 959.

(*c*) Zur. l. 5. c. 75. Controverſiæ inter Robertum ac Fridericum Reges compoſitæ.

Quod ad Jacobi eorum Regum arbitri res ſpectat, ipſum in Sardiniam ad eam inſulam Piſanis eripiendam expeditionem meditatum recenſet Joannes Villanus, (*d*) a qua non ferro ſed auro retardatum narrat ex ipſo S. Antoninus (*e*): *Eodem*, inquit, *anno, cum Rex Aragonum ſe præpararet ad invadendam & capiendam inſulam Sardiniam, & jam requiſiſſet Florentinos & Lucenſes in adjutorium ſuum contra Piſanos, qui illam inſulam poſſidere videbantur, ipſi Piſani miſerunt oratores ſuos ad Regem Aragonum in tribus galeis cum multa pecunia, qua recepta ab executione talis propoſiti deſtitit ex toto.*

XXIV.

(*d*) Jo. Vill. l. 8. c. 105.

(*e*) Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. ante §. 1.

Altiora alia de Piſis atque Ilva Jacobo Regi Aragonum ſubiiciendis fuiſſe ex arcano agitata ab eccleſia Romana ex publicis tabulis (*f*) exploratum eſt: in quibus pontificio nomine Petrus epiſcopus Prænestinus, Benignus tit. SS. Nerei & Achillei presbyter, & Raimundus S. Mariæ novæ diaconus Cardinalis cum Vitali Villanovano Jacobi Regis oratore pacti ſunt pridie kal. junii hujus anni, Jacobum ac ſucceſſores apoſtolicæ beneficentiæ Pi-

Jacob. Rex Aragon. acceptis pecuniis Sardiniæ expeditionem differt.

De Piſis & inſula Ilva a Pont. tradendis Jacobo agitata conſilia.

(*f*) Ext. in arce S. Ang. & in lib. privil. Rom. eccl. to. 1. pag. 233. & inter Coll. Plat. to. 1. pag. 324. & in MS. Vall. ſign. lit. B. n. 12. pag. 560.

ſanum comitatum, Ilvamque relaturos ea verborum formula, qua de Sardinia & Corſica pontificia liberalitate acceptis profeſſio concepta eſt: fidem Romano Pontifici hac etiam de cauſa addicturos: cenſum mille marcharum argenti perſoluturos: annis ſingulis triremes tres in rem pontificiam ornaturos: Jacobum etiam & ſingulos alios Reges a Pontifice poſtulatos ſemel ſingulorum imperii flexu ſexaginta triremes ad quatuor menſes inſtructuros, accepto ſexaginta millium aureorum ſubſidio, eoque ſtipendio etiam diutius ſuſtentaturos: jurejurando etiam devinctum iri conſtitutum eſt, ipſos eccleſiæ terras non invaſuros: nullos Italiæ populos ab iis bello petitum iri, modo Romani Pontificis ſententiæ ſtare decreverint: inducias imperatas ab eccleſia religioſe culturos: pœnas vero, ſi fidem violarint, inflictas ſubituros. Sed eæ pactiones, quæ Piſanos tangebant, hac lege principe nitebantur, ut hoc fœdus Piſani ampleſterentur ac promoverent: *Item fuit actum*, inquiunt publica illa documenta, *quod dictus Rex Aragonum faciat prædictas recognitiones, vaſſallagium, fidelitatem, obligationem ſeu obligationes, & alia prædicta de ſcientia, conſenſu, & voluntate Piſanorum & ad requiſitionem eorum, qui ſuper hoc ſupplicent domino ſummo Pontifici.*

Caruerunt iſta exitu, nec enim Piſani pontificiam Regiſque Aragonum clientelam ſupplices flagitarunt: & colligitur ipſos arte uſos, ampliſſimaque ſpe Jacobum deliniviſſe, ne armis Sardiniam eccleſiæ vectigalem ab ipſis inique partam impetu eriperet, dum imperialem opem præſtolabantur: nec illi omnino ab imperii Romani legibus erant liberi, ut alterius principis patrocinium aſciſcere liceret: nec quamvis plurima Aragonum Reges ad Piſas comparandas pollicerentur Romanæ eccleſiæ, poſtea facile præſtitiſſent, cum Sardinia potiti Siciliæ inſulam non reſtituerint, etiamque poſtea Sardiniam pontificiæ liberalitati acceptam referre, cenſumque pendere derrectarint. Interea per eos tractatus diſcuſſa Jacobi in Sardiniam expeditio eſt, & Henricus Romanorum Rex, ut in Italiam provolaret, allectus: quo veniente Piſanos non ad ſua modo tuenda, ſed ad latius ditionis terminos proferendos animos extuliſſe viſuri ſumus.

Bellum in Mauros transfert Rex.

Porro Jacobus a Sardico bello, pro cujus ſuſtinendis ſumptibus decimas ſacerdotalium vectigalium illi attributas a Clemente antea dictum eſt, abduci facile potuit, cum in Granatenſes Saracenos inita cum Ferdinando Rege Caſtellæ armorum ſocietate, atque illius ſorore Eleonora Jacobo majori natu filio deſponſa, belli molem vertere cogitaret. Ampliſſimam delendi ex Hiſpania Saracenici nominis porrectam fuiſſe occaſionem narrat Mariana, (*a*) cum Granatenſes Malacitani reguli, qui Rege luminibus orbato reipublicæ habenas tractabat, non ferentes imperium, civilibus diſſenſionibus fluctuarent. Aborrabes enim e Marrocii Regum ſanguine ſatus, regnandi avidus, Almeriam occupavit: qua pulſus, cum Septam cogitaret, Chriſtianos Reges in auxilium excivit. (a) Mariana. l. 15. c. 9.

XXV. Contulere Reges Catholici cum Pontifice miſſis oratoribus (quos fuiſſe, Aragonios quidem Pontium Ilerdenſem epiſcopum & Petrum e Fenollario, Caſtellanos vero epiſcopum Zamorenſem & Ariam refert Surita (*b*), ſacra fidei propagandæ conſilia, quæ plurimum Clemens extulit, divinique præmiis fideles ad ſequenda Regum ſigna pellicere eſt conatus. In primis enim datis ad Valentinum epiſcopum VIII. kal. maii literis, indicendi in Aragonia adverſus Granatenſes belli ſacri, cruciſque ſymbolum religioſam militiam profeſſuris conferendi provinciam impoſuit: quibus etiam indulgentiarum præmia Syriacum iter aggredientibus attributa ad delendas noxarum reliquias e ſacro Chriſti ærario propoſuit, (*c*) ſi intra excurrens proximum triennium unius anni ſpatio contra infideles terra marive bellum gererent: quo ſacro munere etiam eos potiri voluit, (*d*) qui vel milites ſubmitterent, vel ſtipem erogarent. In quibus literis ſacrum Regis Jacobi nominis Chriſtiani amplificandi ardorem his elogiis commendat: *Læti profecto & cum exultatione referimus, ac largitori bonorum omnium, qui ſuorum corda fidelium ad ipſius exequendi beneplacita potenter inflammat, gratiarum reverenter exolvimus actiones, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Jacobus Aragonæ, Valentiæ, Sardiniæ, & Corſicæ Rex illuſtris, prout ex literarum & nunciorum ſuorum relatione collegimus, ad ipſius obſequia Redemptoris, divino flamine inſpiratus, in eorum executione, Domino auxiliante, felici propriam volens perſonam exponere, ac laborum & expenſarum onera ſub ſpe divini auxilii ſubire porenter tanquam Chriſti pugil, & cultor fidei memoratæ ad acquiſitionem regni Granatæ, quod Saracenica volit, ſeu fœdat potius fœda progenies, ferventer intendat; & ad procedendum ad id regali potentia ſe præparat & accingit ad Dei laudem, exaltationem matris eccleſiæ, exterminationem hujuſmodi abominabilis nationis, ibique propagandos fidei prædictæ cultores & votivis ſucceſſibus ampliandos, &c. Datum Avinioni VIII. kal. maii anno IV.* (b) Sur. t. 5. ann. c. 76. (c) Lib. 4. ep. cur. 94. (d) Eod. l. ep. com. 329. Jacobi Regis ſigna in Sar. ſecuturis indulgentiæ propoſitæ. Clementis ea de re literæ. Decimæ Jacobo in eam expeditionem attributæ.

Contulit etiam eidem Regi ad tolerandos belli ſacri ſumptus vectigalium eccleſiaſticorum, quæ in Catalonia regniſque Valentiæ & Aragoniæ colligerentur, decimas triennales: quarum exigendarum ab omnibus, quam ab equeſtribus religioſis ordinibus Calatravenſibus, S. Jacobi, & Hoſpitalariis, qui ſe ſuaque bello ſacro addixerant, provinciam eidem Valentino epiſcopo & Galcerando canonico Barchinonenſi demandavit (*a*) eamque curam cum aliis, quos integritatis & fidei ſacramento ſibi obſtringerent, partiri juſſit. Hortatus vero eſt Jacobum Regem, (*b*) ut magnis animis ad id bellum ſe accingeret: ſignificavitque ſe omnibus clericis, qui in ea expeditione ipſum ſtiparent, permiſiſſe ut vectigalia omnium ſacerdotiorum, etiam ſi iis animarum cura conjuncta eſſet, locare, divendere, vel diſtrahere ad biennium liceret: quo elapſo ad aliud conſequens prorogare poſſent; ea tamen lege, ut in iis locis, quibus addicti erant, divinus cultus non exoleſceret. (a) Reg. poſt eand. ep. (b) Ib. ep. 328. Clericis ad bellum ituris data privilegia.

XXVI. Conceſſa etiam Regi Ferdinando decimæ Caſtellæ. Iiſdem officiis proſecutus eſt Pontifex Ferdinandum Regem Caſtellæ, Aragonii in ea expeditione Granatenſi ſocium: attribuit (*c*) enim in cruceſignatorum ſtipendia regnorum illius decumas eccleſiaſticas: qua de re ad Caſtellæ clerum extant literæ. Tum male partas fœnore & rapinis opes, quarum nempe domini certi non extarent, in ejuſdem belli ſumptus ſanxit (*d*) derivandas. Eodemque argumento Toletano archiepiſcopo & epiſcopo Zamorenſi literas (*e*) miſit, injunxitque, ut nullo modo cum uſurariis ac deprædatoribus hujuſmodi paciſcerentur, niſi male partarum opum, quarum certus dominus non comperiretur, mediam partem refudiſſent. Gerebat porro tum eccleſiam Toletanam Gundiſalvus, quem Clemens ad Granatenſem expeditionem promovendam legatum ſedis Apoſtolicæ creavit in Ferdinandi regnis, de cujus abolendæ ex Hiſpania Mahumeticæ ſuperſtitionis ſacro deſiderio ſubjecta encomia protulit (*f*). (c) Lib. 4. ep. cur. 756. (d) Ib. ep. 367. (e) Reg. poſt eand. ep. Gundiſalvus Tolet. archiep. creatus ſedis Ap. legatus. (f) Lib. 4. ep. com. 369.

Clementis literæ de eo munere in Granaten. expeditione gerendo.

Clemens, &c. venerabili fratri Gundiſalvo archiepiſcopo Toletano Apoſtolicæ ſedis legato.

Domino Deo noſtro in voce multæ laudationis erumpimus, & in ipſo ingenti exultamus lætitia, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Fernandus Rex Caſtellæ illuſtris, mentem ſuam dirigens in ſpiritu pietatis ad Chriſtum, & in ipſo perficiens vota ſua, in terris corpore militat, & cœleſtem militiam, ad quam aſpirat, animo contemplatur. Hic profecto labores amplectitur, ut ibi quietis perpetuitate lætetur. Hic etiam ſe indefeſſum pugilem exhibet, ut ibi percepto gloriæ præmio tanquam magnificus triumphator exultet. Ipſe quidem velut in ſummo bono divini ſpiritus munere confirmatus, cogitando quærit aſſidue, & quærendo ſtudio ſummo laborat, ut Altiſſimo placeat, & per ſalubrem ſuorum incedit ſemitam mandatorum. Pio quidem Rex præfatus ductus propoſito, tanquam orthodoxæ religionis cultor eximius, ad acquiſitionem regni Granatæ ac extirpandam de illo fœtidam nationem, abominabiles videlicet Saracenos, inimicos fidei Chriſtianæ, quorum regnum ipſum inquinatione fœdatur; ibique propagandos prædictæ fidei cultores, pro divini nominis gloria, & ejuſdem fidei dilatandi palmitibus, ſicut læti ſuſcepimus, ferventer invigilat, & ſuas laudabiles convertit & dirigit actiones, ſeque ſub ſpe cœleſtis auxilii potenter præparat & accingit, &c. Subdit ſe incredibili deſiderio tam arduï pii operis promovendi deſiderio teneri: utque Rex, quem ſingulari amore complectitur, eo vires ſuas convertere poſſit, ſi in ipſius regnis ullas ſeditiones ingraveſcere contigerit, vices ſuas Gondiſalvo demandandas cenſuiſſe, additque; *Tibi quem novimus dona ſcientiæ prædictum, morum honeſtate decorum, conſilii maturitate præclarum, prædictæ fidei fervidum zelatorem in Caſtellæ, Legionis, Toleti, Galetiæ, Hiſpalis, Cordubæ, Murciæ, Jahennï, & Algarbii regnis, & dominio de Molina & aliis regnis & terris Regis præfati plenæ legationis officium de fratrum noſtrorum conſilio duximus committendum, &c. Dat. Aven. IV. kal. maii anno IV.*

XXVII. Res geſtæ in eo bello. Geſta eſt initio res magnis animis: capta enim eſt Septa a Jousberto Caſtelli novi vicecomite (is eſſe videtur Jaſpertus vicecomes Regis Caſtellæ claſſis præfectus) cui a Toletano & Zamorenſi antiſtitibus collectas decimas ad Granatenſe terra marique oppugnandum regnum, cum Ferdinando libitum eſſet, Clemens numerari juſſit, (*g*) Septæ præda Aragoniis ceſſit, urbs ex fœdere Aborrabi, qui in Regem Granatenſem Chriſtianos concitarat, tradita: (*b*) inde Heraclea Calpi monti impoſita, vulgo Tariffa dicta, ad deditionem compulſa. Suſtentatum tamen aliquandiu, donec Ferdinandus Rex eo acceſſiſſet, quo rei geſtæ gloria principi daretur. His elati victoriis Chriſtiani, præcipuas duas urbes, Algeziram Caſtellani, Aragonii Almeriam, obſidione cinxere, quibus ſubactis adjungendi Chriſti imperio Gratanenſis regni magna ſpes affulgebat. Et quidem Jacobus Rex ita Almeriam bello fatigabat, ut omnes in illius potiundæ ſpem adducti eſſent, ac Pontifex certior factus Valentino epiſcopo III. idus ſeptembris ex felici nuncio ingenti lætitia delibutus hæc ſcriberet (*i*): *Devotas laudes altiſſimo referimus Creatori, quod chariſſimus in Chriſto filius noſter Jacobus Rex Aragonum illuſtris negotium per eum aſſumptum contra Saracenos regni Granatæ victorioſe proſequitur & potenter, & jam civitatem Almeriæ, in regno conſiſten-* (g) Lib. 4. ep. cur. 93. (b) Marian. l. 15. de reb. Hiſp. c. 9. Sur. ind. l. 2. hoc ann. Tariffa deditione accepta. (i) Lib. 4. ep. cur. 756. Almeria obſidione cincta a Jacobo Rege Arag.

sistentem prædicto, sicut veridice relatione didicimus, cum suo exercitu detinet sic obsessam, quod eam in brevi speratur divina sibi assistente clementia obtinere, &c.

Ob eos lætos progressus tradidit partes episcopo, (a) ut proposita crucis signa- secuturis in Granatenses, vel stipem militi distribuendam erogaturis indulgentias promulgaret. Tum etiam instruxit (b) auctoritate, ut censuris liberaret Aragonios, qui arma aut merces vetitas Saracenis Ægyptiis invexissent; vel ut e portubus educerentur, assensissent; modo ad expiandum crimen aliquam pecuniæ vim, prout ipsi visum esset, in rem Almeriensem converterent: ea vice fidelium cœtui illos restitueret, qui ob injectas clericis violentas manus anathemate devincti essent, modo ex vulneribus mortem non oppetiissent, si vel in Regis castra se conferrent, vel strenuos milites submitterent. Aliisque literis præcepit, (c) ut perfecta in Templarios inquisitione, ad regia castra apud Almeriam defixa accederet, atque in exercitu crucesignatorum vota, exceptis castimonia atque Hierosolymitana profectione, cum aliis piis operibus commutaret: (d) expugnataque urbe Almariensi, ad ecclesiam restituendam instituendumque canonicorum collegium incumberet, atque omnia pontificalia munia obiret, (e) donec idoneus pastor Almeriæ præficeretur, quem Jacobi Regis precibus adductus soli Apostolicæ sedi obnoxium fore sanxit; (f) adeo ut nec archiepiscopus, nec metropolita, nec primas, aut canonicorum collegium jus Almeriensi episcopo dicere, vel sententiam ipsum ferre posset: sancitæque libertatis ergo, ut sacro Petro & Paulo Apostolis die aureum vulgo dictum marabotinum Romanæ ecclesiæ persolveret.

(a) Lib. 4. ep. cur. 94.
(b) Ib. ep. cur. 92.
(c) Ibid. ep. com. 1259.
(d) Ibid. ep. com. 761.
(e) Ib. ep. com. 760.
(f) Ib. ep. com. 791.

XXVIII. Varia in ea obsidione prælia inita.

Gerebatur strenue ab Aragoniis crucesignatis res, Almeriaque arctiori obsidione premebatur, cum Mauri Granatenses xv. octobris ad dissolvendam obsidionem egregio instructi equitatu irruperunt. Procurrere (g) mox in eos Aragonii, fugientesque ad tres leucas sunt insecuti. At obsessi rarum in castris militem conspicati, eruptione facta nostrorum castra adorti, illa in anceps discrimen adduxere: directa in pluribus tentoriis supellex; ac nonnulli cruce insigniti equites in eo prælio desiderati. Sed demum hostis Jacobi virtute in Almeriam retrusus, (b) exindeque nostri cautiores effecti. Cum enim iterum XXVIII. octobris die Mauri ad inferendum urbi commeatum, submittendasve aliquot auxiliares turmas in armis stetissent, non permisit Jacobus equitatum in hostem longius procurrere, cum ille nostros distrahere militari arte ac deludere moliretur.

(g) Sur. ind. l. 2. & l. 3. in. c. 84.
(b) Id. ib.

Cum itaque Mauri, Almeriæ magis quam Algeziræ metuentes, belli præcipuam molem omissis Castellanis, verterent in Aragonios, contrahi nova auxilia a Jacobo jussa sunt: ac Pontifex de tota re monitus, Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ antistitibus præcepit, ut incitandæ ad induendam crucem in Granatenses juventuti operam darent, (i) atque urgerent religiosos viros, ut fideles ad stipem in sacrum illud bellum conferendam pellicerent, monerentque morituros gratum Deo opus facturos, si opes in eam rem Jacobo Regi conferrent; tum etiam ad conciliandam crucesignatis divinam opem sacras preces indixit.

Comparare auxilia Jacobo Regi nititur Pont.

(i) Lib. 4. ep. cur. 95.

Clemens, &c. venerabili fratri archiepiscopo Terraconensi, & universis episcopis per regnum Aragoniæ & Valentiæ, comitatum Barchinonensem, cæteraque terras charissimi in Christo filii nostri Jacobi Aragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ, Corsicæ Regis illustris constitutis, regno Sardiniæ & Corsicæ ejusque terris dumtaxat exceptis.

XXIX. Ea de re Apostolicæ lit.

Sane charissimus in Christo filius noster Jacobus Aragoniæ, Valentiæ, Sardiniæ, & Corsicæ Rex illustris, actus suos in æterni Regis beneplacito dirigens, tanquam Christi pugil & athleta inclytus fidei orthodoxæ, ad acquisitionem regni Granatæ, ac evellendum de illo hostes impios & Christiani honoris inimicos, Saracenorum videlicet habitantium, immo coinquinantium regnum ipsum sordidas nationes; & in eo cultum divini nominis & fidelium limites dilatandum, virtute tota desideranter aspirans, conflatis regalis potentiæ viribus in effectum, regnum ipsum in manu potenti & extenso brachio cum suo exercitu ad ipsorum confusionem hostium victoriosus intravit, ibique militans ab obsequia Redemptoris, civitatem Almeriæ in regno consistentem prædicto, multo nimirum robore stabilitam, plenamque copiosa multitudine paganorum, obsessam per mare & terram sic fortiter coangustat, quod eam in brevi, sicut veridica relatione didicimus, dextera sibi assistente dominica, obtinebit: ex qua, cum sit, ut fertur, clavis & sera difficilis dicti regni, præparabitur aditus in spe fertili divinæ potentiæ ad extremum exterminium hostium eorundem.

Ad cujus promotionem negotii, & ad Regis ejusdem tam acceptum Deo propositum confovendum, tanto fervantius aspirare debent fidelium desideria singulorum, quanto per id ejusdem fidei tangitur generalis utilitas, & ex regni conquisitione ipsius, ac ipsorum exterminatione hostium, Deo & pulchritudini ecclesiæ catholicæ sponsæ suæ immensæ laudis decor adveniet, totaque Christiana religio utilitatis & exaltationis grande compendium, auctore Domino, consequetur. Verum cum prosecutioni tanti negotii sit fidelium subsidium multipliciter opportunum, nos ad hujusmodi tam pium fidei

dei prædictæ negotium, immo Christi, feliciter ipso auspice promovendum ferventibus desideriis intendentes, de animarum quoque salute soliciti, quamplurium gratiarum & indulgentiarum beneficia copiosa fidelibus incolis regnorum & terrarum Regis ejusdem, Sardiniæ & Corsicæ regno ejusque terris dumtaxat exceptis, qui dicto Regi ad prosequendum negotium ipsum subvenerint, duximus concedenda.

Indulgentias opem laturis proponit.

XXX. Præludes ad conferenda subsidia hortari subditos jubet.

Ut autem tantæ salutis negotium, tantique boni felix auspicium non desiciosa subventio prosequatur, volumus quod vos & singuli vestrum fideles quoslibet vestrarum civitatum & diœcesum, cum vos confessiones eorum audire contigerit, eisque proponere verbum Dei, moneatis attentius & efficaciter inducatis; & nihilominus omnes ecclesiasticas, sæculares, & regulares personas, exemptas & non exemptas, vestrarum civitatum & diœcesum confessiones audiendi & proponendi verbum Dei potestatem habentes, juxta datam vobis a Deo prudentiam studeatis efficaciter exhortari, quod fideles ipsos confitentes eisdem, & sermones & prædicationes audientes ipsorum solerter moneant & diligentius exhortentur, quod ipsi, dum vixerint, & demum tempore obitus eorundem grata charitatis subsidia dicto Regi in auxilium ejusdem negotii studeant erogare.

Indictæ ad divinam opem imprecandam sacræ preces.

Verum quia devotæ crebræque orationes fidelium aures divinæ pietatis inclinant, & ipsarum interventione illius propitiatio facilius impetratur; vestræ mentis aciem devotis affectibus ad Conditoris omnipotentiam dirigatis, & apud ipsius clementiam, ut ipse dictum Regem, suum utique bellatorem, cum suis omnibus benigne clementi dextera protegat, sibique vires & virtutes adaugeat & corroboret contra paganicas nationes, ac ad dictum negotium ad ipsius Omnipotentis gloriam, & totius Christianitatis honorem salubriter & prospere dirigendum clementer prospiciat, sedulis supplicationibus contrito & humiliato corde insistite. Et præsertim quotiescumque vos missarum officia celebrare contigerit, orationes contra paganorum perfidiam, per ecclesiam ordinatas quarum prima, Omnipotens sempiterne Deus, secunda specialiter ad secretam, Sacrificium Domine, & tertia dici post communionem præcipue consueta, Protector incipiunt, devotis mentibus effundatis, & per singulas personas ecclesiasticas in sacerdotio constitutas vobis subjectas pio cordis affectu dici in missarum earundem officiis facietis, &c. Dat. prope Malausan. Vasionensis diœcesis II. *id. novem. anno* IV.

XXXI. Aragonii aliis lit. a Clem. ut Jacobo sumptus ad bellum porrigant sollicitati.

Exacuit eorum præsulum diligentiam repetitis aliis eo argumento pluribus literis, (a) utque pro excindenda impietate sumptibus non parcerent, ac decimas integras haud segniter porrigerent;

(a) Ib. ep. cur. 96. & reg. fol. eand. ep.

æmularentur Castellanos antistites, qui in juvando sumptibus Ferdinando in eo bello liberalitatem explicuerant; vel Gallos, qui in Belgico bello Philippo Regi numquam defuerant: promereri id beneficium Jacobum Regem Aragonum, qui imperio Christiano augendo arma devovisset, cujus etiam laudes his verbis ornavit: *Devotionis integritate fervens ad Dominum charissimus in Christo filius noster Jacobus Aragonum Rex illustris, inclytæ memoriæ Jacobi Regis Aragonum avi sui, qui tanquam fervidus Christi pugil tendens, dum vixit, ad dilatandum nomen fidei Christianæ, sic ejus fidei persecutus extitit inimicos, quod illorum nequitia in forti brachio superata, quædam ipsorum civitates & regna triumphaliter suæ ditioni subjecit, rectas semitas imitans; ac actus suos in æterni Regis beneplacito dirigens, zelo amoris divini ad exterminium infidelium, & fidelium terminos propagandam ingenti & sublimi potentia dirigit mentem suam.*

Jacobi Regis præclarum elogium.

Succubuisset sane Almeria sub Jacobi Regis potentia, ut refert Surita, (b) ni Castellæ Rex Maurorum vires in urgenda Algeziræ obsidione distraxisset: sed discordia intempestiva illius expeditionis fructum corrupit. Joannes enim & Joannes Manuel regiæ Castellanæ principes a Ferdinando animis dissidere cœpere, cum Joannem Nunnium & Lupum Harum sibi infensos apud Regem florere gratia & auctoritate, suam vero infringi ac sperni consilia indignarentur. Querebatur etiam Joannes Tariffam, ut Ferdinandus sponponderat, sibi non tradi, immo data imperia, ut si eam arcem adiret, letho daretur. Quibus exasperatus e regiis castris se proripuit, pluresque secum traxit proceres, nec ullis precibus flecti potuit, ut in obsidione perstaret: cumque Ferdinandus dissipari exercitum intueretur, obsidionem Algeziræ solvit. Quo accepto Jacobus, qui Almeriam in angustias graves conjecerat, cum belli molem in se versum iri cerneret, inito cum Rege Granatensi fœdere, ac liberatis mancipiis Christianis abscessit sequenti ineunte anno, inglorio sane tantæ expeditionis exitu, in qua nulla alia res insignis gesta, quam quod Rex Granatensis cœcus a fratre Azaro, regnandi libidine percito, in ipso belli ardore conjectus in carcerem est, atque interemptus. Proximo vero anno Ferdinandus Rex Castellæ decumas pro expugnanda Algezira a Clemente obtinuit (c).

XXXII. Apud Algeziram res a Castellanis segniter gesta.

(b) Sur. l. 5. annal. c. 85. & ind. l. 2. Marian. l. 15. c. 9.

Discordia inter Castell. principes exorta.

Ferdinan. Rex turpiter obsidionem solvit.

Jacobus Rex Aragon. pari dedecore Almeria abscedit.

Rex Granatæ a fratre necatus.

(c) Exstat ea lit. repetita in arch. Avenion.

Anceps etiam hoc anno extitit alia Christianorum in orientales Saracenos expeditio, quæ ab Hospitalariis ad muniendum iter secuturæ alteri solemni, quam Pontifex moliebatur, suscepta est. Creatus in exercitu legatus Apost. sedis Petrus

XXXIII. Exercitus in orientem adversus Sarac. transmissus.

episco-

episcopus Ruthenensis, [1] dataque illi in oriente religiosam militiam professuros crucis symbolo insigniendi auctoritas subjecto diplomate, in quo Pontifex ad accendendos pio ardore fideles gravissimis sententiis illatas a Saracenis injurias Christiano nomini, ac profanatam impiorum sceleribus terram sanctam, Christumque fidelium auxilia tot linguis, quot vulneribus corpus exaratum habet, implorare describit (*a*).

(*a*) *Lib. 4. ep. com. 692.*

Venerabili fratri Petro episcopo Ruthenen. Apostolicæ sedis legato.

Vulnus & livor & plaga tumens, quæ ille leo rugiens ex Ægypto progressus, damnati generis bestia iræ plena in terram sanctam funiculum hereditatis Domini, & habitatores ipsius catholicæ fidei professores truculentius intulit, fidelium ingratitudinem arguunt, & ipsorum proh dolor! damnosa tarditate queruntur, quoniam terra illa deserta est, civitates ejus igne succensæ, regionem illam sanctissimam Christi sanguine purpuratam coram nobis devorant alieni, & filia Syon vastitatis hostilis perferens desolationem, ut umbraculum in vinea, ut tugurium in cucumerario deplorandа strage seu captivitate suorum inter alienigenas profani ritus & opprobria exprobantium nosci tur derelicta.

Lugubris Syriæ excidii descriptio.

Propterea in ara crucis expansis manibus in auribus fidelium clamat assidue dominus Jesus Christus: clamant livores & vulnera: clamant caput manus & pedes, & latera: clamant spinæ, clamant clavi & lancea: clamant opprobria non tam articulatæ vocis exaltatione, quam evidenti obtestatione passionis ipsius, afflictiones innumeras, & diversa testantia genera tormentorum, iis nostræ redemptionis insigniis idem Redemptor omnium immensa beneficia humano impensa generi exprobans, dum, pro tot beneficiis impensis eisdem nihil digni rependentes, etiam contra nominis sui blasphemos, qui prædictam terram infestæ persecutionis instantia totaliter occuparunt, fervore fidei Christianæ & compassionis affectu in ipsius Redemptoris ulciscendas injurias non assurgunt, &c. Subdit retardatos hactenus variis impedimentis Romanos Pontifices, ne curas ad pellendos e Syria Saracenos verterent; sibi vero alte impressum herere animo, ut terram illam divino sanguine consecratam infidelibus eripiat, atque adeo Hospitalarios equites præmittere, ut conflando ex omnibus regnis Pontificis imperio crucesignato exercitui iter explicaretur: ad quæ facilius perficienda se

Solicitati ad amissa recuperanda fideles.

apostolicas ipsi vices in Cypro & Rhodo insulis, Armenia minori, Alexandrino, Antiocheno atque Hierosolymitano patriarchatibus demandare, instruereque auctoritate, ut bello sacro nomen daturis symbolum imponat. Consignatæ sunt hæ literæ. *Avenione* XII. *kalend. julii anno* IV.

Ruthenensis episc. creatur legatus.

Munivit pluribus aliis privilegiis (*b*) legatum, atque ad liberandos criminum nexibus fideles eam auctoritatem, qua pollerent pontificii pœnitentiarii, concessit: (*c*) *Nos*, inquit, *de circumspectione tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, absolvendi juxta formam ecclesiæ excommunicatos hujusmodi in casibus, in quibus id minoribus pœnitentiariis nostris permittitur, etiamsi per locorum ordinarios excommunicati denuntiati fuerint, dummodo injuriam & damna passis satisfaciant competenter, liberam tibi concedimus auctoritate præsentium facultatem.* Amplificavitque (*d*) aliis literis eam legati auctoritatem: *Fraternitati*, inquit, *tuæ dispensandi hac vice in casibus, in quibus dispensare potest pœnitentiarius noster major, cum ecclesiarum prælatis & aliis personis ecclesiasticis, sæcularibus & regularibus tuæ legationis, qui suspensionis, excommunicationis, vel interdicti ligati sententiis fecerunt ad sacros ordines facere promoveri, vel divina officia celebrarunt, aut, se immiscuerunt eisdem, seu officia hujusmodi celebrarunt in locis ecclesiastico suppositis interdicto, injuncta eis pro modo culpæ pœnitentia competenti; liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem.*

XXXIV.

(*b*) *lib. ep. com. 739. ad 755. & ep. 757. 756. 1252.*

(*c*) *lib. ep. 1254.*

(*d*) *Id. ib.*

Commendavit legatum orientalibus præsulibus, (*e*) atque Henrico Cypri Regi, (*f*) ut debita ipsum observantia complecterentur, atque jussa religiosissime perficerent. Ad tolerandos vero sacri belli sumptus stipem a fidelibus colligendam curavit, atque ob id in sacris ædibus arcas obsignatas pervio foramine, quo eleemosynas pii demitterent, exponere jussit; ut plura docent pontificia diplomata: (*g*) quibus etiam archiepiscopis, aliisque præsulibus ecclesiarum provinciam imposuit, ut sacerdotes viroſque religiosos pro Christiana re transmarina, dum peragerent divina, ardentes Deo preces fundere juberent. Excitavit quoque aliis literis Clemens religiosos viros ac virgines Deo consecratas, ut cœlestem opem precibus suis pro Christiano nomine dimicantibus conciliarent. Inter quos Cistercensium pietatem, propositis in eam rem indulgentiis, inflammavit (*h*). *Dil.*

(*e*) *Reg. post eand. ep. 652.*

(*f*) *lib. ep. 738.* Imploratæ ad belli sumptus fidelium eleemosynæ.

(*g*) *lib. ep. com. 964. 965. 966. 967. 968. & 1112.*

(*h*) *Ep. 612.*

NOTÆ [1] Ruthenensis Episcopi legationem citius exordiri oportet, quam ab Annalista constituatur. Extant enim apud Baluzium in vit. Papar. Avenionen. to. II. col. 119. literæ Clementis ad Philippum Regem Francorum, datæ *Tolosæ VIII. id. januarii anno quarto* in quibus Petrus Ruthenis Episcopus in *partibus transmarinis Legatus Apostolicæ sedis* appellatur. Hoc ergo munus vel exeunte præcedente anno, vel præsenti ineunte illi demandatum fuit. MANSI

Dil. fil. abbati Cistercii ejusque coabbatibus & fratribus, ac dilectis in Christo filiabus abbatissis & sororibus Cistercien. ordinis.

Gerentes de vestrarum orationum suffragiis in iis, quæ agenda nobis incumbunt, fiduciam in Domino specialem, universitatem vestram rogamus & hortamur in Domino, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus pro salute nostra & felici consummatione passagii per nos ordinati in subsidium terræ sanctæ, & aliorum, quæ nobis imminent agendorum, pias apud Deum preces effundere studeatis. Nos enim de ipsius omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, singulis vestrum vere pœnitentibus & confessis, qui singulis diebus, donec vixerimus, quinquies orationem dominicam, & septies salutationem B. Mariæ virginis pro hujusmodi gratiis a Domino facile obtinendis dixerint reverenter, sexaginta dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Avinione II. *non. septemb. anno* IV.

XXXV.

(*a*) *Bos. hist. equit. Hierosol. p. 2. l. 1.* Crucesignatorum multitudini naves defuere.

Conscendit (*a*) hoc tempore mare legatus apostolicus cum Hospitalariorum magistro Fulcone Villareto, tantaque e diversis regnis, maxime e Germania, crucesignatorum multitudo ad ineundam eam expeditionem confluxit, ut illam classis, quæ comparata ad transfretandum erat, capere non potuerit: quorum plures cum ad pontificiam aulam, quæ Avenione versabatur, ad consulendum Pontificem accessissent, Clemens iis omnibus tot misertus labores præmia indulgentiarum contulit. Quæ vero gesserint alii, utque ventis excepti contrariis in Sicilia subsistere reliquo anno coacti sint narrat hisce verbis Bernardus (*b*): *Mense septembris transfretat episcopus Ruthenensis legatus in terram sanctam ad partes transmarinas cum magno magistro Hospitalariorum & alia multitudine hominum copiosa, pro quodam præparatorio ad futurum passagium generale, concessa a Papa transeuntibus plena indulgentia peccatorum. Sed ventis in mari contrariis, per sequentem hyemem cum multo personarum & rerum incommodo & jactura fuit navigatio impedita: & pervenientes apud Brundusium multo tempore in illa vicinia substiterunt, verum tempus ad navigandum prosperum expectantes.* Hæc

(*b*) *Ber. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. sign. n. 3765.* Alii ventis contrariis detenti in Siciliæ portubus.

ille: quæ vero in oriente crucesignati gesserint, sequenti anno dicetur.

Nunc de Sarracenorum seditionibus hæc ex Jordano (*c*) addemus, ex quibus restituendæ rei Christianæ tum affulsisse occasionem colligitur: *MCCCIX. Soldanus Ægypti claudus de mense martii ad Cracum cum gente & familia sua ivit, & Bibarsimcher abstulisse sibi videbatur dominium Kairi & Babilonis. Hic notat de schismate Saracenorum, quod post cædem plurium soldanorum factus est iste claudus, ut dictum est: & post eum quatuor erant potentes viri valde, quorum duo principaliores Naboiser & Bibarsimcher se mutuo oderant, tertius vocabatur Merecendal, cui duo primi invidebant, oderantque. Hic se ac soldanum ab eis, quantum poterat, præservabat. Quartus vero dictus Camelinus exitum rei tacitus considerabat: cæteri autem admirandi atque officiales quantum poterant de regio fisco rapiebant. Duo autem prædicti Naboiser & Bibarsimcher licet invicem dissiderent, adversus tamen Merecendal non multo post conspiraverunt, eorumque factione non solum de curia, verum & de tota Ægypto pulsus est cum gente sua. Pulsus vero ad partes Sapheti Ptolemaidis & castri peregrinorum se contulit, obtinuitque dominium regionis. Quibus gestis anno prænotato soldanus in Crach fortalitio se tutavit.*

(*c*) *Jord. MS. Vat. sig. num. 2690. ep. 234. p. 10. Mar. Sanut. l. 3. p. 13. c. 11.*

Intestina Saracenorum bella

At si exercuere Saracenos discordiæ, non hujus mali erant immunes Christiani: in Anglia enim Eduardus Rex solemni ritu corona redimitus (*d*) a Wintoniensi episcopo ex procuratione archiepiscopi Cantuariensis, cui Regum Angliæ sacro balsamo inungendorum jus a Clemente assertum vidimus, expeditionem duxit adversus Robertum Brusium, qui post partam superiore anno de Joanne Cuminio victoriam vires suas admodum in Scotia auxerat. Sed ob innatam segnitiem, parsimque ob commeatuum inopiam, exercitum e Scotia nulla re gesta revocavit: (*e*) quocirca Scoti, qui etiam tum ipsi hæserant, ab eo ad Robertum defecere, cui quoque plures urbes, desperata Anglica ope, sese dediderunt: quamobrem Robertus adeo vires suas confirmavit in Scotia, ut ex ea divelli non potuerit; quinetiam Angliam magnis ultro cladibus attriverit, ut suis locis narrabitur.

(*d*) *Vinsf. ing. in Eduard.*

(*e*) *Hector. Boet. hist. Scot. l. 14. Buchan. hist. Scot. l. 8.* Eduardi expeditio in Scotiam dissoluta. Confirmatæ Scotorum res.

1. SUspensa erat anno Christi millesimo trecentesimo decimo, octava indictione universa Italia expectatione adventus Henrici Romanorum Regis, quem Joannes Villanus (a) iter aggressum ait, ut suscepta Mediolani ferrea Cæsarum corona, atque aurea Romæ redimitus, insignitusque Augustorum ornamentis, pacato occidente, meditatam pro instaurandis in Syria Christianis rebus expeditionem adornaret. Cumularant etiam tum illius vota felices rerum exitus, nec Germanicas res modo composuit, verum etiam Joannem filium Regem Boemis [1] dedit, quam rem gestam hoc anno Bernardus testatur his verbis (b): *Anno Domini MCCCX. filius Henrici Regis Alemanniæ cepit in uxorem filiam Regis Boemiæ, quæ erat heres regni, & ipse factus est Rex Boemiæ cum eadem.* Consentiunt Bernardo Albertinus Mussatus, (c) Ptolemæus Lucensis, (d) MS. gesta Clementis V. rerumque Boemicarum scriptores.

(a) Jo. Vill. l. 9. c. 1.

Joannes Henrici Regis Rom. filius creatus Rex Boemiæ.

(b) Bern. chron. Rom. Pont. gestæ MS. Clem. V.

(c) Albert. Muss. l. 1. c. 4.

(d) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 40. Æn. Syl. hist. Boem. c. 31. Dubr. l. 19. & 20. & alii.

Adductus enim in odium apud Boemos erat Henricus Charinthiæ comes, qui dotali Annæ uxoris jure regnum obtinebat, cum Boemis diffideret, Charinthiosque arcibus ac muneribus præficeret: atque adeo exarsit discordia, ut in Nimburgensi conventu de pellendis Charinthiis ac Joanne Romanorum Regis filio ad sceptrum evocando conspiratio conflata fuerit. Versum est Henrico Charinthio crimini, Boemiam Romani imperii beneficiariam contra majorum institura Romanorum Regis auctoritate non accepisse, debitaque illi officia post triennium non exhibuisse; tum Elisabetam conjugis sororem ad indignas nuptias, quo regnum sibi assereret, compellere voluisse. Decreta itaque ad Henricum Lucemburgensem legatione, Joannem filium poposcere: sed cum Henricus mittere statueret Valramum fratrem ad comparandum sibi armis illud regnum, veritus filium in aperta pericula in ipso adolescentiæ flore conjicere, urgentibus Boemis, atque archiepiscopi Moguntini consilio Joannem iisdem Boemis Regem tradidit. Qui desponsa Spiræ Elisabeta Wenceslai junioris defuncti sorore, egregio succinctus exercitu, Boemorumque studiis regnum, pulsis Charinthiis, adeptus a Petro Moguntino, suffragantibus Joanne Pragensi & Petro Lonnicio Olomucensi præsulibus, solemni pompa Pragæ regio diademate est insignitus. In qua celebritate Moguntinus archiepiscopus Boemos eleganti oratione ad mutuam concordiam est cohortatus, quam illi postea magna religione coluere.

Boemi Henricum Charinthium pellunt. Quæ ipsi objecta.

Elisabet Wenceslai soror Joanni desponsa.

Joannes a Petro Mogunt. arch. corona redimitus.

Evecto ad Boemicum solium filio, pacataque Germania, ad altiora consilia de adipiscendo Italico regno animum extulit Henricus, ad quod extimulatum a Gibellinæ factionis proceribus indicat Jordanus (e): *Hic*, inquit, *strenuus in agendis & acer in hostes, pacatis usque ad oceanum Alamanniæ finibus, primogenito in regno Boemiæ coronato, quod Romano tunc vacabat imperio, Carinthiæ duce submoto, ad partes Italiæ divisione concussas venire disponit, pollicentibus subsidia non paucis, qui a concivibus in Lombardia & Tuscia pulsi erant.* Cum itaque ille Italici itineris, ut imperiali inunctione a Clemente vel Cardinalibus legatis liniretur, consilium aperuisset sedi Apostolicæ, Pontifex ad tuenda Romanæ ecclesiæ jura, datis Henrico literis, suis conceptam verbis sacramenti formam Henrico proposuit, ex quo fidem ante obstricturus esset nunciis apostolicis, quam Italiam ingrederetur. Illius vero jurisjurandi ecclesiæ nomine admittendi provinciam Balduino archiepiscopo Trevirensi & Joanni e Molans scholastico viro in rebus gerendis strenuo demandavit (f).

(e) Jord. chr. MS. Vat. sig. n. 1960. Alb. Muss. l. 1. c. 4. Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 40.

Henr. Rom. Rex in Italiam venire apparat.

(f) Clem. l. 5. ep. cur. 56.

Joannes, &c. venerabili fratri Balduino archiep. Treverensi & dilecto filio Joanni de Molans scholastico ecclesiæ Tullensis capellano nostro.

Ut inter sanctam Romanam ecclesiam ac nos & successores nostros Romanos Pontifices & Apostolicam sedem & charissimum in Christo filium nostrum Henricum Reg. Romanor. illustrem, semper vigeat plenæ charitatis affectus, scribimus eidem Regi per alias literas nostras, quod per literas suas tenoris & continentiæ infrascriptæ, regio sigillo munitas, promittat nobis & Romanæ ecclesiæ & successoribus & sedi Apostolicæ supradictis, quod contenta in eisdem literis suis integraliter faciet, & firmiter adimplebit: & nihilominus juret in manibus vestris, vel alterius vestrum vobis nostro & ecclesiæ ac successorum & sedis prædictorum nomine recipientibus, quod illa inviolabiliter observabit. Quare discretionem vestram monemus & hortamur attentius, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus

Ab Romanorum Rege sacramentum detuenda ecclesia exigi jubet Pont.

NOTÆ [1] BOhemicam coronam nonnisi labente anno assumpsit Joannes Henrici filius. Non enim illa se adhuc ornaverat die XXII. Octobris, ut non obscure deducitur ex ejus diplomate, recitato a Lunigio spicil. eccles. pag. 263. Datum est in gratiam cœnobii Waldrsaxen, qui locus est a Strazburgo parum distans, signaturque *Pragæ XI. kal. Novembris anno Domini millesimo trecentesimo XXII. regnorum vero nostrorum* (Joannis) *anno duodecimo.* MANSI

tenus juramentum hujusmodi vos vel alter vestrum ab eodem Rege recipiatis nomine supradicto, ac de præstatione & receptione ipsius instrumenti publicum dictarum literarum suarum continens sigillorum vestrorum munimine roboratum, seu patentes Regis ipsius literas prædictarum aliarum literarum suarum seriem continentes, confici faciatis; illudque nobis una cum prædictis literis regiis, seu præfatas literas juramentum hujusmodi continentes quantocyus studeatis per fidelem nuncium destinare.

Religio singulare principum ornamentum.

Præcipua capita in eo contenta.

Tenor vero dictarum literarum ipsius Regis talis est, &c. Inserit hisce literis adducendam a nobis inferius formam sacramenti, quod ab Henrico pontificio nomine exigi jubetur, ipsum scilicet nunquam a fide catholica defecturum, extincturum hæreses, nec cum ullis sectariis, Saracenis, schismaticis, vel ecclesiæ hostibus fœdus aliquod initurum: Pontificum Romanorum dignitatem ac jura defensurum, corroboraturum concessa a veteribus Imperatoribus sedi Apostolicæ privilegia, ecclesiasticam ditionem non invasurum, non defuturum opera vel consilio Rom. Pontifici ad ipsius hostes retundendos, defensurum denique ecclesiasticam libertatem, omnesque ecclesias protectione imperiali ab omnibus injuriis vindicaturum. Injunxit etiam partes nuntiis, ut ab Romanorum Rege, postquam sacramentum hujusmodi nuncupasset, imperiale ea de diploma ex forma ipsi præscripta elicerent, ac sedi Apostolicæ transmitterent. *Datum Avenion. v. kal. julii anno* v.

Poll icetur Romanor. Rex fidem catholicam se defensurum.

III. Perfuncti sunt imposito sibi munere Trevirensis archiepiscopus ac Joannes e Molans, ut testatur Henricus Romanorum Rex datis Lausanæ ad Clementem hoc eodem anno v. idus octobris literis, (a) quibus profitetur, se coram ipsis Romano Pontifici fidem subjectis verbis devinxisse, manumque sacrosanctis evangeliis religionis ergo admovisse.

(a) Ext. in arce S. Ang. l. priv. Rom. eccl. to. 3. pag. 139. coll. Plat. to. 1. pag. 351. & MS. Vall. sign. lit. B. n. 12. p. 566. & sig. lit. D. n. 1. p. 65. & lib. cens. p. 349.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo domino Clementi, sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summo Pontifici, Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus cum reverentia debita devota pedum oscula beatorum.

*Ferventi desiderio cupientes sanctitatis vestræ pedibus & Apostolicæ sedi toto corde & animo zelum nostræ reverentiæ, fidei, & devotionis offerre, vestris sanctis monitis, exhortationibus, & mandatis nos pro viribus coaptando, & honorem vestrum ac sanctæ Romanæ ecclesiæ ac aliarum ecclesiarum jura diligere, & pro posse protegere atque servare; attendentes propensius, quod nihil est, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe, nihilque est, quod ita nequeat occasui subjacere, quam vera religio; & quod ad Dei timorem servandum, mandataque ejus custodienda factus est omnis homo, sed præcipue imperialis & regalis potestas, quæ a domino Deo est, & ad ejus ministerium exequendum, ad fidem & reverentiam sui nominis dilatandam in omnes regiones & regna; promittimus & obligamus nos cum omni efficacia Deo omnipotenti, vobisque domino nostro Clementi summo Pontifici, vestrisque successoribus ac sacrosanctæ sedi Apostolicæ, & Romanæ ecclesiæ, quæ ecclesiarum omnium caput est & magistra; quod sacrosanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, fidemque catholicam fundatam supra fundamentum Apostolorum & prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in cujus nomine omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum, nec est nomen aliud sub cœlo, in quo salvari oporteat credentes; toto corde & animo, pura fide, & sancta intentione conservabimus, reverebimur, atque defendemus totis viribus & toto posse, ac omnem hæresim & schisma * extollentem se contra sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam exterminabimus pro viribus, & omnes hæreticos, cujuscumque sectæ & conditionis existentes, facies quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quibus vineam domini Dei Sabaoth perdere & vastare nituntur; omnesque fautores, adjutores, valitores, & receptatores ac defensores eorum: & quod nullo tempore conjungemur, confœderabimur parentelæ, vel fœdere, vel unione quacumque cum quocunque Saraceno vel pagano, vel schismatico Rege vel principe, vel quocunque alio fidei catholicæ communionem non habente, neque cum aliquo rebelle vel inimico ipsius Romanæ ecclesiæ vel eidem manifeste suspecto.*

* extollentia

Hæreticos perditurum.

Cum hostibus ecclesiæ fœdera non initurum.

Item promittimus & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, quod personam vestram, statum, & honorem & successorum vestrorum contra quemcumque seu quoscumque homines, cujuscumque status, præeminentiæ, vel dignitatis existant, conservabimus & defendemus & manutenebimus; nec non omnia privilegia Regum & principum & Imperatorum Romanorum prædecessorum nostrorum cujuscumque tenoris & continentiæ existant, quocumque tempore concessa sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus, & sedi Apostolicæ, & quibuscumque ecclesiis, prælatis, & ministris ipsarum, conservabimus & manutenebimus: nec aliquo unquam tempore contraveniemus, nec aliquem, quantum in nobis erit, venire permittemus quacumque occasione vel titulo allegato, juris vel facti: immo ad perpetuam rei memoriam & sanctæ ecclesiæ securitatem atque cautelam ipsa privilegia omnia, pro nobis & successoribus nostris ratificamus, & confirmamus, recognoscimus, innovamus, & de novo

IV. Romanos Pontifices culturum.

Illorum jura servaturum.

Henr. Reg. Rom. lit. ad Pont.

novo concedimus, prout melius & plenius possumus ex certa scientia cum omni efficacia & effectu: volentes ac etiam decernentes, quod ista generalis ratificatio, confirmatio, recognitio, innovatio, & de novo concessio, perinde robur obtineant perpetuæ firmitatis, ac si omnia & singula privilegiorum verba singulariter & expresse ac de verbo ad verbum præsentibus inserta fuissent. Specialiter autem & expresse cum omni efficacia & effectu supradictis ratificamus, confirmamus, recognoscimus, & innovamus, & de novo concedimus omnia privilegia Constantini, Caroli, Henrici, Othonis quarti, Frederici secundi, atque Radulphi Regum & principum seu Imperatorum Romanorum quocumque tempore concessa super quibuscumque, cujuscumque continentiæ vel tenoris existant sanctæ Romanæ ecclesiæ, Romanisque Pontificibus, & sedi Apostolicæ.

Concessa a majoribus confirmat.

V. Spondet ecclesiasticam ditionem non invasum iri.

Promittimus etiam & obligamus nos cum omni efficacia & effectu, omni jure & forma, quo melius & efficacius fieri potest, manutenere & conservare omnia privilegia, cujuscumque tenoris vel conditionis existant, & nullo unquam tempore contravenire; vel aliquo modo, quantum in nobis est, venire permittemus quacumque occasione, vel causa, vel titulo allegato juris vel facti, per quoscumque Reges, vel principes, seu Imperatores Romanorum, & præcipue per supradictos Constantinum, Carolum, Henricum, Othonem quartum, & Fredericum secundum atque Radulphum concessa sanctæ Romanæ ecclesiæ & Romanis Pontificibus & Apostolicæ sedi super recognitione, innovatione, avoatione, donatione, concessione, quitatione, renuntiatione, & libera dimissione terrarum & provinciarum sanctæ Romanæ ecclesiæ ubicumque positarum, præcipue marchiæ Anconitanæ cum omnibus civitatibus, limitibus, terminis, & confinibus suis integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earumdem, exarchatus Ravennæ & Pentapolis, ac Romaniolæ & Brittenorii comitatus, cum civitate Bononiæ & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem. Vallis quoque, quæ Spoletana dicitur sive ducatus, cum civitatibus Perusii, atque Castelli, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus suis integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus eorundem. Massæ quoque, quæ Trabaria nuncupatur cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem: patrimonii etiam B. Petri in Tuscia cum civitatibus Tuderti, Narniæ, Urbisveteris, & Reate, & cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & omnibus juribus & jurisdictionibus earundem. Comitatus quoque Sabinæ cum civitate Interamnensi, & cum arce Cæsarum & terra, quæ dicitur Arnulphorum, cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis, & confinibus integraliter, & cum omnibus juribus & jurisdictionibus earundem. Comitatus quoque Campaniæ atque Maritimæ cum omnibus civitatibus, terris, limitibus, terminis & confinibus integraliter, & cum omnibus jurisdictionibus & juribus earundem.

Præcipuas illius urbes ac provincias designat.

VI. Agnoscit ab Imperatoribus donatas iterumque donat.

Ex superabundanti de novo, & ad majorem cautelam supradictas omnes terras atque provincias cum omnibus juribus, jurisdictionibus, terminis, limitibus, confinibus earundem: & jus ac possessionem & proprietatem ipsarum cum omni plenitudine recognoscimus jure plenissimo ad jus & proprietatem sanctæ Romanæ ecclesiæ spectare, ac omnimode pertinere: ac ipsas omnes terras atque provincias de novo avoamus, innovamus, atque concedimus, quitamus libere & dimittimus, restituimus & renuntiamus: nec non ad omnem scrupulum removendum, & ut pax, quies atque tranquillitas inter ecclesiam & imperium jugiter vigeat, & futuris, dante Domino, temporibus feliciter augeatur; & omnis contentionis & dissensionis cujuslibet materia præcludatur, prout melius & efficacius fieri & intelligi potest, concedimus ipsas, conferimus, & donamus de novo, promittentes & obligantes nos, prout plenius & efficacius possumus, quod nullo unquam tempore occupabimus vel occupari, quantum in nobis est, permittemus civitates, loca, castra, terras, & provincias supradictas, vel aliquam ipsarum vel earum partem; nec in ipsis, vel aliqua ipsarum, vel earum parte jurisdictionem aliquam per nos vel per alium geremus vel exercebimus; vel jura aliqua, possessiones, vel tenutas habebimus, vel possidebimus in eisdem terris vel provinciis, vel aliqua ipsarum vel earum parte; nec officium aliquod geremus, per nos vel per alium potestariæ, vel capitaniæ, seu quocumque nomine censeatur, in ipsis, vel aliqua ipsarum vel earum parte; & quod tanquam princeps catholicus, advocatus, & defensor sanctæ Romanæ ecclesiæ juvabimus ipsam, sibique assistemus contra quoscumque occupantes, invadentes, vel turbantes provincias ipsas, civitates, loca, castra, vel terras, vel aliquam ipsarum, seu earum partem; & quoscumque inobedientes, seu rebelles ecclesiæ, præcipue in provinciis, civitatibus, locis, castris, & terris eisdem in nullo fovebimus vel manutenebimus, seu per quoscumque foveri vel manuteneri, quantum in nobis est, permittemus; sed contra ipsos assistemus auxiliis, consiliis, & favoribus opportunis sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac Romanis Pontificibus, & Apostolicæ sedi, quousque rebelles & subditi ad plenam reverentiam & obedientiam reducantur.

Ad patrocinium ecclesiæ contra hostes suscipiendum se obligat.

Pro-

VII. Clientes ecclesiæ clementer habendos.

Promittimus quoque sanctam Romanam ecclesiam & ecclesias alias, ac libertatem ecclesiasticam & bona, jura, prælatos, & ministros ipsarum manutenere, conservare, ac pro viribus defensare; vassallos quoque Romanæ ecclesiæ contra justitiam non offendere: & quoslibet devotos & fideles ecclesiæ, etiam in imperio constitutos, benigne tractabimus, & contra justitiam non opprimemus, neque per alium, quantum in nobis est, opprimi permittemus, sed conservabimus in juribus & justitiis eorundem. Prædicta autem omnia & singula inviolabiter observare & observari facere, & nullo unquam tempore contravenire juravimus ad sancta Dei evangelia, tacto libro in manibus venerabilis patris domini Balduini archiepiscopi Treverensis, & discreti viri Joannis de Molans scholastici ecclesiæ Tullensis vestri capellani nomine Romanæ ecclesiæ & sedis Apostolicæ ac vestro, & de vestro mandato specialiter recipientium: de qua etiam receptione tam per alias nostras, quam per ipsorum recipientium literas, seu instrumentum publicum plene constat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & sanctæ Romanæ ecclesiæ ac sedis Apostolicæ & Romanorum Pontificum securitatem atque cautelam præsentes literas regiæ majestatis sigillo munitas fecimus communiri, promittentes & obligantes nos cum omni efficacia & effectu, quod post imperialis diadematis coronationem susceptam prædicta omnia ratificabimus, confirmabimus, & recognoscemus, & faciemus & servabimus, atque jurabimus; & de supradictis omnibus infra octo dies nostras patentes dabimus literas quadruplicatas, harum seriem continentes ad perpetuam rei memoriam, & ad securitatem & cautelam vestram & successorum vestrorum & sanctæ Romanæ ecclesiæ & Apostolicæ sedis, imperialis majestatis typario communitas. Dat. Lausanæ v. id. octobris regni nostri an. secundo anno Domini MCCCX.

Accepto insigni imperiali nuncupatum sacramentum renovare promittit.

VIII.

Dum Lausanæ agebat Henricus Rex, permissa Joanni Regi Boemiæ, ut docet Joannes Villanus, (a) Germaniæ administratione, atque Italorum legationes opperiebatur, exercitumque instruebat, confluxere ad ipsum ex omnibus pene Italiæ urbibus Romano imperio obnoxiis oratores, atque ingentia munera obtulere. Inter quos Pisani sexaginta aureorum millia pro ornando bellico apparatu porrexere, (b) æqualem pecuniarum vim imperiali ærario, cum Pisas ingressus esset, inferre polliciti. His studiis subvectus Henricus de Italia suo subiiciendam imperio ingentes spes concepit, coivitque armorum fœdera cum pluribus principibus, qui Philippo Regi Francorum erant infensi: præterea expeditionis Italicæ diem, missis ad demulcendos blandis pollicitationibus populos oratoribus, constituit, ut subjectis verbis refert Albertinus Mussatus (c).

(a) *Jo. Vil. l.9.c.1.*

Italicæ urbes ad Henr. oratores mittunt.

(b) *Id. Ib. c.7. Ant. 3.p. tit. 21. c.2. §.4. Ferr. in Henr. & alii.*

(c) *Albert. Miss. l.1. c.4.*

Ut populorum amores sibi conciliaret, nuntios cum majestatis suæ literis mature nuntiare jussit felicem adventum ipsius; seque pacem mundo daturum, jura, libertates lapsis restituturum, universitatum in pace degentium mores approbaturum, & reliqua regalibus extollentia suasionibus corda fidelium. Intereaque confœderationes cum principibus regionum Theutonici nominis, privatasque amicitias sibi sponsionibus & cæteris, quæ mortales alliciunt conquirens; spe etiam suffultus Amedei Sabaudiæ comitis alteram ex filialibus ducis Brabantiæ uxorem habentis, cui & dalphini frater adhæsit ejusdem comitis Sabaudiæ gener, inque socias vices & Guidone Flandriæ comitis fratre ineunte: ii quidem & Imperatoris adventum ob studium exosi dicti Philippi Francorum Regis affectabant. Statutam inde diem transgrediendarum alpium præfixit in Lausaniam vicinam descensui ad Longobordiæ planitiem; idemque se cum copiis promoturum enuntiavit. Præmissisque iterum ex latere viris strenuis ad partes Italiæ episcopis & laicis, ad universos & singulos imperii fideles diem nuntiantibus, qua citra montes descensurus erat, ut occurrerent, suffecturi viribus regalis adventus & parituri salubribus ejusdem monitis, ut regia majestas appeteret.

Delinitæ ab Henrico promissis.

Missi ad eos oratores.

IX.

Struxisse sibi iter in Italiam Henricum magna benevolentiæ & æquitatis ostentatione, consonat Mussato Jordanus (d): *Præmissis*, inquit, *episcopis & legatis, ut populorum sibi favorem conciliet, denuncians in pace degentibus se eorum laudabiles approbare mores, injuriam passis restitutionem, universis pacem, alpes transgressus Italiam adiit*. Præcipuis ille in adeundo regno Italico Clementis studiis nitebatur, cujus potissimum opera Cæsareum fastigium conscenderat: nam Clemens, cum putaret Henricum officii beneficiorumque futurum memorem, ac redactis in concordiam proceribus adversarum factionum, quæ discerpebant Italiam, Christianam religionem adversus fidei hostes, Romanamque ecclesiam tutaturum, Italos omni contentione solicitavit, ut Henricum Regem admitterent. Quo argumento Genuensibus, quamvis illi jam ante fessi Friderici tyrannide jugum Cæsarum a suis cervicibus depulissent, cum tamen intestinis tum dissensionibus laborarent, Clemens ut eos ad novi Cæsaris pacis spem præferentis obsequium pelliceret, apostolicas hasce literas scripsit (e).

(d) *Jord. chr. MS. Vat. sig. n.1960.*

Promotæ a Clemente ejus partes.

Dilectis filiis potestati, capitaneo, prioribus, consilio, & communi Januensium.

(e) *Lib.5. ep. com. 59.*

X.

Exultet in gloria virtutis Altissimi re-

gni

Datæ eo arg. literæ.

gni culmen inclytum Romanorum: exultent magnifice sibi subditæ nationes: jucunde-tur fœcunda lætitia populorum illius copiosa diversitas, & conventum lætitiæ faciant, qui diligunt nomen ejus, quoniam ecce Rex ipsorum pacificus, dono divinæ gratiæ magnificatus gentibus, cujus vultum ejusdem Regis terra desiderat universa, eis veniet mansuetus, ut in suo sedens solio majestatis solo nutu dissipet omne malum, cogitet pacis cogitationes pro subditis, illamque in plebem suam loquatur intrepide, ac suæ potentiæ ministerio salutari tanquam flumen aquarum multarum abundare faciat & redundare, sicut maris gurgites, affluenter. Terribilis quidem super filios hominum, qui sua virtute dominatur in sæcula, a regalibus sedibus cœlestis imperii veram ad infima regna mundi pacem transmittens, illam in nativitatis suæ mirabili sacramento per suorum angelorum ministerium gloriosum in terris fidelibus nuntiavit. Hæc est fructus benedictionis a Domino, per quem mellifluam cœli dulcedinem susceperunt. Hæc est fructus pretiosus fidelibus, quem arbor justitiæ, in benedictionibus plantata dulcedinis, germinavit. Hæc est fructus miræ pulchritudinis & decoris, quem cœlestis agricolæ summa benignitas de radice charitatis eduxit: & hæc est fructus, de quo gentium doctor Apostolus & prædicator egregius veritatis in sacro suæ salutationis eloquio, quod de conscientia Regis emittebat excelsi, cunctorum vefici corda fidelium cum summo desiderio cupiebat. Nos enim ipsius instructi eruditione decoris hujusmodi fructum in orbe tarrarum super omnia cupimus abundare, propter quod libenter studia mentis nostræ convertimus, ut fructus ipse in regionibus & terris regno Romano subjectis & aliis partibus orbis, in quibus cultus viget fidei Christianæ multiplicetur ad divini nominis gloriam & honorem.

Pacem commendat.

XI. Significat ut Henr. Romanor. Rex electus a principibus confirmatusque sit a sede Ap.

Dudum siquidem charissimus in Christo filius noster Henricus Rex Romanorum illustris per solemnes nuncios, ad hoc sufficiens mandatum habentes, quos ad sedem Apostolicam destinavit, nobis, præsentibus fratribus nostris in publico & solemni consistorio, astante fidelium multitudine copiosa, electionem unanimem de persona sua per venerabiles fratres nostros archiepiscopos & dilectos filios nobiles viros regni Alamanniæ principes, in electione Romanorum Regis vocem habentes, celebratam fuisse concorditer; & etiam ipsi archiepiscopi & principes per literas suas, decretum suæ electionis continentes, solemniter cum humilitate debita intimarunt, petentes instanter a nobis per nuncios memoratos electionem per nos approbari prædictam, sibique regiam denominationem ascribi, & ad nostram veniendi præsentiam unctionem, consecrationem, & coronam imperii de nostris manibus recepturo terminum assignari.

Nos vero cum eisdem fratribus deliberatione præhabita diligenti, prout tanti negotii gravitas exigebat, ac matura & solicita deliberatione discussis, quæ in hujusmodi negotio putavimus attendenda, electionem eandem duximus approbandam, sibi denominationem hujusmodi liberaliter ascribentes: ipsumque Regem Romanorum reputavimus, nominavimus, denunciavimus, & declaravimus de fratrum prædictorum consilio, justitia exigente: approbantes nihilominus & etiam declarantes, ac pronuntiantes, sufficientem & habilem ipsum fore ad imperialis celsitudinis dignitatem; & unctionem, consecrationem, & Romani coronam imperii per nostras deberi concedi manus eidem loco & tempore opportunis, & ad unctionem, consecrationem & coronationem hujusmodi in basilica principis Apostolorum de Urbe recipiendas de manibus nostris, divina favente clementia, certum terminum de ipsorum fratrum consilio per alias nostras literas continentes præmissa omnia, libraliter præfigentes.

XII. Deliberarit pacare Etruriam ac rebelles edomare.

Nuper autem Rex prædictus nobis per dilectos filios nobiles viros Amedeum Sabaudiæ & Guidonem de Flandria Zelandiæ comites, ac Oddonem de Grandisono suos nuncios speciales apostolatui nostro significare curavit, quod subditis suis intra Romanorum regnum in partibus Lombardiæ & Tusciæ constitutis, qui nedum civilibus bellis, sed etiam extrinsecis dissidiis, peccatis exigentibus, multipliciter colluduntur, pacem dare, pro ipsis tranquillitatem exquirere; & ad reformandum inter ipsos concordiam ardenter aspirans, pura intentione desiderat inobedientes singulos & rebelles Romanæ ecclesiæ matris suæ, ut ab ipsis ei cum humilitate & reverentia debita, prout convenit, pareatur, pro ejus honore ipsius ecclesiæ pro viribus subjugare dominio; & ecclesiarum jura & bona deperdita, & per nonnullos, qui gloriantur cum male fecerint, in diversis ejusdem regni partibus occupata, in manu potenti recuperare proponit. Propter quod & alias justas & rationabiles causas, quæ ad hoc suæ mentis fervorem inducunt præfatum terminum ad recipiendum unctionem, consecrationem, & coronationem prædictas, ei per nos, ut præmittitur, assignatam anticipare disponit, ut speramus, pro utilitate communi ad prædicti regni Romanorum partes potenter & personaliter accedendo, ut per providam & consultam anticipationem hujusmodi, illo, qui aspera novit in vias planas convertere, faciente placatio fluctuum bellorum & dissidiorum hujusmodi, ac recuperatio bonorum & jurium prædictorum, & humiliatio rebellium eorundem suæ virtutis ministerio fructuoso celerius valeat provenire.

Designatum ad imperialem consecr. tempus ob id antevertere.

XIII. *Profecto cœlestis altitudo consilii, in fide-*

Sacerdotium deesse imperio non posse.

fidelibus suis uberum gratiarum dona multiplicans, præcelsas sacerdotii & imperii dignitates ad plenum & utile regimen & gubernationem ipsorum fidelium salutarem pia in terris dignatione constituit, & ut in executione fructuosi regiminis, & in voti unitate conformes ipsorum universis profutura concordia alterutrius fulta præsidiis opus liberius exercerent justitiæ; & commodius in tabernaculis fiduciæ constituerent populum Christianum. Præmissis igitur digna consideratione pensatis, & sperantes Regem præfatum ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum advocatum solicitum & utilem defensorem, promotorem avidum ecclesiasticæ libertatis, sectatorem pietatis operum, amicum sedulum veritatis, ac pacis & justitiæ fervidum zelatorem, ac propter hoc congruis & gratiosis favoribus assistere proponentes eidem; universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur attentius, vobis nihilominus per apostolica scripta mandantes, quatenus considerantes attentius, quod pacis amœnitas numerum multiplicat populorum, quodque in multitudine gentium regalis celsitudinis pulchra serenitas resplendet amplioribus radiis claritatis; ac provida meditatione pensantes, quod Rex præfatus ad nullius partialitatis dexteram vel sinistram, sicut pro certo creditur, & specialiter nobis per eosdem nuntios suam apertissime super hoc tam secrete quam publice pluries aperuit voluntatem, suos declinabit affectus; quodque vassallos sanctæ Romanæ ecclesiæ in benevolentia, regali recipiet & servabit, ac ecclesiæ prædictæ devotos etiam in regno constitutos eodem in suis juribus conservabit, nec offendet, seu offendi contra justitiam permittet eosdem; vestros animos pro divinæ & Apostolicæ sedis ac nostra reverentia convertatis ad pacem, & ejusdem Regis, quorumlibet bellorum feritate depressa, & periculosis fomitibus odiorum evulsis, monitis & votis salutaribus tanquam benedictionis filii reverenter intendere, procuretis; ut per hoc Deum timere & Regem præfatum honorificentia debita venerari laudabiliter ostendatis.

Hortatur Genuenses Pont. ne factionibus adversus Henric. se irretiri sinant.

XIV. Meritis illum honoribus afficiant.

Eja ergo præfato Regi non per armorum strepitus, non per bellorum præcipites impetus, & non per terribiles & hostiles incursus corda vestra, sed per vias rectas & copiosæ pacis delectabiles semitas præparate, ac omnia, quæ impendere sibi tenemini, exhibere promptis animis studeatis. Sic igitur monita, preces, & exhortationes & mandata hujusmodi, quæ de præcordiis apostolicis confidenter emanant, studeatis devote suscipere, & sic ad efficacis exauditionis effectum vestra sinceritas introducat, quod per hoc nostram & Apostolicæ sedis benedictionem & gratiam vobis uberius vendicetis, & plenitudinem benevolentiæ regalis vobis sentiatis proinde magis piam & benignam. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diœcesis kalend. septembris anno v.

XV. Concepta eadem literarum formula Pontifex Florentinos, Mediolanenses, alioque Italiæ populos Romani imperii vectigales clientesque, quorum catalogus in regesto pontificio attexitur, solicitavit ut Henricum venientem exciperent, debitisque officiis prosequerentur, cum ad laceratam bellis civilibus Italiam sciſſos animos mutua pace conjungendos devinciendosque accedere polliceretur. Demandavit (*a*) vero Arnaldo S. Mariæ in porticu diacono Cardinali, creato in Italia sedis apostolicæ legato, ut venienti Henrico Regi in Italiæ limite occurreret, suamque illi in omnibus, ut officii ipsius ratio deposceret, operam explicaret: *Præfato*, inquit, *Regi cum ad tuam notitiam de suo adventu pervenerit & fueris requisitus ab eodem, usque ad fines Italiæ lætanter occurres, cum honorificentia condigna suscipias & pertractes, & tuæ præsentiæ gratum & acceptabilem comitatum, prout tanti principis decet excellentiam & honorem, & officii tui requirit auctoritas, ferventer exhibeas, & assistas favoribus & auxiliis opportunis. Et nihilominus per teipsum & alias solicite cum eodem ad statum terrarum ejusdem Romani regni pacificum & tranquillum labores instanter, & studia tuæ solicitudinis, ut ejusdem fideles regni dicto Regi, prout tenentur, pareant & intendant efficaciter, interponas. Speramus enim, ut cum eodem Rege ac tecum Domino faciente virtutem, ex Regis ipsius ac tuis operibus fructuosis dissensionum terrarum ipsarum ignis vestalis extinguetur, & eis pacis amabilis & concordiæ desiderata serenitas illucesceret.*

(*a*) *lib. ep.* 60.

Arnaldus Card. A. S. L. Henrico venienti operam commendare jussus.

Nec legati modo opera est usus Clemens, ut Henricus ab Italis perhonorifice susciperetur, verum etiam patriarcham Aquilejensem, ac Genuensem, Florentinum, Pisanum, & Mediolanensem antistites in ejusdem Regis obsequium pellicere est conatus; commendavitque ut in adducenda concordia, ac frænandis seditiosis Henrico studerent, ea in re tum ipsius tum sedis Apostolicæ gratiam, atque ingens apud omnes decus collecturi. Provocavit (*b*) etiam ad id officium Germaniæ præsules dignitate conspicuos, ut venientem ad reposcenda imperii jura excipiendaque imperialia ornamenta Henricum stiparent, quo eorum potentia fultus succinctusque facilius ad obsequium adversarios flecteret, ac decerpendæ inde gloriæ partem ad se derivarent.

Præsules insignes Itali sentire cum Henr. jussi.

(*b*) *Reg. post eand. ep.*

XVI. Liberavit se eo onere Arnaldus Ferrariensibus conversionibus implicitus, utque facile in Italiam aditus muniret Henrico Pontifex, Thomam tit. S. Sabinæ presbyte-

Thomas presbyt. Card. creatus A. S. L.

terum Cardinalem ſubrogavit (a) legationis in Inſubria, Liguria, Etruria, eccleſiaſtica ditione, Tarviſina marchia, Dalmatia, Sardinia, & Corſica gerendæ auctoritate inſtructum, ut illi comitem itineris ſe adjungeret, conſiliiſque optimis informaret: *Nos*, inquit, *qui Regem ipſum ob præcelſæ devotionis inſignia, per quam nomen glorificatur Altiſſimi, & Romana eccleſia mater ſua fœcundatur honoribus, in intimis dilectionis apoſtolicæ gerimus, deſiderabiliter cupimus, ut proſperum iter faciat ſibi Deus, gratis jucundetur ſucceſſibus & votivis, ac ejus ſolium delectabilibus eventibus fulciatur, ut angelica junioris Tobiæ comitiva lætatus proſperetur in omnibus, ad quæ divina diſpenſatio mittit illum. Quocirca diſcretionem tuam rogamus, monemus, & exhortamur attentius, per apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus impoſitum tibi onus a Domino devote ſuſcipiens, & perſonaliter ad partes illas accedens, dicto Regi tuæ præſentiæ gratum & acceptabilem comitatum, prout tanti principis decet magnificentiam & honorem & officii tui requirit auctoritas, ferventer exhibeas & aſſiſtas honoribus & directionis opportunis.* Et infra, ubi ipſum ſuam operam Regi ad flectendos in illius obſequium populos imperii clientes, ac rebelles edomandos, pacemque adducendam commendare juſſit, hæc adjecit: *Indefeſſa quoque ſolicitudine, fili, ſtudeas laborare, quod idem Rex ſui cognoſcat humiliter beneficia creatoris, dirigat vias ſuas in ſemitis mandatorum ejus, honoret eccleſiam matrem ſuam & miniſtros ipſius. Nec ipſum prætereat, quod gratioſam Romanam eccleſiam ante aſſumptionem ſuam ad culmen hujuſmodi, & in ipſa & poſt ipſam * favorabilius adinvenit: ideoque tam eam quam eccleſias alias, quarum ipſa mater eſt & magiſtra, ſtudeat condignis honoribus & favoribus honorare, earum jura diligenter protegere, conſervare, ac toto corde & animo defenſare procuret, attendens, quod ad hoc eſt divina providentia evocatus: pacem in terris amare ſtudeat, ut ſic Regis pacifici imitator firmetur juſtitia thronus ejus, &c. Datum in prioratu de Grauſello prope Malauſan. Vaſionenſis diœceſis* VIII. *id. octob. anno* V.

(a) *Ep. cur. 62.*

Datæ illi partes, ut Regem Rom. deducat.

Optimis præceptis erudiat.

* *favorabilem*

Hæc conſtituebat Clemens, omnique ſtudio & cogitatione intendebat, ut facile iter Henrico ſine ullo bellico fragore muniret: ſed illius adventu Gibellinorum & Guelphorum factiones, quas ſedare animo agitabat, magis recruduere. Guelpharum enim partium viri principes, qui in urbibus publicæ rei habenas tractabant, ſuſpicionibus ſuffuſi, cum Gibellinos augeri animis viderent, ne gradu deiicerentur, pertimuere. Adducit in crimen accenſi funeſti belli Florentinos Joannes Villanus: (b) cum enim primum in publico concilio, quemadmodum ipſos ad concordiam cum Henrico cohortatum Pontificem vidimus, decreviſſent ad illum Lauſanam oratores mittere, jamque neceſſarius ineam rem apparatus inſtrueretur, nonnullos proceres, qui reipublicæ gubernaculis admoti erant, ſui honoris & commodi quam publicæ pacis avidiores, rem diſcuſſiſſe. Conſentit S. Antoninus, (c) qui Henricum ad Guelphos & Gibellinos conciliandos, pacandamque Italiam ſpecimen præ ſe tuliſſe teſtatur.

Veniente Henr. audæ Italicæ turbæ.

Florentini primum Henrico parere deliberant, dein reſiliunt.

(b) *Jo. Vill. l. 9. c. 7.*

Cum Imperator, inquit, *adhuc eſſet in Lauſana Sabaudiæ, & ad eum acceſſiſſent oratores, Imperatore quærente cauſam, quare non & ipſi miſiſſent*, ſcilicet Florentini, *fuit qui diceret, hoc ideo egiſſe, quia ſuſpectum eum habebant. Ad quod ille: Non bene ſibi conſuluerunt, quoniam noſtræ intentionis erat, omnes Florentinos non partialiter, ſed integraliter habere ut viros fideles, & ipſam civitatem exaltare ut cameram imperii, & meliorem aliis facere. Et ita creditum eſt quod eſſet facturus, non mutaturus ſtatum tunc regentium: ſed ſuſpicioni, quia intrinſecum malum eſt, mederi non poteſt.* Movit Lauſana ſub autumnum Henricus parte copiarum ſuccinctus, cujus ingreſſum præter Jordanum, (d) Bernardum, (e) Ptolemæum Luceníem, (f) Jo. Villanum (g) accuratiſſime deſcribit Albertinus Muſſatus his verbis, (h) ac pontificiis literis ante allatis conſonat.

(c) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. §. 4.* Movent injuſtum bellum.

(d) *Jord. chr. MS. Vat. bibl. fig. num.* 1960.

(e) *Lib. de Rom. Imp. MS. Vat. bibl. fig. n.* 2843. & *chron. Rom. Pont. & geſta MS. Clem. V.*

(f) *Ptol. Luc. l. 24. c. 40.*

(g) *Jo. Vill. l. 8. c. 7. Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. §. 4. Conrad Vnec. in Henr. VII. c. 9.*

(h) *Albert. Muſſ. l. 1. c. 6.*

Movit iter trecentis ferme haſtatis militibus peditibuſque totidem: & per juga & colles, ſummotis nivibus, in Taurinam civitatem deſcendit, cui portæ patuere, quemque cives libentes accepere; quibus vicarium ſtatuit: & ad id loci nonnulli ex Tuſciæ Lombardiæque partibus confluxere, advolante fama Romanum Regem adventare; in reſcriptiſque Cardinali datum, cui Pelagruæ cognomen erat, apud Bononiam tunc Apoſtolicæ ſedis legatum, qui & Ferrariam, expugnatis Venetis, in eccleſiæ ditionem redegerat, ut obviam Regi pergeret, commeatum præberet in omnes vias & actus. Qui Palagrua iis intendere creditus, literis in aperto ſic nunciantibus, diverſo tamen itinere Avinionem ad Papam contendit, cui quantum de perſona mutato Papa propoſito, ſubrogavit Cardinalem ad ejuſdem Regis conductus officium, qui cœpto jam itinere proficiſcens vita defecit. Is erat Thomas tit. S. Sabinæ, ut jam ante indicatum eſt. Demandata eſt igitur ea provincia Lucæ e Fiſco Cardinali S. Mariæ novæ, cujus conſilio & opera, necnon Matthæi Vicecomitis Guido Turrianus, qui Mediolanenſem tyrannidem exercebat, & archiepiſcopum Maphei nepotem alioſque Vicecomites pepulerat, exauctoratus, eſt (i), & Cæſar urbe exceptus. Deſcribit Albertinus Muſ-

XVII. Henrici in Italiam ingreſſus.

Lucas Fliſcus legatus Henrico comes additus.

(i) *Jo. Vill. l. 9. c. 9.*

ſatus, (a) ut Henricus magnum diſcrimen adierit, ne a Turriano, ac ſociis Longobardia pelleretur: demum diu tergiverſatus Turrianus, adventuque regio & Matthæi Vicecomitis ac ſequacium factionis, Mediolanenſiumque defectionis terrore perculſus urbis imperium illis reſtituerit; tam ſubdit.

(a) *Alb. Muſſ. l. 1. c. 8.*

Mediolanum a Turriano reſtitutum Henrico.

Mediolani deditio non minus Henrici Romani Regis famam auxit per omnes Italiæ fines, quam ut altera Roma diceretur, & ut alterius partis rerum omnium potiretur. Tum animos imperium non affectantium novus terror invaſit, obſequentium ſpes exſtulit. Hinc mœrores occulti tacitique, inde gaudia & lætitiæ apparentes in tuto diſſimulataque. Mirabile dictu! omnes ferme Lombardiæ civitates ab alpibus hinc Veronam uſque, inde Mutinam inclusive Regi fidelitatem juramenta præſtitere, vicarios ſuſcepere, novis legum ſanctionibus ad Regis placitum vitæ neciſque poteſtatem habituros; Alexandria dumtaxat excepta, hæc enim Roberti Apuliæ Regis præſidio tenebatur: cui & ſponte Rex ipſe ceſſit, forſan & illum cauſa non latente, Regum nempe conſilia non omnia nota populis. Patavini Vicentinique, quos Friderici Imperatoris ſævitia, nefandaque Ezelini de Romano tyrannis imperii vices obtinens necaverat a ſtirpibus, longaque dein freti quiete ſubſtitere, nihil arrogantiæ & contemptus, parumque obedientiæ oſtendentes, faventium exemplis, rerumque ſucceſſibus ſalubria reſumunt conſilia. Bononienſes ſecus, nam & ipſe novorum valtorum, foveamque munimentis urbem cinxere, plebiſcita legeſque in Regem Regique obſequentes ſtatuere, in quibus & Imperatoris nomen proferenti capitale ſit ſupplicium.

Flures urbes ad ejus obſequium pronæ.

XVIII. Æmiliæ adminiſtratio Roberto Sic. Regi tradita.

(b) *Lib. 9. ep. cur. 11.*

Feciſſe jure Bononienſes certum eſt, cum non imperii ſed Romanæ eccleſiæ clientes eſſent, & cohiberent perduelles, qui novarum rerum ſtudio ad Henricum deſciſcere, ac veteres inter imperium & eccleſiam diſſenſiones accendere moliebantur. Ad quos etiam comprimendos præfecit Æmiliæ Pontifex (b) Robertum Regem Siciliæ, ut regia potentia ſeditioſos in officio contineret. Quo argumento extant literæ (c) ad omnes ejus provinciæ ordines datæ, quibus ipſos Roberto obſequentes eſſe jubet. Tum ea etiam ratione Roberti res firmabat, ne facile illum Henricus adoriretur bello, ac potius cum ipſo pacem ad conſtabiliendas res ſuas paciſceretur. Ornatus eo munere Robertus grates egit Pontifici, atque Arnaldus e Pelagrua Avenionem repetenti fidem ſacramento devinxit, pollicitus (d) provinciæ poteſtatem a ſe ad juſſa apoſtolica reſtitutum iri.

(c) *Reg. poſſ. cand. ep.*

(d) *Ext. in arc. S. Ang. & inter coll. Plat. juſſu Sixti IV. edita to. 1. pag. 349. & in Mſ. Vall. ſign. lit. D. n. 1. pag. 82.*

Sanctiſſimo in Chriſto patri & clementiſſimo domino ſuo domino Clementi, divina providentia ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, Robertus Dei gratia Rex Jeruſalem & Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Capuæ, Provinciæ, & Fortalquerii, ac Pedemontis comes eum omni reverentia & honore devotæ pedum oſcula beatorum.

Facit charitas veſtri pii patris & domini, ut plura virtutis & gratiæ de me devoto filio imaginarie ſentiat, quam ipſa rei veritas per eſſentiam comprehendat. Sed ſine nodo dubii tenere poteſt veſtra ſincera credulitas, quod beneficia tanti patris debita gratitudine recognoſcens, ſicut devotionis filius & reverentiæ ſpecialis alumnus, affectibus veſtris interne placere deſidero, & juſſionibus cum exacta deliberatione propoſiti obtemperare diſpono, in ea mentis præparatione conſiſtens, ut juxta poſſibilitatis modum conceſſum a domino, reverenter exequatur filius quod confidenter præcipit pater almus. Sane per honorabilem & religioſum virum fratrem Arnaldum abbatem Tutellenſem nuper veſtras amabiles recepi literas tenoris & continentiæ ſubſequentis.

Refertæ officiis ea argumentis.

Clemens, &c. chariſſimo in Chriſto filio Roberto Regi Siciliæ illuſtri, in temporalibus provinciæ Romaniolæ & comitatus Brittenorii & pertinentiarum ipſius rectori.

Summo deſiderio affectantes perſonam tuam, quantum cum Deo poſſumus, honorare; quodque ſtatus terrarum, in quibus Romana eccleſia obtinet principatum, præſerveturque a noxiis & ad ſalutaria dirigatur, attenti ſumus & vigiles, ac propenſius in intimis excitamur, ut ad provinciæ Romaniolæ, comitatus Brittenorii, & pertinentiarum illarum, quæ ſedis Apoſtolicæ juris & proprietatis exiſtunt, regimini eam deputemus perſonam, quæ ſe in illo ferventem exerceat, operoſum exhibeat, & præbeat efficacem; per quam fidelibus in illius degentibus opulentia pacis arrideat, faveat votiva tranquillitas, ac reddatur juſtitiæ plenitudo. Levantes igitur in circuitu oculos cordis noſtri, eos ad te velut ipſius eccleſiæ filium prædilectum dirigimus, & rectoriam provinciæ & comitatus prædictorum & pertinentiarum etiam eorundem in temporalibus apoſtolica tibi auctoritate uſque ad beneplacitum Apoſtolicæ ſedis committimus, per te vel alium, quem ad hoc vicarium deputare curaveris, & per deputatos ab illo etiam exercendam; diſponendi, ordinandi, ſtatuendi, præcipiendi, corrigendi, puniendi, diffiniendi, exequendi, & faciendi provincia, comitatu, & pertinentiis ſupradictis quidquid honori Romanæ eccleſiæ ac proſpero ſtatui fidelium, prædictorum expedire cognoveris, &c. Et infra.

§ XIX. Pontificiæ ad ipſum eodem argumento lit.

Volumus inſuper quod rectoriam, provinciam, & comitatus prædictos cum pertinentiis memoratis, quandocumque a nobis requiſitus extiteris, juxta noſtrum mandatum

Quæ illi commiſſa auctoritas.

dimittere sine difficultate qualibet, exceptionis, contradictionis, & repetitionis cujuslibet onere tenearis: nec post sex mensium spatium, a creatione successoris nostri Romani Pontificis computandorum, absque ejus speciali commissione & mandato de dictis rectoria, provincia, & comitatu, eorumque pertinentiis, seu regimine te aliquatenus per te vel per alium intromittas, &c. Datum in prioratu de Grausello Vasionensis diœcesis XIV. *kal. septembris anno quinto.*

XX. *Visis igitur præfatis literis & perlectis, & iis, quæ continebantur in illis, in examine rectæ considerationis adductis, quia Siculi belli præteriti longa diffusaque discrimina multifariam exhauserunt ærarium regium, & vires patrimonii minuerunt, assumptionem dicti regiminis, meis sumptibus & laboribus imparem, nec regionis qualitas, nec agendorum imminentia suadebat. Sed pensato vestræ sinceritatis affectu, qui ad mei status & honoris augmentum ferventer aspirat, quodque servitia sanctæ matris ecclesiæ probabiliter & modeste declinare nequeo, quin potius illa teneor patenter assumere, & cum efficacia virium totis studiis promovere; jactans meum cogitatum in Domino & in spe ac fiducia vestri præsidii paternalis, rectoriam ipsam ad honorem vestrum & ejusdem ecclesiæ cum devotione suscepi; prædicta omnia singula, in præscriptis literis vestris contenta, expresse ratificans & acceptans, ac de observandis eisdem juxta formam & modum per dictarum seriem traditos in manu venerabilis patris domini Arnaldi Dei gratia S. Mariæ in porticu diaconi Cardinalis Apostolicæ sedis legati, dicto Abbate Tuellense præsente & aliis de meo consilio, corporaliter ad sancta Dei evangelia præstiti juramentum. In cujus rei testimonium præsentes literas duplicatas jussi fieri, & aurea bulla meæ majestatis impressa typario communiri. Datum Florentiæ per Bartholomæum de Capua militem logothetam, & protonotarium regni Siciliæ anno Domini millesimo trecentesimo decimo, die septimo octobris nonæ indictionis, regnorum meorum anno secundo.*

Significat Rex Arnaldo Card. legato fidem se devinxisse.

XXI. Robertus Florentiæ præturam accipit.

Accesserat, ut ex apposita hisce literis loci & diei nota confirmatur, aliquot ante diebus Florentiam Robertus Rex, quem cives prætorem urbis renuntiarunt, (a) substititque Florentiæ ad IX. kal. novembris. Quo tempore operam ad conciliandos dissentientes inter se Guelphos defixit: quamvis odiorum pertinacia regiam industriam eluserit. Ingrata ea res fuit Henrico Cæsari, cum quo ita pacisci concordiam affinitatemque cupiebat Robertus, ut Etruriæ præfecturam alicui e fratribus demandaret, ne Gibellini socios Guelphos opprimerent: sed pacem aspernatum Henricum visuri sumus. Porro Germani (b) nonnulli Clementem inique carpunt, quod Robertum Æmiliæ præfecerit: cum id juste factum constet, ne Henricus ecclesiasticam ditionem sibi subiiceret: cum etiam in eundem Pontifex non sine rerum suarum damno pronior fuerit, adeo ut hoc anno Ludovicum Sabaudiæ regiæ principem: Cæsari fœdere conjunctissimum, Urbis senatorem creaverit. (c) Verum Henricus postea ingressus Romam, non minus illam, quam cæteras imperii urbes triburis exinanire pertentavit, ditionis ecclesiasticæ vastavit agros, seditiones conflavit in urbibus pontificiis, universam Italiam in Germaniæ provinciam redigere meditatus: hujus vero causa concitatæ quidem anno ineunte Romæ graviores seditiones, quæ e procerum mutuis odiis emersere. Ad quas sopiendas Pontifex Guillelmum e S. Marcello Minoritam nuntium suum creavit (d) partesque ei imposuit, ut patritiorum iras mulceret, quive apostolica detrectarent imperia, notaret. Tum Urbis principes viros literis amantissimis adhortatus (e) est, ut in mutuam descenderent concordiam, minasque justissimas, si paterna monita ac justa respuerent, intentavit. Porro superioris anni mense octobri, ut refert Joannes Villanus, (f) Ursini & Columnenses in Romano agro magno irarum ardore concurrere.

(a) *Jo. Vill. l.9. c.8. Ant. 3.p.tit.21 c.2. §.4.*

Cum Henrico fœdus pacisci molitur.

(b) *Vvecer. in Henr. VII. & alii.*

Clemens inique a Germanis traductus.

(c) *Lib.6. ep.cur.31.*

Henrici in Clementem perfidia.

(d) *Lib. 5. ep. cur. 1.*

Dissensiones in urbe concitatæ.

(e) *Ib. ep. 2.*

Ursini & Columnenses se persequuntur bello.

(f) *Jo. Vill. l.8. c.117.*

XXII. Ferrarienses mittunt ad Clem. oratores, qui urbem ecclesiæ obnoxiam profiteantur.

Hoc anno Ferrariæ periculosissima conjuratio nonnullorum factiosorum sanguine extincta a Cardinale legato est, de qua antequam differamus præmittenda ea videntur, quæ ordine temporum præcessere. Decreti fuere ineunte anno a Ferrariensibus oratores ad Clementem V. sedentem Avenione, ut in publico Cardinalium senatu solemni ritu profiterentur, Ferrariam sedis Apostolicæ ditioni obnoxiam, ac si aliquandiu Atestinorum jugum tulissent, non jure sed vi ac tyrannide ad eorum obsequia adactos fuisse. Cumque ad excutiendam servitutem Venetos in auxilium excivissent, in tantas angustias ab iis Ferrariæ dominatum affectantibus compulsos, ut demum ad Romanum Pontificem veterem ac justum Ferrariæ dominum, cui se suaque omnia addicebant, confugerint. Perfuncti sunt ea legatione Guido Ferrariæ episcopus, Pignatonus, Antonius de Alexio Othobonus & Nascimbene ex omnibus ordinibus lecti, qui his verbis Pontifici Ferrariensium fidem obstrinxere (g).

(g) *Ext. instrum. insertum ep. cur. 40. l.5. Clem.V.*

XXIII. Quo ritu gesta res. Agnoscunt conditam a Roman. Pont. in ecclesiæ solo.

Nos frater Guido episcopus Ferrariensis, Pignatonus de Pignatonibus, Antonius de Alexio judices, Vasallus mercator, Othobonus dictus Bacharius & Nascimbene de Brinis notarii, ambassiatores & syndici populi & communis Ferrariæ, nostro nomine & totius communis & populi civitatis ejusdem, cujus sindicatum cum plenissima pote-

testate in præsentia sanctitatis vestræ & sacri collegii dominorum Cardinalium exhibemus, profitemur & agnoscimus civitatem Ferrariæ ab initio fundatam fuisse per summum Pontificem in solo ecclesiæ Romanæ ipsius sumptibus & expensis, & ab eadem dotatam, ordinatam, & populorum multitudine decoratam fuisse. Cumque postmodum processu temporis per oppressionem Desiderii Regis Longobardorum servituti subjecta fuisset, per ministerium Adriani felicis recordationis summi Pontificis, invocato ad hoc brachio inclytæ memoriæ Caroli Regis Francorum, restituta extitit eadem civitas pristinæ libertati, & diutius in debita libertate permansit.

Caroli Regis Franc. virtute e Desiderii tyrannide ereptam.

Redactam postea in servitutem.

Tempore vero postmodum succedente tyrannica pestis Salinguerra civitatem eandem servili conditioni supposuit, & eam longis temporibus quasi servam suppeditavit, tyranniceque tractavit. Quod sancta Romana ecclesia pia mater diligenter attendens, & filiorum suorum civium Ferrariensium calamitati compatiens, ad illas partes destinavit legatum, & contra ipsum tyrannum exercitum maximum congregavit, sicque dictam civitatem & ejus comitatum, districtum, atque populum a dicta servitute tyrannica liberavit, & sub dominio ecclesiæ redegit & reduxit. Quapropter recognoscimus & avoamus civitatem Ferrariensem cum pertinentiis suis & districtu, ac totum comitatum Ferrariæ fuisse ab antiquo & a fundatione ipsius civitatis, & esse de dominio temporali Romanorum Pontificum & sanctæ Romanæ ecclesiæ. Super quo recognoscimus privilegia, & regesta, & librum censualem ejusdem Romanæ ecclesiæ, & ea quæ continent vera esse & indubitata, & eis, quantum ad nos attinet, fidem nomine quo supra plenariam adhibemus.

Restitutam a legato apostol. libertati.

XXIV. Paruisse vi & injuria Atestinis principibus.

Item profitemur & agnoscimus, quod pro eo tempore, quod dicta civitas, comitatus, & districtus ipsius fuerunt sub manu quondam marchionum Estensium, non voluntarie subfuerunt eisdem: obediverunt autem, & eorum dominium de facto agnoverunt, sed per violentiam & metum mortis & cruciatus corporum, quibus resistere non potuerunt propter nimiam sævitiam ipsorum & tyrannicam potestatem: sed suspirabant & gemebant sub indebitæ servitutis mole, aspirantes ac desiderantes cum multis gemitibus videre tempora, quæ nunc vident, videlicet quod ad naturale dominium sanctæ Romanæ ecclesiæ redirent sub vero dominio ipsius, & regimine regerentur & defenderetur, a tyrannorum impressionis, persecutionis, & usurpationis molestia liberati. Qui tyranni neque centenaria præscriptione quidquam de jure sanctæ Romanæ ecclesiæ diminuere potuerunt, eo quod tyrannica & violenta possessio caret bono principio & medio; per quod concluditur, quod & fine: licet nec tempus centum annorum, immo etiam nec septuaginta defluxerint; propter quod jus & dominium sanctæ Romanæ ecclesiæ intactum est, & extitit ac illæsum, ut tunc & nunc & medio tempore dominium illibatum ipsius ecclesiæ est & fuit. Verum omnipotens Deus, qui suo alto consilio de malo bonum elicit, pro sua sancta Romana ecclesia & pro nobis communi & populo Ferrariensi iis diebus operatus est magnalia. Benedictus ipse. Et nonnullis interjectis, ubi descripsere Venetos ejectis iis, qui ipsos oppresserant, tanto ad eos sibi subiiciendos impetu incurrisse atque undique cinxisse periculis, ut in extremas angustias adducti ad summum Pontificem, ut justum dominum confugerint; qui cum ipsorum malis motus Arnaldum Sanctæ Mariæ in porticu diaconum Cardinalem misisset, e præsenti discrimine felicissime emerserint, tum subiiciunt.

Illorum possessionem non attulisse præscriptionem.

XXV. *Vester autem populus Ferrariensis de faucibus Venetorum, in quas pene lapsi fuerant, erepti nunc per manum vestram validam, sanctissime pater, liberati & in tuto positi, & plena libertate fruentes, ad gratiarum actiones assurgunt, ut vassalli domino suo servire parati. Certe profitemur, quod si super dominio Ferrariensis civitatis & districtus vos sanctissime pater, & sancta Romana ecclesia illum ab antiquo non haberetis titulum, quem vos habere recognoscimus, pro hac defensione, tuitione, & liberatione populi Ferrariensis a tyrannide Venetorum, quas in præsenti manus gloriosa vestra operata est, justum esset civitatem & districtum Ferrariæ vestro subdi dominio temporali. Cum enim civitas Ferrariensis & comitatus a cujusque dominio & potestate, præterquam Romanæ ecclesiæ, sint liberi & immunes, nulli facerent injuriam, si in vicem tanti beneficii suscepti se & civitatem, comitatum, & districtum, & omnia bona sua, mobilia & immobilia subiicerent vestro & sanctæ ecclesiæ dominio temporali.*

Nova pactione jus urbis in Pontificem transferunt.

XXVI. Vetera redintegrata jura.

Eapropter, quia vestra fuit civitas & totus comitatus & districtus Ferrariensis ab antiquo & a fundatione ipsius civitatis ex causis & privilegiis contentis in regestis S. R. E. & continue vestra permansit, ut & nunc de vestro dominio sit, ut supra professio a nobis emissa declarat; ideo dominium ipsius, quod etsi vestrum non esset, ut est & fuit, ob hoc quod a vobis suscepimus in hac necessitate beneficium, ut præmissum est, vobis, & ecclesiæ Romanæ subdi & concedi deberet, &c. Amplissimis verbis Clementem V. ejusque successores Ferrariæ legitimum dominum salutant, atque in illum omnia comitatus jura transfundunt concepta hac verborum formula.

XXVII. *Quapropter nomine, quo supra, vobis dicto domino nostro Clementi V. & vestris suc-*

Adjuncta veteribus recentia.

successoribus & ecclesiæ Romanæ recognoscimus & profitemur, offerimus, resignamus, concedimus, subiicimus, transferimus, ac submittimus quantum possumus & ad nos pertinet, licet omnia prædicta & infra scripta sint vestra & ecclesiæ Romanæ, ac fuerint ab antiquo & a fundatione ipsius civitatis, omnia pedagia, dacia, telonea, riparia, aquas, aquarum decursus, jurisdictiones altas & bassas, merum imperium atque mixtum, gladii potestatem, atque omnimodam jurisdictionem, & bona & jura omnia, quocunque nomine censeantur, quæ ipsa civitas & populus Ferrariensis, seu quivis ibidem præsidens soliti sunt tenere, possidere vel quasi, seu exercere per se vel per alium quocumque nomine sive modo in dicta civitate, comitatu, & districtu Ferrariæ, &c.

XXVIII. Oblata a Ferrariensibus admittit Pontif.

Admisit, Cardinalibus assentientibus, Clemens justa Ferrariensium vota, ipsosque cæterorum ecclesiæ fidissimorum clientum ac studiosissimorum subditorum numero restituit. Qua de re diploma apostolicum (*a*) ad transfundendam posteris rei gestæ memoriam edidit, in quo Ferrariam demonstrat juris fuisse pontificii ab ipsis etiam lapsis retro temporibus, quibus Carolus Magnus, in ecclesiæ auxilium provolans, ipsam e Desiderii Longobardorum tyranni faucibus eripuit; ac si in principum potentiorum interdum ceciderit servitutem, non tamen obsoleviss. jura ecclesiæ: eaque demum post varias temporum procellas instaurat, sancitque (*b*) his verbis,

(a) Ead. ep. cur. 40.

(b) Ead ep. XXIX. Decretum Clemen. de Ferrariæ dominio & clientela acceptis.

Auctoritate, inquit, *apostolica inviolabiliter stabilimus, ut semper sub immediato dominio & protectione ipsius Romanæ ecclesiæ ipsa cum ejus bonis, comitatu, territorio, & districtu permaneat, nec ab ejus dominio & jurisdictione subtrahi, nec alienari perpetuo valeat quoquo modo, nec ad alterius personæ, vel civitatis, aut communitatis dominium pervenire; quodque in civitate ipsa semper sit unus vicarius ponendus per nos & successores nostros & eandem Romanam ecclesiam, clericus vel laicus juxta nostræ beneplacitum voluntatis, &c.* Decernit ut is, cui id munus demandandum sit, nulla consanguinitate aut affinitate eos viros principes, qui antea Ferrariæ imperitarant, contingat; aliaque statuit. *Dat. Aven. III. id. febr. pontificatus nostri anno* V.

Quis Ferrariæ præfectus.

(c) Ibid. ep. cur. 41. & 42.

(d) lb. ep. 37. Conjuratio Ferrariæ in pontificios conflata.

Sanxit etiam alia plura ad temperandum optime civitatis illius statum, ut pacis amœnitate sub clientela apostolica (*c*) potiretur, uti ostendunt literæ ad Guillelmum e Brunekello vicecomitem datæ, quibus ipsi eam præfecturam commisit. (*d*) Erupit paulo post conflata a nonnullis profligatis viris periculosissima conspiratio ad Ferrariam ab ecclesiæ obsequio divellendam, auctore Salinguerra; perductaque ad infelicem exitum fuisset, inquit Joannes Villanus, (*e*) ni Arnaldus e Pelagru S. Mariæ in porticu diaconus Cardinalis A. S. L. Bononiensium stipatus copiis, eo provolasset. Studiosorum enim ecclesiæ illius præsentia confirmati animi, adversariorumque debilitati: cumque is specie componendæ discordiæ urbis consilium in arce, cui Thedaldi nomen est, coegisset, triginta sex e præcipuis, qui facem seditioni subjecerant, comprehensos suspendio necari jussit, cujus supplicii terror cæteris frænum injecit.

(e) Jo. Vill. l. 9. c. 4. Pign. l. 4. Illius auctores necati suspendio.

Discussa (*f*) est eodem tempore Venetiis infelici pariter perduellium exitu conjuratio, quæ in Petrum Gradenicum ducem subornata fuerat. Præcipuus illius auctor Boamundus Theupulus fuit, quem plures in suas partes præmiorum spe verborumque lenociniis pellexisse refert diarium Venetum MS. atque in proditores die decima quinta junii, patefactis eorum consiliis, ad arma conclamatum; cumque conjuratorum vexillifer fugam corriperet, feminam, quæ clamore populi excitata ad fenestram accurrerat, saxo fugientis cervices percussisse, eoque dictu examinatum, moxque a furenti populo in frusta gladii concisum fuisse. Teupulum vero ducem conjurationis Tarvisium evasisse narrat Bonifacius (*g*). Describit conjurationis oppressæ seriem Petrus ipse Gradenicus dux in literis ad Delphinum prætorem Venetorum in Armenia commorantium datis, (*b*) ex quibus historiæ veritas illustrabitur.

(f) Jo. Vill. lg. c. 2. Alb. Muss. de Gest. post Henr. l. 2. c. 1. Diarium Ven. MS. Guill. & Albrig. Cortus. l. 1. c. 10. Bonif. l. 7.

XXX. Boamundus Theupulus Venetiis conjurat in senatum. Ejus vexillifer infelici exitu perit.

(g) Bonif. hist. Tarv. l. 7.

Petrus Grandenico Dei gratia Venetiarum, Dalmatiæ atque Croatiæ dux, dominus quartæ partis & dimidii totius imperii Romaniæ, nobili & sapienti viro Gregorio Delphino de suo mandato bajulo Armeniæ, fideli dilecto salutem & dilectionis affectum.

(b) Ext. in MS. append. ad hist. MS. Andr. Dand.

De eadem conjuratione literæ.

Per alias nostras literas denotavimus vobis inauditum scelus per proditores præsumptum; sed illud ad cautelam vobis providimus seriosius iterare, videlicet quod ille nequissimus proditor & seductor, iniquitatis filius & maledictionis alumnus Bajamons Teupulo, beneficiorum, honorum, & dignitatum progenitoribus ejus per commune Venetiarum eorum meritis collatum ingratus, propter quæ habebat statum nostrum & communis Venetiarum ut pupillam oculi custodire, Marcus Quirino de domo majori, & cæteri de ipsa domo, qui se Venetiis repererunt, Petrus Quirino sanctæ Justinæ & Marcus ejus filius, Andreas Dauro & Paulus Quirino filius Marci procuratoris ecclesiæ S. Marci, & alii qui alii nobiles de Venetiis quamplures contra nos & nostrum dominium injerunt, & forbannitos & malandrinos & forenses, quot potuerunt, collegerunt secum: & in vigilia S. Viti, de nocte omnes prædicti re-

Qui fuerint ejus signiferi.

vecollegerunt se ad domum dicti Bajamontis, intendentes summo mane omnes per potentiam devenire ad nostrum palatium debellandum. Sed nos hæc sentientes illa nocte, statim id fieri notum fecimus consiliariis nostris, capitibus de quadraginta, officialibus de nocte, advocatoribus communis & multis aliis nobilibus Venetiarum, & alii bonæ genti: qui statim venerunt ad nos, sicut debuerant præter ipsum Andream Dauro, qui conspiraverat cum eisdem; & nos cum eis & alia bona gente nobilibus, & aliis, quos pro honore nostro & suo, ac pro conservatione boni status terræ traxerant ad nos, in plateam descendimus aliquantulum ante diem, ut obviaremus eisdem.

Prælium inter ducem & conjuratos.

Et paulo post ipsi cum multitudine armatorum ad arma discooperta, & vexilla explicata, cum clamoribus & tumultu usque super plateam effræuata audacia se duxerunt. Quod nos videntes cum prædictis nobilibus & aliis bonis civibus Venetiarum, qui nobiscum erant, viriliter insurreximus contra eos, & manu potenti, cum duro tamen & aspero bello, cum adjutorio Dei & evangeliste sui beati Marci repressimus & conculcavimus, per durum exercitum gladiorum plures occidentes ex eis, inter quos fuerunt dicti Marcus Quirino & filius ejus Benedictus, qui remanserunt super plateam gladiis trucidati, ut eorum merita requirebant, & multi ex eis fuerunt graviter vulnerati: reliqui vero, qui remanserunt vivi, non valentes tam durum impetum sustinere, reduxere se in Rivoaltum, prout melius potuerunt, & domum communis, quæ est in capite pontis Rivoalti, in qua moratur magister Petrus medicus, armis & hominibus munierunt, levaverunt pontem, se fortificarunt in Rivoalto. Sed nos fecimus gentem nostram quiescere, non recedente aliquo de platea: & circa vesperas missimus virum nobilem Ugolinum Justiniano de nostro mandato potestatem Clugiæ, qui cum multis Clugiensibus applicuerat illa hora, & viros nobiles Antolinum Dandulo & Balduinum Delphino, quos fecimus capitaneos gentis nostræ, cum multis aliis nobilibus & alia bona gente: qui omnes iverunt ad dictam domum muntam per eos & ceperunt per vim, aliquos occidentes ex eis, & debellare pontem & Rivoaltum ceperunt. Quod ipsi videntes non expectaverunt, sed exiverunt de Rivoalto & de terra, & debent ire nobiles de nostro consensu ad nostra mandata ad illos confines, quos volumus sibi dare, & reliqui ad nostram misericordiam debent stare. De nostris autem in prædictis nemo, Dei gratia, fuit occisus, nec ad periculum vulneratus. Postmodum B. Baduarius principalis auctor conspirationis prædictæ, qui cum gente armata de partibus Paduæ veniebat Venetias, ut interesset prædictis, incidit in nostras manus, cui mediante justitia, de voluntate nostri majoris consilii caput fecimus amputari, & duobus aliis qui cum eo fuerunt, & quinque alios suspendi per gulam, ut ipsorum merita requirebant. Ita quod per Dei gratiam terra Venetiarum nunquam fuit in tanta quiete, nec in statu tam pacifico, quantum est. Dat. in nostro ducali Palatio die XXVII. junii VIII. ind. MCCCX.

Pulsi conjurati in Rivoaltum perfugiunt.

Rivoalto deturbati.

Princeps conjurationis capite truncatus.

Servavit quidem Venetam rempublicam Deus ex ingenti periculo, cujus iras paucis ante mensibus flexerant, missis ad sedem Apostolicam oratoribus, ut fidelium consortio templisque restitui supplices postularent, commissumque ob invasam Ferrariam facinus expiarent. Demandatam eam provinciam Carolo Quirino & Francisco Dandulo patritiis docent confectæ ea de re publicæ tabulæ, quæ cum insignia religionis atque observantiæ ergasedem Apostolicam argumenta contineant, a nobis adducendæ visæ sunt (*a*).

XXXI.

(a) Ext. in l. priv. Rom. eccl. to. 3. pag. 218. Ext. etiam in arce S. Angel. & inter coll. Plat. & jussu Sixt. IV. edita to. 1. p. 346. & in MS. Vall. sign. lit. B. n. 12. pag. 176. & typis cusa ex typog. Vat. inter monitoria & declar. contra Venet.

In Christi nomine. Amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo trecentesimo decimo, indictione octava, die XIX. *mensis martii, præsentibus Petro Nanno filio D. Marci Ranfi de Tergesto, Petro Longo notario de Tergesto, Rodulfo Bovardi notario, de Tergesto, Othone de Alba cive Tergestino, Paschale de Goya de Tergesto testibus rogatis & ad hæc specialiter convocatis & aliis, congregato majori & generali consilio civitatis Venetiarum in sala majori ducatus Venetiarum per sonum cumpanæ & voces præconum, ut moris est in civitate Venetiarum coram magnifico & excellenti viro domino Petro Gradenico, Dei gratia Venetiarum, Dalmatiæ, atque Croatiæ duce inclyto, & domino quartæ partis & dimidiæ totius imperii Romaniæ, & ejus consilio, & ejusdem domini ducis voluntate & auctoritate; in quo consilio fuerunt congregatæ duæ partes consiliariorum ipsius majoris & generalis consilii & quasi omnes, ipsum majus & generale consilium, & homines ipsius majoris & generalis consilii cum ipso domino duce, & ejus consiliariis, & ipse dominus dux & ejus consiliarii cum ipso majori & generali consilio, plena & unanimi voluntate ac nemine discordante nomine suo tanquam singularium personarum dicti communis, universitatis, & districtus ac subditorum & fidelium ipsorum adhærentium, coadjutorum, valitorum, & fautorum, & cujusque ipsorum, cupientes suorum imitari vestigia antiquorum & in sinceritatis fide, devotione, atque gratia sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ matris eorum, ac sanctissimi & reverendissimi in Christo patris & domini domini Clementis divina providentia Papæ V. omni mentis puritate consistere; fecerunt, constituerunt, & creaverunt & ordinaverunt, nobiles & bonora-*

Oratores a Venetis ad Pont. missi.

Ad id muneris qui delecti.

ratos viros dominos Carolum Quirino & Franciſcum Dandulo civitatis Venetiarum cives, licet abſentes tanquam præſentes, & quemlibet eorum in ſolidum, ita quod non ſit melior conditio occupantis, ſed quod unus eorum incœperit, alter proſequi valeat & finire; ſuos & dicti communis, univerſitatis, & diſtrictus, & ſingularium perſonarum ipſorum, & cujuſlibet eorundem, veros & legitimos ſyndicos, procuratores, actores, factores, & nuncios ſpeciales ad præſentandum ad pedes ſanctiſſimi patris & domini domini Clementis divina providentia Papæ V. & ſanctitati ac clementiæ ſuæ omnem reverentiam exhibendam, & ab ejus benignitate veniam, gratiam, & miſericordiam humiliter implorandam; & ad ſupplicandum eidem humiliter, ut abſolutionis beneficium, ſecundum formam eccleſiæ a quibuſvis excommunicationum ſententiis, & a culpis, offenſis, exceſſibus, injuriis expreſſis, & damnis datis, & aliis quibuſcumque violentiis perpetratis, commiſſis, & illatis per dictos dominum ducem & Venetos ac perſonas quaſcumque civitatis Venetiarum & diſtrictus, & ſingulares perſonas ipſius civitatis & diſtrictus, eorumque valitores, auxiliatores, complices, & fautores, vel alios de mandato ipſorum in cives & civitatem Ferrarienſem, comitatum, & diſtrictum eorum, ipſorumque auxiliatores, valitores, defenſores, & quemlibet eorum, ac bona ipſorum mobilia & immobilia; necnon ſuper his omnibus & ſingulis, & ſuper aliis quibuſcumque ab his dependentibus & connexis eiſdem & eorum circumſtantiis univerſis, & ſuper quibuſcumque offenſis & damnis, quæ ſint vel dicantur ab ipſis, vel ipſorum aliquo illata vel data, ſcienter vel ignoranter quomodolibet adverſus dominum Papam, ſeu legatos, vel nuncios ipſius, ac homines & vaſſallos ejuſdem, vel alias contra ipſam Romanam eccleſiam quoquo modo; dignetur eis & cuilibet eorum nomine prædictorum, & ſingularium perſonarum ipſorum impendere miſericorditer & largiri: & ad petendum humiliter eccleſiaſticum interdictum poſitum tam in civitate Venetiarum ſeu in perſonis civitatis ipſius, quam in aliis quibuſcumque perſonis & terris, ac locis eis ſubjectis, vel aliis eorum occaſione, de gratia & juxta formam eccleſiæ relaxari, & a ſententiis excommunicationum abſolvi; & nomine quo ſupra ad implorandum, petendum, & obtinendum beneficium reſtitutionis in integrum. Et infra: *Et ad petendum humiliter pacta, quæ habuerunt & habent cum quibuſcumque perſonis, terris, locis, collegiis, & univerſitatibus; & privilegia, honores & juriſdictiones ipſorum domini ducis, communis, univerſitatis, & diſtrictualium ipſorum ampliari, majorari, gratificari, & gratioſiora concedi; & ſuper his quaſcumque literas impetrandum:*

Jubentur veniam præteritorum ſupplices depoſcere.

dantes præfati dominus dux & conſiliarii inſimul modo, quo ſupra, præfatis duobus ſyndicis vel procuratoribus ſuis, & eorum cuilibet, plenam & liberam poteſtatem, ac ſpeciale mandatum in ipſorum animas jurandi, & juramentum præſtandi de parendo mandatis ipſius domini Papæ, & Romanæ eccleſiæ ſuper omnibus & ſingulis ſupradictis, & quolibet præmiſſorum: ſatisfaciendi etiam ipſi domino Papæ & eccleſiæ Romanæ & ejus ſubditis & vaſſallis, valitoribus etiam & faventibus de his omnibus & ſingulis, pro quibus præfatæ ſententiæ ac proceſſus habiti, lati, & facti fuerunt; obediendi quoque ac parendi ſuper omnibus & ſingulis, & ſuper aliis quibuſcumque tam pendentibus vel connexis eorum, quam circumſtantiis univerſis, ipſius domini Papæ & Apoſtolicæ ſedis beneplacitis & mandatis; & promittendi nomine quo ſupra, ſe & ipſos ipſa mandata & beneplacita accipere ac ſervare, & firma ac rata ſemper habere ac tenere, & nunquam contrafacere vel venire, &c.

Inſtruuntur auctoritate, ut Venetos ad exigendas eccleſiæ imperia devincant.

XXXII. Implorant Veneti in Card. conſiſtorio miſericordiam Pont.

Perfunctos impoſito ſibi munere Franciſcum Dandulum & Carolum Quirinum Venetorum oratores, atque in publico Cardinalium conſiſtorio, præſente circumfuſa populi multitudine, pontificiis imperiis in illatis damnis atque injuriis ſarciendis pariturос ſacramento ſpopondiſſe, veniamque & priſtinam gratiam eccleſiæ popoſciſſe, teſtatur Pontifex in literis lapſo abhinc triennio datis, (*a*) quibus cenſuras diſſolvit. Conſenuit enim is concordiæ tractatus, cum Petro Gradenico duce, a quo erant miſſi, e vivis erepto, habenas reipublicæ corripuiſſet Marinus Georgius de quo hæc appendicis ad hiſtoriam Andreæ Dandali auctor (*b*): *Hujus tempore Venetorum provincia ob Ferrariæ dominium*, affectatum ſcilicet, *in excommunicatione permanſit*. Sed illius ducatus integrum annum non tenuit, ipſique ſucceſſit Joannes Superantius, qui (*c*) Franciſcum Dandulum, mortuo jam Carolo Quirino ejus collega, ad Clementem redire juſſit, ut pacem redintegraret: cujus opera demum Veneti in gratiam cum eccleſia reſtituti, de quibus ſuo loco (*d*). Jam ad res Gallicas orationem deducimus.

(*a*) *Annal. to. 14. An. Chr. 1303. n. 34.*

Retardata ob ducis mortem eorum reconciliatio.

Decrevit IV. kal. ſeptembris Pontifex (*e*) Jacobum epiſcopum Avenionenſem ad Philippum Galliarum Regem, ut ardua cum ipſo negotia agitaret. Ac ſane plura gravioris momenti tum pro Lugdunenſi controverſia componenda, Belgarum pace confirmanda, vindicanda a calumniis Bonifacii VIII. memoria, tractanda in Viennenſi concilio Templariorum cauſa interceſſiſſe, docent eo argumento pontificiæ exaratæ literæ. Utque a Lugdunenſibus turbis ducamus exordium: exaſperarant (*f*) adeo in ſe Lugdunenſes ob ad-

(*b*) *Lib. 5. ep. cur. 44.*

Petro Gradenico ſuccedit Marin. Georgius.

(*b*) *MS. ap. ad hiſt. Dandal.*

Huic morienti Joan. Superantius ſubrogatus.

(*c*) *Clem. l. 8. ep. com. 120.*

(*d*) *A. C. 1313. n. 32. 33.*

XXXIII. Inſtare ut cenſuris ſolvantur.

(*e*) *Lib. 5. ep. cur. 57.*

(*f*) *Ib. ep. cur. 43.*

Lugduni in regios adminiſtros concitatæ turbæ.

adminiſtros regios nonnullis injuriis affectos Philippi Francorum Regis iras, cujus auctoritatem ac jura labefactaſſe videbantur, ut is Ludovicum majorem natu filium, materno titulo regem Navarræ, paternique ſceptri futurum heredem, una cum fratribus ac principibus florentiſſimo ſuccinctum exercitu ad exigendas de Lugdunenſibus pœnas mitteret.

Rex Navarræ exercitum in cives ducit.

Cujus imminentis belli procellam longe proſpiciens Pontifex, ut conſuleret filiis, ad eam diſcutiendam nervos intendit: ac mox VIII. kal. julii hujus anni Stephanum tit. S. Cyriaci in Thermis presbyterum, ac Landulphum S. Angeli diaconum Cardinales Apoſtolicæ ſedis nuntios creavit, adhibuitque ad Francorum Regem interceſſores, ut Lugdunenſes priſtinæ reſtitueret gratiæ, omnemque injuriam Dei ac ſedi Apoſt. donaret: ſummam ea in re tum a divina majeſtate, tum ab eccleſia gratiam initurum. Præterea partes iis impoſuit, ut archiepiſcopum Lugdunenſem, canonicorum collegium, & cives ad pacem alendam, præſtanda Regi debita officia, injuriaſque illatas expiandas cohortarentur. Contendiſſe de Lugduni imperio nonnullos archiepiſcopos Lugdunenſes cum Regibus Francorum, ſuperius vidimus: (*a*) ad quam ſopiendam controverſiam quædam leges initæ cum Ludovico archiepiſcopo, eoque extincto, a Petro ſucceſſore approbatæ, poſtea reſciſſæ, unde bellum atrox exarſiſſet, niſi Clemens apoſtolica ſolicitudine Cardinalium opera, ad quos ſubjectæ extant datæ (*b*) literæ, extinxiſſet.

Missi a Pont. Cardinales ad bellum ſopiendum.

Dilectis filiis Stephano tit. S. Cyriaci in thermis presbytero, & Landulfo S. Angeli diacono Cardinalibus Apoſtolicæ ſedis nuntiis.

XXXIV. E quibus cauſis bellum illud emerſerit.

Ad noſtri apoſtolatus auditum, non abſque magna turbatione mentis, relatio fide digna perduxit, quod occaſione cujuſdam compoſitionis dudum inter chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Philippum Regem Francorum illuſtrem ex parte una, & quondam Ludovicum archiepiſcopum & dilectum filium capitulum Lugdunen. ſuper certis articulis, dum adhuc idem Ludovicus viveret, initæ, & demum eo ſublato de medio, ac venerabili fratri noſtro Petro archiepiſcopo Lugdunen. ſucceſſore ſuo ad regimen eccleſiæ Lugduenſis aſſumpto, per ipſum Petrum, ut dicitur, acceptæ mentis Regis præfati contra memoratum archiepiſcopum & eccleſiam ac cives Lugdunen. eſt adeo turbata ſerenitas, & indignatio ſuſcitata, quod Rex ipſe Francorum chariſſimum in Chriſto filium noſtrum Ludovicum Regem Navarræ illuſtrem primogenitum, & alios natos & fratres ſuos, & nonullos regni ſui magnates cum exercitu numeroſo contra dictos archiepiſcopum & capitulum & civitatem Lugdunen. impugnandos tranſmittit; ex quorum adventu multa animarum & corporum ſtrages & periculæ ſecuturæ veriſimiliter formidantur, ac bonorum dictæ Lugdunenſis eccleſiæ non levis deſtructio noſcitur imminere.

Data legatis auctoritas temperandarum concordiæ legum.

Verum deſiderantes ab intimis, quod idem archiepiſcopus, & eccleſia Lugdunen. pro ipſorum ſtatu pacifico & tranquillo in Regis prædicti devotione ac benevolentia ſtabiliter perſeverent; & ad id, quantum cum Deo poſſumus, libenter miniſterium apoſtolicæ ſolicitudinis impendentes, ac de veſtræ circumſpectionis alta prudentia, in magnis & arduis agendis experta, plenam in Domino fiduciam obtinentes; diſcretioni veſtræ de fratrum noſtrorum conſilio per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper compoſitione & acceptatione prædictis plena informatione habita & recepta, ac temperatis circa compoſitionem ipſam, quæ ſecundum Deum & juſtitiam, & archiepiſcopi & eccleſiæ prædictorum ac circumpoſitæ nationis ſtatum proſperum & tranquillum, dictique placationem Regis temperanda videritis, compoſitionem ipſam, dummodo ad id archiepiſcopi & capituli prædictorum accedat aſſenſus, auctoritate noſtra confirmare & approbare, quantum ad ipſum archiepiſcopum & eccleſiam pertinet, ſuper quibus veſtras conſcientias oneramus, prout expedire videritis, ſtudeatis. Quod ſi prædictos archiepiſcopum & capitulum ſalutaribus monitis ad acceptandum & approbandum compoſitionem ipſam, per prædictos archiepiſcopum & capitulum, ut prædicitur approbatam & initam inducere non poſſetis; vos temperatis, additis, declaratis, vel detractis in ipſa, quæ temperanda, adiicienda, declaranda, vel detrahenda, ſi qua fore noveritis, quantum ad ipſum archiepiſcopum & capitulum attinet, ſi id expedire videritis, ſuper quo veſtras conſcientias oneramus, compellere valeatis. Datum Avinioni VIII. kalen. julii anno quinto.

XXXV. Feliciter pax ſecuta.

Compulſum ad deditionem fuiſſe a Ludovico Hutino Petrum archiepiſcopum Lugdunenſem e Sebuſianorum principum nobilitate, refert Paulus Æmilius, (*c*) nec eripuiſſe belli flammam, cujus reſtincti, ut etiam firmatæ Gallos inter & Belgas concordiæ gloria Clementi adſcribenda eſt.

(*c*) *Paul. Æmil. in Philipp. Pulch. Gaguin. in eod.*

De pace Belgica.

Exarſerat jampridem inter Philippum Francorum Regem & Guidonem comitem Flandriæ, Robertum filium, Tornacenſes, Brugenſes, Gandavenſes, alioſque ipſorum fœderatos atrox bellum, ac poſt funeſta prælia, in quibus plurimus ſanguis fuſus, regia indulgente clementia pax conſtituta fuerat: inter cujus præcipuas leges ea adjecta erat, ut Robertus comes, ipſiuſque fratres a ſuis præſulibus ſupplices depoſcerent, ut in ipſos, ſi unquam pro-

A Belgicis præsulibus censuræ in populos latæ, si pacem infringerent.

promissa infringerent, anathema jacularentur, nec censurarum religione, nisi assentiente Francorum Rege, liberari possent. Præterea ad vinciendam eorum fidem conventum erat, uti ab Ap. sede precibus contenderent, ut anathematis & interdicti sententias a Belgis antistitibus latas confirmaret. Ac jam quidem solemni ritu ab episcopis in Belgio propositæ comiti ac populis erant censuræ, ne a conventis discederent; sed nondum iis apostolica auctoritas robur addiderat. Ad quam rem perficiendam Gandavenses, (*a*) Brugenses, (*b*) Chricondenses, (*c*) aliique populi, quorum catalogus in regesto pontificio texitur, oratores amplissimos Avenionem ad Clementem decrevere. Flagitantibus ergo a Clemente Roberti comitis ac Belgicarum urbium oratoribus, ut apostolica auctoritate anathematis atque interdicti censuras ab præsulibus suis vibratas, quas contracturi demum essent, cum primum pacis legis initas infringerent, confirmaret, Pontifex in sacro Cardinalium senatu pacti fœderis arctiore religionis vinculo astringendi cupidus, quæ gesta erant comprobavit, literisque apostolicis promulgavit (*d*).

(*a*) *Ib. ep. com.* 983. (*b*) *Ep.* 981. (*c*) *Ep.* 982.

Confirmatæ a Pont. flagitantibus Belgis.

(*d*) *Lib. 5. ep. com.* 981.

XXXVI.

Clemens, &c.

Nos igitur, qui pacem prædictam, ut tam periculosa dissensio tolleretur, affectabamus ab intimis, hujusmodi negotii laudabilem concordiam, & felicem exitum contemplantes, Regi cœlesti, qui pacem annuntiare, pacem prædicare, & pacem docere venit in terris; & a quo tantum bonum non ambigimus processisse, cum ab eo cuncta bona procedant: exinde laudes & gratias devotionis animo exhibentes, & attendentes ipsorum procuratorum, seu syndicorum supplicationem humilem & devotam, nec non tenorem pacis prædictæ; sententias ordinarii supradicti, si quæ secundum modum prædictum latæ sint vel postquam ordinarius idem secundum modum eundem illas duxerit proferendas, decrevimus & ex certa scientia mandavimus inviolabiliter observandas, ac in eosdem dominos ipsorum & singulos de communitate prædicta, & eorum successores, si qui forsan eorum, quod absit, ullo unquam tempore pacem violarent eandem, vel contra aliquem de dictis articulis venire præsumerent, aut contenta & quodlibet contentorum in eisdem articulis seu literis nostris prædictis, pacem eandem & ipsius omnes & singulos articulos de verbo ad verbum continentibus non complerent, non attenderent, non servarent, excommunicationis, & in dictam villam Brugensem, ejus loca, terras, & pertinentias eorundem interdicti sententias auctoritate apostolica duximus promulgandas; quarum neutram nisi ad requisitionem prædicti Regis & heredum, vel successorum ejus Regum Franciæ, vel eorum, qui ab ipsis sufficiens mandatum ad hoc habuerint, quoquo modo contigerit relaxari, nos relaxationem hujusmodi auctoritate apostolica decrevimus irritam & inanem, ac nullius existere firmitatis, &c. Rhemensi archiepiscopo, atque episcopo Silvanectensi, abbatique monasterii S. Dionysii partes injungit, ut si unquam Brugenses initas pacis leges violarint, atque a Galliarum Rege aut successoribus censuras in eos ob id distringere fuerint rogati, promulgent anathemate interdictique ecclesiastici pœnis se devinxisse. *Dat. Avinion. id. junii anno* v. Adjectæ sunt plures aliæ iisdem archiepiscopo, episcopo, atque abbati inscriptæ literæ, (*e*) quibus Belgii populos ad colendam pacem censurarum religione continere jussi sunt.

Non solvendæ nisi Rege Francorum exposcente.

(*e*) *Ib. ep. com.* 982. &c.

XXXVII. De Bonifacii fama vertitur judicium.

Importunis memorati Regis precibus, ut e Bernardo superiori anno retulimus, fatigatus Clemens, cum in publico consistorio accusandæ Bonifacii memoriæ obtrectatoribus libertatem concessisset, hoc anno ad controversiam dirimendam quæsitores instituit, qui testium dicta exciperent, atque in publica documenta redigerent, ut ex iis judiciaria actio instrui, reique veritas in luce collocari posset. Quo vero Bonifacii innocentia illustrior pateat, Clementis literæ (*f*) hac de re adducendæ visæ sunt, ex quibus constat summa juris acerbitate in ejusdem Bonifacii nomen actum fuisse.

(*f*) *Ext. in MS. arch. Vatic. ex monum. allatis Aven. ad Urbem an.* 1633.

Clemens, &c. venerabilibus fratribus Isnardo archiepiscopo Thebano vicario nostro in spiritualibus in Urbe, Jacobo Avinionensi, & Altegrado Vicentino episcopis, & dilectis filiis Bertrando abbati monasterii Montis Albani, & fratri Vitali de Furno ordinis Minorum magistro in theologia Caturcensis & Vasatensis diœcesum, ac magistro Grimerio de Pergamo laico in Romana curia advocato salutem & apost. benedictionem.

In negotio super crimine hæreseos moto contra quondam Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum, quod vertitur coram nobis, nonnulla tam ab iis, qui ad oppositionem & prosecutionem dicti criminis contra eum, quam ab iis, qui ad ipsius Bonifacii defensionem coram nostra & fratrum nostrorum præsentia comparuerunt, proposita sunt verbotenus & inscriptis. Et licet super iis eosdem sic comparentes, nec eorum aliquem adhuc duxerimus admittendos, nec etiam repellendos; considerantes tamen, quod boni judicis est, ut salva sit rerum probatio, & ne pereat probationum copia procurare; ac nolentes, quod propter moras, quæ ex allegationibus & exceptionibus hinc inde per comparentes præfatos oppositis incidunt & incidere possent, probationum deperiret copia vel facultas; testes, de quorum timetur absentia, seu morte utpote senes, valetudinarios, infirmitate detentos, vel abfuturos absentia diuturna & iis similes, qui commode haberi poterunt, quæstione de prædictis pro oppositione & defensione hujusmodi, ut præmittur, comparentibus admittendis vel etiam repellendis coram nobis, pendente super eodem negotio, ex nostro recipiendos officio duximus decernendum.

Decreti judices ad interrogandos testes.

*Quia vero nonnulli viri catholici asserentes, & etiam juramento tactis sacrosanctis evangeliis per eos coram venerabili fratre nostro Petro episc. Penestrino de mandato nostro recipiente præstito, sicut ex parte ipsius episcopi Penestrini accepimus, affirmantes se credere, quod in Urbe, Lombardiæ, Tusciæ, & Campaniæ partibus ac in circumvicinis locis testes sunt conditionis hujusmodi, per quos articuli indicto negotio traditi & per nos recepti, vel eorum aliqui probari poterunt; nobis cum repetita instantia supplicarunt, ut testes ipsos in illis partibus per aliquas personas idoneas recipi mandaremus; nos volentes, prout debemus, pinguius probationibus, subvenire, ac de circumspectione vestra ac fidelitate probata plenam in Domino fiduciam obtinentes, & sperantes quod ea, quæ vestræ industriæ committuntur, curabitis exequi fideliter & prudenter; discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ad Urbem & partes prædictas personaliter accedentes, testes conditionis præfatæ, qui coram vobis per quoscumque viros catholicos fuerint nominati, prius tamen summarie per juramentum nominantium eorundem, aut per aspectum corporum testium ipsorum, seu alias per non solemnem indaginem fide facta, quod testes ipsi prædicti status & conditionis existant; super articulis, quos vobis sub bulla nostra mittimus intercluſos receptos & approbatos a nobis, secrete recipere * secrete in præsentia dilectorum filiorum magistrorum Joannis de Rhegio cameræ nostræ clerici & Imberti Verzellarii clerici Biterrensis notariorum publicorum, quos ad testium prædictorum attestationes seu depositiones redigendas in scriptis tenore præsentium deputamus, & vos etiam alios duos fideles & idoneos, de quibus expedire videritis, juxta qualitatem negotii deputetis. Et si forsan prædicti vel aliquis ex ipsis notariis esset impedimento canonico * prædicti, examinationi dictorum testium interesse non possent, totidem quot erunt impediti, loco illorum subrogantes, fideliter examinare curetis, & attestationes seu depositiones ipsorum per eosdem notarios fideliter in scriptis redactas, signis eorum signatas, ac vestris sigillis inclusas nobis studeatis quantocyus destinare.*

* curetis

* præpediti

XXXVIII. Testes autem, qui fuerint nominati, si gratia, odio vel timore subtraxerint veritati testimonium perhibere; necnon & omnes & singulos tam clericos quam laicos,

religiosos vel sæculares, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, status, ordinis, vel conditionis existerent, etiamsi cardinalatus vel pontificatus præfulgeant dignitate, qui præfatis testibus, vel alicui eorundem, aut alii vel aliis occasione testificationis aut depositionis ipsorum in personis vel bonis impedimentum aliquod præstare, vel molestiam inferre præsumerent publice vel occulte; aut consentirent, quod impedimentum hujusmodi vel molestia inferretur, vel darent ad hoc opem, auxilium, consilium, vel favorem per se vel alium, seu alios, directe vel etiam indirecte; quod ab hujusmodi impedimento molestia, ope, auxilio, consilio, & favore prorsus abstineant & desistant, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita, super quo plenam vobis auctoritate præsentium potestatem concedimus, compellatis: non obstantibus si aliquibus clericis vel laicis, religiosis vel sæcularibus cujuscumque ordinis, conditionis, status, aut præeminentiæ, vel dignitatis existant, etiamsi cardinalatus vel pontificatus honore præfulgeant, communiter vel divisim a præfata sit sede concessum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nos enim omnem promissionem & obligationem factas, ac juramentum præstitum sub quibuscumque modo, forma, vel expressione verborum per quoscumque clericos vel laicos, religiosos vel sæculares, cujuscumque ordinis, conditionis, vel status aut præeminentiæ, vel dignitatis existant, de non deponendo seu perhibendo testimonium veritati in negotio supradicto, etiamsi, ut præmissum est, cardinalatus aut pontificatus honore præfulgeant, sicut alias sic & nunc eadem auctoritate apostolica cassamus, irritamus, & vacuamus, & etiam revocamus & juramentum hujusmodi relaxamus, & nullam obtinere decernimus roboris firmitatem.*

Cautum diligentissime, ut veritas explorare tur.

Cæterum ut testium prædictorum periculis efficacius occurratur, & cautius & liberius procedatur in negotio supradicto, nomina & attestationes, seu depositiones testium eorundem per vos & notarios supradictos sub excommunicationis pœna, quam vos & ipsos ex hujusmodi violatione secreti incurrere decernimus ipso facto, secreto haberi atque teneri volumus, nec alicui patefieri absque nostro & Apostolicæ sedis mandato vel licentia speciali. Mandamus insuper, quod per literas nostras harum seriem continentes, nobis scribere studeatis, quanta sit fides memoratis testibus adhibenda: quodque tu frater Avinionensis episcope, & vos filii abbas & frater Vitalis, vel duo vestrum una vobiscum frater archiepiscope & Vicentine episcope, ac fili Grimerie, vel duobus aut uno vestrum

Omnia in arcano haberi jussa.

præmissa omnia exequi studeatis. Datum Avinion. IV. kal. julii pontificatus nostri anno V. Subditur in eodem ternione eadem formula datas literas ad Jacobum episcopum Avenionensem, qui postea pontificatum accepto Joannis nomine adeptus est, ad Bertrandum abbatem monasterii Montis Albani Caturcensis diœcesis, ad magistrum Castellanum Tarvisio oriundum capellanum pontificium, ac Vitalem de Furno Minoritam magistrum Vasalensis diœcesis. Ne vero Bonifacii calumniatores aliive hostes Romanæ ecclesiæ obgannirent agitatam molliter illius causam, testesve metu repressos, ne testimonia contra eundem Bonifacium exhiberent, Clemens publico edicto omnibus, qui adversus Bonifacii famam testari vellent apud tribunal pontificium, aut quæsitores in ea causa constitutos, facultatem contulit; (*a*) vetuitque ullam iis vim injuriamve inferri, intentato anathemate universis sine ullo dignitatis discrimine, qui hujusmodi testes vexarent, vel ne testimonia proferrent, clam palamve obsisterent. Ut vero post interrogatos testes Romæ, in Campania, in Etruria, Avenione, Parisiis, vindicata *sit a calumniis Bonifacii memoria*, ac publice theologicis argumentis jurisque civilis & canonicis legibus comprobata innocentia, dicetur inferius. Nunc reliqua hujus anni prosequimur.

(a) *Lib. 5. ep. cur. 42.*

XXXIX. Arnaldus de Villanova errores disseminat.

Per id tempus Lutetiæ fœdi errores ab Arnaldo de Villanova Talentina diœcesi oriundo insigni Physico disseminati, quem Joannes Villanus (*b*) inter cæteros ait, inepte affirmasse extremi judicii diem imminere, atque excurrente decimo quarto sæculo, anno illius septuagesimo sexto circiter futurum, eaque de re librum, deortis in suam sententiam pluribus Danielis ac sibyllæ Erythrææ vaticiniis compegisse: in quem cum a censoribus sacræ fidei ex legibus agi cœptum esset, fuga se ad Fredericum Regem Trinacriæ propipuisse. Commemorat ejus errores Nicolaus Eymericus (*c*) in directorio, meminitque de ejusdem pseudoprophetia Durandus episcopus Meldensis in suo de visione animarum libello dato Joanni XXII. irrisumque fuisse a doctis innuit, cum Christus dixerit de judicii die, neque Filius hominis scit: *Fuit*, inquit, *dictum magistro Arnaldo Catalano, qui volebat præfigere tempus antichristi: Magister Arnalde si vultis prudenter dicere, assignetis tantum tempus adventus Christi*. Extat vero in MS. (*d*) reperto in archivo palatii Avenionensis anno MDXCIV. gerente legationem Avenionensem Octavio Aquaviva Cardinale ac dein Romam allato in fidei orthodoxæ formula, quam Arnaldus Villanovanus damnatis adversis erroribus profesus est. His addit S. Antoninus, (*e*) Arnaldum misere in mari periisse: *Quia*, inquit, *magistri Parisienses tenebant contra eum, timens ipse ne deveniret ad manus inquisitoris, aufugit inde, & profectus est in Siciliam; qui cum missus fuisset a Friderico Rege Siciliæ orator ad Papam, in mari mortuus est*. Non diu quidem ipsum superfuisse docent Clementis I teræ anno hujus sæculi duodecimo v. id. martii pontificatus anno septimo Viennæ consignatæ, (*f*) ad universos orbis præsules datæ, quibus ipsum e vivis sublatum dolet: & quantam de illius peritia in re medica opinionem hausisset, indicat. Cum enim Arnaldus Pontifici pollicitus esset librum de re medica a se conscriptum dono ei traditurum, Clemens audita de ipsius morte fama, Oliverio clerico libri ejusdem investigandi partes injunxit, præsulibusque imperia dedit, ut incussa censurarum religione omnes sive religiosos viros sive laicos, in quorum manus liber devenisset, ad eum Oliverio tradendum adigerent; vel alios, qui apud aliquem latere non ignorarent, ad rem indicandam compellerent. Sed de Arnaldo ut ob rei medicæ scientiam conspicuo, ita ob errores fidei notato infamia satis. Infecerat quoque nonnulla alia loca hæreseos lues, sodomitica pestis, maximeque in urbe ac diœcesi Lingonensi, pullularat: ac propterea duo a Clemente e Dominicana familia religiosi viri censores creati, (*g*) qui in ejus sceleris reos animadverterent.

Ex ea re diturus ad pontif. fluctibus perit.

(*b*) *Vill. l. 9. c. 3. Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. §. 8.*

(*c*) *Nicol. Eym. 2. p. direct. quæst. 11.*

(*d*) *MS. arc. Vat. Avenion.*

(*e*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. §. ult.*

(*f*) *Lib. 7. ep. cur. 17.*

Clemens illius scripta de re medica conquiri jubet.

(*g*) *Ib. ep. 669.*

XL. Convictos eo crimine, ac pluribus aliis gravioribus, Templarios eodem anno, & ab ecclesiasticis foro sæculari traditos, flammisque ab iis injectos, prodit hisce verbis Benardus (*h*): *Anno Dom. MCCCX. quinto idus maii feria secunda per archiepiscopum Senonensem cum suis suffraganeis in concilio provinciali Parisius coadunato fuerunt sententiati, & judicati ex propriis confessionibus quinquaginta quatuor Templarii, & relicti curiæ sæculari tanquam impœnitentes super nefanda & profana professione sua: & sequenti die martis quarto idus maii in festo SS. Nerei & Achillei fuerunt per sæcularem curiam domini Regis igni traditi & combusti; & post paucos dies fuerunt ibidem quatuor alii similiter judicati*. De quinquaginta octo Templariis, in eo ordine auctoritate conspicuis, flammis justu regio Parisiis traditis meminit Joannes Villanus; (*i*) subjicitque fama percrebuisse ipsos injuria supplicio affectos ab iis, qui illorum opibus inhiabant, & in extremo vitæ actu pœnitentiæ Christianæ signa edidisse, seque Christianos ac pios publice contestatos. Errat vero dum scribit tunc ordinis principem periisse, quem tertio post anno exustum dicturi sumus. His addit Bernardus, (*k*) sumptum in aliis Galliarum locis de Templariis supplicium, quos ait mo-

(*h*) *Bern. in chr. Rom. Pont. Gest. MS. Vat. Cæs. V. Stero in Annal. chr. Rom. Pont. MS. bibl. fig. n. 3765.* Injecti flammis quinquaginta octo Templarii.

(*i*) *Jo. Vil. l. 8. c. 121.*

(*k*) *Bern. ubi sup. & chr. Roman. Pont. & MS. Vat. bibl. fig. n. 3765.*

Alii eodem affecti supplicio. Morituri tormentorum metu falsa dixisse contestantur. (*a*) *Tom. 3. conc. p. 2. sub Clem. V.* Templarii in Ger. sibi inferendam vim armorum metu repellunt. (*b*) *Serar. Mogunt. rer. l. 5. in Petr.* (*c*) *MS. Vat. sign. n. 92. ex inferiore arch. pal. Aven. Romam perlatum.* Moguntinus arch. munere sibi commisso male functus.

morituros confessa antea tanquam tormentorum metu extorta revocasse: *Item paulo post infra mensem in alio concilio provinciali, celebrato in Silvanecto per archiepiscopum Rhemensem cum suffraganeis suis, fuerunt novem alii Templarii eadem causa in modo simili pariter sententiati, & consequenter per sæcularem curiam concremati. Unum autem jusjurandum fuit, quod omnes & singuli singillatim confessiones suas, quas prius fecerant in judicio, & jurati confessi fuerant dicere veritatem, penitus retractarunt, dicentes se falsa dixisse prius, & se fuisse mentitos, nullam super hoc reddentes causam aliam, nisi vim vel metum tormentorum, quod de se talia fassi essent*.

Coacta etiam in Templarios provincialia concilia in Germania (*a*) hoc anno: sed ii de gestis adversus sodales in Galliis edocti, in mediam synodum Moguntinam irrumpentes duce Hugone comite, terrore præsulibus incusso, e judiciorum severitate se vindicarunt: ut narrat Serarius, (*b*) judiciariaque acta edita Moguntiæ hoc anno, atque in memorato archæo palatii Avenionensis reperta consignata num. 68. referunt, quadraginta novem testes adductos nil adversus Templariorum ordinem de sceleribus ipsis impositis respondisse: alterius pariter judiciariæ actionis tabulæ in Trevirensi archiepiscopatu confectæ transmissæque (*c*) ad Clementem narrant septemdecim testes interrogatos de flagitiis Templariorum nullum confessos.

Cæterum Petrum Moguntinum archiepiscopum impositis sibi a Pontifice partibus male perfunctum ex Clementis diplomate (*d*) colligitur: cum enim literas apostolicas de capiendis Templariis cum Magdeburgensi & Trevirensi archiepiscopis communicare jussus esset, rem non cum iis, sed cum suffraganeis contulerat. Interim vero Magdeburgensis archiepiscopus, cum data sibi de coniiciendis uno die in vincula suæ provinciæ Templariis, & occupandis eorum bonis, ac referendis in commentarios, quos ad sedem Apostolicam transferret, imperia pontificia exequi aggressus esset, efferati eo periculo finitimi Templarii, graviores injurias ac damna Moguntino archiepiscopo intulere. Quo ille irritatus casu Halbestadensem episcopum censuras Magdeburgensi archiepiscopo ob rem se inconsulto tentatam incuti jussit. Quæ cum improbe latæ essent, ac non Magdeburgensis, sed Moguntinus officio defuisset, rescripto pontificio VIII. Kal. octobris exarato dissolutæ sunt. [1]

(*d*) *Lib. 5. ep. com. 738.*

Magdeburgensem archiep. censuris ferit. Eæ a Clem. rescissæ.

XLI. Concilium Viennen. ad sequentem annum extractum.

Cum vero Templariorum causa nondum ita mature discussa esset, ut de iis in concilio futuro certi aliquid statui posset, œcumenicam synodum, quam Viennæ in Gallis celebranda Kal. octob. hujus anni indixerat Clemens, ad alias sequenti anno recurrentes prorogavit e Cardinalium consilio. Qua de re encyclicas literas (*e*) ad archiepiscopos & episcopos dedit, quæ in regesto pontificio Nicosiensi archiep. inscriptæ occurrunt, pridie non. aprilis anno

(*e*) *Lib. 3. ep. cur. 18. & post eand. ep. & 10. conc. 3. p. 2. in conc. Vien.*

NOTÆ [1] Quanquam in concilio Moguntino hoc anno celebrato nihil asperum decretum est in Templarios ut ab Annalista hic adnotatur, plura tamen disciplinæ capita ibidem sancita sunt. Vulgavit illa e MS. codice Lunigius spicileg. Eccles. contin. II. pag. 38. & ex eo in suam collectionem retulit Venetus editor collectionis Labbeanæ tom. XIV. col. 1479. &c. Plures in eo canones aliorum Conciliorum sub expresso eorumdem conciliorum nomine recitantur & innovantur, ex quibus acta eorumdem conciliorum, quæ nondum vulgata sunt, ex parte innotescunt; quædam pariter concilia alias ignota hic patescunt, quamquam certus annus, cui adscribenda sunt definiri non potest. Ita concilii Moguntini sub Weroeo archiepiscopo anno 1261. celebrati, cujus solum nomen in collectionibus servatum est, plures ibi canones legas. Aschaffenburgense concilium anni 1292. cujus nuda mentio in collectionibus, canones ultra viginti Patribus Moguntini concilii suffecit. Sermo est ibi pariter de concilio Fritislariensi sub Sigefrido Moguntino; sed cum hujus nominis duo fuerint sæculo XIII. archiepiscopi, ad quem potissimum pertinet concilium collectoribus ignotum, ambigitur. Sermo est pariter de concilio Moguntino sub Gerhardo; sed cum pariter duo fuerint Moguntini Archiepiscopi, alius quidem ab anno 1251. ad 1260. alter vero ab anno 1288. ad 1304. ideo de tempore hujus concilii statui nihil potest; ad priorem Gerhadum referendum esset, si Alexandri IV. constitutio in eodem concilio recitata, qua statuta quædam Gerhardi confirmantur, ad sanctiones concilii hujus pertinere censeatur.

Concilium etiam aliud hac Templariorum occasione Treviris a Balduino archiepiscopo habitum est, cujus canones numero CLVI. in collectione Veneto-Labbeana leguntur. In sanctionibus illis novi nihil occurrit.

Alterum denique Coloniæ egit Henricus archiepiscopus, cujus acta canones XXVIII. complectentia, legas in collectione Labbeana. Hujus canon XXVIII. sancit ut de cætero anni exordium constituatur in nativitate Domini prout S. Romana Ecclesia servat. Ecclesia quidem Romana annum a Circuncisione inchoabat; sed cum nativitas parum a Circuncisione abesset, nihil erat inter utrumque morem anni exordiendi, discriminis.

Concilium Silvanectense, de quo annalista hic ex Bernardo, a collectoribus inter anni hujus concilia per incuriam omissum est.

Quod vero Bononiæ in Italia celebratum asserit annalista num. 41. concilium, non Bononiæ, sed Ravennæ habitum Rubeus, unde hoc petitur, affirmat. Quanquam enim Raynaldus Ravennensis præsul illud Bononiæ indixit; postmodum mutato consilio Ravennam pro Bononia substituit. Vide Rubeum histor. Ravenn. lib. VI. ad hunc annum. MANSI

pontificatus v. consignatæ. Nec enim modo in Germania, in Moguntino scilicet & Trevirensi conciliis provincialibus Templarii absoluti fuerant, sed etiam in Italia in celebrata Bononiæ synodo, cum objecta fortiter pernegarent, omni noxa liberi fuerunt renuntiati, ut Rubeus (*a*) narrat. Datæ etiam eo argumento ad Philippum Franciæ, Eduardum Angliæ, Robertum Siciliæ, Jacobum Aragonum, Ferdinandum Castellæ & Legionis, Jacobum Balearium, Ludovicum Navarræ, Dionysium Lusitaniæ, Henricum Boemiæ, Carolum Ungariæ, Henricum Romanorum, Aquinum Norvvegiæ, Henricum Cypri, Fridericum Trinacriæ, tum Daniæ & Sueciæ Reges literæ: (*b*) quibus rogavit, ut ſtato tempore accederent. Earum porro quæ Francorum Regi inſcriptæ, hæc ſententia eſt.

(*a*) *Rub. hiſt. Raven. l. 6.*

(*b*) *Reg. poſt ep. cur* 18.

Clemens, &c, chariſſimo in Chriſto filio Philippo Regi Franciæ illuſtri.

Licet eccleſiarum prælatos & celſitudinem tuam ad univerſale concilium, quod dudum a proximis tunc kal. octob. ad duos annos immediate ſequentes apud civitatem Viennenſem de fratrum noſtrorum conſilio decrevimus congregandum, per noſtras ſub certa forma litteras prælatis ipſis & tibi ſuper ipſius concilii convocatione directas duxerimus evocandos; quia tamen negotium inquiſitionum quod per diverſas mundi partes contra ordinem militiæ templi ejuſque ſingulares perſonas fieri mandavimus, completum non eſt, & quod in brevi compleri valeat non ſperamus, nec videmus ipſum negotium & nonnulla alia, quæ in eodem ſunt tractanda concilio, poſſe uſque ad præfatum ſtatutum terminum taliter præparari, quod ad ipſius examen concilii decenter valeant introduci; eundem terminum uſque ad kalendas octobris, prædictum primum terminum jamdudum per eaſdem noſtras literas aſſignatum immediate ſequentes, ex præmiſſis & aliis certis, juſtis, & legitimis cauſis, quas præſentibus inſeri non oportet, de fratrum eorundem conſilio duximus prorogandum. Hæc itaque ad tuam & univerſorum notitiam deducentes, ſerenitatem regiam rogamus & hortamur attente, in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, quatenus præſcripto termino ſic per nos, ut prædicitur, prorogato ſtudeas in eodem concilio juxta priorum directarum tibi per nos ſuper hoc literarum tenorem in prælibato loco perſonaliter intereſſe. Datum Aven. II. non. aprilis anno V.

Ob Templariorum cauſam nondum integre diſcuſſam.

Recuſarunt plerique Reges ſuſcipere Viennenſis itineris labores; cum tamen Clemens cuperet maxime ut convenirent, quo expeditio illa ſolemnis in Syriam meditata ex omnium Regum conſilio decerneretur; ſed oratores ſuos miſere. Defixa (*c*) porro ſunt de prorogatione concilii in Avenionenſis eccleſiæ veſtibulo publica edicta, ut res in omnium fidelium cognitionem emanaret. Tum etiam vergente anno, nimirum x. kal. dec. Pontifex ordinum religioſorum magiſtros & abbates, quorum texitur catalogus, deſignato tempore Viennam, ut concilio intereſſent, iter intendere juſſit (*d*): tum enim, Templariorum peracta quæſtione, omnia ad illud celebrandum inſtructa fore.

(*c*) *Ib. ep. cur.* 19.

Ordinum religioſ. magiſtri & abbates inſignes exciti ad concil.

(*d*) *Caniſ. to. 1. antiq. lect. pag. 623. & to. 3. conc. p. 2. ſub Clem. V.*

Juſſi jam ante in eam rem erant archiepiſcopi ſynodos in provinciis cogere, atque inter alios Conradus archiepiſcopus Salisburgenſis A. S. L. cum ſuffraganeis concilium hoc anno celebravit, in quo nonnulla ad diſciplinam eccleſiaſticam adſtringendam decreta edita, atque alia mitigata, inter quæ illud in popinarios clericos latum temperatum eſt: *Statutum de clericis tabernariis, quod incipit, Clericus non viator, cum hoc moderamine declaramus, quod cauſæ rationabiles & honeſtæ intelligi debeant iſtæ, quod ſi clericus non viator in ſacris conſtitutus, aut religioſus tabernam intraverit ad honorandum quempiam amicum, dominum aut quamcumque honorabilem perſonam; vel ſi impræmeditate intret oblitus conſtitutionis, ſeu ex quacumque neceſſaria vel utili cauſa, non voluptuoſa, ibique biberit vel comederit, pœna ſtatuti præhabiti non ligetur: hæc tamen moderatio ad luſores non extendatur.* Præterea exauctorati, atque omni privilegio clericali privati ii, qui artem joculatoriam anno integro exercuiſſent, atque omnes eam artem ſunt juſſi excurrente trimeſtri abiicere: quo evoluto ni paruiſſent, e clericorum numero eradendi. Subjecti etiam pœnis, atque ab adminiſtratione omni ſubmovendi pronuntiati, qui excurrentibus annis ſingulis rationes non exhibuiſſent. Benedictinis & Auguſtinianis abbatibus & præpoſitis data imperia, ut comitia ordinis indicerent ſingulis trienniis, in quibus de religioſa diſciplina redintegranda agerent. Sancita etiam nonnulla de decimis Clementi perſolvendis, quæ ab eo in rem Chriſtianam convertendæ ad Aſiaticas terras e Saracenorum tyrannide eripiendas indictæ fuerant.

XLII. Saliſburg. concilium. De clericis popinam ingreſſis.

Alia in eo ſtatuta.

Aucta certe non parum in oriente Chriſtiana res Clementis auſpiciis hoc anno, quo a cruceſignatis Rhodus inſula duce Fulcone Villareto ordinis Hoſpitalariorum principe bello parta eſt, debilitatiſque Turcarum conatibus, Chriſtiano adjuncta imperio Hoſpitalariorum ditioni ceſſit, unde Rhodiorum equitum nomen accepere. De qua felici victoria, magnis laboribus ac fuſo ſanguine relata hæc Jordanus: (*e*) *In feſto aſſumptionis Hoſpitalarii ceperunt civitatem Rhodi caput totius inſulæ;* quæ accuratius recenſet Bernardus

XLIII. Rhodus ad Hoſpitalariis erepta Turcis.

(*e*) *Jord. chr. MS. Vat. bibl. ſig. num.* 1960.

(*a*) *Bern. chr. Rom. Pont. Geſta Clz. V. ubi ſup. chr. Pont. MS. Vat. bib. ſig. n.* 3765. *hoc an. in Clem. V.*

dus (*a*): *Anno Domini* MCCCX. *in feſto aſſumptionis B. Mariæ virginis exercitus Chriſtianorum cum Hoſpitalariis obtinuerunt civitatem Rhodi, quæ erat caput & metropolis totius regionis & inſularum vicinarum: & ex tunc inſula Rhodi & aliæ inſulæ circumvicinæ redactæ ſunt ſub poteſtate & dominio Chriſtianorum, Turchis penitus ſubjugatis. Sunt autem ibi multi portus, & patet inde aptus tranſitus Chriſtianis in terram ſanctam, in Achon, & in Cyprum.* Explicuiſſe fertur (*b*) in eo ſacro bello egregiam virtutem militarem Amedeus Sabaudiæ dux in propulſandis infidelium conatibus, qui ad eam recuperandam claſſe invecti erant duce Ottomano Rege Turcorum, indeque magni cognomentum adeptus: ad cujus triumphi laudem transfundendam poſteris crucem albam & quatuor harum literarum F. E. R. T. quæ ſubjectarum vocum initiales ſunt, *Fortitudo ejus Rhodum tenuit*, ſymbolum gentilitio ſcuto præferri voluit.

(*b*) *Boſ. p. 2. hiſt. eq. Hier. l. 1.*

XLIV. Ferdinandus Rex Granatenſem expeditionem redintegrat.

Non ita feliciter adverſus Saracenos Hiſpaniæ geſta (*c*) res eſt: excitata enim in Regis Caſtellæ caſtris diſſenſione, Algeziræ primum, & Almeriæ poſtea ineunte hoc anno obſidio ab Aragoniis & Caſtellanis irrito eventu ſoluta eſt. Ad quam ignominiam eluendam Fernandus Caſtellæ ac Legionis Rex redintegrandæ Granatenſis expeditionis conſilia perducere agitavit, renovatoque cum Jacobo Rege Aragonum armorum fœdere, oratorem ad ſedem Apoſtolicam, ut auxilia eccleſiæ depoſceret, legavit. Illum placide admiſit Clemens (*d*), quamvis conſiſtorii juſtitium eſſet, ac pium Fernandi Regis amplificandæ religionis ardorem commendavit: datiſque ad eum literis, nunquam pro fide dimicanti eccleſiam defuturam eſt pollicitus: graviſſimum ſe dolorem ex eorum perfidia hauſiſſe, qui commodis ſuis illecti atque a divino amore alieni ſuſceptam ab ipſo expeditionem diſcuſſiſſent; atque ad frænandam eorum improbitatem Hiſpalenſi & Compoſtellano archiepiſcopis, & epiſcopis Legionenſi & Saguntino provinciam demandaſſe, ut cenſuris eccleſiaſticis hujuſmodi invidos & hoſtes deſigerent. Miſſæ ſunt hac de re iis præſulibus ſubjectæ literæ (*e*) quibus Joannes (*f*) patruus Regis Fernandi & Joannes Manuel, ſuppreſſis eorum nominibus, in crimen vocantur, ſenſiſſe cum hoſte nominis Chriſtiani, aperuiſſe Granatenſibus Fernandi conſilia, avertiſſe ab eo ſtipendiorum ſubſidia, ſubornaſſe milites, qui ſub ſignis erant, atque caſtris promiſſa impunitate elicuiſſe.

(*c*) *Marian. de reb. Hiſp. l.* 23. *c.* 9.

(*d*) *Lib.* 5. *ep. com.* 263.

(*e*) *Ib. ep.* 360.

(*f*) *Marian. ubi ſup.*

Clemens, &c. venerabilibus fratribus . . . Compoſtellano, & . . . Iſpalenſi archiepiſcopis, & . . . Legionenſi, ac . . . Seguntino epiſcopis.

Querelæ in principes conjuratos, qui obſidionem Algeziræ ſolvere coegerunt.

Prout Regis querula inſinuatione pervenit, nonnulli filii Belial, quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, Deum non timentes, nec hominem reverentes, contra ipſum Regem perſonaliter hujuſmodi negotium proſequentem, in enormem læſionem fidei Chriſtianæ, & dictorum Saracenorum favorem graves turbationes & ſcandala ſuſcitare curarunt, obſidionem de Algezira impedire conantes, ac inducentes homines & vaſſallos Regis ejuſdem, ne eidem Regi, ſicut ordinatum fuerat & promiſſum, adjutorium in pecunia pro proſecutione ſupradicti negotii exhiberent, corrumpendo etiam animos aſſiſtentium Regi prædicto in negotio memorato, impediendo expugnationem caſtrorum, quæ per Sarracenos detinebantur eoſdem, & revelando eis ſecreta exercitus, ac præmuniendo ipſos de iis, quæ in ipſorum expugnationem per ipſum Regem fuerant ordinata; ſeducendo & ſubvertendo nihilominus animos exercitualium, ne in exercitu remanerent, moram in eodem exercitu eis periculoſiſſimam aſſerendo ſuadendo quod de exercitu ſecure recederent memorato, ſecuritatem & defenſionem recedentibus promittendo: propter quæ dictus exercitus in non levi quantitate equitum & peditum extitit notorie diminutus, immo annihilatus omnino, & nonnulla alia per eoſdem iniquitatis filios temere præſumpta & patrata fuerunt, quæ in Dei contemptum, fidei catholicæ detrimentum, dicti Regis & regnorum & terrarum ſuarum grave ſcandalum, grande periculum & enorme præjudicium redundare noſcuntur. Imponit (*g*) provinciam iiſdem præſulibus, quibus antea promovendæ Granatenſis expeditionis partes erant traditæ, ut cenſuris eos percellerent, qui ſacra illius belli conſilia diſturbarent; ita tamen, ut ſontium pœnis inſontes non involverent. *Dat. in prioratu de Grauſello prope Malauſan. Vaſionenſis diœceſis* XVI. *kal. aug. an.* V.

Præſules ipſorum vecordiam reprimere juſſi.

(*g*) *Ibid. ep.* 31.

Juſſi etiam ſunt (*h*) Toletanus archiepiſcopus & epiſcopus Zamorenſis decimarum in Granatenſi expeditione collectores eam partem, quam a clero exegerant, Ferdinando erogare: ac ne tam arduum opus temere ſuſciperetur, atque regio nomine pro urgendo Granatenſi bello plura ab Hiſpano clero ſubſidia in militum ſtipendia expetita eſſent, exquireret in provinciali ſynodo a præſulibus, quid in ea re ſtatuendum foret: an differenda ea videretur expeditio Granatenſis, quove loco & ſtatu præſulum Caſtellæ res eſſent, quove ſtudia vergerent; de quibus omnibus ſedem Apoſtolicam faceret certiorem. Repetita ab aliis Regibus ſæpius eſt Granatenſis expeditio, do-

(*h*) *Lib.* 5. *ep. com.* 353.

In provinciali ſynodo de Granatenſi bello renovando agitatum.

donec Caſtella & Aragonia conjunctis a Ferdinando & Iſabella Regina, ob auctum Chriſtianum imperium dictis catholicis Granatenſe regnum, ejecta ſuperſtitione Mahometica, Chriſtianæ fidei eſt reſtitutum: qua de re ſuo loco. Jam reliquas hujus anni res proſequamur.

XLV. (a) Lib. 4. ep. com. 10. & Clem. de ſent. excom. c. Ex frequentibus. Conſtitutio de obſervandis religioſiſſime interdictis eccleſiaſticis.

Edita eſt a Clemente Papa conſtitutio (a) ad ſeveriorem eccleſiaſticam diſciplinam in ſervandis interdictis adſtringendam, quæ a nonnullis viris religioſis, atque aliis variis artibus diſſolvebatur; unde Pontificum auctoritas obſoleſcebat, & improborum, quorum culpa juſtitium ſacrorum indictum erat, audacia confirmabatur.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex frequentibus prælatorum querelis accepimus & nos ipſi experientia certa probavimus in minoribus conſtituti, quod plerique religioſi nunc patenter excuſationibus facatis & frivolis innitentes, nunc latenter eccleſiarum ſuarum januis perforatis, aut in eis factis feneſtris, ſeu modis aliis exquiſitis, non abſque damno cathedralium & parochialium eccleſiarum, & ſcandalo plurimorum, diſrumpendo nervum eccleſiaſticæ diſciplinæ, civitatum, terrarum, & aliorum locorum generalia interdicta præſumptione damnabili violare præſumunt. Nos igitur in ſancta Dei eccleſia, cui diſponente Domino præſidemus, quæ quidem unica eſt, & unum Deum prædicat atque colit, unam fidem credit firmiter & ſimpliciter confitetur, uniformitatem, quantum commode poſſumus, conſervare volentes, circa interdictorum obſervantiam prædictorum, auctoritate ſedis Apoſtolicæ vel a locorum ordinariis poſitorum, de fratrum noſtrorum conſilio diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus religioſi quicunque, tam exempti quam non exempti, cujuſcumque ordinis & conditionis exiſtant, cum cathedralem vel matricem loci eccleſiam illa viderint aut ſciverint obſervare, non obſtantibus quibuſvis appellationibus, antea etiam ad eandem ſedem vel alium ſeu alios interjectis, & aliis objectibus quibuſcumque abſque dolo & fraude, cum moderamine tamen decretalis, Alma inviolabiliter ea ſervent: alioquin non ſervantes excommunicationis ſententiæ hoc ipſo volumus ſubjacere: quod & in interdictis & in ceſſationibus a divinis, indictis per provincialium conciliorum ſtatuta vel ipſorum auctoritate, cum majus ſit provinciale concilium, quam ſingulare prælati provinciæ ad judicium integrum, quod plurimorum ſententiis comprobatur, volumus obſervari.

Religioſi templa juſſi claudere, principe loci eccleſia interdictum ſervante.

Cum in provincia indictum ſacrorum juſtitium.

In ceſſationibus vero generalibus divinis civitatum, terrarum, & aliorum locorum, quas aliquando ex conſuetudine, vel alias capitula, collegia, vel conventus ſæcula-rium, aut regularium eccleſiarum ſibi vendicant, quia hoc unico munimine, ad repellendas injurias eis factas ipſos privare volumus nec debemus; idem intelligimus obſervandum. Ipſi vero ſint diligenter attenti, ut ſtatuta Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum ſuper iis edita inviolabiliter ſervent. Porro ſanctionem hanc etiam ad pendentia trahimus, non obſtantibus privilegiis ei conceſſis, conventionibus, & ſtatutis ac conſuetudinibus quibuſlibet, quæ contra præmiſſa ſeu aliquod præmiſſorum religioſis ipſis in nullo volumus ſuffragari. Nulli ergo, &c. Dat. Avinioni XII. *kal. aprilis anno* V.

XLVI. Minoritæ in factiones dividuntur.

Convertit etiam apoſtolicam ſolicitudinem ad revocandum primævum ſanctitatis florem, quæ lapſu temporum, atque improba naturæ propenſione emarcuiſſe apud Minoritas fama erat. Diſciſi certe ii contrariis ſtudiis, in duas partes vel diverſa ſodalitia ſe diſtraxerant, (b) quorum alii cœnobiticam vitam colere, alii vero ut a rebus humanis magis divulſi, addictique cœleſtibus, ſocios violatæ diſciplinæ a S. Franciſco inſtitutæ inſimulare ferebantur: recruduitque poſtea ex iis initiis inter illius religioſæ familiæ viros exitialis diſcordia, quæ ipſam admodum labefactavit; & qui abdicationem ſui & inſtituta ſanctiora ſectari videbantur, ut a cœnobitarum diſciplina abhorrentes, ſuique tenaces arbitrii, damnati.

(b) Clem. l. 5. ep. 1084. Wad. in annal. Minor. hoc ann. Cardinales hoc anno creati.

XLVII. Auctus eſt exeunte hoc anno ſacrum Cardinalium collegium a Clemente, de quo hæc Bernardus (c): *Anno Domini MCCCX. Clemens Papa pontificatus ſui anno ſexto in ſabbato quatuor temporum, in adventu ſcilicet,* XIV. *kal. januarii in Avinione fecit ſecundam ordinationem quinque Cardinalium: fueruntque tunc aſſumpti in Cardinales Arnaldus de Fleuguertis archiepiſcopus Arelatenſis in epiſcopum Sabinenſem, Bertrandus de Bordis epiſcopus Albienſis & camerarius Papæ, qui obiit infra annum ſequenti menſe ſeptembris, Arnaldus Novelli abbas Fontisfrigidi Ciſtercienſis ordinis vicecancellarius in preſbyteros Cardinales; Raimundus vero Guillelmi de Fargis nepos Papæ ex ſorore, Bernardus de Garvo * de S. Liberata nepos Papæ ex conſanguinea germana in diaconos Cardinales, qui nondum erant ſubdiaconi ordinati.* Quibus conſentiunt ea, quæ Felix Contelorius ex libro obligationum decerpſit, (d) ac Martinus Polonus (e) & alii tradunt. Et quidem quod ad titulos, quibus ſunt inſigniti, ſpectat; Bertrandus SS. Joannis & Pauli, Arnaldus Novelli S. Priſcæ titulos accepere, diaconi vero Raimundus S. Mariæ novæ, & Bernardus S. Agathæ in Suburra eccleſiis præfecti ſunt.

(c) Bern. chron. Roman. Pont.

* al. Gavo

(d) Contel. in elench. Card. in Clem. V. ſecunda creat. Cardd.

(e) Mar. Pol. l. 4. hoc an. Ciacc. in Clem. V. XI. creat.

Hoc

B. Nicolaus eremita.

Hoc denique anno migravit ad cœleſtem immortalitatem B. Nicolaus Eremita Neapoli in eccleſia, cui ornandæ dabat operam, noctu occiſus a nefario homine, qui optionem ipſi impiam, ut occideret vel occideretur propoſuerat. At divina ultio ab homicida non abfuit, ex loco enim nunquam aufugere potuit, quamvis a nullo mortalium detineretur.

Coe-

I. Insignes hoc anno res gestæ.

COeptum est anno a redempto humano genere millesimo supra trecentesimum undecimum Viennensem in Galliis œcumenicum concilium: instituti ad oprimendam fœdam hæresim in Italiæ plerisque locis enascentem, quam sectarii in omnes libidines effusi libertatis spiritum appellabant, fidei censores: Bonifacii VIII. memoria, discedentibus e judicio ejus accusatoribus, suo splendori restituta: evulsa ex omnibus commentariis adversus Regem Galliarum ab eodem gesta; decretique ad Henricum Romanorum Regem, imperialibus insulis Romæ exornandum, legati Cardinales, cum jam ferrea corona Mediolani fuisset redimitus, quam ipsi quidem archiepiscopum Mediolanensem hoc anno contulisse testatur Bernardus (*a*) his verbis: *Ubi*, Mediolani nimirum, cujus ingressum sub anno superiori descripsit, *in epiphania Domini subsequenti recepit coronam ferream, quam eidem archiepiscopus Mediolanensis imposuit; quam tamen accipere debebat in Modœcia ex more antiquo.* Et quidem Henricum vulgasse literis, coronam ferream die epiphaniæ sacro sibi a legatis Pontificiis Modœciæ impositum iri, testatur Cortusiorum (*b*) historia, at mutatam designationem loci addit Bernardus: *Sed ex causa hæc fecit in Mediolano, & in festo illius coronationis fecit milites CC. e diversis nationibus.* Eadem refert Ptolemæus Lucensis (*c*) his concepta verbis: *Tunc Cæsar Henricus anno Domini M. CCC. XI. Mediolani in festo epiphaniæ a diœcesanis unam susceptis de coronis imperii: quod Modœcia ægre tulit ubi id fieri consuevit.* Consentiunt iis gesta MS. Clementis, ac tradunt similia præter alios Jordanus (*d*), Joannes Villanus (*e*), & S. Antoninus; (*f*) sed omnium accuratissime Albertinus Mussatus (*g*), qui a Patavinis ad cohonestandam celebritatem orator missus (*b*) interfuit.

(*a*) Bern. chr. Rom. Pont. MS. Vat. bibl. sig. n. 2040. in Henr. pag. 40. Gesta MS. Clem. V. & chr. Rom. Pont. MS. Vat. bibl. sig. num. 3765. & alii.

Henricus Rex Romanorum Mediolani ferream coronam accipit.

(*b*) Guil. & Albrig. Cortusior. hist. l. 1. c. 12.

(*c*) Ptol. Luc. hist. eccl. l. 24. c. 40.

(*d*) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.

(*e*) Jo. Vill. l. 9. c. 9.

(*f*) Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. §. 4. Vvec. in Henr. VI. & alii.

(*g*) Albert. Muss. l. 1. c. 10.

(*b*) Guill. & Albrig. Patav. hist. l. 1. c. 14.

Triumphans, inquit, *in Mediolano Rex Henricus corona ferrea insigniri juxta legis imperialis sanctionem antiquam statuit, evocarique populos, dimissis edictis ad diem certam in ipsa Mediolani urbe & sanctissimi Ambrosii æde, seu oraculo: quamquam disceptatum an Modœcia id fieri oportuerit, ut plurimum moris antiqui fuerat, decisum tamen & illic fieri nihil interesse. Illud quoque principum, baronum, ac populorum jam subjectorum frequentia & latitudine effectum est: ad id ex nondum parentibus invitati vocatique interfuere Patavinorum, Vicentinorumque legati, regiam coronationem præsentiis honorantes, seque non ex fidelibus imos zelis bonis &, cum se captaret temporis opportunitas, oportunos offerentes: quibus mite responsum gratificandi cum sibi imperioque, ut decuerit, se devote submiserint, reddidit, Coronati itaque Henricus Cæsar, Augustaque Margarita anno ab ortu Domini nostri Jesu Christi undecimo trecentesimo millesimo* VIII. *id. januarii ferrea corona, quam lauream appellabant, in equis phaleratis rubro scarleto cum purpureis tegumentis super vertices latis se populis exhibuere, per urbem, Rege sceptrum manu dextra gestante, videlicet, scipionem aureum lilio supra renitente.* Nonnullisque interjectis de forma corporis, mores ita describit: *Magnanimitatem comitari mansuetudo videbatur, & divini cultus instans sedulitas, cujusquam cum subjectis pactionis impatiens, Gibolengæ Gelfæve partium mentiones abhorrens, cuncta absoluto amplectens imperio.*

Disceptatum an Modœciæ an Mediolani ritus celebrandus. Margarita Augusta cum viro coronata. Quo cultu Henr. insignitus.

II. Florentini ab eo desciscunt.

At licet Henricus affectaret, tum ad universos alliciendos ad obsequium, in neutram partem Gibellinam Guelphamve proniorem videri; plures tamen Guelphi, ne prætura urbium ac magistratu pellerentur a Gibellinis diffisi sunt Henrico. A Florentinis enim, eorumque fœderatis oratores ad Henrici coronationem exornandam non esse legatos Joannes Villanus & S. Antoninus tradunt (*i*), Henricumque adducendis in mutuam concordiam Mediolanensibus studuisse: Matthæum Vicecomitem ejusque sequaces restituisse patriæ; mox tamen inter Vicecomites ac Turrianos ferro flammaque certatum. Seditionis illius Mediolanensis, quæ maximi belli faces intulit tori Italiæ, causas derivat Albertinus Mussatus (*k*) in Henrici extorsiones, & adversarum factionum mutuas suspiciones.

(*i*) Jo. Vill. & Anton. ubi sup.

(*k*) Alb. Muss. l. 2. c. 1.

Comparatis itaque ad seditionem animis, cum magistratus stipendium a civibus in foro exigeret, ab uno arma conclamante temere emissa vox, multitudinem in easdem voces exacuit, & mox coorta seditio. Prætoriæ cohortes armis instructæ ad eam comprimendam procurrere, factæ plurimæ strages, præcipue a Galeatio Matthæi filio æmulos quosque opprimente: Turriani post asperrimam pugnam fusi, Guidonis domus direpta excisaque. Direpta tenebris pugna, in armis pernoctarum, neque illucescente die, quamvis a præcone cædibus temperare jussum esset, restinctus civilis cruor; addit enim Albertinus (*l*): *Theutonicorum plerique, quibus se & Maphæi Vicecomitis nonnulli complices adjunxerant, in Turrianos eorumque partis consortes desæverunt partiaris nuncupationibus, ut si se Guelphos aliqui profiterentur, animadversum in eos: si quidem Gibellinos, illæsi abi-*

Seditio Mediolani coorta.

(*l*) Alb. Muss. l. 2. c. 2. Jord. MS. Vat. sig. num. 1960. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 40.

Guelphum nomen profecti cæduntur.

nbirent, per colonias Vicecomitum fidos: aggressi Turriani nominis plurimos occidere, domos, & villas incendere, ut in ardentibus victoriis est mos victoribus, idque inultum pertransire.

III. Dissensio universam Italiam pervagatur.

Is Gibellinæ factionis in Guelpham furor Italiam tumultibus, incendiis, cædibus, rapinis complevit, iisque malis demum Henricus & ejus frater Golerannus involuti perierunt. Nascentis hujus civilis pestis exordia, secutasque Italiæ conversiones præter Jordanum (*a*), Ptolemæum Lucensem (*b*), Joannem Villanum (*c*), S. Antoninum (*d*), Conradum Wecerium (*e*), aliosque describit Albertinus Mussatus (*f*); Eæ, inquit, *favillæ intra verbis penetralia sic ferventes flammas extulere, ut omnis Italia novarum rerum jam excisa incaluerit, proditque famæ ventilabro mixtis veris falsisque promiscuum jam Regem in tyrannum versum facultates populorum dissipare, partiarium se palam ostendere, Theutonicorum rabies, Francorumque insolentias in Latinos insevire: verum divulgantium pars Regem non corruptum, sed domesticis suis violatum ajebat, occisis pulsatisque id parum prodesse. Viciniores perculsæ se iis terroribus civitates, & præsertim partis ecclesiæ nomen ex antiquo tenentes, omni potiundæ quietis spe exutæ rebellavere. Crema, Cremonaque viciniores, pulsis vicariis præfidiisque regiis, jugum excussere. Rhegini, plus æquo exultantes, partis imperii fautores seque ob vana regiæ militiæ in partem detegentis extollentes expulere, fugæ remedio vicario cedente. Iisque talibus Mediolani novis elati Macii, Brixiæ paulo ante dominatores, in Thebaldum de Bruxadis cæterosque, qui nuper jussu Regis Brixiæ civitatem intraverant, insultum movere: sed fortuna eorum diverens affectus, populo plebeque, quos jam veteris dominii pertæsum fuerat, nova affectantibus, vices mutavit, ut pluribus cæsis multisque captis Maphæus de Macis & Brixiensis episcopus ejusdem nepos vix fugam arriperent, ad castrum Urceorum se proripientes: sicque Thebaldus, qui Cæsaris beneficio impune in civitatem restitutus fuerat, suique sequaces, fulciente populo primum locum obtinens, ut cæterorum ejusdem partis principes exclusis ad libitum Maciorum amicis urbem Brixiæ possedit, Albertus de Roglogone, quem Rex vicarium ibidem præfecerat, nullis suffultus patratis cessit, comiter tamen habitus a Thebaldo & suis non abscedit. Cumarum civitas iis tumultibus paulisper commota, Gebennensi tamen episcopo illo jussu Cæsaris ad reconciliationem properanti obediens subsedit. Rubeorum pars, in civitatem Parmensem Cæsaris imperio adducta, pacem cum Giberto de Corrigia invita rupit, congressuque impar cum Giberto victa fugataque cum strage multa cæsorum captorumque ex urbe discessit.*

(*a*) Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.

(*b*) Ptol. Luc. MS. hist. eccl. l. 24. c. 40.

(*c*) Jo. Vil. l. 9. c. 11. 14. 15. &c.

(*d*) Anton. 3. p. tit. 21. c. 2. §. 4. &c.

(*e*) Conrad. Vvec. in Henr. VII.

(*f*) Alb. Muss. l. 2. c. 3.

Tot tantique seditionum fluctus Henricum, aulamque cæsaream curis ingentibus implevere, multisque privatis consiliis sancitum, explicandam clementiam conciliandos Mediolanenses, imposita vectigalia mitiganda. Utque primum proceres cæsarei monerentur officii, ipsos in concionem vocatos ob præterita crudelitatis exempla ab Henrico verbis castigatos, refert memoratus auctor (*g*): *Iis stabilitis solicitus Cæsar Amedeum Sabaudiæ comitem, dalphinum fratres germanos ducem Austriæ, Joannem de Calcia Flandrensem marescalcum curiæ, Flandriæ comitem aliosque Germanos & Francos ex principibus se vocasse dictus est, in eoque vultu verbisque nunc tristibus, nunc horridis, ardentibus in iram oculis, sermonem intendisse sic inquiens: Deum meum, cœlum, sydera, testor, o Franci Germanique socii commilitones, necessarii mei, fratres, agnati, cognatique, mea caro sanguisque meus, nulla me mundi gloria nullique mortalium cupidinum affectus ad has mundi motiones adducunt. Si sursum aspiciam, motorem Deum, si infra, Clementem Papam intueor: iis ducibus vehor. Et quis contra me? nisi ipse ignarus ingratusque facinoribus assentiam, ut cœcus a cœcis ductus delabar in foveam? An ille supremus justi & æqui præceptor Deus quidquam sanctius statuit, quam ut proximum diligam ut me ipsum? Ulla ne discretio vel differentia inter Christicolas quis ille sit proximus, Germanus, Francus, Vvandalus, Suevus, Longobardus, an Tuscus? Et quisquam vestrum respondeat Gibellinos. Prob facinus! Ad quid veni? Ad quid missus? Ut prædecessorum cujuspiam errores impius successor exequar? Schismata antiquata jam suscitem? Clemens & Dei sedem in terris obtinens nostrum ad id progressum movit, in plumbo consulpens, ut Gibellinis Guelphos subiiciam, vel e contra? Quænam hæc paritas? hi imperii, illi ecclesiæ velaminibus invidiosa induere nomina? quibus hæc suggessit? lucifer ille, qui cecidit. Ergo & Clementis Papæ nuncius, cujus sub signaculo in me Christicolæ ut in alterum Dei luminare conspiciunt, alterum eorum genus insecutus progrediar, alterum perditurus? Non sic, temerarii nostrorum actuum perversores, præsertim quos ex vobis illud præcordiale scelus invasit. Præmoriar ipse, priusque hujus corporis compagine quam mente dividar. Et si quos ex vobis illa prorsus urgeat cordis anxietas, vos siquidem mecum progeniti fratres (in fratres aspiciens) abite hinc, retro callem appetite, sævite vobis auctoribus, non me duce, non principe. Per Deum immortalem nostras evitate secures, quas primus hu-*

IV. Henricus seditiones pacare studet.

(*g*) Muss. l. 2. c. 4.

Suos proceres gravioratione castigat.

Profitetur nullius apud se discrimen esse.

fuscemodi concitator tumultus suo sanguine cruentas excipiet. Heu jam Longobardiæ Italiæque civitates, justissimis accensæ iracundiis, si vulgata fidem teneant, nos ut famosos tyrannos detestantur & fugiunt. Quid ni? singula quæque animalia mortem perniciemque devitant. Eandem Henrici orationem paucioribus collectam verbis Jordanus (*a*), & Ptolomæus Lucensis (*b*) referunt.

(a) *Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.*

(b) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 40.*

Porro Guidonem Turrianum, qui Cremonam perfugerat, ac socios variis clementiæ lenociniis demulcere irrito conatu nisus est, & Cremonenses illi aperte hæc præter acerbiores extorsiones objecere (*c*): *Ipsum Cæsarem, quod intolerabilius erat, Theutonicos in Latinos dimissa licentia sinere insanire: jam Gelfos ubique delendos, ex præsumptionibus inultorum excessuum in ipsos commissorum apparere, cujus & Cæsaris partiariæ mentis indago significat in singulis civitatibus & locis vicarios Gibellini nominis institutos, parti ecclesiæ jam timendum esse, innovatum Frederici schisma vetus; demum consilium capiendum ab amicis, sociisque Longobardis & Tuscis respectu habito respondendum.*

(c) *Alb. Muss. l. 2. c. 5. Jord. MS. Vat. Ptol. Luc. ubi sup.*

Objecta illi a Cremonensibus.

V. Exinde coitiones Guelphorum multiplices factæ, ad quas obruendas Henricus expedivit arma, & Cremonenses igni & aqua interdixit. Tum pontificiis diplomatibus, quibus clientes imperii Henrico parere jussi erant, instructus eosdem uti hæreticos est insectatus, ut refert hisce verbis Albertinus (*d*): *Annuntiatis edictis vicarios populosque in dictam diem in Cremonensium agris castra posituros invitavit, imperialibus monitis papalia subjungens anathemata, ut tanquam extra Christicolarum communionem constituti Cremonenses loco eorum habeantur; quos ab orthodoxæ fidei semita devius error abduxit. Et idcirco persecutores eorum dignis Dei obsequiis, qui ad ipsorum damna & pernicies opes & operas interponerent, accepturi centuplicia laborum merita ad abluenda crimina divinitus pro delictis.* Fulciebat ea ratione suam causam Henricus, ut hostes domaret, quem parto imperio apostolica diplomata spreviisse visuri sumus. Nec deerant Cremonensibus contraria argumenta: *Cremonenses*, inquit auctor, *in adversum opinionibus freti suis, quas justas putabant, vallabant rationibus: hunc non Regem sed tyrannum divulgabant, cum jam tyrannides in urbibus exercendas decreverit, antiquos tyrannos titulis imperialibus approbans, alios ad libitum dominantium constituens deifici populos, quos introduci fecerat jubens, & pellentes subsidiis fovens; totumque parti Gibellinæ deditum, Gelpham in Lombardiæ partibus opprimens, ad Tuscos ejusdem partis elevandos ferventius aspirans. Hæc dictabant Cremonenses, &c.* Fracti (*e*) demum illi, ad obsequium pactis legibus se dedidere.

(d) *Alb. Muss. l. 2. c. 6.*

Bellum iis indictum.

Interea Genuenses (*f*) fascibus imperialibus se submisere, Vicentia Aymonis Gebennensis episcopi & Canis Scaligeri opera Patavinæ ditioni erepta: quin etiam ipsummet Patavium, quod jam multo ante divulsum fuerat ab imperio, inque Rom. ecclesiæ clientelam demigrarat, Clementis jussu Henrico & imperio restitutum est, ut narrat subjectis verbis Albertinus (*g*): *Ab Rege missus Aymo Gebennensis episcopus, ab senatu singulisque senatoribus & tribunis juramenta fidelitatis suscepit; factaque est civitas Padua imperio fidelis, Henrico VII. præfato regnante anno a Jesu Christi ortu undecimo trecentesimo millesimo* XII. *kalend. julii. Et si ad syderum constellationumque revolutiones aspectum quisquam direxerit, notabilis hæc dierum identitas: nam & hac ipsa die post annos sex & quinquaginta, quæ ab imperio ad ecclesiam Romanam defecerat, ad imperium rediit. Interea duo de transmissis a Patavio ad Romanam curiam legatis,* & infra: *Paduam demum appliquere, senatuique papale responsum retulere, ut scilicet inclyto Regi ecclesiæ sanctæ filio Christianissimo pareant omnino; nec prius cuiquam locum supplicationi: * tum demum admittendas Paduanorum petitiones pontificali clementiæ, regio culmini & ipsorum statui congruentes.*

(e) *Jo. Vill. l. 9. c. 15. Ptol. Luc. l. 24. c. 40. Lud. Cav. in annal. Cremon.*

(f) *Albert. l. 2. c. 5. Jord. ubi sup.*

(g) *Albert. l. 3. c. 11.*

Patavium Henrico paret.

Exceptos Tarvisii (*h*) etiam cæsareos oratores addit auctor, cum prius Petrum Gradenicum ducem ac senatum Venetum non ut clientes imperii, cujus legibus soluti essent, sed socios ad eblandiendam pro imperiali inunctione promovenda opem petitum adiisse: *Aymo Gebennensis episcopus*, inquit Albertinus (*i*), *Grato dominus Clericati, & Andreas judex Gareti Astensis a Cæsare transmissi Venetias se transtulere: quos Petrus Gradenico dux Venetorum, cum comitiva obviam navigans, comiter honorificeque admodum accepit, in ducatum adducens. Nec ab illo seu Venetis fidelitatis vel obedientiæ cujusquam fœdus petitum: nam & maturius cum Rex prima Italiæ hostia contigisset, legatos illi dux ipse direxerat cum regalibus xeniis honorificabilitatis, nec obsequentiæ ullius causa: quibus etiam inhibitum pedes osculari regios. Sic ajebat, indultum Venetiarum dignitati communibus ecclesiæ imperiique largitionibus antiquatis: munera tamen juvamentaque ad coronationis progressum, galearumque corpora seu vasa, siquidem navigio in quoquam mari opus fuerit, quæsisse dicti sunt: ad quæ dux se tanquam amico Henrico Romanorum Regi, captatis opportunitatibus, servitia & honores juxta primatum suorum capiunda consilia impensurum despondit.* Donatos a Venetis cæsareos oratores ingenti vi auri, refert Joannes Villanus, (*a*) atque ex ea coronam auream interstinctam gemmis, sedemque imperialem ex argento inaurato conflatas fuisse.

(h) *Jord. MS. Vat.*

(i) *Lib. 3. c. 13.*

Veneti Cæsarem socium, non principem agnoscunt.

(a) *Jo. Vil. l. 9. c. 14.*

VI. Secundis hisce successibus usus Henricus, cum universa ferme Insubria illius jugum accepisset, ac tum Brixiam quateret, amplissimos oratores ad Clementem misit, qui rogarent, ut cum Viennensi concilio celebrando distineretur, ad conferenda illi festo pentecostes imperialia insignia Cardinales deerneret. Quibus respondit Clemens (*b*) celebritatis diem, ut apparatum ad eam pompam necessarium instrueret, tum ob gerendarum rerum magnitudinem, ad aliud festum prorogandum videri: reque in deliberationem adducta, Romanorum Rex assumptæ in cœlum Virginis diem ad accipienda Romæ in principis Apostolorum basilica imperialia ornamenta elegit, aliisque oratoribus, ut Cardinales legati in eam rem mitterentur, deprecatus est. Cujus preces admittendas ratus Pontifex, eam provinciam quinque Cardinalibus, nimirum Arnaldo e Pelagrua Sabinensi, Leonardo Albanensi ac Nicolao Ostiensi episc. tum Franciscо & Lucæ diaconis Cardinalibus demandavit (*c*): inter quos singula munia est partitus. Meminit de hac cæsarea legatione ad Clementem, deque Cardinalibus a Pontifice ad Henricum imperialibus insignibus exornandum decretis Albertinus Mussatus, scriptor accuratissimus, his verbis (*d*).

Henricus urget, ut Cardinales ad conferendum insigne imperiale designet.

(b) *Lib. 6. ep. cur. 65.*

Quinque Cardinales ad id destinati.

(c) *Lib. 6. ep. com. 754.*

Ea in re Clementis opera.

(d) *Albert. l. 4. c. 1.*

Basilienſis episcopus unus ex regiæ curiæ principibus Avinionem ubi tunc papalis curia residebat, transmissus a Cæsare, benigne a Papa susceptus, totum Cæsaris progressum, difficilesque vicissitudinum anfractus, pertinaciamque Brixianorum, complicumque, ac fautorum seriatim dictavit: qualiter etiam ob Bononiensium, Florentinorum, Tuscorumque factiones resistentiæ, argumenta habeantur statuta die B. Mariæ Virginis jam jam accedentis augusti coronam, præsertim in Urbe, assumi non posse, prorogandum terminum hunc quandocumque se captaret facultas fore: idque non modo ipsius Basilienſis desiderio instantis, sed eadem optantis Papæ pro more instinctu obtentum est, decretique ab latere legati Arnaldus de Frangeriis Sabinensis episcopus, hicque principaliter ad coronam capiti Cæsaris imponendam legatus; Nicolaus Ostiensis & Veletrensis episcopus, Leonardus de Guercino episcopus Albanensis, Lucas de Fleſco S. Mariæ in via lata diaconus Cardinales, quos inter, ut prædiximus, constitutus & prælatus absentis Papa loco Sabinensis episcopus.

Extracta coronationis dies.

Disceptatione in consistorio habita quisnam eorum ad eam dignitatem præferendus

foret, allegante Ostiensi, quod cum Papam coronare suum esset, sic & consequenter Imperatorem; Sabinensis ex adverso dictabat, certum esse ut Imperatorum coronationibus Sabinensis semper Papæ proximior coronam, erigat officiosior aliis, illic præsertim. Sicque Papa pronuntiante obtentum est, ut Sabinensis illo fungatur officio, cæterisque præsit. Jussi igitur in Italiam quam mature proficisci, illud celebre coronationis obsequium capta in ejusdem Regis optione temporis habilitate executuri celerrime iter arripuere. Duo tamen facilioribus aditibus alpes transilientes, scilicet Sabinensis & Albanensis, in Regis castra circiter augusti kalendas applicuere, ibique summa recepti lætitia Regem Reginamque papali benedictione consalutantes, indultum Regi annuntiavere coronationis terminum, ob justissimas causas prorogatum ad tempus: jamque sancitum totius coronationis officium in Urbe, & redactum in formam cum omnium præordinatione solemnium; ipseque confidens ad solitam virtutem exurgat, vires animumque indeficienter intendat; seque ac confratres alios non ad aliud præmissos, nisi ut se adjuvent, foveant temporalibus & spiritualibus fulcimentis: & ipse quidem tantum circumspiciat, si poscat, requisita summopere impleturos.

Ostiensis & Sabinen. episcopi de corona imponenda certant.

Cardinales ad Henr. se conferunt.

VII. Quod ad formulam illam attinet, cujus mentio fit ab auctore, quaque sancita erant omnes ritus in imperiali inunctione & corona conferendis a Cardinalibus observandi, illam e veteribus Romanæ ecclesiæ excerptam monumentis, atque in subjecto diplomate (*e*) repetitam, in lucem adducere rei dignitas persuasit.

Ritus coronandi Cæsaris descripti a Clemente.

(e) *Clem. l. 6. ep. com. 754. ext. etiam infertum lit. Henr. Imp. in l. priv. Rom. Eccl. tom. 3. pag. 142. & MS. Vall. sign. lit. B. n. 12. p. 378.*

Venerabilibus fratribus Arnaldo Sabinensi Apostolicæ sedis legato, ac Leonardo Albanensi & Nicolao Ostiensi Episcopis, & dilectis filiis Francisco S. Luciæ in silice & Lucæ S. Mariæ in via lata diaconis Cardinalibus nuntiis ejusdem sedis.

Rex Regum & Dominus dominantium, Dei clementissimus Filius Jesus Christus, honore multiplici Reginam præfulgidam, sibi in vestitu deaurato circumamictam varietate assistentem a dextris, sanctam videlicet ecclesiam sponsam suam, quam suo pretiosissimo sanguine redimitam clementer sibi inseparabili fœdere conjungi voluit, honore primatus multiplicis, ac multifarie præeminentiæ insignivit. Sed in eo potissime ipsam honorabilem, & felici ac præcellenti reddidit dignitatis statu fulgentem, quod eidem tantam tribuit plenitudinem potestatis, ut personis quantumcunque conspicuis, quantumcunque solemnitate insignibus & præclaris, in iis possit, sibique competat adesse magnifice, per quæ ipsæ clari nominis titulum, & famosæ consequantur potentiæ culmen & etiam incrementum. Dominator enim cœli, qui solus altis-

De sedis Ap. dignitate, quæ honorum apicem Imperatoribus conferat.

Ut eam auctoritatem a Deo acceperit.

altissimus potestatem habet in regno hominum, & quæcunque voluerit suscitat, super illud potestatem dedit ei & honorem & regnum; potestatem, inquam, æternam, quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpitur, ut Imperatores & Reges in ipsa & per ipsam doctrina salutari intelligant, & eruditiantur judices orbis terræ eidem servire & obsequi in timore, qui imperat ventis & mari. Cuncta namque, quæ in cœlo sunt & in terra, sua sunt, suum est regnum, ipse est super omnes principes: sua sunt divitiæ, sua gloria, qui dominatur omnibus; & in manu ejus virtus & potentia, magnitudo & imperium omnium, sub quo curvantur qui portant orbem. Per eum enim Reges regnant & principes, & legum conditores justa decernunt: qui habet in femore suo scriptum Rex Regum & dominus dominantium; ad cujus præceptum elevabitur aquila, & ponet in arduis nidum suum.

De confirmata Henrici Regis Rom. electione.

Sane dudum post electionem charissimi in Christo filii nostri Henrici Regis Romanorum illustris, celebratam concorditer per regni Alamaniæ principes, in electione Romanorum Regis vocem habentes, cum iminet faciendaj solemnes dicti Regis ambasciatores ac nuntii ad nostram præsentiam accedentes, & nobis ejusdem electionis præsentato decreto, ad eorum instantem & devotam supplicationis instantiam, coram nobis & fratribus nostris iteratis vicibus & per interstitia temporum repetitam, præfatum Regem, quia per decreti præfati, & conditionis personæ ipsius, non levi notitia antea nobis & fratribus nostris notæ, examinationem coram nobis & eisdem fratribus habitam diligenter, in quantum fieri potuit eodem absente; sufficientem ipsum, idoneum, & habilem invenimus ad præfatum Imperium obtinendum, & electionem ipsam canonicam extitisse: de eorundem fratrum nostrorum consilio ipsum reputavimus, nominavimus, approbavimus, denuntiavimus, & declaravimus Romanorum Regem, justitia exigente; ac fore idoneum, sufficientem, & habilem ad dignitatem imperialis celsitudinis obtinendam: pronunciantes insuper, ac etiam decernentes, sibi per nostras manus loco & tempore opportunis debere concedi unctionem, & ipsius imperii diadema, certum ad hoc ei terminum assignantes.

Promissa ei imperiali inunctione.

Cumque postmodum Rex præfatus, Italiæ partes fuisset potenter ingressus, & a Lombardiæ civitatibus, aliisque locis insignibus, ad quæ declinaverat, honorifice & pacifice jam receptus, alii præfati Regis ambasciatores & nuntii ad Apostolicæ sedis præsentiam accesserunt, qui cum multa nobis instantia inter cætera supplicarunt, quod cum ipsi patenter adverterent, sicut eis jam per nos super hoc responsum extiterat, quod propter generale concilium,

Adventu ejus in Italiam.

Missis ab ipso oratoribus ad postendam imperialem inunctionem.

quod in kal. octobris proximo venturis disposueramus, dante Domino, & disponimus celebrare, aliaque multa & ardua plurimumque urgentia, quæ necessario in citramontanis partibus expediendæ nobis negotia incumbebant tunc temporis & incumbunt, prædictam unctionem & imperii diadema, alia solemnia per nostras manus Regi non poterant memorato concedi; terminum ipsum sub spatio temporis brevioris concludere, ipsamque unctionem & imperii diadema, cæteraque solemnia per aliquos de fratribus supradictis in festo pentecostes, tunc proximo secuturo, impendi facere dignaremur. Nos vero prædictis nuntiis receptis mansuetudine consueta, & iis & aliis, quæ coram nobis voluerunt proponere, diligenter auditis, eis certo modo duximus respondendum; ejusdem Regis, super hoc cum prædictis fratribus nostris diligenti deliberatione præhabita, nihilominus desideriis annuere intendentes.

Objectis variis impedimentis.

Et quia propter temporis nimiam brevitatem in dicto festo pentecostes solemnitatem unctionis & coronationis hujusmodi non posse fieri credebamus, nec Rex ipse in præfato festo sibi, ut ejus decebat honorem, de apparatu ad hoc necessario potuisset forsitan providisse, significavimus ei per nostras literas speciales, ut tanti arduitate negotii diligenter inspecta, & considerata prudenter temporis qualitate, aliquem certum & solemnem diem, prout crederet convenire, post festum prædictum eligere, ipsumque nobis significare illius deliberatio non differret, ut infra diem ipsum, aliquos de fratribus supradictis, de quibus apostolica deliberatio provideret, qui ei unctioni ejusdem munus impenderent, & imponerent vice nostra præfatum diadema imperii, ac alia inibi agenda solemnia peragerent, mitteremus; dilectos filios magistros Robertum electum Salernitanum, & Hugonem Geraldi cantorem Petragoricensem cappellanos nostros ad eundem Regem super his cum eisdem nostris literis destinantes, per quos sibi paternæ sinceritatis affectum, & mentis apostolicæ puritatem, quos ad statum ipsius & exaltationem magnificam habebamus, mandavimus clarius aperiri.

IX. Designato ab Henr. assumptæ in cœlum Virginis festo die.

Verum Rex præfatus super hoc matura deliberatione præhabita, festum assumptionis B. Virginis proximo venturum, pro termino ad recipiendum in basilica Principis Apostolorum de Urbe more solito unctionem hujusmodi, & ipsius imperii diadema, aliaque inibi solemnia peragenda recepit, prout nobis per solemnes suos ambasciatores ac nuntios, & speciales literas intimavit, suo regali sigillo pendenti munitas; cum multa devotionis instantia supplicans per eosdem, ut ad eum aliquos mitteremus de fratribus memoratis pro impendenda unctione hujusmodi, & imponendo sibi ejusdem im-

perii diadema, aliisque solemnibus peragendis. Porro si desuper datum esset, ut circa tanti celebritatem negotii exhiberi posset nostra præsentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi præsentialiter nostrum desiderium panderemus; ad quod etiam ejusdem Regis concurrunt, ut pro certo novimus cum promptitudine multiplicis devotionis affectus; gauderemus in Domino, & plurimum satisfaceret nostris votis. Verum quia ex causis prædictis non possumus in hac parte affectibus satisfacere mentis nostræ, prædicti Regis frequentibus & devotis supplicationibus inclinati, & ad personas vestras apostolicæ mentis oculos fiducialiter dirigentes; vobis, quorum nobis sunt notæ virtutes, quasque in magnis & arduis dicta sedes diversis vicibus est experta, & de quorum operibus fructus uberes provenisse conspicimus, super hoc nostræ solicitudinis onus duximus imponendum; sperantes, quod tanquam viri virtute magnifici, opus hujusmodi viriliter assumetis ad divini nominis laudem & gloriam effectualiter exequendum.

Cardinalibus Pontificis loco ad celebrandam pompam delectis.

Ut partita sint inter Cardinales coronandi Henrici munera.

Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus vos ad dictam Urbem die assumptionis prædictæ personaliter conferentes, ac ibidem convenientes in unum, tu frater Ostiensis episcope missam celebres, & Regem inungas eundem: vosque fratres Albanensis, Ostiensis, & Sabinensis episcopi, vosque Franciscе & Lucas diaconi Cardinales, vel illi vestrum, qui præsentes fuerint, eisdem Regi & Reginæ mitras & diademata imperii, Regi quoque sceptrum, pomum, & gladium & alia solemnia, prout infra patentius & distinctius vobis injungitur, tribuatis eorumque vertices inclytos reddatis illorum insignitis cum solitis solemnitatibus decoratos, in nomine ac virtute Altissimi, prudenter, honorifice, ac etiam diligenter, prout decet tam arduum & solemne negotium, quæ vobis committimus; nostris vice & nomine exequentes in dicto festo assumptionis, si poteritis commode, vel alio certo convenienti die, quem idem Rex ad hoc pro qualitate negotiorum imminentium duxerit eligendum. Quod si non omnes iis exequendis potueritis interesse, quatuor, tres, duo, aut unus ex vobis, ea nihilominus exequatur. Et ne quis in agendis solemnibus antedictis error, quod absit, intervenire valeret, modum & formam & locum agendorum, & ubi & per quas personas agenda fuerint, particulariter & distincte duximus præsentibus inserenda, prout in archivio ecclesiæ & in pontificali ordinario continetur, quorum forma talis est.

X. *Cum Rex in Imperatorem electus pervenerit ad portam Collinam, quæ est juxta sastellum Crescentii, recipiatur honorifice a clero Urbis cum crucibus & thuribulis, & processionaliter deducatur usque ad gradus basilicæ S. Petri, cantantibus universis: Ecce mitto angelum meum, &c. camerariis ejus missilia spargentibus ante ipsum, & præfecto Urbis gladium præferente. Cum autem pervenerit ante basilicam in platea, quæ Cortina vocatur, dextrandus est a senatoribus usque ad gradus prædictos: ubi, eo descendente tradendus est equus, cui Rex insederat, illis. Interim summus Pontifex cum omnibus ordinibus suis præparet se in secretario tanquam celebraturus divina, & processionaliter exiens usque ad suggestum areæ superioris, quæ est in capite graduum, super faldestorium ibi sedeat, confidentibus super gradus a parte dextera episcopis & presbyteris, a sinistra vero diaconis Cardinalibus; & in proximiori gradu subdiaconis & acolythis, primicerio & cantoribus astantibus circa illos cum magnatibus & nobilibus, officialibus & ministerialibus aulæ papalis.*

Qua forma veniens ad portam Collinam Roman. Rex excipiendus.

Ut deducendus ad basilicam S. Petri.

Qua eum pompa Roman. Pontifex expectet in porticu.

XI. Ut Rex Pontificis pedes osculaturus sit.

Tunc Rex cum archiepiscopis & episcopis, principibus & magnatibus suis ascendens ad summum Pontificem, reverenter osculetur pedes ipsius, & offerens ei aurum, quantum sibi placuerit, benigne recipiatur ab eo ad osculum & amplexum. Quo demum surgente, Rex ipse a parte dextera & prior diaconorum a parte sinistra deducant eum usque in ecclesiam S. Mariæ in turribus: ubi ante altare, subdiacono evangelii textum tenente, Rex super illum corporaliter præstet hujusmodi juramentum: Ego Henricus Rex Romanorum futurus, annuente Domino, Imperator promitto, spondeo, & pelliceor coram Deo & beato Petro, me de cætero protectorem & defensorem fore summi Pontificis & sanctæ Romanæ ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores, & jura ejus, quantum divino fultus adjutorio fuero, secundum scire ac posse meum, recta & pura fide; sic me Deus adjuvet & hæc sancta, &c. Forma autem juramenti præstiti in Avinione per procuratores & nuncios prædicti Regis Romanorum, tempore suæ coronationis renovandi, talis est.

Perrecturus cum ipso ad S. Mariam in turribus.

Devincturus se sacramento ad tuendam ecclesiam.

Nos Sifridus Curiensis episcopus, Amadeus comes Sabaudiæ, Joannes dalphinus Viennensis & Albonensis comes, Guido de Flandria, Joannes comes de Saraponte, & Simon de Maruilla thesaurarius Metensis nuncii & procuratores serenissimi principis Henrici Romanorum Regis, habentes ad omnia infrascripta plenam & generalem ac liberam potestatem, & speciale mandatum ab eodem, prout constat per prædictas patentes literas ipsius; vobis sanctissimo patri & domino domino Clementi divina providente clementia Papæ V. vice & nomine dicti domini nostri Regis, & in ani-

Sacramentum aliud in coronatione imperiali renovandum.

animam ipsius promittimus, & juramus per Patrem & Filium & Spiritum sanctum & per hæc sancta Dei evangelia & per hoc lignum vivificæ crucis & per has reliquias sanctorum, quod nunquam vitam, aut membra, neque ipsum honorem, quem habetis, sua voluntate, aut suo consensu, aut suo consilio, aut sua exhortatione perdetis: & in Roma nullum placitum aut ordinationem facit de omnibus, quæ ad vos pertinent aut Romanos, sine vestro consilio & consensu: & quicquid de terra Rom. ecclesiæ pervenit ad ipsum aut perveniet, vobis reddet quam citius poterit. Et quandocunque in Lombardiam & Tusciam aliquem mittet pro terris & juribus suis gubernandis, quotiens mittet eum, jurare faciat illum, ut adjutor vester sit ad defendendum terram S. Petri & Romanam ecclesiam secundum suum posse. Et si, permittente Domino, dictus dominus noster Rex Romam venerit sanctam Rom. ecclesiam & vos rectorem ipsius & successores vestros exaltabit secundum suum posse. Et cum Romæ vel alibi per vos in Imperatorem coronandus fuerit dominus noster Rex prædictus dictum sacramentum & aliud fieri consuetum ad requisitionem vestram tempore coronationis suæ personaliter renovabit.

XII. Rex a canonicis S. Petri in sodalem adscitus imperialibus insignibus ornatur.

Deinde summus Pontifex cum ordinibus suis ad altare procedit, & facta ibi oratione ad sedem ascendit, Rege cum suis tribus episcopis, videlicet Ostiensi & Portuensi & Albanensi in ecclesia S. Mariæ in turribus remanente, ubi a canonicis S. Petri receptus in fratrem imperialibus induatur insignibus, dato ipsius pallio camerario domini Papæ, qui præcedentibus illis canonicis & cantantibus: Petre amas me? &c. cum ad ostium basilicæ principis Apostolorum pervenerit, quæ porta argentea nuncupatur, deducentibus eum hinc inde comite Lateranensis palatii, & primicerio judicum Romanorum, Albanensis episcopus ante ipsam portam argenteam hanc super eum benedictionem effundat: Deus in cujus manu corda sunt Regum, &c. Cum autem intra ecclesiam in medio rotæ pervenerit, Portuensis episcopus hanc orationem super eum decantet: Deus inenarrabilis auctor mundi, &c. Qui cum ad confessionem B. Petri pervenerit, prosternat se pronus in terram, & prior diaconorum super eum faciat letaniam; qua finita prior presbyterorum dicat orationem dominicam cum capitulis istis: Salvum fac servum tuum Domine. Mitte ei auxilium de sancto. Domine salvum fac Regem. Ac deinde dicat orationem istam: Actiones nostras quæsumus Domine, &c. Post hæc procedant ad altare sancti Mauritii, ubi Ostiensis episcopus ungat ei de oleo exorcizato brachium dexterum & inter scapulas, hanc orationem dicendo: Domine Deus omnipotens, cujus est omnis potestas, &c.

Preces pro Rege Rom. fundendæ. Ritus, cum in basilicam S. Petri ingreditur, servandi.

Brachio dextero & scapulis inungitur.

Item aliam orationem dicat: Deus Dei filius, Jesus Christus, &c.

His ita peractis, ascendit Rex ad altare beati Petri, ubi summus Pontifex, facta confessione, recipiat eum ad osculum sicut unum ex diaconibus, ipseque procedat ad pulpitum vel ambonem, ubi thalamus constructus de lignis & ornatus de palliis debet ei esse paratus, cum suis archiepiscopis & episcopis, principibus & magnatibus secundum capacitatem loci consistat. Primicerius autem & schola cantorum in choro ante altare decantent introitum, & post kyrie eleison, & hymnum angelicum decantatum summus Pontifex dicit orationem pro ipso Imperatore: Deus regnorum omnium, &c. Item aliam orationem: Suscipe Domine preces, &c. Item aliam orationem: Deus qui ad prædicandum, &c. Cumque lecta fuerit epistola, & graduale decantatum, Imperator ascendat processionaliter ad altare, ubi summus Pontifex imponit ei mitram clericalem in capite, ac super mitram imperatorium diadema dicens: Accipe signum gloriæ, &c. Deinde sceptrum & pomum aureum tradit ei, & post cætera gladium, ita dicens: Accipe gladium ad vindictam, &c.

Ut diaconus admittitur ad osculum.

Preces habendæ a Pontifice.

Aliæ inter conferenda insignia imperialia.

XIII.

Qui coronatus incedens, portet in dextera manu pomum, in sinistra sceptrum, & sic ad thalamum redeat. Ipsoque ibi cum principibus suis consistente, prior subdiaconorum cum subdiaconibus Romanæ curiæ & capellanis aulæ imperialis ad pectorale dextrum ante Crucifixum argenteum laudem Imperatori alta voce decantent hoc modo: Exaudi Christe; scriniarii vero Urbis sericis cappis induti ante pectorale consistentes, in choro respondeant: Domino Henrico invictissimo Romanorum Imperatori, & semper augusto salus & victoria. Qua laude tertio repetita, prior subdiaconorum cum suis tribus vicibus dicat: Salvator mundi; & scriniarii vicissim respondeant: Tu illum adjuva. Deinde iste cum suis duabus vicibus dicat: Sancta Maria; & illi vicissim respondeant: Tu illum adjuva, & sic deinceps: sancte Michael, S. Gabriel, S. Raphael, S. Joannes Baptista, S. Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Stephane, S. Laurenti, S. Vincenti, S. Silvester, S. Leo, S. Benedicte, S. Basili, S. Saba, S. Agnes, S. Cæcilia, S. Lucia. Quibus finitis, isti bis dicant: Kyrie eleison; & illi vicissim respondeant: Christe eleison; ac deinde simul omnes: Kyrie eleison.

Festæ acclamationes.

*Post hæc evangelio decantato, Imperator corona & manto depositis accedat ad summum Pontificem, & offerat ad pedes ejus aurum quantum sibi placuerit; ipsoque Pontifice descendente pro perficiendis missarum mysteriis ad altare, Imperator more subdiaconi offerat ei calicem & ampullam, & stet ibi donec Pontifex ad sedem reversus communicet, sacramque communionem de manu ejus suscipiat cum osculo pacis, & sic ad thalamum rediens in ambone resumat mantum pariter & coronam. Missaque finita pontificalem benedictionem reverenter accipiat, & statim procedat ad locum, ubi debet summus Pontifex equitare: & cum ipse Pontifex equum ascenderit, teneat stapedium sellæ ejus, & arrepto fræno, aliquantulum ipsum adextret; moxque suum equum ascendens procedat juxta summum Pontificem usque ad ecclesiam S. Mariæ in * Traspadina: ubi dato sibi osculo adinvicem, non corde, sed corpore separentur.*

Calicem & ampullam more subdiaconi offert.

Pontifici in equum assilienti stratoris munus exhibet.

* Transpontina.

*Si vero Regina fuerit coronanda, debet super lectorium ex opposito thalamus præparari, ubi cum duabus ad minus puellis & aliquibus ex principibus imperii tam ecclesiasticis quam mundanis residеat: & post coronationem Imperatoris deducatur ad altare ante summum Pontificem amicta regalibus indumentis: cui summus Pontifex mitram imponat, ita quod cornua mitræ sint a dextris & a sinistris, & super mitram imponat coronam, ita dicendo: Accipe coronam imperialis excellentiæ, &c. Coronata vero Regina reducatur ad thalamum, & post evangelium ducatur ad oblationem summo Pontifici exhibendam, stetque in gradibus juxta * absidiam versus altare S. Leonis, donec de manu summi Pontificis, post Imperatorem, sacram communionem accipiat; & tunc ad thalamum reducta permaneat usque ad finem missæ.*

Quo ritu Imperatrix coronanda.

* absidem

De muneribus erogandis ab Imp.

Consuevit autem Imperator larga presbyteria omnibus exhibere, quibus ea, cum coronatur summus Pontifex, elargitur: videlicet episcopis, presbyteris, & diaconis Cardinalibus, primicerio & cantoribus, subdiaconis, basilicariis, & regionariis, universitati cleri Romani, cappellanis, & cæteris officialibus & ministerialibus curiæ; præfecto Urbis, senatoribus, judicibus, advocatis, & scriniariis, ac præfectis navalium. Consuevit etiam Rex, quando descendit de monte Gaudii & venit ad ponticellum, præstare hoc juramentum Romanis: Ego Henricus Rex, futurus Imperator, juro me servaturum Romanis bonas consuetudines suas. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta, &c.

Imperatoris sacramentum de Romanor. bonis consuetudinibus tuendis.

XIV. Ut Henricus ob Clementis absentiam se gesturus sit.

Quia vero propter nostram absentiam nonnulla solemnia ex prædictis, personam nostram tangentia, expedit intermitti, volumus atque decernimus, quod non obstantibus his, quæ superius describuntur, in gradibus scalarum dictæ basilicæ principis Apostolorum idem Rex Romanorum solemnitate & honorificentia debitis recipiatur ad osculum per vos episcopos & diaconos Cardinales, stantes in ordinibus vestris, indutos tamen omnes pluvialibus, processionaliter obviantes eidem, cum subdiaconis & acolythis, primicerio & cantoribus astantibus circa vos, magnatibus & nobilibus, officialibus & ministerialibus aulæ nostræ. Aurum vero quod Rex in eisdem gradibus apostolico consuevit offerre post genuflexionem & deosculationem pedum omissis illis, quas nulli vestrum faciat idem Rex, quia soli Romano Pontifici competunt & debentur, in eodem loco per eundem Regem nobis humiliter offeratur, ita dicentem: Si sanctissimus pater dominus noster, dominus Clemens summus Pontifex esset hic præsens sibi offerrem aurum istud præsentialiter: sed propter ejus absentiam offero sibi, vobis dominis Cardinalibus ejusdem domini Papæ vice & nomine recipientibus, aurum istud. Quo facto idem Rex existens in medio vestrum vobiscum veniat ad altare sanctæ Mariæ in turribus, & cum ibidem fuerit, publice in vestri præsentia, recipientium nostro & ecclesiæ Romanæ nomine; præstet idem Rex sacramentum suo expresso proprio nomine de verbo ad verbum, prout superius continetur. Renovet autem sacramentum, per procuratores suos præstitum suæ approbationis tempore coram nobis secundum tenorem superius descriptum. Et si in adventu suo in gradibus, ubi eidem obviabitis, renovationem prædictam facere præeligeret, contentamur.

Quo ritu aurum sit oblaturus in gradibus basilicæ.

XV. Cardinalibus sua officia in conferendo Imp. despertita.

Tu vero frater Ostiensis, ut præmittitur, missam celebres, & Regem prædictum inungas, prout in ordinario continetur. Quod si te impediri contingat, hoc tu facias Albanensis; & si ambo impediremini, hoc facias Sabinensis, episcopi. Letanias dicas tu Francisce, si potes, pluviali tamen indutus. Quod si te impediri contingat, tu Lucas hoc in eodem habitu exequaris. Orationem autem, quam dicere debet prior presbyterorum Cardinalium, tu dicas episcope Sabinensis. Quod si te impediri contingat, tu facias Albanensis; quod si ambo impediremini, tu facias Ostiensis, episcopi. Præstito autem in cappella prædicta S. Mariæ de turribus juramento, omnes remaneatis cum Rege prædicto, præter illum, qui missarum solemnia celebrabit. Tu vero Albanensis orationem, quæ tibi dicenda competit, dicas loco & tempore debitis. Orationem vero, quam deberet dicere Portuensis episcopus, si adesset, dicas tu Sabinensis; quod si te impediri contingat, tu suppleas Ostiensis. Receptio autem ad osculum inter diaconos Cardinales post confessionem in altari beati Petri factam, quia soli Romano Pontifici competit & concurrit cum osculo pectoris, omittatur. Vos autem universi imponatis mitras suo modo Regi, suoque Reginæ, prout in dicto ordinario de summo Pontifice continetur; & diademata Regi & Reginæ prædictis.

XVI.

Verba vero dicenda in impositione dia-

Sabinensi episcopo ob legationis dignitatem datum, ut coronam imponat.

dematum, scilicet: Accipe signum gloriæ; quo ad Regem, item: Accipe coronam imperialis excellentiæ; quo ad Reginam, dica tu Sabinensis: licet enim ratione prioratus hoc tibi non competat; quia tamen in legatione nostram repræsentas personam, hoc per te volumus adimpleri. Verba autem prædicta dicas alte, atque sonore ita, quod ab assistentibus audiantur. Omnes vero vos alii verba eadem, voce submissa dicatis sic, ut nequaquam audiri possitis, sicut in consecrationibus prælatorum fieri consuevit per coassistentes principaliter consecranti. Verba autem competentia in assignatione gladii post sceptrum & pomum aureum, ipsumque gladium per te Albanensis, ac vos alios tradita, scilicet: Accipe gladium ad vindictam malefactorum, &c. Tu idem alta & sonora voce dicas & proferas Albanensis reliquis submissa voce eadem verba dicentibus, prout in verbis impositionum mitrarum & diadematum superius est expressum.

XVII. Soli Pontifici exhiberi solita omitti jussa.

Decantato autem evangelio, Rex coronandus offerat aurum, quod ad pedes Romani Pontificis consuevit offerri, ad pedem majoris altaris, quod vos omnes nostro recipiatis nomine Cardinales. Cætera vero solemnia peragentur cum omni solemnitate & honorificentia, prout in ordinario continetur. Oblatio vero calicis & ampullæ per Imperatorem jam coronatum, decantato evangelio, corona & manto depositis more subdiaconi Romano sienda Pontifici, & assistentia eidem sienda per Imperatorem donec Romanus Pontifex ad sedem propriam revertatur, quia soli Romano Pontifici competunt, omittantur. Idem tamen Imperator, si voluerit, sacram communionem de manu recipiat celebrantis, osculo tamen omisso. Quibus peractis, ad thalamum rediens in ambone resumat mantum pariter & coronam. Processus autem ejusdem Imperatoris ad locum, ubi summus Pontifex equitare deberet, & detentio staapedi sellæ ejus, & arrepto fræno equi, cui Romanus Pontifex insideret, adextratio, officiique stratoris exhibitio, quia soli Romano Pontifici competunt, & præsentiam ipsius exigunt corporalem, omittuntur omnino. Reliqua autem solemnia, prout exprimuntur in ordinario, solemniter & honorifice compleantur.

XVIII. Exigit ab Henric. Clemens, ut promulget, nil damni ex iis prætermissis Rom. Pontifici obventurum.

Quia autem, ut ex prædictis apparet, multæ observantiæ, multaque solemnia, multæque reverentiæ & honorificentiæ, Romano Pontifici competentia, propter nostram absentiam omittuntur, protestamur & volumus, & apostolica auctoritate decernimus, nullum ex hoc juris vel facti Romanæ ecclesiæ ac nobis nostrisque successoribus præjudicium generari, qui cum casus Regis Romanorum in Imperatorem coronandi occurreret, omnia exhibeantur & fiant per coronandos Romanis Pontificibus, sicut in forma, quæ in archivio ecclesiæ, & pontificali ordinario continetur superius descripta, serioſius est expressum. Ad ejusdem autem ecclesiæ Romanæ, nostram, & successorum nostrorum conservationem juris atque cautelam, volumus per vos ab eodem tam Rege coronando quem Imperatore coronato, expresse, his nostris protestationi & decreto consentiente, recipi patentes literas quadruplicatas, de verbo ad verbum tenorem præsentium continentes, suo regali primum sigillo, ac postmodum sua imperiali bulla aurea communitas: quas vos Albanensis, Ostiensis, & Lucas, duo aut alter vestrum nobis aut cameræ nostræ fideliter assignetis. Datum in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diœcesis XIII. kal. julii anno sexto.

XIX. (a) Lib. 6. ep. com. 753. Renovet sacramenta ab oratoribus præstita.

Monuit aliis literis (*a*) ea de re Henricum Romanorum Regem, ut postquam solemni ritu imperatoria inunctione fuisset illitus, eadem sacramenti forma, qua jam antea anno superiori Balduino archiepiscopo Trevirensi & magistro e Molans obstrinxerat, fidem imperialem ad tuenda ecclesiæ jura, Cardinalibus legato, & nuncio apostolicis devinciret.

Clemens, &c. charissimo in Christo filio Henrico Regi Romanorum illustri.

In humilitatis spiritu, quæ virtutum comprobatur origo, sicut matris ecclesiæ filius a Domino benedictus tuæ devotionis ac fidei zelum nobis & ipsi ecclesiæ dudum offerens reverenter, juramentum, quod tenor infra scriptarum literarum tuo pendenti munitarum sigillo continet serioſe, olim in manibus dilecti filii magistri de Molans scholastici Tullensis capellani nostri, de mandato per nos ei facto, nostro, ecclesiæ prædictæ, & Apostolicæ sedis nomine recipientis, per te sacrosanctis evangeliis, sicut per easdem literas plene constat, tactis corporaliter præstitisti; promittens teque firmiter obligans cum omni efficacia & effectu, quod post imperialis diadematis a te coronationem susceptam omnia in juramento & literis contenta prædictis ratificares, confirmares, recognosceres, faceres, servares, atque jurares; & de his omnibus infra octo dies post coronationem hujusmodi ad perpetuam rei memoriam, ac nostram & successorum nostrorum, & ecclesiæ ac sedis prædictorum securitatem atque cautelam patentes quadruplicatas, imperialis majestatis typario communitas, concedens literas, hujusmodi literarum tuarum seriem continentes.

Henricum id facturum spopondisse significat Pont.

Quare magnificentiam regiam paterno rogamus & hortamur affectu, quatenus ut devotionis & fidei ac reverentiæ fervorem hujusmodi cum tuæ promotionis & exaltationis augmento per clara tuæ celsitudinis gesta erga nos & præfatam ecclesiam crevisse

XX.

Defignat Arnaldum ep. Sabin. A. S. L. ad illud excipiendum.

visse demonstres, in manibus venerabilium fratrum nostrorum Arnaldi Sabinensis legati & Nicolai Ostiensis episcoporum nuncii Apostolicæ sedis, vel alterius eorundem, quos ad tui præsentiam duximus destinandos quibusve & cuilibet eorundem in solidum juramenti, & aliorum prædictorum omnium & singulorum receptionem per nostras literas speciales commisimus, post susceptum per te, ut præmittitur, ipsius imperii diadema omnia in juramento & literis contenta prædictis ratifices, confirmes, recognoscas, facias, serves, ac præstes de novo simile juramentum, nobisque super his omnibus & singulis, juxta tuam promissionem & obligationem easdem, prædictas literas quadruplicatas ejusdem imperialis majestatis typario communitas, in eis tenore prædictarum tuarum literarum inserto, concedas; illasque nobis per eosdem episcopos, vel alterum eorundem transmittas, &c. Adnexæ sunt literæ Regis Romanorum ad Clementem datæ, quæ ab his verbis ducunt exordium: *Ferventi desiderio &c.* quas cum nos superius ediderimus, supervacaneum foret iterum exscribere. Addemus tantummodo adscriptam in iis diem, quæ in altero regesto non extabat. *Dat. Lausanæ v. idus octobris anno Domini MCCCX. regni vero nostri anno secundo.* Pontifex autem suis diem hunc apposuit. *Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diœces. x. kal. julii anno sexto.*

Rem gestam publicis literis divulget.

XXI. (a) Ib. ep. 753.

Injunxit (*a*) præterea Arnaldo Sabinensi legato & Nicolao Ostiensi nuntio Apostolicæ sedis, ut ab Henrico, postquam imperialibus insulis redimitus esset, exigerent ut literas hujusmodi publice ederet, ratasque haberet, ac præstita sacramenta de tuenda sedis Apostolicæ dignitate confirmaret, ob exploratam ipsorum fidem tantæ rei curam in eos transfudisse: pariterque ad eos literarum, quas ab Henrico imperiali inunctione delibuto repetituri essent, exemplum transmisit. Cum vero Florentini atque alii partium Guelpharum duces imperialem Henrici consecrationem disturbare molirentur, Pontifex Arnaldum episcopum Sabinensem Apostolicæ sedis legatum in Etruria, Liguria, Insubria, marchia Tarvisina, pluribusque aliis provinciis, quas in literis ad eum datis designat, ad componendos Italicos motus, ac muniendum inungendo Imperatori iter, creavit.

De Arnaldo Cardin. creato sedis Ap. legato.

Clemens, &c. venerabili fratri Arnaldo episcopo Sabinensi Apostolicæ sedis legato.

Delectatur, & infra: *Te tanquam pacis Angelum, commisso tibi in Lombardiæ, & Tusciæ partibus, terris ecclesiæ Romanæ subjectis temporali dominio ubicunque positis prorsus exceptis, nec non & in marchia Tervisina, Aquilejensi & Gradensi patriarchatibus, Januensi, Pisana, & Jadrensi, patriarchæ Gradensi metropolitico jure subjectis provinciis, ac Sardiniæ & Corsicæ insulis, & in illa parte provinciæ Ravennatis, quæ in terra imperii dignoscitur constituta, & Placentina, ac Papiensi civitatibus & diœcesibus plenæ legationis officio, ut evellas & destruas, disperdas & dissipes, ædifices & plantes in nomine Domini, prout gratiæ cœlestis infusio, & tua providentia ministrabit; de fratrum nostrorum consilio destinamus: tibi nihilominus faciendi & exercendi auctoritate nostra quæcunque ad Dei & Apostolicæ sedis honorem, cultumque divini nominis ampliandum, ac fidelium partium earundem statum prosperum, & tranquillum, observantiam ecclesiasticæ sanctionis, integritatem ecclesiasticæ libertatis, relevationem pauperum, animarum, salutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt, facultatem plenariam tribuentes. Præterea ad missionem hujusmodi, illa præcipue ratio nos inducit, quod dudum post electionem charissimi in Christo filii nostri Henrici Regis Romanorum illustris celebratam concorditer per regni Alemaniæ principes, in electione Romanorum Regum vocem habentes cum imminet faciendi, solemnibus dicti Regis ambasciatoribus & nuntiis ad nostram præsentiam accedentibus, & nobis ejusdem electionis præsentato decreto, ad eorum instantem & devotam supplicationis instantiam coram nobis & fratribus nostris iteratis vicibus, & diversis temporibus repetitam, præfatum Regem, quia per decreti prædicti & conditionis personæ ipsius non levi notitia antea nobis & fratribus nostris notæ, examinationem coram nobis & eisdem fratribus habitam diligenter, in quantum fieri potuit, eodem absente, sufficientem ipsum, idoneum, & habilem invenimus ad præfatum imperium obtinendum, ac electionem prædictam canonicam extitisse; de ipsorum fratrum consilio ipsum nominavimus, approbavimus, denuntiavimus, & declaravimus Romanorum Regem, justitia exigente, ac fore idoneum, sufficientem, & habilem ad dignitatem imperialis celsitudinis obtinendam: pronuntiantes insuper ac etiam decernentes sibi per nostras manus loco & tempore opportunis debere concedi unctionem & ipsius imperii diadema, certum ad hoc ei terminum assignantes.*

In quibus provinciis id munus ei demandatum.

Decernendæ legationis causæ.

Ut Henricus Rex Romanorum confirmatus sit.

Cumque postmodum Rex præfatus Italiæ partes fuisset potenter ingressus, & a Lombardiæ civitatibus aliisque locis insignibus, ad quæ declinaverat honorifice & pacifice jam receptus, alii præfati Regis ambasciatores & nuntii ad Apostolicæ sedis præsentiam accesserunt: qui cum multa nobis instantia inter cætera supplicarunt, quod cum ipsi patenter adverterent, sicut eis jam per nos super hoc responsum extiterat, quod

Missis oratoribus legatos ad id constituit poposcerit.

propter generale concilium, quod in kalendis octobris proximo venturi disposueramus (dante Domino) & disponimus celebrare, aliaque multa & ardua plurimumque urgentia, quæ necessario in citramontanis partibus expedienda nobis negotia incumbebant tunc temporis & incumbunt, prædictam unctionem & imperii diadema, aliaque solemnia per nostras manus Regi non poterant memorato concedi, terminum ipsum sub spatio temporis brevioris concludere, ipsamque unctionem & imperii diadema cæteraque solemnia per aliquos de fratribus supradictis in festo pentecostes tunc proximo secuturo impendi facere dignaremur.

Nos vero, prædictis nuntiis receptis mansuetudine consueta, & his & aliis, quæ coram nobis voluerunt proponere, diligenter auditis, eis certo modo duximus respondendum, ejusdem Regis (super hoc cum prædictis fratribus nostris diligenti deliberatione præhabita) nihilominus desideriis annuere intendentes. Et quia propter temporis nimiam brevitatem in dicto festo pentecostes solemnitatem unctionis & coronationis hujusmodi non posse fieri credebamus, nec Rex ipse in festo præfato sibi, ut ejus decebat honorem, de apparatu ad hoc necessario potuisset forsitan providisse, significavimus ei per nostras literas speciales, ut tanti arduitate negotii diligenter inspecta, & considerata prudenter temporis qualitate, aliquem certum & solemnem diem, prout crederet convenire, post festum prædictum eligere, ipsumque nobis significare illius deliberatio non differret, ut infra diem ipsum aliquos de fratribus supradictis, de quibus apostolica deliberatio provideret, qui ei unctionis ejusdem munus impenderent, & imponerent vice nostra præfatum diadema imperii, ac alia inibi agenda solemnia peragerent, mitteremus; dilectos filios magistros Robertum electum Salernitanum, & Hugonem Geraldi cantorem ecclesiæ Petragoricensis capellanos nostros ad eundem Regem super his cum eisdem nostris literis destinantes, per quos tibi paternæ sinceritatis affectum, & mentis apostolicæ puritatem, quos ad status ipsius exaltationem magnificam habebamus, mandavimus clarius aperiri.

Dies assumptæ Virgini sacra designata sit ad celebritatem peragendam.

Verum Rex præfatus, super hoc matura deliberatione præhabita, festum assumptionis beatæ Virginis proximo venturæ pro termino ad recipiendum in basilica Principis Apostolorum de Urbe more solito unctionem hujusmodi & ipsius imperii diadema, aliaque inibi solemnia peragenda recepit, prout nobis per solemnes suos ambasciatores & nuntios, & speciales literas intimavit suo regali sigillo pendenti munitas; cum multa devotionis instantia supplicans per easdem ut ad eum aliquos de fratribus memoratis pro impendenda unctione hujusmodi & imponendo sibi ejusdem imperii diademate, aliisque peragendis solemniis mitteremus. Verum quia ex causis prædictis non possumus in hac parte affectibus satisfacere mentis nostræ, prædicti Regis frequentibus & devotis supplicationibus inclinati, & ad te, ac venerabiles fratres Leonardum Albanensem & Nicolaum Ostiensem episcopos, & dilectos filios nostros Franciscum S. Luciæ in Silice & Lucam S. Mariæ in Vialata diaconos Cardinales apostolicæ mentis oculos fiducialiter dirigentes, te & eos ad impendendam eidem Regi sacram unctionem, & imponendum imperii diadema, & alia insignia imperialia tradendum eidem, duximus destinandos sub certis modis & tenoribus, qui in literis commissionis nostræ super hoc tibi & ipsis factæ plenius & seriosius continentur. Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diœcesis XIII. *kal. julii anno sexto.*

Quatuor Cardinales ad cæsarea ornamenta conferenda legati.

Extant ad eundem legatum aliæ literæ, (*a*) quibus omnem curam in sopiendis Guelphorum Gibellinorumque tumultibus ipsum defigere jubet: utque adversas partes in mutuam pacem possit adducere, affinitates inter dissentientes conciliare atque eos connubiorum nexu devincire concedit. Ut etiam ea odia excindere facilius legatus posset, Pontifex plurima ipsum auctoritate instruxit, (*b*) ac privilegiis amplissimis ornavit. Tum patriarchas, archiepiscopos, episcopos, marchiones, duces, aliosque viros principes in decretis legato provinciis constitutos, ejusdem Arnaldi Cardinalis jussis ac monitis obsequi imperavit (*c*).

(*a*) *Ibid. ep. cur. 66.*

Guelphos & Gibellinos jubetur inter se conciliare.

(*b*) *Ib. ep. cur 68. ad ep. 94.*

(*c*) *Post ep. cur. 65.*

XXII. Henr. ob defectionem urbium, ab itinere versus Romam distrahitur.

Quæ porro post traditam Arnaldo & aliis Cardinalibus pacandæ Italiæ, Henricique imperiali diademate exornandi provinciam (neque enim hoc anno ob populorum defectionem Romam iter intendere Rex potuit) gesta sint, enarrat Mussatus (*d*): *Soliciti igitur*, inquit, *iidem duo*, nempe Sabinensis & Ostiensis episcopi Cardinales, *ad portas Brixiæ præmissis nunciis accedentes, alloquia petunt. Ingressos Brixianus populus suis quibusque ordinibus vocibus altis applausibusque prosequuntur, vociferantes: Vivat mater ecclesia. Vivat, vivat dominus Papa, sanctique patres Cardinales. Sicque ad prætorium adducti reverentissimis inclinationibus, aggregata concione frequenti, eorum alter Ostiensis jusso silentio crucis signaculo sic infit: O devota semper Deo & sacrosanctæ ecclesiæ Brixiana communitas, quis vos ab imperiis ecclesiæ vestræ matris, vera semita tam cœcus, tam pertinax error abduxit, ut venientem in nomine Domini benedictum ejusdem ecclesiæ filium Henricum Romanorum Regem Augustum neglexeritis, vosque contra omnipotentis Dei nutum, contraque sanctissimi Clementis Papæ*

(*d*) *Muss. l. 4. c. 2.*

Cardinales legati Brixianos nituntur ad Henrici obsequium flectere.

monita infelices erexeritis? Nonne scitis ipsius Filii Dei vocis oraculo responsum, Cæsaris imaginem reddendam Cæsari? O imbecilles: o miseri tam humana divinaque censura damnati, quænam hæc vestra cæcitas, quæve calamitas? Pergitis ne alterum mundo luminare constitutum obstruere hac clausi rupe, laterumque strue, quam Deus ipse superna animadversione, ut olim Sodomam & Gomorram, evertet? Tollite ecce vos, infausta infidelium secta, & ad pedes benedicti Regis in ciliciis & cineribus vos sternite humiles, & peccata deflete: nosque Dei ac Trinitatis, necnon & patris nostri Clementis Papæ sanctissimi contemplatione freti pro vobis assistemus, at parcat, & in vos, quamquam immeritos, regia benignitate conspiciat. Cum ita Cardinalis Ostiensis peroraſſet, Brixianorum prætor populi jussu respondit, agnosci quidem summam Romano Pontifici a Deo tributam potestatem, & Imperatorem officii nomine singularem mundi ministrum: sed Henricum non Imperatorem esse, sed expilatorem, Guelphos ab eo pelli in exilium, populorum sanguinem exugi, Gibellinos vero ad tyrannidem exercendam excoli, Friderici schisma accendi: testes hujus rei Mediolanum, Parmam, Veronam, Mantuam, Tarvisium. Ita Cardinales re infecta abiere.

XXIII. Magnæ apud Brixiam susceptæ utrinque clades.

(*a*) *Lib. 3. c. 16.*

(*b*) *Lib. 4. c. 8.*

Extracta obsidione Golerannus Henrici frater telo transfixus, (*a*) pestisque ex cæsorum equorum cadaveribus difflata quatuor & septuaginta duces insignes, septem millia supra septingentos hastatorum militum, & e plebe numerum infinitum absumpsit. (*b*) In Brixiam etiam proserpens miseros cives fœde depasta est. Inter quas angustias Lucas Fliscus Cardinalis interpretem concordiæ opportune se exhibuit, quamquam postea Henricus, qui appetentis coronationis præfixo tempore urgebatur, nonnulla Cardinali pollicita data violavit. Brixiam Cardinalis Flisci opera in Henrici adductam obsequium Jordanus, (*c*) Ptolemæus Lucensis, (*d*) Joannes Villanus (*e*), & alii (*f*) consentiunt. Præterea venienti postea Henrico Placentiam claves urbis detulisse, paulo post tamen pristinos motus recruduisse, narrat Jordanus (*g*): *Audiens*, inquit, *Imperator factiones & rebelliones multiplices Lombardorum, Guarnerum de Hoembruch fecit præsidem Lombardiæ, ut emergentia hujusmodi coerceret: sed vix cum centum intra Placentiam receptus, audivit Guelphos per vicarios ubique gravari, & hoc impatientiæ causam esse: & hac cum repulsa ad Cæsarem Guarnerus redit.* Accendisse plurium populorum odia Henricum ob Guelphos oppressos, eorumque patrocinium Robertum suscepisse, unde aucta bellorum moles, visuri sumus.

(*c*) *Ib. c. 9.* Brixiæ Flisci Card. opera Henrico se submittit.

(*d*) *Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.*

(*e*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 40.*

(*f*) *Jo. Vil. l. 9. c. 19.*

(*g*) *MS. Vat. bibl. sig. num. 2040. in Henr. VII.*

Porro Henricus præfectis (*h*) Mediolano Matthæo Vicecomite, Veronæ Cane Scaligero, Mantuæ Passerino, Parmæ Guiberto Corrigiano, Genuam se contulit, atque a civibus magnis honoribus, resistente nemine mense octobri exceptus est: (*i*) Spinolam illiusque studiosos in urbem revocavit, & inter Oriæ & Spinolæ stirpes clarissimas concordiam redintegravit. Versum est Henrico magno gloriæ, terrestribus ac maritimis viribus florentem illam rempublicam se ipsius imperio subjecisse. Sed ad id Clementis monita, nec non Cardinalis Nicolai Ostiensis episcopi, quem Genuæ cum Henrico versatum refert Jo. Villanus, (*k*) non parum valuisse magno argumento est. Immo quatuor Card. legatos, atque inter alios Flisci cum Henrico comites se addidisse, narrat Augustinus Justinianus (*l*). Secuta Henricum Regina præclaris perpolita moribus, non multo post Genuæ defuncta, in Minoritarum æde tumulo condita est (*m*) festo S. Luciæ, ut narrat Jordanus (*n*): Quam fuisse, ait Mussatus, *cerimoniarum divinique cultus tantæ assiduitatis, ut solemnium festivitatum dicta sit pernoctare vigilis.* Admisso porro a Genuensibus Henrico, Florentini ut iter ipsi versus Pisas abrumperent, copias submisere (*o*). Hujus Etruriæ atque sociorum Guelphorum motus causam attingit anonymus auctor de gestis Henrici: *Res*, inquit, (*p*) *nova & dura videbatur quibusdam Italicis atque Tuscis, & iis maxime qui populum regere videbantur, cum a sexaginta quinque annis & amplius a depositione ab imperio ultimi Friderici sine Imperatoris dominio perstitissent, quod ejus dominio denuo subiicerentur, quo se æstimabant in perpetuum liberatos.* Exeunte (*q*) anno Brixienses Guelphi cum urbem recuperare moliti essent, a Cane Scaligero magna clade profligati sunt. Reginenses ac Parmenses ab Henrico descivere: in quorum auxilium Bononienses & Florentini procurrere.

(*h*) *Ib. c. 23. Aug. Just. hist. Gen. l. 4. Bizar. l. 5. & l. 6.*

Genuenses excipiunt Henricum.

Dissentientes ab eo conciliati.

(*i*) *Joan. Vill. l. 9. c. 19.*

(*k*) *Id. c. 23. Aug. Just. hist. Gen. l. 4. Bizar. l. 5. & l. 6.*

(*l*) *Jo. Vil. l. 9. c. 21.*

(*m*) *Aug. Justin. l. 4.*

(*n*) *Jo. Vil. l. 9. c. 27.*

(*o*) *Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.*

Regina Genuæ moritur.

(*p*) *Vill. c. 26.*

(*q*) *MS. Vat. bibl. sig. num. 2040. pag. 49. in Henr. VII.*

Diffuderat se illius mali labes in ditionis ecclesiasticæ loca, parique scelere nonnulli pontificium excusserant jugum, æque atque alii imperiale e suis cervicibus depulerant; ex quo quanta emerserint mala, præter literis (*r*) ad Arnaldum Apost. sedis legazum datis elicitur, quibus deformatam iis seditionibus pontificiæ ditionis faciem ita depingit Clemens (*s*): *Jamdudum hoste pacis nonnullas terras ecclesiæ Romanæ subjectas, in partibus Italiæ constitutas, suæ nequitiæ stimulis impetente, status earum pacificus dissidiorum scandala protulit: ac dissensionibus variis suscitatis ibidem quies periit, bellicus furor invaluit, multis sub hostili clade peremptis; & nonnullis ejectis a laribus propriis, violenter armavit impietas patrem in filium, & filius in parentem: frater fratri non detulit, &*

XXIV. Excitatæ in ecclesiastica ditione seditiones.

(*r*) *Jo. Vil. l. 9. c. 31.*

(*s*) *Lib. 6. ep. cur. 66.*

Quæ inde secuta mala.

cognatus proximo non pepercit. Crudele tunc bellum a Perusinis & Fulginatibus gestum adversus Spoletanos, quod ægre Clementis imperio compositum est (a).

(a) lb. ep. cur. 46. 47. & l. 7. ep. cur. 7.

XXV. Philippus Franc. Rex capti Bonifacii crimine liberatus.

Sedandæ alterius gravissimæ controversiæ, quæ inter Philippum Regem Francorum & Bonifacium exarserat, studio Clemens latas in eum a Bonifacio censuras ita deleri voluit, ut publica in Regem acta edita e commentariis pontificiis eradi jusserit, pronuntiavitque eum omnino purum fuisse ab eo crimine, cujus labe aspersus ferebatur, dedisse nimirum suis administris imperia, ut Bonifacium in custodiam compingerent. Quod vero attinebat ad intentatum ab eodem Rege adversus illius memoriam judicium, quo pseudopontificatus hæreseos, ac plurium flagitiorum motam illi impegerat, atque apud benedictum XII. & Clementem institerat, ut sententiam ferrent, an ille legitimus sedisset Pontifex, an e Pontificum albo eradendus esset; declaravit non incitatum odio Regem, sed bono adductum zelo, ex sapientum ac doctorum virorum consilio hujusmodi judicium intendisse: pontificiisque solicitatum precibus, cum adversarii ab intentando illi conjurationis in Bonifacium ac direpti ecclesiæ thesauri judicio rogati discederent, totam controversiam sedi Apostolicæ atque ecclesiæ permisisse. De quibus hæc Bernardus: (b) *Anno Domini MCCCXI. quarta die exitus mensis aprilis, scilicet v. kal. maii in Avinione per Clementem Papam fuit in consistorio publice excusatus Philippus Rex Francorum de his, quæ egerat contra memoriam Bonifaci quondam Papæ; & pronunciatum ad excusationem Regis, quod ea egerat bona intentione, & bono animo atque zelo, præsentibus ibidem Regis nuncis: & hæc fuerunt consequenter bullæ papalis testimonio confirmata. Fuitque ibidem Clementi Papæ commissum totum negotium, totusque processus habitus Bonifacii memorati ab utraque parte scilicet accusante & defendente, & renunciatum atque conclusum per viam pacis tractatæ. Papa vero suscepit super se negotium examinandum, & finaliter terminandum.*

(b) Bern. chr. Rom. Pontif. & MS. Vat. bibl. sig. num. 3765. in Clem. V.

XXVI. Lata a Clemente sententia.

Usum ea industria in conciliandis adversis partibus Clementem, ne graviora mala, quæ antea ex hujusmodi contentionibus emerserant, recrudescerent, atque alia majora consilia, quæ ad amplificandam Dei gloriam cogitabat disturbarentur, ipse testatur. Suscepta igitur dirimendæ totius causæ provincia, detersit a Francorum Rege omnem maculam ac notam, qua ob gestas cum Bonifacio simultates inustus fuisset: quibus de rebus hoc diploma amplissimum edidit, (c) cujus exordium a Francorum regni præclaris encomiis auspicatus est: nil vero gravius consuluit in Bonifacii memoriam, quam paulatim consenescente invidia in suum splendorem restitutum iri arbitrabatur.

(c) Lib. 6. ep. cur. 32.

Causa de Bonifacii memoria ab adversis partibus Pontifici committitur.

Clemens, &c. ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Quæ proposita a Phil. Rege ad calumnias jactatas in Bonifacium & schisma excusanda.

Ex parte charissimi in Christo filii nostri Philippi Regis Francorum illustris fuit expositum coram nobis, quod significantibus olim sibi frequenter & pluries nonnullis sublimibus & magnæ auctoritatis personis, Bonifacium Papam VIII. prædecessorem nostrum non per ostium, sed aliunde intrasse ovile dominicum, ecclesiam videlicet sponsam Christi, ipsumque fore crimine pravitatis hæreticæ irretitum; quibusdam ex personis ipsis ipsum super hoc impetere seu denuntiare volentibus, ac requirentibus Regem ipsum, tanquam fidei pugilem & ecclesiæ defensorem, ut cum ex vitioso & illegitimo ingressu damnabili, perversis actibus, detestandis operibus, & perniciosis exemplis dicti Bonifacii status fidei & ecclesiæ miserabilibus dispendiis & ærumnis, gravisque ruinæ periculis subjaceret; ac ubi de hæresi agitur, fidei & ecclesiæ defensatrix semper extiterit inclyta domus suæ, per declarationem veritatis hujusmodi procuraret generale concilium convocari; Rex ipse, quia pudenda patris proprio libenter pullio contexisset, denuntiatorum & objectorum ipsorum frequentibus pulsatus instantiis, & assiduis clamoribus excitatus; ejusque conscientia tam per nonnullas sublimes, graves, & dignas personas, videlicet dilectos filios nobiles viros Ludovicum Ebroicensem & Guidonem sancti Pauli ac quondam Joannem Drocensem comites, asserentes præstitis ad sancta Dei evangelia ab eis tacta corporaliter juramentis, se præmissa credere esse vera, & ea legitime posse probari, quam per alias quamplures sublimes & fide dignas personas, status tam ecclesiastici quam mundani, eundem Bonifacium diversis hæresum speciebus infectum, ac in profundo malorum positum, ac omnino incorrigibilem, affirmantes, super his, ut decuit, informata negotium convocationis hujusmodi concilii generalis pro declaratione veritatis, ut videlicet dicti Bonifacii innocentia in hac parte claresceret, sicut teste conscientia exoptabat, aut ipso Bonifacio, si denuntiata & objecta contra eum forent veritate subnixa, tanquam illegitimo prorsus amoto, & cunctis erroribus, iniquitatibus, & spurcitiis a domo Domini procul pulsis de vero & legitimo pastore provideretur ecclesiæ sanctæ Dei; una cum prælatis, baronibus, collegiis, universitatibus, communitatibus, civitatum, & aliarum villarum ac clero & populo regni sui, nec non aliis Regibus & principibus, prælatis, & aliis præcellentibus & magnæ auctoritatis personis status tam ecclesiastici quam mundani, ac communitatibus & universitatibus civitatum, & aliarum villarum diversorum regnorum & climatum orbis terræ, aliisque sibi adhærentibus; ex fervore fidei & zelo justitiæ, ac pro reformatione status ecclesiæ, ac generali bono totius reipublicæ Christianæ, assumpsit deliberato consilio ad laudem divini nominis & exaltationem catholicæ fidei promovendum, ipsiusque promotionem convocationis concilii generalis, ut ipsius provisione salubri memoratis objectoribus audientia præberetur, ac super objectis sciretur veritas, ac statueretur & fieret, quod justitia suaderet, apud eundem Bonifacium, dum viveret, per solemnes nuntios regios, & post ejus obitum apud bonæ memoriæ Benedictum Papam XI. prædecessorem nostrum, & eo sublato de medio, apud nos ad ecclesiæ præfatæ regimen, licet insufficientibus meritis, divina dispositione vocatos, dum paulo post nostræ promotionis auspicia Lugduni nobiscum pro hujusmodi & terræ sanctæ, & aliis negotiis arduis personaliter convenissent, ac Pictavis postmodum iteratis instantiis, ut videlicet per eundem Benedictum prædecessorem nostrum, dum in humanis agebat, & post ejus decessum per nos etiam de præfati deliberatione concilii convocandi, si expediens videretur, super denuntiatis & objectis hujusmodi discuteretur veritas, ac decerneretur & fieret quod censent & statuunt canonicæ sanctiones; operosis studiis, ac solicitudinibus institit indefessis. Quare præfatus Rex nobis humiliter supplicavit, ut cum, sicut denuntiatorum & objectorum prædictorum habebat assertio, ex certis causis exhibitionis justitiæ in hac parte morosa protractio negotio fidei ac eisdem denuntiatoribus & objectoribus dispendiosa foret & periculosa quamplurimum, in negotio memorato procedere ac exhibere super eo justitiæ plenitudinem dignaremur.

Benedictum & Clementem ad illius damnandam memoriam solicitaverat.

Fallacia calumniatorum nocere molientium officia.

XXVII. Responsa Bonifacii defensorum verissima.

Proponebatur autem in contrarium ex parte quorundam, se offerentium defensioni memoriæ & status Bonifacii memorati, dictum Regem ex malignitatis & odii fomite potius, quam charitatis aut fidei vel justitiæ zelo, procedere ad requisitiones hujusmodi faciendas, ipsumque denunciationes & objectiones & assertiones prædictas calumniose fieri procurasse, ac Regem eundem & quosdam ex denunciatoribus & objectoribus supradictis ausu sacrilego capi fecisse Bonifacium memoratum; ac denunciatores & objectores & assertores eosdem conspiratores fuisse, & esse dicti Bonifacii inimicos etiam capitales: quibus præmissis & aliis multis rationibus, dicebatur dictum Regem super requisitione prædicta nullatenus audiendum, ac denuntiatores & objectores prædictos ad denunciationes & objectiones hujusmodi non fore aliquatenus admittendos.

Accusatores Bonifacii hostes illius, existere, atque adeo non audiendi.

Philippus in discrimen schismatis nonnullos Reges & populos trahere fategerat.

XXVIII. *Sed respondebatur e contra pro parte*

Dolosa retorsio acculatorum.

Regis, denuntiatorum, & objectorum & assertorum ipsorum, quod ab ipso primordio promotionis dicti Bonifacii ad summi pontificatus apicem memorato Regi per nonnullas sublimes & præeminentis excellentiæ, aliasque fide dignas personas ecclesiasticas & mundanas insinuatum multotiens fuerat, & diversis successive temporibus auribus regiis pluries inculcatum, quod præfatus Bonifacius per ostium non intrasset, quodque vitio labis hæreticæ & aliis nefandis criminibus irretitus, ac positus in fundo malorum omnino incorrigibilis existebat; ipsumque Regem, ut tanquam fidei pugil ecclesiæque defensor imminentibus malis & scandalis remediis occurreret opportunis, fuisse cum instantia requisitum. Sed Rex ipse ut filius pudoratus illius, quem loco patris habebat, pudenda cernere veritus, averterus prædictis insinuationibus & denuntiationibus aures suas, ipsum diutius propter honorem ecclesiæ toleravit, & venerabatur ut patrem, donec personarum prædictarum frequentibus & continuatis instantiis & demum in publico parlamento Parisiis præsentibus prælatis, baronibus, capitulis, conventibus, collegiis, & communitatibus & universitatibus villarum regni prædicti opportune & importune pulsatus, cum ulterius urgente conscientia de præmissis, ut præmittitur, informata absque Dei offensa dissimulare non posset, nec sine gravibus scandalis & periculis tolerare; de prælatorum, baronum, ac capitulorum, conventuum, collegiorum, communitatum & universitatum villarum regni præfati, necnon magistrorum in theologia ac professorum utriusque juris, & aliarum sapientum & gravium personarum diversorum regnorum & partium deliberato consilio, non ex odii fomite, non typo malitiæ, sed zelo fidei, necessitate cogente, promotionem, ut prædicitur, assumpsit negotii supradicti, nec præfatum Bonifacium capi, nec aggressionem, vel insultum in eum, vel ejus domum fieri mandavit, aut fecit; sed denuntiationes & objectiones prædictas sibi per Guillelmum de Nogareto militem & alios nuncios suos, ad hoc ab eo cum patentibus & expressis literis regiis destinatos, dumtaxat insinuari præcepit, & ab eo super his generale concilium convocari; & si dictus Guillelmus circa personam vel domum dicti Bonifacii, vel aliàs in præmissis aliqua commisit illicita, displicuerunt & displicent dicto Regi, nec ea rata vel grata unquam habuit neque habet. Adiiciebatur etiam denuntiatores & objectores prædictos, de hæresi, illegitimo ingressu, & aliis criminibus supradictis a longe retro lapsis temporibus per nonnullas graves & fidedignas personas instructos & informatos fuisse; ipsosque ad denuntiationes & objectiones easdem apud præfatum Regem, cum ad prælibatum Bonifacium

Fallax de dilata accusatione Bonifacii excusatio.

Conventum Parisien. Philippus, cum ab censuras sibi incussas fureret, coegerat.

tunc

tunc aditum commode habere non possent, in publicum defendendas non ex odio præconcepto, cum tunc ipsos in nullo dictus Bonifacius offendisset, non ex fermento malitiæ, sed potius ex fervore fidei & zelo justitiæ processisse, & earum prosecutioni etiam nunc insistere, paratos eas secundum formam juris legitime prosequi & probare.

XXIX. Ut Clemens se gesserit, ne Philippum Regem a se abalienaret, nec Bonifacium contra fas omne damnaret.

Nos autem cum fratribus nostris matura & frequenti super hoc deliberatione præhabita, considerantes attentius & infra claustra pectoris meditatione solicita revolventes, quod prætacti negotii prosecutio rigorosa impeditiva nimis prædicti negotii terræ sanctæ & aliis gravioribus onusta dispendiis & diversis undique plena periculis existebat, sicut jam facti exordia indicabant; ac volentes tot & tantis malis & periculis, ne in segetem periculose succresceret, sed præcisis radicibus, suo præfocarentur in ortu, ex debito pastoralis officii solicitius providere; apud eundem Regem de fratrum nostrorum consilio, & ad eorum supplicationem instantem salutaribus monitis, exhortationibusque paternis institimus, ut rejectis anfractibus denuntiationum & objectionum hujusmodi, cum per alias congruas & legitimas vias prætactum negotium tractari commodius & facilius posset & brevius terminari, ipsius negotii prosecutionem nostræ & ecclesiæ ordinationi relinqueret, & ut denuntiatores & objectores præfati id idem facerent, interponeret partes suas, ita quod nos & eadem ecclesia, causarum vitatis anfractibus, & prædictis malis & periculis obviando, ex officii nostri debito ad ipsius negotii cognitionem, examinationem & totalem decisionem procedere, statuere & ordinare de ipso, ac finem congruum eidem imponere deberemus, prout catholicæ fidei ac universalis ecclesiæ statui & honori conveniens, ac terræ sanctæ negotio & alias secundum Deum expediens videretur.

Sed licet requisitionum hujusmodi apud eundem Regem pluries diversis successive temporibus atque locis duxerimus repetendam, ipso tamen Rege ad denuntiatorum & objectorum prædictorum instantiam requisitioni prædictæ ut prius nihilominus insistente; nos inter tot diversa & adversa in medio super justitiæ solium constituti in tanto negotio non præcipitanter aut irruptive, sed cum debita cautela & maturitate procedere cupientes, diversos & varios in negotio ipso per legitima intervalla dierum & temporum continuatis terminis fecimus, justitia mediante, processus. Et ne vel malignis aut falsis delationibus aditum nimis facilem pandere, aut denuntiatoribus & objectoribus supradictis, si spiritu Dei aguntur, in dispendium fidei viam præcludere vel negare justitiæ videremur; non intendentes tamen denuntiatores & objectores prædictos, vel alterum eorundem, aut denuntiationes vel objectiones, vel aliqua proposita per eosdem admittere, nisi si, prout, & in quantum contra summos Pontifices vivos vel mortuos admittendi forent, & etiam admittenda juxta sanctorum patrum decreta & canonica instituta; de motu & zelo Regis præfati circa requisitionem hujusmodi, & assertorum & denuntiatorum & objectorum prædictorum circa assertiones, denunciationes, & objectiones præmissas duximus inquirendum.

Ad tegendam Phil. Regis ac suorum infamiam Clemens declarat, ipsum animo calumniandi Bonifacium non accusasse.

Et demum competenti, super his inquisitione præhabita comperimus, quod etsi etiam assertores, denuntiatores, & objectores prædictos ad assertiones, denunciationes, & objectiones hujusmodi, ac dictum Regem ad requisitionem prædictam, ut præmittitur, faciendas objectorum veritas, de quibus certi non sumus, forsitan non movisset; ipsos tamen ad hoc præconcepta malignitas aut mala causa non impulit, sed bonus, sincerus, & justus zelus induxit: unde assertores, denuntiatores, & objectores eosdem ad assertiones, denunciationes, & objectiones easdem, & dictum Regem, qui ad eorum, necnon aliarum sublimium & gravium personarum frequentem & sepius repetitam instantiam ad requisitionem prædictam ab initio processerat, & nunc etiam procedebat, extra omnem calumniam fuisse & esse, ac bono, sincero, & justo zelo, ex fervore catholicæ fidei processisse, de fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica pronuntiamus, dicimus, atque decernimus, & tenore præsentium declaramus, &c. Interjectis dein variis excusationum fucis, quibus Guillelmus Nogaretus patrati in Bonifacium sceleris turpitudinem colorabat, dum suam in sacro Cardinalium senatu causam agebat, addebatque inter alia servatam a se vitam fuisse Bonifacio, ne ab hostibus trucidaretur, ipsumque a Philippo tantummodo missum, ut illi conceptam provocationem ad concilium denuntiaret, addit: *Unde nos de sæpefati Regis innocentia in hac parte tam per confessionem præfati Guillelmi, quam alias sufficienter instructi pronuntiamus, dicimus, atque decernimus, & auctoritate prædicta de fratrum præfatorum consilio tenore præsentium declaramus, Regem ipsum super captione, aggressione, & insultu prædictis, ac dispersione & amissione thesauri & aliis, quæ in conflictu, vel facto captionis dicti Bonifacii, aut aggressione, vel insultu prædictis ipsi Guillelmo impositis quomodolibet contigerunt, innocentem penitus & inculpabilem fuisse, ac esse.*

Fucata Guillelmi Nogareti excusatio patrati in Bonifacium sacrilegii.

XXX. *Quibus pronunciationibus, declarationibus, & decretis per nos, ut præmittitur, factis & habitis, cum in negotio memorato vellemus ulterius justitia mediante procedere, ne causa fidei indiscussa diutius remaneret; illi qui defensioni memoriæ & sta-*

Ut Bonifacii accusatores ac defensores in Clem. arbitrium causæ fidei discussionem contulerint.

statui dicti Bonifacii se, ut præmittitur offerebant, negotium defensionis hujusmodi in officii nostri mera & libera potestate sponte ac libere dimiserunt: ac demum præfatus Rex, præmissa pericula consideranter attendens, tanquam benedictionis & gratiæ filius progenitorum suorum, qui se semper ipsius ecclesiæ beneplacitis coaptarunt, vestigia clara sequens, pro se ac universis regnicolis regni sui, cujuscumque status vel conditionis existant, nostris in hac parte requisitionibus de abundantia regalis clementiæ per effectum operis acquievit.

Quando & cur destiterit Rex Bonifacium persequi.

Destitit Philippus a persequenda Bonifacii memoria, cum veluti manifestus calumniator damnandus esset, eaque onerandus infamia, quæ sceptris eum indignum redditura erat. Neque ob Clementis sententiam ad ipsius Regis gratiam compositam ignominiæ dedecus eluit: siquidem tanta apud Gallos ipsos Philippus exinde arsit invidia, (a) ut illius frater Carolus dux Valesiorum coram Philippi ejusdem filio Ludovico Hutino objecerit Enguerrano Marinio, quem poscebat ad supplicium, illum controversiæ Philippum inter & Bonifacium exercitæ fontem fuisse, & inusisse, quæ nunquam elueretur innocenti superioris Regis memoriæ notam. Sed ad pontificium diploma redeamus. *Præfati quoque denuntiatores & objectores, ad inductionem dicti Regis factam eisdem ad preces nostras per nos, ut præmittitur, ipsi Regi porrectas, auctoritate nostra interveniente, nostris circa id beneplacitis finaliter assenserunt, negotium hujusmodi & prosecutionem ipsius nostræ & ecclesiæ cognitioni, decisioni, ordinationi, & dispositioni libere relinquentes, prout per patentes regias ac denuntiatorum, objectorum, & assertorum prædictorum literas, quas ad cautelam & memoriam rei gestæ in ipsius ecclesiæ archivio repositas servari facimus, plene constat.*

(a) Paul. Æmil. in Lud. Hutino.

XXXI. Clementis in Philippum effusa commendatio.

Nos itaque mansuetudinem regiam, ac expertam in his devotionis & reverentiæ filialis gratitudinem, quas pro tot & tantis malis & periculis evitandis dicto Regi divinitus credimus inspiratas, plenis in Domino laudibus commendantes, Regi cœlesti, in cujus manu corda sunt principum, & a quo tantum bonum non ambigimus processisse, cum ab ipso bona cuncta procedant, laudes & gratias profundæ humilitatis spiritu, totoque devotionis animo exhibemus: ac motum & zelum dicti Regis in hac parte ex fervore fidei, quem Rex ipse a progenitoribus suis hereditario quasi jure traxisse dignoscitur, prodeuntem non immerito approbantes, & sonoris laudum efferentes præconiis; ac volentes præfato Regi & suis adversus futura pericula sic plene prospicere, & alias in hac parte ad honorem Dei & ecclesiæ sic utiliter & salubriter providere, quod inclytæ domus & regni Franciæ fama celebris, fusique nominis claritas, ubique divulgata per orbem, nullis obloquentium morsibus, vel ullorum caninis latratibus, qui vel ex ignorantia veritatis, aut propriæ malignitatis astutia, vel invidiæ stimulis concitati malum in bono præsumunt & prædicant, in posterum pateat; sed in sui splendore luminis semper illibata persistat, vitentur jam experta pericula, ac tot & tantis malis & scandalis jam prævisis, quæ ex præteritorum commemoratione, refricatione, vel recidiva iteratione quacumque verisimiliter sequi possent in posterum, via præcludatur omnino, ac charitatis unitas & pacis fœdera, quæ inter præfatam ecclesiam ac Reges & regnum Franciæ hactenus, divina favente clementia, viguerunt & vigent, in sui vigoris & roboris firmitate de bono semper in melius illibata perpetuis temporibus observentur; omnes sententias latas ab homine vel a jure, constitutiones, declarationes non inclusas in sexto libro decretalium, in quantum præjudicant vel possent præjudicare honori, statui, juribus, & libertatibus dictorum Regis & regni, regnicolis, assertoribus, denuntiatoribus, delatoribus, fautoribus, adhærentibus, ac valitoribus antedictis, duabus constitutionibus, quæ non sunt in eodem libro inclusæ, quarum una incipit; Unam sanctam, & alia: Rem non novam; quas secundum moderationes easdem, alias per nos factas, & non aliter intelligi volumus, & secundum moderationes ipsas volumus in suo robore remanere, exceptis; necnon privilegiorum revocationes, suspensiones, ac quolibet processus suspensionum, excommunicationum, interdictorum, privationum, dispositionum, & alios quoscumque processus juris vel facti, verbo vel literis, in scriptis vel sine scriptis, directe vel indirecte, principaliter vel incidenter, implicite vel explicite, publice vel occulte contra dictum Regem, liberos, & fratres ipsius, & regnum Franciæ, statum, jura, & libertates ejusdem pro quibuscumque factis, causis, vel occasionibus, aut exquisitis coloribus, vel figmentis quibuscumque præteritis temporibus; necnon contra denuntiatores, objectores, & assertores prædictos, ac prælatos, barones, & alios incolas & habitatores regni ejusdem, quibuscumque temporibus, causa, vel occasione prædictarum assertionum, denuntiationum, propositionum, objectionum, provocationum, appellationum, petitionum, seu requisitionum, convocationis concilii generalis, blasphemiarum, injuriarum dictarum vel factarum contra dictum Bonifacium quoquo modo; vel captionis, aggressionis, vel invasionis domus, personæve suæ, dispersionis & amissionis thesauri & aliorum, quæ in facto Anagniæ vel alibi ubicumque occasione præmissorum

Bonifaciana gesta in Reges Franc. rescissa.

quomodolibet contigerunt; vel causa seu occasiones dicti Regis, aut occasione discordiæ, quam habuit contra ipsum Regem Bonifacius prædictus, seu causa vel occasione aliquorum emergentium vel contingentium, seu quæ contingere potuerunt ex eisdem; ac etiam contra adjutores valitores in præmissis, seu ea tangentibus ipsius Regis, vel sibi quomodolibet adhærentes, vivos vel mortuos, cujuscumque nationis, præeminentiæ, honoris, ordinis, dignitatis, aut status ecclesiastici vel mundani existant; etiamsi cardinalatus, archiepiscopali, episcopali, imperiali, vel regali dignitate præfulgeant, tam per dictum Bonifacium, quam quoscunque alios in vita, vel post mortem ipsius auctoritate sua, quam per memoratum Benedictum immediatum successorem suum pro factis, causis, vel occasionibus antedictis factos & habitos a festo sanctorum omnium, quod fuit anno nativitatis dominicæ millesimo trecentesimo citra, si qui sint vel fuerint; ad cautelam relaxamus, revocamus, irritamus, annullamus, cassamus, & ex nunc nullos, cassos, & irritos nuntiamus ex certa scientia, de fratrum nostrorum consilio & de apostolicæ plenitudine potestatis.

Benedicti sententiæ in prædones, qui Bonifacium ceperant, ac diripuerant thesaurum ecclesiæ convulsæ.

Et si quis calumnia, macula, sive nota ex præmissis denuntiationibus, objectionibus, assertionibus, aut quibuscunque contumeliis, blasphemiis, injuriis, verbis vel factis, in scripturis privatis vel famosis libellis, occulte vel publice eidem Bonifacio in vita ejus vel post mortem illatis; aut earum publicatione, assumptione, vel prosecutione, aut culpa; offensa aut injuria qualibet, seu infamia juris vel facti, præfato Regi, posteritati suæ, assertoribus, & denuntiatoribus ac objectoribus, prælatis, baronibus, vel aliis indigenis, incolis, & habitatoribus dicti regni; nec non & adjutoribus, valitoribus, & adhærentibus prædictis aut aliquibus ex eis, aut aliis consentientibus, mandantibus, vel ratum habentibus, opem, consilium, auxilium, vel favorem præbentibus quoquo modo, vivis, vel mortuis personis, infra nominatis exceptis, ex captione, insultu, & aggressione prædictis, aut ex rapina seu perditione thesauri ecclesiæ, aut ex aliis quibuscunque, quæ in conflictu vel facto captionis, insultus, aggressionis prædictorum, vel alias ipsorum occasione, ut præmittitur, contigerunt impingi, imponi, vel imputari possent in posterum quoquo modo; hujusmodi calumnias, notas, maculas, injurias, infamiam, actiones, querelas, & offensas, si quæ forsan sint vel esse possint in posterum, totaliter abolemus & tollimus & etiam ad cautelam penitus amovemus; & sententias, emendas, mulctas, & pœnas, si quæ sint, pro eis impositas vel inflictas ab homine vel a jure, & quæ imponi vel infligi possent in posterum; etiam si supponerentur vel dicerentur captio prædicta vel aliqua de præmissis facta nomine dicti Regis, valitorum, adjutorum, vel adhærentium prædictorum, aut ipsis mandantibus, vel procurantibus, vel ratum habentibus, aut sub vexillo suo, aut insigniis armorum suorum; prorsus amovemus & tollimus, & etiam ad cautelam omnino remittimus & quietamus: ac Regem ipsum & regnum prædictum, assertores, denuntiatores, & objectores, prælatos, barones, & clerum & populum dicti regni, nec non valitores & adhærentes, & alios supradictos, in eum statum in omnibus & per omnia, si forsan ipsi vel eorum aliqui quomodolibet egeant, personis inferius nominandis dumtaxat exceptis, reponimus, restituimus, & plene reducimus, in quo Rex ipse & alii supradicti erant ante omnia supradicta juxta distinctiones personarum, factorum, causarum, & temporum superius assignatas; ita quod Rex ipse, posteritas sua, & regnum prædictum, assertores, denuntiatores & objectores, barones & alii supradicti, aut aliqui seu quivis ex eis, exceptis dumtaxat infra nominatis personis, ex calumnia, notis, maculis, captione, aggressione, insultu, rapina, seu deperditione thesauri, culpis, injuriis vel offensis, blasphemiis, sententiis vel processibus, vel quibuscumque aliis supradictis deinceps notari vel impeti nequeant, nec sententiæ aut processus hujusmodi contra ipsos, vel quemvis ex eis aliquem possint habere vigorem, effectum, aut roboris firmitatem, &c.

Suscepta a Philip. Rege ob jactatas in Bonif. calumnias infamia abolita.

Omnes Galli pristinis juribus & dignitati restituti.

XXXII. Subdit, cum rerum experientia doceat, imminentia pericula discutere, sui esse consilii præteritorum memoriam penitus extinguere, ne forte malum aliquando recrudesceret: atque adeo memoratas constitutiones, privilegiorum declarationes, revocationes, suspensiones, anathematis, interdicti ecclesiastici, abrogatæve dignitatis sententias, aliasve publicas tabulas e Pontificum regestis legumve codicibus ex sacri Cardinalium senatus consilio evulsisse; atque intentato ecclesiastico fulmine ab omnibus cujuscumque ecclesiasticæ, etiam cardinalitiæ vel regiæ dignitatis, sexus, conditionis, intra menses quatuor illarum exempla flammis dari, vel e libris suis abradi jubere, neque cuiquam ullas prærogativas in ea re ad eludendum hoc pontificium imperium suffragaturas. *Dat. Avin.* v. *kal. maii pontificatus nostri anno* VI. Hæc licet a Clemente magna religione decreta sint, haud tamen omnes paruere: nam in primis Galli provocationis a Bonifacio ad concilium conceptæ a Philippo formulam, in qua teterrimæ illæ afflatæ a furiis calumniæ adversus Pontificem purissimum ab hæresi, immo religionis perspicuum assertorem descriptæ erant, ut maximum te-

Bonifacii in Gallos sententiæ e pontificiis regestis evulsæ.

telum adversus auctoritatem Pontificum in suis scriniis condiderunt (*a*); quod postea, cum a suo pseudopontifice Petro e Luna provocarunt ad concilium, in publicas tabulas retulere. At contra Bonifacii memoriæ cultores, indignati Clementem, plus æquo in Regem pronum studio, earum literarum Bonifacii exempla clam asservarunt, ut illius innocentia apud posteros enitesceret, & paterent causæ, ob quas tanto furore Philippus percitus fuit, inflammatusque a suis senatoribus, ut Pontificis, a quo censura apostolica percussus fuerat, memoriam insectaretur, tristiaque extincti spolia flammis exurenda deposceret. Cum autem jam illorum temporum invidia, ob quam Bonifaciana in Philippum diplomata Clemens e regestis pontificiis aboleri jussit, vetuitque retinere, jam contabuerit; maximique pro sedis Apostolicæ asserenda majestate referat illustrare, in Bonifacianis gestis nil a religione dissonum contineri, & ob justitiam ac districtas in elatum Regem censuras Bonifacium calumniis atrocissime appetitum, ea ipsa, quæ in regestis oblitterata fuerunt, ut hæreseos, magiæ, aliorumque flagitiorum ab impiis objectorum Bonifacio causæ inspiciantur; ex aliis authenticis MSS. resarcire, & propagare historiæ visum est. Quæ germana quidem esse non conficta constat, si cum iis, quæ in regesto (*b*) supersunt conferantur; tum perspicaciter literæ ipsæ inspiciantur, quas hæc eadem referre innotescet.

(*a*) *Ext. in l. 9. de schismate MS. arch. Vat. p. 12.*

Propagatæ posteris a Bonifacii studiosis.

Ex iis illius innocentia illustratur.

(*b*) *Ext. in MS. arch. Vatic.*

XXIII. In primis diploma Laterani nonis decembris anno VII. exaratum, maxima ex parte erasum, paternis monitis Philippo datis a Bonifacio plenum est, quæ seductus nefariis impostorum assentationibus princeps tolerare non potuit. Exordium est iis literis ab his verbis: *Ausculta fili charissime præcepta patris*, quæ sequuntur typis cusa sunt (*c*) usque ad vocem, *adimplere*. Proxima vero sententia hæc, qua Rex pungebatur, Clementis jussu deleta est, subjectis concepta verbis: *Ut in corde contrito ad Deum reverenter redeas, a quo per desidiam, vel depravatus consilio nosceris recessisse, ac ejus & nostris beneplacitis te devote conformes*. Deinde nonnullis interjectis, quibus Bonifacius Philippo demonstrabat, sibi illius animæ curam a Deo demandatam esse, quæ in superiore tomo allata a nobis sunt (*d*) apostolicas adhortationes repetiit, ne ecclesiastici ordinis immunitates ac dignitatem obtereret, sacras opes dissiparet, vel nefarios impostores, sua commoda ex publicis calamitatibus aucupantes, regia auctoritate ad patranda scelera armaret: quæ monita execratus Philippus Clementem ad ea e Bonifaciano regesto delenda impulit: quæ nos ad Bonifacii pium zelum illustrandum ex MS. archivi Vaticani (*e*) restituenda existimamus.

Bonifacii literæ monitoriæ.

(*c*) *Ann. 1301. n. 31.*

Philippus correctionis impatiens.

(*d*) *Eod. num.*

(*e*) *MS. arch. Vat.*

Sane fili cur ista diximus, Bonifacii verba sunt expuncta a Clemente, *imminente necessitate & urgente conscientia expressius aperimus. Constituit enim nos Deus, licet insufficientibus meritis, super Reges & regna, imposito nobis jugo apostolicæ servitutis, ad evellendum, destruendum, dissipandum, reædificandum, atque plantandum sub ejus nomine & doctrina: ut gregem dominicum pascamus, consolidemus infirma, sanemus ægrota, alligemus fracta, & reducamus abjecta; vinumque infundamus & oleum vulneribus sauciati. Quare, fili charissime, nemo tibi suadeat, quod superiorem non habes, & quod non subsis summo ecclesiæ hierarchæ: nam desipit qui sic sapit, & pertinaciter hoc affirmans convincitur infidelis; nec est infra pastoris boni ovile. Et licet de singulis Regibus & principibus, sub fide militantibus Christiana, pro eorum salute solicite cogitemus; erga te tamen officii nostri debitum eo amplius eoque charius & attentius dirigere debemus & exequi, quo majori personam tuam paterna & materna charitate complectimur; ac non solum te, sed & progenitores, domum, & regnum tuos in diversis nostris statibus plena & pura sumus benevolentia prosecuti. Nec possumus, cum non debeamus, sub silentio præterire, quin ea, per quæ oculos divinæ majestatis offendis, nos perturbas, gravas subditos, ecclesias & ecclesiasticas sæcularesve personas opprimis & affligis; nec non pares, comites, barones, aliosque nobiles, & universitates ac populos dicti regni multis ac diversis angustiis ut novimus, licet minus apertius exprimamus, scandalizas.*

Apostolici culminis assertor Bonifacius.

Regem admonet in his, quæ spectant ad salutem, subesse Pontifici.

Graviori in suos tyrannide Deum lædere.

Profecto erga te hactenus tibi charitatis intuitu, interdum scilicet præsentialiter per nos ipsos, dum nos minor status haberet, ac postquam nos Dominus pervexit ad apicem apostolicæ dignitatis, per multiplicatas nostras literas, solemnes nostros & tuos nuntios, prælatos & alios domesticos nostros & tuos, te opportunis studiis & temporibus inducendo, scripsimus ut errata corrigeres, emendares excessus, regnum tuum in pacis dulcedine ac tranquillitate disponeres, a cleri ac populi gravaminibus abstineres, tuoque jure contentus in aliorum injuriam occupatus non extenderes manus tuas. Sed quod te correxeris & in te semina sata fructificaverint, non videmus: quinimmo delinquendi licentiam, & multiplicandi peccata videris, proh dolor! in consuetudines deduxisse.

Ipsum pluries monitum scelera non emendasse.

XXXIV. *Et ut aliqua explicabiliter inferamus, ecce quod licet pateat manifeste, & explorati juris existat, quod in ecclesiasticis dignitatibus, personatibus ac beneficiis, canonicatibus ac præbendis vacantibus intra vel extra curiam Romanus Pontifex summam*

Perstare contra fas in conferendis sacerdotiis.

mam & potiorem obtinet potestatem; ad te tamen hujusmodi ecclesiastica dignitatum, personatuum, canonicatuum, beneficiorum, & præbendarum collatio non potest quomodolibet pertinere, nec pertinet nec per tuam collationem in ipsis vel eorum aliquo potest alicui jus acquiri sine auctoritate vel consensu sedis Apostolicæ tacitis vel expressis; quæ qui accipit & se denegat accepisse, eis propter ingratitudinem est privandus, & etiam ille, qui concessa vel permissa abutitur potestate, & qui contrarium tibi suadet, est contrarius veritati; nihilominus tu, metas & positos tibi terminos irreverenter excedens, & factus impatiens super hoc injuriose obvias ipsi sedi, ejusque collationes canonice factas executioni mandari non sustines; sed impugnas, quamvis tuæ qualitercumque factæ procedere dignoscantur. Et cum in judicio debeat esse distinctio personarum, tu tamen

Jus exercere in ecclesiasticos.

in propriis causis vis jus tibi reddere vel dicere ut non in communi, sed in proprio judicio videlicet partes actoris & judicis sortiaris: & si per quemquam injuriari tibi reputes, conqueri de ipso contemnis coram judice competenti, seu etiam coram nobis, quantumcumque injurians sit persona ecclesiastica vel mundana, de regno tuo vel extra; & de illatis per te vel tuos injuriis atque damnis, ac de tuis & tuorum excessibus recusas per aliquem judicari, & ad surripienda & ad occupanda ecclesiastica bona & jura pro libito voluntatis occupatrices manus tuas extendis in casibus tibi non concessis ab homine, vel a jure.

Invadere sacras opes.

Prælatos insuper & alias personas ecclesiasticas, tam regulares quam sæculares, tui regni, etiam super personalibus actionibus, juribus, & immobilibus bonis, quæ a te non tenentur in feudum, ad tuum judicium protrahis & coarctas, ac inquæstas facis fieri, & detineri tales; licet in clericos & personas ecclesiasticas nulla sit laicis attributa potestas.

Censurarum exercendarum libertatem clero adimere.

Præterea contra injuriatores ac molestatores prælatorum & ecclesiasticarum personarum eos uti spirituali gladio, quibus competit, libere non permittis; nec jurisdictionem sibi competentem in monasteriis seu locis ecclesiasticis, quorum recipis guardiam vel custodiam, aut a prædecessoribus tuis receptam supponis, pateris exercere: quin potius sententias seu processus per dictos prælatos & personas ecclesiasticas licite promulgatos & latos, si tibi non placeant, directe vel indirecte revocare compellis: &, quod tacere nolumus, Lugdunensem ecclesiam tam nobilem, tam famosam, tam charam, in prædictæ sedis pectore constitutam, quæ in

Lugdunensis ecclesiæ jura pessundare.

spiritualibus & temporalibus hactenus reflorebat, tu & tui injuriosis gravaminibus & excessibus ad tantam inopiam & oppressionis angustias deduxistis, quod vix adjicere poterit, ut resurgat, quam constat non esse infra limites tui regni: nosque qui quandoque fuimus canonicus in eadem ecclesia, ejusque libertatum, privilegiorum, & jurium notitiam plenam habemus non revocamus in dubium, quod injuriose nimis tractas eandem.

XXV. De eadem controversia Lugdunensis ecclesiæ, cujus clientelam susceperat Bonifacius adversus regiam potentiam, hæc postea inter alia capita, quæ Joanni tit. SS. Marcellini & Petri Cardinali legato pro paciscenda cum Philippo concordia tradidisse vidimus, (a) sanxit: Item (b) quod nos testamur non tantum ut privata persona, sed etiam papaliter, & decernimus hujusmodi nostro dicto & testimonio esse standum, quod civitas Lugdunensis ejusque suburbia & contingentia, ædificia, sive horti non sunt infra terminos, fines, seu limites regni Franciæ constituta: nec etiam ecclesia & villa S. Irenæi & ecclesia seu locus, qui dicitur S. Justus supra seu prope Lugdunum: & quod prædicta civitas & castra, terræ, possessiones & bona ad dictam Lugdunensem ecclesiam pertinentia, merum & mixtum imperium, & jurisdictio in eisdem sunt juris & proprietatis præfatæ ecclesiæ Lugdunensis, & pertinent ad eandem: quodque Rex ipse & quivis alii Reges Franciæ non habent, nec habere debent in ipsis vel eorum aliquo jus aliquod vel resortum: & quod dictæ civitatis universitas, communitas, sive cives singulares vel speciales personæ ipsius, nec merum & mixtum imperium, nec jurisdictionem habent in civitate, suburbiis, hortis, vel ædificiis contingentibus, aut in castris, bonis, & possessionibus prædictis, nec etiam in ecclesiis, seu villis vel locis sancti Irenæi vel sancti Justi præfatis; & quod per concessionem vel commissionem, qualitercumque ipsis vel eorum alicui a præfato Rege Franciæ factam, sub quavis forma vel conceptione verborum, aut etiam faciendam mero aut mixto imperio ac jurisdictione in prædictis civitate, suburbiis, ædificiis, continentibus, territorio, seu districtu, castris, villis, pontibus, terris seu bonis, aut in ipsorum aliquo, nullatenus uti possunt; ipsosque universitatem, communitatem, cives, singulares vel speciales personas Lugdunenses commissione vel concessione hujusmodi, vel quavis alia non posse ipsa, vel ipsorum aliqua, vel aliquod exercere. Quibus & omne jus, omnemque potestatem condendi ordinationes & statuta municipalia nos penitus interdicimus, maxime dum speciales personæ civitatis ejus sunt excommunicationis sententia innodati, & civitas ipsa ecclesiastico supposita interdicto; & quod archiepiscopo & capitulo Lugdunensi, clericis & vassallis, seu hominibus ipsorum de damnis & injuriis eis illatis satisfactio plena fiat, nec impedi-

(a) To. Annal. 14. 1303. n.14. (b) Ext. in MS. arch. Vat. allat. Avenione.

Decretum Bonifacii de Lugduno.

mentum præstetur, quo minus auctoritate Lugdunensis ecclesiæ merum & mixtum imperium & jurisdictio in dictis civitate, suburbiis, villis, castris, terris, pontibus, bonis, & locis valeat exerceri. Quæ sequuntur, in superiore tomo descripta sunt: (a) His & aliis efferatus Philippus Cardinalem legatum liberali addixerat custodiæ, furorique in Bonifacium habenas effuderat: exambitum vero Lugduni imperium Clementis V. opera sibi asseruit: (b) sed de Lugdunensi controversia hactenus. Ad alia quæ Bonifacius Philippum emendare jussit, redeamus.

(a) To. Annal. 14. ann. 1303. n. 35. (b) Bern. in chr. Rom. Pont. in Clem. Genebrar. e chron. comitis e montefort & chron. Burgund.

XXXVI. Arguitur census ecclesiarum vacantium ipsum occupare.

Vacantium etiam regni tui ecclesiarum cathedralium reditus & proventus, quos tu & tui appellatis regalia, per abusum, tu & ipsi non immoderate percipitis, sed immoderate consumitis: sicque fit ut quorum custodia fuit ab initio Regibus pro conservatione permissa, nunc ad consumptionis notam discriminose deveniant, & discriminosis abusibus exponantur: quod autem custodiendum est rapitur, & quod conservandum, illicite devoratur, & custodes sunt lupi rapaces effecti, & sub prætextu custodiæ status ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum dispendia perfert, damna sustinet, & miserabiles sortitur eventus, promeritæ conservationis spe utique defraudatur.

Aditus ad sedem Ap. interclusisse.

Et quidem prælati ecclesiasticæque personæ nedum his, quos regni tui continet incolatus, sed propter illud alienigenæ etiam transeuntes propria bona mobilia de regno ipso nequaquam extrahere permittuntur: ex quo diversa patiuntur incommoda, & qui super hoc libero debent uti arbitrio, servitutis quasi jugo premuntur.

Monetæ pretia corrupisse.

Atque ut de mutatione monetæ, aliisque gravaminibus & injuriosis processibus, per te ac tuos magnis ac parvis ejusdem regni incolis irrogatis & habitis contra eos, quæ processu temporis explicari poterunt, taceamus ad præsens; qualiter in præmissis & aliis libertas ecclesiastica & immunitas tuis sint enervatæ temporibus, qualiter tu a sacris & piis, providis & maturis progenitorum tuorum vestigiis, quibus per universa mundi climata emittebant illustrissimos radios charitatum, degenerare noscaris, nempe multorum ad nos insinuatio clamosa perduxit; ac nedum in regno ipso sed in universis mundi partibus innotescit.

Descivisse a majorum virtutibus.

Immunitatem ecclesiastici ordinis evertisse.

Et ecclesiæ dicti regni, quæ solebant hactenus libere & quiete vivere, nunc factæ sunt sub tributo, sicut luctuosus clamor earum sub intolerabili persecutione testatur.

Obsurduisse ad monita precesque.

Nec ignoras, quod super his & consimilibus de te ad Deum, necnon ad te sæpius nedum sæpe clamavimus & exaltavimus vocem nostram: annuntiavimus scelera, delicta deteximus, sperantes te ad pœnitentiam salubriter revocare; ac adeo laboravimus in clamando, quod raucæ sint factæ fauces nostræ: sed tu velut aspis surda obturasti aures tuas, & nostra salubria monita non audisti, nec recepisti ea velut medicamenta curantis.

Intentatæ illi minæ.

Verum licet ex præmissis sumere contra te pharetram, atque arcum non indigne nec injuste possemus, ut te a tanto revocaremus invio, ad semitam reducendo salutis; adhuc nihilominus, dum tamen filialiter metuas, hæc tibi præsignificare decrevimus; ut saniori ductus consilio a facie arcus inflexibilis sententiæ potius immo prorsus effugias, quam expectes debitæ judicium ultionis; cum tutius dignoscatur ante casum occurrere, quam remedium quærere post ruinam.

XXXVII. Cum autem nos debitum pastoralis officii urgeat, & publicæ utilitatis intersit, ut qui nec Deum timent, nec deferunt ecclesiæ, neque censuram canonum reverentur, & quasi descendentes in profundum malorum contemnunt, quamvis displiceat eis, ad salutem etiam trahamus invitos;

Ostensa correctionis necessitas.

nos nolentes ex dissimulatione tam longa, ne nos tua culpa reddat obnoxios, ne si nos vel te, quod absit, incorrectum Deus de hac vita subtraheret, anima tua de nostris manibus requiratur; neve tua custodia, quam suscepimus in commisso nobis officio apostolicæ servitutis, in nostrum cadat periculum & discrimen ac perditionem, multorum talia dissimulando ac diutius tolerando; ecce amore paterno commoti, qui omnem vincit affectum, & ex affluentia maternæ solicitudinis excitati ad providendum, ne perdat cum impiis Deus animam tuam, neve tua & tam amœni regni claritas malis actibus & detestandis insolentiis denigretur;

Propositum ipsi, præsules ac viros doctos ex paterno amore vocatos.

deliberatione cum fratribus nostris super hoc habita pleniori, venerandos fratres nostros archiepiscopos & episcopos, ac dilectos filios nostros electos, & Cisterciensem, Cluniacensem, Præmonstratensem, nec non S. Dionysii in Francia Parisiensis diœcesis, & majoris monasterii ordinis S. Benedicti monasteriorum abbates, & capitula cathedralium regni tui, ac magistros in theologia ac in jure canonico ac civili, & nonnullas personas alias ecclesiasticas, oriundas de regno prædicto, per alias nostras patentes literas certo modo ad præsentiam nostram evocavimus; mandantes eisdem, quod III. kal. novembris, quas eis peremptorie pro termino assignavimus, nostro se conspectui repræsentent, ut apud te & alios, sublata repentina exceptione consilii; quinimmo maturiore cautela servata, & frustratoriis objectionibus amputatis, super præmissis & aliis deliberate consulamus eosdem, cum quibus sicut cum personis apud te suspicione carentibus, quin potius acceptis & gratis, ac diligentibus nomen tuum & affectantibus statum prosperum regni, tractare consultius & ordinare salubrius valeamus, quæ ad præmissorum ordinationem, tuamque directionem, quietem, atque salutem, ac bo-

Regni administrationem probe constituendam.

bonum ac prosperum ipsius regni regimen videbimus expedire.

Si tuam itaque rem agi putaveris, eodem tempore per te, & per fideles viros & providos tuæ conscios voluntatis, ac diligenter instructos, de quibus plenam habere valeas fiduciam, iis poteris interesse. Alioqui tuam vel ipsorum absentiam divina replente præsentia in præmissis & eam contingentibus ac aliis, prout Spiritus nobis ministraverit gratia & expedire videbitur, procedemus: tu autem audies quid loquetur in nobis dominus Deus noster. In quibus tamen sine offensa Dei, scandalo & periculo ecclesiæ, offensione justitiæ, ac utilitatis publicæ læsione & honoris tui poterimus minorationis vitare dispendia, deferre tibi disponimus, & tui etiam culminis salubria commoda promovere, si te correxeris & habilitaveris ad gratiam promerendam.

XXXVIII Monitus, ut a sui senatus improbitate caveat.

Cæterum, licet super præmissis & similibus ad excusandas excusationes in peccatis te aliqui excusare nitantur, non tantum ea tibi, quantum & tuis pravis consiliariis imputando; in hoc tamen inexcusabilis comprobaris, quod tales consiliarios, honoris tui utique destructores, tuæque salutis & famæ falsos & impios consumptores, assumis & retines, eisque regium præbes assensum, qui ad tam enormia & tam detestabilia te inducunt. Hi sunt quasi falsi prophetæ videntes tibi falsa & stulta, quia non viderunt a Domino visionem. Ergo fraudulentis subversionibus & detractionibus talium, sub adulationis & falsi consilii utique velamento conflictis, minime quæsumus acquiescas, quia in vastitate quadam hostili devorant incolas regni tui, & non tibi, sed eis mellificaverunt apes. Isti sunt secretiora ostia illa, per quæ ministri Bel sacrificia, quæ superimponebantur a Rege, clanculo asportabant. Hi sub umbra tui & longa manu, tua & aliorum bona diripiunt; & obtentu justitiæ palliatæ subditos opprimunt, ecclesias gravant, & redditus alienos violenter invadunt: pupillo & viduæ non intendunt, sed lacrymis pauperum impinguantur, & divitum oppressorum discordias suscitant, atque fovent: guerras nutriunt, & pacem de regno pravis operationibus expellere non verentur. Verumtamen cadit in hoc illa prava dissimulatio Judæorum, qui cum linguis crucifigebant Dominum, dicebant, eis non licere interficere quemquam; tradebant tamen eum occidendum militibus, ut ab eis culpa in alios transferretur. Tantam namque prudentiam Deus tibi ministravit ex alto, tanta vides & audis in aliis, quorum potes exemplo doceri; totque tibi meminimus salubria nos consilia destinasse, quod si tua studia converteres soleter ad bonum, talium te curares consiliariorum juvamine communire, qui te in stultum finem nequa-

Illorum fraudes detectæ.

Ut prætextu regio opes ad se avertant.

Demonstrata eorundem hypocrisis.

quam impingerent, sed ad incrementa salutis & utilitatis publicæ prudentius animarent: sed timemus ne apud te, cujus interiores oculi putantur illicitis excæcati, vilescat sermo dominicus & verba ædificantia vitam per duritiem similis amoris defectui ascribantur.

Dolet ab iis ipsum regi.

Ad hæc ne terræ sanctæ, &c. His annexuit Bonifacius amplissimam hortatoriam orationem (*a*) ad Philippum, ut in arma ad recuperandam terram sanctam consurgeret, & Cassano Regi Tartarorum egregie animato adversus Saracenos exercitum conjungeret. Sed cum Bonifacius, dum hosce pios stimulos adderet, eam injecisset sententiam, Philippi maxime & aliorum Regum desidia Palestinam in barbarorum redactam servitutem, Philippus, quem non pudebat turpia agere, sed sibi obiici, Clementem perpulit, ut vox, *maxime*, obliteraretur. Morem vero regiis cupiditatibus gessit Clemens, cum amplissima mulceretur spe, Philippum expeditionem Syriacam obiturum: sed omnia ea promissa tandem dissipata visuri sumus.

(*a*) Ext. Annal. to. 14. an. 1301. n. 32.

XXXIX. Expunctæ præterea ex regesto anni VII. Bonifacii duæ aliæ literæ, quarum prima ab his verbis ducit exordium: *Super statu terrarum;* altera ab his: *Nuper ex rationabilibus;* quarum exempla nondum in manus nostras pervenere. Ex regesto vero anni noni pontificatus Bonifacii erasas literas mihi humanissimæ communicavit Joannes Rubeus Anglus monachus Benedictinus: ac primæ occurrunt eæ, qua Bonifacius ultima aprilis extremo pontificatus ad Joannem Cardinalem tit. SS. Joannis & Marcellini, quibus Philippum Regem obfirmatum in pertinacia, oblatamque expiationem censurarum, quas ob intercluſos ad sedem Apostolicam aditus contraxerat, aspernantem, fidelium consortio segregatum promulgari jussit (*b*).

Aliæ Bonifacianæ literæ obliteratæ.

Lit. ejusdem ad Card. legatum.

(*b*) Ext. in MS. processu Bonif. pag. 225.

Bonifacius dilecto filio Joanni tit. SS. Marcellini & Petri presbytero Cardinali.

Per processus nostros diversis præteritis diebus solemnibus secundum morem laudabilem S. Romanæ ecclesiæ publice factos, & præsente copiosa fidelium multitudine solemniter publicatos, inter alia anathematis & excommunicationis sententias continentes, qui in archiviis ejusdem ecclesiæ conservantur, non revocamus in dubium, sicut non potest nec debet aliquatenus revocari, quin magnificus princeps Philippus Francorum Rex dictis anathematis & excommunicationis sententiis sit ligatus, quantumvis regali præfulgeat dignitate; non obstantibus quibuscumque privilegiis & indulgentiis, sub quavis forma vel tenore concessis, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possit, quæ omnia duximus revocanda ad hoc, quod contra hujusmodi nostras sententias & processus per ea ne-

Philippi prævaricationes.

nequeat se tueri, quo minus includatur in iis ex eo, quod ad sedem Apostolicam venientes & redeuntes ab ea fecit, ordinavit, mandavit, & statuit multipliciter impediri: & specialiter nonnullos ecclesiarum prælatos & personas ecclesiasticas regni sui ad nostram præsentiam venire prohibuit sub gravibus pœnis & bannis, quos pro reformatione dicti regni, utilitate populi, augmento catholicæ fidei, conservatione ecclesiasticæ libertatis, correctione dictorum excessuum, subsidio terræ sanctæ, & ex aliis rationabilibus causis moti feceramus ad nostram præsentiam evocari, sicut pene totus orbis ad eandem & beatorum Petri & Pauli Apostolorum limina confluens affirmavit, & nonnulli archiepiscopi & episcopi regni præfati hæc & iis similia per suas nobis literas intimarunt, & per procuratores suos ad eorum excusationem proponi fecerunt, quasi ex hoc legitimam causam haberent non comparendi in præfixo iis termino coram nobis: quamvis nonnulli archiepiscopi & episcopi & aliæ personæ ecclesiasticæ propter hoc comparere non omiserint, quasi obedientiæ filii & zelo devotionis accensi, ad nos & dictam ecclesiam matrem suam. Quas quidem excusationes per procuratores ipsos propositas tanquam frivolas non admisimus, sed reputimus publice & repellimus, ut debemus.

Causæ vocationis præsulum Gallicanorum.

Denuntiatur Philippus anathemate se illaqueasse.

Unde Regem ipsum sic ligatum a communione fidelium & sacramentorum perceptione nuntiamus excluſum, & per te, seu alium, vel alios præcipimus nuntiari. Nam cui Romanus Pontifex, vicarius Jesu Christi, Petrique successor non communicat, nullus communicare debet, aut ei sacramenta ecclesiastica ministrare. Eos vero cujuscumque fuerint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut status, etiamsi archiepiscopali aut episcopali dignitate præfulgeant, qui hujusmodi sacramenta aut eorum aliqua dicto Regi ligato taliter ministrare, aut coram eo missam celebrare publice præsumpserint, excommunicationis sententia innodamus, ipsisque interdicimus lectionis, prædicationis, administrationis sacramentorum, audiendi confessiones officium; intimantes aperte nos gravius contra eos spiritualiter & temporaliter processuros, prout expedire viderimus: præsertim cum Rex ipse oblatum per te impendendum absolutionis beneficium juxta formam ecclesiæ auctoritate nostra recipere contempserit; ex quo videtur, quod dolenter referimus, in sua malitia induratus. Quare sibi eadem auctoritate præcipias & injungas, ut quidquid fecit, mandavit, ordinavit, & statuit ad impedimentum adeuntium ad dictam sedem, vel redeuntium ab eadem, revocare procuret ac efficaciter corrigat & emendet. Præsentium autem literarum nostrarum tenorem deducas ad præfati Regis notitiam, & in locis, in quibus expedire videris, seu provinciis facias solemniter publicari, ne quis per ignorantiam de contentis in ipsis literis se valeat excusare, quod ad ejus notitiam non pervenerit, quod tam solemniter publicatum fuerit.

Vetiti ecclesiastici sacra illi conferre.

Nicolaus Farinula in jus vocatus.

Cæterum fratri Nicolao ordinis Prædicatorum olim confessori Regis ejusdem ex parte nostra districte præcipias, ut infra trium mensium spatium hujusmodi præceptum immediate sequentium, quod sibi pro peremptorio termino studeas assignare, personaliter nostro se conspectui repræsentet, acceperus pro meritis, aut suam, si poterit, innocentiam ostensurus, ac pariturus nostris beneplacitis ac mandatis. Alioquin contra eum spiritualiter ac temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus. Dat. Laterani die ultimo aprilis pontificatus anno IX.

XL. Præterea jussu Clementis e regesto erasa est ad Philippi Regis gratiam Bonifacii sanctio (*a*), qua ubi audierat Philippum indignantem sua errata a Christi vicario corrigi, conciliabulum Parisiis congregasse, in eoque post immanes confictas calumnias provocasse ad concilium, professum ea omnia futura irrita, quæ adversus se decernerentur, ac prohibuisse, ne apostolicis imperiis quis pareret; mox promulgavit hæc omnia ideo gesta ab Rege, quod ex impotentia animi censura apostolica corrigi non ferret: nullum tanti sceleris exemplum extare: Imperatores non modo summorum Pontificum, sed etiam aliorum episcoporum censuram pertulisse: œcumenicum concilium, ad quod provocatum est, suo nutu congregandum; nec ob illam inutilem provocationem pontificiam coerceri auctoritatem, quin Philippum Regem male agentem castigare possit.

(*a*) Ext. in MS. arch. Vat.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Bonifac. decreta in provocantes ad concil.

*Nuper ad audientiam nostram vulgatus rumor attulit, quod in festo nativitatis B. Joannis Baptistæ, præterito proximo, Philippo Regi Francorum in præsentia multorum parium, in jardino ejusdem Regis congregatorum, contra nos diversa crimina denuntiata fuerunt; quodque supplicatum eidem Regi extitit, quod ipse hujusmodi denuntiationibus consentiret, consilium super hoc apponeret, dando ad convocandum seu convocari faciendum concilium generale opem & operam efficaces; & quod hujusmodi denunciationi & requisitioni Rex idem & prælati, qui ibidem erant, assenserunt, & ne nos contra ipsos Regem & regnum suum, prælatos, * nobiles, comites, barones, nobiles, & alios procederemus in aliquo ad ipsum generale concilium, aut ad Papam nostrum successorem legitimum, vel ad sanctam Romanam ecclesiam extitit appellatum; & quod multi appellationi hujusmodi adhæserunt, inter Regem & præla-*

Doli multiplices in ea edenda provocatione.

* duces

latos & adhærentes eisdem initis confœderationibus, & colligationibus factis, districte mandando per Regem eundem, ut nullus nuncios aut nostras literas reciperet, vel nobis in aliquo obediret, ac Stephano de Columna nostro & Romanæ ecclesiæ hoste in regno suo, non sine incursu gravium sententiarum, recepto.

Calumniæ in ea concepta.

*Sane quantum ad hoc conventiculum; minister hujus qua charitate, quo zelo processerit, quantave temeritate id asserit, qui veritatem considerant id evidenter intelligunt, & qui sapiunt manifeste cognoscent. Intueantur blasphemias, maledictorum tenores inspiciant, videant regii mandati justitiam, legant, optamus, colligationem & confœderationem; ipsius receptionem Stephani prudenter advertant, & nutantem ecclesiam summorumque Pontificum statum, nisi causa fatua causaque superba eorundem, quo processerunt, comprimantur impetu, & occidant intus orba. Attendant nihilominus diligenter ut nos, * hujusmodi os suum ponentes in cœlum & lingua eorum transeunte super terram, hæresis inauditis mendaciter blasphemarunt blasphemiis altisque confictis, quantum in eis fuit, criminibus lacerarunt. Sed ubi auditum a sæculo & quod hæretica fuerimus labe respersi? quis? nedum de cognatione nostra, immo de tota Campania, unde originem ducimus; notatur hoc nomine?*

* homines Bonifacii contra hæreseos objectum sibi crimen apologia.

XLI. Demonstratur nullo id niti fundamento.

*Certe heri & nudiustertius apud eundem Regem, dum eum beneficiis mulcebamus, catholici fuimus: hodie vero ab ipso taliter blasphemamur. Sed quæ causa mutationis tam subitæ? Quæ irreverentiæ causa filialis? Vere sciant cuncti, quod interpretationis unius * quo peccatorum suorum. *. purgare volebamus, & pœnitentiæ acrimonia, qua crimina tergerentur purgata, cum ad concinnandum armaverunt dolos, & ad falsas insanias provocaverunt. Majores Mediolanensi episcopo sumus, & claræ memoriæ Valentinianus Augustus, & Francorum * minor: ille, sicut humilis & catholicus princeps non erubuit profiteri, se Mediolanensi episcopo, cum ut homo delinqueret, submissurum, & necessario subiturum medicamenta curantis: hic autem sicut Senacherib in superbiam datus est: nos, qui eum salubribus corripiebamus monitis, sprevit: nos subsannavit, & post tergum nostrum caput movit. Sed pavcat quod contra eundem Senacherib dicitur: Cui exprobrasti, & quem blasphemasti? contra quem exaltasti vocem tuam, & elevasti in excelsum oculos tuos? contra sanctum Israel; & ecce sanctus Israel, id est Dei vicarius, hic est Petri successor, cui dictum est; Pasce oves meas; &c. Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis. Et propter hoc, qui in navi Petri non est, peribit naufragio: & qui in ea est, oportet quod gubernatoris gubernationi subsit. Cum ergo de calumnia objectoris propter falsitatem hujus objecti criminis pateat, per consequens quod calumnietur in objectis aliis dicitur patere. Maledictorum primo consideremus ex legitimis causis excommunicatum publice nuntiari, ex hoc contextu & celeritate actuum quis non jure præsumat ejusmodi non charitatis, sed ad vindictam zelum? Quis non cogitabit ad correctionis fugam ipsum ad tantæ temeritatis audaciam pervenisse. Præteriti temporis roborat conjectura.*

* pharmacum * fordes

* Rex

Quantum Philippus ab aliorum principum religione aberraret.

Blasphemiæ convincitur.

Ostenditur provocationem regiam meram illusionem esse.

XLII. Discordiæ inter Philippum & Bonif. series.

Olim itaque dum capitula, in quibus excedebat, nostris comprehensa literis per dilectum filium Jacobum de Normannis notarium nostrum transmisimus, ægre tulit, indignatus extitit & in furiam versus, maledicere cœpit, non veritus, quod scriptum est: Principem populi tui non maledices. Cum autem cessare nos credidit paulo ante nos in Christo patrem sanctissimum habuit & sic nos suis literis appellavit. Nunc vero, quia urgente conscientia ex debito pastoralis officii ipsius correctionem omittere non valemus, impinguatur, dilatatus, & incrassatus recalcitravit dilectus, & pejora prioribus addidit maledicta. Ex quibus ejus in iis malum convincimus zelum & iniquitatis in ipso fomitem comprobamus & dicere illud prophetæ possumus: Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ? Sed faciente Domino, incidet in foveam, quam fecit, & dolor ejus animi mandati præmissi perversitatem approbat. Directa sunt enim verba canonum, eum qui ab episcopo suo ante sententiæ tempus dubia suspicione discesserit, manifestam manere censuram; quam clerici Symmachi Papæ, qui ab eo etiam de hæresi accusato contra regulas ante tempus discesserant, incurrissent, nisi providentia synodi actum fuisset misericorditer cum eisdem. Eundem zelum & animum prædicta colligatio patefecit.

Ut Philippus censura correptus calumnias conflarit.

Stephanum Columnam excepcrit.

Ad hæc receptatio Stephani memorata non solum malum indicat zelum, sed Regem ipsum inimicum detegit & principis Apostolorum mandati transgressorem, cum ait de Clemente: Si inimicus est iste Clemens alicui pro actibus suis, cum illo nolite amici esse; sed avertite vos ab eo, cui ipsum sentitis adversum. Si quis vero amicus fuerit iis, quibus ipse nunc loquitur, unus est ex his, qui exterminare ecclesiam Dei volunt: qui enim inimicis alicujus suas amicitias copulant, ejus inimici censentur, & ideo facile mentiuntur. Nonne insuper ecclesiæ nutabit status, & Romanorum Pontificum vilescet auctoritas, si talis Regibus & principibus aliis potentibus aperiatur via, adituque pandatur? con-

Iniquitas ejusdem in obiiciendo crimine hæreseos.

confestim enim Romanus Pontifex Petri successor, qui clara ipsius Petri voce omnibus præest, cum circa alicujus principis, vel potentis volet correctionem intendere & mittere manus ad fortia, dicetur hæreticus, vel notorie & in scandalum criminosus, ut sic fugiatur correctio, & suprema potestas penitus confundatur. Absit ab scriptura nostrorum temporum hoc perniciosum exemplum: absit a nobis tanta socordia: absit tam damnabilis negligentia, quod talem errorem sinamus subcrescere, quin ipsius sui ortu succindamus eundem.

XLIII. Concilium nonnisi a Pontifice congregandum.

Nunquid ergo, si supradictis contra nos peccatis a nobis, sine quo concilium congregari generale non potest, illud in exemplum tam detestabile maxime, ut omittamus ad præsens de excommunicatione multiplici, qua Rex idem tenetur astrictus calumniator malo, ut ex superioribus patet, præcedenti zelo, ac etiam inimico ac sibi confœderatis, quibus colligatus est, etiam concedatur taliter, quod firmamentum dabimus huic pesti? nempe quod in aliorum prælatorum personam ex prædictis causis secundum scita canonum repellere deberemus, illud in nostram sine alicujus injuria, si nobis & fratribus nostris videbitur, poterimus merito refutare, ut nemo deinceps Rex, aut princeps, vel alius potens Francorum Regum exemplo contra Romanum Pontificem sic prorumpat in verba blasphemiæ, nullus sic correctionem evitet. An sic, ut taceamus de Rege Franciæ a Zacharia regno privato, dignæ recordationis Theodosius magnus, ab Ambrosio Mediolanensi episcopo extra ecclesiam factus, contra eum exarsit? An Lotharius gloriosus Rex contra Nicolaum Papam sic erexit calcaneum? An contra Innocentium Fredericus? An Rex Franciæ his major est? Sed an nos minores sumus prædecessoribus nostris, aut minus juste procedimus? Quippe horum aliquid verum non est? Sed hi ut debuerunt, sustinuerunt humiliter. Ille autem ut Adonias cum diis terræ contra Deum Abraham, qui contra nos vices ejus in terris gerentes, ut sic, quod absit, post Christi justo ruat judicio gravius elevatus est.

Quam dissimiles in eadem causa alii Reges fuerint.

Decernitur spreta provocatione urgendum judicium.

Per hoc autem non credat aliquis, quod contenti simus, quin non obstante frivolæ appellationis objectu, quæ ad minorem vel parvem, sive mortalem aliquem non potuit interponi, super prædictis & aliis notabilibus ipsius Regis ejusque sequacium excessibus, prout expedierit, suis loco & tempore, nisi se corrigant & satisfactionem impendant debitam, ne eorum sanguis de nostris requiratur manibus, procedamus. Dat. Anagniæ XVIII. kal. septembris pontificatus nostri anno IX. Ex his perspicue constat, jure latam constitutionem hanc a Bonifacio, & summa cum laude ab eo apostolicam auctoritatem defensam, quam adversus hujusmodi nefarias ad concilium provocationes, pro ecclesiastica disciplina labefactanda dolo conceptas, tutati sunt successores: inter quos Pium II. in Mantuana synodo, deinde alios anathema id ausuris objeciisse visuri sumus.

XLIV. Postrema sententia a Bonifacio in Philippum concepta. (a) *Ext. in MS. arch. Vat.*

Expuncta est etiam Clementis imperio concepta a Bonifacio sententia (*a*), qua ferebatur Philippum Regem anathemate inustum, Gallosque ab illius imperio liberos & solutos renuntiarat. Causas hujus decreti afferebat, indigne habitum a Philippo nuntium apostolicum, qui ad ipsum detulerat singula capita, in quibus ille clerum populumque Gallicanum oppresserat, eaque emendare jubebatur: Joannem Card. legatum ad sopiendam nascentem discordiam missum custodia cinxisse: infandas calumnias adversus suæ animæ patrem & episcopum fudisse: vim attulisse clero Gallicano, ut nefariæ suæ provocationi adhæresceret, reluctantes compegisse in vincula; Columnenses schismaticos recepisse: tum etiam itinera ad Romanam curiam intercluisse.

Bonifacius, &c.

Super Petri solio, excelso throno, divina dispositione sedentes, illius vices gerimus, cui per Patrem dicitur (b): Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos. Quo monentur, ut intelligant Reges, disciplinam apprehendant, erudiantur judicantes terram, quod serviant Domino in timore & exultent ei cum tremore, ne si irascatur, aliquando pereant, cum exarserit ira ejus. Ideoque magnum judicamus, ut parvum, quia ejus sumus vicarii, apud quem personarum acceptio indigne reperitur. Hoc veteris & novi testamenti veritas habet: hoc venerandorum conciliorum probat auctoritas: id sanctorum patrum tenet sententia; id etiam naturalis ratio manifestat. Sed licet tanta potestate sit prædita Petri sedes tantaque polleat dignitate; tamen ut pius pater severitatem mansuetudine temperantes, ac lenientes æquitate rigorem, non ad confringendum, quamquam juste possemus, ferream, sed ad dirigendum in viam salutis directionis virgam in præsentiarum assumimus, & correctionis ferulam amplexamur. Novum ad hoc nihil, prout neque grana de spicis excuti fecimus, nempe simpliciter judicantis opera fungimur: quinimo utentes denuntiatorum officio nullas pœnas Philippo Francorum Regi imponimus, sed ei propter excessus suos jam excommunicato notorie inflictas potius a jure intimamus. (b) *Psal. 2.*

De sedis Ap. apice.

Adhibitis ad Philip. emendandum curis.

Bonus itaque medicus, si quibusdam medicamenta morbis officiant, se de gratia vertit, non eis statim duriora subiiciens, sed

ſed leniora, niſi morborum aliud expoſcat acuitas, adminiſtrans. Sic peccatorum ejuſdem ſauciati Regis vulnera prius palpavimus, exactis lenitatibus mulſimus, ipſamque pietate paterna fovimus: immo lenimenta hujuſmodi ſeminarium contumaciæ fuerunt & odiorum, eum erexerunt in ſuperbiam, & ad contentum pertinaciter provocaverunt. Unde nos ad alias, non graves tamen, medelas convertimus, ut ſaltem experiamur, utrum tactus leniter, non confractus ſe corrigat: fructuoſam (ſicut Nabuchodonoſor præ cæteris terræ Rex inclytus quod optamus, ne obſtinatus in quem transfixit videat, & cogamur ferro abſcindere vulnera, quæ fomentorum medicinam non ſentiunt) pœnitentiam agat: an, quod abſit, in profundum malorum demerſus, ſordidus ſordeſcat amplius, & velut Pharao indureſcat.

XLV. Multiplicia ejus ſcelera.

*Olim ſiquidem dum idem Rex peccaret graviter in diverſis articulis in clerum & eccleſiam Gallicanos, primo per ejuſdem Regis nuncios ad nos miſſos ipſum ſuper hujuſmodi ſalubribus monuimus monitis, deinde ad eum dilectum filium Jacobum de Normannis notarium noſtrum ei noſtras deferentem literas, in quibus excedebat capitula continentes, tranſmiſimus: quamquam impudenter, quamquam infrunito animo & irreverenter tractaverit; non advertens, quod ſecundum evangelicam veritatem, qui ſpernit miſſum, ſpernit mittentem, ideo dignus ſententia, quam dudum Conſtantinus Papa in Juſtinum Imperatorem Juſtiniani filium ex ſimili cauſa tulit, qui in vicino erant, manifeſto cognoſcunt, ac idem patuit de longinquo; nec conſiderans, quod antiquis eſt ſancitum a ſanctis patribus promulgatis canonibus, quod ſi quis Romam petentes rebus, quas ferunt, ſpoliare præſumpſerit, communione careat Chriſtiana, quodque ii, qui accedunt ad præſentiam Romani Pontificis cum rebus ſuis, debeant eſſe ſub apoſtolica protectione ſecuri; & parvipendens excommunicationis ſententiam, quam inhærentes veſtigiis Romanorum & præcipue Nicolai IV. Papæ, prædeceſſorum noſtrorum, qui dictorum canonum auctoritate ſuffulti contra talia facientes ad excommunicationem hactenus proceſſerunt, addito per Nicolaum eundem proceſſibus ipſis, etiamſi conitentes imperiali, aut regali dignitate radient; nos etiam eodem privilegio excluſo, in omnes etiam ſi prædicta fulgeant dignitate, qui ad ſedem Apoſtolicam venientes vel recedentes ab ea capiunt, ſpoliant, vel detinere præſumunt, aut impedimentum aliquod exhibent, quominus ad eandem ſedem libere cum propriis bonis & rebus ſuis veniant & recedant ab ea, in die cœnæ Domini proximo præterito tali modo declarantes, etiam illos, qui per ſe, vel ſuos officiales, vel miniſtros, aut aliis incolis imperii, regnorum, ſeu terrarum ſuarum, vel tranſeuntibus per ea undecumque oriundis, ad ſedem venientibus memoratam, vel redeuntibus ab eadem equitaturas limitant vel ſubtrahunt, quæ deferunt ſeu reportant pro ſuis opportunitatibus vel expenſis, aut quaſvis alias res & bona; ſive aperiunt literas vel auferunt, ſeu taxant numerum perſonarum aut evectionum, vel alias directe vel indirecte talibus venientibus vel redeuntibus impedimentum vel obſtaculum præſtare præſumunt; impeditores fore ad dictam ſedem venientium & redeuntium, & excommunicationis ſententiam incurrere ſupradictam; adeo noſtris temporibus, ſicut alias fecerat, notorie ſui regni fines, in tranſgreſſores graviſſimis interminatis pœnis & nos jactatis blaſphemiis, arctæ cuſtodiæ deputat, ablatis contra dictam ſententiam noſtram non ſolum indigenis, ſed etiam ad eandem ſedem per regnum ipſius aliunde venientibus rebus ſuis, vel injurioſe taxatis, immo autem omnino ſubtractis; ac literis, quas deferunt, apertis per cuſtodes paſſuum, aut retentis, quod nullus libere ad ſæpedictam ſedem poteſt accedere: nec prælati Franciæ per nos, ut ſuper dictis deliberaremus cum eis, ad noſtram præſentiam evocari potuerunt, ſicut eorum hujuſmodi per literas conſtat, quas in archivio Romanæ eccleſiæ conſervari facimus. Sic & Noviomen. Conſtantien. & Bituricen. epiſcopi ipſorum * nuncios excuſatio, eodem impediente Rege, venire * qua cauſa etiamſi princeps quiſquam fuerit, qui hoc prohibuerit, illum cenſet canon communione privandum. Quis eum libere ad memoratam ſedem profectſci dicet, qui ſic tractatur & quod retineatur, vel regnum permittatur exire ſub alterius poteſtate conſiſtit? certe nullus, qui ſane intelligat, & qui ſcripti juris * in hoc cognoſcat habet aliquam veritatem.*

Nuntius apoſtolicus inhoneſte ab illo habitus.

Ut injuſte aditus ad ſedem Apoſt. obſepſerit.

Cenſuræ id molientibus intentatæ.

Conſtat Philippum hæc auſum.

* nuncio-rum * non poſſe

* vim

XLVI.

Sed volentes ſecundum ſacrorum doctrinam canonum pacis ſervare vinculum, eum æquitate & firmitate portare, nec ſic moti ſumus. Immo evangelica dicta penſantes conati ſumus errantem ovem tam charam, tanquam nobis dilectum quaſi propriis humeris, ne periret, ad ovile reducere, in uberibus collocare paſcuis, & dulcedinis pabulo confovere. Nam cogitantes ſecundum evangelii parabolam, quod qui notarium ſpreverat, ſaltem noſtrum vereretur filium, ad reducendum eum dilectum filium noſtrum Joannem SS. Marcellini & Petri presbyterum Cardinalem de regno oriundum ipſius, qui tanquam amicus ſuus ejus zelabat ſalutem, curavimus deſtinare, offerentem inter cætera ſibi ex parte noſtra abſolutionem ab excommunicationum ſententiis, quibus erat notabiliter irretitus.

Cardinalis legatus irdigne ab eo tractatus.

Offerens ipſi noxæ condonationem repulſus.

Verum fruſtra nos talis cogitatus arripuit, quia ſi erga prædictum notarium ſe, ut præmittitur, geſſit, filium noſtrum magis

gis ignominioſe compeſcuit, quia ſicut ipſe nobis Cardinalis retulit oblatam abſolutionem contempſit, eique deputatis cuſtodiis, ne libere poſſet ire quo vellet, nec recipere, qui venirent ad eum de regno ſuo, non reverſurum ſine ſua licentia: & ſic quodammodo, ut ejuſdem Cardinalis verbo utamur, regio bauno ſuppoſitum protulit & efflavit eundem. Et etiam ultra parabolam ipſe tandem nos patremfamilias non dimiſit intactos, ſed iterum laceravit blaſphemiis & injuriis laceſſivit, oblitus quod legitur: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram; & quod filio ſemper honeſta & ſancta patris querela deberet videri, & taliter ejus non effici caſtigator: confœderationibuſque & colligationibus factis cum nonnullis prælatis & perſonis aliis regni ſui, pacis vinculum, quod ſalvum eſſe totis affectibus nitebamur, rupit, perturbavit unitatem eccleſiaſticam & inconſutilem Domini tunicam ſcindere non expavit; ac ſuæ appellationi frivolæ, contra nos interpoſitæ, adhærere perperam coegit & cogit invitos, & in ruinam ſecum pernicioſe deducit. Sane parabolam timeat, ne vinea aliis locetur agricolis, qui ſuis temporibus fructus reddant. Paveat cenſuram canonum, quæ contra tales dignoſcitur præparata; & ne ex hujuſmodi ſtricta cuſtodia Cardinalis prædicti canonem latæ ſententiæ, qui ad eos per interpretationem tranſit, qui clericos ſine leſione detinent in cuſtodia publica vel privata, cum non multum a ſpecie verborum differant, quibus quo volunt facultas recedendi non datur, incurrat diligenter attendat.

Septus cuſtodia.

Ut Philippus ſchiſma moliturs ſit.

XLVII.

Ad hoc, ut omittamus de dilecto filio I.. abbate Ciſtercienſi detento, & aliis multis religioſis maxime Italicis, quia juſſio Regis urgebat, recedentibus regno captis de ipſius conniventia, & aliquo tempore in caſtelleto ſervatis, eo quod adhærere nollent, appellationi prædictæ; ac de eo quod in perſona venerabilis fratris noſtri B.. Appamiarum epiſcopi actum extitit nuper & Nicolaum de Bonfractu capellanum Cardinalis jam dicti noſtras ad eum portantem literas, quibus Regem excommunicatum per Cardinalem eundem mandamus publice nuntiari, capi fecit, & repetitum a Cardinali eodem a carcere noluit relaxare, prout idem Cardinalis nobis id per proprias literas notum fecit: unde perinde dicitur habere, cum ipſe Rex impedimentum illud præſtiterit, ſicut ſi mandata renuntiatio præceſſiſſet.

Ceperit internuntium ferentem edictum anathematis.

Aſtrictus ſit anathemate ac ſi promulgatum fuiſſet. Columnam exceperit contra edicta vetera.

Stephanum inſuper de Columna noſtrum & eccleſiæ hoſtem in ſuo regno receptavit patenter, non veritus excommunicationis ſententiam, quam poſt Columnenſium fugam de Tybure promulgavimus publice, quibuſcumque privilegiis non obſtantibus, in omnes, etiamſi imperiali aut regali præfulgeant dignitate, qui dictum Stephanum & alios quondam filios Joannis de Columna, & Jacobum fratrem dicti Joannis, Ricchardum & Petrum de monte Vig. dicti Jacobi nepotes reciperent, conducerent, receptarent, receptari vel recipi facerent ſeu conduci, aut eis vel ipſorum alicui publice vel occulte auxilium, favorem, vel conſilium exhiberent; quodque contra adjutores, fautores, & receptores prædictorum Jacobi & filiorum dicti Joannis ab olim per noſtras literas procedi mandavimus, ut contra hæreticos, receptatores, fautores, & adjutores eorum; nequaquam in his ſervit Deo Rex Francorum in timore, aut ei cum tremore exultat, ne iratus in eum per ſuum vicarium exardeſcat: nempe tanto offendit gravius, quanto pernicioſius peccat, ſuæ perditionis ad alios exemplæ tranſmittens.

Heu ipſum conſilia prava commaculant: eum ſyrenes necnon uſque in exitium dulces damnoſe permulcent, periculoſe regalem mentem exagitant, & decipiunt inceſſanter. Non enim propter eas liberare poſſumus nec debemus: hominem namque primum non a peccato diaboli excuſavit ſuggeſtio, quin divini mandati tranſgreſſor ſolveret pœnam mortis: & ſilentium noſtrum nihil aliud foret, quam delinquendi occaſio, & diſſolutio univerſæ eccleſiaſticæ diſciplinæ. Cum enim notorium etiam facti continui ſit, quod ipſo faciente, & contra dictam noſtram veniente ſententiam, libertas non eſt per regnum ipſius veniendi ad Apoſtolicam ſedem; & quod, ſi dictus Nicolaus eſt captus & præfatus Stephanus receptatur in regno; noſtræque ſententiæ ſuprадictæ latæ firmataæ ſint ut prædicatæ, publice, ſic quod canonum excommunicatio in aperto liquet ex præmiſſis (ut taceamus ad præſens de cuſtodia jam dicto Cardinali impoſita, detentione abbatis, captione religioſorum dictorum, & temerariis actibus in jam dictos commiſſis) ipſum eundem Regem manifeſtis excommunicationibus eſſe ligatum, & per conſequens beneficia eccleſiaſtica, perſonatus, & dignitates, ſi eorum aliquo legitimo titulo quandoque ad eum collatio pertinet, de jure interim non poſſe conferre, imperium ſive juriſdictionem aliquam per ſe vel alios, aut communes actus ſeu legitimos exercere, & collationem & exercitium ipſum nullius exiſtere dignitatis, ac fideles ac vaſſallos ipſius eſſe a fidelitate, & etiam juramentis, quibus aſtringuntur eidem, & hujuſmodi debito totius obſequii auctoritate canonum abſolutos; hoc omnibus, his præcipue qui de ejus ſunt regno, vel in eo moram faciunt, nunciantes eum excommunicatum, comitari pœnas hujuſmodi declaramus: & more periti medici, cum non profuerint monita, a levioribus incipientes, ac ſanctorum patrum noſtrorum ſtatuta tenentes, omnes fideles & vaſ-

XLVIII. Ab aſſentatoribus ſe corrumpi ſinat.

Multiplicium cenſurarum laqueis vinctus teneatur.

Pronuntiatur Philippus fidelium cœtu ejectus.

vassallos ejus, eique juratos a fidelitate & juramentis, quousque idem Rex in excommunicatione permanserit, apostolica nihilominus auctoritate absolvimus; & ne eidem fidelitatem observent vel servent, modis omnibus, & sub interminatione anathematis, quia magis Deo quam hominibus servire oportet, & fidelitatem Christiano principi Deo adversanti ejusque præcepta calcanti nulla cohibentur auctoritate persolvere, prohibemus.

Galli ab ejus imperiis liberi renuntiati.

XLIX. *Et quia Rex ipse aliquos forsitan inveniret, qui beneficia hujusmodi, Dei timore postposito, ab ipso reciperent, districte præcipimus sub excommunicationis, amissionis beneficiorum, quæ alias haberent, & inhabilitatis perpetuæ ad ecclesiastica beneficia de cætero obtinenda, pœna (quam ipso facto incurrant, si contrarium agant) ne ab eo, sic excommunicato manente, illa recipiant quoquo modo: districte sub hujusmodi a nobis infligendis pœnis inhibentes capitulis ecclesiarum, in quibus beneficia ipsa per Regem, excommunicatione durante, conferuntur eundem, ne eos, quibus conceduntur ab ipso, recipiant vel admittant. Porro cum scriptum sit: Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; nos confœderationes prædictas, etiam cum quibusvis terræ Regibus aut principibus, quod non credimus, initas dissolvimus, & juramenta, si qua sunt præstita, annullamus: etiam nuntiantes ipsi Regi, ut a facie arcus fugiat, resipiscat, ad obedientiam redeat, & ad Dominum convertatur ne, quod præterire non valebimus, justo in eum judicio animadvertere compellamur.*

Addita ad Regem monita.

Ut autem hujusmodi nostrum processus, quem de consilio fratrum nostrorum facimus, ad omnium notitiam deducatur, chartas sive membranas, processum continentes eundem, in cathedrali ecclesia Anagnina appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum nostrum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt ita, quod idem Rex & alii, quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem; cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Anagniæ in aula nostri palatii VI. *idus septembris, pontificatus nostri anno* IX.

Captus Bonifacius pridie, quam hoc edictum promulgare posset. (a) *Ext. in MS. arch. Vat.*

Pronuntiatum non est hoc edictum a Bonifacio, siquidem ab hostibus pridie ejus diei, quo Philippum anathemate damnatum erat promulgaturus, interceptus in custodia est habitus: *Pridie*, inquiunt acta judiciaria, (a) *quo statuerat Pontifex publicare processus contra Regem Franciæ*, VII. *videlicet idibus septembris*. Enituit vero ex iis literis, Bonifacium, quamvis atrocissime læsum a Philippo, prosciissumique calumniis infandis adeo, ut nequiores vix dæmon fingere potuisset, clementia potius usum quam severitate, Regemque contumacem ad officium flectere ex apostolico munere pertentasse: fretum autem sua innocentia hujusmodi calumnias generose magis quam caute contempsisse.

L.

Porro Clemens cum ad redintegrandum inter Romanam ecclesiam regiamque Gallicam pristinum fœdus, hæc & alia inter iis dissensionum fluctibus gesta abolenda sanxisset, demum ad depellendam veritatis luce aspersam Bonifacii memoriæ infamiam confecta in ea lite documenta, quæ Philippum ac filios non tangerent, salva esse jussit; tum etiam pronuntiavit, non comprehendi superiori sententia Guillelmum e Nogareto, Reginaldum e Supino, Thomam e Morolo, Robertum Petrum e Genezano, Stephanum Ademulphum, Nicolaum Giffredum Bussa, Orlandum & Petrum e Luparia, nec pariter Sciarram e Columna, Joannem Landulphi, Gotifredum Joannem de Ceccano, Maximum e Trebis, nec non Anagninos, qui invadendo palatio pontificio ac thesauro expilando operam præbuere, cum decreverit de iis alia ratione statuere.

Qui e superiori sententia excepti.

Explicuit vero in eos clementiam apostolicam (b), dum omnibus vinculis, quibus erant irretiti, exolvit: ob suum enim in Regem ac regnum Francorum studium Anagninos, qui illi adhæserant, accepto ab ipsis sacramento, se in iis, quæ gesta fuerant, nullo finidro, ut illis videbatur, consilio adductos, omnibus pœnis exemit. Rainaldum pariter e Supino, Petrum e Genezano, & Stephanum Picalottum, quamvis offerrent se multis argumenris probaturos, quæ in Bonifacium tentata erant, justis de causis egisse, neque a Benedicto vibratis censuris teneri irretitos; cum tamen ad cautelam excipiendis pœnis se submitterent, a Berengario Tusculano episcopo absolvi jussit, atque eandem noxæ pœnam, quam Nogareto injunxit (c). Quæ vero pœnæ Nogareto conjurationis in Bonifacium auctori ad scelus expiandum impositæ, indicat Bernardus (d), de ipso in gratiam cum ecclesia restituto agens his verbis: *Papa Clemens absolvit Guillelmum de Nogareto præsentem & petentem absolvi a sententia excommunicationis, qua tenebatur propter Bonifacii Papæ captionem: fueruntque sibi ibidem per ipsum impositæ & injunctæ in pœnitentiam peregrinationes aliquæ faciendæ, & insuper quod in primo generali passagio transmarino transeat ipse mare, ibidem quamdiu viveret moraturus, nisi secum per sedem Apostolicam fuerit dispensatum.* Quæ Bernardi verba pon-

(b) *Lib. 6. ep. cur. 33.* Anagnini Regis Phil. sequaces pœnis exempti.

Præcipui in Bonif. conjurationis auctores ad cautelam absoluti.

(c) *Ep. cur. 39.*

(d) *Bern. chr. Rom. Pontif. & MS. Vat. bibl. sig. num. 3765. in Clem. V. hoc an.*

pontificio diplomati ad fideles dato consentiunt, quo eæ peregrinationes a Nogareto obeundæ, nimirum Compostellana, ac plurium in Galliis sacrarum ædium in quibus singularis vigebat religio, describuntur (a). Ad quas etiam Clemens Nogareti heredem obstrinxit, si antequam ea religione se exolvisset, e vivis excedere contingeret.

(a) *Lib. 6. ep. cur. 34.*

Clemens, &c. universis Christifidelibus præsentes literas inspecturis.

Ut Nogaretus censuris liberari postularit.

Licet Guillelmus de Nogareto Regis miles a pluribus contentis in prædictis literis & eorum effectu specialiter, ut præmittitur, excludatur sive excipiatur; nos considerantes, quod licet ipse asserat ex his, quæ in personam vel erga personam Bonifacii prædecessoris nostri, & ingressu domus suæ cum multitudine armatorum, & occupatione ac rapina thesauri ecclesiæ Anagniæ facta fuerunt, se pluribus rationibus, quas se probaturum offerebat, non teneri; nec propter præmissa vel illa, ad quæ idem Benedictus prædecessor noster ratione præmissorum contra eum processit, excommunicationis seu excommunicationum sententiis se fore ligatum; quia tamen cum instanti instantia humiliter & devote a nobis impertiri sibi super hujusmodi petiit absolutionis beneficium ad cautelam, offerens ob divinam, ecclesiæ, & nostram reverentiam pœnitentiam quam ei duxerimus injungendam super prædictis se ad cautelam recepturum, ac etiam completurum; nos volentes saluti suæ animæ providere, nec non & consideratione ipsius Regis, pro ipso in hac parte cum instantia supplicantis, ipsum ab omnibus sententiis supradictis absolvimus ad cautelam, & injungimus sibi pœnitentiam ad cautelam: videlicet quod in proximo passagio generali transfretet personaliter cum equis & armis in subsidium terræ sanctæ, ibidem in dictæ terræ subsidium perpetuo moraturus, nisi a nobis vel successoribus nostris super abbreviatione temporis gratiam meruerit obtinere.

Quæ imposita illi pœnitentia.

Volumus etiam quod interim peregrinationes personaliter faciat infrascriptas: videlicet quod visitet B. Mariæ de valle viridi, de rupe amatoria, Aniciensis de Bolonia super mare, Carnotensis S. Ægidii, & de Montemajori ecclesias; ac limina B. Jacobi Compostellani: ipsumque, dummodo pœnitentiam hujusmodi devote susceperit & peregerit cum effectu, dum vitam duxerit in humanis, vel eo mortuo heres ejus prædictarum relaxationum, revocationum, irritationum, annullationum, cassationum, denuntiationum, abolitionum, amotionum, sublationum, remissionum, quitationum, restitutionum, repositionum, reductionum, & aliorum omnium & singulorum effectuum, provisionum, & securitatum prædictarum secundum distinctiones personarum, factorum, causarum, & temporum in prædictis nostris literis comprehensas, de fratrum nostrorum consilio, & de plenitudine apostolicæ potestatis participem efficimus & consortem, &c. Denuntiat Nogareto, si inflictas illi eas pœnas ipse hereve respuerint, ipsum irrogatis antea censuris, sententiisque irretitum fore. *Dat. Avinione* v. *kal. maii anno sexto.*

Peregrinationes indictæ.

LI. Promulgat Clemens omnes, qui contra Bonif. deponere voluerint, audiendos.

(b) *Ib. ep. cur. 36.*

Cum ii, qui Bonifacio hæreseos crimen objecerant, ac jurejurando se id probari posse affirmaverant, non tamen ita, ut in judicio adversarios agerent, sed ut rei veritas illustraretur; atque alii, qui vindicandam ab ea labe Bonifacii memoriam susceperant, cœptis destitissent, remque totam contuliissent in sedis Apostolicæ arbitrium ut ex Regis denuntiatorum, defensorumque literis patebat; Clemens tamen fidelibus omnibus denuntiavit, (b) ita se admisisse illos a persequenda lite discedere, ut omnibus, qui aliquid adversus Bonifacium vel pro eo defendendo vellent afferre, ipsorum dicta benigne ab Apostolica sede exceptum iri: *Quia*, inquit, *nobis, qui successores sumus illius, licet immeriti, in quo Christus fidei posuit fundamentum, incumbit necessitas, quam libenter amplectimur, quod de iis, quæ contra fidem essent, nihil prout possumus relinquamus penitus indiscussum; declaramus, & nostræ intentionis extitit & existit, quod prædictas dimissionem & impositionem in officio nostro juxta formas, ut præmittitur, ita recipimus, quod quicumque fidelis & catholici, qui admittendi fuerint, possint nos instruere & informare, ac testes nominare in negotio supradicto tam pro bis, quæ proposita sunt vel proponentur ad defensionem & excusationem ipsius Bonifacii & memoriæ ejusdem, quam contra eum & memoriam ipsius: & ita in ipsa dimissione & ante dixinus & expressimus, &c. Dat. Aven.* v. *kal. maii Pont. nostri an.* VI. Refervabat Clemens Viennensi concilio œcumenico illius controversiæ cognitionem, an Bonifacius legitimus Pontifex extitiffet: sed cum ea, quæ ipsi objecta erant, vel frivola aut calumniis plena essent, ab improborum injuriis & calumniis Bonifacii memoria vindicata est.

LII. Præsules Viennam ad consilium iter maturare jubentur.

(c) *Ib. ep. cur. 50.*

Defluxit ad Viennensis concilii historiam oratio, ad quod ut confluerent, frequentes antistites, ad quos id onus incumbebat, operam dedit. Extant enim plures apostolicæ literæ, quibus segniores atque inter cæteros Rothomagensem archiepiscopum, Bajocensem, Constantiensem, (c) Nivernensem, & Carnotensem episcopos, ut iter Viennam intenderent, solicitavit. Cum vero Dunelmensis anceps hæreret, an ad synodum conveniret, in qua ipsius prædecessor Antonius idemque patriarcha Jerosolymitanus & patriarchæ

& episcopi dignitatem in concilio gessisset, illum monuit (a) Pontifex, ut abjecta omni mora accingeret se itineri, cum pauciores ex Anglia exciti essent: *Fraternitati tuæ mandamus, quatenus hinc ad kal. octobris proxime venturi, si commode poteris, vel saltem usque ad kalen. decembris tunc immediate sequentis præsentiam tuam, quam in eodem concilio speramus multipliciter fructuosam, in ipso concilio studeas exhibere. Dat. in prioratu de Grausello* XVIII. *kal. sept. anno* VI. Verum postea datis Viennæ III. kal. decembris literis, (b) cum ejus præsentia adeo Angliæ necessaria videretur, ut sine rerum Anglicanarum discrimine discedere non posset, flagitante Rege, in Anglia subsistere permissus est: pariterque episcopum Wigornien sem, regio sigillo præfectum ab Eduardo, ab adeunda synodo exemit (c) Clemens; ea tamen lege, ut nomine suo procuratores mitteret. Moguntinum (d) quoque archiepiscopum, quem Henrici Romanorum Regis precibus adductus liberum a Viennensi itinere pronuntiarat, oratores suo nomine ad concilium legare jussit. Intercessisse vero ideo Henricum apud Pontificem, ut archiepiscopus majori natu filio Regi Boemiæ ad regnum probe instituendum temperandumque operam explicaret, literæ (e) scriptæ ad eundem Regem docent: cum enim alias adjecisset preces, ut Balduinum archiepiscopum Trevirensem fratrem suum, cujus opera sibi admodum erat necessaria, excusatum haberet, respondit Trevirensem ipsum archiepiscopum ob eximias virtutes, quibus erat instructus, concilio utilem admodum futurum, cum maxime nullos nisi scientia & auctoritate conspicuos evocaret; tanta tamen apud se pollere gratia, ut quamvis jam antea, ipso flagitante, Moguntinum archiepiscopum Regi Boemiæ permiserit, seque Arnaldi Sabinensis, Leonardi Albanensis, & Nicolai Ostiensis episcoporum, ac Lucæ S. Mariæ diaconi Cardinalium præsentia & consilio orbarit, ut imperialis consecrationis celebritati præesset; Trevirensem etiam archiepiscopum atque episcopum Tridentinum, cujus industriam ob regii sigilli præfecturam necessariam illi putaret, quo ipsius insistant obsequiis, adeundæ synodi religione ac labore liberarit.

(a) *Lib. 6. ep. cur.* 125.

(b) *Lib. 7. ep. 10.* 6.

(c) *Lib. 6. ep. cur.* 118.

(d) *Ibid. ep. cur.* 119.

Nonnulli archiepiscopi ad Henric. Regis Rom. gratiam itineris labore liberati.

(e) *Ib. ep. cur.* 126.

LIII. Expressas a Templariis confessiones mitti ad synodum jubet.

Cum vero inter alia præcipua agitanda esset in concilio Viennensi de Templariorum extinguendo ordine causa, maximum defixit studium Pontifex ita circumstantiis omnibus ac probationibus instruere actionem judiciariam, ut illius dirimendæ exigua difficultas patribus relinqueretur: atque adeo Terraconensem, Toletanum, & Compostellanum archiepiscopos, atque episcopos Valentinum, Segun-

guntinum, Elborensem & alios plures antistites, qui in Templarios quæstionem exercuerant, appetente jam concilii tempore, quas ab iis expresserant confessiones ad sedem Apostolicam transmittere jussit (f). Cum vero nonnullorum reorum pertinacia inquisitorum diligentiam eluisset, criminum objectorum veritatem tormentis extorquendam sanxit. Qua de re pluribus antistitibus, ut Constantinopolitano (g) patriarchæ & Nigropontis episcopo, Famaugustano & Nicosiensi in oriente, (h) in Hispania Ilerdensi & Vicensi episcopis (i) inter cæteros, hæc imperia dedit: *Per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus fratres ipsos, qui sunt in dicto regno Aragoniæ & terris charissimo in Christo filio nostro Jacobo Regi Aragonum subjectis, ad habendum ab eis veritatis plenitudinem promptiorem tormentis & quæstionibus, si sponte confiteri noluerint, experiri procuretis, confessiones & depositiones eorum non tam celeriter, quam fideliter transmissuri. Dat. in prioratu de Grausello* IV. *kal. septembris anno* VI. De quibus (k) etiam ad Jacobum ipsum Regem, tum ad Castellæ, Lusitaniæ & Cypri (l) Reges scripsit, ut regia potentia præsules ad rem perficiendam fulcirent. Adhibita est ea a Regibus ac præsulibus in eruenda objectorum Templariis scelerum veritate diligentia, ut fœdissimis hæresibus ac vitiis ordinem illum equestrem duobus testium (m) millibus & eo amplius contaminari compertum sit: extantque (n) in Vaticana bibliotheca judiciaria acta adversus Templarios tum confecta suis consignata sigillis. Sed de eo ordine funditus sublato sequenti anno agetur: nunc quid de iis Albertinus Mussatus referat adjungimus.

(f) *Lib. 6. post ep. cur. 26. & ep. 28.* Quæstionibus subiici jussi, ni sponte veritatem fateantur.

(g) *Ib. ep.* 108. *&* 116.

(h) *Ib. ep.* 107. *&* 114.

(i) *Ib. ep.* 120.

(k) *Ep.* 27. *& post eand. ep.*

(l) *Ep.* 127. *&* 114. Templariorum scelera duobus millibus testium comprobata.

(m) *Libell. MS. bibl. Vat. sign. n.* 4177.

(n) *Ext. in MS. Vat. bibl. sig. n.* 4011.

Convicti, inquit, *confessique præceptores, magistri, & milites domus militiæ templi Jerosolymitani septuaginta duo circiter numero plectendi apostolicis instabant censuris, & proh pudor! quanquam nec hæc nostri thematis nefanda relatu, sed fanda quidem in singulorum transgressorum, quod absit, exitium, ut quæ nostra vidit ætas cautior fiat, sciat evitare posteritas; abominandæ feræ formam humanam induta, fratres immo hostes illi, crucis armati signaculo, in suæ communionis fratrum receptione cum abnegatione Christi & spuitione super crucem aliisque subticendis ut verecundiæ parcatur humanæ, erroribus suis suorumque complicum animas suas diutius desponderant fathanæ.* Et infra: *Grandia hæc mirandaque, vixque credita antequam fierent motus hi, qui nec cœlestibus carere prodigiis. In ipsis quidem tantorum successuum principiis de cœlo apparitiones Parisiis, perque contiguas Francorum terras conspectæ sunt solis & lunæ par eclipsis ex telluris umbra, per biduum novum ignotumque visum sidus irradiant, lunæ imago triplex, & in æthere circuli quidam cum inclusa crucis effigie, novæque formæ ac variæ per aera: insuperque ex tellure advolantes in cœlum faces in partes Italiæ conflagrare, polorum axes increpitantes sereno cœlo auditi veluti tonitrua edentes absque promicantibus fulgoribus. Sic de Gallicis enuntiatum est terris, repletæque Italiæ civitates, mundoque fama insidente patens habitum est.* Hactenus Mussatus.

Ostensa cælo prodigia cum detecti Templarii.

LIV. Celebratum Viennense concilium.

Instructis itaque iis, quæ ad rem dirimendam præmittenda erant, ob quæ ad kalend. octobris concilium prorogatum vidimus, Viennam se contulit Pontifex, præfixoque tempore synodum inchoavit. De cujus actis hæc habet MS. Vaticanum: (a) *Actum est de statu militiæ Templariorum, de facto Bonifacii VIII. de expeditione contra Saracenos, de reformatione ecclesiæ: præcipue autem actum est de Templariis, de quorum extinctione videtur modeste loquendum, ita ut non conferatur culpa in Pontificem, cum constet ipsum & concilium fecisse judicium secundum allegata & probata.* His Bernardus consentit, (b) quamvis Bonifacianam litem silentio prætereat. *Anno Domini MCCCXI. in kalen. octobris fuit per Clementem Papam V. apud Viennam super Rhodanum generale prælatorum concilium convocatum: fuitque prima sessio concilii inchoata* XVII. *kal. novembris sabbato ante festum B. Lucæ.* Et infra: *Post prædictam vero sessionem inter colloquia & tractatus deductum est tempus per totam hyemem subsequentem.* His, quæ de tempore inchoatæ synodi refert Bernardus, adstipulantur, præter Ptolemæum Lucensem in historia ecclesiastica, Clementis literæ (c) XII. kal. novembr. hujus anni die consignatæ, quibus Leodiensem episc. adversam valetudinem obtendentem, ni canonico impedimento distineretur, se transferre ad concilium jussit: *Quod jam*, inquit, *disponente Domino cœpimus celebrare.* Quod ad patrum numerum, qui ad illud ex variis orbis partibus confluxere, attinet; trecentos & eo amplius episcopos interfuisse refert S. Aninus (d): *Præsentes fuerunt*, verba sunt auctoris, *plusquam trecenti episcopi, ultra alios prælatos de diversis partibus orbis.* Cum vero a Clemente excitos numero lectissimos dignitate, scientia, virtutibus, atque auctoritate insignes viderimus ex ipsius literis, (e) cæteris œcumenicis conciliis jure annumeratum, plurimoque fulsisse splendore, non est ambigendum. Extat porro in Vaticana bibliotheca de rebus in eo gestis MS. in quo habitæ a Pontifice coram patribus coactæ synodi causas exponente orationis argumentum subjectis verbis delibatur (f).

(a) *MS. Vat. sign. n.* 6418. *de conc. Vien. pag.* 143.

(b) *Bern. chron. Rom. Pont. & in l. de conc. MS. Vat. sign. n.* 2043. *Gesta MS. Clem. V. Vall. bibl. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.* 24. *c.* 39. *MS. Vat. bibl. sig. num.* 3765. *in Clem. V. hoc ann.*

(c) *Lib.* 4. *ep. cur.* 128.

(d) *Ant.* 3. *p. tit.* 21. *c.* 3. *init.* Patrum qui interfuere numerus.

(e) *Lib.* 6. *ep.* 126.

(f) *MS. bibl. Vat. sign. n.* 4177. A quibus verbis Pont. concilium fit exorsus.

In nomine Domini. Amen. Anno Domini MCCCXI. *congregato concilio generali Viennæ per sanctissimum dominum Clementem Papam V. mense octobri, in prima sessione sua, quæ fuit decima sexta die ipsius mensis, primo proposito verbo Domini, assumpto themate: In concilio justorum & congregatione magna opera Domini; in omni verbo ejus exposuit dictus Papa tres causas, propter quas ipse duxerat concilium congregandum. Prima fuit pro negotio Templariorum & ordine eorum, qui super variis hæresibus & nefandis erroribus fuerunt graviter & multipliciter infamati, & multi processus & inquisitiones contra eos facti. Secunda propter succursum & subsidium terræ sanctæ. Tertia pro reformatione morum, & reformatione status ecclesiastici.* [1]

Quas ob causas illud indixerit.

LV. De his tribus consulti sunt patres a Pontifice, & multa in medium adducta & prudentiæ trutina, divino iis afflante spiritu, librata. Circa quæ inter alios præsul religione & scientia conspicuus sententiam suam his verbis deprompsit (g).

(g) *Ext. ib.*

De

NOTÆ [1] INdictum ante quadriennium generale concilium a Clemente hoc anno celebrari cœptum. De tempore apud omnes convenit. Causæ ejus cogendi tres assignantur, templariorum judicium institutum, terræ sanctæ expeditio, ac denique Ecclesiæ reformatio. Natalis Alexander in historia Ecclesiastica sæculo XIV. quartam indicat causam, hæresim nempe præsertim Beguardorum & Beguinarum damnationem. At quamquam non nego in hos hæreticos conciliari sententia animadversum fuisse; nemo tamen veterum inter causas, quibus concilium indictum fuit, hanc pariter recensendam censuit; ideo forte, quod seductores isti hæreses sustinerent jam damnatas, & dogmata adeo perspicue abjuranda, ut nulla conciliari discussione ad eorum falsitatem eruendam opus esset. Alii vero inter causas habendi concilii referunt de Bonifacio VIII. controversiam. At Pagius in breviario pluribus evincere nititur causam illam Bonifacii ante concilium vel absolutam fuisse, vel potius totam ad se revocasse Clementem, ut nihil de illa in concilio tractatum fuerit. Nostram in hac re sententiam in nota ad sequentem annum dabimus. Antequam Patres coirent, vel potius in literis encyclicis, quibus Patres advocavit Clemens hortatur, quidquid reformatione dignum in ecclesia offendissent, illud scriptis redigerent, scriptumque ad concilium referrent. Notat id Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis Guillelmi, speculatoris dicti, ex fratre nepos, & in Episcopatu successor in præfatione operis, quod ea occasione, & argumento composuit inscripsitque, *Tractatus de modo generalis concilii habendi*, quod splendidis Parisiensibus typis primo editum a Philippo Probo Biturico, & Patribus Tridentum vocatis oblatum anno 1545. dein iterum minori forma prodiit Venetiis anno MDLXI. In eo vero Durandus singula, quæ reformatione indigere arbitrabatur expendit, simulque ex jure canonico, quod apprime callebat, apta singulis remedia profert. Mul-

ta in

Consilium præsulis de abolendis Templariis.

De primo, scilicet de articulo Templariorum, variis varia sentientibus, aliis dicentibus & afferentibus, quod dicto ordini danda erat defensio, nec debere tam nobile membrum ecclesiæ a corpore ejusdem absque juris rigore & magna discussione truncari: aliis peropinantibus dictum ordinem destruendum sine aliqua tarditate, tum propter grave scandalum contra dictum ordinem in tota Christianitate exortum, tum quia contra ipsum multi errores & hæreses per dictos processus & inquisitiones plusquam per duo millia testium reperiebantur esse probati. Quid autem senserim circa dictum articulum, sequitur in hæc verba.

Ob gravem eorum infamiam.

Quantum ad negotium Templariorum & ordinis templi attinet; ecclesiæ Dei & toti fidei Christianæ mirabiliter expediret, quod idem dominus noster sive de vigore juris, sive de plenitudine potestatis istum ordinem diffamatissimum, qui ut ita dicamus, odorem nominis Christiani, quantum in se fuit, apud incredulos & infideles fœtere jam fecit, & nonnullos fideles in stabilitate fidei titubare, sine tarditate aliqua, rejectis frivolis & calumniosis allegationibus super defensione tollenda, ex officio suo omnino tolleret, bonis ejus ordinis dispositioni sedis Apostolicæ reservatis: & sine tarditate dico, etiamsi a prima sua institutione fuerit bonus ordo, cum dicatur LXIII. di. cap. Verum: Quod si nonnulli ex prædecessoribus nostris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem & superstitionem (sicut de dicto ordine apparet) sine tarditate aliqua & ejus magna auctoritate, a posteris destruantur; sicut tam ibi, quam IV. *Regem* XVIII. *cap. de Ezechia legitur, quod confregit æneum serpentem, quem Moyses, Domino jubente, construxit. Et iterum bene dico sine tarditate, ne ex tarditate morosa scintilla hujus erroris prorumpat in flammam, quæ posset incendere totum orbem & fidem catholicam non modicum denigrare, ut accidat, quod dicit Hieronymus, quod Arrius una scintilla fuit in Alexandria; sed quia statim oppressus non extitit, flamma ejus totum orbem populata est,* XXIV. *q.* III. *Secundæ.*

Argumenta ex scripturis petita.

Nec multum movere debet dominum nostrum quod dicunt aliqui, prædictum ordinem, qui ecclesiæ videtur esse membrum tam nobile, non deberi sine juris ordine & plena discussione truncari; cum salva pace dicendum & propter grave scandalum, quod in ecclesia Dei ex hoc ordine jam est ortum, & semper ubique terrarum ex morosa dilatione crebrescit, non videtur tanta

ta discussio requirenda, Veritate dicente Matthæi VI. *& etiam* XVIII. *Si oculus tuus dexter vel brachium dextrum scandalizant te, erue eos & projice abs te: expedit enim ut unum membrorum tuorum pereat, quam totum corpus, &c. Item etiam expedit dictum ordinem tolli alia ratione, videlicet ne eo remanente semper indigna facti memoria refricetur; unde super illud Levitici* XX. *Mulier, quæ accesserit ad omne pecus ascendi ab eo, mulierem interficietis & pecus morte moriatur; dicit Augustinus: Inde credendum est pecora jussi interfici, non quia peccaverint, cum sint irrationalia; sed quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam: & est decretum* XV. *q.* I. *c. Mulier.*

LVI. De apparatu orientalis expeditionis.

De secundo, videlicet de subsidio terræ sanctæ, &c. Digreditur is præsul ad expeditionem Syriacam, de qua comparanda decernendum erat, sensitque vix illius conficiendæ ob discordias principum spem affulgere. Nec vana fuit opinio: ex Gallorum enim Regis ac Pontificis obitu, tum Cardinalium factionibus præclara ea consilia extincta fuisse visuri sumus. De perpoliendis autem cleri ac populi moribus, tum castigandis vitiis, quæ fusius recenset, hæc subiicit.

De restituenda ecclesiastica disciplina.

Tertius articulus est, scilicet de reformandis in ecclesia Dei moribus altiorem & prolixiorem requirit tractatum, cum sint infinita adeo, quod earum non est numerus nec finis, circa quæ aliqua scripsi, quæ videri & legi poterunt locis & temporibus opportunis; & circa quæ si apponeretur remedium congruum, multum judicio meo reformaretur, & rectificaretur status universalis ecclesiæ & honestaretur Christianæ religionis cultus & totius fidei orthodoxæ. Et licet iste tertius articulus sit ultimus in ordine, tamen præcedere debet secundum in executione, quia prius extirpanda sunt vitia, quam inserendæ virtutes; & prius placandus esset Deus & postea ejus auxilium implorandum, quia scimus, quia Deus peccatores non exaudit. Zelus domus Dei, pariterque Christi charitas, mandatique apostolici, cui summopere obediendum est, urgens necessitas quædam subannexa, quæ judicio meo in ecclesia Dei per orbem terrarum longe lateque diffusa correctionis & reformationis, ut domini summi Pontificis verbis utar, limam exposcunt, rudi stylo, sed fideli juxta modulum scientiæ, & ingenii parvitatem scribere me compellunt, ut eadem domini summi Pontificis providentia, sacro approbante concilio, correctionem & directionem recipiant opportunam. Si autem in scribendis aliqua errore, seu erronee, vel minus perfecte, seu insufficienter reperiantur esse dicta, simplicitate & ignorantia scribentis, bonum zelum (novit Deus) sed forte non secundum scientiam habentis, non infidelitati vel malitiæ as-

LVII. De populi Gall. in festivis celebritatibus, excessibus.

scribitur; quia in omnibus & per omnia fidei catholicæ, quam sancta Romana tenet, docet, & prædicat ecclesia, etiam usque ad sanguinis effusionem assentiens, correctioni & mandato ipsorum dicti domini summi Pontificis & concilii, tanquam filius obedientiæ, me subiicio reverenter.

In plerisque regni Francorum partibus irreligiosa consuetudo, quin reprobandus inolevit abusus, videlicet quod in diebus dominicis & aliis præcipuis anni festivitatibus majestati Altissimi dedicatis, in quibus populi Christiani deberent ab operibus servilibus cessare, ad ecclesias convenire, servitio domini vacare, pabulum Dei permaxime sibi necessarium a prælatis & aliis quibus concessum est, percipere, mercata & nundinæ, placita & assisiæ celebrantur; ex quo accidit, quod fideles populi, magis carnalia quam spiritualia sapientes, relictis ecclesiis & divinis servitiis, ibidem conveniunt, sua mercimonia & litigia exercentes. Ex quo fit, quod illis sacris diebus, in quibus præcipue colendus esset Deus, colitur diabolus, ecclesiæ remanent vacuæ; prætoria, tabernæ rixis, contumeliis, tumultibus, blasphemiis, perjuriis resonant, ibidemque fere omnium gentium scelera perpetrantur. Ex quibus sequitur quod lex fidei, articuli fidei, & alia quæ ad religionem fidei Christianæ & salutem animarum pertinent, a fidelibus quasi totaliter ignorantur: ex hoc Deus blasphematur, diabolus reveretur, pereunt animæ, fides catholica sauciatur; unde super tantis errore & abusu perniciosissimum esset salubre remedium adhibere.

LVIII. Censuræ sine justa causa sæpe vibratæ.

In nonnullis etiam ejusdem regni regionibus alia non minus damnabilis inolevit consuetudo, immo potius corruptela, videlicet quod archidiaconi rurales, archipresbyteri, & decani jurisdictionem ecclesiasticam exercentes, tam per se quam per quosdam substitutos viles, inscios, ignaros, regni cœlestis clavibus enormiter abutentes, homines pro parvis & levibus causis, immo multoties sine causa, sententia excommunicationis percellunt, quæ secundum canones sit æternæ mortis damnatio, & qua pœna nulla est major in ecclesia, nec nisi pro mortali crimine & a majori judice nutu episcopi promulgari deberet. Ex qua erronea corruptela tantum excommunicationum inundat diluvium, quod communiter in una parochia trecenti vel quadringenti, ut non dicamus septingenti, sicut oculata fide vidi, reperiuntur per tales judices, potestatem clavium ignorantes, variis & ut plurimum injustis excommunicationum sententiis irretiti. Ex quo accipitur, quod homines cum effrænata & monstruosa sententiarum multitudine assueti tales sententias omnino contemnunt, potestatem clavium vilipendunt, verba blasphema & scandalosa contra ecclesiam & ministros ejus pro-

Gravia inde orta scandala.

fe-

NOTÆ ta in eo singularia, & nova proponit, quæ scire lectoribus eruditis utile erit. In titulo XXXIII. partis secundæ discutiendum proponit num præstet clericos minores beneficiarios cum annos pubertatis attigerint cogere ut alterutrum eligant, sive castitatem perpetuam, sive conjugium. Laicis ter in anno Eucharistiæ perceptionem injungi, prout a conciliis quibusdam sancitum est, oportunum judicat tit. XLVIII. partis secundæ; monachos episcopis subiici pro veteri more sublato exemptionum privilegio, mandat: tit. XXIII. Serio Patrum examini committit tit. XLVI. partis secundæ, num expediat in occidentali ecclesia servari orientalis ecclesiæ disciplinam, *quæ castitatem in Altaris ministris non suscipit; ut ecclesiastico statui*, ait, *provideatur*. In tit. XXXIII. secundæ part. seponi suadet decimam *omnium beneficiorum ecclesiasticorum secularium & regularium, assignandam pauperibus scholaribus studentibus in studio generali*; ut tandem *de eruditis, & nutritis ordinari possent, qui in civitatibus, & diœcesibus, & monasteriis domino famularentur*. En prima rudimenta illius operis, quod postea concilium Tridentinum magno ecclesiæ commodo perfecit, institutis ad formandos juniores pauperesque clericos collegiis, quæ seminaria vocamus. Hæc & alia multa Durandus Viennensibus patribus discutienda proposuit, qui nec fiiet abusus correctione dignos. Hi sane abusus cum ab iis non differant, quos anonymus ille antistes apud Raynaldum hic pro concione Patribus Viennensibus exposuit, apud quem pariter eadem patrum loca, quæ apud Durandum occurrunt; hinc non inani conjectura suspicor anonymum hunc præsulem Gallum ipsum fuisse Durandum, qui ea quæ latius in suo libro exposuerat, eadem viva voce brevi complexu perstrinxerit, & inculcarit.

Patrum collectorum numerus incertus; quamvis enim Joannes Villanus ejusque perpetuus exscriptor S. Antoninus ultra tercentos episcopos adfuisse tradunt; continuator tamen Nangii multo arctius hunc patrum numerum cogit, nam interfuisse ait; *centum quatuordecim Prælatos cum mitris*. Assertum hoc authoris coævi testimonium nulla circumventione eludi posse censeo; ideoque vix dubito quin plures adfuerint. Cum tamen ex universi Christiani orbis partibus præsules convenerint; nam *ex Hispania, Theutonia, Dacia*, (Dania nempe) *Anglia, Scotia, Hibernia, Italia*, præsules Ptolemæus Lucensis commemorat; hinc generale totius orbis concilium merito agnoscitur. Eo vero accurrit & B. Raymundus Lullus eremiticæ vitæ professor insignis, cujus vivendi formam ab impacta superstitionum magicarum nota Bollandistæ ad diem XXX. junii egregie vindicant. In ea quam de viro sancto, & martyre describit vita Bovillius, legenda apud eosdem Bollandistas ibidem cap. IV. legimus illum audita concilii Viennensis fama eo se contulisse, ac tria patribus proposuisse. *Primum per mundum varia extrui juberentur monasteria, in quibus viri sancti, ac devoti varios sermones docerentur; ut in omnem terram exiret sonus eorum. Secundo ut de cunctis Religiosis militibus fieret unus ordo qui trans mare assidue bellis Saracenos lacesseret. Tertio ut authoritate sanctissimi patris Romani Pontificis cunctorumque Cardinalium inhiberentur legi scripta Averrois in scholis Christianorum, eo quod in pluribus fidelium mentes a sinceritate, & veritate fidei mutare cogunt, & ad impietatem perducunt*. Nihil tamen vir sanctus impetravit. Reliqua quæ ad concilium istud pertinent anno sequenti expendam. MANSI

ferunt: unde judices, quod graviter est ferendum & cum cordis amaritudine referendum, innumerabiles populos catervatim ad barathrum secum trahunt. Super quo nihilominus ad obviandum blasphemiis & scandalis & animarum periculis esset per ecclesiam remedium adhibendum, cum secundum Apostolum non sit manus cito alicui imponenda.

Sacerdotum confecrationes majori delectu celebrandæ.

Ex transgressione hujus verbi magnus error hodie reperitur in ecclesia, dum numerosæ personæ contemptibiles & abjectæ, vita, scientia, & moribus omnino indignæ, ad sacros ordines & maxime ad sacerdotium promoventur. Ex quo fit, quod totus ordo ecclesiasticus deboneſtatur, ministerium ecclesiasticum vituperatur, ecclesia scandalizatur, dum effrænata multitudo sacerdotum, maxime indignorum, in ecclesia a laicis populis consideratur. Ex quorum execrabili vita & pernicioſa ignorantia infinita scandala oriuntur, sacramenta ecclesiastica a laicis contemnuntur: unde in plerisque partibus apud laicos sacerdotes Judæis viliores & contemptiores habentur. Et licet circa tam levem manuum impositionem multa jura providerint, judicio meo adhuc provisione opus est; quia dicta jura pessime observantur.

Mala inde scaturientia.

De monachis vagis.

Cum secundum canones, quibus etiam in hac parte civilia jura concordant, monachi mundo mortui, Deo autem viventes nullatenus se debeant juxta Apostolum sæcularibus negotiis implicare; sed claustro suo contenti, sicut enim piscis sine aqua, sic sine claustro monachus caret vita juxta sui nominis interpretationem, ibidem soli & tristes debeant sedere, & officio suo vacare; multi prob dolor! nomine & habitu monachi tantum, de re & vita monachali in se nihil habentes, magis cum sæculo mori, quam cum Christo in claustro vivere cupientes, in prioratus ruralibus & alibi bini vel trini malunt, quam in congregatione sui monasterii conversari. Qui positi juxta claustra sicut equus effrænis, abjectæ observantiæ regulari & divinis officiis penitus prætermissis, per mercata & nundinas discurrentes & negotiantes & mercationes sicut laici mercatores exercent, multaque alia enormia, de quibus loqui verecundum est & turpe, in detestationem sui ordinis, & grave scandalum populorum committere non verentur: quare ecclesiæ Dei & eorum religioni perutile judicarem, ut omnes tales monachi, sic per orbem dispersi & vagantes revocarentur ad claustrum: vel saltem de parvis prioratibus dicti monachi vel plures congregarentur in unum, in quo juxta illud: Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum; sicut in principali monasterio regulariter possent Domino famulari redditibus illorum parvorum prioratuum principali monasterio, vel illi loco in quo adunarentur, ut præmittitur, applicatis. Sed unum præmissis obvians proculdubio impedit tantum bonum: cum enim prælati tales monachos, vel monachas in quibus adhuc majus periculum vertitur, ad claustrum revocare aut in unum, ut dictum est, congregare nituntur, fundatores illorum parvorum prioratuum eorum bona in manu sua capiunt, occupant, & invadunt, asserentes se & prædecessores suos, qui dicta loca ob animarum suarum salutem & remedium fundaverunt, nolle servitiis & suffragiis debitis defraudari. Circa quod est salubri remedio providendum.

Tum de aliis, quos Pontificia auctoritas præsulum imperio liberavit, subdit damnatos anathemate in sacrorum communionem ab iis admitti: vetita matrimonia in eorum ecclesiis iniri: stipendia debita ex jure vel pactione negare præsulibus; sensimque jura episcoporum exolescere, cum ipsos tædeat quotidie judicio cum iis apud sedem Apostolicam experiri. De clericis vero, qui nullis virtum scientiæque dotibus præditi irrepunt ad sacerdotia, hæc addidit:

LIX. De collatione sacerdotiorum.

*Quia multi vita & moribus detestabiles, de diversis mundi partibus ad sedem apostolicam concurrentes, tam in forma pauperum quam alias beneficia cum cura, vel sine cura quotidie impetrare noscuntur, maxime in locis, in quibus de vita eorum & moribus non habetur *, & a prælatis, tanquam filiis obedientiæ mandato sedis Apostolicæ obtemperantibus, veneranter instituti vel admissi ita detestabilem vel deformem vitam ducunt, quod ob hoc ecclesiæ destruuntur, populi scandalizantur, Dei ecclesia blasphematur; prælati non possunt hodie bonis personis de beneficiis, nec beneficiis de bonis personis obstante numerosa multitudine clericorum impetrantium, providere: ex quo fit, quod dicti prælati, dum non habeant quid pro meritis retribuant literatis personis, non inveniunt servitores, sine quibus prælationes suas recte administrare non possunt. Scio cathedralem ecclesiam tantum triginta præbendas habentem, in qua triginta quinque vel plures a viginti annis citra vacaverunt, de quibus episcopus, qui dictis viginti annis & amplius non absque magnis laboribus, angustiis, & tribulationibus episcopatum rexerat, obstante impetrantium a sede Apostolica multitudine, contulit tantum duas: & adhuc sunt in dicta ecclesia expectantes. Insuper omnes dignitates, quæ in dicta ecclesia dicto tempore vacaverunt, contulit dicta sedes maxime personis absentibus, qui nunquam ipsam ecclesiam intraverunt: & adhuc sunt duo expectantes dignitates. Quid plura? Parvæ ecclesiæ collegiatæ ipsius diœcesis, in quibus ad episcopum collatio pertinet præbendarum, quin etiam ecclesiæ parochiales impetrantibus adeo sunt, quod bonis clericis patriæ pe-*

* cognitio

Inopia proborum clericorum.

peritis in diversis facultatibus, non potest idem episcopus de beneficiis, nec magnis, nec mediis, nec minimis providere: & cum sint pauperes, nec subsidium ab ecclesia habere valeant post prolixa studiorum exercitia, immensosque labores, & qui amore scientiæ aliquando sua patrimonia destruxerunt, urgente necessitatis articulo & paupertatis ergastulo spe fraudati, desperati aut matrimonia contrahere, aut ad curias sæculares & consilia principum in grave ecclesiæ detrimentum se transferre coguntur; & isti sunt, qui ecclesias & ecclesiasticas libertates, quasi contempti ab eis, acrius persequuntur.

LX. Ecclesiæ rectoribus destitutæ.

*Heu mittuntur ad ecclesias vel personæ inutiles, peregrinæ linguæ, barbaræ nationis; vel si sunt bonæ personæ & utiles, nunquam in eisdem residunt ecclesiis, sed in Romana curia, aut Regis aut principum curiis commorantes, per privilegia fructus beneficiorum percipiunt, qui eisdem ecclesiis de nihilo serviunt; sed frustra panem doloris comedentes exquisitis doloribus ab ipsis ecclesiis se absentant: de quorum numero sunt quamplures, qui nunquam viderunt ecclesiarum, in quibus obtinent beneficia, crucifixum. Unde hodie, juxta illud, * scriptum est, relinquitur sola Sion sicut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario; & rursum: Posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.*

* quod

Gravibus inde affectæ damnis.

Qua de causa ipsæ ecclesiæ rurales, ruinæ, periculis, & desolationis extremæ dispendiis, omni consilio & auxilio destitutæ, lupis rapacibus exponuntur: a filiis vipereis decimæ, bona, jura eorum diripiuntur, invaduntur, occupantur: privilegia, immunitates & antiquæ consuetudines violantur, enervantur, annihilantur: nec est, qui ascendat ex adverso, & opponat se murum pro domo Israel. Quin etiam modernis temporibus in ecclesia Dei, suorum absentia mutilata, divini cultus periit officium & juxta scripturam senes de portis deficiunt, & juvenes de choro psallentium; unde versus est in luctum & carmen lugubre chorus ejus, pauperibus patriæ ecclesiarum largitio consueta subtrahitur, præter fundantium seu donantium voluntates propulso pietatis officio defraudantur.

LXI.

Ad hoc non est quædam inconveniens absurditas, quæ universalis ecclesiæ robur & fortitudinem annihilat, ejusque decorem & pulchritudinem exterminat & enervat, eamque mutilat & detruncat, sub silentio transeunda. Cum enim tam secundum jura divina, quam humana, singula ecclesiastici juris officia sint singillatim singulis committenda personis (sicut enim in uno corpore physico multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita in corpore Christi mystico, quod est ecclesia, multa membra sunt secundum veridicam sententiam Pauli, unde in eodem unoque corpore spirituali committendum est hoc officium uni, alii alias conferendum & committendum illud, nec quantumlibet exercitatæ uni personæ uno tempore duarum rerum sunt officia committenda; quia si totum corpus oculus, ubi auditus &c. unde lex civilis præmissis assentiens & concordans hoc testatur dicens, quod eodem tempore non sunt honores in duabus civitatibus ab eisdem gerendi) hodie, quod cum dolore referendum est, una persona aliquando minus idonea quatuor vel quinque in diversis ecclesiis obtinet beneficia, id est quinque vel quatuor dignitates, aliquando tres vel duas; quinimmo, quod non est minimum inconveniens vel absurdum, una persona, cui secundum statum suum abunde una sufficeret canonica vel præbenda, decem vel duodecim in diversis ecclesiis obtinet & aliquando plures, sicut vidi. Heu, aliquando una persona tot obtinet dignitates, personatus, vel officia, quod ex eis posset quinquaginta vel sexaginta exercitatis & literatis personis sufficientissime provideri. Ex quo pernicioso abusu sequitur destructio ecclesiarum, defectus servitiorum ecclesiasticorum, enervatio & dissipatio studiorum, quæ modernis temporibus ubique terrarum deperunt, propter hoc quod bonis scholaribus, exercitatum ingenium habentibus, provideri non potest per prælatos.

Mala ex sacerdotiorum structe in unum congesta.

LXII. Pueri indigne donati sacerdotiis.

Quid autem de pueris, qui omni discretione carentes, & quorum ætas quid videat ignorat, tot obtinent dignitates & beneficia, referam nescio, nisi quod impletum esse videtur Isaiæ vaticinium sic dicens: Ecce dominator Dominus exercituum aufert a Jerusalem & a Juda validum & fortem consiliarium & sapientem de architectis, & prudentem eloquii mystici; & sequitur: Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dabuntur eis, &c. Utrum tales tantam beneficiorum pluralitatem habentes, periculum damnationis evadere valeant, non determino: sed a sapientissimis & peritissimis theologis, quorum opinio celebrior non ignoratur a pluribus, requiratur.

Mala ex residentiæ defectu.

Ut cum reverentia S. Romanæ ecclesiæ & sedis Apostolicæ loquamur, multæ ecclesiæ in diversis mundi partibus hodie graviter desolantur propter hoc, quod dignitates ac personatus & eorum officia a commorantibus in Romana curia detinentur, ibidem perpetuo remansuris, quod dum inibi iterum atque iterum, & quoties vacant, aliis curialibus conferuntur: & sic tandem ecclesiæ ob suarum absentiam personarum & carentiam defensorum exterminio & ruinæ irreparabili subjacebunt. Quod utinam dominus summus Pontifex, & sacer cœtus Cardinalium, qui sunt animalia pennatæ plena oculis ante & retro, diligenter aspicerent, ac novissima providerent.

LXIII.

Prob dolor! Hodie in tali statu sunt ecclesiæ

Cur electiones rite non fiant.

cleſiæ conſtitutæ, quod in eis vacantibus vix reperiuntur perſonæ eligibiles: & ſi quandoque, quod raro nunc accidit, bona perſona & idonea in eiſdem reperiatur latens ſicut lilium inter ſpinas, tantum excedit numerus malorum & inutilium perſonarum, quod non permitterent perſonam bonam ad prælationem aſſumi: ſed ſimiles ſimilibus applaudentes eligunt ſibi virum juxta cor ſuum ad deſtructionem eccleſiæ & plebium ſubjectarum. Olim enim quando plures erant boni quam mali in eccleſia, tunc electio, quæ eſt quaſi ſecundum pluralitatem punctorum, bona erat & canonica: plures enim erant, qui eligebant Deo illis, qui eligebant diabolo. Sed modo fit e contrario, quia plures ſunt mali, quam boni regulariter: & ſic frequentius eſt electio diabolica, quam canonica; non celebrata per ſancti Spiritus inſpirationem, ſed per doloſum & machinoſam conſpirationem. Multi enim hodie introducuntur in eccleſiis inſidioſe & doloſe, alii per impreſſionem & importunitatem potentiæ ſæcularis, alii per ambitionem & fictionem hypochritæ ſimulationis, alii affectione ſanguinis & cognationis, contra Hieronymum dicentem, principatum in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ & ſequitur: Nunc autem cernimus plurimos hunc rem beneficio habere, non ut quærant eos in eccleſia columnas erigere, quos plus cognoſcunt eccleſiæ prodeſſe; ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequiis deliniti, vel pro quibus majorum quiſpiam rogaverit. Qui taliter intruſi vix aut unquam in prælatione bonum faciunt: non ædificant, ſed deſtruunt: non proficiunt, ſed corrumpunt; difficile eſt enim, ut bono peragantur exitu, quæ malo ſunt inchoata principio. Tales ambitioſi merito ſunt repellendi, quia ſecundum Gregorium: Sicut locus regiminis deſiderantibus eſt negandus, ita fugientibus eſt offerendus. Et rurſus: Sicut invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris eſt altaribus admovendus; ſic qui ultro ambit, vel importunum ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus.

Eccleſiæ non probe adminiſtrentur.

Indigni ad dignitates irrepunt.

Hodie juxta parabolam, quæ habetur Judicum XI. oliva, ficus, & vinea principatum refugiunt, ſecundum illud Joannis Chryſoſtomi: Quicumque deſideraverit primatum in terra, inveniet confuſionem in cœlo; rhamnus vero, qui ſecundum magiſtrum in hiſtoriis eſt genus rubi aſperrimi, nimis aculeatum ſicut ſentes, & ſecundum Joſephum ad nutum venti de ſe naturaliter ignem producit; primatum non refugit, ſed deſiderat & ambit, dicens: Si vere me Regem conſtituitis, venite & ſub umbra mea quieſcite, & cætera quæ continentur ibidem. Ultimam eligentes vel confirmantes indignos ad prælationem punirentur pœna canonica, etiam cum augmento, ut pœna docente cognoſcerent quantum crimen ſit quibuſque & longe extra ſacerdotale meritum conſtitutis paſtorale faſtigium & gubernationem eccleſiæ credere. Non eſt hoc conſulere populo, ſed nocere; non parare regimen, ſed augere diſcrimen. Integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum, ut Leo Papa, & ſequitur: Quod ſi in quibuſlibet eccleſiæ gradibus providenter ſcienterque curandum eſt, ut in domo Domini nihil ſit inordinatum, nihil præpoſterum, quanto magis curandum eſt, ut in electione ejus, qui ſuper omnes gradus conſtituitur, non erretur? Nam totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiratur in corpore, non inveniatur in capite.

LXIV. Mala ex prælatorum indignitate manantia.

Oh nihil eſt quod magis, eccleſiæ noceat, quam quod indigni aſſumantur prælati ad regimen animarum! cum enim per ignorantiam cœcati aliis ducatum parare cœperint, ambo in foveam cadunt; unde dicitur in pſalmis: Obſcurentur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurva. Cum enim obſcurantur illi, qui præeunt ad ferendum onera peccatorum, facile inclinantur ſequentes. Prælati tamen debent eſſe lux mundi, oculi eccleſiæ, arietes gregis Domini, qui debent ingredi & egredi ante gregem, & ovibus paſcua procurare; unde dixit ille ſapientiſſimus clericus, loquens prælatis: Vos eſtis catholici gregis procuratores, ſal terræ, lux hominum, ovium paſtores, muri domus Iſrael, gentium doctores, judices eccleſiæ, morum correctores. Et ſequitur: Si deſit protectio legis, lex labetur. Si ſal evanuerit, in quo ſalietur? Niſi lux appareat, via neſcietur. Niſi paſtor vigilet, caula confringetur.

Simoniacæ labis vitium relegandum ab eccleſia.

De donis & muneribus, quæ excœcant oculos judicum, & pervertunt corda juſtorum, dico prout ait quidam ſanctus, ſcilicet B. Edmundus Cantuarienſis archiepiſcopus, inquiens ſic: Per dona, quæ nec data nec accepta ſunt ſecundum Deum, corrupta eſt Chriſtianitas hodie. Deficiet priuſquam hoc advertant Chriſtiani, niſi ſe curare ſtuduerint ab hac peſte; cupiditas enim, quæ eſt radix omnium malorum, adeo hodie ramos ſuos & palmites amplixit, & maxime in eccleſia Dei, quod fere totum mundum obumbravit: unde multi, maxime clerici, aurum quaſi ſolem gratius intuentur: eorum oratio & ſupplicatio ad Dominum aurum quærit. Ergo aurum bibant juxta illud: Craſſus aurum ſitivit, & aurum bibit.

LXV. Cleri mores cultuſque emendandi.

De monſtruoſa & inhoneſta vita clericorum modernorum, maxime beneficiatorum, expedit facere mentionem. Quam enim hodie deformiter vivant quamplurimi in transformatione habituum, nutritura comarum unguium & barbarum, indiſciplinatione geſtuum, nemo poſſit ſufficienter admirari. Leva oculos tuos & vide qualiter ſe geruntque in forma, immo in deformatura veſtium, tonſura crinium, apparatu menſarum, ferculorum & ciborum. Quæ omnia ſigna ſunt deformitatis mentium, juxta illud: Incompoſitio corporis qualitatem indicat mentis. Unde juxta Bernardum clerici aliud eſſe & aliud videri volunt, habitu milites, quæſtu clerici, actu neutrum exhibentes: nec enim pugnant ut milites, nec evangelizant ut clerici, ventri ſuo, non Chriſto domino ſervientes.

Abuſus in pſalmodia.

Sæpe vidi in eccleſiis, qui eſt frequens apud clericos execrabilis & extirpandus abuſus, quod canonici & alii clerici ad horas nummarias currentes, & juxta deſideria cordis ſui per loca varia evagantes, tandem in fine horæ, quando dicebatur: Benedicamus Domino; ad chorum revertentes, ſtipendium horæ percipere abſque conſcientia minime formidabant. Unde hac occaſione perverſa in cathedralibus & aliis ſolemnibus eccleſiis ſæpe accidit, quod dum dicuntur horæ, chorus remanet vacuus, vix duobus vel tribus clericis ad horas remanentibus, aliis extra chorum evagantibus, ut dictum eſt, in grave ſcandalum ſpectantium populorum; alii, quod non eſt minus inconveniens vel abſurdum, in choro exiſtentes, non vacant pſalmodiis, ſed bini & trini confabulantur verbis inanibus, riſibus, & cachinnis & rumoribus recitandis ſe irreverenter occupantes; divinum ſervitium cum multorum ſcandalo impediunt & perturbant. Et licet contra præmiſſos abuſus multa jura prodierunt, tamen judicio meo eſſent pœnarum adjectione juvanda, cum pœnæ exacerbari debeant, quoties multis graſſantibus opus eſt exemplo.

Priſtinæ SS. patrum leges reſtituendæ.

** necnon*

** ornaverunt.*

*Hæc & tot alia, quæ vix ſermonibus poſſent explicari, videntur in Dei eccleſia reformanda, ſuper quorum ſingulis difficile, vel quaſi impoſſibile foret de ſingulis remediis providere. Unum tamen remedium generale ad præſens ſufficere videretur, videlicet quod dicta ſanctorum patrum ſtatuta, conciliorum quatuor principalium, videlicet Nicæni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſis, necnon etiam Lateranenſis, maxime quantum ad capitulum, quod eſt de conceſſione præbendarum * nulla decreta Romanorum Pontificum tam in capite, quam in membris ab omnibus integre ſervarentur & hoc faciendo videretur ſatis ſtatus eccleſiæ reformatus, quia Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines, qui * ordinaverunt tempora Chriſti bono odore uſque ad conſummationem vitæ. Et bene dico in capite: nam licet princeps legibus ſit ſolutus, nihil tamen ſibi tam proprium quam legibus vinciri; & digna vox eſt majeſtate regnantis, ſe legibus alligatum principem profiteri. Et rurſum dicit Leo Papa, quod totius familiæ Domini ſtatus & ordo nutabit, ſi quod requiritur in corpore, non inventur in capite.*

LXVI.

Hactenus præſul anonymus a Clemente de conſtituendis in ſynodo ad reſtituendam priſtino ſplendori eccleſiam conſultus. Referebantur ad hoc caput excindendæ ex agro fœdiſſimæ hæreſes, quæ recenter ex inferis eruperant. Quidam enim ex infanda, ut videtur, Dulcini propagine voluptatum illecebris irretiti, veſanam doctrinam in Inſubria diffundere cœperant; atque adeo humanis ſenſibus blandiebantur, ut effrænatam & effuſam in omne luxuriæ genus licentiam, ſpiritum libertatis evangelicæ appellarent. Ad quam delendam peſtem, ne illius contagio latius ſerperet, Pontifex Rainerio epiſcopo Cremonenſi provinciam impoſuit (a), ut adverſus ejuſmodi hominum fœcem legum canonicarum ſeveritatem exerceret.

Spurca hæreſis in omne libidinum genus effuſa.

(a) Lib. 6 ep. cur. 37.

Venerabili fratri Rainerio epiſcopo Cremonenſi.

In Spoletano principe ducatu prot pagata.

Nuper, ſicut dolenter audivimus, & grandi mentis punctura referimus, in nonnullis Italiæ partibus tam Spoletanæ provinciæ, quam etiam aliarum circumjacentium regionum nonnulli eccleſiaſtici & mundani religioſi & ſæculares utriuſque ſexus viri peſtiferi, qui alienati ab utero matris eccleſiæ, ac præclaræ fidei, fundatæ ſuper fundamentum Apoſtolorum & prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu: in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, qui eſt ſalus, vita, & reſurrectio noſtra, molientes, heu! obnubilare nitorem, novam ſectam, novumque ritum, a via ſalutis omnino degenerem, etiam ipſis paganis & animaliter omnino viventibus odioſum, & ab apoſtolica & prophetica doctrina & evangelica veritate remotum, quem libertatis ſpiritum nominant, hoc eſt, ut quidquid eis libet liceat, aſſumpſerunt; ut qui quandoque per fidem ſanctorum cives fuerant & domeſtici Dei, fiant nunc hoſpites & advenæ abjecti de domo Domini ſuis culpis & perniciosis erroribus & doctrinis; ſed ut & ipſi dumtaxat pereant non contenti, niſi cœci cœcorum ductores pœnarum ſocios habeant æternarum, ſimul cadentes in foveas, ſimplices animas aſtute decipiunt, & eas in hujuſmodi poſtis mortiferæ profeſſionem adducunt.

Dicebatur libertatis ſpiritus.

Clementis ad illam excindendam ſtudium.

Nos autem more patris benevoli, quem non prætereunt incommoda filiorum, ut reducamus abjecta, revocemus errata, vinumque infundamus & oleum vulneribus ſauciati, quod infirmum eſt ſolidantes, & quod ægrotum ſanantes, & quod confractum eſt alligantes, & quod perierat requirentes; noſtræ conſiderationis convertentes intuitum, ſoliciti reddimur, non immerito, anxii ſcripturarum ſacrarum arcana ſcrutantes, quoniam cum nos ſimus, in quos fines

sæculorum juxta Apostolum devenerunt, sicut idem vas electionis & doctor gentium qui in cœlis didicit, quæ prædicaturus erat in terris, annuntiat loquens ad Timotheum (a), & statum novissimorum temporum aperte describens: Scito, inquit, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes: ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace: criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, timidi, cæci, voluptatum amatores magis quam Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et post pauca subjungit: Quemadmodum Jannes & Mambres; magi utique & arioli Pharaonis, sub servitute Ægyptiaca populum Domini opprimentis, & figurantis ferocem illum Leonem gentium, & draconem maris, leonem rugientem, adversarium humani generis, sub servitute tenentem damnationis æternæ ex protoplasti peccato genus humanum, restiterunt Moysi; in quo & per quem lex Domini immaculata convertens animas mystice designatur: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente & reprobi circa fidem, & ultra non proficient.

(a) 2. Tim. 3.

Præsignatam ab Apostolo offendit.

LXVII. *Magis igitur & magis timendum nobis est & populo Domini, cujus nobis est cura commissa, & nobis in ipso, ne tam abominabilis Deo & hominibus pestis, quæ latenter videtur subrepere, nimis periculose succrescat. Timendum utique ac toto animo formidandum, quoniam sicut princeps Apostolorum Petrus in canonica sua scribit (b): Quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem; sed sicut servi Dei. Et idem (c): Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii cruciandos servare: magis autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuunt facere blasphemantes. Statimque subjungit: Hi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his, quæ ignorant blasphemantes, in sua corruptione peribunt, percipientes mercedem, injustitiæ voluntatem existimantes Dei delitias, coinquinationis & maculæ: deliciis affluentes, in convivitis suis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii & incessabilis delicti: pellicientes animas instabiles, cor exercitatum avaritiæ habentes, maledictionis filii: derelinquentes rectam viam erraverunt. Expressisque talium hæreticorum iniquorum reatum, & execrabilis pestis hujusmodi aperte subjungit: Superba vanitatis loquentes, pelliciunt in desideriis carnis luxuriæ eos, qui paulum effugiunt, qui in errore conversantur: libertatem illis promittentes, cum ipsi servi sint corruptionis: a quo enim quisque superatus, hujus & servus est.*

(b) 1. Pet. 2. S. Petri de hæreticis hujusmodi oracula.

(c) 2. Pet. 2.

LXVIII. Vesaniæ illius libertatis execratio.

O libertas omni durior servitute! O libertas nec nominanda libertas! Libertas vero utique illa summa libertas, in qua ejus servitus comprobatur, cui servire regnare est. Cur non attenditur? cur non pensatur? cur non discutitur quod Apostolus de hoc exclamat, ad Galathas? dicens (d): Utinam abscindantur qui vos conturbant. Vos enim in libertatem vocati estis fratres: tantum ne libertatem in occasionem carnis detis. Exvestigioque subjungit: Spiritu ambulate & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit adversus spiritum: spiritus autem adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur, ut non quæcumque vultis, illa faciatis. Nonne tuba evangelica, filius tonituri, qui fluenta evangelii, elevatus ut aquila grandis alarum magnarum plena plumis & varietate, de ipso sacri dominici pectoris fonte potavit, de hujusmodi apud nos erroribus futuris, prob dolor! tanquam de jam factis in canonica sua loquitur manifeste, dicens (e): Qui habet spem in Deo, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. Omnis qui facit peccatum, iniquitatem facit: peccatum enim est iniquitas. Scitis autem quod Deus apparuit, ut peccata tolleret: & peccatum in eo non est. Omnis igitur qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non videt eum nec cognoscit eum. Qui facit justitiam, justus est. Qui facit peccatum ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Apparuit autem in hoc Filius Dei, ut opera diaboli dissolvat.

(d) Gal. 5. Libertas evangelica non in effrænata carnis licentia, sed integritate constat.

(e) Jo. 1. 3. S. Joannis oraculis confirmatur.

Nonne hunc ipsum spernendum errorem & abominandum, immo vesaniam Judas frater Jacobi in sua canonica expresse designat? ponens more prophetico futura tanquam præterita, dicens: Subintroierunt homines impii, qui olim præscripti sunt in hoc judicium, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam. Statimque subjungit: Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. Similiter isti, qui carnem quidem maculant, dominationem spernunt, majestatem blasphemant. Et infra: *Væ illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam effusi sunt, & in contradictione Chore perierunt. Hi sunt, qui in epulis suis maculant se, convivantes sine timore, semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quæ circumferuntur a ventis; arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradicatæ, sydera errantia, quibus procella tenebrarum reservatur.*

D. Judæ Apostoli adversus impuros hujusmodi sectarios sententiæ.

Cur igitur contristant spiritum sanctum Domini? Cur blasphemant per tam horrendas insanias? Cur dissimulant quod scriptum est? (f) qui peccaverint in Spiritum sanctum, non remittetur eis neque in hoc sæculo, neque in futuro. Cum Job ipse te-

LXIX. Spiritum S. libertatis impuræ auctorem esse non posse demonstratur.

(f) Matth. 12.

(a) Job 4. *testetur (a): Vidi eos qui operantur iniquitatem, stante Deo periisse, & spiritu iræ suæ esse consumptos. Cur carnis illecebras sub spiritus regimine palliant, quas constat in eodem spiritu condemnari? Cum enim Apostolus fornicatorem Corinthium excommunicandum scriberet, ait (b): Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi, ut præsens eum, qui sic operatus est. In nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobiscum meo spiritu, & cum virtute Domini nostri Jesu Christi, tradere hujusmodi sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat. Non est igitur a Spiritu Domini talis libertas, nam in coinquinatus Spiritus Domini & suavis, humanus, benignus, amans bonum & qui nihil benefacere vetet: in Spiritu enim Domini peccatum dimittitur, non peccatur. Sed talis libertas est a spiritu tenebrarum, a spiritu malo, qui vexabat Saul, spiritu immundo, qui egrediens ab homine impellit eum assumere septem alios spiritus nequiores se: colubro tortuoso, qui & tortuose incedit, & tortuose suadet incedere suos: spiritu, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum: spiritu diaboli, qui nunc ut aspis, nunc ut basiliscus venena diffundit, ut leo devorat, insidiatur ut draco: spiritu iniquo illius, qui projectus est, draco magnus & serpens antiquus, qui vocatur diabolus & sathanas, qui seducit orbem suis seductionibus universum: spiritu, inquam illius, qui persecutus est mulierem, Dei ecclesiam, quæ peperit masculum operis virtuosi, post quam mulierem ex ore suo aquam magnam tanquam fluvium immittit, ut a flumine attrahat: spiritu erroris, cui divino judicio acquiescere permittuntur, qui non crediderunt Spiritui veritatis. Hic est ille spiritus, qui libertatem male agendi suis satellitibus & sequacibus repromittit, sed devictus est & vincetur in sanguine agni, quia vicit leo de tribu Juda aperire librum, & solvere signacula ejus: de quo triumpho tres pueri, tres ordines in unitate fidelium denotantes, benedicunt & laudant & superexaltant ipsum in sæcula, quia eripuit nos ab inferis suo sanguine redimendo, & salvos fecit de umbra mortis, & liberat nos * . . . ardentis flammæ devorantium hæresum, & de medio ignis vitiorum corrumpentium eripuit nos.*

(b) 1. Cor. 5.

* de medio

Illius libertatis auctorem dæmonem esse.

LXX. Episcopus Cremon. in novos hæreticos legibus agere jussus.

Ex prædictis igitur, nec immerito, solicitamur ex intimis solicitudine indefessa, quod pestis hujusmodi de Dei ecclesia penitus abscindatur & pereat, exterminetur radicitus, nec nominetur in populo Christiano. Te igitur, de cujus prudentia & circumspectione confidimus, ut evellas & destruas, & ædifices & plantes, ac omnia facias, quæ ad eradicationem erroris hujusmodi, & ædificationem salutiferæ fidei expedire putaveris, ad partes illas decrevimus destinandum. Quocirca fraternitatem tuam obsecramus in Filio Dei Patris, & nihilominus tibi per apostolica scripta mandamus, in remissionem peccaminum injungentes, quatenus ad prædictas partes in Dei nomine proficiscens, auctoritate nostra suffultus nec dignitati, nec statui, nec religioni, nec sexui, nec ætati deferens plusquam Deo de præmissis inquiras cum summa diligentia veritatem: & si quos cujuscumque dignitatis, ordinis, religionis, conditionis, aut status extiterint, hujus erroris labe respersos inveneris, juxta datam tibi a Domino gratiam, ut ad cor redeant oculos ipsorum aperias, & ne in umbra ambulent increpando corrigas & corrigendo reducas; & abjurata prorsus hæresi ab eisdem, & imposita ipsis salutari pœnitentia juxta morem reconciliatis ecclesiæ, secundum formam ejusdem beneficium absolutionis impendas.

In resipiscentes clementia, in obstinatos severitate utatur.

Quod si eos quod absit, vel eorum aliquos peccatorum moles præponderans in laqueum desperationis adduxerit, nec proficere te senseris apud eos, tunc fretus Christi potentia velut ad commune restinguendum incendium te accingas & contra eos & ipsorum quemlibet sub modis & forma justitia mediante procedas, quibus procedi in casibus hujusmodi consuevit: non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis & literis, personis vel ordinibus ipsis, aut ipsorum aliquibus sub quacumque forma aut expressione verborum ab Apostolica sede concessis, quæ cujuscumque tenoris existant, quomodolibet contra tenorem præsentium cuiquam nolumus suffragari; invocato ad id, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, contradictores per censuram apostolicam compescendo. Cæterum ad prosequendum viriliter causam Dei ad sui laudem nominis & exaltationem catholicæ fidei sic te gerere studeas in præmissis, quod in futuro dignam tibi præpares pro labore mercedem, ac nostram & Apostolicæ sedis benedictionem & gratiam uberius promererearis. Dat. Aven. kal. april. anno sexto.

LXXI. Meminit de impuris ejusmodi lenonibus hæreticis Joannes Cardinalis Turrecremata, (c) ac Geraldi Segarelli, ejusque discipuli Dulcini, paucis ante annis affecti supplicio, sequaces ait; perverte-bant enim plures illecebra hujus dogmatis sordidissimi, nimirum fornicationes & adulteria commissa ad sedandam tentationem non esse peccatum. Iidem vero hæretici hanc blasphemam vocem in Romanam ecclesiam vomebant: *Ecclesia Romana est illa meretrix, quæ a fide Christi apostatavit, de qua scribit Joannes in apocalypsi.* Addebant plura alia convitia in Pontificem, Cardinales, ac præsules Romanæ ecclesiæ, quos a Christo exauctoratos effutiebant. Ex quibus sapiens le-

(c) Turrec. summ. de eccl. p. 2. l. 4. c. 37. Impia hæreticorum vesania.

Eorundem in Rom. eccles. impietas.

lector perpendere poterit, quam impuri fuerint novatorum signiferi, qui in Romanam ecclesiam furorem effuderunt. Superiora vero ex publicis judiciariis actis a fidei censoribus hoc tempore conscriptis petita testatur Turrecremata, qui plures alios errores his affines enumerat, cui etiam consentit Eymericus (a).

(a) Eymer. 2. p. direct. q. 12. De exordio hujus hæreseos.

Desciverat in hæc fœdissima flagitia simulata sanctitas quorundam hypocrytarum fanaticorum, qui spiritu mendacii ducti legem spiritus & libertatis successuram evangelio, quod tanquam imperfectum abolendum cum Romana ecclesia effutiebant, ut Mosaica lex oriente evangelio extincta est: quam hæresim in ipso exordio Alexandri IV. diligentia, qui librum sub specioſa evangelii æterni inscriptione blasphema hæc deliria continentem exuri jussit, repressam vidimus (b). Hanc autem tum propagatam auctore Joanne Parmensi monacho refert Eymericus, ejusque fœtidos errores percensct, (c) ac notat hunc pestiferam doctrinam suam hausisse ex abbate Joachimo, quem etiam eo nomine Ptolemæus (d) Lucensis, & Guido (e) episcopus Elnensis ordinis Carmelitarum accusant, ut qui dum tres status, primum carnalium, alterum partim secundum carnem partim secundum spiritum viventium, tertium perfecte spiritualium consinxerit; aliis deliranti occasionem dederit: nam pseudopropheta (f) Geraldus Segarellus ecclesiam anno MCCLX. interituram dixit, & novam legem sancti Spiritus & libertatis in orbe radiaturam, in suis nempe sectariis: At Petrus Joannis Olivi invidens Joachimo, dicenti statum perfecte spiritualium florere in S. Benedicto cœpisse, somniavit illum in S. Francisco primum emicuisse: & ne vivus argueretur pseudoprophetiæ, clericalem ordinem anno MCCC. desiturum mentitus est.

(b) Annal. to. 14. An. Ch. 1256. n. 20. Deliria de nova lege orianda.

(c) Eymer. 2. p. direct. q. 9.

(d) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 22. c. 13.

(e) Guid. Car. sum. de hæres.

(f) Eymer. ubi sup. Aucta a Segarello.

His pseudoprophetis auctoribus propagatam hæresim de lege nova spiritus sive libertatis refert Guido (g) Carmelita, de quo paulo ante memoravi, qui opera de concordia evangeliorum Joanni XXII. & summam de hæresibus Clementi IV. cardinalitios apices tum gerenti dicavit: idemque contra hosce hæreticos legem evangelicam legem esse sancti Spiritus & libertatis ostendit: *Dicunt*, inquit, *quod in tertio statu erit lex libertatis, quia evangelium Christi non fuit libertatis; & quod Spiritus sanctus plenius dabitur in tertio statu, quia in secundo statu non fuit plene datus; & quod ecclesia in tertio statu purgabitur quasi frumentum a paleis & zizaniis, quia tunc fiet separatio malorum a bonis, & tunc prædicabitur evangelium regni. Hæc dicta plane sunt hæretica, primo quia negant evangelium Christi fuisse libertatis, nam in secundo statu fuit Spiritus sanctus datus Act. 2. ubi autem spiritus, ibi libertas 2. Cor. 3. igitur secundum statum negare libertatis fuisse est hæreticum contra doctrinam Apostolorum; immo expresse contra doctrinam Christi, qui Apostolis ait Joann. XV. Jam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus suus vos autem dixi amicos, quia omnia, quæ audivi a Patre meo, nota feci vobis; & Joann. 8. in secundo statu docens evangelium ait credentibus ex Judæis: Si vos manseritis in sermone meo, scilicet evangelico, vere mei discipuli eritis & veritas liberabit vos; id est, si filius liberabit vos, vere liberi eritis. Itaque in secundo statu Christus Dei filius, per quem gratia & charitas facta est, Joann. 1. nos liberavit; & Gal. IV. Apostolus dicit, quod rejecta synagoga, quæ in servitutem generabat, mater nostra ecclesia in secundo statu vere libera generat filios libertatis, qua libertate Christus nos in secundo statu liberavit.* Et infra: *Ait enim Apostolus: Per evangelium ego vos genui, quod non est ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, aut viri; sed ex Deo nasci per evangelicam veritatem, qua Christum Dei filium recipimus & credimus: & sic dat nobis potestatem filios Dei fieri, Joann. 1. ergo sumus liberi, quia Matth. XVII. liberi sunt filii. Secundo errant fabulosi hæretici illi dicentes, quod Spiritus sanctus plenius dabitur aliis, quam fuerit in statu secundo datus, quod est hæreticum propter Apostolos & alios sanctos, qui repleti fuerunt sancto Spiritu.*

Hæresis quod lex evangelica non sit lex veræ libertatis.

(g) Guido Car. epist. Elven. de hæresibus abb. Joach. & Petr. Jo. comm. cum pseudoapost. c. 21. Blasphemum figmentum de Spiritu S. dando plenius quam in lege evang.

Ostenditur fideles liberos esse.

Hæc vero insania de nova lege a Spiritu sancto danda, & eo plenius communicando adeo nonnullos fascinaverat, ut jam antea (h) reperta fuerit muliercula, quæ Spiritum sanctum in ipsa muliebres artus induisse effutiret: sed ea amentia flammis coercita fuit; qua de re etiam inferius recurret mentio; nunc aliorum impostorum facinora impia conjungimus. Reperti sunt in Germania nonnulli, qui cum sacris pontificalibus initiati non essent, agebant episcopos, seseque sacris muneribus ingerebant: de quibus graves querelas afferente apud sedem Apostolicam Friderico Rigensi archiepiscopo, Clemens Joanni Bremensi & Magdeburgensi archiepiscopis, atque Alberto capellano pontificio partes demandavit (i), ut temerariis hominibus, qui non electi, non confirmati a sede Apostolica, non consecrati episcopale munus sibi arrogarent, judicium intenderent, atque excurrente quatuor mensium spatio in Romana aula ad causam dicendam se sistere juberent: ad pietatem vero in Livonia amplificandam, quam illi impostores extinguere moliebantur, eidem Friderico Rigensi archiepiscopo egregie in viros religiosos, quorum consuetudo ad infideles ad Christum pelliciendos & fideles bonis moribus excolendos plurimum valebat, affecto ac successoribus auctoritatem concessit, (a) ut Prædicatoribus, ac Minoritis in singulis urbibus ædes construere permitteret.

Insania de Spiritu S. incarnato.

(h) Annal. to. 14. an. 1301. n. 15.

Nonnulli episcopalia munera invadunt.

Ut hi novatores de Apostolis detraxerint seque iis prætulerint.

(i) Lib. 6. ep. cur. 207.

Accersiti in judicium apud sedem Apost.

(a) lb. ep. 208.

LXXII. Lithuanorum in Christianos grassatio.

Hoc porro anno finitimi infideles Lithuani duce Victene in Prussiam magno furore irruperunt, eamque late populati barbariem in sacra præcipue effudere, atque sacrosanctam Eucharistiam impiis pedibus in religionis opprobrium protriverunt. Onusti deinde spoliis, adducta in servitutem ingenti fidelium multitudine, in Lithuaniam abibant, cum Victenes coram virginibus Christianis Eucharistiæ sacramentum evectum e Prussia adjectis blasphemis vocibus conculcavit. Sed divina justitia facinus atrox die proximo ulta est insigni Lithuanorum strage, ut refert subjectis verbis Michovias (b): *Dum in limitibus in una sylvarum captivos inter suos divisurus staret*, dux nempe Lithuanorum, *& coram virginibus, quæ absque viris & cæteris mulieribus mille quadrigenta * numerum explebant, sacramentum Eucharistiæ, ex terris Prussiæ in sacrario allatum, profana manu exertum ante pedes virginum proiiciens, spurcissimo ore conspuens, & pedibus conculcans, interrogabat ubi esset Deus earum, qui ei resistere non valeret, neque suis cultoribus auxiliari. Non autem divina majestas blasphemiam tulit: alterâ siquidem die in diluculo, quæ fuit dies martis VIII. idus aprilis, Henricus de Ploszk magister Prussiæ cum octuaginta fratribus cruciferis & forti aliarum gentium exercitu ducem & exercitum Lithuanicum in eisdem statim consecutum conflixit, & ad extremum vicit, singulos victos in patibulum agens, aut undis suffocans. Ex tanto autem Lithuanorum exercitu nemo præter ducem & duos ejus comites, qui & ipse in capite vulneratus aufugit. In memoriam tam famosi triumphi cruciferi, domum reversi, monasterium sanctimonialium in Thorun fabricarunt & dotarunt.*

(b) Michov. l. 4. c. 13.

* quadringentarum

Eucharistia conculcata a barbaris.

Divina in eos ultio.

LXXIII. Jaderæ ad Ungaros defectio.

Exarsit eodem anno gravis discordia inter Venetos & Carolum Regem Ungariæ, cum Jadertini, qui diu Veneti juris fuerant, ad Ungarum desciviſſent, ac permovissent, ut Venetos de solvenda Jaderæ oppugnatione postularet; qui Petrus Gradenicus dux, de perduellium correpta clientela questus, Veneti in eam urbem juris vetustatem firmitatemque hisce verbis proposuit (c): *Potentiæ*, inquit, *regali rescribimus, quod ipsa civitas, nimirum Jadera, sicut est ubique notorium, fuit nostra, & legitime ipsam possedimus multissimo & antiquissimo tempore, cujus non extat memoria, & plenum & sufficiens jus & jurisdictionem acquisivimus, & habuimus & habemus. Per consequens in eadem & jus vestri regni Ungariæ expressum & notorium in ipsa civitate semper voluimus & fecimus ob reverentiam & amorem regium prædecessorum vestrorum, tanquam qui intendimus non turbare in aliquo jura regia, sed ad conservationem eorum dare potius auxilium & favorem: & erat jus ipsum aliqua pars dutii portæ civitatis, quod solvebatur per homines vestros regni Ungariæ ad introitum solum civitatis prædictæ, quæ pars exhibebatur, ut dictum est, cui per Reges Ungariæ ordinatum fuerat. Et sic per prædicta potestis evidenter aspicere & cognoscere manifestum jus nostrum, & quod vobis aliud quam veritas fuerit intimatum, &c.* Nonnulla alia addidit, Jadertinos sine causa rebellionem movisse: demum a Venetis obtritum iri. *Dat. die IV. octob. X. indict. MCCCXI.*

(c) Ext. ejus lit. in actis pend. ad hist. MS. And. Dand.

Gradenici ducis ad Car. Reg. lit.

Haud levi impedimento fuit nova illa Venetorum cum Rege Ungariæ dissensio, ne Veneti meditatam expeditionem cum Carolo Valesiorum duce ad eripiendum Andronico Constantinopolitanum imperium susciperent. In tantam porro servitutem sub schismatico Imperatore redacta erat Græcorum ecclesia, ut patriarchas veluti theatrales imponeret deponeretque. Hoc enim ipso anno deturbato Athanasio Niphonem Cyzicenum ad patriarchale solium evexit (d), cui ejecto succesſit Joannes Glyces, idemque Theodoro Metochiti locum dedit. Hic deinde pulsus insulas reliquit Gerasimo, qui iis parum potitus, monasteriumque repetere coactus transfusos in Isaiam honores indoluit. Hæc ferebant quotidie ludibria patriarchæ Græci, indignique ab indignis trudebantur, qui in Romanæ ecclesiæ obsequio & veram libertatem & honorum firmitatem essent consecuti. Quam vero miser esset aliarum Græcarum ecclesiarum status, facile colligitur, cum earum princeps tot ludibriis quotidie expositus esset; unde juste exauctorati imperio Græci, qui sacerdotium mancipabant servituti.

Misera Græcæ eccl. sub schism. Imp. servitus.

(d) Niceph. Greg. l. 7.

Patriarch. Constantinop. temere institui dejectique.

Obsolescente ita apud Græcos schismaticos religionis dignitate, divina providentia illam apud Tartaros amplificabat. Quæ res Pontificem impulit, ut nonnullos Minoritas crearet episcopos, atque in Tartariam ad colluſtrandos evangelii luce barbaros legaret. Joannes enim Monte Corvino a Clemente ex ea familia in archiepiscopum Cambalien sem adlectus strenuam adeo operam in Tartaris Christiano cultu imbuendis collocarat, ut præclara divinæ augendæ gloriæ spes affulgeret: ac ne colligendæ albescenti jam messi operæ deessent, suffraganeos ipsi episcopos Thomam, Hieronymum, ac Petrum Florentinos laboris ac gloriæ socios

LXXIV. Missi e Minoritis nonnulli ad Tartaros.

cios adjunxit (*a*), plurimisque auxit privilegiis, ut ea de re diploma pontificium XI. kal. martii anno VI. exaratum edocet (*b*).

(*a*) *Lib. 6. ep. cur. 16.*
(*b*) *Ead. ep. cur. 16.*

Asiaticis ecclesiis consulit Clemens.

Admovendi etiam Tharsensi ecclesiæ alterius Minoritæ Danielis Zerdonensis, a clero archiepiscopi designati, provinciam imposuit Pontifex (*c*) Petro Ruthenensi episcopo Apostolicæ sedis in oriente legato, si e canonicis legibus electum comperiret. Cumque jam lapsis multis ab hinc annis Antiochena ecclesia patriarcha legitimo caruisset, postremus enim sedente Bonifacio VIII. e vivis excesserat, atque ab eodem Pontifice sedi Apostolicæ præficiendorum sedibus Constantinopolitanæ, Antiochenæ, Alexandrinæ, & Hierosolymitanæ, dum sub Saracenorum vel schismaticorum jugo ingemiscerent, patriarcharum cura reservata esset; ac decrero pontificio sancitum, ne earum ecclesiarum canonici inconsulta sede Apostolica ad patriarcham designandum comitia inirent; Isnardum archiepiscopatu Thebano perfunctum jure electum ad Antiochenum patriarchatum traduxit (*d*): tum ad sustinendam dignitatem, donec barbarorum tyrannide Antiochia opprimeretur, Papiensis ecclesiæ administrationem ei commisit (*e*): quo postea gradu a Joanne ob insignem perduellionem dejectum visuri sumus. Nunc reliquas res orientales prosequimur.

(*c*) *Lib. 6. ep. 771.*

(*d*) *Ep. 458.*

(*e*) *Ib. ep. 457.*

Exorta inter Genuenses & Hospitalarios discordia.

Perverterat adeo nonnullos mercatores cumulandarum per fas nefasque opum cupiditas, ut Saracenis vetitas merces inveherent: cumque Genuensis mercatoris triremis iis mercibus vetitis onusta ab Hospitalariis, quorum id muneris erat, intercepta fuisset, respublica Genuensis Antonium Spinulam ad repetendam triremem oratorem misit: cui cum ab Hospitalariis responsum esset, ejus rei jus sine Apostolicæ sedis, quæ intercipiendarum vetitarum mercium provinciam ipsis demandarat, facultate integrum sibi non esse, orator una cum Simone Auria aliisque Genuensibus proceribus ad Turcas se contulit, atque adeo Madachiam Saracenum principem in Christianos concitavit, ut ducentas & quinquaginta naves Rhodias, quæ in diversis Turciæ portubus ad permutandas merces, commeatusque & animalia ad insulam avehenda in anchoris stabant, intercipi jusserit.

Madachias Turcarum princeps a Genuens. excitatus Rhodias naves intercipit.

Tulit etiam constans fama, promisisse illos Madachiæ Genuensis reipublicæ nomine quinquaginta millia florenorum auri ad conducendum militem Turcicum, deque fœdere cum schismaticis Græcis tractasse ad Rhodum in potestatem infidelium redigendam, atque Hospitalarios ex ea penitus excindendos; neque his contentos, triremium Genuensium præfectos in Hospitalarios feciſſe impetum, plures conjecisse in vincula, atque eos, qui ad tuendam eam insulam, recenter ex impiorum manibus ereptam commeatus aliaque necessaria invehebant, ad redimenda corpora adegisse: jecisse etiam minas, tamdiu in Rhodio mari grassaturos, totque illaturos clades, donec Hospitalarios ex ea insula evulsissent. Et quamvis principes urbis & Insubriæ equites apud Genuensem senatum ac populum institissent, ut Christiano nomini, Terræ sanctæ a Saracenis conculcatæ recuperandæ, atque Hospitalariis ea in re consulerent; nullum ab ipsis post unius mensis flexum responsum elicere potuisse atque ita ad sedem Apostolicam confugere coactos. Pontifex igitur, gravissimis hisce querelis permotus, Genuensis reipublicæ magistratus apostolicis monitis ad pacem revocare est conatus (*f*).

Furunt Genuenses in Rhodios equites.

Vindictæ cupido religioni non parcit, ut iras satiet.

(*f*) *Lib. 7. ep. com. 10.*

Clemens, &c.

LXXV. Genuenses admonet Clemens, ut respiscant.

Nos, qui vos inter alios devotos matris ecclesiæ tanquam peculiares filios brachiis paternæ dilectionis astringimus, nolentes pro vestro & vestræ civitatis honore tam detestandos errores, si prædictis veritas suffragatur, prout etiam nec debemus, sub dissimulatione transire, quin oculis vestris instantia paternæ solicitudinis & hortationis apertis, vos ab inviis ad viam rectitudinis reducamus; & circa præmissa, prout tam horrendorum excessuum, quæ gravia trahunt secum pericula, qualitas exigit, adhibeamus remedia opportuna; universitatem vestram attente requirimus & hortamur in Filio Dei Patris, quatenus contra præsumptores hujusmodi sic opportunum & salubre remedium, prout expedit, prædictis fratribus & hominibus aliis libere ac sine redemptione & exactione qualibet relaxatis, omnibusque rebus & bonis integraliter restitutis eisdem, celeriter apponatis, quod Salvatoris nostri & ejusdem catholicæ fidei, ac dictæ sedis & nostræ reverentiæ satisfiat, dictique transgressores ex hujusmodi enormitatibus debite corrigantur, a similibus in futurum prorsus abstineant, & agere talia non præsumant; & hujusmodi correctionis exemplo omnibus tollatur audacia, & via præcludatur omnimode similia præsumendi: & nihilominus contra omnes & singulos de civitate vestra, cujuscumque conditionis existant, super confœderatione seu conjuratione cum eisdem schismaticis, vel quibuscumque aliis inimicis ejusdem fidei faciendo verbum movere præsumpserunt (quod solum dicere summum nefas est & auditu terribile) taliter procedatis, quod ejusdem fidei vos ostendatis zelatores fervidos per effectum, nosque ac sedem prædictam non oporteat super his alia cogitare remedia, qui tam detestabiles enormitates facinorum tamque perniciosum totius Christianitatis opprobrium sub dissimulatione transire aliquatenus non possemus.

Cum infidelibus & Schismaticis fœdera inire vetat.

Recolimus insuper, quod dudum in primis nostræ promotionis auspiciis ad culmen apostolicæ dignitatis nonnulla licita & laudanda statuta, quæ in vestris asserebatis capitularibus contineri, a vobis pro divini nominis, ac fidei & sedis prædictæ reverentia & honore facta provide contra eos, qui in Alexandriam & terras Ægypti prædictas cum vetitis antedictis accederent, nostro apostolatui transmisistis. Quibus coram nobis & fratribus nostris lectis, non absque gratificationis & devotionis multæ præconiis ea consideravimus diligenter: quæ dum ad præsens in animo reconsemus, non indigne cogimur admirari, si adversus transgressores statutorum hujusmodi debito modo juxta formam ipsorum & canonicas procedere negligitis sanctiones; cum parum sit condere in civitate statuta, nisi sit qui ea per executionem debitam tueatur, &c. Datum Viennæ VI. kalend. decembris anno VII.

LXXVI. Henricum Regem Rom. solicitat, ut Genuens. a Rhodiis oppugnandis abducat.

Scripsit eodem argumento Clemens ad Henricum Regem Romanorum, (*a*) ut in extinguendo imminente bello, ac defendenda fide Christiana regiam auctoritatem adhiberet, cum ex insula Rhodo in terram sanctam ad eam Christiano cultui restituendam excurri posset; tum Genuenses adduceret, ut illatas Hospitalariis injurias sarcirent: *Quia*, inquit, *dilectissime fili absque dubitatione confidimus & speramus, quod præcordiis regiis cœlestis benedictionis rore perfusis, ad ulciscendam nostri Redemptoris injuriam in ejusdem terræ sanctæ partibus tuos convertis sæpius cogitatus, & dirigis desideria mentis tuæ, ac ipsius terræ commoda promovere utiliter te delectat.*

(*a*) *Lib. 7. ep. com. 10.*

LXXVII. Armeniæ & Cypri Reges Clementem controversiarum arbitrum deligunt.

Quod ad alias res Asiaticas spectat; Armeniæ & Cypri Reges, qui discordiis suis potentiam barbarorum auxerant, pontificiis monitis atque instruendæ in occidente pro recuperanda Syria expeditionis fama excitati, in mutuam concordiam descendere, ut felicius in Saracenos arma verterent; atque in Pontificem communem pacis arbitrum consensere. Misit itaque ad Clementem Osinius Armeniæ Rex oratores suos, qui ab ipso magnis honoribus excepti sunt: sed cum nondum Cypri Rex suos misisset, monuit Pontifex exaratis XV. kal. septembris literis (*b*) Osinium ut alios imminente proximo dominicæ resurrectionis festo die ad sedem Apostolicam legaret, quo ex Armenorum Cypriorumque oratorum congressu rem constituere, omnes discordiarum causas excindere, ac pacem firmissimam inter eos adstringere posset. Piis ejusdem Osinii Regis desideriis indulsit aliis literis (*c*) Pontifex, ut alterius Regis Armeniæ, cui retinendorum in familiari usu sex religiosorum Franciscanæ familiæ virorum facultas a sede Apostolica concessa fuerat, exemplo sex etiam ejus ordinis, quos designasset is, qui in Cypro sodalibus præesset, in aula regia ad alendam pietatem, cujus eximio sensu delibutum esse præ se ferebat, ut eorum consuetudine frueretur, retinere posset.

(*b*) *Ib. ep. 287.*

(*c*) *Ib. ep. 773. & 774.*

Permissum Regi Armeniæ, ut Minoritas in aula retineat.

Conjungenda his nonnulla videntur beneficia apostolica Christianis Regibus a Clemente concessa hoc anno: inter quæ non prætermittendum illud, quod Aquino Regi Norvvegiæ concessit, (*d*) ut regiorum sacellanorum dignitate præcipuus mithra coram Rege uteretur: tum Robertum Regem Siciliæ divinis mysteriis ante solis ortum celebrandis interesse flagitantem, ne ob ingruentium diurno tempore negotiorum molem a sacro illo opere distraheretur, voti compotem fecit: *Ut missam*, inquit, *antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum pro tempore ingruentium id exegerit, tibi possis etiam cum cantu licite facere celebrari*, & infra, *auctoritate tibi præsentium de speciali gratia indulgemus: proviso ut parce hujusmodi concessione utaris, quia cum in altaris officio immoletur Dei filius Jesus Christus, qui candor est lucis æternæ, congruit istud non in noctis tenebris fieri, sed in luce. Dat. in prioratu de Grausello prope Malausanam Vasionensis diœcesis IV. kal. julii anno VI.* Morem etiam gessit aliis ejusdem Regis votis, ut nimirum sacra lipsana ad ea veneranda asservaret: *Ut sanctorum*, inquit, *reliquias in tua domo habere valeas, in loco tamen decenti cum debita reverentia conservandas; præsertim cum ex Apostolicæ sedis indulgentia altare portatile habeas, in quo tibi facis per proprium capellanum temporibus congruis divina officia celebrari, auctoritate præsentium duximus concedendum.* His de sacrarum reliquiarum cultu adnectimus, quæ refert Joannes Villanus, (*e*) Arnaldum e Pelagrua Cardinalem, de quo superius plurimus sermo illatus est, cum nosset Florentinos singulari veneratione beatum Barnabam Apostolum prosequi, illius reliquias Florentiam transmisisse, easque ingenti pompa a populo non vulgari pietatis sensu delibuto exceptas, atque in altari principis ecclesiæ S. Joanni Baptistæ sacro magna religione collocatas.

(*d*) *Ep. 316.* Datum Roberto Regi Sicil. ut divinis ante lucem interesset.

Cur sacra noctu fieri non deceat.

(*e*) *Jo. Vill. l. 9. c 13.* S. Barnabæ reliquiæ Florentiam translatæ.

Habendarum in Regia sacrarum reliquiarum facultas attributa.

I. Insignes hoc anno gestæ res.

(a) MS. biblioth. Vat. sign. n. 1477. Bern. in chron. Rom. Pont. hoc ann.

Redimitus est ornamentis imperialibus in Lateranensi ecclesia a Cardinalibus legatis Henricus anno a Virginis partu millesimo trecentesimo duodecimo, indictione decima: instructus ad abrumpendos in oriente Turcarum progressus, duce Tarentino principe, exercitus: decreta ad recuperandam Syriam in concilio Viennensi expeditio: fœdæ hæreses censura apostolica damnatæ; ac Templariorum equester ordo, cum a pristina sanctitatis laude in impietatem defecisset, extinctus. Utque ab extremo ducamus initium, cum in concilio Templariorum causa (a) agitaretur, quæ in prima sessione discuti extremo superiore anno cœperat, iniit eam rationem in iis abolendis Pontifex, quam describit Bernardus (b): *Mense martii feria IV. in hebdomada sancta XI. kal. aprilis summus Pontifex, multis prælatis cum Cardinalibus coram se in privato consistorio convocatis, per provisionis potius quam condemnationis viam ordinem Templariorum cassavit & penitus annullavit, personis ac bonis ejusdem ordinis ordinationi suæ & ecclesiæ reservatis.* Hæc ille, quæ exscripsisse videtur anonymus Clementis V. gestorum auctor (c), atque eis consentanea Ptolemæus Lucensis, (d) Martinus Polonus (e), & alii tradunt.

(b) Id. ib. Ptol. Luc. l.24.c.39. & MS. Vat. bibl. sig. num. 3765.

Templar. equester ordo extinctus.

(c) Ext. MS. in nostr. bibl. Vall. sign. lit. C. n. 25.

(d) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.24.c.39. MS. Vat. bibl. sign. n. 3765. ubi sup.

(e) Mart. Pol. l.4.

II. Centum & octoginta quatuor annis viguerat.

Habita est paucis post diebus secunda sessio, in qua Pontifex ordinis Templariorum abrogationem in consistorio editam promulgavit, ut Bernardus prosequitur: *Mense*, inquit, *aprilis tertia die introitus ejusdem mensis, anno incarnationis dominicæ jam notato MCCCXII. fuit secunda sessio concilii celebrata, in qua prædicta cassatio ordinis Templariorum extitit per summum Pontificem concilio mediante publice promulgata, præsente Rege Franciæ Philippo, cui negotium erat cordi, ac domino Carolo fratre suo, & tribus ejusdem Regis filiis, scilicet Ludovico primogenito Rege Navarræ, Philippo & Carolo: sicque annihilatus est ordo templi post annos circiter centum octogintaquatuor, quibus militaverat impinguatus & dilatatus divitiis, multis libertatibus & privilegiis sedis Apostolicæ communitus.*

III. (f) Lib. 7. ep. cur. 31.

Edidit postmodum Clemens apostolicam ea de re constitutionem, (f) qua universo orbi, ac futuris sæculis transmittere voluit, quæ ipsum causæ ad equestrem illum ordinem extinguendum impulissent.

Clementis in Templarios sententia.

Clemens, &c. ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.

Considerantes dudum inquisitiones & processus varios, de mandato sedis Apostolicæ per universas partes Christianitatis contra ordinem quondam militiæ templi & ipsius singulares personas habitos, sive factos super hæresibus, de quibus ipsi erant graviter infamati; & specialiter super eo, quod fratres ejusdem quondam ordinis, dum in ipso recipiebantur ordine, ac interdum post receptionem eorum Christum negare, & in ejus opprobrium super crucem sibi ostensam spuere, & eam interdum conculcare pedibus dicebantur, quodque generalis magister ipsius ordinis, visitator Franciæ, ac majores ipsius ordinis præceptores, nec non & quamplures fratres ejusdem in judicio confessi fuerunt de hæresibus supradictis, quodque ipsæ confessiones dictum ordinem valde suspectum reddebant; attendentes insuper infamiam divulgatam, suspicionem vehementem, nec non prælatorum, ducum, comitum, baronum, ac communitatum regni Franciæ insinuationem clamosam, grave quoque scandalum ex prædictis contra ordinem prælibatum subortum, quod non videbatur posse sedari eodem ordine remanente; animadvertentesque multas alias justas rationes & causas, quæ ad id nostrum moverunt animum, de quibus in processu super hoc habito continetur; cum gravi cordis amaritudine & dolore non per modum diffinitivæ sententiæ, cum eam super hoc secundum inquisitiones & processus prædictos non possemus ferre de jure; sed per viam provisionis & ordinationis apostolicæ præfatum quondam templi ordinem ac ejus statum, habitum, atque nomen sustulimus, removimus, & cassavimus; ac perpetuæ prohibitioni subjecimus, sacro concilio approbante, personas & bona ejusdem ordinis ordinationi & dispositioni sedis Apostolicæ reservantes, &c. Dat. Viennæ II. non. maii an. VII.

Ut accusati, ipsos ingresso ordine Christi fidem abjurasse.

Eorum bona sedis Ap. dispositioni reservata.

IV.

Quod ad ea verba spectat, quibus Pontifex Templariorum ordinem ex juris & judiciorum forma damnari non potuisse profitetur, causam affert Walsinghamus his verbis (g): *Cum in concilio Viennensi tractaretur, an propter vocationem singularum personarum ordinis Templariorum, vel propter acta contra eosdem posset totus ordo damnari propter singularium delinquentium vocationes, cum constaret, quod dictus ordo non fuerat vocatus, definitum fuit per dictum concilium, quod non de jure. Ideo Papa Clemens in bulla sua condemnatoria ordinis adjecit hanc clausulam: Quamquam de jure non possumus, tamen ad plenitudinem potestatis dictum ordinem reprobamus.* Hæc ille: verum principi ordinis ejusque proceribus diem indictam vidimus, subesseque alia ratio potuit, plures nempe constanter objecta pernegasse, & insontes pronuntiatos in aliquibus synodis provincialibus; plures etiam, cum objecta confessi essent, in equuleo, postea

(g) Vals. sing. hist. Angl. & ex eo to. 3. conc. p. 2. in not. ad concil. Vien.

Cur pronuntiarit Clemens Templarios ex juris forma non damnatos.

stea revocasse dicta, & in extremæ illius vocis constantia flammas pertulisse.

V. (a) Ep. com. 244. ext. to. 3. conc. p. 2. in conc. Viennen.

Disceptatum an novus ordo creandus foret.

Disceptatum in concilio est (a) acerrime quid de possessionibus Templariorum amplissimis constitueretur, cum plerique censerent creandum novum religiosum ordinem equestrem, qui in Saracenos pro amplificanda fide bellum gereret, ac Templariorum opes in eum derivandas: urgebant vero alii Hospitalarios rei militaris ac pietatis gloria florere, potiusque alterius ordinis bona illi conjungenda. Altior alia ratio perpendebatur, militarium ordinum varietatem, qui assiduis pene dissensionibus inter se certarent, exitium rei Christianæ attulisse, quibus etiam Ptolemaidis clades fuerat attributa: quocirca a Nicolao IV. ea excisa agitatum vidimus, ut Templariorum & Hospitaliorum ordines in unum coalescerent. Favebat huic causæ Pontifex, ac recenter e barbarorum manibus erepta Rhodus, ac magna clade Madachias propulsatus, ipsis gratiam apud omnes pepererant. Vicit itaque pontificia sententia, ut Templariorum bona, quibus potitos anno MCCCVIII. mense octobri, quo veluti signo dato conjecti in custodiam fuerant, constaret, ad Hospitalarios transferrentur, ut iis aucti divitiis rem Christianam latius proferrent. Excepta (b) tamen ea bonorum pars, quæ in Hispania consisteret, cum Aragoniæ, Castellæ, Lusitaniæ, ac Balearium Reges, quibus ferme continua cum Saracenis qui extremo ipsorum insidebant limiti, bella erant, Templariorum bona in ipsorum regnis constituta in sacri adversus infideles belli sumptus vertenda contenderent. Promulgavit mox Clemens quæ assentiente synodo œcumenica a se decreta fuissent, & iis omnibus, quibus bonorum extincti Templariorum ordinis administratio & custodia credita erat, hæc imperia dedit (c).

Vicit opinio non creandum.

(b) Ib. & l.7. ep. cur. 106. & reg. post eand. ep. Bern. chr. Rom. Pont.

(c) Lib. 7. ep. com. 307.

Clemens, &c. administratoribus & curatoribus bonorum militiæ templi.

VI.

Nuper in generali concilio per nos Viennæ, disponente Domino, celebrato post longam deliberationem præhabitam & maturam, acceptabilius fore credentes Altissimo, magis honorabile fidei orthodoxæ, cultoribus, ac subventioni terræ sanctæ utilius æstimantes, bona quondam domus & ordinis militiæ templi ordini Hospitalis S. Joannis Jerosolymitani concedere, quam ordini de novo creando unire, aut etiam applicare, consilium deliberationis nostræ providit. Sed quia tunc aliquibus asserentibus, utilius fore bona ipsa ordini noviter creando conferre, quam dicti hospitalis ordini applicare, tunc noster affectus speratum effectum super hoc obtinere nequivit; tandem vero, sicut per Dei gratiam actum fore dignoscitur, VI. non. præsentis mensis maii, eodem sacro approbante concilio, hospitali seu hospitalis ordini supradictis præfata bona concedenda duximus & etiam unienda, bonis ejusdem ordinis militiæ templi in regnis & terris charissimorum in Christo filiorum nostrorum Castellæ, Aragonum, Portugalliæ, & Majoricarum Regum illustrium extra regnum Franciæ consistentibus dumtaxat exceptis, quæ ab unione, concessione, & applicatione hujusmodi ex certis causis excipienda duximus & etiam excludenda, ipsa dispositioni nostræ & sedis Apostolicæ specialiter reservantes, &c. præcipit ut Templariorum bona Hospitalariis attributa una cum omnibus juribus & obventionibus in eos, quibus ab Hospitalariorum equitem magistris provincia data fuerit, sine mora transfundant. *Dat. Liveron. Valentinæ diœcesis* XVII. *kal. junii anno* VII.

Templarior. bona applicata Hospitalariis.

Excepta quæ in Regum Hispan. terris consistunt.

VII. Hospitalarii pro repetendis Templarior. bonis suas opes exhauriunt.

Non parum laboris & studii in ea pontificia sententia mandanda operi, ac præda amplissima ex potentiorum, qui avaritiæ stimulis incitati Templariorum spolia invaserant, faucibus eripienda collocatum est, eaque munerum lenociniis extorqueri oportuit, in quibus offerendis exhaustas Hospitalariorum opes refert subjectis verbis S. Antoninus (d): *Quia jam fuerant occupata a diversis dominis laicis, oportuit quod illi de hospitali magnum thesaurum exponerent in dando Regi*, de Philippo Gallo loquitur, *& aliis, qui occupaverant dicta bona: unde depauperata est mansio hospitalis, quæ se existimabat inde opulentam fieri.* Extant eo argumento literæ (e) pontificiæ ad Francorum Regem, quibus rogat, ut regia auctoritate præsules fulciret, qui Hospitalarios in bonorum ad Templarios olim attinentium possessionem inducere jussi erant: licet enim jam olim coram se, antequam ea attribuerentur Hospitalariis equitibus, manus ab illis bonis amovere professus esset, atque etiam sanxisset, ut proceres pontificiis procuratoribus ipsa traderent; tamen nonnullos adhuc iis bonis nefarie incubare queritur, quæ restitui quamprimum movet, cum non levem ex eo jacturam divina res patiatur (f).

(d) Ant. 3. p. tit. 21. c. 3. ante §. 1.

Philip. Rex ingentia ab iis munera corradit.

(e) Lib. 8. ep. com. 76. & post eand. ep.

Illius administri Templarior. bona vi & injuria retinent.

(f) Bern. chr. Rom. Pont.

VIII.

At ne Rhodii equites ingentes illas opes in vitiorum pompam verterent, ac Templariorum exemplo, abjecto armorum usu, in delicias se dissolverent, Pontifex inclinante anno edixit (g), ut omnium eorum bonorum vectigalia annua redigerentur ad calculos, ac statueretur quot religiosi equites egregie armis instructi in transmarinis partibus ad loca sancta recuperanda sustentari possent.

(g) Lib. 6. ep. cur. 78.

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

Bona præfati ordinis, nimirum Hospitalariorum, *tam antiqua quam nova, & ipsorum valorem annuum exacta exquiri diligentia faciemus, solicite inquirentes &*

omnino scire volentes, quantum quælibet ipsius ordinis domus sive antiqua sive nova valeat annuatim, & de quanto possit quolibet anno terræ sanctæ subsidio respondere: quo facto juxta æstimationem & valorem bonorum ipsorum, & habita ratione de expensis in locis & propter loca ipsius ordinis necessario faciendis, ad tenendum perpetuo in terra sancta certum fratrum & militum numerum eundem ordinem astringemus. Qui quidem fratres & milites ad acquirendam terram eandem, & acquisitam etiam conservandam, quantum Deus dederit, laborent efficaciter & intendant: ordinato per nos & proviso, quod citra mare fratres ejusdem ordinis pauciores morabuntur, videlicet soli ad regenda loca ipsius ordinis necessarii, & alii senes & valetudinarii & inhabiles ad bellandum. Juvenes autem & fortes, ad bellandumque habiles mittentur & tenebuntur necessario ultra mare: ut sic terra sancta recipiat quod sibi debetur, ipseque ordo id, ad quod institutus est, sicut decet & expedit, prosequatur; non relicta sibi secundum hæc ex divitiis, aut personarum qualitate vel multitudine, sed adempta potius superbiendi licentia, vel otiosa opera prosequendi: cum longe pauciores ipsius ordinis fratres & milites sint citra mare moram tracturi, quam hactenus morabantur, bonaque prædicta multum & longe plus solito onerata sint eis juxta provisionem, de qua præmittitur, remansura, &c. Dat. Aven. III. kal. januarii pont. nostri an. VIII.

Sanctum ut ii ad Syriam recuperandam tuendamve incumbant.

IX. Quid de Templariis singulis statutum.

Hæc de Templariorum possessionibus & opibus partim in Viennensi concilio, partim etiam lapso aliquo ab eo perfecto tempore constituta: quæ nostra oratione conjungenda duximus, ne res sæpius repetita fastidium pareret. Quid vero de equitibus ipsis sancitum sit, utque partim fontes affecti supplicio vel ad expianda lacrymis crimina retrusi in monasteria, tum fugitivi incussa censurarum religione in judicium publico edicto accersiti, describit accuratius Bernardus:

(a) Bern. chr. Rom. Pont.

(a) *De personis*, inquit, *Templariorum sic extitit ordinatum, ut in quibusdam nominatim expressis dispositioni sedi Apostolicæ reservatis, cæteri omnes judicio & dispositioni conciliorum provincialium in singulis provinciis sunt relicti, quantumvis juxta diversitatem conditionum ipsorum cum eis per eadem concilia procedatur: ita videlicet, quod vel qui super erroribus, exigente justitia, fuerint absoluti, de bonis præfati quondam ordinis, unde juxta status sui decentiam sustentari valeant, ministretur; circa eos autem, qui de præfatis erroribus fuerunt confessi, consideratis eorum conditionibus, modoque confessionis pensato, rigor justitiæ cum affluenti misericordia mitigetur: circa impœnitentes vero & relapsos, si qui inventi fuerint, justitia aut censura canonica observetur.*

Insontes reperti e bonis ordinis stipendia accepere. Sontes pœnis reservati.

Quoad illos vero, qui etiam supposito quæstionibus se prædictis esse involutos erroribus negaverunt, per eadem concilia reservaretur & fieret quod justum foret, & æquitas canonum suaderet & collocarentur singuli in domibus ipsius quondam ordinis templi, aut in religiosorum aliorum monasteriis, ad expensas ordinis quondam templi; ita tamen, quod in una domo, unove monasterio, multi simul nullatenus ponerentur. Illi autem cum quibus nondum fuerat inquisitum, & qui sub potestate ecclesiæ minime tenebantur, & qui erant fugitivi, fuerunt citati cum edicto publico in concilio generali, ut præcise & peremptorie infra annum coram diœcesanis suis personaliter comparerent, subituri eorum examen, & secundum conciliorum judicium pro meritis recepturi: qui vero infra annum minime comparerent, excommunicationis sententiam incurrerent ipso facto: quam si per annum sustinerent animo pertinaci, tunc velut hæretici damnarentur. Hactenus de Templariis, ad quorum dirimendam causam primum fuisse indictum Viennense concilium vidimus.

Pœnitentes retrusi in monasteria.

Fugitivi in judicium vocati.

Objectæ non obtemperantibus pœnæ.

X.

Jam quid de Bonifacii memoria, quam Philippus Francorum Rex hæreseos labe aspergebat, definitum sit, videamus: ob hanc etenim etiam causam indictam synodum vidimus, remque in concilio agitatam testatur MS. Vaticanum. (b) Susceperat jam ante superiori anno, ut diximus, Clemens, cum adversas partes composuisset, illius dirimendæ controversiæ provinciam, atque in concilio œcumenico eam exponere decreverat tum ob rei gravitatem, tum ut invidiam omnem a se amoveret. Eum sane non assentatione, ut Regis ulciscendi cupiditati obsecundaret, vel pusillanimitate ductum probabile est, sed potius cum apud plures Bonifacii fama laboraret, fraude nimirum ipsum irrepsisse in Petri sedem, eamque injuste tenuisse, tum male de Eucharistia, Christianorum morum puritate, immortalitate animæ, corporum resurrectione sensisse, illi objectum erat; ad vindicandum ab omni infamia prædecessoris nomen, obstruenda calumniatorum ora, reique veritatem in luce collocandam permotum officii religione concilii auctoritatem ea in re accersiviſſe.

(b) *MS. Vat. arch.* A Viennensi concilio Bonifacii VIII. causa agitatur.

XI. Ut Bonifacii pontificatus fuerit adductus in controversiam.

Et primum quidem, quod ad Bonifacii pontificatum spectat, plures viri docti illum in dubium revocarant, cum discepterent, Cœlestinum V. abdicare se summo sacerdotio non potuisse, fuderantque ea de re plura verba Jacobus & Petrus Cardinales Columnenses; cumque a Bonifacio armis urgerentur, publicis documentis (c) vulgarant, ipsum fraude in Petri sedem irrepsisse, neque a Cœlestino demandata a Christo ecclesiæ gubernacula abiici potuisse, pluraque argumenta multis subornarunt coloribus, quæ tum Romæ, tum in Philippi Francorum principis regia pervulgata magnos animorum motus peperere: adeo ut Philippus pluribus literis objecerit Bonifacio, multorum fama pontificatum ab illo initum legibus non fuisse. Cumque Bonifacii memoriæ defensores, quorum præcipui erant Richardus Senensis, Petrus Hispanus, Franciscus Cejetanus Cardinales coram Clementis tribunali Philippo exceptionem hanc validissimam objicerent, Regem ipsum ad accusandum Bonifacium capitali odio ob censuras sibi ab illo, quem antea ut Pontificem orthodoxum coluerat, incussas adduci: proinde non audiendum, quippe infelicissima foret Pontificum sors, si quoties Reges ob eorum scelera anathemate percellerent, deinde vivi virave functi ab iis judicio hæreseos postulandi essent; respondebat Philippus, (a) jam diu ante contractas cum Bonifacio inimicitias sibi per conspicuos sacra profanaque dignitate viros fide dignissimos indicatum, Bonifacium vitio non legibus pontificatum corripuisse. Et quidem judiciaria instrumenta litis Bonifacium inter ac Philippum coram Clemente disceptatæ referunt, (b) ineunte pontificatu Bonifacii plures Sorbonicos doctores in controversiam adduxisse, an Cœlestinus V. pontificatu se abdicare potuisset, eosque in eam abiisse sententiam, cessionem ab eo editam non tenere, proinde Bonifacium legibus creatum non esse. Deinde recrudescente

(c) *Ext. in MS. arch. Vat.*

(a) *Apud Clem. l. 6. ep. cur.* 3.

(b) *Acta judiciaria in causa Bonif. MS.* Controversia primum ventilata a Sorbonicis.

Præcipui Bonifacii defensores.

Quid Philippo accusanti responsum.

ea controversia, cum memorati Columnenses Cardinales literas (c) xv. junii anni MCCXCVII. ad Parisiensem academiam Penestre dedissent, quibus Bonifacii pontificatui detrahebant, majores inter Sorbonicos contentiones de illo obortæ sunt.

(c) *MS. Vat. archiv.*

Præcipuus difficultatis cardo in eo vertebatur, ut ex Columnensium Cardinalium literis constat: *Papatus a solo Deo est, & quæ a Deo vel ab alio superiori committuntur, a nullo possunt inferiori removeri.* Provocabantque ad concilium œcumenicum, ut in eo controversia dirimeretur. Cumque Bonifacius concilium non coegisset, ratus Cardinalium decretum ad id sufficisse, demum in Viennensi concilio controversia definita est magno rei Christianæ bono, cum altero post sæculo majores turbas, ubi de excindendo via cessionis schismate agebatur, paritura fuisset.

XII. A Columnensibus instaurata.

Auxerat hanc in Bonifacium litem Philippus Rex Francorum, cumulatis fœdissimis in eundem multiplicium hæresum calumniis. Quam ob rem judicii illius molem Clemente in se, ut duximus, suscipiente, post varios anfractus judiciarios, interrogatos Romæ, tum in Campania, Etruria & Galliis idoneorum quæsitorum opera testes, compertum est nefandas calumnias a malevolis confictas fuisse; [1] quin etiam ipsa formula accusationis (d) concepta a Guillelmo Plasiano satis arguebat, illum pravo animo & calumniandi studio inflammatum fuisse: cum enim objecisset Bonifacio, illum de immortalitate animæ male sensisse, putidum hoc & nugax argumentum attulit: *Præ-*

XIII. Aucta a Phil. Rege.

(d) *Ext. to. 9. de schism. MS. arch. Vat. pag. 12. in processu Bonif. MS. archiv. Vat.*

di-

NOTÆ [1] P. Franciscus Pagius in breviario Pontificum Romanorum res a Clemente V. gestas describens multis adductis argumentis probare nititur, causam Bonifacii ante concilium tractatam, & absolutam, omni ejus cognitione sibi a Clemente reservata. Nec sane negari potest inter causas coacti concilii, hoc Bonifacii judicium nequaquam referri ab anonymo illo episcopo, qui de singulis tribus causis, quæ discutiendæ in concilio fuerant verba coram Patribus fecit. Vide annalistam ad anno 1311. num. 54. sed vix credo omitti a Pontifice potuisse rem tantam, quam summo animi nisu urgebat Philippus Rex & Columnenses, quæque ad publicam ecclesiæ causam ex obliquo referebatur, cum non defuerint inter catholicos, qui censuerint Bonifacium legitimum Pontificatum haud quaquam gessisse, quod illud jure abdicare a se Cœlestinus minime potuerit; ex quo id consequebatur, omnia ejus acta excindi, ac pro infectis haberi oportere. His ergo stantibus, vix credo detrahi fidem posse Joanni Villani, qui causam Bonifacii cognitam a concilio affirmat, cui cohæret anonymus Vaticanus in fragmento legendo apud annalistam an. 1311. num. 54. Consonat his P. Franciscus Pippinus horum temporum scriptor in chronico, qui lib. IV. cap. XLIX. scribit: *Fuit præterea in eodem concilio ex parte Regis Francia Philippi hujus nominis V. per ipsius solemnes nuntios requisitum ut ossa quondam Bonifacii exhumarentur, & etiam cremarentur tanquam hæretici. Non tamen requisitio fuit admissa &c.* Hæc Pippinus, qui anno 1314. Chronicon suum absolvit, quemque ex præfatione Muratorii ad hoc opus Rer. Italic. tom. IX. discimus anno 1320. aut circiter libris scribendis operam, in Italia forte, nam Bononiam habuit patriam, dedisse. Eadem memoriæ mandantur a continuatore Martini Poloni ex editione Eccardi. Vix credo tam multos & coævos authores in re hac errare potuisse. Horum vero testimonium multo validius existimandum est, quam silentium actorum omnium publicorum, quorum nullum in ea causa in Concilio editum supereſt. Hoc silentium urget Pagius, sed cum vetera hujus Concilii acta nulla suppetant, nullum ex eo silentio validum argumentum deduci potest.

Author Chronici Mersemburgici, qui opus illud ad annum 1722. perduxit, vulgatumque legitur apud Ludewig Reliquiar. to. IV. tradit Burghardum Mersemburgensem Archiepiscopum concilio huic interfuisse, & a Clemente V. impetrasse, ut Vicarium sibi Episcopum in Pontificalibus exercendis eligeret, & ab eo Joannem quendam ordinis eremitarum S. Augustini in Episcopum Soronacensem, & Vicarium suum electum & consecratum fuisse. MANSE

Quam futiles fuerint ejus calumniæ.

dicare non erubuit, se magis velle esse canem vel asinum quam Gallicum, quod non dixisset, si credidisset Gallicum habuisse animam: ergo non credidit immortalitatem animæ, nec vitam æternam. Sat prudentes intellexere, præmissas argumenti ab homine malevolentia in Bonifacium suffuso confictas, ut Gallos in illum incenderet, cum ex publicis Bonifacianis monumentis constet, tot in eam nationem, quam in quemvis aliam laudum ornamenta congessisse, nec graviori verbo ipsam perstrinxisse, quam cum se a senatu regio maledictis hisce laniari audivit. Illatio vero ex præmissis æque nugax est, quamvis inepta ea verba protulisset.

Validissima contraria argumenta.

Cæterum potiora erant argumenta contraria, quibus ostendebatur, Bonifacium recte de animarum segregatarum statu sensisse, cum B. Ludovicum Philippi avum sanctorum catalogo ascripsisset, deque miraculis ab eo editis panegyrim habuisset: cum pro salute animæ suæ basilicæ Vaticanæ prædia amplissima quadraginta tribus circiter millibus aureorum empta donasset, (a) præter pretiosissima varii generis ornamenta: cum plura decreta animæ immortalitatem, necessario statuentia edidisset: cum etiam constantissime hostibus irrumpentibus, strictosque enses intentantibus dixisset (b): *Cupio pro Christi fide & ecclesia mori;* cum in extremo vitæ discrimine pronuntiasset, (c) ut acta referunt, *Omnes articulos fidei more summorum aliorum Pontificum recognoscens, & confessus coram octo Cardinalibus, de quo extant literæ fratris Gentilis Cardinalis.*

(a) *Ext. lib. anniversf. basil. Vat. pag.* 144.
(b) *Ex proceff. MS. arch. Vat. pag.* 37.
(c) *Jac. Card. ad vel. aur. & ex proceff. sup. pag.*

XIV.

Æque ineptum & improbum est aliud argumentum, quo Bonifaciani calumniatores astruebant, illum magicis artibus imbutum, addictumque dæmoni; ferebant enim illum jactasse: *Quod si omnes homines in mundo essent ab una parte & ipse ab alia, non possent eum decipere, nec in jure, nec in facto; quod non posset fieri nisi arte diabolica uteretur: ergo habuit dæmonem, cujus consilio in omnibus utebatur.* Similibusque nugis plenum est illud, quo accusatores contendere Bonifacium sensisse, Christum in Eucharistia non existere. Sed quo argumento? non alio, quam quod addidere, ipsum divinis mysteriis, dum peragebantur, tergum obvertisse: cum potius contrarium demonstrarent sacra ab eo toties singulari pietatis sensu manantibus suavissime ex oculis lacrymis peracta, pluraque altaria ab ipso pretiosissimis muneribus exornata. At exinde etiam impingendi criminis idololatriæ occasionem sumpsere, quod effigiem suam sacris iis muneribus insculpendam curaret, atque ita in aris coli a Christianis vellet, atque apud posteros memoriam propagari.

Sumpta ex piis operibus maledicendi occasio.

Hæc sane deliria, ut etiam & aliæ calumniæ Philippo, qui parum valebat prudentia, quocirca regni administrationem alieno nutui permittebat, persuaderi potuerunt, & in circulis regiorum assentatorum mussitari: sed in concilio Viennensi coram trecentis patribus, qui totius orbis Christiani erant lumina, discussæ sunt ejusmodi calumniarum tenebræ asserta Bonifacio religionis, cujus tot monumenta extabant, fama; pronunciataque demum decretoria sententia, sedisse justum Pontificem Bonifacium, & recte de fide orthodoxa sensisse, ut S. Antoninus hisce verbis testatur (d): *Cum Clemens,* & infra, *de delenda memoria Bonifacii ex ecclesia, cum prælatis concilii tractaret, quia Rex illum hæreticum fuisse probare intendebat, concilium nullo modo assentiri voluit, sed contrarium declaravit, scilicet ipsum fuisse catholicum & indubitatum Pontificem.*

XV.

(d) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 3. in princ.*

Confirmat Joannes Villanus (e), Bonifacium a concilio Viennensi omni suspicione hæreseos, & calumniis ei a Rege Francorum impositis liberatum, idque pluribus argumentis, ex imperiali jure petitis, coram Philippo Rege ejusque senatu a Richardo Senensi Cardinale insigni juris perito, tum aliis e sacra theologia depromptis a Joanne Murrensi itidem Cardinale, tum etiam aliis ex decretalibus & jure canonico delibatis a Gentili Cardinale comprobatum: nec non duos auratos equites Catalanos adversariis Bonifacii provocationem ad certamen singulare (ex nobilium more improbo) objecisse: indeque Philippum ac suos pudore suffusos conticuisse. Addit etiam placandi Regis causa decretum a concilio editum, quo promulgatum sit, nullam unquam labem Philippo posterisve ob gesta in Bonifacium adhæsuram, quod etiam repetit S. Antoninus: *Quia,* inquit, *ipse,* nempe Bonifacius, *fecerat processus contra Regem Franciæ, ad quietandum ipsum, non valentem obtinere quod cupiebat injustum, declaravit & firmavit decreto concilium, quod quacumque de causa Rex offendisset Bonifacium Papam seu ecclesiam, nullo unquam tempore posset ipsi Regi, vel ejus filiis & heredibus aliquid damni inferri vel pœnæ,* ita quod jam ante sanxerat Clemens, a concilio repetitum est.

XVI. Pronunciatur ipsum verum & catholicum fuisse Pontificem.

(e) *Jo. Vill. l. 9. c. 22. & ex eo Masson. in Phil. Pulc.*

Data Philippo Regi venia.

Ut detersa est a Bonifacio (pro quo nunc eruditam apologiam typis mandat Joannes Rubeus monachus Benedictinus) omnis hæreseos suspicio & macula a Viennensi concilio, ita ab eodem damnati sunt nonnullorum impuriſſimorum hypocritarum, qui Germaniam suo veneno infecerant, fœdissimi errores, qui adeo cum omni ratione atque honestate pugnant, ut mirum sit homines in tantam vesaniam actos, ut colerent vitia sanctitaris specie at-

XVII. Beguardi damnati in concilio.

atque humanis sensibus æternam metirentur felicitatem. Beguinorum & Begardorum [1] iis nomen erat: an illud a pestiferæ sectæ auctore, an ab alia causa derivatum, parum exploratum est, de quibus hæc Henricus Stero (a): *Hic Papa sectam Begardorum & Begardarum hæreticorum utriusque sexus reprobavit, qui Alemanniam * in plures provincias perversis dogmatibus suis infecerant: dixerunt enim inter cætera, hominem eundo de virtute in virtutem perfectiorem Christo posse fieri & impeccabilem: negavere etiam se subesse prælatis & summo Pontifici.* Asserebant alia venena simplicioribus, erroresque disseminabant, quos recenset Clemens ac damnat in apostolica constitutione in concilio promulgata (b); ex qua etiam Alvarus Pelagius Minorita episcopus Silvensis, qui adversus hos hæreticos sæpius scuto fidei & gladio spiritus se concertasse testatur, eosdem errores enumerat confutatque, eductis in aciem divinis oraculis & sanctorum patrum auctoritatibus: cujus narratio & doctrina etsi prolixior afferenda visa est, cum is testis fide dignissimus sit, atque impietas pure detecta ob sui horrorem minus noceat, & ut videant novatores, quos habuerint antesignanos: *Unus,* inquit, (c) *error eorum est: homo in præsenti vita tantum & talem gradum perfectionis potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis & amplius in gratia proficere non valebit; nam, ut dicunt, si quis posset semper proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri. Isti moveri videntur ex auctoritate Joannis in ep. I. cap. III. ibi: Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit, de pœni. di. II. §. Opponitur vers. item secundum hanc. Sed Hieronymus contra Jovinianum prædictæ auctoritati respondet, probans omnem hominem in hac vita posse peccare & peccato esse subjectum, multis hoc probans exemplis. Iste etiam error ab illo videtur trahere ortum*

(a) *Henr. Stero Altahens. an.* 1311. Grassantur in Germania. * per Eorum hæreses.

(b) *Clem. ad nostrum de hæret.*

(c) *Alvar. Pel. ep. Silv. de planct. eccl. tit. 2. c. 52. Jo. Turrec. de eccl. p. 2. l. 4. c. 36. S. Ant. 3. p. tit. 21. c. 3. §. 2. Bin. in not. ad conc. Vien.* Fingunt se impeccabiles. Insana erroris probatio.

NOTÆ [1] AGit hic Annalista de Beguardis & Beguinis, quorum condemnatio in concilio a Patribus innovata. Nominis hujus etymon sunt qui derivatum censent a Saxonico *Beggen* mendicare. Nec sane aliter accepisse videntur authores annalium Colmariensium, qui ad A. 1302. scribebant: *In hoc Capitulo* (Fratrum Prædicatorum) *fuerunt conversi, seu Begihardi, hoc est Fratres non habentes domicilia,* LXXX. Ægidius vero Aureæ Vallis, qui medio sæculo XIII. historiam episcoporum Leodiensium scribebat ad A. 1180. narrat: religiosum quendam sacerdotem nomine Ludovicum *a Begue* (balbum scilicet) instituisse genus quoddam puellarum, quæ castam, & religiosam vitam in sæculo agerent; unde, ait, factum est, *ut mulieres, & puellæ, quæ caste vivere proponunt, Beguines Gallice cognominantur.* Id vero desumpsisse Ægidium notat Nangius in Glossario V. *Beghinæ* ex antiquiori scriptore Vitæ S. Odiliæ, & ex Joanne Abbatulo lib. 1. cap. 4. Quæ sane postrema nominis origo mihi probatur, cum testimonio antiquorum fulciatur; quo caret prius illud etymon a recentibus nonnullis scriptoribus apud Nangium excogitatum. Forte tamen accidit ut natum in Gallia nomen cum in vicinam Germaniam transiret, affinem ibi significationem ex verbo Saxonico *Beggin* obtineret. Ex hoc vero deducas, primo quidem illud obtinuisse mulieres sinceram pietatem colentes; dein eo passim abusi hæretici illi, qui superiori sæculo sub mentita religionis larva hæresim occulebant. Nam Valdenses ea appellatione non semel donat Godefridus Monachus in eo Chronico quod sæculo XIII. præcedente scripsit. Non ita tamen illud hæreticis affixum est; quin simul viris ac mulieribus piis probisque tribueretur. Hinc factum est ut sorores, & fratres tertii Ordinis S. Francisci, & S. Dominici, qui religiosis induti vestibus vitam in sæculo castam, & ad normam regulæ sibi traditæ piam traducebant, Beguardi, & Beguinæ appellarentur. Quare cum primum Clementinarum liber prodiit in publicum & in eo adversus Beguardos, & Beguinas constitutio prodiit, tanta per Germaniam commotio in sectatores professionis illius facta est, ut vel eam deferere, vel exulare cogerentur, teste oculato Joanne Vitodurano Minorita in Chronico ab Eccardo Historic. med. ævi vulgato. Cum vero ille sectam hanc Beguinarum cæpisse asserat ex quo Joannes XXII. Clementinas promulgavit, hinc discimus Beguardorum damnationem peculiarem nullam factam in Concilio (cur enim alioquin non statim illa promulgata fuisset?) Sed cum in concilio Clementinæ recitatæ, & a patribus permissum fuerit Clementi, ut illas reformatas suo, & Concilii nomine ederet; hinc a concilio damnatio illa processisse rectissime dicitur. Licet vero nulla ab ecclesia edita in Beguinos ante promulgationem Clementinarum constitutio prodierit; episcoporum tamen quorundam constitutiones illos jam proscripserant. In Spicilegio Ecclesiastico Lunigii pag. 399. occurrunt statuta synodalia Henrici Colonienſis Archiepiscopi edita anno 1306. quorum primum est damnatio Beguardorum, qui jubentur vestem religiosam, quam inconsulto Pontifice susceperant, dimittere, & victum sibi non emendicando, sed artem aliquam exercendo procurare. Item statuta Synodalia Joannis IV. Leodiensis Episcopi apud eundem Lunig. pag. 573. edita anno 1287. tit. XXIX. cap. I. hæc de Beguinis sanciunt: *Omnes Beghinæ privilegio Beghinali gaudere volentes intrent curiam,* Monasterium scilicet, *Beghinarum; & præcipimus commorantibus extra curiam Beghinarum, quod distinguant habitum suum ab habitu Beghinarum; & si aliqua Beghina extra curiam accesserit moratura vel ejecta fuerit propter incontinentiam, vel aliud delictum, habitum non deferat Beghinarum.* Ex hoc canone discimus Beghinarum genera fuisse duo; aliæ quidem erant in monasterium collectæ; aliæ vagæ; quarum postremas, & Leodienses Patres hic damnant, & in Clementinis, quamquam non sine discrimine aliquo, reprobantur; nam quicumque ex Beguardis etiam vagis & privatam in sæculo vitam egentibus, regulam profitebantur approbatam S. Francisci, vel S. Dominici, tertii, ut vocant ordinis, illos Clemens admisit, reliquos ad arbitrium viventes suppressit. MANSI

Alia petita ex figmento peccata fide non imputari. Confutatur ea conficta impeccabilitas.

tum, qui dicit nullum imputari peccatum in fide manentium, XXIV. *q.* III. *Quidam verſ. Eunomiani. Si ad impeccabilitatem in hac vita venire poſſemus, fruſtra oraremus. Dimitte nobis debita noſtra, de pœn. d.* III. *De quotidianis & præ. c. Si enim verſ. ſi non peccamus, & diſt.* I. *Tres autem, & de conſe. diſt.* II. *Iteratur, & Matth. 6. & Luc.* XI. *ubi Cyprianus: Quam neceſſarie autem & ſalubriter admonemur, qui peccatores ſumus, qui pro peccatis rogare compellimur: & ne quis ſibi quaſi innocens placeat, & ſe extollendo plus pereat, inſtruitur ſe peccare quotidie, dum pro peccatis quotidie jubetur orare. Item Auguſtinus de bono perſeverantiæ: Hoc autem telo Pelagiani confodiuntur hæretici, qui audent dicere, hominem juſtum in hac vita habere nullum omnino peccatum: & in talibus hominibus non eſt jam videre in præſenti tempore eccleſiam non habentem maculam aut rugam, ad Epheſ.* V. XXI. *di. Quamvis. Chryſoſtomus in homilia. Quoniam vero fidelibus hæc oratio convenit, leges eccleſiæ docent & orationis principium, quod docet Deum patrem vocare. Qui ergo fidelibus jubet remiſſionem peccatorum petere, demonſtrat quod poſt baptiſmum contingit peccata dimitti contra Novatianum.* Et pluribus interjectis adducit Joannem Caſſianum in lib. collationum adverſus impeccabilitatem ſibi affingentes & dicta Apoſtoli: *Quod nolo malum hoc ago*; & : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? ad Rom.* VII. & XXXII. *q.* V. *Si Paulus, & de conſec. di.* IV. *c.* II. *& illud Rom.* VII. *Video aliam legem repugnantem legi mentis meæ.* Tum iſtud: *Sydera ipſa non ſunt munda in conſpectu ejus.* Subdit: *Noſtra tranſlatio habet Cœli non mundi: Job* XV.

An ſit terminus ultra quem augeri gratia quis non poſſit.

Quia etiam dicunt dicti Begardi, quod tantum poteſt homo creſcere in gratia in hac vita, quod amplius creſcere non valebit, falſum eſſe non dubium eſt, quia ſcriptum eſt in pſalmo LXXXIII. *& de pœn. di.* II. *Dum ſanctam: Ibunt de virtute in virtutem, uſquequo, videatur Deus deorum in Sion; ideſt in gloria ſempiterna, ubi Dominum ſpeculabimur facie ad faciem. Joan. cap.* XVII. *contra etiam verbum Ambroſii in ſermone reſurrectionis de ſanctis dicentis: Quis enim in hac vita tam mundus, qui amplius mundari non poſſit, magis magiſque mundandus non ſit? & ſequitur poſt: Ut tanto ſint fœcundiores; quanto fuerint mundiores. Et contra hoc etiam eſt illud Apoc. cap. ultimo: Et qui juſtus eſt juſtificetur adhuc* XLVII. *di. Quantumlibet; & illud Salomonis proverb.* IV. *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit & creſcit uſque in perfectum diem, de pœn. d.* II. *Juſtorum ſemita, poſt c. Non revertebantur; vocat autem perfectum diem, ſcilicet gloriæ ſempiternæ.* Et

Probatur non dari terminum hujuſmodi.

infra: *Quis in hac vita ad tantum gradum perfectionis pervenit, ad quantum pervenit mater Dei? & tamen ſemper in ea crevit gratia & meritum uſque ad mortem, quia ſemper gratia utebatur recte & virtuoſe vivendo: & credo, ſalva eccleſiæ veritate, quod ſi domina centum millibus annorum vixiſſet in hac vita, in fine illorum dierum perfectior extitiſſet, quia nulla creatura ſic eſt plena gratia, quin amplius repleri valeat, excepto illo homine in Chriſto Deo unito, qui ab inſtanti conceptionis omnibus chriſmatibus divinis & Spiritu ſancto pleniſſime plenus fuit, quia non fuit ſibi datus Spiritus ad menſuram Jo.* III. *& ibi: De plenitudine ejus omnes accepimus Jo.* I. *& ibi: pleum gratiæ & veritatis.* Et multis interjectis de plenitudine gratiarum in Chriſto, ſubdit: *Hi ergo miſeri Begardi, qui ſe juſtificant & plenitudinem Spiritus ſancti ſe habere credunt, ſimiles aliis hæreticis ſunt, & de eadem infecta ſtirpe deſcendunt, qui Cataphrygii dicuntur, de quibus* XXIV. *q.* III. *Quidam. verſ. Cataphrygiis: mundos enim ſe facientes, immundiſſimi ſunt; immundus eſt enim apud Deum omnis, qui exaltat cor ſuum, de pœn. di.* II. *Si enim, ille enim vere eſt immundus qui ſe videt mundum, & ille mundus qui ſe videt immundum.* Et infra: *Iſaias cum vidit Dominum exercituum, tunc ſe immundum vidit, & dixit: Væ mihi quia vir labiis pollutus ego ſum & vidi Dominum exercituum Iſai.* VI. *Iſti ergo miſeri Begardi, ſicut dicit Gregorius, quo peccatores ſe eſſe non credunt, eo deteriores peccatores ſiunt XLV. di. Vera juſtitia, &c.*

Demonſtratur exemplo Virginis & theſauro infinito divinæ gratiæ.

Begardi plenitudine Spiritus ſancti ſe potiri jactabant.

Infelix eorum ſtatus.

Secundus error Begardorum eſt, quod jejunare non oportet hominem vel orare poſtquam gradum ultimum perfectionis fuerit aſſecutus, quia tunc ſenſualitas eſt ita perfecte ſpiritui & rationi ſubjecta, quod poteſt homo libere corpori concedere quidquid placet. Sed iſte error fundatus in errore ſpiritus libertatis (de eo ſuperiori anno a Clemente confutato plura dicta ſunt) *facile extirpatur, ſi veritas attendatur: nam certum eſt, quod quamdiu quiſque in hac vita eſt, quantumcumque perfectus ſit, caro contra ſpiritum concupiſcit. Galat.* V. *& Rom.* VII. *Video autem aliam legem in membris meis, &c. & iterum ibi: Non enim quod volo bonum hoc facio &c.* XXXII. *q.* V. *Si Paulus. Ergo ſemper neceſſaria eſt abſtinentia & jejunium impetum carnis refrænans, unde* I. *Corinth.* IX. *Caſtigo corpus meum, &c. etiam* II. *Corinth.* XI. *In jejuniis multis & vigiliis multis; unde Bernardus: Velis nolis intra fines tuos habitat rebuſæus.* Nonnulliſque interjectis de duobus hujuſmodi hypocritis Minoritis hoc narrat: *Vidi duos fratres noſtros ſanctitatis nimiæ famam habentes, dicentes ſe guſtum in comedendo per-*

Damnarunt jejunia & orandi laborem.

Confutantur ex Apoſtolo.

Duorum hypocritarum fraudes.

perdidiſſe, & in cibis ſaporem non invenire: qui tamen re vera ſemota hypocriſi plus de bono vino, quam de malo bibebant, & pro eis ſpecialiter quærebatur & emobatur; & qui plus de bona coquina, carnibus & piſcibus & fructibus, quam de malis: immo nec communibus contenti erant, ſed ſpecialia quærebant & habebant, facta verbis contraria oſtendentes, in verbis mendacibus gloriantes. Vere malus ſpiritus eſt ſpiritus gaſtrimargiæ & periculoſus, quia janua vitiorum. Et infra: *Iſti etiam Begardi tacite in alium errorem videntur incidere Jovinianiſtarum, nullum diſcrimen facientes inter abſtinentes & laute epulantes,* XXIV. *q.* III. *Quidam verſic. Jovinianiſtæ. Et ideo non dicant quidam: Perfecti ſumus, dimittamus abſtinentias & jejunia, & teneamus vitam communem aliorum, quia gulam vicimus. Vere tales non victores gulæ, ſed victi a gula ſunt, quia etſi quod intrat per os non coinquinat hominem, ut Matth.* XV. *& omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione recipitur,* I. *ad Timoth.* IV. *& quod dictum eſt Petro: Quod Deus purificavit, tu ne commune dixeris, act.* X. *ab omni tamen ſpecie mali & occaſione abſtinendum eſt,* I. *ad Theſſal. ult. extr. de Simon. Audivimus. Et iterum Paulus* I. *ad Cor.* IX. *Qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet. Et quis eſt iſte elatus, qui ſe agonem iſtum credat viciſſe? cum vas electionis dicat ad Rom.* VII. *Quis me liberabit de corpore mortis hujus,* XXXII. *q.* V. *Si Paulus.* Et infra:

Argumenta lenocinantium carni.

Refelluntur.

Begardi orare ſemper ajunt, & orandum negant.

Iſti miſeri Begardi quomodo ſibi ſint contrarii, attendat quiſque fidelis. Dicunt ſe continue orare & debere orare, & ideo non poſſunt nec debent manibus laborare: & iidem dicunt, quod perfectus vir orare non tenetur. Vere Deo & ſibi contrarii ſunt, & ideo non ſunt audiendi XXII. *q.* II. *Quam præpoſterum* XXIII. *q.* VII. *Quod autem extr. de appell. Solicitudinem in fi. ubi de hoc. Mendaces ſunt, & de ſpiritu libertatis carnalis ſunt, quia quanto quis perfectior, tanto cogente Spiritu ſancto, ut ita loquar, orationaliter, & ad Deum mente & corpore devotior & illuminatior.* Et infra: *Iſti etiam dicentes ſibi licere concedere corpori quidquid placet, non viderunt textum eos expreſſe confundentem* IV. *di. Denique in fi. ubi dicitur: Vinum ergo ita bibere permittitur, ut ebrietatem omnino fugiamus; alioquin reſtat, ut & omnia quæ corporibus libent, ſimiliter faciamus, unde & Alexander ad Didymum: Ea quæ voluntas ſibi vendicat honeſtate plerumque negamus admittere: dedit nobis multas natura blanditias, quas plerumque virtus cohibet.*

Indulgent omnia concupiſcentiæ.

Coercendam eſſe demonſtratur.

Tertius error Begardorum eſt, quia dicunt, quod illi qui ſunt in prædicto gradu perfectionis & ſpiritu libertatis, non

ſunt humanæ ſubjecti obedientiæ. Contra iſtum errorem extra, de renunt. Niſi de §. Sed dices de reg. licet, de elect. Generali §. Illos l. VI. *& quia eccleſia iſta ordinata ad inſtar eccleſiæ triumphantis, ubi eſt unus monarcha, cui omnes obediunt, apocal.* XXI. *exod.* XXV. *in fine extr. de ſent. exc. c.* I. *in Clem. de elect. Significaſti. Nec ad aliqua præcepta eccleſiæ obligantur, quia, ut dicunt, ubi Spiritus Domini, ibi libertas, Gal.* V. XIX. *q.* II. *Duæ.* II. *Cor.* III. Et infra: *Quod autem iſte ſit error, patet per teſtamentum vetus & novum: in lege enim veteri præcipiuntur occidi, qui imperio ſacerdotis, vel principis, vel parentum inobedientes ſunt. De primo deut.* XVII. *Qui ſuperverit nolens obedire ſacerdotis imperio morietur, extr. Qui ſi. ſint legit. Per venerabilem §. Rationibus.* Et infra: *Præterea conſtat, quod Chriſtus voluit eſſe loco ſui *, & vicem ejus gerere Matth.* X. *& Luc.* X. *Qui vos audit, me audit, &c.* Et: *Qui vos recepit, me recepit,* XXI. *diſt. In novo teſtam. &* VIII. *q.* I. *Qui vos ſpernit. Obediendum ergo fuit Apoſtolis ſicut Chriſto tamquam ejus vicariis, maxime Petro primo & præcipuo, ut præ. c. In novo. A ſimili & eorum ſucceſſoribus obediendum eſt, unde ſi quis diceret, obediendum Chriſto, ſed non ejus vicariis, Ergo Chriſtus non ſufficienter eccleſiæ providiſſet; poſtquam cœlos aſcendit, quod falſum eſt, extra de homicid. Pro humani li.* VI. *ubi de hoc: non enim remanſit eccleſia ſine capite loco Chriſti, ut ibi, quia corpus Chriſti myſticum eccleſia eſt,* XXIII. *q.* V. De Liguribus; *quod ſine capite non eſt extr. de off. ord. Quoniam in pleriſque. Si quis autem diceret obediendum eſſe bonis prælatis, non malis, falſum diceret contra illud Matth.* XXIII. *Supra cathedram Moyſi, &c.* I. *q.* I. *Non quales* XIX. *diſt. Secundum &* I. *Petr.* II. *Servi ſubditi eſtote, &c. non tantum bonis, ſed etiam diſcolis* XI. *q.* III. *Julianus* XXIII. *q.* I. *Quid culpatur. Si enim tantum bonis eſſet obediendum, juriſdictio eccleſiæ nihil haberet certitudinis, neſcitur enim quis eſſet bonus vel malus, eccleſ.* IX. *Neſcit homo utrum amore vel odio ſit dignus. Item juriſdictio eccleſiæ nihil haberet ſtabilitatis, ille enim qui eſt bonus in momento ſit malus, & e converſo; quia ſecundum Job.* XIV. *mutatur homo, & nunquam in eodem ſtatu permanet, de con. di.* V. *Ne tales. Præterea ſicut pictor fœdus facit pulchram imaginem, ſic malus prælatus bonum præceptum: ſi autem præcipiat quod malum eſt, ut peccatum, obediendum non eſt; unde Auguſtinus ſupra illud Rom.* XIII. *Qui poteſtati reſiſtunt, ipſi damnationem acquirunt; Si ille jubeat quod non debet facere, hic ſane contemne poteſtatem timendo poteſtatem majorem.* Et infra:

* *Apoſtolos*

Excuſſum ab his eccleſiæ humanæ obedientiæ jugum.

Spreta eccleſiæ præcepta.

Arguuntur erroris ex veteri teſtamento, & ex novo.

Objectio an ſit obediendum nefario præſuli.

Probatur obediendum.

Diſtinguitur de præcepto impio, quod ſpernendum.

Fundamentum erroris Begard. convellitur. Præcepta ecclesiæ esse sancta ostenduntur.

Quod vero dicunt dicti Begardi, quod postquam perfectus est quis, ad nulla præcepta ecclesiæ obligatur; certum est esse erroneum manifeste sicut apparet XIV. *q.* I. *Quod præcipitur. Item canones ab ecclesia editi Spiritu sancto dictante editi sunt* XXV. *c.* I. *Violatores* II. *ad Timoth.* III. *ibi: Omnis scriptura divinitus inspirata, &c. Et* II. *Pet.* I. *c. in fi. ibi: Sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Ergo quilibet est obligatus ad eos servandos sicut præcepta Dei. Ad hoc* XXV. *q.* I. *Nulli fas, & c. Prima salus, & c. Generali decreto.* Et infra: *Quia Deus per ecclesiam nobis loquitur secundum illud Matth.* X. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis; & Hierem.* I. *Ego ero in ore tuo, & si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris, Hier.* XV. *Rursus quod dicunt Begardi & allegant pro se verbum Pauli* II. *ad Cor.* III. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas; & Galat.* V. *ibi: Quia si Spiritus Dei ducimini, non estis sub lege, &* XIX. *q.* II. *Duæ sunt. Sed ipsi cœci & carnales æquivocant libertatem, isti enim carnales totaliter, qui sunt proprie de illis hæreticis de spiritu libertatis, de peccato sibi conscientiam non faciunt; dicunt enim: Modo est tempus tertium Spiritus sancti; distinguunt enim totum tempus a creatione mundi usque ad consummationem sæculi in tria tempora, & dicunt quod primum tempus creationis usque ad Christum fuit tempus Patris, secundum tempus ab incarnatione Christi usque ad adventum Spiritus sancti, fuit tempus Filii & tempus redemptionis, a missione Spiritus sancti usque ad finem mundi est tempus Spiritus sancti & tempus libertatis ad faciendum quidquid homini libet, nec reputant hic aliquid malum esse. Sed iste error eorum est periculosior omnium, quia alium errorem includit, qui ab antiquis hæreticis originem traxit, & in istis temporibus novissime propinquis perditionis filio antichristo multum invaluit & invalescit & invalescet. Unus enim ex eis dixit, non est diu, qui erat ex episcopatu Tudertino, sicut fuit probatum per testes me ibi existente, quod nihil aliud erat infernus, nisi non facere propriam voluntatem; & paradisus non erat aliud, nisi facere in omnibus propriam voluntatem, & uti in omnibus propria libertate. De peccato ergo aliquo conscientiam aliquam sibi non faciunt, maxime de peccato carnis, sicut patet extr. de hæret. Ad nostrum, in* VII. *errore, & dicam infra in §. septimo: propter quod omnes sunt immundi, sicut manifestum est per eorum proprias confessiones & fideles attestationes habitas in diebus meis, maxime in partibus Lombardiæ, & in provincia ducatana, quæ est provincia B. Francisci. Caput autem istius sectæ spiritus libertatis istis temporibus fuit Dulcinus Lombardus, qui fuit combustus cum quadam sua meretrice in Lombardia prope Vercellensem civitatem.* Fuisse instauratorem sectæ illius & propagatorem Dulcinum, magistrum autem habuisse Segarellum * Parmensem pseudomonachum, qui legem spiritus antiquaturam Christi evangelium vaticinatus fuerat, atque ad confirmandam hæresim plura ex abbatis Joachimi scriptis detorserat, ex quo etiam Petrus Joannis Olivi sua deliria mutuatus sit, superiori anno ex Guidone (*a*) Elnensi episcopo, Eymerico (*b*) & Joanne Card. Turrecremata (*c*) observatum est. Ex quo facile colligas hosce Bizochos, Begardos, pseudoapostolos, Dulciniſtas seu Libertinos, & alios plura fuisse unius hydræ capita ex eodem nempe Waldensis impietatis monstro progerminasse; quamvis singulares quique errores confinxerint. Pergit Alvarus.

Quis ejus auctor fuerit, Dulcinus sectæ illius instaurator. * al. Segnerellum

(*a*) *Guid. Sum. de hæref.* (*b*) *Eym.* 2. *p. direct. q.* 12. (*c*) *Turr. Sum. p.* 2. *l.* 4. *c.* 37.

Begard. argumenta pro laxando libidini fræno.

Isti sunt quos litera sacræ scripturæ occidit II. *Corinth.* III. *male & carnaliter per eos intellecta, & spiritus, cujus libertatem allegant, non vivificat, quia ad literam intelligere volunt verba scripturæ de libertate loquentia ad suas fœditates nefarias confovendas.* Et infra: *Circa istum errorem sciendum est, quod duplex servitus in scriptura invenitur. Una est servitus legis, quæ ex timore pœnæ operatur, de qua Galat.* V. *in fine: Itaque fratres jam non sumus filii ancillæ, sed liberæ. Est alia servitus peccati, de qua Jo.* VIII. *dicit Dominus: Qui facit peccatum, servus est peccati; & Matth.* VI. *non potestis servire Deo & mammonæ; quicumque enim passioni obedit, servus est passionis, quia cum gratia præcedente potest homo passionibus dominari & subjicere obedientiæ rationis; unde genes.* IV. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius; & act.* XX. *Non facio animam meam, idest animalitatem, idest sensualitatem, de qua extr. de hæreticis ad nostrum in Clement. pretiosiorem quam me, scilicet rationem & intellectum; quasi dicat: Possum per rationem sensualitati dominari. Vera ergo & prima libertas est secundum Augustinum, carere criminibus: verus liber, quem Dei Filius liberavit ps.* XXXVII. *quia inter mortuos, scilicet peccato, liber, Christus a peccato liberos facit, quod peccatum ipse portavit super lignum crucis* I. *Petr.* II. *Ut peccatis mortui justitiæ vivamus; & liberando nos a peccato, servos fecit justitiæ & virtutis. Servi eramus cupiditatis, liberati servi efficimur charitatis. Non ergo, ut dicit Augustinus in dicta homilia, dicat Christianus: liber sum, in libertatem vocatus sum: servus eram, sed redemptus sum & in ipsa redemptione liber factus sum: faciam quod volo, nemo me prohibeat a voluntate mea, si liber sum. Sed si ista vo-*

Respondetur ad argum. Begard. Duplicis servitutis distinctio.

Fundamentum eorum impium.

Servitus appetitus libertatem constituit.

Begardi cujusdam de inferno & paradiso sententia.

Quæ vera libertas sit.

Secta libertatis spiritus.

De ea Augustini sententia.

voluntate & libertate peccatum facis, servus es peccati: Noli ergo libertate uti ad peccandum libere, sed utere ad non peccandum, erit enim voluntas tua libera si fuerit pia; eris liber si fueris servus, liber peccati, servus justitiæ, dicente Apostolo ad Rom. VI. *Cum servi essetis, &c.* Et infra: *Quia ergo spirituales quantum est possibile peccata cavent, non sunt sub lege puniente scelera, sed sub gratia eos ut virtuosos coronante. Sic etiam intelligitur illud Apostoli* I. *Timoth.* I. *Justo non est lex posita, &* Galat. V. *Quia si spiritu Dei ducimini, non estis sub lege; idest sub timore legis, quia sicut dicitur Gala.* III. *lex posita est contra transgressionem prohibendam & etiam puniendam: justus vero potius servit amore justitiæ, quam timore pœnæ; unde super prædicto verbo, Justo non est lex posita, dicit Bernardus: Alia est lex promulgata a spiritu servitutis in timore, alia a Spiritu libertatis data in suavitate; nec sub illa coguntur filii, nec sine ista vivere patiuntur. Vis audire, quia justis non est lex posita? Non accepistis, ait, spiritum servitutis iterum in timore, Rom.* VIII. *Vis audire, quod sine charitatis lege non sunt? Sed accepistis, inquit, Spiritum adoptionis filiorum Dei,* XXIII. *q.* IV. §. *Ex iis. Aperte non dicitur, justi non habent legem, aut justi sunt sine lege: sed justis non est posita lex, hoc est non tanquam invitis posita, sed voluntariis, eo liberaliter data quo suaviter inspirata, quia ipsi habentes legem naturalem & evangelicam in cordibus eorum scriptam, Rom.* II. *præcepta Domini & consilia observant.* Et infra: *Unde dicebat sancta Agatha: Summa ingenuitas hæc est, in qua Christi servitus comprobatur, &c.* Plura adduntur in hanc sententiam, ex quibus confirmatur Apostoli oraculum: *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas;* & ubi spiritus Domini non est, ibi infelicissima servitus, quamvis libertatis involucro subornata. Tum subdit auctor.

Explanatio verborum Ap. circa libertatem justi.

S. Agathæ sententia.

An illi posita lex.

Begardi servi concupiscentiæ fuerunt.

Begardi ergo isti, contra quos superius disputavi, redeant ad Spiritum Domini, & non carnis, si veram habere desiderant libertatem: sed spiritu fornicationis decepti sunt ipsi & eorum consimiles, sicut expresse dicitur Oseæ VI. *Spiritus fornicationis in medio eorum, & Dominum non cognoverunt; quia sicut experti fumus his temporibus, finis talis spiritus libertatis, qui hodie currit, caro est & non spiritus. Tempore meo in provincia B. Francisci multi sæculares & fratres Minores pro isto carnali spiritu libertatis per inquisitores hæreticæ pravitatis incarcerati fuerunt: inter quos fuit quidam frater noster, qui propter perfectionem, quam ostentabat, apostolus dicebatur, qui ibi caput fuit istius erroris; qui, cum essem novitius & consulerem eum, credens eum virum perfectum, super quadam mea tribulatione subridens dixit mihi, quod ipse tribulari non poterat. Quod verbum non intelligens, ipsum mirabilem hominem reputavi: sed cum captus esset pro isto spiritu libertatis, intellexi verbum suum occultum, quod ideo non poterat tribulari, quia faciebat quidquid sibi caro & sensualitas suggerebat, servus carnis, liber a justitia. Iste in carcere fratrum mortuus fuit Florentiæ, si vere pœnitens, nescio. Tales valde spirituales videbantur, in lucis angelum transformati* II. *Cor.* XI.

Multi Minoritæ hac hæresi infecti. De quodam Begard. Minorit. qui Apostoli nomen traxerat.

Begardor. error circa visionem beatificam.

Quartus error istorum Begardorum est, quod homo potest finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti vita consequi, sicut eam in vita obtinebit beata. Error iste, nullum colorem habens a scriptura divina, destruitur expresse a Domino, cum dicit Matth. XI. *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in regno cœlorum, major est illo; ubi Augustinus: Regnum cœlorum appellavit hic, quod nondum accepimus, de quo in fine dicturus est Matth.* XXV. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum; quia ibi sunt angeli, quorum minor major est quolibet justo portante corpus, quod corrumpitur & aggravat animam; & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, sap.* IX. *Item ibi Hieronymus: nos autem simpliciter intelligamus, quod omnis sanctus, qui jam est cum Domino, major sit illo, qui adhuc constitit in prælio: aliud est enim coronam victoriæ possidere, aliud adhuc in acie dimicare. Non potest ergo clarius, quam per hæc verba textus & Augustini & Hieronymi tolli iste error, quia cum Joannes perfectissimus esset, etiam ab utero Spiritu sancto repletus, Luc.* I. *non tamen beatitudinem minimi beati in patria potuit attingere.* Et infra: *Præterea secundum Apostolum* I. *ad Cor.* XIII. *Videmus nunc per speculum & in ænigmate, idest in obscuritate: ænigma est vestigium Trinitatis in creaturis, Rom.* I. *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, alia glo. idest in hac vita, tunc scilicet in patria facie ad faciem; sed secundum Gregorium etiam ipsa Dei cognitio amor est, qui autem clarius videt, purius diligit quem purius cognoscit. Merces autem secundum Augustinum tota visio est, Jo.* XVII. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Nunquam ergo tali beatitudine potest perfrui & tanta, qui in ænigmate Deum videt, sicut qui facie ad faciem; unde Dominus ad Moysem exod.* XXIII. *Posteriora mea videbis, scilicet in hac vita, idest in ænigmate me cognosces, quia qui retrosiat non plene hominem cognoscit, &c.* Plura

Refellitur ex divinis oraculis.

Probatur sperari visionem beatificam in cœlo.

Non conferri in hac vita mortali.

ra non addimus, cum inferius mota in ecclesia de visione beatifica animarum separatarum controversia a nobis amplissime hæc illustranda sint. Pergit Alvarus.

Error circa felicitatem creaturæ intellectualis.

Quintus error istorum Begardorum est, quod quælibet intellectualis natura seipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum. Error autem iste connexus est illi alteri errori Pelagianorum, de quo XXIV. *q.* III. *Quidam vers. Pelagiani, dicentium sufficere voluntatem hominis sine aliqua gratia ad adimplenda jussa divina, contra illud Joannis* XV. *Sine me nihil potestis facere.* Et infra: *Si autem isti Begardi intelligunt de natura intellectuali angelica, quod seipsa naturaliter est beata, falsum est, quia nullus naturaliter est bonus essentialiter & beatus, nisi solus Deus, qui essentialiter & originaliter & perfecte & effective & naturaliter est beatus. Joan.* X. *Ego sum pastor bonus, & Matth.* XIX. *illud Marc.* X. *Luc.* XVIII. *Quid me interrogas de bono? unus est bonus Deus; ubi Origenes: Quando enim declinamus a malo & facimus bonum, quantum ad comparationem cæterorum hominum dicitur bonum quod facimus; quantum autem ad veritatem, secundum quod hic dicitur: Unus est bonus; bonum nostrum non est bonum: beatus autem quisque esse non potest, nisi sit bonus; unde Boethius: Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: est autem Deus solus essentialiter bonus, quia bonitas sua est sua essentia. Originaliter, quia bonitatem suam non habet ab alio, sed a seipso; quia ipse non est ab alio, sed a se, unde psal.* CI. *Tu autem idem ipse es. Perfecte: quia nil mali, vel defectus, aut diminutionis consistit in illo. Effective, quia omne bonum derivatur ab eo, cum sit ipse fons indeficiens omnis boni, de pœn. d.* I. §. *Hoc idem Jaco.* I. *Omne datum, &c. Naturaliter, quia natura ejus summe & plus quam potest intelligi bona incommutabiliter, & incorrupta. Nulla autem creatura potest habere, nec habet quinque prædictas bonitatis conditiones, etiam angelica creatura, nedum humana.* Et infra: *Cæterum quod dicunt secundario in isto errore, quod anima non indiget lumine gloriæ, ipsam elevante ad Deum videndum & eo beate fruendum; falsum est & contra illud expresse psal.* XXV. *Et in lumine tuo, scilicet Filii, ergo non nostro, videbimus lumen, scilicet Patris. Præterea esto quod anima habeat lumen gratiæ, non tamen habet lumen gloriæ, quia tunc lumine gloriæ non egeret.*

Probatur seipsa felicem non esse.

Lumen gloriæ animæ ad visionem Dei necessarium

Hæc dignitas soli Deo reservata.

Infana & pugnans Begardorum assertio.

Sextus error istorum Begardorum est, quod se exercere in actibus virtutum est hominis imperfecti, & perfecta anima intelligat a se virtutes. Istum errorem, qui etiam surgit de spiritu libertatis, reprobat & confundit tota vita Christi & sanctorum omnium perfectorum, qui se in actibus virtuosis continue exercitarunt. Et infra: *Item Apostolus* I. *ad Timoth.* IV. *hortatur Timotheum virum perfectum ad exercitium virtutis, dicens: Exerce te ipsum ad pietatem, &c.* XLII. *in fin. in eod. cap. Ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Nunquid Paulus perfectus erat? qui dicebat ad Philipp.* IV. *Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus disciplinæ hæc cogitate, quæ accepistis, & audistis, & vidistis in me, &c. Quis enim scit se esse perfectum, ut licentiare possit virtutum actus? certe nullus,* I. *Cor.* IV. *de pœn. d.* II. *Si enim, inquit, vers. nos autem juxta, & di.* III. *Adhuc instant ad fin. & de purg. can. c. fi. Item quomodo licentiari potest virtus, quia necesse est, si virtus est, quod sit in habitu aut in actu, nec cum est in actu habitus ejus perditur? Unde Augustinus de bono conjugali: Virtutes animi aliquando in opere manifestantur, aliquando in habitu latent: si autem non est in habitu nec in actu, virtus non est, nam virtus est habitus mentis bene constitutæ.* Et infra: *Item quomodo potest fieri quod virtus possit licentiari, quin desinat esse virtus? quia aut virtus exercebitur interius per desideria illius, virtutis & cogitationes & meditationes sanctas, aut exterius per opera bona. Si neutro istorum modorum, virtutis nomen amittit, & sine virtute remanet anima; virtutes enim sunt velamina animæ, de pœn. d.* II. *Sapiens nunquam inanis est sub* §. *Romanos, & c. Ut cognoverunt, & c. Illa anima, & c. Similem. Quomodo ergo imago Dei & similitudo est in anima licentiante virtutes? non Dei imago, sed diaboli est, virtute vacua & vitio succedente, &c.*

Probatur spectare ad perfectos virtutum opera.

Marcent virtutes in otio.

Septimus error Begardorum est, quod osculum mulieris, cum ad hoc non inclinet natura, est mortale peccatum; actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maxime cum tentatur exercens. At contra Alvarus: *Oscula, amplexus, & tactus non sunt mortalia nec venialia de se, cum possint fieri bona intentione, ut pro pace danda, vel ratione consuetudinis, maxime inter consanguineos juxta mores provincialium.* Et infra: *Si vero osculum detur ex libidinoso animo, vel tactus fiat, mortale est, quia etiam non solum tactu sed aspectu & affectu, etiam sine aspectu appetit & appetitur concupiscentia mulierum, Matth.* V. XXXII. *q.* V *Nec solo, & c. Qui viderit.* Et infra: *Item inclinatio naturæ vel non inclinatio non facit peccatum, sed perversa*

Spurca Begardorum axiomata.

Quando oscula sint peccatum & quando non.

sa voluntas & inordinata, commutans bonum incommutabile in commutabile, & præponens delectationem creaturæ Creatori, quod est peccare secundum Augustinum; & quia inclinatio non cogit peccare, quia tunc non esset peccatum, XV. *q.* I. §. I. *Sed; & si natura inclinet, maxime ad peccatum carnis, non minus peccans suo arbitrio noxius est, de pœn. di.* II. *Si enim, vers. c. liberi arbitrii post* IIII. *column. Quia vero dicunt isti animales Begardi, quod actus carnalis non est peccatum, cum ad hoc natura inclinet, hoc dicunt quia sunt de spiritu libertatis, ut opus exerceant carnalitatis & bestialitatis: nam inter alia præcepta negativa in decalogo mœchia prohibetur, cum dicit Dominus exod.* XX. *Non mœchaberis.* Et infra: *Item Apostolus* I. *ad Thessalon.* IV. *ibi: Ut abstineatis vos a fornicatione. Item Apostolus ad Galat.* V. *præmissa fornicatione ait: Qui autem talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Ad idem Tobiæ* IV. *Attende tibi ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam non patiaris crimen scire; crimen autem mortale importat.* XXV. *di.* §. *Criminis* LXXXI. *di. c.* I. *extr. de pœni. & remis. Deus. Item deuteronom.* XVIII. *Non erit tibi meretrix;* I. *Cor.* VI. *Fugite fornicationem, &c.*

Vetitam fornicationem ostenditur.

Hæresis contra dignitatem Eucharistiæ.

Octavus error Begardorum est, quia dicunt, quod in elevatione corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec ei reverentiam exhibere, asserentes quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate & altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa mysterium seu sacramentum Eucharistiæ aut circa passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent. Error autem iste tollitur per illud, quod scribitur ad Philipp. II. *Quod in nomine Jesu omne genu flectatur, extra de immun. eccl. decr. lib.* VI. *extr. de celeb. miss. Sane, de consecr. di.* II. *Nihil.* I. *q.* I. *Multi. Item Christus ille panis est, de cons. di.* II. *Christus panis est: sed Christus dominus est, Jo.* XIII. *Si ego Dominus & magister; huic autem domino genuflectendum est, Micheæ* VI. *Quid dignum offeram Domino? Curvabo genu Deo excelso. Immo nedum corpori Christi, sed etiam cum legitur evangelium, curvari, debemus de cons. d.* I. *Apostolica. Item in psal. XCVIII. Dominus regnavit, irascantur populi, ibi: Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est; de Christi humanitate exponit Augustinus & expressum de cons. di.* II. *Accesserunt vers. nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Item ad Hebræos* I. *Et cum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei; & in psal. XCVI. Adorate eum, scilicet Filium, omnes angeli ejus, scilicet Patris. Item cum quilibet fidelis teneatur omni anno communicare,*

Impietas alia adversus passionem Christi.

Demonstratur adorandam Eucharistiam.

Jo. VI. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, &c. de con. di.* II. *Prima, cum cap. præced. extra de pœni. Omnis; quia & Apostolis summæ perfectionis hoc dixit Dominus: Hoc facite in meam commemorationem; Luc.* XXII. *de cons. dist.* II. *Iteratur & ext. de reliquiis Si Dominum in Clem. eadem ratione tenetur ipsum adorare etiam adoratione latriæ, ut probat Aug. in præ. vers. Adorate scabellum pedum ejus, & præ. cap. Accesserunt; quia caro Christi conjuncta divinitati adoratur latria, in quantum in creatura, hyperdulia: de qua latria legitur & no. de cons. di* III. *Venerabiles. Item magi procidentes adoraverunt eum, Matth.* II. *& leprosus Matth.* VIII. *ibi, Adorabat eum, ubi Origenes: Antequam peteret, adorare cœpit, cultum ostendens; & Chrysostomus super Matthæum: Non enim illum petebat quasi hominem artificem, sed adorabat, quasi Deum; oratio autem perfecta est fides & confessio, unde leprosus fidei opus adorans implevit: sed opus confessionis implevit in verbis, unde adorabat eum dicens: Domine; & ille cæcus illuminatus, Joan.* IX. *in fine.*

Hæreticorum argumentum dissolvitur.

Quod autem dicunt isti maledicti, quod caderent a perfectione suæ contemplationis, si de carne Christi aut de passione ejus aliquid cogitarent; insanum est manifeste & diabolicæ arrogantiæ, quia videndo corpus Christi vident Deum per fidem & divinitatem ejus, quæ conjuncta est carni Christi; unde Jo. XIV. *Qui videt me videt & Patrem; & : Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, Luc.* X. *& Jo.* XVI. *Sicut nos unum sumus extr. de summa Trin. c.* II. §. *Rursus. Et quæ major & purior contemplatio, quam cogitare Deum passum in carne, ad cujus memoriam est illud sacramentum principaliter institutum? unde Dominus: Hoc quotiescumque feceritis, in meam commemorationem facietis, Luc.* XXII. *de cons. di.* II. *Iteratur, ext. de reliq. & venet. sanctorum. Si Dominum, in Clem. Unde.* I. *Petr.* IV. *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini; & ad Hebr.* XII. *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem; &c. Thren.* III. *Recordare paupertatis & transgressionis meæ, absynthii & fellis. Sed quomodo hi impii possunt contemplari divinitatem, nisi & ibi Filium contemplentur, qui est una essentia cum Patre? quia est id quod Pater, Pater enim Filio dedit id quod est; unde dicit Filius Jo.* X. *& extr. de summa Trin. c.* II. §. *Licet: Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus est: si autem Filium Dei contemplantur, Deum de Deo, ut in symbolo Nicæno, quod cantatur in missa, contemplari eos necesse est, si recte credunt, eundem Filium hominem de Maria natum,* XXII. *di. Qui episc. de cons. dist.* III. *c. fin. extr. de summa Trin. c.* I.

Passio Christi pie recolenda.

& in

& in aliis symbolis fidei orthodoxæ, sed istius Dei & hominis illa vera caro sacrosancta, quæ conficitur in altari, unde Augustinus: De carne Mariæ carnem accepit, & eandem carnem ad manducandum dedit ad salutem, de conſ. di. II. Acceſſerunt. Non ergo deſcendunt a contemplatione perfecta adorando carnem illam unitam inſeparabiliter Verbo, ſed aſcendunt illum Deum hominem piiſſimum contemplando; nihil enim ſic hominem ad Deum trahit & ad Deum allicit, ſicut Deum hominem contemplando. Et infra: *Nam Filius Dei, cum ſit Deus perfectus, totus, non conciſus, non diviſus, quia indiviſibilis eſt, incarnatus eſt, quam incarnationem tota Trinitas operata eſt, ut in præ. c. Omnis & extr. de ſumm. Trin. c. 1. § Hæc ſancta & tota in hoc altiſſimo. Per comitantiam tres etiam perſonæ ibi ſunt per eſſentiam, per potentiam, per præſentiam, ſicut in omni creatura, tamen non ſunt ibi ſub ſacramento & ratione ſacramenti, ſed ſola perſona Filii incarnati, quia nec Pater nec Spiritus ſanctus incarnatus eſt, ſed Filius de conſ. III. c. fin. & hoc ſacramentum de Filio eſt, & pro incarnatione & paſſionis memoria ejus fit, de conſ. diſt. II. Iteratur &c. In Chriſto Pater, & ext. de reli. & ven. ſanctor. Si Dominum, & Clem. Et per communionem inviſibilem veraciter eſt, & per unionem, ut no. de conſ. diſt. II. Hoc eſt quod dicimus & cap. Comperimus. Si igitur hi Begardi Chriſti carnem vere manducare deſiderant, ipſam carnem veraciter adorent, quia dicit Aug. in pſal. XXVII. Nemo autem ipſam carnem manducat, niſi prius adoraverit. De conſ. di. II. Acceſſerunt.*

Ut filius Dei ſit in ſacramento. Ut perſonæ Patris & Spiritus ſancti ſint in ſacramento.

In Urbe in quodam monaſterio ſanctimonialium S. Laurentii Panisperneæ, in quo illo tempore manebam, erat quidam Theutonicus, qui multum ſpiritualis videbatur: mihi fuit accuſatus de iſto errore, quod corpus Chriſti non adorabat, quando elevabatur, & in prædicatione tetigi iſtum errorem contra Begardos, de quorum numero ipſe erat, & tunc aderat, quem correxi ad partem de illo errore; qui nullam pacem habebat, quando tangebam in meis prædicationibus illos Begardos, quia lupus erat in fabula, nec me libenter videbat: vili habitu ſe tegebat, & lacrymas habebat. Sæpe diabolus apparentes lacrymas adminiſtrat & raptus (ſcripſi ſupra §. Feminarum c. 45. in iſta ſecunda parte) & ſe contemplativum & guſtantem reputabat.

De hypocrita, qui Euch. non adorabat. Ut illuſus eſſet a dæmone.

Inſignis eſt ea, quam memorat hiſtoria, & confirmat plures hoc tempore hæreticos inani ſanctitatis ſpecimine a dæmone deluſos: *Unam*, inquit, (*a*) *ego cognovi habentem raptum ad placitum & fornicariam in occulto ad libitum, cujus poſt mortem ejus filiam vidi monacham, quam de fornicario habuerat, quæ mihi illud faci-*

(*a*) *Lib. 2. c. 45.*

De meretrice ecſtaſes diabolicas patiente.

nus revelavit matris, quam longo tempore pro ſancta deceptus honoraveram, & multa illi loca, ubi ipſa ſtabat, quando eram in ſæculo, dederam præ devotione quam ad eam habebam: in qua fui deceptus cum plurimis aliis de illa provincia; nec ego ſolus & alii inferiores, ſed multi prælati & ſancti religioſi, & multi etiam Cardinales: in qua recte ſe transfiguraverat angelus tenebrarum in angelum lucis II. Cor. XI. XXVI. *q.* V, *Epiſcopi.* Ejuſmodi hypocritarum illius temporis flagitia perſtrinxit Clemens, dum poſt recenſitos ſuperiores Begardorum errores ſubdit (*b*).

(*b*) *Clem. ad noſtrum de hæret.*

De hypocritarum ejus temporis ſpurcitiis.

Nonnulla etiam alia ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie dicunt, faciunt, & committunt, quæ oculos divinæ majeſtatis offendunt, & grave in ſe continent periculum animarum. Ad quæ excindenda mala hæc decernit: *Nos ſacro approbante concilio ſectam ipſam cum præmiſſis erroribus damnamus & reprobamus omnino, inhibentes diſtrictius, ne quis ipſos de cætero teneat, approbet, vel defendat: eos autem, qui ſecus egerint, animadverſione canonica decernimus puniendos.* Addita imperia, ut præſules Begardos, ac Beguinas in jus vocarent, fideique cenſuram in eos exercerent: illam vero negligenter habitam queritur Alvarus Pelagius. (*c*) Cæterum nonnulli ex his aliique novi errores partim majori impudentiæ & infamiæ apparatu in Lolhardis, qui infecere Germaniam, partim ſub pietatis ornatu in Fraticellis repullularunt. Cum vero emergerent hoc tempore in Lugdunenſi & Biſuntina diœceſibus nefandæ hæ, aut aliæ ex Waldenſi ſtirpe monſtrorum feraci hæreſes, quæ multos ſua labe infecerant; Pontifex ad eas excindendas Geraldum de Auſona Dominicanæ familiæ religioſum virum, zelo divinæ gloriæ ardentem, ſacræ fidei cenſorem creavit: qui cum munus impoſitum exequi eſſet aggreſſus, nonnulli ipſi obſtirere, alii auxilium flagitanti opera defuere. Qua de re certior factus Clemens earum provinciarum viris principibus, ac magiſtratibus dedit imperia, (*d*) exaratis Viennæ idibus martii literis, ut publica illum auctoritate ad hæreticos delendos armarent. Porro ad hæreticorum errores diſſipandos, tum ad obſoleſcentem ſenſim fidelium pietatem excitandam Clemens Urbani IV. literas de ſervanda ac magna inſtruenda pompa feſti corporis Domini feria quinta ab octava pentecoſtes recurrente celebritate diploma renovavit, ſuiſque inſeruit literis. (*e*) Ad diſcutiendos pariter omnes errores, quos hæretici circa humanitatem Chriſti offunderent, fidei catholicæ veritas illuſtrata eſt.

(*c*) *Alvar. ſuperior. c. 45.*

In Lugdunen. & Biſuntina provinciis graſſata hæreſis.

Cenſorem fidei ſua auctoritate fulcire magiſtratus juſſi.

(*d*) *Lib. 7. ep. cur. 16.*

Inſtaurata corporis Domini celebritas a Clem.

(*e*) *Clem. ſi Dominum de reliq. & vener. ſanctor.*

Tum Petrus Joannes Olivi Minorita, (*f*) qui præter alios errores ex aliis hæreſiarchis petitos male circa generationem

(*f*) *Vrad. in annal. hoc anno n. 4.*

Ver-

(*a*) *Clem. Fidei cat. de ſumm. Trin. Guid. Car. ſum. de error. Petri Joan. Jo. Tur. ſum. de eccl. p. 2. l. 4. c. 36. Eymer. 2. p. direct. q. 25. Pegna comm. 40. Ant. 3. P. tit. 21. c. 3. §. 1.*

De duabus in Chriſto naturis & unitate perſonæ.

Verbi ſenſerat, & Chriſtum dominum adhuc vivum lancea perfoſſum effutierat, ac Joannem evangeliſtam invertiſſe ordinem hiſtoriæ, damnatus. Quæ in Clementina hiſce verbis expreſſa ſunt (*a*).

Fidei catholicæ fundamento, præter quod teſte Apoſtolo nemo poteſt aliud ponere, firmiter inhærentes, aperte cum ſancta matre eccleſia confitemur, unigenitum Dei Filium in iis omnibus, in quibus Deus Pater exiſtit, una cum Patre æternaliter ſubſiſtentem, partes noſtræ naturæ ſimul unitas (ex quibus ipſe in ſe verus Deus exiſtens fieret verus homo) humanum videlicet corpus paſſibile & animam intellectivam ſeu rationalem, ipſum corpus vere & per ſe & eſſentialiter informantem, aſſumpſiſſe ex tempore in virginali thalamo ad unitatem ſuæ hypoſtaſis & perſonæ: & quod in hac aſſumpta natura ipſum Dei Verbum pro omnium operanda ſalute non ſolum affigi cruci & in ea mori voluit, ſed etiam emiſſo jam ſpiritu, perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum, ut exinde profluentibus undis aquæ & ſanguinis, formaretur unica ac immaculata ac virgo ſancta mater eccleſia conjux Chriſti, ſicut de latere primi hominis ſoporati Eva ſibi in conjugium eſt formata; ut ſic certæ figuræ primi & veteris Adæ (qui ſecundum Apoſtolum eſt & forma futuri) in noſtro noviſſimo Adam in Chriſto veritas reſponderet. Hæc eſt, inquam, veritas illius prægrandis aquilæ vallata teſtimonio, quam propheta vidit Ezechiel animalibus cæteris evangelicis tranſvolantem, B. Joannis videlicet Apoſtoli & evangeliſtæ. Detrahere Petrus Joannis ſcripturæ auctoritati ex libidine mentiendi moliebatur, quem vt hæreticum exagitat Guido Carmelita (*b*) his verbis: *Non credens, vel dubitans de veritate evangelii certa, & quæ per evangelium credenda proponitur, eſt hæreticus, & quia dubius in fide infidelis. Sed quod Chriſtus fuerit mortuus lanceatus eſt veritas evangelica expreſſe, quæ per evangelium credenda proponitur; dixit enim Joannes: Ille ſcit, quia vera dicit, ut & vos credatis. Igitur hoc credere nolens, vel dubitans, vel alia expoſitione pervertens hanc veritatem, eſt infidelis hæreticus; præſertim cum huic veritati nihil etiam apparet obvium, immo ei concors ſanctorum ſententia ſamulatur. Auguſtinus enim ſuper Joan. hom. XVII. dicit: Ad Jeſum autem cum veniſſent, viderunt eum mortuum, & non fregerunt ejus crura; ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua. Vigilanter verbo evangeliſta uſus eſt, ut non diceret, latus ejus percuſſit, aut vulneravit, aut aliquid aliud; ſed aperuit, ut illic quodammodo panderetur, unde ſacramenta eccleſiæ manaverunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera vita erat, non*

(*b*) *Guido de hæreſ. c. 3. de hær. Petri Jo.*

Chriſto mortuo, veram aquam & ſanguinem fluxiſſe e latere.

Probatur Patrum auctoritatibus.

intratur. Ille ſanguis in remiſſionem effuſus eſt peccatorum. Aqua illa ſalutare temperat poculum: hoc lavacrum præfigurabat, & poculum hoc prænuntiabat, quod Noe in latere arcæ oſtium facere juſſus eſt, quo intrarent animalia, quæ non erant diluvio peritura, quibus præfigurabatur eccleſia. Propter hoc prima mulier facta eſt de latere dormientis, & appellata eſt Eva & vita per matrimonium vivorum: magnum quippe ſignificavit bonum ante magnum prævaricationis malum. Hic ſecundus Adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei conjux, quæ a latere dormientis effluxit. O mors unde mortui reviviſcunt! Quid iſto ſanguine mundius? quid iſto vulnere ſalubrius? Et qui vidit ait, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus, & ille ſcit quia vera dicit, ut & vos credatis. Et Ambroſius lib. de ſacramentis: Didiciſti ergo hoc? accipe aliud. In tempore item dominicæ paſſionis, cum ſabbatum magnum intraret, quia vivebat dominus noſter Jeſus Chriſtus inter latrones, miſſi ſunt, qui percuterent eos: venientes autem invenerunt defunctum dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Tunc unus de militibus lancea tetigit latus ejus, & de latere ejus aqua effluxit, ut emundaret, & ſanguis ut redimeret. Theophil. ſuper Joannem dicit: Milites gentiles, ut Judæis placeant, lanceant Chriſtum, circa corpus exanime contumelias inferunt; ſed contumelia in ſignum prodiit: ſanguinem enim & aquam de corpore extincto manare miraculoſum eſt. Cum ergo ita patres cum evangeliſta conſentiant, impia fuit temeritas Petri Joannis, pſeudoprophetam agendo, hæc negare. At ejus ſequaces illum excuſare niſi ſunt huc mendacio, ſcilicet quod in textu B. Matthæi ſecundum correctionem S. Hieronymi reperiatur, Chriſtum adhuc vivum fuiſſe lancea trajectum. Sed a Guidone arguuntur mendacii: *Iſti*, inquit, *hæretici patenter dicunt falſum, quod Hieronymus in hoc correxerit evangelium Matthæi, quia ſecundum Hieronymum Matthæus non eſt locutus de lanceatione Chriſti, ſed tantum Joannes.* Hunc tamen errorem, quamvis ſola fingendi libidine niteretur, a Petro Joanne hauſiſſe Fraticellos, refert Eymericus (*c*).

Sequaces Petri Joannis convicti mendacii.

(*c*) *Eym. 2. p. direct. q. 15. error 39. Pegna com. 4.*

XIX.

Jactatum etiam fuerat a Petro Joanne Olivi, animam rationalem formam humani corporis non eſſe. Qui error, cum veritati catholicæ adverſaretur, diſertis hiſce verbis ſublatus a Pontifice, atque omnes illius quæſtionis nodi abſciſſi: *Doctrinam* (*d*) *omnem, ſeu poſitionem temere aſſerentem, aut vertentem in dubium, quod ſubſtantia animæ rationalis aut intellectivæ vere ac per ſe humani corporis non ſit forma, velut erroneam ac veritati catholicæ fidei inimicam, ſacro approbante concilio, re-*

(*d*) *Ead. Clem. Si Dominum.*

Definitum animam rationalem eſſe formam corporis.

reprobamus definientes, ut ſi quiſquam deinceps aſſerere, defendere, ſeu tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis ſeu intellectiva non ſit forma corporis humani per ſe & eſſentialiter, tanquam hæreticus ſit cenſendus. Refellit pluribus Guido Carmelita (*a*) hunc errorem Petri Joannis ſumptum ex Averroe Saraceno philoſopho, negante animam intellectivam eſſe formam corporis, ac tetrius venenum, quam externa ſpecie videatur in eo contineri, colligit; neque vero agi de anima rationali ſub reduplicatione nugaci, & diſtinctione ſecundum potentiam, ſed quod ſecundum eſſentiam ſit forma corporis: *Negare*, inquit, *animam rationalem eſſe partem eſſentialem & formam corporis, eſt hæreticum, quia tunc homo non eſſet formaliter per aliquid ſui divini capax præcepti, nec eſſet tranſgreſſor nec obſervator, nec juſtus nec peccator, nec mereretur nec demereretur, nec præmiaretur nec damnaretur, cum hæc conveniant homini per animam rationalem, quæ habet intellectum & voluntatem, & liberum arbitrium; quia non poſſunt convenire homini, qui non eſt formaliter homo per animam rationalem, ſi non ſit forma corporis.* Et infra: *Per hoc*, inquit, *negatur meritum & demeritum in homine, neceſſitas ſacramentorum, & peccatum & virtus: negatur totale fundamentum fidei & fides ipſa, quæ præcipitur habenda hominibus, & vita æterna, & ſalutaris adventus Chriſti in carnem, & adventus in judicium, & miſſum Spiritum ſanctum ad ſanctificandum homines, & cætera quæ fide creduntur, ſi homo non habeat tanquam veram & eſſentialem formam animam rationalem per eſſentiam: unde pernicioſiſſima eſt hæc hæreſis.*

(*a*) *Guido in ſum. de hæreſib. Petri Jo. Oliv.*

Quanta impietas latuerit in contraria aſſertione.

XX. Diſceptantibus etiam nonnullis theologis, an infantibus, cum baptiſmo luſtrarentur, infunderentur virtutes habituales, cum nullo fructui fore viderentur, contenderent alii futuras animarum ornamento; in eam partem deſcendit concilium, ut rationis uſum in infantibus, quo eas Deus influeret, non expectari profiteretur, dum baptiſma unicum eſſe definivit: *Baptiſma unicum, baptizatos omnes in Chriſto regenerans, eſt ſicut unus Deus ac fides unica ab omnibus fideliter confitendum, quod celebratum in aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti credimus eſſe tam adultis quam parvulis communiter perfectum remedium ad ſalutem. Verum quia quantum ad effectum baptiſmi reperiuntur doctores quidam theologi opiniones contrarias habuiſſe, quibuſdam ex ipſis dicentibus per virtutem baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri; aliis e contra aſſerentibus, quod & culpa eiſdem in baptiſmo remittitur & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum; nos attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti, quæ per baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem ſecundum, quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in baptiſmo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem & dictis ſanctorum, ac doctorum modernorum theologiæ magis conſonam & concordem, ſacro approbante concilio, duximus eligendam.* Ad aſſerendam hanc ſententiam contra Petri Joannis ſectarios pluribus diſputat Guido, (*b*) ac licet actus fidei, ſpei, & charitatis infantes elicere non poſſint; infundi tamen habitus oſtendit, eoſque omnibus baptiſmi effectibus potiri, cum illi non ponant obicem, & communis ſit in parvulis & adultis baptiſmi efficacia: *Primus*, inquit, *effectus baptiſmi eſt remiſſio peccati, quia per baptiſmum baptizatus moritur peccato & vivit Deo per novitatem vitæ: unde Rom.* VI. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ejus baptizati ſumus.* Et infra: *Ergo cum dicat, quicumque baptizati, patet quod generaliter loquitur de efficacia baptiſmi reſpectu cujuſcumque, ſive parvi ſive magni, qui obicem non ponit: & ita effectum quem baptiſmus habet in adulto quoad mortem culpæ & novitatem vitæ, habet etiam in parvulo. Sed in adulto habet remiſſionem & effectum remiſſionis peccati, & habet novitatem vitæ per gratiam & fidem & charitatem qua fide juſtus vivit. Ergo hunc effectum habet in parvulo.* Et infra: *Item effectus baptiſmi, tam in parvulis quam in adultis eſt, ut baptizati induant Chriſtum, quia Apoſtolus generaliter Gal.* III. *dicit: Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis; quod non ſolum convenit adultis; ſed etiam parvulis. Et hac eadem ratione & modo loquendi Auguſtinus illud Apoſtoli accipit Rom.* VI. *Quicumque baptizati ſumus, &c. convenire parvulis & adultis; ut patet enchirid. c.* XLIII. *ergo qui negat in baptiſmo parvulis conferri gratiam & fidem quoad habitum, negat, quod parvuli baptizati induant Chriſtum, quia Chriſtum nemo induit niſi per gratiam & fidem tamquam bonus. Licet enim ut gloſſa dicit & eſt ſumptum ab Auguſtino libro de baptiſmo parvulorum, aliqui habent ſacramenti perceptionem, quod commune eſt bonis & malis, aliqui vitæ ſanctificationem, quod proprium eſt bonis; ſanctificatio autem vitæ eſt per gratiam & fidem. Et hunc ſenſum tangit Apoſtolus ibi, dicens: Omnes filii Dei eſtis per fidem in Chriſto Jeſu; gloſſa & vere filii Dei eſtis, nam quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Ergo in baptiſmo, ſi parvuli non induunt Chriſtum per gratiam & vitæ ſanctificationem, per baptiſmum non induunt Chriſtum ut boni, quod eſt hæ-*

reti-

Opiniones duæ quando infundantur virtutes baptizatis.

Laudata ea, quæ parvulis una cum baptiſmo infundi docet.

(*b*) *Id. Guido ib.*

Omnes effectus baptiſmi parvulis conferuntur.

Petrus Joannis plurium aliarum hæreſum auctor.

reticum dicere. Præter memoratos autem errores, a Petri Joannis ſequacibus propugnatos, flexu temporum compertum eſt plures alios ab eodem conflatos, vel ex aliorum hæreſiarcharum officina eductos in lucem: de quibus quando gliſcenti malo obviam itum eſt a Clementis ſucceſſore, agendum erit inferius, exuſtaque ejus oſſa & opera decretoria ſententia videbimus. Nunc reliqua concilii Viennenſis geſta percurrimus.

XXI. Damnati fœneratores.

Damnatus in eo eſt error nefarius, qui adeo favebat avaritiæ, ut uſuras puras eſſe a peccato contenderet: ne autem latius in exitium fortunarum & animarum ſerperet, hoc decreto exciſus (*a*): *Si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum; locorum nihilominus ordinariis & hæreticæ pravitatis inquiſitoribus diſtrictius injungentes, ut contra eos, quos de errore hujuſmodi diffamatos invenerint aut ſuſpectos, tanquam contra diffamatos vel ſuſpectos de hæreſi procedere non omittant.*

(*a*) *Clem. ex gravi de uſuris Ant. 3. p. tit. 21. c. 3. §. 1.*

Sancita inquiſitio in hæreticos.

Ad delendas reliquas hæreſeon veterum peſtes, vel novas, quas emergere contingeret, extinguendas, ſacræ fidei cenſoribus atque epiſcopis collata a concilio plurima auctoritas, (*b*) ut in notatos ea labe animadverterent, & carceres ad eos tenendos in vinculis conſtrui juſſum eſt. Repreſſi etiam Saraceni, qui in Chriſtianorum locis, præſertim in Hiſpania, Mahometis nomen execrandum certis horis e locis celſioribus inclamabant: ac principes catholici ſcandalum adeo atrox tollere, & peregrinationes ſuperſtitioſas ad Mahometis ſepulcrum, incuſſo pœnarum metu, prohibere juſſi (*c*). Quo vero Chriſtiana religio inter infideles latius propagaretur, atque in eccleſia Dei viri docti, qui Hebraicam & Chaldaicam linguas ad convincendos Judæos, Arabicam ad Saracenos erudiendos callerent, verſarentur ſancitum eſt, (*d*) ut publica earum linguarum gymnaſia in omnibus locis, in quibus aula pontificia verſaretur; tum in florentiſſimis academiis Bononienſi in Italia, in Galliis Pariſienſi, Oxonienſi in Anglia, in Hiſpania Salmaticenſi, aperirentur.

(*b*) *Clem. Multorum de hær.*

Saraceni in Hiſp. reprimi jubentur.

(*c*) *Clem. edit. de Judæis & Sarac.*

Ling. Hebraicæ & Arabicæ ſcholæ aperiri juſſæ.

(*d*) *Clem. Inter de magiſtris.*

XXII. In ſumptus belli ſacri indictæ ſexennales decimæ.

At cum non verbis modo, ſed etiam ferro defendenda eſſet religio, atque infidelium Chriſtianos opprimentium retundenda perfidia, inclinarentque omnium vota, ut terra ſancta e Saracenorum poteſtate eriperetur; affulgerent etiam præclaræ ſpes, ex inſula Rhodo recenter ſubacta in Syriam magno fructu rei Chriſtianæ bellum illatum iri, indicta eſt (*e*) expeditio ſacra; decretæque (*f*) a patribus ſexennales decimæ ex omnibus eccleſiaſticis vectigalibus in ſacri belli ſumptus recudendæ. Alebant ſane ingentia recuperandæ Paleſtinæ conſilia Reges, atque inter cæteros Henricus (*g*) Romanorum Imperator magnas dabat ſpes; Philippus vero Francorum, Eduardus Anglorum, Ludovicus Navarrorum Reges, ut teſtatur Pontifex, in concilio coram patribus poſt ſexennium in Syriam ducturos exercitum ſe obſtrinxere: (*h*) quod publico edicto (*i*) promulgatum.

(*e*) *Lib. 8. ep. cur. 115. & 215.*

(*f*) *Lib. 7. ep. com. 7.*

Philippus Rex Franc. ad oriental. ſuſcipiendam expedit. ſe obſtringit.

(*g*) *Henric. in lit. apud Rebdorf. Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. §. 8.*

(*h*) *Lib. 8. poſt ep. 125. & ep. com. 78.*

(*i*) *Lib. 8. poſt ep. cur. 127.*

Clemens, &c. ad perpetuam rei memoriam.

In concilio Viennenſi, eodem approbante concilio, in ipſius terræ (quæ peculiaris præclara noſtri Salvatoris hereditas eſt, in qua cœli Regem Virgo puerpera genuit, quam etiam Redemptoris noſtri pretioſiſſimus cruor pro humani generis redemptione perfudit, in qua poni meruit ſepulcri dominici fundamentum, & quam reſurgens Chriſtus a mortuis reſurrectionis gloria multipliciter illuſtravit) ſuccurſum generale paſſagium duximus ordinandum: ad quod, cum noſtris (operante illo, cujus negotium agebatur, qui animos Regum & principum, prout & quando vult, devotionis igne ſuccendit ad ſalubrium exercitium actionum) chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Philippi Francorum, Eduardi Angliæ, Ludovici Navarræ Regum illuſtrium, & dicti Regis Franciæ & aliorum filiorum & fratrum concurrentibus votis & animis, ipſi & quamplures alii duces, comites & barones, nobiles & potentes ad vindicandas noſtri Redemptoris injurias, ad liberandam terram ſanctam de Agarenorum manibus, quæ peccatis exigentibus nunc eorundem pollutis pedibus conculcatur; nec non & pro ſuorum remiſſione peccatorum ſe tranſituros in dictæ terræ ſubſidium in eodem paſſagio per votum aſſumptæ crucis ſpecialiter obligarunt, &c. Affulgebat orienti nova ſpei lux: ſed cum paucis poſt annis tum Clemens, qui ea promovebat magno ardore conſilia, tum Henricus Imperator ac Philippus Francorum Rex e vivis exceſſiſſent, & alios principes implicuiſſent, mutuæ diſcordiæ, illius expeditionis apparatus diſcuſſus eſt, exactæque a clero decimæ, nec tamen Syria e Saracenorum poteſtate erepta: at de his ſuo loco. Jam cætera in concilio geſta perſequamur.

XXIII. Eccleſiaſtica diſciplina reſtituta.

Ad reſtituendam eccleſiaſticam diſciplinam plura a patribus decreta, & qui cæteros cenſura notarent, omnium primi a ſe ipſis ea, quæ aliorum offenderent oculos, amovere juſſi. Caſtigati itaque præſulum exceſſus (*k*), atque ii repreſſi antiſtites, (*l*) qui religioſos viros opprimerent. Clerici ab indignis muneribus, gerendiſque armis abducti, (*m*) juſſi decoro veſtitu incedere (*n*). Revocati etiam ad ſanctioris vitæ genus monachi (*o*).

Exorta inter Franciſcanos controverſia

(*k*) *Clem. Frequens de exceſſ. prælat.*

(*l*) *Ib. & Clem. Ad noſtrum, de cenſibus, &c.*

(*m*) *Clem. Diœceſanis 1. de vit. & hon. Cler.*

(*n*) *Clem. Quoniam tit. eod.*

(*o*) *Clem. Ne in agro de ſtatu monach.*

tum dirempta; (*a*) ipsis enim in contrarias partes divisis, cum alii asperius vitæ genus amplecterentur ac sodales violatæ præscriptæ a S. Francisco vivendi formulæ arguerent; de quibus hæc Bernardus: (*b*) *Pars una fratrum Minorum, qui spirituales dicebantur, contra alteram tumultuans & altercans privatim & publice contendebat, & judicium sedis Apostolicæ postulavit.* Ea itaque dubia sententia apostolica diremit, (*c*) ne aliquorum animæ nimia religione torquerentur.

(*a*) *Lib. 7. ep. cur. 117.*

(*b*) *Ber. chr. Rom. Pont.*

(*c*) *Clem. Exivi de verb. sign. & super. ep. 117. Stero in annal.*

Clemens, &c.

Cum in primis ex eo quia in regulæ prædictæ principio habetur: Regula & vita fratrum Minorum hæc est, scilicet domini nostri Jesu Christi sanctum evangelium observare, vivendo in obedientia sine proprio, & in castitate. Item infra: *Finito vero anno probationis recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper & regulam observare.* Item circa finem regulæ: *Paupertatem & humilitatem ac sanctum evangelium domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus. Fuit hæsitatum an fratres ejusdem ordinis ad omnia tam præcepta quam consilia evangelii ex professione suæ regulæ teneantur, quibusdam dicentibus quod ad omnia, aliis autem asserentibus quod ad sola tria illa consilia, videlicet vivere in obedientia, in castitate, & sine proprio, & ad ea quæ sub verbis obligatoriis ponuntur in regula obligantur; nos circa hunc articulum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, ipsumque articulum quoad aliquid clarius prosequentes, dictæ hæsitationi duximus respondendum, quod cum votum determinatum cujuslibet habeat cadere super certo, vovens regulam non potest dici teneri ex vi voti hujusmodi ad ea consilia evangelica, quæ in regula non ponuntur. Et quidem beati Francisci conditoris regulæ hæc probatur fuisse intentio, ex hoc, quod quædam evangelica consilia in regula posuit, aliis prætermissis. Si enim per illud verbum: Regula & vita fratrum Minorum hæc est, &c. intendisset eos ad omnia, consilia evangelica obligare, superfluæ & nugatorie quædam eorum, suppressis cæteris, in regula expressisset, &c.* Pluribus eandem sententiam illustrat, atque alia de servandæ a Minoritis paupertatis modo, de quo graves dissensiones erant exortæ, definit. *Dat. Viennæ* II. *non. maii pontificatus nostri anno* VII.

Quid definitum.

(*d*) *Alvar. Pel. de Pla. eccl. l. 2. c. 55. & ex eo & aliis auct. Nitela Fran. q. 17. censur. 15.*

(*e*) *Jo. 22. in constit. Quia vir reprobus Ann. Chr. 1329.*

Observandum est, sanctionem hanc a Clemente editam eo flexu temporis, quo concilium celebrabatur, non tamen latam in concilio, seu a concilio confirmatam, ut aliqui perperam tradidere, (*d*) immo ne quidem in ea ferenda rogatam Cardinalium sententiam, ut Joannem Papam promulgasse (*e*) visuri sumus, dum mendacia Michaelis Cæsenatis erroresque refellit: is enim pro constabilienda hæresi circa evangelicam paupertatem, qua negabat Christum & Apostolos jus ullum in communi vel in speciali in iis, quibus usi sunt obtinuisse, mentiebatur id a Nicolao definitum. Hoc mendacium cumulabat alio, eandem definitionem a concilio Viennensi confirmatam. His errorem alium astruebat, ea quæ in conciliis statuta sunt, ab alio Pontifice solvi non posse, atque his mendaciis & erroribus calumniam hæreseos Joanni XXII. imponebat. Ejus vero constitutionis hisce verbis abutebatur: *Sanctum evangelium observare sine proprio;* quasi vita evangelica seu perfectio in eo constaret, ut nil proprium, sive jus ullum in communi vel in speciali in rebus, etiam ad vitam necessariis, haberetur. Ad cujus argutias refellendas responsum a Joanne XXII. nil tale pronuntiatum a Nicolao; neque constitutionem ejus, *Exiit*, confirmatam a concilio Viennensi; neque Clementinam, *Exivi de Paradiso*, in Patrum cœtibus latam: tum constitutiones synodales solvi a Pontificibus posse, eas nimirum quæ fidei decretum non continent: impudentissimum autem esse mendacium, synodum Viennensem contrarium decretum sanctioni, *Cum inter nonnullos*, edidisse. De quibus iterum fusius suis locis agetur. Alia nunc Clementis decreta percurramus.

XXIV. Emendationum excessus. Feminæ de divinis temere disserere vetitæ.

(*f*) *Clem. Attendentes de statu monac.*

(*g*) *Clem. Cum de relig. dom.*

(*h*) *Clem. Quia, tit. eod.*

(*i*) *Clem. Si quis suadente de pœnis.*

Moniales etiam, quæ conditionis suæ oblitæ in vestibus delicias, in comis lenocinia sectabantur, atque admodum a sanctitatis cultu deflexerant, ad regularem disciplinam constrictæ (*f*). Coercita (*g*) nonnullarum feminarum temeritas, quæ vitæ sanctioris genus, non tamen ab ecclesia approbatum, professæ de rebus divinis disceptare ad insaniam non verebantur. Xenodochia ut pauperes humaniter exciperent, nec eorum dissiparentur bona, constitutum. (*h*) Laici, qui episcopos capere, cædere, aut pellere in exilium auderent, gravissimis pœnis deterriti. (*i*) Censuris etiam alii impliciti, (*k*) qui ecclesiasticos inferioris dignitatis viros insigni aliqua injuria afficerent. Ne censuræ ecclesiasticæ temere infringerentur, ab improborum contemptu vindicatæ (*l*). Ut pœnitentiæ sacramentum extremo afficiendis supplicio ministraretur jussum, (*m*) atque crudelis abusus, quo judices necare etiam animas in nonnullis provinciis nitebantur, sublatus. Editæ etiam in eodem concilio plures aliæ constitutiones, e quibus superiora delibasse sufficerit.

(*k*) *Clem. Multorum, tit. eod.* Reis pœnitentiæ sacram. conferri jussum.

(*l*) *Clem. Ex frequ. de sent. excom. & Clem. Gravis, & cum ex eo tit. eod.*

(*m*) *Clem. Cum secundum de pœnit. & remiss.* De tollendis exemptionibus actum.

Agitatum (*n*) in eodem concilio est de revocandis exemptionibus, restituendoque episcopis vetere jure in religiosas familias, quæ in ipsorum diœcesibus agerent. Magnum ex infando Templariorum in vitia turpissima & idololatriam lapsu argumentum petebatur (*o*), cum ii epi-

(*n*) *MS. Vat. sign. n. 4109. pag. 260.*

(*o*) *In cod. MS. pag. 257.*

Sumpta ex Templariorum exemptorum lapsu occasio.

ii episcoporum imperio & auctoritate soluti, agente longe Pontifice, nullius censuram pertimuissent, ac prærogativas & exemptiones, quibus muniti fuerant, in audaciæ argumenta flagitiorumque munimenta convertissent. Afferebantur etiam ab episcopis variæ querelæ in exemptos, a quibus episcopalis ordinis auctoritatem contemni, pluraque contra fas sub exemptionum clypeo pertentari expostulabant. Inter alios insignis præsul in suo libello Clementi V. porrecto, ex quo plura antea a nobis allata (*a*), hæc adversus exemptos in concilio discutienda proposuit (*b*).

Allatæ ab episcopis in exemptos plures querelæ.

(*a*) *An. C. 1311. n. 55.*

(*b*) *MS. bibl. Vat. sig. n. 4177.*

De excessibus exemptorum, & injuriis & præjudiciis, quæ & quas prælatis & personis ecclesiasticis & aliis inferunt in grave periculum animarum, non est sub silentio transeundum: ipsi enim (licet super hoc per sanctissimum patrem dominum Bonifacium summum Pontificem pro parte sit provisum) publice excommunicatos a suis ordinariis ad sacramenta & sacramentalia admittunt in suis ecclesiis & capellis. In eisdem etiam dispensationes clandestinas & benedictiones, quamquam inter personas excommunicatas, aut consanguinitate, vel affinitate conjunctas, seu alias personas matrimoniali vinculo confœderatas celebrare non verentes. Quod sæpe vidi referre: dum enim causa matrimonialis inter aliquas personas coram ordinario verteretur, causa recte examinata & discussa, jamque in januis sententia existente, unaque persona pro constanti alteri adjudicari deberet, illa cui matrimonii conditio non placebat, cum alia persona damnabiliter contrahebat, & in capellis aliquorum exemptorum benedictionem nuptialem clandestine fieri procurabat. Et dum a talibus excessibus & aliis enormibus flagitiis, de quibus non est dicendum per singula, ab ordinariis arguuntur, de sua exemptione confisi reddunt pro verbis humilibus verba tumida & superba; & personæ sic conjunctæ (ut est dictum) cum gravi animarum periculo & scandalo plurimorum, in incestuoso adulterio vel adulterino concubinatu permanentes, tandem ad barathrum dilabuntur. Et ut breviter concludam, non est qui eos corrigere valeat, confidenter delinquunt, & ad multa facinora frena laxant.

Arrogantia in præsules.

Item pensiones & procurationes antiquas, quas ex antiqua consuetudine, vel inita conventione cum prælatis, exhibere tenentur eisdem, contumaciter solvere contradicunt. Item res & jura ecclesiarum, & aliarum personarum maxime ecclesiasticarum, quotidie occupant, usurpant, & invadunt: & dum dicti prælati aliæque personæ, maxime ecclesiasticæ, quod agunt non habeant, dum per censuram ecclesiasticam eos coercere non possunt, jura sua amittere compelluntur, cum tædiosum sit & onerosum quotidie contra ipsos ad sedem Apostolicam habere recursum.

Temeritate invadendis prælatum & ecclesiasticorum juribus.

De majoris monasterii monachis.

Item cum priores majoris monasterii per diversas provincias & diœceses constituti de antiqua & inveterata consuetudine, cujus memoria non existit, prælatis ordinariis locorum procurationes seu pensiones loco procurationum exhibere consueverunt, denuo prætextu ejusdem privilegii a domino Bonifacio (ut asserebant) concessi, rum tacita veritate & falsitate subjecta, ut a multis creditur interpretari, easdem solvere contradicunt, & prælatis ad prioratus suos accedentibus juxta morem vi armata & armati cum suis complicibus resistentes, eisdem prælatis & suis sequacibus ausu temerario, immo furioso, mortem inferre conantur, sicut in pluribus est compertum: quod scio dictum summum Pontificem non latere, qui dum in minori statu ageret, talia sæpe vidit, & quid bonæ memoriæ dominus Bonifacius super hoc senserit & declaraverit, magis novit.

Quæ a monachis responsa.

Conquesti sunt vicissim monachi de episcopis, ac pertimuere religiosæ familiæ, ne si communi episcoporum juri subiicerentur, monastica disciplina collaberetur: nec spes affulgere videbatur eam restitutum iri ab episcopis, quorum diligentia emendandis sacerdotum sæcularium moribus defuisset. Ad tuendam igitur causæ suæ æquitatem religiosi viri commentarios ad confutanda adversariorum argumenta composuere: inter quos Jacobus abbas Cistercienſis insignem edidit redegitque in hoc compendium.

Editi in ea controversiæ commentarii.

Incipit compendium (*c*) *tractatus fratris Jacobi abbatis Cistercienſis ordinis, silvanectensis diœcesis, contra impugnantes exemptionem, ab eodem editum in Vienna tempore generalis concilii.*

(*c*) *MS. bibl. Vat. sign. n. 2109. p. 260.*

Quia in paucioribus veritas magis *, *ut exemptionum materia, eam breviter perstringendo, plenius elucescat, per modum epilogi seu compendii quædam alibi diffusius pertractata intendo probabiliter ostendere, quod exemptiones & libertates privilegiorum cum magna maturitate, & deliberatione provida a sanctis patribus summis Pontificibus concessas religionibus approbatis, in quibus vigent & regunt homines literati, decet & expedit ad promotionem observantiæ regularis, ac profectum & honorem sacrosanctæ Romanæ & universalis ecclesiæ inviolabiliter conservari: & quod earum revocatio prædictæ sedi Romanæ atque connexioni universalis ecclesiæ multipliciter derogaret. Ad cujus intelligentium pleniorem considerandum occurrit, quod cum unumquodque ex eisdem causis, ex quibus suam entitatem sortitur, trahere debeat suam bonitatem & nobilitatem, expedientiam & commendabilitatem, ex quatuor causis potest exemptionum & privile-*

* *omittet*

Jacobus abbas Cistercienſis contendit exemptiones ritè institutas.

Ex quatuor causis id deducit.

giorum modo præfato bonitas, nobilitas, expedientia, & commendabilitas rationabiliter declarari. Unicuique finis est causa causarum, ideoque est impossibile agens absolvi ab intentione finis: ideo primo ostendetur propositum ex ratione causa finalis, secundo ex habitudine causæ efficientis & originalis, tertio ex decentia & pulchritudine causæ formalis, & quarto ex convenientia & necessitate causæ materialis. Prima via sumpta ex impedimentorum & gravaminum amotione. Secunda ex cultus divini & operum ad vitam contemplativam & activam spectantium ferventi ampliatione. Tertia via sumitur ex potestate summi Pontificis, ac sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ conservatione & elucidatione. Quarta via sumpta ex multiplici fructus quantum ad universalem ecclesiam, & totum populum Christianum, evidenti consecutione.

De finali intenta in exemptionibus.

Prima igitur via sumpta ex parte causæ finalis, sic patet, quia unicuique rei ordinatæ ad aliquem finem expedit removere impedimenta, per quæ posset a consecutione sui finis aliqualiter impediri: religiosi autem ad observantiam trium votorum regularium generaliter & singulariter obligantur, a quorum observantia per multiplices vexationes, injurias, violentias, expoliationes, monasteriorum gravamina, forenses citationes, appellationum indebitarum ad fugam disciplinæ regularis, frivolas acceptationes sententiarum, injustas & indebitas fulminationes, intrusionum & simoniarum multimodas prævitates, quas a suis ordinariis ante eorum exemptiones & privilegiationes sustinebant, erant modis innumeris & intolerabilibus impediti, sicut adhuc in non exemptis & non privilegiatis rei evidentia manifestat. Ex quibus omnibus sequitur, quod ad modum removentis prohibens, formam contrariam expellendo, exemptiones & privilegia expediunt observantiæ regulari.

Ut monachi ante exemptiones ab episcopis vexati fuerint.

Iis instructi tranquillius rei divinæ possint vacare.

Secunda via sumpta ex parte causæ finalis sic patet, quia illud expedit statui perfectionis religiosorum, per quod devotius, convenientius, frequentius, & perfectius possint vacare divino servitio pro vivis & mortuis persolvendo, operibus vitæ activæ & contemplativæ sine interruptione perseverantius insistentes: ad hos autem fratres exemptiones & privilegia religiosorum principaliter ordinantur. Ex quo sequitur, quod expedit exemptiones & privilegia inviolabiliter observari. Et has duas vias tangit Gregorius summus Pontifex & doctor egregius, qui & monachus religiosus fuit, & vitam B. Benedicti scripsit, pluraque monasteria religiosorum de suo proprio patrimonio fundavit, scribens Castorio Ariminensi episcopo, ut habetur XVIII. *q.* II. *c. Luminoso, ubi dicitur sic: Luminoso abbate referente, plurimis in monasteriis a præsulibus præjudicia atque gravamina monachos pertulisse cognovimus: oportet ergo, ut tuæ fraternitatis provisio de futura quiete salubri disponat ordinatione, quatenus observato in illis Dei servitio, gratia illius suffragante, mente libera perseverent. Unde perseverat in illo, quod episcopus non potest ibidem aliquam potestatem exercere imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendo; & sequitur in fine: Ut, semotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa devotione perficiatur. Nec supponitur quod his diebus sint episcopi majoris sanctitatis & perfectionis, nec majoris zeli pro divino cultu conservando & ampliando, quam fuerunt tempore B. Gregorii, qui eorum abusus & oppressiones prævidens, dictas exemptiones instituit & indulsit.*

B. Gregorii de ea re auctoritas.

Potestas summi Pontificis in exemptionibus enitescit.

Tertia via sumpta ex potestate summi Pontificis, ac sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ conservatione & elucidatione, de levi patet; quia in hoc, quod summus Pontifex, Christi vicarius, monarcha in ecclesia Dei militante, in qualibet diœcesi vel provincia etiam habet aliquos exemptos & privilegiatos filios sibi immediate subjectos, lucide declaratur suæ plenitudo potestatis: & quod non solum est mediatus & generalis, sed etiam immediatus & proprius ordinarius cujuslibet Christiani. Ex quo patet soliditas, sublimitas, & perfectio potestatis summi Pontificis super omnes alios prælatos ecclesiæ militantis juxta illud XXIV. *q.* I. *c. Est aliud apostolicum piscandi genus, quo genere solum Petrum piscari jubet Dominus. Valent exemptiones ad conservationem potestatis & auctoritatis summi Pontificis, quia per illas multa schismata & multæ schismaticæ concatenationes præcaventur; etsi orirentur (quod absit) per promptam obedientiam exemptorum, & per temporale subsidium, quod ab eis prompte & voluntarie præstaretur, possent hujusmodi schismata facilius & efficacius extirpari, quam si essent (quod absit) per machinationem subdolam aliquorum prælatorum annullatæ vel in aliquo detruncatæ.*

Qui fructus ex exemptione consequantur.

Quarta via ex parte causæ formalis, quæ sumitur ex multiplicis fructus in ordine ad universalem ecclesiam consecutione, sicut ostenditur, quia religionibus exemptis, & maxime communibus & habentibus connexionem ad invicem, cujusmodi sunt Cistercienses, Cluniacenses, Præmonstratenses, & etiam alii mendicantes sicut Prædicatores, Minores, Carmelitæ, Augustinienses, ordinant & injungunt in suis capitulis generalibus multas missas & orationes pro vivis & defunctis, & pro universali statu ecclesiæ conservando in statu sancto, pacifico, & quieto: & hæc faciunt suo modo aliæ exemptæ abbatiæ in suis capitulis, in quibus priores & subditi generaliter convocantur, sicut abbatia majoris ordinis S. Dionysii, & sic de aliis consimilibus. Item multi religiosi exempti tam non mendicantes quam mendicantes virtute exemptionis & connexionis, quam habent ad se invicem, jam de facto ordinaverunt, & alii similiter exempti ordinare possunt solemnia studia in theologica facultate ad informationem & illuminationem fidelium in iis, quæ pertinent ad salutem, nec non ad exaltationem fidei Christianæ: sicut liquide patet Parisiis quantum ad Cistercienses, Cluniacenses, & illos de S. Dionysio, & quantum ad Prædicatores & Minores, Carmelitas & Augustinienses. Adhuc autem non videmus, quod ita regulariter non exempti, qui sunt sub episcopis, nec ipsimet episcopi talia studia vel collegia ordinarint: immo episcopi, ut in pluribus plus impediunt quam promoveant: non enim nutriunt clericos nec providentecclesiis meliores promovendo; sed nepotes & cognatos, inscios & idiotas & dissolutos, ponentes servos in equis, & permittentes ambulare principes super terram, facientes monstra in ecclesia, ponentes pedes sursum & caput deorsum; ordinem ecclesiasticum pervertendo. Utinam præterito sæculo plures episcopi transalpini eo vitio non fuissent contaminati, non enim hæresis rapido adeo incendio tot provincias ac regna depasta esset. At etiam plures religiosam disciplinam professi, excusso episcoporum jugo, pontificium quoque rebellibus cervicibus depellere ausi sunt. Pergit Jacobus abbas: *In religionibus autem privilegiatis & exemptis ordinantur multa ad opera misericordiæ pertinentia, sicut eleemosynæ ad sustentationem pauperum, & multa alia ad hospitalitatem mediocrium & magnarum personarum, cujuscumque status existant: patet in ordine Cistercienſi, Cluniacensi, Præmonstratensi, & majoris monasterii, & in S. Dionysio rei evidentia manifestat. Prælati autem multi licet habeant multos redditus & magnos, adhuc aliena requirunt, & quærentes quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, sua & aliena plus expendunt in pompis, quam in Christi pauperibus nutriendis.*

De studio sacrarum literarum apud eos florente.

Quare secundo principaliter, ostendo propositionem, quod exemptiones expediant ex habitudine causæ efficientis & originalis, causam formalem nihilominus replicando: nam causa principalis efficiens exemptionis est tota Trinitas, & a proprietate est Spiritus sanctus: patet, expresse habetur Ezechielis XXXIV. *ubi loquens Dominus per Ezechielem de malis pastoribus, sic dicit: Pro eo, quod facti sunt greges mei in rapinam, & oves meæ in devorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant propterea pastores semetipsos, & greges meos non pascebant: propterea pastores audite verbum Domini. Hæc dicit dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos: & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in escam. Ex quo sequitur, quod illi prælati, qui solum quæstum temporalem quærunt, de victualibus conquerentes, petentes procurationes, nihil seminantes, quod ad salutem pertineat animarum; & specialiter petentes esum carnium in ordine Cistercienſi contra indulta a sede Apostolica in favorem puritatis & asperitatis vitæ, quæ in eodem ordine vigere consuevit; quod etiam ad solutionem procurationum ordinariis vel aliis minime teneantur prout eidem ordini per sedem Apostolicam est provisum. Nec præscribitur contra Cistercienses ratione consuetudinis ex eo, quia suis ordinariis & aliis in hospitalitate se exhibere consueverunt liberales, prout per eandem sedem est plenius & specialiter provisum, cum Cistercienses communiter non habeant parochiales ecclesias, sicut multi alii religiosi, ratione quarum ad procurationum onera teneantur: & tales inquam prælati, irrationabiliter petentes hoc, de numero prædictorum pastorum se constituerunt manifeste: quibus etiam dicitur in capite præallegato Ezechielis* XXXIV. *Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nonne greges a pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis cooperiebamini, & quod crassum est occidebatis: gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit non considerabatis, & quod ægrotum non sanastis, & quod fractum est non alligastis; & sequitur ibidem: Liberabo gregem de manibus pastorum hujusmodi perversorum. Secundo hoc idem patet ex habitudine causæ efficientis instrumentalis, quia fuerunt a viris sanctissimis & doctoribus excellentissimis summis Pontificibus executioni demandatæ, qui maximum & ardentissimum zelum pro statu ecclesiæ habuerunt: quorum unus præcipuus fuit B. Gregorius, ut patet in cap. præallegato* XVIII. *q.* II. *c. Luminoso. Beatus etiam Germanus Parisiensis episcopus ad obviandum calliditati quorundam & propter loci reverentiam ac Regis Franciæ Childeberti memoriam, consentiente metropolitano & ejus suffraganeis, monasterium S. Germani de Pratis prope Parisios, a prædicto Rege fundatum, eximi procuravit: quod etiam per inductionem posset de multis aliis exemptis monasteriis declarari. Et quia facta Dei & sanctorum patrum sunt imitanda & non destruenda, ideo ex parte causæ efficientis patet quod exemptiones expedit conservari.*

Divina in malos pastores sententia.

Viri sancti exemptionum monstrantur auctores.

Tertio principaliter declaratur propositum ex decenti pulchritudine, quæ in ordi-

Ut exempti peculiari nexu cohæreant sedi Apostolicæ.

dinata connexione exemptorum pulchrius eluceſcit. Primum quia exemptæ & privilegiatæ perſonæ ſunt ſicut quidam nervi totum corpus eccleſiæ in ordine ad ſummum Pontificem connectentes; nam per hujuſmodi exemptiones ſtatim habetur præ oculis reductio cujuſlibet Chriſtiani ad ſummum Pontificem, & abſque præjudicio cujuſcumque alterius eſt immediatus ordinarius cujuſlibet Chriſtiani. Ex hoc autem ſpecialiter præſervatur unitas eccleſiæ contra ſchiſmaticam pravitatem: ſe enim nulli religioſi eſſent exempti, citius & facilius poſſent prælati diſcedere, & ſe ſubtrahere de facto a juriſdictione ſummi Pontificis: quæ tamen diſceſſio futura eſt antequam reveletur filius perditionis, ſcilicet antichriſtus, ſicut dicit Apoſtolus ad Theſſalon. Et quia unitas & ratio connexionis conſiſtit in ordine ad ſummum Pontificem vicarium Chriſti, cui in perſona Petri dictum eſt: Paſce oves meas, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos; & alibi: Tibi dabo claves regni cœlorum; & ad hoc multum faciunt exemptiones ſequitur quod expediunt formali pulchritudini connexionis univerſalis eccleſiæ, quæ indebito connexionis ordine potiſſime declaratur. Secundo declaratur hoc idem ſpecialiter ex ordinatione communium & generalium ubique terrarum, ubi creditur & colitur Deus, diffuſorum debita connexione, & in ſummum Pontificem convenienti reductione, cujuſmodi ordines ſunt ordo Ciſtercienſis, Cluniacenſis, Præmonſtratenſis, Prædicatores, Minores, Carmelitæ, Auguſtinienſes: quod ſic patet, quia non poteſt eſſe perfecta connexio alicujus multitudinis ſeu principatus, niſi per reductionem ad unum: & tanto debent eſſe pauciora media, quanto ſunt propinquiora illi uni. Et iſtud probat philoſophus XII. *metaphyſicæ, connexionem univerſi reducendo, corpora inferiora in corpora cœleſtia, & ſuperiora & prima in intelligentias motrices, & illas in unam intelligentiam primam, a qua dependet cœlum & terra. Et in fine concludit, unum principem eſſe, dicens: Unus ergo princeps. Ex quo ſequitur, quod quandocumque naturali ſeu regulari reductione inferiora reducuntur per media in ſuprema, ſemper medium debet illud inferius, quod per ipſum reducitur, quantum ad ejus totam latitudinem naturaliter per modum eminentiæ regulariter continere. Hoc enim apparet ex naturali reductione univerſi in ipſum Deum, quia unum elementum ſuperius regulariter continet totum inferius elementum, excepta terra, quæ ſecundum ſe totam non continetur ab aqua propter neceſſitatem generis humani. Infima etiam ſphæra cœleſtis continet omnia elementa, & ſphæra ſphæram aſcendendo; & intelligentia virtualiter continet quidquid perfectionis eſt in inferiori. Et eodem modo videmus in homine, quod potentia ſuperior apprehenſiva continet quidquid perfectionis in inferioribus reperitur, ut patet de ſenſu communi reſpectu ſenſuum particularium; & de intellectu reſpectu ſenſationum apprehenſivarum. Conſtat autem quod nullus eſt epiſcopus vel archiepiſcopus, primas ſeu patriarcha præter ſummum Pontificem, cujus juriſdictio ad unum totum talem ordinem ſecundum totalem ejus latitudinem ſe extendat. Sed per viam exemptionis & privilegiationis in quolibet tali ordine ponitur unum caput, cujus juriſdictio mediate vel immediate ad omnes, qui ſunt illius ordinis, quodam ordine ſe extendit. Ex quo ſequitur, quod mediante tali uno medio poſſibilius, decentius, facilius, & ordinatius, poſſunt omnes tales unius ordinis reduci in ſummum Pontificem, quam mediantibus epiſcopis, quia facilior ac ordinatior eſt reductio uno medio ſive pluribus connexionem ad unum habentibus, quam mediantibus multis & diverſis quorum unus ab altero minime continetur: licet enim primas, vel patriarcha contineat illos, qui ſunt ſuæ multitudinis; unus tamen patriarcha ab alio non continetur: quare ſequitur, quod exemptio ſeu privilegiato in ordinibus ſic communibus cauſat primo in ipſis exemptis & privilegiatis fortitudinem, eo quod virtus unita fortior eſt ſe ipſa diſperſa, ut dicit auctor de cauſis: & cum hoc in ordine reductionis aliorum religioſorum in ſummum Pontificem multipliciter cauſat pulcritudinem & decorem, ratione cujus connexionis dici poteſt, quod religio ſic communis, in qua præcipue vigent & præſunt homines literati, dicitur ſuavis, decora, & formoſa ſicut Jeruſalem, terribilis ut caſtrorum acies ordinata Cantic.* VI.

Subiata exemptione non eſſet unum caput in religioſis familiis.

Eorum elogia.

Quarto principaliter probatur intentum ex convenientia & neceſſitate cauſæ materialis, & hoc tam ex parte exemptorum quam ex parte illorum, qui exemptiones impugnare nituntur. Primum patet, quia religioſi exempti vitam ducunt angelicam potius quam humanam, vacando continue ſervitio divino & divinis laudibus decantandis, quaſi prælibando cœleſtem melodiam ſpirituum beatorum, ſicut patet in eccleſiis principalibus exemptorum & privilegiatorum. Strictius etiam & perfectius vivunt communiter loquendo, quam alii quoad obſervantias regulares. Plura etiam bona ſpiritualia conferunt communitati eccleſiæ, ut dictum eſt ſupra. Religiones etiam exemptorum & privilegiatorum in charitate radicatæ, & fundatæ in puritate & eminentia ſanctitatis & perfectionis in tantum florent & floruerunt & in altum creverunt, quod jam multos ramos extenderunt & emiſerunt in cœlum, & ornaverunt & lætificaverunt de ſuis ramis & ſpi-

ritualibus foliis eccleſiam triumphantem; & direxerunt & dirigunt in viam veritatis & fidei Chriſtianæ multos filios eccleſiæ militantis, de quibus ramis per inductionem exemptorum patet de multis ſicut de B. Gregorio, B. Benedicto, beatis Majolo, Odone, Odilone, atque Hugone Cluniacenſibus abbatibus. Et quantum ad Ciſtercienſes, de B. Roberto, qui Ciſtercienſium ordinem inchoavit: de B. Bernardo doctore egregio primo abbate Clarævallis: de B. Guillelmo ſeptimo abbate Belliloci, & poſt archiepiſcopo Bituricenſi, de quo etiam natio Franciæ in univerſitate Pariſienſi facit feſtum ſuum ſpeciale: De B. Petro Tarantaſienſi archiepiſcopo, cujus corpus in Bella valle requieſcit; & de multis aliis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ. Illi autem probati ſunt quos Deus commendat & debent ab hominibus favorabiliter commendari, quos Deus remuneratione præmii & operatione miraculorum multipliciter approbavit. Sunt etiam ſpeciales & peculiares filii Romanæ eccleſiæ: & quia filius naturaliter debet diligi, propter hoc & multa alia tales debent exemptionum & privilegiorum libertatibus præmuniri, & a ſtrepitu ſecularium penitus ſequeſtrari. Et hanc cauſam aſſignat B. Laudericus in exemptione abbatiæ S. Dionyſii in Francia, allegans B. Auguſtinum, dicens ſic: Libri Auguſtini de eccleſiaſticis gradibus docent, monachos ſub quiete regulariter viventes, ſub ſingulari lege debere quieſcere, & ab omni infeſtatione clericorum intrepidos permanere ne ſæcularis ſtrepitus eos lædat, quos diſtricta regula ſervitutis Domini moderatur.

Impugnantes exemptiones ſua magis quam quæ ſunt Chriſti quærere videntur.

Secundo hoc idem patet ex parte materiæ impugnantis, quæ quidem materia ſunt prælati ipſi: nam prælati non videntur intendere zelum animarum, in petendo exemptiones revocari, vel in aliquo detruncari: non habent enim zelum, ut in pluribus, nec circa ſeipſos nec circa ſibi ſubditos exercent; ſed magis videntur intendere ſuæ poteſtatis dominium ampliare, ſummi Pontificis poteſtatis plenitudinem aliquantulum obfuſcando. Magis etiam, ut patet in eorum petitionibus, quærunt quæſtum temporalem quam animarum ſalutem; juxta illud B. Bernardi ſuper Cantica: Quem dabis mihi, inquit, de præpoſitis, qui non magis intendat hodie marſupiis evacuandis, quam vitiis extirpandis? Quaſi dicat: Nullum, vel valde paucos reſpective. Nec repugnant prædictis dicta Bernardi in epiſtola ad Henricum Senonenſem archiepiſcopum, & in libro de conſideratione ad Eugenium Papam; quia ibi loquitur per comparationem ad finem per accidens in ordine ad abutentes, & ſuppoſito bono regimine prælatorum: beatus autem Gregorius & alii ſancti loquuntur per comparationem ad finem principaliter & per ſe intentum, quod eſt vacare divino ſervitio & contemplationi, & ſuppoſito malo regimine & inexperientia prælatorum quantum ad obſervantias regulares. Iterum etiam dato, quod aliqui zelum animarum intenderent; hoc tamen tutum non eſſet eis, qui cauſam & onus ſuper ſe aggravarent; & maxime cum ad regimen ſui ipſorum ac reſidui populi eis ſubjecti ſine adjutorio exemptorum in prædicationibus & aliis ſufficere minime videantur. Non etiam obſtant prædictæ veritati illa, quæ ſcribit Ægydius in quodam tractatu contra exemptos; quia ſuæ rationes ſunt in pluribus defectuoſæ, & multas impertinentes & tranſcedentes ſimilitudines adducit, quæ plus habent diſſimilitudinis quam ſimilitudinis, ſicut in quodam tractatu contra impugnatores exemptionum, qui incipit: Salvabo gregem meum, &c. plenius eſt oſtenſum: in quo omnes rationes dicti tractatus fratris Ægidii per evidentiam rationum efficaciter improbantur. Cum ergo valeat ſancta Romana eccleſia vel ob religionis, vel neceſſitatis, vel exhibiti beneficii gratiam quoſlibet privilegiis ſuis munire, & extra generalia decreta quædam ſpecialia beneficia indulgere, ut habetur XXV. *q.* I. *Privilegia, quæ eccleſiarum & monaſteriorum ſanctorum patrum auctoritate inſtituta nulla poſſint improbitate evelli, nulla novitate mutari, ut habetur* XI. *q.* II. *c.* I. *&* II. *conſideret ſummus Pontifex ſuum honorans miniſterium, quod revocatio ſeu detruncatio exemptionum eſſet damnoſa multipliciter qua & ſuæ poteſtatis plenitudinem non modicum obfuſcaret, & ſedi Apoſtolicæ multipliciter derogaret. Videat nihilominus exiſtens in apice regiminis eccleſiaſtici principatus, per privilegiatos & exemptos ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ bona quamplurima tam ſpiritualia quam temporalia multipliciter provenire; & ſuos exemptos & privilegiatos filios quanto videt eos per ordinarios in ſedis Romanæ præjudicium acrius & avidius impugnari, tanto in eorum protectione per conſervationem ſuarum libertatum, quas a ſede Apoſtolica habuerunt, a qua tota vera religio habet ortum, vigilantius & ſolicitius immobiliter perſeveret ad honorem ſponſi eccleſiæ Jeſu Chriſti, qui eſt Deus benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.* Extat in eodem MS. bibliothecæ Vaticanæ (*a*) inſignis alius commentarius pro exemptis conſcriptus, in cujus prima parte auctor fuſe agit de juriſdictione eccleſiaſtica: in ſecunda exemptiones religioſis ſodalitiis congruere pluribus argumentis illuſtrat, quæ poſtrema a nobis delibanda viſa ſunt.

Ægidius ſcripſit in exemptos.

Exemptionum revocatio noceret ſedi Ap.

(*a*) *Eod. MS. bibl. Vat. ſign. n.* 4109. *pag.* 256. 252. *&c.* Alius de exemptionibus commentarius.

Prima quæſtio eſt de exemptione quantum ad ejus poſſibilitatem, utrum ſcilicet ſit poſſibilis. Ad quam reſpondeo, quod cum exemptio nihil aliud ſit, quam ſubtractio

Exemptio quid sit. Jurisdictionis divisio.

ctio alicujus a jurisdictione alterius, cui subest, nisi esset exemptio, secundum distinctionem de jurisdictione diversimode est respondendum. Sciendum ergo quod in generali dicendum est, jurisdictio ecclesiastica una est prima & suprema, scilicet jurisdictio Papæ: alia secundaria & sub ista, scilicet quæcumque alia jurisdictio ecclesiastica. Loquendo ergo de prima jurisdictione, impossibile est aliquem eximi ab ea saltem per hominem, quia ab illa jurisdictione, quæ per solum Deum instituta, nullus potest eximere nisi Deus. Sed jurisdictio papalis, ut ex dictis patet, & quantum ad statum & quantum ad potestatem jurisdictionis est instituta a Deo. Ergo, &c. Major patet, quia ad illum solum pertinet eximere & subtrahere potestati, ad quem pertinet talem potestatem instituere. Sed subtrahere aliquid jurisdictioni vel supponere pertinet ad limitationem terminorum ejus. Ergo ad illum solum pertinet eximere & subtrahere potestati, ad quem pertinet talem potestatem instituere: & hæc fuit major. Minor autem probata est ex superioribus, scilicet quod potestas Papæ sit instituta a solo Christo, unde nullus homo potest diminuere vel augere. Secundo potest probari ex supremitate potentiæ Papæ, quia scilicet aliquis ex iis de populo non possit esse exemptus a potestate sua, quia impossibile est aliquem esse de aliquo collegio, qui non subsit supremæ potestati illius collegii, quia unius collegii est unum caput & una suprema potestas, a qua qui est alienus, ab ipso collegio est alienus. Sed potestas Papæ est suprema in toto collegio Christiano. Ergo, &c. Nec solum potest aliquis non eximi a statu papali nec etiam a persona existente in statu, nisi ille, qui est superior eo, vel qui instituit statum, hoc fecerit.

Ab alia quam papali potest eximi.

Si autem loquamur de alia potestate, scilicet de quacumque potestate alia sub potestate Papæ; dico quod exemptio a tali potestate est possibilis & de jure, quia de tali potestate loquimur, scilicet de potestate juris: quia quicumque potest aliam potestatem restringere quantum ad populum & quantum ad casus, potest illi potestati aliquem vel aliquos subtrahere, quia hoc est restringere potestatem quantum ad populum, subtrahere aliquem vel aliquos de populo subjecto illi potestati. Sed, sicut patet ex præmissis, Papa potest pro arbitrio suo restringere & ampliare potestatem episcopalem, loquendo de potestate jurisdictionis, & quamcumque aliam potestatem existentem sub se. Ergo Papa potest subtrahere cuicumque potestati inferiori se aliquem vel aliquos de jure. Sed sic subtrahere aliquam vel aliquos est eximere ab illo. Ergo, &c.

Papa potest restringere & ampliare jurisdictionem episcoporum.

II. Ad id, quicumque sic concedit alicui aliquam jurisdictionem, & penes ipsum simpliciter & principaliter illa jurisdictio semper remanet, potest illam potestatem revocare vel in parte vel in toto, sicut patet de Rege & ballivo. Sed isto modo Papa concedit inferioribus jurisdictionem ecclesiasticam. Ergo, &c. Et ista major satis patet ex præmissis. Sic ergo dico quod exemptio ab inferiori jurisdictione sub potestate Papæ per ipsum Papam est possibilis.

An exemptio sit utilis vel expediens.

Nunc restat agendum de expedientia sive utilitate exemptionis: & primo in generali, secundo in speciali descendendo ad diversos status hominum vel conditiones. Ad evidentiam hujus, utrum scilicet exemptio possit esse expediens vel utilis; primo distinguendum est de multiplici exemptione: secundo videndum est a quo exemptio habet, quod sit expediens, superflua, vel nociva. Tertio descendendum est ad propositum.

Quantum est ad primum; sciendum quod exemptio potest dupliciter fieri: uno modo ab aliqua potestate: alio modo a persona existente in statu propter aliquam causam. Iterum utraque exemptio potest fieri vel simpliciter, vel quoad aliquem casum: & similiter etiam potest fieri omni tempore, vel ad tempus determinatum. Hoc sit dictum quantum ad primum.

Quis finis sit jurisdictionis.

Quantum ad secundum; sciendum, quod judicium de aliquo, utrum sit expediens, sive superfluum, vel nocivum: ad finem expediens dicitur quod impedit nocivum: finis autem, ad quem ordinatur jurisdictio, sicut patet ex prædictis, est bonum reipublicæ sive bonum subditorum in republica, & impedire mala in ipsa republica. Ulterius sciendum, quod in bonis id quod est melius eligendum; & in malis quod est pejus est magis fugiendum, in carentia autem istorum eligendum est carere minus bono, ut sic possit quis consequi magis bonum, si altero oportet carere: in malis autem incurrendis eligendum est incurrere minus malum, ut evitetur majus, si alterum oportet incurrere. His præmissis, sciendum quod jurisdictio tripliciter se habere potest ad bonum reipublicæ sive commune, uno modo quod nullum malum inferat, & bona promoveat & mala impediat; & ista jurisdictio est bona, & exemptio opposita est mala. Secundo modo potest se habere jurisdictio ad bonum commune, cum malum non inferat, nec impediat, nec bonum promoveat, & ista esset superflua. Tertio modo potest se habere sic, quod quædam bona inferat & impediat quædam, & propter correctionem humanam iste est minor cursus, quia licet jurisdictio ordinatur quantum est de se ad bonum, tamen est frequentior & quantum ad plures occasio mali, quia est occasio extorquendi pecuniam, pro qua pecunia extorquenda fiunt multæ vexationes, & multa alia, quæ impediunt multa bona, & instruunt mala: nihilominus confert aliquod bonum, & impedit aliqua mala. Et tunc, si conferat majora

Ut se habeat ad bonum reipublicæ.

majora bona quam impediat, & impediat majora mala quam inferat, adhuc est expediens, & opposita exemptio mala, quia melius est carere parvo bono ad obtinendum magnum bonum, & incurrere parvum malum ad evitandum majus: si autem e contrario esset, tunc jurisdictio esset mala & exemptio bona. Sic igitur viso, adduco rationes ad propositum.

Cur exemptio fiat.

*Circa quod sciendum, quod exemptio ex statu non debet esse nisi propter defectum personæ existentis in statu evidentem, vel præsumptum. Evidentem defectum dico, puta quia manifeste gravat: vel præsumptum, quando ex alia conjectura probabiliter potest existimare quod sit primus ad gravandum, quia nullus debet eximi a persona existente in statu, nisi propter defectum status vel personæ existentis in statu, non eximetur propter defectum *, quia supponitur non debere eximi a statu. Ergo, &c. Si autem aliquis talis defectus sit in persona existente in statu, exemptio a tali persona est rationabilis & expediens, vel quantum ad casum determinatum, sicut fit quotidie per appellationes legitimas: vel quantum ad omnem casum, quando probabile est, quod inter personam eximendam & personam existentem in statu sunt, vel præsumuntur esse inimicitiæ capitales. Quia exemptio, qua aliquis subtrahitur malo regimini, est bona. Sed tale præsumitur regimen personæ existentis in statu in comparatione ad istam vel simpliciter, vel in casu. Quod autem dictum est nunc de exemptione a persona existente in statu, intelligendum est de statu inferiori contento sub potestate Papæ, quia a Papa vel a potestate ejus nullus potest vel debet eximi. Nec obest si aliqui dicuntur aliquando appellare a Papa, quia appellatio ista non proprie appellatio est a potestate ejus, a quo appellatur, sed est magis vel debet esse quædam supplicatio pro correctione vel mitigatione sententiæ latæ.*

* status

Appellatio est genus exemptionis in casu determinato.

Appellationes a Papa sunt supplicationes.

De aliis autem potestatibus inferioribus dico, quod aliqui ab iis eximuntur vel simpliciter, vel ad tempus secundum diversas conditiones statuum & subditorum & præsidentium & quantum ad personam dictum est. Quantum autem ad statum, quod scilicet aliqui eximantur a potestate episcopali, vel ab aliqua alia consimili; dicendum est nunc.

An expediat statum monasticum eximi a statu episcopali.

Circa quod sciendum quod non est intentio mea dicere, quod aliquod collegium vel aliqua communitas sic eximatur, quod non habeat propinquum correctorem, vel episcopum, vel abbatem, vel priorem, vel decanum, vel aliquem consimilem; sed intentio mea est dicere, quod quando sunt duæ potestates respectu ejusdem collegii, quarum una est sub alia, sicut de potestate abbatis & episcopi respectu claustri, expedit quandoque ad tempus vel simpliciter, quod eximatur potestas inferior cum toto suo collegio a potestate superiori. Et quod expediat talem potestatem eximi a potestate episcopali, non descendendo ad determinatum collegium, probo rationibus, quarum una sumitur ex variabilitate materiæ, circa quam sunt tales jurisdictiones, quæ est talis. Omnis regula existens circa materiam variabilem, & præcipue loquendo de regula immediate applicata ad talem materiam maxime de regula edita ab homine, nata est recipere exemptionem, & per consequens exceptionem, quia talis exceptio fit per exemptionem. Major patet per illud, quod accidit in diversis artibus, quod quanto regulæ magis applicantur ad varia, tanto magis recipiunt exceptiones: unde vix in jure positivo reperitur regula, quæ non recipiat exceptionem etiam in gramatica; vix invenitur regula, propter diversas variationes quæ sunt in ipsa, quæ non recipiat similiter exceptionem. Dixi autem de jure positivo ab homine instituto, quia propter defectum intellectus humani vix potest homo in talibus variabilibus attingere infallibilem regulam, non recipiendo exceptionem. Minor autem de se patet, quia scilicet jurisdictio episcopalis & regulæ datæ de ea sunt circa materiam variabilem; nam aliter se habet regularis, aliter laicus, aliter clericus, & ita de aliis: & secundum diversas causas potest contingere, quod potestas episcopalis esset aliquibus eorum nociva magis quam proficua, sicut infra magis patebit, quando descenditur ad status speciales.

Appellationes a Papa sunt supplicationes.

Objectio si expediat ab episcopali eximi, ergo a papali expedit.

*Sed contra hoc potest obiici, dicendo quod status papalis est similiter circa variabilia. Ergo similiter recipiet exemptionem & exceptionem. Ad hoc dicendum, quod sicut in regulis invenitur quidam superior & generalis, a quo non obstante quacumque variabilitate non potest esse exemptio, sicut hæc quod est juste vivendum, quæ nullam exceptionem patitur; alia vero magis particularis & magis applicata contra agibilia, quæ frequenter exemptiones patitur, sicut de non portando arma in aliquo loco determinato, vel de reddendo depositum deponenti; ita etiam de potestatibus, * quod est quædam potestas universalis, extra quam quicumque esset, esset extra collegium Christianum, quod est pejus esse quam quamcumque vexationem sustinere: & est alia potestas particularis, extra quam quandoque expedit alicui generi hominum esse. Non esse de ovili Christi & bene vivere non potest esse: sed potest stare cum hoc, quod est esse extra talem potestatem & bene vivere; & talis est potestas episcopalis; unde non est simile. Ergo, &c.*

* quia

Dissolvitur.

Per exemptiones Papa suam demonstrat auctoritatem.

Secunda ratio sumitur ex manifestatione status papalis, & est talis. Illud quod pertinet ad manifestationem & confirmationem

nem universalis potestatis Papæ est expediens toti ecclesiæ universali. Sed aliquos eximi per Papam a potestate episcopali maxime manifestat & confirmat universalem potestatem. Ergo &c. Major faciliter patet, quia sicut suprema potestas potior est omni potestate inferiori, quia ab ea magis dependet bonum reipublicæ; ita etiam illud, quod eam confirmat & manifestat, confirmat & manifestat potestates inferiores secundum id, quod confirmat potestates inferiores, sine tamen præjudicio potestatis superioris, est bonum. Ergo illud, quod confirmat & manifestat potestatem supremam, quæ est potestas Papæ est valde bonum. Minor etiam faciliter probatur, quia illud manifestat & confirmat potestatem Papæ, per quod manifestatur, quod ejus arbitrio subest omnis potestas inferior, per quam scilicet secundum quod videtur, sibi eximit quos vult a potestatibus inferioribus. Manifeste apparet quod ejus arbitrio subest omnis potestas inferior. Ergo, &c.

Qui appellationes concedunt, concedent necessario exemptiones.

Tertia ratio sumitur ex similitudine exemptionis personæ alicujus a persona existente in statu; quia sicut persona ad personam, ita etiam status ad statum, vel potestas ad potestatem. Sed, sicut dictum est supra, expedit aliquam personam eximere a persona existente in statu, sicut patet per appellationem, quæ frequenter fit. Ergo, &c. Unde illi, qui volunt omnem exemptionem, qua aliquis eximitur a potestate episcopali excludere, deberent petere, quod omnis appellatio similiter excluderetur, & quod Papa nihil posset super populum sibi subjectum.

A pari probatur exemptio.

Quarta ratio sumitur ex similitudine, quæ fit a potestate terrena: quia decens est, quod illi qui deputantur ad cultum divinum eximantur a terrena potestate: ita decens est, aliquos inter clericos ex speciali prærogativa eximi a potestate episcopali. Ergo, &c. Et confirmatur ratio, quia ob reverentiam clericalem non solum illi, qui deserviunt cultui divino, sed etiam laici, qui deserviunt mundo, sunt exempti a tali potestate, scilicet temporali. Sed aliquis modus vivendi infra potestatem episcopalem invenitur excedere tales clericos conjugatos plus quam tales clerici excedant laicos. Ergo qua ratione eximuntur a potestate temporali, eadem ratione & fortiori isti, qui sic inveniuntur in tali statu, deberent eximi a tali potestate episcopali.

Quinta ratio sumitur ex similitudine naturalium; quia hæc omnia inferiora subduntur motui corporum cœlestium, tamen expedit aliqua inferiora subtrahi a talibus, & ideo provisum est eis de latibulis contra talia. Ergo a simili licet omnes subsint potestati domini Papæ, tamen expedit aliquibus subtrahi ab aliquibus potestatibus mediis, & protegi per dominum Papam ab eis, quæ quando sunt graves & tempestuosæ vel personis vel statibus: & salva reverentia eorum, qui simpliciter exemptionem reprobant, prius deberent inquirere diligenter, vel conferendo secundum conditiones statuum, vel habendo experientiam ex factis longi temporis investigare, utrum tales potestates mediæ, a quibus possent, vel sint nocivæ vel magis proficuæ antequam sic universaliter improbent fieri exemptionem.

Damnari simpliciter non debet, nisi re diligenter perpensa.

Nunc restat prosequi in speciali, descendendo ad diversos status hominum: & primo ostenditur, quod religiosis competit exemptio: deinde agetur de aliis. Quantum autem ad religiosos, ad majorem evidentiam dicendum de exemptione eorum. Cum exemptio, de qua loquimur, sit subtractio alicujus a jurisdictione alterius, jurisdictio autem ordinetur ad bonum commune subditorum, quatuor videnda sunt præambula de religiosis. Primum est, quid est illud bonum, ad quod religio ordinatur. Secundum, quæ sunt quæ ad illud bonum promoveant, vel impediant. Tertium est, quis modus vivendi competat religiosis. Quartum est, quam jurisdictionem debet habere caput monasterii sive prælatus religiosorum super ipsos.

De exemptionibus religiosorum.

Quid sit religio & illius divisio.

Quantum ad primum; sciendum, quod religio potest accipi tripliciter: uno modo pro cultu divino, sive si dicatur, quod religio Christiana est adorare & offerre sacrificium missæ & consimilia. Alio modo dicitur religio virtus mentis, inclinans mentem ad impendendum cultum Deo. Tertio modo dicitur religio ipse status, qui ad talem cultum est deputatus: & hoc dupliciter, scilicet generaliter, sicut si dicamus statum Christianitatis esse quandam religionem, prout accipitur in libro Augustini qui intitulatur, Dei religione Christiana; vel specialiter; quando scilicet accipitur pro statu illorum, qui super ea, quæ pertinent ad religionem generaliter, addunt specialem modum colendi Deum, & specialia cerimonialia, & totam vitam suam dedicant cultui divino, addendo speciales observantias ad cultum communem omnibus Christianis.

Quantum ad secundum; sciendum, quod istud bonum maxime impeditur per delectationes carnales & solicitudines temporalium, & defectum propriæ voluntatis; & ista, ut in pluribus, sunt in conversatione seculari: nam conversatio secularis & conversari etiam cum conversantibus seculariter multum impedit tale bonum, quia distractio mentis ad ista & per ista multum retrahit mentem a cultu divino & maximo a perfecta adhæsione ad Deum, quam requirit perfectio cultus divini: promoventia autem ad tale bonum duplicia sunt, scilicet privative & per modum removentis prohibens, & positive ut sunt monitiones

nes & ordinationes superioris circa ista, vel annexa eis. Per modum autem removentis prohibens sunt illa, quæ prædicta impedimenta removent, sicut sunt tria vota, scilicet paupertatis voluntariæ, continentiæ, & obedientiæ: quod primum solicitudinem temporalium tollit: secundum tollit delectationes carnales: tertium autem impedimentum tollitur per vitam solitariam, scilicet impedimentum sæcularis conversationis modo, quo exponetur.

Ex isto secundo patet ad propositum, quis scilicet modus vivendi competat religiosis, quia convenit eis aliquo modo vita solitaria: hoc autem potest esse dupliciter, uno modo, quod una sola persona vivat per se sicut fecerunt antiquitus in eremo: alio modo, quod licet sint plures sicut soli religiosi ab aliis in claustro sequestrati modo, & de hoc prosequendum est.

(a) Pag. 253. Qui præest collegio religioso in spiritualibus maxime præest.

Quantum (a) ad quartum, sciendum, quod cum unum collegium requirit unum caput, oportet in tali collegio religiosorum ponere aliquod unum caput: illud autem caput debet præesse toti collegio tam in temporalibus quam in spiritualibus. Et de temporalibus ad nunc dimitto. Quantum autem ad spiritualia, primo probo in generali, scilicet quod habent aliquam jurisdictionem spiritualem supra eos: secundo in speciali, scilicet quantum ad quæ. Primum patet duplici ratione, prima talis est:

I. Argumentum.

quia aut abbas aut consimilis aliquid influit collegio, aut non; si non, sequitur quod in claustro non esset caput nec præsideus, si autem aliquid influit, aut pertinet ad temporalitatem tantum: contra, quia tale caput præest tali collegio secundum quod est tale collegium, scilicet tale collegium habet quod sit tale collegium secundum spiritualitatem magis quam secundum temporalitatem, quia est tale collegium divino cultui dedicatum. Ergo, &c.

Secundum.

Secunda ratio talis est, caput talis collegii aut habet aliquam jurisdictionem super ipsum, aut non: non potest dici quod non, quia tunc non esset caput. Si sic, aut habet jurisdictionem ecclesiasticam, aut non: si habet jurisdictionem ecclesiasticam, habetur propositum: si non, sequitur quod præsidentia ejus non differat a præsidentia dominorum terrenorum, quod est inconveniens.

Probatur debere habere jurisdictionem.

Secundo probandum est, quod caput monasterii habet jurisdictionem super existentes in monasterio, & hoc quantum ad spiritualia, & prima probatio, quod debet habere jurisdictionem quantum ad observantias regulæ & constitutionum, & hoc patet tripliei ratione. Prima accipitur ex parte directionis, quia ille magis debet præesse aliquibus, qui magis inter eos novit dirigere & promovendo bona & corrigendo mala. Sed abbas vel consimilis sic se habet respectu monachorum vel fratrum quantum ad observantias speciales monasterii, quia abbas experimento quotidiano & non sola relatione alterius scit ea. Ergo, &c. unde propter istam ignorantiam, quam sæculares habent respectu talium, prohibetur ne clericus sæcularis fiat abbas.

Magis illi quam episcopo competit.

Secundo ratio sumitur ex continuatione regiminis, quia cuilibet collegio manenti infra clausuram debet aliquis continue præesse: Aut ergo iste debet esse episcopus, aut alius sæcularis, aut aliquis de collegio non episcopus: primum non, quia non deceret, quod moraretur continue cum suis inter monachos: secundo quia non posset hoc facere propter curam aliorum: nec etiam alius clericus, quia minus deceret de primo; & quia ignoraret qualiter deberet habere eos regere, sicut dictum est.

Tertia ratio sumitur ex hoc, quod religiosi astrinxerunt se ad ista voluntarie, quia in illis homo eum esset liber, se obligavit voluntarie, debet sibi concedi superior, qui debeat magis esse gratus. Sed cuilibet religioso debet esse magis gratus superior suæ religionis, quam alius qui aliter non videtur diligere statum suum. Ergo, &c.

Obedientia prælato promissa præcipue intelligitur de observantia religionis.

Quarta ratio sumitur, ex consuetudine ecclesiæ, & est talis. Secundum communem ecclesiæ consuetudinem religiosi in professione promittunt obedientiam patri monasterii. Sed ista obedientia præcipue attenditur penes observantiam specialem religionis. Ergo, &c.

Ut deceat religiosos subesse prælato religioso.

Quantum etiam ad præcepta communia omnibus Christianis, decet quod religiosi subdantur prælato suæ religionis. Primo quia decet religiosos subesse abbatibus & consimilibus illis, sine quibus speciales observantiæ non possunt observari. Sed sine obedientia præceptorum communium non bene nec fructuose possunt observari observantiæ speciales. Ergo, &c. Secundo quia in illis debent religiosi subesse abbatibus & consimilibus, quæ aliter habent corrigi vel promoveri tam in religioso quam in sæculari. Sed in præceptis talibus aliter debet ordinari religiosus quam alius. Ergo, &c. Quia si in talibus religiosi deberent corrigi per potestatem extrinsecam, eorum correctio posset esse scandolosa, unde magis secrete corriguntur in claustro & sine scandalo. Ergo, &c. Tertio quia prælatis claustri conceditur summa pœna, quæ competit clericis, scilicet pœna carceris: & hoc non esset nisi concederetur correctio majorum criminum. Ergo, &c. His præmissis.

Ut deceat religiosos subesse prælato religioso.

(b) Pag. 253. Episcopalis jurisdictio in religiosos superflua vel noxia.

Dico (b) quod regulariter & communiter exemptio religiosorum est expediens. Primo probo tali ratione: quia ista vel illa exemptio est bona per quam subditi eximuntur a jurisdictione ac potestate, quando est superflua vel magis nociva, quam proficua. Sed secundum consequentia sic se habet potestas episcopalis respectu religiosorum. Ergo, &c. Major patet. Minor probatur: &

primo quantum ad superfluitatem, quia potestas episcopalis respectu illorum est superflua, quibus sufficienter provisum est de jurisdictione sine episcopali potestate. Ergo, &c. Major videtur probata. Minor patet ex dictis, quia provisione facta religiosis de jurisdictione videlicet præceptorum communium & specialium observantiarum, sufficienter est eis provisum de jurisdictione; quia non requiritur jurisdictio quantum ad alia. Sed sine potestate episcopali est eis sufficienter provisum de jurisdictione in istis, ut jam ostensum est, quia probatum est quod abbates & consimiles debent habere jurisdictionem in præmissis. Ergo, &c.

Supervacanea ostenditur.

Contra hoc arguitur tripliciter. Primo quia melius est regi per plures sapientes, quam per unum. Secundo quia idem sequeretur de Papa, si abbas sufficit. Tertio quia diceretur, quod ex natura rei una est sub alia, & ideo neutra superfluit. Ad primum dicendum, quod illud habet veritatem per modum consilii, non per modum jurisdictionis, quia una posset impedire aliam, nisi una subiiceretur alteri, & nata esset ex natura rei subesse: sicut etiam in aliquibus religionibus inveniuntur potestates subordinatæ, & etiam in sæculo; & omnis potestas subest potestati domini Papæ, a quo omnis potestas ecclesiastica alia a sua habet institui, sicut ab uno capite totius ecclesiæ. Et per hoc patet ad secundum, quia non est simile de potestate episcopali & papali, quia episcopis, ut sunt episcopi, non debetur necessario jurisdictio, accipiendo episcopum prout importat potestatem ordinis: nec etiam habentibus jurisdictionem debetur instituere alias, nisi prout eis limitatur a Papa. Sed potestati Papæ ex natura rei secundum decentiam & ex institutione Christi quantum ad existentiam subest omnis potestas ecclesiastica alia ab ea, & ab ipso Papa omnis alia potestas in ecclesia habet institui: unde uniuscujuscumque potestas alterius ab ea in gradu suo non excludit necessitatem ejus, nec ostendit eam superfluam: sicut nec sufficientia potestatis institutæ excludit necessitatem vel concludit superfluitatem potestatis instituentis. Ex hoc patet ad tertium, quod ex natura, rei potestas prælatorum, qui sunt in religione, non subiicitur potestati episcopali, etiam prout potestas episcopalis accipitur etiam pro potestate jurisdictionis collatæ episcopis: nec etiam secundum decentiam, cum sufficienter, ut dictum est, provisum sit eis, & provisio ex natura rei debeat esse talis. Nec oportet, quod secundum existentiam subiiciatur eis, quia hoc dependet ex arbitrio Papæ. Et si obiiciatur, quod cum a principio religiosi subessent, scilicet episcopis, quare si hoc non decebat ex natura rei, fuit ita; dicendum quod a principio non fuit animadversum sive consideratum quomodo magis decebat religiosos regi per prælatos sui ordinis, quam per alios quantum ad prælatos præsidentes specialiter & immeditate, sicut postea: & ideo a principio decuit, quod essent sub potestate prælatorum quousque per experientiam temporis & collationis, super hoc habitæ, sunt a sanctis patribus & explicite tradita, quæ a principio explicite non occurrerunt.

Tripliciter contra id objicitur.

Prima solutio.

Ad secundum.

Ad tertium.

Obiicitur quod a principio religiosi fuerint episcopis obnoxii.

Secunda autem pars minoris principalis, & primæ rationis probantis principaliter probatur ex tribus *. Primo ex proportione prælati ad subditum. Secundo ex promoventibus ad bonum, ad quod religio ordinatur: quantum ad primum adducuntur rationes. Prima sumitur ex ignorantia status, & est talis: quia in regimine multum nocet ignorantia vel imperfecta notitia eorum, quæ ad regimen pertinent, quando scilicet prælatus ea ignorat, vel imperfecte scit ea, quæ pertinent ad regimen alterius. Ergo * diversitas conversationis inter prælatum & subditum; multum prodest regimini: & oppositum, scilicet hoc vel illud quod diminuit, nocet regimini. Secunda ratio sumitur ex mutua benevolentia prælati ad subditum, & e contrario: quia ille, qui est magis benevolus, debet habere regimen cæteris paribus. Sed disparitas conversationis inter prælatum & subditum diminuit talem benevolentiam. Ergo, &c. Major patet ex parte prælati, quia cum jurisdictio ordinetur ad bonum subditorum; unde & illi, qui ordinant jurisdictionem suam ad commodum suum temporale super terram * diligunt alios, vel- * non le autem bonum alicui est amare eum; amor prælati ad subditum multum facit ad bonum regimen. Idem etiam patet ex parte subditi, quia quanto plus diligit prælatum suum, tanto libentius obedit sibi & suo regimini. Minor etiam patet. Disparitas conversationis diminuit talem benevolentiam, quia qui sunt ejusdem conversationis magis se diligunt, nam similitudo est causa dilectionis, nisi per accidens contingat contrarium: & ideo diversitas conversationis diminuit benevolentiam.

Respondetur.

* duobus Duplici argumento probatur convenire.

* uniformitas

Tertia ratio sumpta ex benevolentia ad statum, & est talis. Cum ille, qui præest, magis zelat pro bono regimine aliquorum, non est ponendus alius, qui minus zelat & posset magis zelantem impedire. Sed probabile est, quod religiosus prælatus magis zelat pro bono regimine religiosorum sui ordinis, quam alius, sive sit secularis, sive sit religiosus alterius religionis: & alius posset penitus impedire eum. Ergo, &c. Major patet quia magis zelans, cæteris paribus melius regit, & impedire regimen melius regentis esset nocivum. Minor etiam patet facilitet, quia unusquisque magis afficitur ad suum statum, quam alienus a statu; & per consequens magis zelat

lat pro bono regimine existentium in statu.

Objectiones contrariæ.

Contra præmissa arguitur multipliciter. Primo contra primam rationem, quia præsumitur, quod episcopus qui assumitur ad altiorem statum, quam sit status prælationis religiosorum, sit magis sapiens quam prælatus religiosus. Dato etiam, quod minus sciret de iis, quæ pertinet ad observantias religionis; tamen præsumitur plus scire de iis, quæ pertinent ad præcepta, de quibus est majus periculum. Secundo arguitur contra secundam & tertiam, quia supponitur, quod episcopus impediat prælatum religionis: quod non videtur, quia supponendum est de eo, quod sit bonus. Tertio, quia dicitur, quod status episcopi eminenter continet statum religionis, & per consequens afficietur ad eos sicut alius religiosus. Quarto arguitur contra quartam rationem, quod ovis sequatur pastorem, utcumque, sit alterius speciei. Ergo, &c.

Arguitur contra rationem, quia secundum istas rationes sequitur, quod Papa non debeat præesse religiosis.

Solvuntur.

Ad primum istorum dicendum est primo, quod abbas potest esse æque sciens, & forte de facto inveniretur episcopi, vel forte plures deficientes in hoc, quam prælati religiosi, licet multi sint sapientes inter episcopos. Secundo, quia saltem quæ sunt imponenda religiosis quæcumque melius novit religiosus, quam alius. Tertio, quia dum adsit bona voluntas ad subditos quæ præsumitur propter prædicta, defectus scientiæ posset per consilium subveniri proborum tam circa præcepta, quam circa alia. Ad secundum dicendum, quod licet sit præsumendum de episcopo & quocumque alio, quod sit bonus, donec probetur contrarium; ita etiam propter affectionem incurvam cujuslibet ad seipsum præsumi potest, quod quilibet jurisdictionem suam vellet ampliare, & concurrentem impedire: & forte posset ita probari de facto, ita esse in multis visitationibus monasteriorum factis per episcopos vel episcopum; ita quod per probationem jam de facto patenter posset probari, quod suam extendunt potestatem episcopi super religiosos, & regimen religiosorum impediunt quandoque, vel forte frequenter. Ad tertium dicendum, quod licet status episcopalis sit eminentior quantum ad dignitatem status; non tamen continet statum religionis formalem, nec similem modum vivendi, quæ est causa majoris affectionis prælati ad subditum. Ad quartum dicendum, quod comparando brutum ad brutum non invenitur, quod aliquod brutum sequatur societatem alterius, quod sit alterius speciei nisi propter prædam. Sed bene quædam animalia bruta magis sequuntur hominem beneficum, quam sequantur aliud brutum ejusdem speciei propter multa beneficia collata, quæ si non fierent, nec illa sequerentur. Sic puto quod, si religiosi essent experti plura beneficia ab episcopis, quam a prælatis suæ religionis, quod religiosi libenter sequerentur eos. Dices præsumitur, quod exhibeant. Et ego dico, quod ovis non sequeretur beneficium præsumptum vel beneficia præsumpta, sed exhibita, & adhuc minus sequeretur exhibentem oppositum beneficiorum. Ad quintum de Papa dictum est superius.

Posthea (a) probatur idem, scilicet quod potestas episcopalis primo sit nociva regimini religiosorum, rationibus sumptis ex parte promoventium ad bonum positive religionis, scilicet quæ sunt duo quæ retrahunt hominem a malo, & promovent ad bonum positivum: unum per modum directionis, sicut præcepta & monitiones: & aliud per modum medicinalis remedii, sicut sunt correctiones. Primo ex utroque potest argui ad propositum, & primo ex primo ducitur, quia episcopus novit minus, quæ expediunt religiosis, & ideo minus potest scire bene quæ debeant præcipi vel moneri: & si concurreret cum sciente, posset eum impedire, sicut jam dictum est. Secundo minus acceptarentur admonitiones suæ, quam ordinatio illius, qui est conformis vitæ: & quia ista tacta sunt superius, ideo transeo. Quantum autem ad correctionem idem probatur, scilicet quod jurisdictio episcopi esset nociva, impediendo scilicet meliorem: primo, quia in correctionibus maxime exquiritur benevolentia & amor specialis, qui maxime est inter conviventes, & minus inter alios. Unde Augustinus in regula: Propter quod in unum estis congregati, ut unanimes habitetis in domo, & sit vobis anima una & cor unum in Deo. Secundo, quia in correctionibus maxime est necessaria notitia conditionis ejus, qui debet corrigi: quæ major vel magis habetur a conviventibus, quam ab alios. Tertio quia cum in correctionibus immineat confusio personæ & status, verisimile est, quod in hac liberius cavebit prælatus ejusdem status, quam prælatus alterius status. Quarto, quia cum ex debita correctione conservetur status & honor ejus, præsumendum est, quod prælatus de ipso statu magis solicitetur, quam ad tenendum statum & honorem, qui expedit circa ista. Et sic patet, quod jurisdictio episcopalis magis est nociva religioni quam proficua, attendendo ad ea, quæ promovent ad bonum commune religionis positive.

(a) Pag. 254. Jurisdictio episcopalis religiosis noxia.

Item probari potest ex his, quæ promovent bonum religionis per modum removentis prohibens. Sunt autem in universo quatuor, scilicet paupertas voluntaria, obedientia, continentia, & separatio secundum locum a conversationibus sæcularibus: & ex quolibet istorum potest argui ad propositum. Primo ex obedientia quia illud, quod

Probatur ab episcopis monachos non recte dirigendos.

Non promovendi ab iidem religionis bonum.

*quod vel impedit vel minuit obedientiam religiosorum ad patrem monasterii est nocivum voto obedientiæ ab eis facto. Sed jurisdictio episcopalis est hujusmodi. Ergo, &c. Major patet. Probatio minoris, scilicet quia illud, quod obedientiam talem * est nocivum voto talis obedientiæ. Sed jurisdictio episcopalis nata est impedire talem obedientiam, quia jurisdictiones contendentes in eandem personam natæ sunt impedire, etiam si respiciant diversos casus, quia quantumcumque casus sint diversi in una persona non possunt simul exequi plures, nam exequendo unam impeditur ab executione alterius, &c. una impedit aliam, &c. Si concurreret jurisdictio episcopalis cum jurisdictione abbatis super monachos, impediret jurisdictionem abbatis & diminueret, quia qui subditur duobus, nullius obedientiæ ad plenum subiicitur. Ergo, &c. Secundo arguitur ex eodem sic, quia illud, quod dat occasionem subditis religiosis minus prompte obediendi patri monasterii est nocivum bono obedientiæ debitæ illi patri. Sed jurisdictio episcopalis est hujusmodi. Ergo, &c. Major patet. Probatio minoris, quia spes propinqui defensoris redderet religiosos subditos minus promptos obedire patri monasterii, quia passim per appellationes qualescumque possent evadere manus ejus. Sed hoc est reddere religiosos ad obedientiam eis debitam minus promptos.*

** impedit.*

Contrariæ episcopi & abbatis jurisdictiones confunderent monasterium.

Sed contra hoc posset obiici, quia dicetur, quod episcopus non fovebit injustam causam, & per consequens non dabit eis occasionem ad appellandum. Et ad hoc dico primo propter fragilitatem humanam probabile est episcopos fovere tales appellationes ad ampliandum jurisdictionem suam. Secundo quia dato, quod episcopi essent boni, multos haberent circa se, qui de facili consulerent facere acceptionem appellationum vel propter munera, vel propter favores personarum, & ex multis aliis causis. Tertio, quia bonitas episcoporum non tolleret oppositionem malorum monachorum circa hoc scilicet circa possibilitatem habendi remedium per appellationes: immo videtur, quod talis possibilitas evadendi per appellationem propter spem propinqui defensoris det occasionem suspectis religiosis fugiendi, & contemnendi correctionem prælatorum suæ religionis.

Appellationes ad episcopum disciplinam labefactarent.

*Ex secundo, scilicet ex voluntaria paupertate, potest idem argui, scilicet quod jurisdictio episcopalis tali voto est nociva: quia illud quod reddit religiosum magis solicitum circa bona temporalia est contrarium voto paupertatis, vel saltem nocivum. Sed jurisdictio episcopalis est hujusmodi. Ergo, &c. Major patet. Probatio minoris: quia lites non possunt teneri sine magnis expensis, & per consequens solicitant hominem ad procurationem temporalium. Sed jurisdictio episcopalis nata est religioni multiplicare lites, quia oporteret eos respondere in curia episcoporum conquerentibus de eis quibuscumque vel juste vel injuste, & etiam episcopi episcopo imponenti. Ergo, &c. Secundo probatur idem sic: quia quod dat occasionem monacho ad hoc, quod habeat aliquid sine scitu sui prælati, est contrarium voto paupertatis. Sed jurisdictio episcopalis est hujusmodi. Ergo, &c. Major patet. Probatio minoris: quia illud, per quod datur monachis occasio trahendi abbatem suum in causam per oppositionem vel aliter, dat sibi occasionem procurandi & quærendi aliquid pro se sine scitu sui prælati. Sed jurisdictio episcopalis dat occasionem hujusmodi. Ergo, &c. & si dicatur, quod episcopus est bonus, dicendum sicut prius. Idem probari potest ex tertio, scilicet ex continentia, quia scilicet omnis discursus per mundum, & maxime ad contrahendum moram cum illis, qui sæculariter conversantur, est nocivum voto continentiæ. Sed jurisdictio episcoporum est occasio talium discursuum. Ergo, &c. Major patet, quia discursus tales vix possunt esse sine societate mulieris. Sed hoc est nocivum voto continentiæ. Ergo, &c. Tales ergo discursus frequentes vix possunt esse, quin multæ occasiones contrariæ immisceantur, & maxime loquendo de discursibus, qui sunt ad lites, ratione quorum oportet se jungere hominibus multum sæculo deditis, & etiam levibus, & posset poni in terris. Et si dicatur, quod propter temporalitatem nunc etiam discurrunt religiosi, dicendum quod non oportet, primo quia multiplicare inconveniens, non est solvere. Secundo, quia ad hoc pauci electi & magis cauti & experti mittuntur, qui possunt sufficere: sed de episcopali jurisdictione non est ita, cui in causis personalibus subiiciuntur monachi, & qui indifferenter possunt habere occasionem existendi extra claustrum sive suspecti sive securi. Ex his patet, quod jurisdictio episcopalis nocet quanto prius, voto scilicet separationis a conversationibus sæculariter * sine * solicitudine claustri, quia omnis evagatio & omnis discursus & omnis citatio extra claustrum huic contrariatur.*

Infringendi vota daretur occasio.

* sive * solicitudine

Sed contra hoc posset obiici primo, quia poterunt monachi comparere per procuratorem. Secundo quia diceretur, quod episcopus non traheret eos extra claustrum, sed in visitatione corrigeret. Tertio quia diceretur, quod mitteret eis visitatores. Primum non, videlicet propter duo, primo quia non omni casu potest homo decenter comparere per procuratorem. Secundo, quia multi monachi nollent comparere per procuratorem, volentes discurrere per mundum. Secundum etiam non valet propter duo, primo quia aut visitatio episcopi esset diu-

diuturna aut transitoria: si diuturna, gravarentur monasteria: Si transitoria tunc episcopus parum posset scire de corrigendis: immo videtur probabile, quod quia monachi suspecti & sæculariter volentes vivere majorem gratiam frequenter haberent apud sæculares prælatos & alios, & præcipue apud advocatos, possent ex mala informatione inducere episcopum ad destruendum omnem informationem, quam faceret unus abbas per totum annum. Secundo, quia posset esse, quod instantia agentium contra monachos requireret oppositum, scilicet ad faciendum citationem extra claustrum. Tertio, quia frequenter episcopi habent multos tales circa se ad faciendum tales citationes, incitantes eos. Quarto ut dicunt illi, qui experti sunt, non apparet experientia facti tanta solicitudo episcoporum circa religiosos, quod velint eis cavere, ne citentur extra claustrum. Idem principale patet ex bono, ad quod religio est ordinata, quod est ex voto vacare divino cultui. Primo, quia in tali bono nocet omnis inquietudo mentis. Sed jurisdictio episcoporum infert, vel potest esse occasio inferendi multas inquietudines religiosis. Ergo, &c. Secundo, quia religiosi tali cultui se dedicant securius, ut securius quantum ad ea, quæ pertinent ad salutem, vivant. Sed jurisdictio episcoporum nocet tali securitati. Ergo, &c. Probatio Minoris, quia episcopo præcipiente contrarium ei, quod præciperet abbas, redderetur religiosus magis perplexus, quam sæcularis, qui non habet nisi unum istorum prælatorum. Sed perplexitas est contraria saluti. Ergo, &c.

Perplexus esset religiosus statu.

Si dicatur, quod a sapientibus poterunt dirigi, cui debeant obedire: non valet, quia saltem alii quantum ad hoc essent in majori dubio, quam sæculares. Secundo, quia contradicentibus pariter, vel qui tales putantur, quod potest frequenter contingere, adhuc manet in dubio. Tertio, quia ab illo cui non obedirent, possent multis modis gravari. Si dicatur, quod hæc omnia propter correctionem abbatis saltem in tali casu subiicerentur episcopis. Ad hoc dico, quod adhuc non videtur mihi, quod subjectio expediret: quia licet forte in casu & raro posset expedire; regulariter tamen & communiter videtur, quod esset nociva magis quam proficua. Primo, quia daretur saltem monachis facultas ad appellandum, quod est maxima occasio enervandi disciplinam & destruendi monasteria, ut experientia potest docere. Secundo, quia probabile est, quod regulariter abbas magis afficiatur ad statum suum & monachum, quam quicumque prælatus sæcularis; unde licet quod posset in casu propter forte inordinationem abbatis hic expedire; tamen regulariter non est concedendum, quia ad hanc partem plura inconvenientia sequerentur, quam ad aliam.

An abbatem corrigi ab episcopo vulgo expediat.

*Postquam universim hic ostensum est, quod generaliter religiosis expediens est exemptio, nunc videndum quibus religiosis magis convenit: & dico quantum ad hoc, quod magis convenit illis religiosis, qui sunt dispersi per mundum, existentibus in diversis mundi diœcesibus & regnis, quam illis, qui non sunt dispersi: & loquor de illis dispersis, qui sunt sub uno capite. Secundo dico quod magis convenit illis, in quorum religione est ordinatum, quod omnes tam prælati quam alii habeant correctionem in prima religione, quam aliis qui non sunt sic ordinati. Tertio dico, quod magis competit mendicantibus, quam non mendicantibus. Primum patet sic, quia uni religioni debenti uniformiter vivere multum esset nocivum tot diversis voluntatibus subiici, sed si talis religio subiiceretur episcopis una religio debens uniformiter vivere subiiceretur multis & diversis voluntatibus. Ergo, &c. Major patet, quia omnis diversitas nocet unitati. Minor etiam patet, quia tales subiiceventur omnibus episcopis mundi. Secundo, quia diversæ consuetudines & diversi modi vivendi tam prælatorum quam aliorum *. Ergo, &c. Tertio, quia unum & eundem oporteret subiici infinitis dominiis, & jurisdictionibus, quia cuod totius religionis oporteret subiici omnibus episcopis mundi. Secundum etiam patet quia illi quibus provisum est de sufficienti correctione quantum ad omnes, qui sunt in primo ordine, infra ipsum ordinem minus indigent correctione extrinseca, quam illi quibus non est sic provisum de correctione extrinseca. Ergo, &c. Tertium patet quia illis, qui minus habent agere cum sæcularibus negotiis, in quibus possunt fieri injuriæ vel calumniæ vel querelæ, magis convenit, quam illis, qui in talibus plus habent agere cum sæcularibus. Sed mendicantes sunt hujusmodi respectu habentium possessionem. Ergo, &c. Major patet, quia quanto aliqua religio minus habet agere cum extrinsecis, tanto minus indiget correctione extrinseca. Minor etiam patet, quia illi, qui minus habent de temporalitate, minus habent agere cum extrinsecis, quia major fere controversia mundi est circa temporalitatem. Sed mendicantes sunt hujusmodi. Ergo, &c. Secundo, quia illi magis debent eximi a potestate prælatorum, qui minus habent unde se possint defendere contra episcopos gravantes, & contra male appellantes, quia in omnibus subiiciuntur propter defectum defensionis. Sed mendicantes sunt hujusmodi. Ergo, &c. Immo audeo dicere; quod si laxaretur habena ad appellandum, quod vix prælati possent insolentes corrigere, quia prælatis non potentibus habere expensas ad se defendendum contra male appellantes, insolentes procurantes sibi gratiam apud judices & alios sæculares, facerent quid-*

Ut in specie religiosos ordines exemptos esse expediat.

* inducerent dubiici versitatem.

De mendicantibus in specie.

quidquid vellent : unde illi , qui volunt tollere a talibus exemptiones , videntur tales ordines destruere ; quod absit , cum eorum utilitas sit in tota ecclesia manifesta.

Objectio. *Sed contra istud ultimum potest obiici , scilicet quod non mendicantes magis debent habere exemptionem , quia illis religiosis , ut videtur , magis convenit exemptio , qui habent plura agere cum prælatis , & quibus episcopi in majoribus possunt nocere . Sed religiosi divites respectu pauperum isto modo se habent . Ergo , &c. Major patet . Probatio minoris , quia quanto plus habent de temporalibus , tanto plus habent agere cum episcopis , & plus in majoribus possent eis nocere episcopi . Ad hoc dicendum , quod major non habet veritatem , nisi sic addatur : Nec plus possunt se defendere , quam alii ; unde plus posset nocere jurisdictio episcoporum minus habentibus , si minus possent se juvare , quam magis habentibus potentibus se magis defendere . De minore potest dici , quod est falsa , quia damnificarentur plus in bonis spiritualibus , quia minus prælati poterunt se defendere contra insolentes appellantes. Et quia frequenter occurrit objectio de Papa in præcedentibus quinque argumentis ex disparitate conversationis & minore affectione ad statum , quia sicut nec episcopus , ita nec Papa est religiosus , prout hic loquitur de religiosis ; & si esset religiosus non tamen esset , nec esse posset de omni religione , videntur sequi eadem inconvenientia de Papa sicut de episcopis ; ad hoc dicendum , quod non est simile propter quinque. Primo , quia est fundator omnis religionis in spiritualibus , quod est plus quam fundare in temporalibus : episcopi autem non sic. Unde verisimile est , quod Papa habeat majorem affectionem ad eos , quam alii episcopi & quantum ad statum , & quantum ad unumquemque de statu. Secundo , quia propter unitatem ecclesiæ oportet præesse unum , quod impossibile est esse de omni religione : & ideo oportet , quod omnes subditi sui non sint consimilis conversationis cum eo. In speciali est irremediabile quantum ad hoc , quia non potest poni remedium , per quod Papa sit ejusdem conversationis in speciali cum quolibet : aliter oporteret esse extra ecclesiam. Quantum autem ad inferiores episcopos , potest remediari per ipsum , dando prælatos religiosos.*

Cur Papam & non episcopum præesse illis expediat.

Si dicatur , quod saltem sequitur , quod melior est jurisdictio abbatis respectu monachi , quam jurisdictio Papæ ; dicendum , quod non sequitur . Primo , quia extra jurisdictionem Papæ nulla est bona . Secundo quia major affectio ejus habetur quam per alium , quia omnis religio est opus ejus sicut fundatoris sui ; unde religiosi videntur filii ejus speciales quadam speciali filiatione. Tertio , quia subtractio a potestate episcoporum aliorum a Papa potest stare cum hoc , quod est manere intra unitatem ecclesiæ , quia hoc facto possunt manere sub primo capite supremo , a quo est omnis unitas ecclesiæ quantum ad superioritatem unitatis ecclesiæ . Sed subtrahi a potestate Papæ est poni extra unitatem ecclesiæ : quod est malum , quia per nullam aliam jurisdictionem posset recuperari ; unde exemptio contraria jurisdictioni Papæ est pejor quam quodcumque malum , quod ista jurisdictio posset inferre. Quarto , quia non propter defectum potestatis jurisdictionis , sed propter impotentiam humanæ fragilitatis Papa non potest religioso intendere , & per se ipsum corrigere , & emendas dare , sicut faciunt prælati , sed providendo de rectore ; ideo multo melius est , quod provideat eis de eo , qui sit ejusdem conversationis cum eis , quam de alio : cum etiam , regulariter loquendo , propter talem conformitatem non deceat religiosum unius religionis præfici in alia religione . Quinto , (a) quia dominus Papa sicut generalis dispensator bonorum ecclesiæ potest accipere a religiosis & abbatibus non solum per modum emendæ , sicut in correctione culparum , vel per modum gratuitæ talis collationis dependentis a voluntate dantis ; sed etiam sicut dispensator generalis ecclesiæ , & nullus alius episcopus potest sic accipere , nisi de ejus ordinatione : & quia per modum emendæ non potest extrahi nisi propter culpam existentem vel impositam , vel propter aliquam vexationem , a quibus oportet , quod religiosi quandoque se redimant ; non est simile de episcopis & de Papa. Et si dicatur , quod episcopus sit bonus , dico sive sit bonus sive alius , tamen ex dictis oportet , quod habeat occasionem alicujus inordinatæ pronitatis ad executiones faciendas , quam non habet Papa. Nec credo , quod episcopatus tollat ab eis omnem pronitatem inordinatam fragilitatis humanæ.

(a) Pag. 255.

De exemptionibus capitulorum.

Nunc restat agere de exemptione capitulorum. Ad cujus evidentiam præmitto tria. Primum est , quod necessitas fuit , quod capitula ecclesiarum collegiatarum canonicorum sæcularium haberent caput aliud ab episcopo vicinius eis . Secundum est videre , unde debent accipi rationes ad ostendendum utilitatem vel incommoditatem exemptionis. Tertium est videre , ad quid ordinetur collegium canonicorum sæcularium. Quantum ad primum ; sciendum , quod in omni familia vel congregatione oportet ponere aliquem præesse illi congregationi , qui continuam curam gereret illius congregationis : alioquin prima congregatio esset inordinata , quia ille , qui habet generalem potestatem non posset , saltem per se ipsum , circa tales congregationes continue intendere , cum tamen oporteat , quod tales congregationes habeant semper & continue aliquem circa se gerentem curam

ram eorum : & quia collegia canonicorum non solum quantum ad collegia distantia a sede , sed etiam quantum ad ipsum collegium , quod est in sede , non potest semper habere præsentiam episcopi , qui habet curam generalem totius ecclesiæ seu populi dioecesis , nisi aliqui eximantur , ideo oportet tale collegium habere quoddam caput continuam curam exercens circa populum collegii aliud ab episcopo. Quod quidem collegium , licet non omnes de eo semper conversentur in eadem domo , tamen sunt unum collegium uni ecclesiæ deservientes ; non minus indigentes aliquo specialiter habente curam continuam circa ipsos , quam familia unius domus vel aliqua congregatio consimilis . Nec valet si dicatur , quod episcopus potest regere eos per aliquem vicarium . Primo quia posset sic frequenter mutare illos vicarios , quia posset capitulum illud per tales mutationes multum lædi : unde non oportet , quod habeant præsidentem , cui ordinare hæc competat . Unde etiam & in quibusdam ecclesiis ordinatum est , quod nullus possit esse decanus nisi faciat residentiam continuam sic , quod non notabiliter se absentet . Decens etiam est , quod per electionem illorum (cum tamen approbatione superioris) instituatur , quibus sic continue debet præesse , quia melius sciunt quid expediat , quam alius .

Argumenta pro parte affirmante.

Quantum ad secundum ; sciendum , quod exemptio sicut dictum est , dicitur esse bona , quoniam jurisdictio opposita magis est nociva bono communi subditorum , quod est finis jurisdictionis . Unde autem accipiantur rationes ad ostendendum , utrum jurisdictio sit talis , scilicet proficua vel nociva , vel magis hoc quam illud ; videtur mihi primum ad hoc , quod rationes probabiles possint accipi ex conditione statuum præsidentis & collegii sibi subjecti , ex quibus conditionibus probabiliter saltem potest conjecturari utrum talis jurisdictio tali collegio sit magis proficua , quam nociva. Licet autem ex talibus conditionibus sic probabilius aliquæ rationes possint adduci probabiles ; tamen (salvo meliori judicio) ex talibus non possunt accipi efficaces , secundum quas debeat procedi , nisi post diutinam experientiam facti : quia frequenter secundum tales persuasiones generales videntur aliqua agenda , quorum contrarium ostendit & probat experientia facti.

In his perpendendæ circumstantiæ.

Canonici ad quid in ecclesiis constituti.

*Quantum ad tertium ; sciendum , quod collegia canonicorum in ecclesiis cathedralibus non solum ordinantur ad hoc , ut cantent vel faciant officium divinum in choro , quia ad hoc sufficiunt clerici chorales , & si ad hoc essent ordinati , illi etiam magis deberent fieri canonici , qui melius cantarent , quod falsum est ; immo etiam ut eorum consilio ecclesia & bona ecclesiæ gubernarentur : propter quod aliqua sunt , quæ episcopus potest * facere sine consensu ca-*

* non

pituli , & quandoque etiam capitulum supplet negligentiam episcoporum , & punit episcopum peccantem in collatione beneficiorum .

Modo quantum ad quartum , scilicet ad propositum ; possunt adduci aliquæ persuasiones ad ostendendum , quod decens esset saltem quandoque & in aliquibus locis , capitula eximi ab episcopis . Prima sumitur ex pluralitate discretorum in collegio capituli in comparatione ad episcopum , & est talis : quia congruum est magis eximi sanum consilium a minus sano. Sed probabile est , quod in toto capitulo sunt plures sapientes quorum consilium est probabile esse sanius , quam consilium episcopi , qui est una persona : & ista ratio est probabilis quantum ad insignia collegia , in quibus communiter inveniuntur solemnes & discretæ personæ , sunt capitulum Parisiense , vel consimile. Contra hoc potest obiici quia dicetur , quod episcopus habet secum copiam discretorum , a quibus potest habere ita sanum consilium sicut capitulum , vel sanius . Et ad hoc dicendum , quod non est probabile , cæteris paribus , quod illi discreti ex parte episcopi dent ita bonum consilium & sanum , sicut illi de capitulo , quia cæteris paribus ubi major est diligentia , habetur sanius consilium . Sed probabile est quod illi de capitulo , ad quos pertinet , majorem diligentiam adhibeant , quam consiliarii episcopi , ad quos non ita pertinet , ideo , &c. Secundo , quia sicut episcopus debet habere consiliarios alias a se , ita & capitulum . Sed æqualibus additis inæqualibus totum est inæquale . Ergo additis consiliariis episcopo etiam adhuc non est æquale sanum consilium utriusque partis. Secunda persuasio ad id sumpta ex hoc , quod ad capitulum quandoque pertinet supplere negligentiam episcopi , & punire & reprehendere defectum ejus in debita collatione beneficiorum , & est talis ratio . Illos eximi ab illa potestate , cujus defectum habent quandoque supplere , videtur esse expediens , quia per hoc libentius supplerent vel reprehenderent. Sed sic se habet , quandoque saltem capitulum respectu episcopi . Ergo vel simpliciter vel saltem ad aliquid conveniens est capitulum eximi ab episcopo . Tertia persuasio sumitur ex hoc , quod frequenter capitulum habet aliqua communia cum episcopo , in quibus oportet , quod episcopus sit pars contra eos , & e contra , & est talis . Nullus debet esse judex in causa sua , quia probabile est unumquodque semper magis judicare pro se quam pro alio . Sed frequenter , ut dictum est , contingit capitulum habere causam contra episcopum , & e contra . Ergo saltem quantum ad talia decens est capitulum non subjici episcopis : & per consequens decens est quantum ad hoc eximi ab ipsis , quia tunc sicut dixi , istæ persuasiones non ha-

Quia defectus episcopi interdum supplend. ideo eximendi.

bent efficaciam tantam, quod ex eis possit efficaciter concludi quid agendum propter multas particulares circumstantias, ex quibus possunt multipliciter variari negotia, maxime in istis attendendum est quid ex diutina factorum experientia inventum est.

An exemptiones sint revocandæ.

Quantum autem ad exemptiones jam concessas non revocandas; possunt adduci aliquæ rationes, quarum prima sumitur ex ampliatione beneficiorum principum: quia cum beneficia principum magis sint ampliandа quam restringenda, beneficia principum vel quorumcumque præsidentium vel etiam gratiæ non sunt revocandæ nisi propter notabilem defectum abutentium. Sed exemptiones concessæ a domino Papa sunt gratiæ concessæ a principe militantis ecclesiæ. Ergo non decet eas revocari nisi propter defectum notabilem abutentium. Secunda ratio

Argumenta pro parte negante.

sumitur ex causa concedendi & est talis: quia quod est causa concedendi & cum magna diligentia conceditur vel concedi debet, non decet sine magna causa & magna diligentia auferri. Sed exemptiones non nisi ex magna causa & magna diligentia a sanctis patribus sunt concessæ. Ergo, &c. Tertia ratio sumitur ex auctoritate concedentium, & est talis. Quod est concessum a viris maximæ auctoritatis, debet manere; quia non est verisimile, quod concessissent sine magna utilitate vel causa. Ergo non debet revocari non solum illud, sed nec aliquid simile ei concessum. Sed exemptiones sunt concessæ a viris maximæ auctoritatis, sicut a summo principe, scilicet a Papa; & maximæ sanctitatis, sicut fuit B. Gregorius, & quidam alii. Ergo, &c. Quarta ratio sumitur ex similitudine vicarii generalis Christi ad ipsum Christum, quia gratia Christi ab illis, quibus confertur, non aufertur nisi propter culpam eorum, quibus sic confertur. Ergo similiter nec gratia vicarii generalis, scilicet Papæ, debet auferri nisi propter culpam illorum, quibus confertur. Et ita videtur, quod exemptiones, quæ sunt

Absolute a Papa exemptiones possunt revocari.

quædam gratiæ, non sunt de facili revocandæ pro quibusdam generalibus persuasionibus, quæ frequenter, quando perveniunt ad experientiam facti, inveniuntur deficere: unde diligens & longa inquisitio & evidens probatio, & non assertio partis contrariæ an tales exemptiones notabiliter essent nocivæ vel utiles, debent præcedere revocationem talium exemptionum: licet semper in arbitrio domini Papæ sit absolute eas revocare, secundum quod sibi videtur expedire.

De conservatoribus exemptionum.

Nunc autem dicendum est de conservatione ipsarum. Circa quod sciendum, quod aliquid dupliciter conservatur ab aliquo, uno modo sicut a directe influente sibi esse, & ipsum in suo esse tenente, sicut creatura conservatur a creatore, & lumen a sole: alio modo sicut ab impediente occasionem nocivi vel contrarii, sicut ovis dicitur conservari a pastore contra lupum. Primo soli Papæ convenit conservare exemptiones, saltem datas ab eo immediate, quia conservare isto modo nihil aliud est, quam gratiam continuate collatam continuare. Sed ad illum pertinet continuare, cujus est conferre. Ergo, &c. Secundo modo Papa & alii, quibus vult committere, possunt conservare, quia conservare exemptionem secundo modo nihil aliud est, quam impedire vel repellere impugnatores exemptionum. Sed hoc potest competere Papæ & aliis, quibus committitur. Ergo, &c. His præmissis, dico primo, quod exemptio debet habere conservationem utroque modo & conservatorem. Secundo dico, quod præter ipsum Papam debet habere conservatorem magis propinquum. Tertio dico, quod

An debeant esse perpetui.

debet habere conservatorem perpetuum. Primum probo quantum ad utrumque primo sic: quia in tantum conservatio uniuscujusque est bona, in quantum prima regula, quia bonitas conservationis debet judicari ex bonitate rei conservatæ. Sed, ut jam dictum est, in talibus cessius exemptio est valde bona, quæ deberet habere conservatorem. Secundo sic, & hoc quantum ad secundum modum conservandi: quia quanto aliqua res bona plura habet impugnantia, tanto magis debet habere conservatorem. Sed exemptio, ut patet de facto, habet multos impugnatores. Ergo, &c. Tertio ad idem ex similitudine in naturalibus; quia sicut conditor rerum naturalium providet eis de conservatore, ita conferens exemptiones debet eis providere de conservatore. Ergo, &c. Major patet. Probatio minoris, quia videmus, quod in animalibus natura providet de armis naturalibus ad defendendum se contra nocivia, sicut de corio duro & pilis contra frigus, & de cornibus contra alia. Ergo similiter in proposito.

Et propinqui.

*Secundo dico, quod debent habere conservatorem propinquum: quod taliter probo. Primo, contra propinquum impugnatorem providendum est de propinquo conservatore, alioqui res conservanda posset frequenter læsi. Sed exemptio, ut de se patet, habet multos propinquos impugnatores. Ergo, &c. Secundo sic, quia exemptio datur in commodum exempti. Sed modicum commodi posset habere exemptus de sua exemptione, si non haberet conservatorem propinquum. Ergo, &c. Probatio minoris, quia si in quolibet casu oportet recurrere ad remotum conservatorem, plus expenderet in talibus discursibus quam componendo cum adversariis: & quantum ad religiosos specialiter quia occasio majoris * non convenit religiosis. Sed exemptio, si non haberet propinquum conservatorem, esset occasio religiosis plurium discursuum, quam si non haberent exemptionem, quia oporteret eos discurrere ad remotum conservatorem,*

* discursus

rem, & ad inferiores judices ad defendendum se interim contra eos. Ergo, &c.

Tertio dico, quod etiam deberent habere conservatorem perpetuum, quod taliter patet, vel probo. Primo sic: quia illud cujus perpetuitas est bona, debet habere perpetuam conservationem vel perpetuum conservatorem. Sed exemptio saltem religiosorum semper est bona. Ergo, &c. Major patet. Probatio minoris, quia servare sive tueri illos, qui totam vitam suam dedicant cultui divino, a jurisdictione, quæ potest eos a tali bono impedire, est bonum. Sed exemptio religiosorum est hujusmodi, quia subtrahit eos a jurisdictione episcopali, quæ nata est impedire hoc bonum. Ergo, &c. Secundo sic, quia unumquodque ordinatum ad finem, debet conservari quousque consequatur ultimate suum finem. Sed finis, ad quem ordinatur exemptio, est quies contemplationis religiosorum, & hoc quantum ad exemptionem religiosorum. Sed iste finis, ultimate habet attingi in fine

Concluditur pro parte affirmante.

sæculi, quia credendum est, quod usque tunc non deficient religiosi, qui dedicant divino cultui vitam suam. Tertio, quia tamdiu debet aliqua res habere conservatorem, quamdiu probabile est quod conservatio impugnatur. Sed probabile est, quod conservatio semper habebit impugnatores, prælatis existentibus in talibus voluntatibus, sicut etiam modo persistunt. Ergo, &c. Subiicit auctor multa adversariorum exemptiones oppugnantium argumenta, quorum plura constant similitudinibus petitis ex rerum naturalium in actionibus suis, & in situ, ordine, & comparatione ecclesiæ cum hierarchia angelica, ex suavitate divinæ providentiæ, quæ infima ad suprema per media adducit, & ex ordine stationum in arca Noe, quæ erat typus ecclesiæ: quæ aliaque similia refellit, cum plus dissimilitudinis, quam similitudinis habere dicat. Validiora sunt hæc.

Argumenta contra exemptiones.

(a) Pag. 256. argum. XI.

Sicut (a) fuit in primitiva ecclesia, ita debet esse & in moderna. Sed in primitiva ecclesia inferiores reducebantur mediantibus Apostolis in Christum, dicente Apostolo, quod dominus primo posuit Apostolos gubernatores aliorum. Ergo & ita nunc inferiores deberent reduci in summum Pontificem mediantibus episcopis, qui succedunt Apostolis; cujus argumenti vis inferius repetitur (b). Et infra (c): *Decens est, jurisdictionem consequi potestatem ordinis episcopalis. Sed exemptio tollit jurisdictionem episcoporum super exemptos. Ergo, &c. Si dicatur, quod sufficit ad istum decentiam, quod episcopus habeat jurisdictionem super totum populum suæ diœcesis, exceptis paucis exemptis: contra, quia decet episcopum exercere actus episcopales circa omnes suæ diœcesis qui tales actus suscipiunt, & præcipue quantum ad*

(b) Ead. pag. 256. argum. XII.

(c) Ead. pag. argum. XXIII.

actus illos quos solus episcopus potest exercere, nisi in casu, quando simplex sacerdos non episcopus de mandato Papæ confirmat, vel confert minores ordines. Ergo decet eum habere jurisdictionem super omnes, nullo excepto. Et infra (d): *Illud, per quod minus possibilis est correctio vitiorum, est malum. Sed exemptio est hujusmodi. Ergo, &c. Major patet: Probatio minoris, quia vitia minus possunt corrigi per remotum correctorem quam per propinquum. Sed exemptio, ablato propinquo correctore, deducit subditum in correctorem remotum. Ergo, &c. Sed si dicatur ad hoc, quod exemptio non tollit omnem correctorem propinquum, scilicet decanum & collegia religiosorum abbates & priores: contra, quia quanto plures sunt sine * rectore propinquo tanto est pejus. Sed per exemptionem plures sunt sine * rectore propinquo, quam si non esset exemptio, quia si exemptio non esset, abbates, priores, & decani haberent correctores propinquos.* Adjecta alia argumenta in specie contra exemptiones canonicorum, qui eas in propugnacula effrenatæ licentiæ vertunt; tum in religiosos ordines, ex quibus Templariorum ordo clarissimus ob exemptionum corruptelas in sententiam flagitiorum erat lapsus. Ad quæ auctor respondet, in primisque exemplum ex primitiva ecclesia petitum hac ratione infringit (e).

(d) Pag. 257. argum. XXVI.

* correctore * correctore

(e) Pag. 258. in responsione ad argum. XI. Eorum solutio.

In principio non fuit tanta diversitas statuum & conditionum sicut post. Quod autem dicitur, quod episcopi succedunt Apostolis; si intelligatur quantum est ad potestatem ordinis verum est quod episcopi etiam soli illi succedunt Apostolis: si autem loquamur de potestate jurisdictionis, tunc non soli episcopi succedunt Apostolis, sed etiam illi, qui habent jurisdictionem perfectam, scilicet in foro exteriori & interiori; & quidquid aliud a quocumque dicatur secundum quandam adaptationem dicitur. Et infra (f): *Secundum conditiones temporum, locorum, & personarum, secundum quod videtur summo Pontifici, expedire possunt diversi gradus jurisdictionum & prælationum.* Ad illud vero quod infertur, decere ut religiosi, qui ab episcopis sacramentum ordinis recipiunt, iis subdantur, ac demissionis & obedientiæ in episcopos exemplo præluceant clericis sæcularibus, quibus antecellere virtutum exercitio profitentur; ita respondet (g): *Illud quod repugnat decentiæ vel decenti, est malum, si non recompensetur per aliquod decentius vel æque decens. Si autem in casu, in quo exemptio aliquorum statuum vel collegiorum est bona & decens, in episcopis, quod sequitur potestatem ordinis, secundum quandam decentiam recompensatur per aliquod æque vel magis decens, quam sit decentia, secundum quam jurisdictionem decet consequi potestatem*

(f) Pag. 259. ad argum. XX.

(g) Ead. pag. ad argum. XXIII. An propterea religiosus episcopo subdendus, quia ab eo sacramentum ordinis recepit.

ordinis; & in hoc in comparatione ad regimen jurisdictionis, quia decentius est illum, qui novit modum regiminis, vel meliorem curam habet vel probabile est habere, vel qui magis est acceptus subditis, regere illos, ad quos sic se habet, dato quod non habeat potestatem ordinis episcopalis, quam qui habens ordinem episcopalem, & carens talibus conditionibus regat tales. Ad objectionem de correctore propinquo exemptionibus sublato hæc habet.

Dicendum, quod exemptio non tollit correctorem propinquum ipsius collegii, vel etiam alicujus de collegio, sive sit prælatus sive subditus quantum ad illos ordines, in quibus prælati inferiores corriguntur per superiores, & per unum supremum; & iste supremus per capitulum generale sui ordinis. Si autem caput alicujus collegii particularis, sicut est aliquis abbas alicujus unius monasterii vel decanus, non habet correctorem propinquum, quia non habet nisi Papam, posset remediari per ejus depositionem in certis casibus, vel per aliquem judicem de sua religione de alia abbatia, si sit religiosus; vel per aliquos de collegio, si sit decanus. Et si pateat, quod exemptio esset causa notabilium excessuum & majorum, quam fierent per oppositam jurisdictionem, posset tunc revocari vel etiam impediri, quia semper in omnibus attendendum est quot inconvenientia sequantur, vel per quem modum possunt melius remediari. Denique objectio de Templariis ab auctore ita refellitur.

An templarii propter exemptiones fuerint perversi.

*Dicendum, quod antecedens est falsum ratione illius implicationis, qua dicitur, quod malum Templariorum fuit propter exemptionem: immo fuit propter eorum malitiam aliunde provenientem, nam in diversis terris multi valde non exempti & non religiosi inveniuntur hæretici, qui non essent: si exemptio esset causa illius mali, quia inveniuntur sine exemptione. Causa ergo fuit alia quam exemptio, eorum malitia, sicut & in aliis, qui non sunt exempti. Et si dicatur, quod si prælati visitassent eos, malitia prima fuisset inventa, vel remediata: & ego dico, quod aliter potest remediari, scilicet si fuissent gubernati per clericos & homines literatos; unde ista ratio arguit magis * regimine laicorum, quam exemptione, quæ bene utenti est bona.*

* de malo

XXV. De Ludovico epiſc. Tolosano sanctis annumerando agitatum.

Adscriptum in eodem concilio sanctorum catalogo Ludovicum filium Caroli II. Siciliæ Regis & Roberti Regis fratrem, affirmat S. Antoninus: (*a*) sed rem tantummodo agitatam, demum a Joanne XXII. (*b*) perfectam anno MCCCXVII. suo loco videbimus (*c*). Tum vero magna sanctitatis fama ac miraculorum gloria illum floruisse, ex eodem auctore (*d*) constat, qui hæc de ipso refert: *Ludovicus cum esset primogenitus Caroli, nimirum extincto fratre Carolo Calabriæ duce, propter quod ad eum regnum Apuliæ spectabat, mundum contemnens, habitum ordinis Minorum assumpsit ex humilitate & devotione. Postea archiepiscopus Tolosanus factus, religiosam & sanctam conversationem usque ad finem servans in Domino requievit, miraculis clarens.* Hactenus de gestis rebus in concilio Viennensi, quod septem mensibus productum, ac tribus tantum perfectum sessionibus, narrat idem Bernardus his verbis: *Mense maii pridie nonas ejusdem mensis in festo S. Joannis ante portam Latinam, quod fuit in sabbato infra octavas assumptionis Domini, tertia & ultima fuit generalis concilii sessio celebrata. Fuit concilium quod septem fere mensibus protractum fuerat, terminatum anno Domini prætaxato,* hoc scilicet, *præsidente in concilio Clemente Papa V. pontificatus sui anno septimo in Vienna.*

(*a*) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 3. ante §. 1.*

(*b*) *Jo. XXII. l. 1. ep. secr. 139.*

(*c*) *Annal. to. 15. an. 1317. n. 9.*

(*d*) *Ant. loc. cit.*

Ultima concilii sessio quando habita. Septem menses tenuit concilium.

XXVI. Nonnulla patribus concilii concessa.

Disſoluta Viennensi synodo, Clemens nonnullis privilegiis patres, qui ipsi interfuerant, ornare voluit, atque inter cæteros Guillelmo archiepiscopo Eboracensi, qui cum ad concilium accederet, atque in itinere per Cantuariensem provinciam habito crucem præferendam sibi curasset, non sine injuria eam abiicere fuerat a Cantuariensi compulsus; permisit, (*e*) ut dum ad ecclesiam rediret, illam sibi præire juberet: qua de re ad archiepiscopum Cantuariensem scripsit, (*f*) ut rem non disturbaret, cujus tamen juri, si quod in ea re obtineret, postmodum detrahi noluit. Amanevo autem Auxitano archiepiscopo hæc de pallii usu concessit (*g*): *Tuis supplicationibus inclinati, ut etiam extra provinciam tuam, de licentia tamen metropolitani locorum, in quibus te esse contigerit; nec non infra ipsam provinciam in conciliis & synodis, ac diebus anniversariis defunctorum, & in solemnitatibus omnibus, quamvis in jure aut ecclesiæ tuæ privilegiis expressæ nequaquam existant, pallio uti libere valeas, auctoritate præsentium indulgemus, &c. Dat. &c. IV. non. augusti anno VII.*

(*e*) *Lib. 9. ep. com. 243.*

(*f*) *Reg. post eand. ep.*

(*g*) *Ep. 870.*

Decoratum etiam illum una cum Ægidio Rothomagensi, Arnaldo Burdegalensi, Roberto Rhemensi, Petro Lugdunensi, Bituricensique archiepiscopis, ac pluribus episcopis aliis, prærogativis ob susceptos itineris labores, factasque impensas, docent exaratæ ea de re literæ, (*h*) nimirum ut eorum quilibet excurrente triennio tres clericos penes se, qui sacerdotiorum vectigalibus ac si interessent exceptis quotidianis distributionibus potirentur, retineret: tabellionatus officium duobus concederet; eligeret (*i*) religiosum vel sæcularem sacerdotem, qui apostolica ipsum auctoritate censurarum omnium, si quas contraxisset, religione exol-

(*h*) *Ext. in conc. Vien. to. 3. conc. p. 2.*

(*i*) *Id. ib.*

Sancita contra eos qui vocati abfuere a concilio.

exolveret; ecclesia & cœmeteria suæ diœcesis polluta presbyterorum quos mitteret, opera aqua prius ab ipso sacra prece lustrata expiaret. Ut vero præsules, qui itinerum labores, ut parerent Pontifici, ad synodum confluxerant, honoribus; ita alii, qui inertia vel aliis injustis causis non venerant, pœnis affecti: quos ecclesiarum ingressu Clemens interdixit, donec a sede Apostolica in gratiam fuissent restituti; qua de re subjectam sanctionem edidit (*a*).

(*a*) *Lib. 7. ep. cur. 88.*

Clemens &c. ad futuram rei memoriam.

XXVII. *Dudum super certis, quæ veluti contingentia universalis ecclesiæ, & præsertim catholicæ fidei statum suasit nobis pietas, & officii necessitas incumbentis exegit, generale convocari concilium, decernentes ut prælatorum parceremus laboribus & expensis, & remanerent in unaquaque regione pastores ad ea, quæ officium pastorale requirit, inibi exercenda; paucos ex prælatis eisdem, consideratis evocationibus retroactis, ad concilium ipsum personaliter providimus evocandos.* Et infra, ubi eorum diligentiam commendavit, qui obedientiam victimis præstantiorem rati nullis laboribus sumptibusque pepercerant, ut ad Viennense concilium advolarent, alios qui apostolica imperia detrectarant, percellit: *Porro multi sectantes detestabilis inobedientiæ vitium, & in contumaciæ spiritu se quasi pullos onagri liberos existimantes, venire ad ipsum concilium contempserunt, non adducentes in rectæ considerationis intuitum, quod peccatum paganitatis incurrit, qui se Christianum asserit & sedi Apostolicæ obedire contemnit. Hi sunt, qui sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, quam revereri tenentur ut matrem & dominam terga verterunt non faciem, dum adeo se inobedientes exhibuerunt in vocatione hujusmodi, ut modicum possit in aliis de obedientiæ suæ promptitudine devota sperari.*

Notantur a Clemente inobedientiæ vitio.

Quia igitur occurrendum est talibus, ne tractu temporis convalescant, ne vires iniquitati silentii apostolici conniventia subministret, ne impunitas ausum in aliis in contemptum apostolicæ reverentiæ pariat, ne pro tempore, quod absit, inveniatur qui perire magis eligant quam parere; de fratrum nostrorum consilio omnes & singulos episcopos & superiores prælatos, ad prædictum generale concilium personaliter evocatos, qui citra indulgentiam Apostolicæ sedis aut impedimenti justi suffragium a prædicti accessu concilii cessaverunt, ne de sua valeant contumacia gloriari, ab ecclesiæ ingressu suspendimus; tamdiuque decernimus subjacere suspensioni hujusmodi, donec relaxationem a nobis meruerint obtinere, &c. Dat. in prioratu de Grausello XV. kal. augusti anno VII. Extat aliud diploma (*b*) eodem argumento, cui eadem dies adjecta, in quo hæc adduntur: *Nec mirandum, si censuram nostri propositi, quod de procedendo adversus inobedientes eosdem expressimus in concilii dissolutione præfati, citius nequivimus in effectum adducere; cum arduæ solicitudines & occupationes anxiæ, in nostri cordis alveum undique confluentes, non præmiserint antea nos ad præmissa vacare, &c.*

(*b*) *Lib. ep. cur. 95.*

Arcentur templorum ingressu donec a sede Apost. in gratiam fuerint restituti.

XXVIII. Discordiæ inter Angl. inter Eduardum & proceres exortæ.

Implicitum Pontificem gravi negotiorum mole, demonstrat eorum temporum status, cum novæ inter principes dissensiones emergerent, quos mutuo animorum fœdere ad arma in Saracenos vertenda conjungere satagebat. Et quidem lapsis post solutam synodum paucis diebus, ad Eduardum Angliæ Regem & Anglos proceres in concordiam adducendos legationem amplissimam decrevit, (*c*) qua Arnaldus tit. S. Priscæ presbyter Cardinalis & Arnaldus episcopus Pictaviensis pontificii ærarii summus præfectus perfuncti, quibus hoc diplomate ea provincia commissa.

(*c*) *Ep. cur. 32.*

Clemens, &c. dilect. fil. Arnaldo tit. S. Priscæ presbytero Card. & Arnaldo episcopo Pictaviensi camerario nostro Apostolicæ sedis nuntiis.

Turbationibus, discordiis, & susurris, quæ inter charissimum in Christo filium nostrum Eduardum Regem Angliæ illustrem ac certos comites & barones & nonnullos alios de regno suo pullulare noscuntur, auditis eo durioris concepimus materiam turbationis in animo, quo majora, cum de Rege & regno præfatis nobis prospera nuntiantur, lætitiæ suscipimus incrementa. Profecto dum progenitorum Regis ejusdem sinceritatem eximiam, operaque fœcunda virtutibus, quibus erga Deum & ecclesiam claruerunt temporibus retroactis, suaviter memoramur; dum ejusdem regni fidelium devotionem fervidam & constantem, qua revereri studuerunt præfatam ecclesiam sicut matrem, intra nostra præcordia recensemus; & dum frequenter in mente revolvimus, quod infra ducatum suum Aquitaniæ nobis originem proprietas naturæ donavit, ad personam Regis ipsius zelo multæ dilectionis afficimur, & regnum ipsum velut recreationis nostræ pomœrium delectabiliter intuemur. Et infra, ubi suum conciliandæ in Anglia pacis, revocandique pristini splendoris studium exaggeraverit, de impositis nuntiis provincia addit.

Clementis studium pro iis in concordiam adducendis.

Nuncii ideo in Angliam missi.

Ad Regem & regnum præfatos continuatis gressibus vos personaliter conferatis, dictum Regem, & ipsius regni Angliæ prælatos, comites, & barones eosdem, ac alios quoscumque de ipso regno, de quibus expedire videritis, ad pacem & concordiam juxta gratiam vobis datam a Domino solicitis studiis inducendo, ac instando ven-

Quæ ipsis concessa auctoritas.

ventius apud eos, ut super hujusmodi negotio, quod specialiter cordi gerimus & habemus, beneplacitis nostris & Apostolicæ sedis, quibuscunque omnino subductis obstaculis, efficaciter acquiescant, &c. Ut vero impositum adducendæ concordiæ munus obire possent, Cardinalium summa instruxit auctoritate ad coitiones omnes contrarias dissolvendas, rescindenda fœdera, sacramentorum tollendam religionem, ferendas in quoscumque præsules etiam archiepiscopos ac primates censuras, feriendas ecclesiastico interdicto provincias; tum ad pacis fœdera inter dissentientes populos, aut viros principes dignitate florentissimos concilianda: si vero casu aliquo eam exercere auctoritatem non posset, illam in episcopum Pictaviensem transfudit; denique adiicit: *Nec quisquam miretur, si contra morem antiquitus observatum in præsenti salutationis eloquio tu, præfate Cardinalis, præponeris, tuque episcope prædicte, postponeris & propterea venerabilis frater etiam non vocaris, quoniam in talibus modum hujusmodi modernis temporibus observari decentius reputamus. Dat. Romani Vien. diœc. II. id.... pont. nostri anno VII.* Intercluisse nuntiis apostolicis, ne in Angliam traiicerent, iter perduelles quæritur in literis anno proximo exaratis Pontifex: (*a*) quos quidem adversus Regem tum ob Gaverstonium quendam in regiam revocatum, evectumque ad summos honores concitatos, tum etiam ingentia privilegia ab invito principe armis extorquere molitos, Walsinghamus refert (*b*).

Cur Clemens presbyterum Card. episcopo prætulerit.

Aditu in Angliam nuntii a rebellibus prohibiti.

(*a*) *Lib. 8. ep. cur. 31. 36. 38.*

(*b*) *Vualsin. hist. de reb. Angl.*

XXIX. Controversia de Lugduni dominio inter Regem Franc. & archiep. composita.

Quod ad res Gallicas spectat; prærereundum non est, compositam hoc anno fuisse veterem illam de Lugduni dominio inter Francorum Reges ac Lugdunenses archiepiscopos controversiam, ejusdemque urbis liberum imperium Philippo cessisse. Qua de re hæc Bernardus (*c*): *Eodem anno tempore concilii Philippus Rex Franciæ quartus habuit Lugdunum integraliter, data recompensatione in redditibus archiep. Lugdunensi pro jure, quod sibi in Lugduno ecclesia vendicabat. Super quo prius Clemens Papa consultus per archiepiscopum consensum non præbuit, nec dissensum; sed reliquit archiepiscopum in manu consilii sui. Ipse vero Papa tunc in Vienna concilium celebrabat. Et sic deinceps Lugdunum ad Regem & regnum Franciæ pertinet tali jure. Post celebrationem vero concilii generalis Papa cum curia versus Avenionem revertitur de Vienna.* Hæc Bernardus: qui cum de pontificio ab urbe Viennensi ad Venusinum comitatum discessu mentionem fecerit, adducenda videntur quæ in eo itinere adversa ipsi acciderint.

(*c*) *Ber. chr. Rom. Pont. & MS. Vat. bibl. sig. n. 3765. in Clem. V.*

Attributa archi. a Rege nonnulla vectigalia.

Clemens Vienna Avenionem iter intendit.

XXX. Intenderat iter Valentiam, cum subor-

ta inter civem Valentinum ac militem, qui aulam pontificiam sequebatur, contentione, civis a milite confossus occubuit: vulgata ejusmodi cædis fama adeo Valentinos commovit, ut cum lege agere atque a pontificii ærarii summo præfecto vel equitum magistro jus deberent deposcere, abjecta apostolicæ majestatis reverentia, vindictæ cupidine furentes, in domum in qua nonnulli, qui Viennæ, dum celebrabatur synodus œcumenica, præsidiarii milites versabantur, impetus crebros impresserint, repulsique & ex fuso sanguine in furorem versi seditionem gravissimam concitarint, ac proditione nonnullis ferro concisis, palatium, quo Pontifex erat exceptus, oppugnare non perhorruerint. Ex qua accepta injuria juste commotus Clemens, legum severitatem in Valentinos statuit distringere, atque Valentino episcopo nonnullisque abbatibus VI. kal. julias dedit imperia, ut ipsis judicium intentarent. Perfunctus est demandato sibi munere episcopus Valentinus, civesque commissi sceleris conscientia perculsi perhorrescere cœpere: ac ne sedi Apostolicæ se sisterent, varias causas obtendere, grave sibi a pontificiis ministris eorumque famulitio discrimen imminere, ne ii acceptam injuriam ulciscerentur. At Pontifex apostolico diplomate Valentinorum oratoribus mittendis & aliis, qui ad judicium accersiti essent, securitati cavit (*d*).

Valentia transiens in discrimen a populo adducitur.

Valentini mittere oratores pro Clem. placando.

(*d*) *Lib 7. ep. cur. 85.*

XXXI. Optandum sane fuisset, ut Clemens hisce stimulatus injuriis deseruisset Gallias, atque ad sedem Apostolicam Romæ, pacemque Italiæ restituendam iter in Urbem convertisset, cum ex Regis Romanorum adventu vereres Guelphorum Gibellinorumque factiones recrudescerent, ac plura, quæ inde secuta sunt mala, facile sopienda ejusdem Pontificis præsentia atque auctoritate viderentur: neque enim Urbs, Henrici ac Roberti copiis certantibus, tot infecta cædibus ac ruinis deformata fuisset. Sed altius ex Alberrino Mussato historiæ seriem petamus. Narrat is (*e*) ut Roberti Regis orator Ricciardus Gambacæsa Henricum Genuæ adierit, illum de fœdere & affinitate jungenda postulaturus, atque ab Henrico Gibellinæ partis studio repulsam tulerit.

(*e*) *Muss. l. 5. c. 5.*

XXXII. Henricus repudiata Roberti Regis affinitate suis rebus exitium parit.

Obfuit Henrico non junxisse fœdus cum Roberto Rege, & controversias de Provinciæ Folkalquerii Pedemontiique comitatibus imperii fiduciariis non composuisse: quin potius cum Frederico Rege Trinacriæ, cujus oratorem Galvanum Lanceam magnis Genuæ excepit (*f*) honoribus, societatem pepigisse, mentemque ad Guelpham factionem atterendam defixisse: suspicatus enim Robertus sibi ab Henrico parari exitium, ubi Guelphos subegisset, eorum partes tuendas suscepit:

(*f*) *Id. ib. c. 7.*

Cum Fred. Rege Trinac. fœdus coit.

pit: tum fratrem suum Joannem Romam succinctum multo equitatu submisit, quo Urbis aditum Ursinorum opera præcludendum, celebritatemque augustalis inaugurationis disturbandam curaret. Inde ancipiti æstu fluctuarunt, plures urbes, quam potissimum factionem sequerentur, interque alias Patavium, cujus cives in Henrici obsequio confirmare nisus est Albertinus Mussatus, qui habitam a se orationem ea de re affert, (*a*) cujus præcipuum hoc fuit argumentum: *Illum ne ecclesia Romana coadjuvat? fovet? sublevat? Attestetur hoc Rolandus, cujus oculi videre assidentes a latere quatuor Cardinales, Papæ monitu pro viribus obsequentes. At hæc si Franciæ Apuliæve Reges de sponsalibus, ut accepimus, non convenere, tractatus si quidem non rejecere. Si enim regalia quædam petita munera conferre velit eisdem, puta Regi Franciæ regnum Arelatense tractumque Rhodani usque in Alemanniæ fines, Roberto Apuliæ Regi Tusciæ & Longobardiæ præsidatum, nonne concessus patet ad Urbem limes, corona nempe conceditur in Urbe sumenda?* Repudiatum est Mussati consilium a Patavinis Rolando Guelpho auctore Canis Scaligeri odio quem Vicentiæ Henricus præfecerat: Soncinum pariter & Placentia ad Guelphos descivere (*b*).

(*a*) *Lib. 6. c. 1.*

(*b*) *Lib. 7. c. 3. & 5.*

Plures etiam adversarum partium studia secutas urbes, narrat idem Mussatus: (*c*) *Astenses*, inquit, *ab Cæsare, pulso imperii vicario factione primatum Guelphorum, ad Regem Robertum, seu ejus marescalcum, qui Albæ præerat, defecere. Divisi igitur Longobardi partium accensi furoribus, quibus poterant bellorum studiis alternisque præliis ferro & igne sibi populisque acerbe adversabantur. Cæsaris quidem partes agebant Taurinum, Novaria, Vercellæ, Philippo e Sabaudia principe Achajæ, vicario Mediolani, Pergamum, Cumæ, Brixia, Verona, Vicentia, Mantua, Mutina, Laudum, Placentia. At contra in fidem partis Guelphæ, quam sanctæ ecclesiæ nuncupabant, Alba, Asta, Alexandria, Papia, Parma, Rhegium, Cremona, Padua, Tarvisium.* In Etruria porro Guelpha factio Megone Roberti Regis præfecto amplioribus viribus fulta, coortaque in arma in agro Serezano aditus Henrico intercludere parabat, cum ille Genua classe instructa scivit (*d*) ac Pisas applicuit: deinde littoreas oras legendo Romam pervenit, cujus itinera atque in Urbem ingressum præter Jordanum, (*e*) Ptolemæum (*f*) Lucensem, Joannem Villanum (*g*), Albertinus Mussatus ita describit (*h*).

Urbes Italicæ partim Henrico partim Roberto student.

(*c*) *Eod. c. 5.*

(*d*) *Lib. 5. c. 4.*

(*e*) *Jord. MS. Vat. sig. n. 1960.*

(*f*) *Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l. 24. c. 40.*

(*g*) *Jo. Vil. l. 9. c. 39.*

(*h*) *Muss. l. 8. c. 1.*

XXXIII. *Summa spe allectus ex Romanorum factionibus, dies noctesque perambulans per Plombinum ac Maritimam, kalendarum majarum die occidente sole Viterbium petit, comiter a præfecto urbis & Anguillariæ comite susceptus. Hunc Cardinales cum cæteris comitivis multa defessi celeritate, viæque gravedine subsequebantur: utque pontem, qui Molis dicitur, quem occupandum Joannes Roberti Regis Apuliæ frater statuerat, quod & Cæsar ipse præsenserat, ipse præoccuparet, iter nocte maturavit.* Et infra: *Sabbato autem sero nonas majas ibidem subsistens, in dominicam sequentem luce prima Romanorum cohortes Columnensibus prætiis cum multa plebis caterva, horum scilicet, qui imperii partes agebant, obviam cum exultationibus multis exiere, clero multo concinente, per Columnensium patentes introitus induxere, inque papali palatio Lateranensi locavere.*

Henrici in urbem iter.

Ut in Urbem sit inductus.

Potitus ea Urbis parte Henricus, cum in aliam, in qua Basilica S. Petri assurgit, ubi augustali insigni ornandus & sacrandus erat Imperator permeare non posset, mollibus verbis hostes mulcere pertentasse, refert memoratus auctor (*i*). *Existens*, inquit, *in Roma Cæsar omnia tentare, antequam bellum cum Roberto Rege Apuliæ ineat, præmeditans scisciteavit, quanquam & ad ipsum Regem in Apuliam Joannem Instiga, & religiosum unum ex Prædicatorum ordine præmisisset, ut scilicet Cæsari ad coronam suscipiendam auxilium præstaret, neve contra attentaret, cum id in basilica principis Apostolorum Petri & Pauli fieri, & antiquus mos & apostolicæ literæ continant, ac præstigant: perquirique ac expeti ad hoc fecit Ursinorum principes altæ prosapiæ. Ad quæ Cæsaris internuntii, nil obtentum, cum diu percunctati fuissent, retulere: hæc præter, ut omnia in solius Regis Roberti voluntate consistant, illius hoc esse judicium, hujus velle hujusque nolle; ipsum adeant; nihil ad hos attinere de perquisitis.* Et infra: *Transmissi legati Cæsaris ad Regem Robertum in Apuliam cum responsis ad Joannem & Ursinos rediere quæ ad Cæsarem relata sunt, quod videlicet Tuscis fidelibus ac Longobardis dilectissimis defecturum se non decreverat, posterisque in se suosque prædecessores obsequiis meritisque, ac assentiente emologanteque Philippo Francorum Rege, assensuque apostolico sponsalia forsan has mitigarent sedarentque controversias in Italia verisimiliter eventuras, tradita Cæsaris filia primogenito Roberti prædicti, eodemque genero in Lombardiam & Tusciam vicario per Romanum imperium constituto.* Excitarat has universas turbas Henricus, totque hostes sibi conscivérat, repudiatis Clementis monitis (*k*) & hortationibus, qui ipsi primum ad Cæsareos apices evecto consuluerat, ut filiam Roberti Regis filio natu maximo in matrimonio collocaret: quod cum aspernatus esset Henricus, & fœdus cum Friderico Rege Trinacriæ Roberti hoste pepigisset, præ-

(*i*) *Ib. c. 2.* Henrici oratores ad Robertum.

Roberti ad Henricum responsum.

Proposita affinitas.

Petita Etruriæ & Longob. præfectura.

(*k*) *Reperta ea de re Clem. lit. in arch. Avin. pal. temp. Leg. Octav. Card. Aquavivæ an. 1594. n. 345.*

(a) Muss. l.8. c.3. Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.24. c.40. Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.

prævidit Robertus Henricum ipsi moliri exitium: quam ob rem ad eum deprimendum vires intendit, ut ad jungendam affinitatem cogeret. [1] At Henricus, Neapolitano inhians regno imperioque Italiæ, aleam jacere maluit, ut subdit Mussatus (a).

XXXIV.

Henrici ad Romanos convivas oratio.

Cæsar, inquit, *Tuscis Longobardisque fidelibus, quorum subsidiis, obsequiis, ac ductures magnas progressumque e montibus fecerat, indeficiens regia constantia ad omnis belli fortunam tentandam animum erexit: primoque proposito Urbis fortalitias captare, loca munita præoccupare, ut si in Urbe, quæ caput mundi imperiique Romani est, se continuerit, cæteras terras tanquam appenditias suum veluti caput respectare. Instinctu itaque suorum, & præcipue Columnensium, veluti commensationem cum Romanis facturus, absque differentia nobiles in convivium vocavit: ad quod hilaritate multa convenere insignes fiducialiter, quos inter Anibaldus de Anibaldis, Joannes de Sabello, & Thebaldus de Campofloris. Ii quidem, qui Ursinis affines ejusdemque prosapiæ, Imperatori non adhæserant, quinimmo adventum renuerant, ac contra præsumpserant, & se in tantas res novas immiscuerant. Gratulabundum se Cæsar inter hos aliosque convivas exhibens, demum lectis fragmentis, amotisque tabulis, inter eos sic fatus est: Fari mihi inter vos tanto in rerum discrimine causa ratioque movet, o Quirites, vixque stupor atque admiratio loquendi facultatem occupat, cum excogitem quid me ex Augusta urbe regia in hanc Italiam eduxerit, quid nisi jam desueti extollendi amor imperii, ut jam vix notus Romanus a barbaris mundo imperet sub clypeo tituloque Cæsareæ majestatis. Quid frequentes literæ, quid nuntii celebres toties exoptavere, nisi ut meum charum visitem senatum populumque Romanum, quo exultante in capitolium vehar? Venione violentus invasor, qui ab Apostoli Petri limine repellar a clementissimo & sanctissimo Papa missus? Testes adduco tres ab latere Cardinales. Hi duces, hi nuncii executoresque legum canonumque & imperialium sanctionum. Ad vos itaque revertor, vos alloquor, o Quirites, an frustra vocatus venerim tanquam mundo ludibrium. Sciturus sum in hujusmodi charitate convivii quæ vos vota alliciunt, quid geritis in arcanis, quibus ex vobis fulcientibus adjuver, declaret edatque optio singulorum. Hoc sic succincto brevique sermone, paululum vultu submisso, substitit metuendus.*

Stephanus de Columna, vir insignis, se suaque & suorum despondit, nec defecturum quoad posset, morte non exclusa, si casus fortunaque poposcerint. Nicolaus de Comite se gratuitum decus cingulumque militiæ ab Rege Carolo Roberti Regis genitore suscepisse ait, adversus quem vel posteros non iturum subnixe proposuerat. Anibaldus vero, Joannes de Sabello, & Thebaldus de Campofloris Regi Romanor. parituros sese obtulere in omnem casum, & adversus omnes, cognationis suæ singulis dumtaxat exceptis. Cæsar (b) exceptiones has ægre admittens, potiusque eis turbatus, cujusque assistentium in scriptis dicta redigi imperavit: dominum Stephanum suosque, obsidibus datis, abire concessit: cæteros deprehensos privatim tenuit, Anibaldumque militiarum palatia, munitionesque ac turrim S. Marci & Colisæum, quorum possessor erat, reddere coegit. Jussit etiam invito & reluctanti Joanni de Sabello, ut subarras ad domos viciniamque suam firmet, quarum obstaculo Ursinorum genti dempta sit migrandi ad capitolium, quod tunc ipsi tenebant, facultas seu etiam & ad militias turrimque sancti . . & Colisæum, inde enim in eas fortalitias erat meatus; hocque volente Cæsare prorsus factum est circiter XII. *kal. junii*. Addit auctor eodem die ac proximo feliciter, cruente tamen, certatum a cæsareis ad Ursinorum repagula.

(b) Cap. 4.

Sabelli custodiæ addicti.

NOTÆ [1] HEnricum reprehendit Annalista eo nomine, quod spretis Clementis monitis, nuptias filii sui cum filia Roberti Regis conciliare neglexerit, cujus rei causa infesta ejusdem Roberti arma in se provocaverit. Verum Nicolaus Episcopus Botrontinensis, qui iter Italicum Henrici cui sodalis ipse adstitit, describit, & inter amicos intimos fuit, testatur Henricum nunquam animum ab iis nuptiis alienum gessisse, qui & nuncios suos ea de re ad illum misisse Neapolim. Sed cum Robertus nuptiis illis consensurum se negaret nisi ex conditionibus quibusdam Henrico gravibus; ideo tractationem illam rescissam fuisse. Quin & addit Henricum nunquam reputasse odium se incurrisse Roberti, cum præsertim ex literis ejusdem certior factus fuisset Joannem fratrem ejusdem Regis missum venisse cum copiis, ut coronationi ejusdem Henrici honoris gratia adesset. Id vero adeo persuasit Henricum, ut Romam securus & inermis tetenderit, nec nisi admonitus ab eodem Nicolao Botrontinensi itineris hujus scriptore substitisse ut arma sibi suisque provideret. Narrat insuper itineris illius scriptor Nuncios Roberti Regis convenisse Henricum Genuæ agentem, atque nuptias filiæ Regis sui cum filio Henrici proposuisse; sed cum Henricus nuptias se non respuere affirmaret, optare tamen, ut Regis Roberti copiæ de Thuscia recederent, vel saltem Regis nomine sponderet per Regis copias nihil obstiturum quominus Henricus Romam tutus veniret, & imperii coronam reciperet. Sed, ait, *illi id facere noluerunt. Audivi postea*, prosequitur Author, *a fide dignis, quod postquam Rex Robertus scivit ista, dicti Nuncii non fuerunt sibi familiares sicut ante, & quod multum fuit turbatus contra eos, quod talia, quæ erant suæ voluntatis facere, recusarunt*. Ex his ergo patere arbitror de conjugii illius abrupta tractatione nihil invidiæ in Henricum creari potuisse. MANSI

(a) Jo. Vil. l.9. c.42.

Asperrimum omnium prælium illud fuisse narrat Jo. Villanus, (a) ac vigesima sexta die mensis maii commissum, in quo imperiales copiæ redacto in suam potestatem capitollo ad pontem Tyberis jungentem ripas, cui S. Angeli nomen est, duce episcopo Leodiensi excurrere, sed regiæ ac Florentinæ turmæ viarum compendiis tanto impetu a latere incurrere, ut cadaveribus cæsorum viæ constratæ sint, ac Leodiensis episcopus cum a victore abduceretur, a Catalano occisi fratris dolorem ulciscente interfectus.

XXXV.

(b) Muss. l.8. c.7.

Perculsi eo sinistro certamine Henrici socii, plures eum deseruere: quocirca ipse ad maturandam in Lateranensi basilica imperialem inunctionem studia convertit, ut subdit Mussatus (b): *Decrescentes videns copias suas Cæsar, instinctu nobili in seipsum compressus, Deo immortali fortunaque repugnantibus, dum Urbis potiundæ tempus necessitudoque non appetant, soli coronationi innitendum constituit, superos inferosque favores alias accepturus: bonum faustumque Deum in se propitium de corde non abiiciens, sed eventuros successus mente usquequaque conjectans.*

Petit Henricus aditum sibi dari ad basilicam S. Petri.

Summissis itaque qui ab Joanne Roberti fratre ac Ursinis requirerent, ut concessa Principis Apostolorum basilica præordinata per Papæ sanctionem coronam accipiat; mitigatione adversariorum nil voto consonum assecutus est, referentibus iis in Roberti Regis hæc assensu consistere, expectatusque is assensus, frustra diuque præmissis & remissis ad Robertum Regem legatis, laicis ac clericis, nullatenus habitus est. Et infra:

Repulsam patitur.

XXXVI. (c) Cap. 8.

Cæsar, (c) iis pertentatis, proposito deficiens, Cardinales ut se apud Lateranum coronarent, solicitavit: illis asserentibus, nefas esse a papali constitutione rescriptisque discedere, literarum contextum moremque longævum allegantes; replicanteque Cæsare, necessitatem legem tollere, vimque facti vi sacrarum legum pellendam; per ipsum non deficere, ad Urbem papali missione profectum, coronam accipere; veritati & æquitati obsequendum fore, nec dubium Papam emologaturum etiam ex postfacto, si quid inhabilitatis in tanti consummatione negotii fuerit; Cardinalibus vero non assentientibus, Cæsar populum Romanum, manum illorum videlicet, qui suas partes fovebant, in concilium evocavit, has proponens facti angustias, quidque expediat consultans. Ex plebiscito itaque obtentum est, Cardinales Romani populi suasionibus precibusque coronam dare: sin autem, coercendos per tribunos populumque Romanum.

Vim affert Cardinalibus, ut ei augustale insigne eradant.

Reluctantibus itaque Cardinalibus, plebs commota est, in illos excandescens: jamque furore accenso, intra militias Cæsarem in privato affati sunt; se ad Papam facti tenorem direxisse, responsumque speratum intra julias kalendas præstolari s velit, in mansuetudine persistens, majestatem Cæsaream sacrosanctæ ecclesiæ monitis institutisque obtemperare, obsequi, sic omnia prosperari. Circumspectus Cæsar, remisso animo, dictis acquievit, contentione sedata, dimissaque. Ac inter hos dies, impensis tanto exercitui deficientibus, ipsaque regia camera exhausta pecuniis, contributionem populo Romano decernit, edicto emisso. Plebs impatiens ad scandalum jam nullis aliis auctoribus concitabatur, exinanivitque illius contributionis edictum, Judæis dumtaxat, qui trans & ultra Tyberim morabantur, obtemperantibus.

Dum igitur dies vigiliæ Principis Apostolorum instaret, summa luce de palatiis militiarum egrediens, multo cœtu in montem Aventinum concessit. Postquam autem illuxit sequens diei festum populo comitante ac principibus suarum partium Lateranum venit, missarumque solemnibus peractis, protestantibus Cardinalibus scilicet legato & Luca de Flisco, non sua sponte, sed plebis Regisque impulsibus coactos parere, coronam auream capiti ei imposuere multis cleri populique applausibus, inclyto Imperatori Henrico semper Augusto vitam victoriamque conclamantibus universis, in Aventinum ad parata convivia commensationesque cum nobilibus & plebe delatus est anno eodem domini Jesu Dei nostri duodecimo trecentesimo millesimo XII. *kalend. jul.*

De vi illata queruntur publice Card.

Laterani illum ornamentis imperialibus induunt.

XXXVII.

(d) Bern. in l. de Rom. Impp. MS. Vat. bibl. sig. num. 2043. (e) Jord. MS. Vat. sig. num. 1960.

Consentiunt Mussato Bernardus (d), Jordanus (e), Ptolemæus Lucensis (f), Rebdorfius (g), qui Henricum se fidei sacramento Romanæ ecclesiæ addixisse observat: *Benedictionem*, inquit, *imperialem a quibusdam Cardinalibus de mandato domini Clementis Papæ V. adeptus, & juramentum fidelitatis & obedientiæ tunc ecclesiæ præstitit*; quod a legatis Cardinalibus in publicas tabulas (h) relatum & a Clemente publico diplomate, cum id negasset Henricus, confirmatum visuri sumus. Spectarunt vero præcipuæ in illo imperialibus insigniis ornando partes ad Arnaldum Sabinensem episcopum, cum ob legationem adjunctam Pontificem repræsentaret, cui adeo diadematis imponendi munus datum ut ex allatis literis apost. constat. Jubebatur etiam Leonardus Albanensis episcopus gladium tradere Imperatori, sed hoc illi munus mors eripuit: ipsum enim & Franciscum S. Luciæ diaconum Cardinalem e vivis ereptos fuisse, Henricus Imp. in literis (i) ad Joannem Waldsanensem abbatem datis docet his verbis.

Arnaldus Sabin. episc. præcipuis partibus functus.

(f) Ptol. Luc. hist. eccl. MS. l.24. c.40. (g) Rebdof. in annal. Jo. Vill. l.9. c.42. & alii. (h) Clem. Romani de jur. jus. (i) Ext. apud Conr. Vecer. in Henr. VII.

Sanctissimum in Christo patrem dominum Clementem summum Pontificem requisivimus, ut ad urbem accedens præfata solemnia nobis ibidem tradere dignaretur: qui

Henrici Imp. de sua coronatione literæ.

qui cum ex certis causis juxta nostrum immensum desiderium interesse nequiret, ne dicta coronatio ob sui absentiam impediri valeret, venerabilibus patribus dominis Arnaldo S. sedis Apostolicæ legato, Leonardo Albanensi, & Nicolao Ostiensi ac Velletrensi episcopis, ac Francisco S. Luciæ, nec non Lucæ S. Mariæ in via lata diaconis Cardinalibus commisit in hac parte plenarie vices suas, cum clausula, ut si non omnes his exequendis interesse valerent, quatuor, tres, duo, vel unus eorum dictæ coronationis nostræ negotium expediret. Verum dictis Leonardo & Francisco de hac luce subtractis, per dictos dominos Cardinales superstites die festo beatorum Petri & Pauli Apostolorum, quem ad hoc, ut poteramus, virtute dictæ commissionis elegimus, in ecclesia S. Joannis Lateranensis præsente archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, & aliorum prælatorum ecclesiasticorum ordinum Urbis; ducumque, comitum, baronum, nobilium, ac Romani populi innumerosa caterva, oleo sacro uncti fuimus, nec non imperiali diademate coronati, ac aliis debitis ac consuetis solemnitis insigniti, &c. Dat. Romæ IV. *kal. julii regni nostri an.* IV. *imperii vero an.* I.

Die sacro Apostolorum Petri & Pauli perfecta celebritas.

Auctus imperiali fastigio Henricus, ut partæ dignitatis impleret officium, primas ad divini Numinis tuendum cultum curas convertit, sanctissimæque Triados mysteria adoranda professus, hæreticos proscripsit, (*a*) primatum Romani Pontificis reveritus est, illiusque edicta in impios ferenda a cæsareis administris operi mandari jussit.

(*a*) *Ext. apud Goldast. to.* 3. *pag.* 408.

Henricus VII. divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus ad perpetuam rei memoriam.

Henrici Imp. professio de Deo uno & trino.

Reddentes honorem & debitam reverentiam summæ & individuæ Trinitati, cujus providentia & miseratione benigna imperii diadema suscepimus & gubernamus imperium, in qua spem nostram præcipue ponimus, credentes firmiter, simpliciter profitemur, Patrem ingenitum & Filium ex Patre genitum & Spiritum sanctum ex utroque procedentem unam deitatem sub pari majestate & sub pia Trinitate, secundum apostolicam disciplinam evangelicamque doctrinam esse colendam. Hæc est fides recta, quæ contra omnes præmunitur errores, quam divinos apostolos Petrum & Paulum doctorem gentium novimus tradidisse, qua divæ memoriæ Constantinus noster inclytus prædecessor Romanum munivit & auxit imperium. Cunctos populos nostro subjectos imperio, nostræ ditioni subjectos in ista volumus religione versari, & præsenti in perpetuum lege valitura, quam sancimus omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, & banimus; confirmantes prædecessorum nostrorum constitutiones & pœnas, quæ adversus hæreticos, credentes, fautores, defensores, & receptatores, sine quibus diutius manere non possent, hactenus sunt statutæ; mandantes insuper cunctis sæcularibus potestatibus, ut constitutiones Romanorum Pontificum contra prædictos, vel in causa fidei editas observent, & faciant ab aliis inviolabiliter observari.

Hæretici proscripti.

Sanctam Romanam ecclesiam sicut matrem, & ipsius sedis antistitem tanquam Christi vicarium & B. Petri successorem veneramur, & præcipimus cunctis ex debito venerari: ipsam enim Romanam ecclesiam in spiritualibus divinæ providentiæ altitudo universis dispositione incommutabili ecclesiis prætulit, & totius orbis aurea præsidentia insignivit; & ideo hanc esse omnium caput, ut patrum regulæ & principum statuta declarant, & serenissimi nostri testantur affatus.

De primatu Roman. Pontific.

Quapropter Romanum Pontificem & ipsius ecclesiæ Cardinales, qui sunt ejus corporis pars præclara, ab omni injuria cupimus esse alienos; mandantes præsenti nostra constitutione ut sæculares quæcumque potestates constitutiones tam Pontificum quam principum Romanorum contra sacrilegos editas observent, & faciant arctius ab aliis observari. Et hanc itaque nostræ serenitatis constitutionem in corpore juris sub debita rubrica volumus inseri, & mandamus. Dat. in Urbe MCCCXII. Pias hujusmodi sanctiones de divini cultus majestate adversus hæreticos tuenda ferri solitas a Cæsaribus in ipsa basilica, in qua ornamenta imperialia corripuerant, jam ante vidimus (*b*).

Ejus edicta in impios servari a Cæsareis administris jussa.

(*b*) *Tom. Annal.* 13. *ann.* 1220. *n.* 24. XXXVIII

Qui porro in ea celebritate servati ritus e literis ad Cardinales jam ante a nobis allatis, (*c*) quibus ii accuratius exprimuntur, & in Henrici literis inserris inferius colligitur; tum ex iis quæ in XIII. annalium tomo occasione Othonis ab Innocentio III. veteri more imperiali inunctione delibuti e pontificiis commentariis describimus. (*d*) Cum vero plura ante ac post imperialem inunctionem Henricus officia, quæ soli Christi vicario ob illius majestatis fastigium exhiberi debent, præstare obstrictus esset, quæ in imperiali consecratione a Cardinalibus perfecta sunt prætermissa, Clemens, Romanæ ecclesiæ juribus consulturus, literis ad Cardinales datis promulgarat, (*e*) ac publice erat contestatus, rem jurium pontificiorum fraudi non vertendam, quin cæteri Imperatores Romanis Pontificibus, cum ab iis augustalibus insigniis ornarentur, obsequia & officia deferrent: quæ ex literis iisdem hæc fuisse constat, nimirum ut Romanorum Rex ante desumptum imperiale insigne porta collina Romam ingressus Pontifici in gradibus basilicæ Principis Apo-

(*c*) *Ann. Christ.* 1311. *n.* 7. *usque ad* 19.

(*d*) *Tom. ann.* XIII *an.* 1209. *n.* 18.

(*e*) *Lib.* 6. *ep. com.* 754. & *MS. bibl. Vall. pag.* 383.

Plures solemnes ritus ob Pontificis absentiam prætermissi.

postolorum consistenti aurum oblaturus, provolutus in genua pedes deoscularetur; templumque ingressus post confessionem, ut ait, in altari B. Petri factam, (eam vero fuisse fidei Christianæ professionem, indicat MS. Vaticanum (*a*) in quo illius formula edita ab Henrico & promulgata continetur) receptus ad osculum inter diaconos Cardinales Pontificis pectus oscularetur: interque missarum solemnia sacram Eucharistiam excepturus, osculum Pontificis ori porrigeret: peractisque imperialis consecrationis ritibus, templo egressus, dum assiliret in equum Christi vicarius, stapedem paludamento imperiali & diademate decorus teneret: tum arrepto equi fræno, stratoris munus exhiberet.

(*a*) *MS. Vat. bibl. sign. n.* 3977.

Adjecerat etiam Cardinalibus provinciam Clemens, quo Romanæ ecclesiæ juribus caveret, ut Henricum ante & post accepta imperialia ornamenta adigerent, ut pontificio decreto & contestationi assentiretur, atque ab ipso diploma elicerent imperiale, quo hujusmodi inungendorum Imperatorum ritus & officia, quæ vicissim Christi vicario præstarent, continerentur.

XXXIX. Sancit Henricus eam rem secuturis Pontif. damno non futuram.

Assensit justis Pontificis & Cardinalium postulatis Henricus, uti voverat, divulgata ea de re hac imperiali sanctione (*b*).

(*b*) *Ext. in arce S. Angeli & priv. Rom. eccl. to.* 3. *p.* 14. & *p.* 347. & *inter coll. Plat. to.* 1. *p.* 337. & *in MS. bibl. Vall. sign. lit. R. n.* 12. *pag.* 378.

Henricus, divina favente clementia, Romanorum Imperator semper augustus ad perpetuam rei memoriam.

Cum sanctissimus in Christo pater dominus Clemens sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summus Pontifex reverendis in Christo patribus dominis Arnaldo Sabinensi Apostolicæ sedis legato, Nicolao Ostiensi & Velletrensi episcopis, ac Lucæ S. Mariæ in via lata diacono Cardinali, nec non felicis recordationis Leonardo Albanensi episcopo & Francisco S. Luciæ diaconis Cardinalibus, qui postmodum ambo diem clauserunt extremum, per suas literas duxerit committendum, ut nos inungerent & imperiali diademate coronarent, cæteraque ipsius coronationis solemnia peragerent; idemque dominus Pontifex ex eo, quod multæ observantiæ, multaque solemnia, multæque reverentiæ & honorificentiæ Romano Pontifici competentia propter sui absentiam omittebant, in eisdem fuerit protestatus literis, ac voluerit & apostolica auctoritate decreverit, nullum ex hoc juris vel facti Romanæ ecclesiæ, ac sibi suisque successoribus præjudicium generari, quin cum casus Regem Romanorum in Imperatorem coronandi occurrat, omnia exhibeantur & fiant per coronandos a Romanis Pontificibus, sicut in forma, quæ in archivio ecclesiæ & pontificali ordinario continetur, in prædictis descripta literis, serioſius est expressum.

Antiqui ritus in coronationis pompa confirmati.

Quarum quidem literarum de verbo ad verbum tenor dignoscitur esse talis: Clemens episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Arnaldo Sabinensi A.S.L. ac Leonardo Albanensi & Nicolao Ostiensi episcopis, ac dilectis filiis Francisco S. Luciæ in Silice & Lucæ S. Mariæ in via lata diaconis Cardinalibus nunciis ejusdem sedis salutem. Rex Regum & dominus dominantium, &c. Allatæ sunt superius a nobis (*c*) eæ Clementis literæ, quibus Cardinalibus inungendi Henrici Imperatoris data imperia, ac singuli ritus servandi descripti. Prætermissis igitur iis, quas repetere cum Imperatore supervacaneum foret, quæ ipse subiiciat, afferamus.

(*c*) *A.* C. 1311. *n.* 7. *& seqq.*

Nos igitur præfatus Henricus Romanorum Imperator, qui exaltationem Romanæ ecclesiæ ubilibet affectamus, & ejusdem jura & bonas consuetudines diminuere non intendimus, sed augere, prædictis protestationi & decreto tenore præsentium consentimus expresse, dantes & concedentes, ad ipsius Romanæ ecclesiæ & ejusdem domini summi Pontificis & successorum suorum conservationem juris atque cautelam, hus nostras literas, consensum nostrum ejusdem protestationis ac decreti expressum continentes, imperialis bullæ aureæ robore communitas. Dat. Laterani III. *kal. jul. anno Domini MCCCXII. indictione* X. *post nostri susceptum imperii diadema, regni nostri anno* IV. *imperii vero nostri anno* I.

XL. Præstita olim ab oratoribus ea menta renovat.

Ut animum præterea fide religione exolveret, qua se antea obstrinxerat, cum ornamenta imperialia deposceret a Clemente, sacramenta olim præstita repetivit, eorumque formam suis conceptam verbis, adeptis jam augustalibus insignibus, confignavit (*d*).

(*d*) *Ext. in arce S. Angeli & l. priv. Rom. eccl. to.* 2. *p.* 241. & *inter Coll. Plat. to.* 1. *p.* 353. & *in MS. bibl. Vall. sig. lit. E. n.* 12. *p.* 420.

Sanctissimo in Christo patri & domino suo, domino Clementi, sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summo Pontifici Henricus, divina favente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus cum reverentia debita devota pedum oscula beatorum.

Dudum, antequam susciperemus Imperii diadema, in humilitatis spiritu, quæ virtutum comprobatur origo, sicut sanctæ matris ecclesiæ filius nostræ devotionis ac fidei zelum vobis & ipsi ecclesiæ ferventi desiderio ostendere cupientes, in manibus discreti viri Joannis de Molariis ecclesiastici Tullensis, capellani vestri, de mandato per vos ei facto, vestro, ecclesiæ prædictæ, & sedis Apostolicæ nomine recipientis, sacrosanctis evangeliis corporaliter per nos tactis, præstitimus juramentum, quod tenor literarum vestrarum super hoc confectarum nostro regio pendenti munitarum sigillo continet serioſe promittentes, nosque firmiter obligantes cum omni efficacia & effectu, quod post imperialis diadematis a nobis coronationem susceptam omnia in juramento

& literis contenta prædictis ratificaremus, confirmaremus, recognoſceremus, faceremus, ſervaremus, atque juraremus, & de his omnibus infra octo dies poſt coronationem hujuſmodi ad perpetuam rei memoriam, ac veſtram & ſucceſſorum veſtrorum, & eccleſiæ ac ſedis prædictorum ſecuritatem atque cautelam vobis patentes quadruplicatas imperialis majeſtatis typario communitas concedimus literas hujuſmodi literarum veſtrarum ſeriem continentes, quæ talis eſt: Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino ſuo domino Clementi ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici Henricus, Dei gratia, Romanorum Rex ſemper Auguſtus cum reverentia debita pedum oſcula beatorum. Ferventi deſiderio cupientes, &c.

Concepta erant de religione ac juribus Rom. eccleſiæ defendendis. (*a*) *A. C. 1310. n. 3. & ſeqq.*

Adducit literarum iiſdem verbis conceptarum ſeriem, quarum formam ipſi Pontifex præſcripſerat, cum imperialia inſignia ab Apoſtolica ſede depoſceret, quas jam ante ſuo loco attulimus; (*a*) ac ſacramenti ab eo nuncupandi formulam, ex qua fidem regiam ad religionem Chriſtianam tuendam, excindendas hæreſes, ſchiſmata tollenda, nulla cum ſchiſmaticis aut Saracenis fœdera ineunda, ſervanda Romanæ eccleſiæ jura, conceſſa illi a majoribus Conſtantino, Carolo, Henrico, Othone, Friderico, Rodulpho privilegia confirmanda, eccleſiaſticam ditionem, cujus provincias ac urbes præcipuas enumerat, nunquam invadendam; ſed potius ab hoſtium vindicandam conatibus Lauſanæ duobus jam ante annis, cum Italiam ingredi pararet, devinxerat; ac ſpoponderat, etiam poſt ſuſceptum diadema imperiale eodem ſacramento ſe obligaturum, atque excurrente ab ea celebritate octo dierum ſpatio imperialem ſyngraphum, qua geſta ac promiſſa confirmaret, traditurum. Quibus expoſitis addit.

XLI. Quibus verbis ad ea fidem ſacramento obſtrinxerit.

Tanto itaque ferventius ad ſanctitatem veſtram, ſanctam Romanam eccleſiam, & Apoſtolicam ſedem zelo fidei & devotionis accenſi, quanto ſumus amplius per ſuſceptionem imperialis diadematis divinæ gratiæ munere ſublimati; juramento & literis contenta prædictis ratificamus, confirmamus, & recognoſcimus, & ea ſervabimus & etiam faciemus; ac prædicta omnia & ſingula inviolabiliter obſervari facere, & nullo unquam tempore contravenire, de novo juramus ad ſacroſancta Dei evangelia corporaliter, tacto libro in manibus venerabilium dominorum miſeratione divina Arnaldi Sabinenſis Apoſtolicæ ſedis legati & fratris Nicolai Oſtienſis & Velletrenſis epiſcoporum, nomine Rom. eccleſiæ, ſedis Apoſtolicæ, ac veſtro, & mandato noſtro ſpecialiter recipientium: de qua receptione tam per noſtras, quam ipſorum recipientium literas plene conſtat. Et ad prædictorum omnium perpetuam rei memoriam, & ſanctæ Romanæ eccleſiæ ac ſedis Apoſtolicæ & Romanorum Pontificum ſecuritatem atque cautelam præſentes literas quadruplicatas, tenore prædictarum literarum noſtrarum in eis inſerto imperialis majeſtatis typario communitas, juxta promiſſionem & obligationem noſtras prædictas ſanctitati veſtræ conceſſimus, & eas per eoſdem venerabiles dominos Sabinenſem & Oſtienſem epiſcopos duximus tranſmittendas. Dat. Romæ apud S. Sabinam II. nonas julii anno Domini MCCCXII. regni noſtri anno IV. imperii vero noſtri anno I.

XLII.

Acceptis iis imperialibus literis, quibus Henricus ſacramenta poſt aſſerum illi a Clemente auguſtale jus nuncupata Lauſanæ coram apoſtolico nuntio repetivit, Cardinales legati, quibus munus erat demandatum, ut eas literas ab eodem principe exigerent, publica documenta conficienda curarunt, quibus teſtatum reliquere, Henricum priſtino fidei ſacramento ad tuendum dogma orthodoxum, aſſerenda Romanæ eccleſiæ jura, ditionem eccleſiaſticam ac Siciliam non invadendas ſe devinxiſſe. Quas tabulas ad pontificem hiſce conrenias literis (*b*) tranſmiſere.

Cardd. ad Clem. literæ de ſacramentis ab Henr. præſtitis. (*b*) *Ext. in arce S. Angeli & l. priv. Rom. eccl. to. 1. p. 311.*

Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino noſtro domino Clementi, divina providentia, ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici, miſeratione divina Arnaldus Sabinenſis Apoſtolicæ ſedis legatus, & Nicolaus Oſtienſis epiſcopi ſedis ejuſdem Apoſtolicæ nuncius devota pedum oſcula beatorum.

Dudum a ſanctitate veſtra recepimus literas in hac forma: Clemens epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilibus fratribus Arnaldo Sabinenſi legato & Nicolao Oſtienſi epiſcopis Apoſtolicæ ſedis nuncio ſalutem, & apoſtolicam benedictionem. In humilitatis ſpiritu, quæ virtutum comprobatur origo, chariſſimus in Chriſto filius noſter Henricus Rex Romanorum illuſtris, ſicut matris eccleſiæ filius a Domino benedictus, devotionis & fidei zelum nobis & ipſi eccleſiæ dudum offerens reverenter juramentum, quod tenor infra ſcriptarum literarum ſuo pendenti munitarum ſigillo continet ſeriose, olim in manibus dilecti filii magiſtri Joannis de Molano ſcholaſtici Tullenſis capellani noſtri de mandato per nos ei facto, noſtro, eccleſiæ prædictæ, & Apoſtolicæ ſedis nomine recipientis, per dictum Regem ſacroſanctis evangeliis, ſicut per eaſdem literas plene conſtat, tactis corporaliter, præſtitit; promittens idem Rex, ſeque firmiter obligans cum omni efficacia & effectu, quod poſt imperialis diadematis ab ipſo coronationem ſuſceptum omnia in juramento & literis contenta prædictis ratificaret, confirmaret, recognoſceret, faceret, ſervaret atque juraret: & de his omnibus infra octo dies poſt coronationem hujuſmodi ad perpetuam rei memoriam, ac no-

Quæ data fuerint Cardinalibus imperia.

noſtram & ſucceſſorum noſtrorum & eccleſiæ ac ſedis prædictarum ſecuritatem atque cautelam, patentes quadruplicatas imperialis majeſtatis typario communitas concederet literas, hujuſmodi literarum ſuarum ſeriem continentes: propter quod præfatum Regem affectu paterno per alias noſtras literas rogandum duximus & etiam exhortandum, ut regiæ devotionis & fidei ac reverentiæ fervorem hujuſmodi cum ſuæ promotionis & exaltationis augmento præclara ſuæ celſitudinis geſta erga nos & præfatam eccleſiam creviſſe demonſtret; in manibus veſtris vel alterius veſtrum, quos ad ipſius Regis præſentiam duximus deſtinandos, quibuſve & cuilibet veſtrum in ſolidum juramenti & aliorum prædictorum omnium & ſingulorum receptionem per præſentes literas committimus; poſt ſuſceptum per ipſum Regem, ut præmittitur, ipſius imperii diadema in juramento & literis contenta prædictis ratificet, confirmet, recognoſcat, faciat, ſervet, ac præſtet de novo ſimile juramentum; nobiſque ſuper his omnibus & ſingulis, juxta ſuam promiſſionem & obligationem, eaſdem prædictas literas quadruplicatas ejuſdem imperialis majeſtatis typario communitas, in eis tenore prædictarum literarum ſuarum inſerto, concedat, illaſque nobis per vos vel alterum veſtrum tranſmittat.

Ut juſſus Henr. fuerit ſacramenta antea nuncupata repetere.

Cum igitur de noſtro & eccleſiæ ac ſedis prædictorum honore tanquam ipſius eccleſiæ membra nobilia, ſicut pro certo tenemus, credimus, & ſperamus, vos attentior & continua cura ſolicitet, noſque in his & aliis, quæ ipſius eccleſiæ contingunt honorem, in vobis cum ſecuritate pleniſſima quieſcamus; volumus, & diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrum ratificationem, confirmationem, recognitionem, ac juramentum prædicta, & prædicta omnia & ſingula a Rege prædicto (quem ſuper præmiſſis & quolibet eorundem requirimus per præſentes, & etiam exhortamur in Filio Dei Patris) poſt ſuſceptum prædictum diadema imperii ab eodem, & quadruplicatas literas, in eis tenore prædictarum literarum inſerto imperialis majeſtatis typario, ut prædicitur, communitas nobis per eum ſuper prædictis omnibus concedendas, prudenter petere, requirere, recipere, & habere curetis, ipſaſque nobis vos vel alter veſtrum deferatis. Nos enim ratificationem, confirmationem, recognitionem, juramentum, & prædicta omnia & ſingula petendi, requirendi, recipiendi, & habendi a Rege prædicto & omnia alia, quæ circa prædicta & quodlibet prædictorum agenda fuerint faciendi, gerendi, & exercendi, plenam vobis & cuilibet veſtrum in ſolidum concedimus auctoritate præſentium facultatem.

Dare de iis poſt acceptum auguſtale inſigne literas.

XLIII. *Tenorem autem prædictarum literarum nobis ſuper juramento per eum in manibus dicti ſcholaſtici, ut præmittitur, præſtito conceſſarum, ut de ipſis plenam certitudinem habeatis, & procedere valeatis cautius in præmiſſis, de verbo ad verbum præſentibus inſeri fecimus, qui talis eſt: Sanctiſſimo in Chriſto patri & domino ſuo domino Clementi ſacroſanctæ Romanæ ac univerſalis eccleſiæ ſummo Pontifici Henricus, Dei gratia, Romanorum Rex ſemper Auguſtus cum reverentia debita devota pedum oſcula beatorum. Ferventi, &c. Dat. Lauſanæ V. idus octobris anno domini milleſimo trecenteſimo decimo, regni vero noſtri anno ſecundo. Dat. in prioratu de Grauſello prope Malauſanam Viſionenſis diœceſis X. kal. julii pontificatus noſtri anno ſexto. Volentes igitur veſtris ex corde, prout tenebamur, obedire mandatis, ab eodem domino Imperatore poſt ſuſceptum imperii diadema recepimus juramentum, & alia fecimus & recepimus, quæ in prædictis ſanctitatis veſtræ literis continentur, prout in ipſius domini Imperatoris quadruplicatis literis imperialis majeſtatis typario communitis, quas veſtræ ſanctitati conceſſit, vobis per nos vel noſtrum alterum deferendas, videbitis plenarie contineri. In quorum omnium teſtimonium, has ſcribi literas per magiſtrum Joannem de Hyvodio capellanum & notarium noſtrum Sabinen. & ſigillorum noſtrorum fecimus appenſione muniri. Acta fuerunt prædicta in Urbe apud S. Sabinam in palatio, quod inhabitabat ibi dictus dominus Imperator, anno domini milleſimo trecenteſimo duodecimo indictione decima die jovis VI. julii pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini domini Clementis, divina providentia, Papæ quinti anno ſeptimo, præſentibus reverend. in Chriſto patribus dominis Lucæ S. Mariæ in via lata diacono Cardinali, & Henrico epiſcopo Tridentino, dicti domini Imperatoris cancellario, ac magnificis viris Amadeo Sabaudiæ & Joanne Forenſi comitibus, ac Roberto de Flandria milite, &c.* Adjecta ſunt alia teſtium & tabellariorum nomina, quæ brevitatis gratia prætermittimus. Cum his Henricus feciſſe ſatis officio videretur, Clemens imperialis inunctionis ſolemnia, quæ non in baſilica S. Petri, ut conſtitutum fuerat, ſed Lateranenſi, & ab invitis ac renitentibus Cardinalibus celebrata fuerant, rata firmaque eſſe ſanxit (*a*).

Teſtes rei geſtæ.

(*a*) *Alb. Muſſ. l. 11. c. 6.*

XLIV. At Henricus pro eo beneficio eccleſiaſtica ditione Pontificem exuere molitus (*b*) eſt, ut dicetur inferius; peperitque ſibi violata ſanctiſſime promiſſorum religione exitium. Qui namque antea Pontificis gratiam pro adipiſcendo firmandoque imperio ſtudioſe collegerat, ac non ſine Chriſtianæ dimiſſionis gloria ſacros Apoſtolicæ ſedis apices veneratus fuerat; jam correpto auguſtali inſigni elatus in ſuperbiam

(*b*) *Eod. lib. c. 8.*

Secuta Henrici insignis perfidia. Cardinales Henrico & Roberto conciliandis incumbunt.

biam nuncupatum sacramentum brevi ejuravit, quasi inania tantum verba officii gratia fudisset, nulla vero religione, ut pareret Pontifici, animum devinxisset. Cum enim Pontifex, sopiendi inter Henricum & Robertum exorti belli cupidus, literas Cardinalibus, qui adhuc Romæ pro adducenda inter ipsos concordia versabantur, transmisisset, in quibus præcipiebat, ut ambos monerent officii his verbis (*a*): *Quod cum ipsi Reges, ejusdem ecclesiæ specialissimi filii, sibi juramento fidelitatis & aliis multipliciter essent adstricti, ipsius ecclesiæ debeant esse promptissimi defensores;* Henricus, qui jam imperialibus infulis redimitus fuerat, rogatus a Cardinalibus ut ad pontificias literas, quibus de conciliandа cum Roberto pace agebatur, responderet; ægre ferens nuncupati ab eo in iis sacramenti fidei editam mentionem, cum adducendæ concordiæ ratio posceret, ut familiariter ac secrete ageret; præceps iracundia, excitis multis tabellionibus, publicis tabulis consignari jussit, nemini sacramento fidei obstrictum se teneri, ipsumque latere, an unquam ulli suorum prædecessorum Romanis Pontificibus fidem jurejurando obligassent. Sicque temere admodum præstita ante & post acceptum augustale insigne sacramenta oblivioni dedit. Sed cum illa in eum sensum detorqueret, ut fidei vel fidelitatis sacramenta appellanda negaret, præstat Henricum ipsum suis verbis arguere. Is enim a Germanis electoribus Rex pronuntiatus, cum ad Clementem oratores suos pro imperio & augustalibus insignibus obtinendis misisset, in literis ad Pontificem ea de re datis hæc (*b*) professus est.

(a) *Clem. Romani de jurejurando.*

Suis verbis arguitur.

(b) *Lib. privil. Rom. eccl. to. 3. p. 81. ext. in MS. Vall. sig. lit. B. n. 12. p. 47. item ext. A. C. 1309. n. 10. & seq.*

Concedimus eisdem, verba sunt Henrici, *generalem & liberam potestatem ac speciale mandatum.* Et infra: *SEU PRÆSTANDI IN ANIMAM, ET SUPER ANIMAM NOSTRAM DEBITÆ VOBIS ET SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ FIDELITATIS ET CUJUSLIBET ALTERIUS GENERIS JURAMENTUM.* Eos vero oratores hujusmodi fidelitatis juramentum, ut ipse Henricus sui parum memor vocat, præstitisse Romano Pontifici, ex instrumento ea de re confecto jam ante suo loco (*c*) allato constat: quod renovatum postea antequam a Cardinalibus imperiali consecratione liniretur, ex pontificiis literis (*d*) exploratum est, in quibus inter cætera in celebritate peragenda præscripta nuncupatum ab Henrici oratoribus sacramentum jubentur exigere, cujus etiam formulam inserit; additque oratores jurejurando pollicitos, illud ab Henrico iterum in ipsa imperatoriæ inunctionis pompa exhibitum iri: *Et cum Romæ vel alibi*, verba sunt oratorum Henrici, *per vos dn Imperatorem coronandus fuerit dominus noster Rex prædictus, dictum sacramentum & aliud fieri consuetum ad requisitionem vestram tempore coronationis personaliter renovabit.*

(c) *A. C. 1309. n. 12.* Probatur ex rei gestæ serie.

(d) *Lib. 6. ep. com. 754. ann. Chr. 1311.*

XLV. Hujusmodi porro sacramenti, vel alterius præstiti genus sponsionem fidei nuncupandum Imperator negare non potuit, dum ipse disertis verbis oratores suos, ut diximus, amplissimis mandatis ad id instruxerat, ac præstitam sponsionem Pontifex fidei sacramentum in iis ad Cardinales literis, quæ adeo ipsum pupugere, appellat; (*e*) quod postea in edita constitutione comprobavit sanxitque his verbis: *Præfatis nuntiis sufficiens ad hoc ab eo, vt præmittitur*, ac jure sufficiens quidem, dum expressis verbis juramenti fidelitatis præstandi, ut probatum est, auctoritatem contulerat, *mandatum habentibus secundum formam in decretis, quæ incipit, Tibi domino, comprehensam fidelitatis recepimus juramentum. Postque idem Henricus consecrationis & coronationis suæ tempore aliud eisdem Cardinalibus, quos ad impendendum sibi hujusmodi consecrationis & coronationis insignia miseramus ad Urbem, illud nostro nomine recipientibus, juramentum præstitit corporale, quod in libro pontificali, Romano præstandum Pontifici per Imperatorem coronationis suæ tempore, continetur; cujus tenor dignoscitur esse talis: Ego Henricus Romanorum Rex, annuente Domino, futurus Imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque juro coram Deo & beato Petro, me de cætero protectorem, procuratorem, & defensorem fore summi Pontificis & hujus sanctæ Romanæ ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones, honores, & jura ejus, quantum divino suffultus adjutorio fuero, secundum scire & posse meum, recta & pura fide. Sic me Deus adjuvet & hæc sancta Dei evangelia.*

(e) *Clem. Romani de jurejur.* Clemens id diplomate promulgat.

Sacramenti præstiti formula.

XLVI. *Cæterum quin juramenta hujusmodi fidelitatis existant, a retro Romanis Principibus, non fuit hactenus hæsitatum: immo tam quondam Albertus Rex Romanorum immediatus prædecessor memorati Henrici Bonifacii Papæ VIII. prædecessori nostro tempore approbationis ejusdem Alberti, quam Rodulphus pater ipsius, & alii prædecessores ejusdem Romanorum Reges diversis nostris prædecessoribus juramentum fidelitatis & obedientiæ præstiterunt: idemque Bonifacius memoratum Albertum, juramento hujusmodi ab eo recepto, de fratrum suorum consilio, præsente prælatorum & aliorum multitudine copiosa, auctoritate apostolica recepit in specialem suum filium & ecclesiæ memoratæ, ipsumque in Regem Romanorum assumpsit in Imperatorem postmodum promovendum.*

Exempla de prædecessoribus Regibus Roman.

XLVII. At Henricum ita ira & vindictæ aviditas commoverant, ut parum sacramentorum,

rum, quibus se devinxerat, religionem curaret; ac Pontificis, restinguere satagentis exorientem flammam, ne in incendium excresceret, paterna monita & Cardinalium preces respueret; Neapolitanumque regnum, immo totius Italiæ imperium sibi subiicere moliretur. Nec levibus adversis rebus pressus est post accepta augustalia ornamenta, nam & Aniballdus & Joannes Sabellus lapsi e custodia ad finitima Urbi castra perfugere, (*a*) quibus præsidiarias Roberti Regis copias excepere, quæ multis excursionibus imperiali exercitui gravissima damna intulere; ita ut Henricus. intercluſis commeatibus, Roma XIII. kal. augusti, abscedere & Tybur contendere sit coactus (*b*). Quarto post die dux Bavariæ, Dalphinus Viennensis, & Ugo ejus frater ex cæsareis castris cum quadringentis viris nobilibus domum repetiere. Extenuatus ita admodum est Henrici exercitus: cum contra ad Joannem Roberti fratrem in Urbe ex Tuscia, Apulia, & patrimonio maximæ confluerent copiæ: adeo ut tria equitum millia, peditesque numerosissimos recenseret. Addit Mussatus (*c*): *Iisdem diebus circa mensis julii exitum, ad legatum, papales literæ allatæ sunt, vt scilicet Urbe Cæsar Robertusque Rex cum universis abscedant copiis, quodque dispositis in pace rebus ipse Romam proficiscatur: hæcque præconis vocibus in Urbe & Tybure conclamata sunt.*

(a) *Alb. Muss. l. 8. c. 9.* Henricus cinctus angustiis.

(b) *Cap. 29.*

(c) *Cap. 11.* Henrici Robertique copiæ jussæ urbe excedere.

Arctatus extenuatusque Tybure omnibus copiis Cæsar, spe sublata potiundæ Urbis, ad motus alios proniori fortuna laxavit intentum, suadentibus agentibusque Etruriæ primatibus, quos vetusta quærendorum visendorumve larium stimulabat anxietas, in amicas terras retrocedere constituit, subeunte ratione, si Tusciam provinciam prosperiores largirentur eventus, ibi & sedem futuram Italiæ, tanquam in centro positam, accommodamque cæsareæ majestati. Provinciæ hujus tanquam sortitam a re vocabulum Florentiam cæteris civitatibus ac coloniis ingenti magnitudine præstare constabat, veluti provinciæ dictæ fastigium: hujusque subigendæ causæ fuberant regium allicientes animum, nec deerant hujuscemodi aggrediendæ vicissitudinis promotores: Erant Gibolengæ partis vetustissimi imperium uti signum cœleste colentes: erant Albi, genus hominum superstitionis novæ, qui nati ex Guelphis ejusdem factionis ex civilibus dissidiis a suorum communione discesserant, unitique Gibolengis ad omnia Guelphorum irritamenta perniciesque. Et infra: *Nec (d) Cæsarem fallebat, hac quæsita provincia Longobardis rebellandi facultatem non fore, multis suæ partis potiores urbes constanter obtinentibus, sicque ab Tybere usque in Alemanniæ ostia limen patere.*

In Etruriam motæ aquilæ.

(d) Id. *Muss l. 9. c. 1. Jo. Villan. l. 9. c. 43. Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. §. 7.*

Susceptо eo consilio Henricus, cum de Roberto Rege repetere ultionem non posset, Tybure digressus, (*e*) per Sabinos & Umbros in Etruriam se contulit, ac Perusinum agrum, quamvis pontificiæ ditionis esset, evastavit (*f*); *Demum*, inquit Albertinus Mussatus, *copias omnes in Aretium conjunxit ibique tanquam sponsus in thalamum suum susceptus, exeunte congratulanteque omnium Gibolengorum frequentia, moras omnes sustulit, trepidantibus vicinarum urbium undecumque Guelphis: cœptoque illico auctoritatis imperatoriæ primordio, Robertum Apuliæ Regem in judicium citandum jussit, emisso edicto in diem certam, mulctaque indicta si sese contumacem reddiderit. Nec minus extemplo aquilas aureamque flammam explicans in Florentiæ fines processit, exustis ædibus, & singulis ad prædam concessis.* Subdit ut circa kal. septembris anni MCCCXII. potitus oppidis Ubarchi montis & S. Joannis, Florentiæ obsessæ extremi discrimis terrorem incusserit. Describunt pluribus Mussatus, (*g*) Joannes Villanus, (*h*) S. Antoninus, & alii varias Henrici ac Florentinorum expeditiones & prælia; tum Pisanorum a Megone Roberti Regis duce cladem acceptam: sed hæc perstrinxisse suffecerit. Cum porro versum in se belli molem viderent Florentini, crebrisque excursionibus vastari agrum, reipublicæ gubernacula ad quinquennium Roberto Siciliæ Regi detulere: at de eo anno sequenti. Jam ad Philippum ipsius fratrem, Tarentinum principem, justiore bello pro tuenda Christiana religione ac schismaticorum conatibus reprimendis occupatum in Græcia, sermonem convertamus.

(e) *Muss. ubi sup.* Aretii magna pompa exceptus Henr.

(f) *Alb. Muss. l. 9. c. 2. 3. 4. 5.*

(g) *Jo. Vill. l. 9. c. 46.*

(h) *Ant. 3. p. tit. 21. c. 2. §. 6.*

Robertus Rex a Florentinis reip. præficitur.

XLVIII. Adductam in summum discrimen in Græcia, ac maxime in Achaja a schismaticis rem catholicam deplorat Pontifex in literis, quibus Philippum Tarentinum principem ad eas provincias ab imminenti periculo vindicandas accendit (*i*). Certe adeo fidelium, qui hactenus post collapsum Constantinopolitanum Imperium in Græcia hæserant, fractæ res fuere, ut expaverit Pontifex, ne cogitata in Syriam expeditio disturbaretur, atque ex sexennalibus decimis in concilio Viennensi pro recuperanda terra sancta indictis, triennales in Sicilia citerjori, Sardinia, Corsica, Creta, ac provinciis Græciæ Latini juris colligendas in Achajæ ac fidelium finitimorum subsidium derivarit; (*k*) quarum exigendarum provinciam Arborensi (*l*) archiepiscopo in Sardinia, Neapolitano & Brundusino in Sicilia, pluribusque (*m*) episcopis demandavit: cujus decreti causam in literis datis ad Philippum principem Tarentinum, cui eæ decimæ ad instruendas copias conferendæ erant, hisce verbis expressit, (*n*) ut scilicet catholici e schismaticorum conatibus vindicarentur, neve expeditio pro recuperanda Palæstina

In Græcia schismatici catholicos opprimunt.

(i) *Lib. 7. ep. com. 131.* Clemens auxilia comparat.

(k) *Ib. ep. com. 131.*

(l) *Ep. com. 132.*

(m) *Ep. cand. ep. 133. 134. 135. 136. 137.*

(n) *Ep. com. 131.*

na in barbaros comparanda, distrahentibus Latinorum vires Græcis, turbaretur.

Secuturis illius signa concessæ indulgentiæ.

Parare meditatum Philippum principem Tarentinum ad ferendam Achajæ Christi fidelibus opem duo equitum millia, quatuorque millia peditum, ex literis pontificiis ad eum datis colligitur, quibus militiam religiosam accepto crucis symbolo professuris eo numero, præmia indulgentiarum conceduntur (*a*).

(*a*) *Ep. com.* 251.

Dilecto filio nobili viro Philippo principi Tarentino.

Tuis supplicationibus inclinati, duobus millibus equitum, & quatuor millibus peditum vere pœnitentibus & confessis, quos tecum quandocumque, usque ad triennium, in subsidium terræ sanctæ ad partes Romaniæ contra schismaticos illarum partium personaliter transfretantibus ad ecclesiæ Romanæ & tuum obsequium proficisci contigerit contra schismaticos antedictos, illam indulgentiam de gratia speciali concedimus, quæ transfretantibus in dictæ terræ sanctæ subsidium concedi per sedem Apostolicam consuevit, præsentibus post dictum triennium minime valituris. Dat. Viennæ non. maii anno septimo.

Idem princeps beneficiis ornatur.

(*b*) *Ep.* 253.

Ornavit (*b*) eundem principem pluribus sacris beneficiis, atque hoc in primis, ut majori ardore cum schismaticis bellum iniret: *Tibi, qui ad partes Romaniæ contra schismaticos partium earundem transfretare proponis, quod confessor tuus, cum campum ad congrediendum cum eisdem schismaticis bellum te intrare contigerit; & in mari etiam, ubi periculum imminet, te vere contritum & confessum a pœna & culpa absolvere valeat, auctoritate præsentium indulgemus. Dat. Viennæ* VI. *non. maii an.* VII. Denique ne ejus pietati alendæ deessent, permisit, ut a media nocte ab horam nonam divina coram se celebrari jubere posset. Adjecit (*c*) tamen, ut parcius ea potestate uteretur: *Proviso quod parce hujusmodi concessione utaris; quia, cum in altaris officio immolatur noster dominus Dei filius Jesus Christus, qui candor est lucis æternæ, congruit hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce.*

(*c*) *Ep. com.* 254.

Abneptem Balduini II. Imp. uxorem ducere, solutis impedimentis, ipsi permisit.

Auxit postea alio eundem principem insigni beneficio, dissolutis apostolica auctoritate nonnullis impedimentis, ut Caroli Valesiorum ducis & Catharinæ Imperatricis Constantinopolitanæ filiam, abneptemque Balduini secundi Imperatoris, ad quam hereditaria imperii jura spectabant, uxorem duceret: non levis enim spes affulgebat, eundem principem, qui etiam ditionem amplam obtinebat, schismaticorum limiti contiguam, uxoris jura & schismaticorum erepturum manibus, Romanæque ecclesiæ terminos propagaturum; verum cum inita jam ante, dum mater Catharina Imperatrix Balduini filia in humanis erat, cum duce Burgundiæ sponsalia essent, Clemens Rothomagensi archiepiscopo & episcopo Constantiensi partes dedit, ut Carolo duce promissorum religione exoluto, ea sponsalia rescinderent, cujus decreti hanc causam addidit (*d*).

(*d*) *Lib.* 8. *ep. com.* 17.

Clemens, &c. vener. fratribus Ægidio arch. Rothomag. & Roberto episc. Constantiensi.

Ejicabat inde spes aliqua recuperandi Constantinop. imperii.

In apostolicæ mentis cogitatione revolvimus, quod Constantinopolitanum imperium, in cujus eadem puella dictæ Imperatrici hereditate succedere dicitur, a fide sanctæ matris ecclesiæ ac unione fidei orthodoxæ divisum, & in gravem superni Patris offensam ac Christianæ plebis injuriam per pravum genus gentis schismaticæ occupatum diutius æstuavit; & quod non indigne speratur, quod eodem principe cum eadem puella matrimonialiter copulatio, ipse factus proinde velut in suæ rei prosecutione solicitus negotium ipsius imperii de filiorum alienorum manibus liberandi assumet potentius, & tanquam vir probitate strenuus, fidei sinceritate conspicuus, de Christi nissima quippe ortus prosapia, & illustribus natalibus procreatus, magna quoque stipatus potentia virilius prosequetur; quodque idem princeps terram non modicam habet proximam imperio supradicto, &c. Dat. Avenn. 12. kal. jan. an. VIII.

Vergebat interea (*e*) in exitium orientale imperium, accepitque hoc anno Andronicus Imperator gravissimam cladem a Turcis, qui cum ad prædas agendas in Chersonam irrupissent, atque a Græcis imperiali exercitu circumfusi essent, collectis ex desperatione animis, tanta ferocia impetum fecere, ut ipsum in turpem fugam verterint: potitique ejus castris, inter cætera spolia imperialis ornamenta dignitatis repererint, quæ magno Græcorum dedecore barbari ludibrio habuerunt.

(*e*) *Niceph. Greg. l.* 7. Andronicus a Turcis in Chersona profligatus. Ornamenta imperialia ludibrio barbaris fuere.

Meditabatur eodem tempore in Syros & Ægyptios Saracenos expeditionem Philippus alter Francorum Rex. Jam ille, ut dictum est, coram Viennensis concilii patribus excurrente sexennio in Syriam copias traducturum pollicitus erat, atque a secunda mensis aprilis die intra evolventis se unius anni metas, accepto crucis symbolo, religiosam militiam professurum: sed cum eo consilio majorem natu filium Ludovicum Regem Navarræ, atque alios filios & principes, qui pariter dandi sacræ illi militiæ nominis desiderio ardebant, cingulo militari solemni ritu donare cogitaret, ad rem majori pompa perficiendam, crucis affigendæ sibi tempus prorogari aliquantulum a Clemente flagitavit: qui cum ea res fraudi rei Christianæ non verteretur, ejus votis est obsecutus (*f*).

Philippus Rex accipiendi crucis symboli diem prorogari flagitat.

(*f*) *Lib.* 8. *ep. com.* 78.

Cha-

Charissimo in Christo filio Philippo Regi Francorum illustri.

Licet in generali concilio, per nos Viennæ auctore domino celebrato Redemptoris tui intrinsecus tactus injuriis, & accensus zelo devotionis & fidei, in te, fili charissime, onus passagii in terræ sanctæ subsidium faciendi duxeris assumere, promittendo quod inde ad sex annos, a mensi martii proximo inchoandos, iter versus terram ipsam arripere, ipsum passagium incœpturus; & propterea infra annum, a secunda die mensis aprilis præteriti proximo computandum, assumeres vivificæ crucis signum; quia tamen in receptione crucis ejusdem, sicut accepimus, ob ipsius terræ subsidium latius præparandum, charissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Navarræ illustrem aliosque liberos tuos, & nonnullos alios nobiles & potentes, qui una tecum intendunt ipsius crucis signum assumere proponis militari cingulo decorare, aliaque adhibere solemnia, quæ circa festum pentecostes proximo futurum poterunt commodius ordinari; nos hujusmodi laudabile propositum tuum multipliciter in Domino commendantes, ac volentes illud adhibere remedium, per quod propositum ipsum plenius & felicius, dante Domino, duci valeat ad effectum; præsertim cum, etsi hujusmodi tempus recipiendæ crucis aliquantulum prorogetur, tempus tamen passagii inchoandi propterea non differtur; celsitudini tuæ ipsum tempus dictæ crucis dominicæ assumendæ usque ad octo dies post dictum festum pentecostes proximo futurum tibi tenore præsentium auctoritate apostolica prorogamus. Dat. Avin. XII. *kal. januarii anno* VIII.

Annuit Clemen.

LI. Decimas pro conficiendo belli sacri apparatu jubet colligi.

(*a*) *Eod. l.* 8. *ep. com.* 100.

(*b*) *Ib. ep. com.* 101. *& apud Jo.* 22. *l.* 3. *ep. cur.* 33.

(*c*) *Lib.* 8. *ep. cur.* 77.

(*d*) *Reg. post annd. ep.*

Concederat Imp. obeundæ expeditionis Asiaticæ consilium.

(*e*) *Exc. apud Henr. Rebdor. in annal.*

Ad sustinendos propterea sacri illius belli sumptus Pontifex in Viennensi synodo decimas sexennales, ut dictum fuit superius, indixerat: quarum exigendarum provinciam in Galliis Antissiodorensi episcopo, magistro Gaufrido e Plesejo pontificio notario, tum abbati monasterii S. Dionysii provinciam injunxit (*a*): universisque archiepiscopis, episcopis, & reliquo clero Gallicano, ut pro recuperanda terra illa, Christi domini sanguine atque humanæ redemptionis mysteriis consecrata, alacriter vectigalium ecclesiasticorum conferrent partem, quæ ipsos tangeret, imperavit (*b*). Exactæ etiam ab universo catholico clero decimæ: quo argumento ad Colonienſem archiepiscopum & suffrageneos scripsit Clemens (*c*): tum etiam prolixior antistitum in regesto pontificio catalogus (*d*) extat, ad quos dissolvendis in omnibus regnis & provinciis decimis data imperia. Et quidem Germanos principes, ac præcipue Henricum Imperatorem zelo sacro recuperandæ Syriæ exarsisse, ipse Augustus, seu vere seu ficte, contestatur in ea sententia, (*e*) quam adversus Robertum Regem sequenti anno ob motum sibi bellum distrinxit; quem Syriæ eripiendæ e Saracenorum manibus consilia retardasse arguit: *In retardationem*, inquit, *negotii terræ sanctæ, ad quod Deo teste, qui omnia novit, totis cordibus & affectibus anhelamus.*

LII. Petrus Palatin. in Reg. Ungar. conjurat. Percussus anathemate.

(*f*) *Ann.* 1594.

Hoc anno in Ungaria civiles turbas concitavit adversus Carolum Regem Matthæus Palatinus, quem Gentilis Cardinalis A. S. L. ecclesiastico anathemate ob patrata in Deum, atque in majestatem regiam & populum Ungaricum flagitia perculit: qua de re extat ejusdem edictum ex archivo Avenionensi Romam delatum (*f*) gerente Avenionensem legationem Octaviano Aquaviva Cardinale. Porro de Matthæo hoc anno insignem divinitus a Carolo Rege partam victoriam, refert Thurosius, (*g*) cum pius Rex exercitus sui milites sacra exhomologesi & Eucharistiæ sacramento muniri jussisset: nec eventu irrito, cum adeo atrox prælium ab irruptionis Tartaricæ tempore commissum non sit in Ungaria. Fusus itaque plurimus utrinque cruor, & hostium duces in pugnæ ardore trucidati: Carolus Rex, cæso regio vexillifero, sub crucigerorum signo pugnam conseruit, ac postremo quamvis plures e suis amiserit, victoria est potitus: *Quod factum*, inquit Thurosius, *a Deo esse credimus & fatemur.* Firmatum inde ejus est Ungaricum solium: ut vero postea in Serviam & finitimas schismaticorum regna victorias protulerit, suo loco dicetur.

(*g*) *Thurosf. chron. p.* 2. *c.* 90. *Bon. dec.* 2. *l.* 9.

Cruento prælio profligatur.

LIII. Hispani Reges in Granat. bellum sacrum suscipiunt.

(*b*) *Jo. Mariana. de reb. Hisp. l.* 15. *c.* 11.

In Hispania Saraceni Alcaudetem oppidum Christianis eripuerant, qua injuria lacessitus Ferdinandus Castellæ ac Legionis Rex, ingentium princeps animorum, communicatis cum Lusitaniæ & Aragoniæ Regibus delendi Maurici nominis consiliis, Petrum fratrem adulto vere præmisit, ut contractis coplis illud circumsideret, eoque post valido cinctus exercitu accurrit. Victi (*b*) sunt barbari, atque oppidum in Christianorum redactum potestatem. Pontificiæ extant de eo bello literæ ad Toletanum archiepiscopum, quibus crucesignatos, qui Regem Ferdinandum anno integro contra Granatenses sequerentur, criminum venia donare jussit (*i*): *Fraternitati*, inquit, *tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus contra hujusmodi Saracenos prædicti regni Granatæ in ejusdem Regis Castellæ subsidium per provinciam tuam, infra dicti Regis dominium consistentem, per te ac alios tam sæculares quam regulares, quorumcumque ordinum fuerint, quos ad hoc idoneos esse noveris, per eandem provinciam constitutos, proponas juxta datam tibi a Deo providentiam verbum crucis, & venerabile signum crucis studeas incolis dictæ provinciæ, illam recipere volentibus, elargiri, &c.* Addita

(*i*) *Lib.* 7. *ep. com.* 765. Toletanus arch. fideles ad symbolum crucis in Sarac. accipiendum jussus incendere.

sunt indulgentiarum præmia, propositaque iis, qui triennio excurrente integro anno arma pro fide circumtulissent, militemve submisissent. *Dat. in prioratu de Grausello prope Malausan. Vasionensis diœcesis kal. augusti anno* VII.

Sacrum bellum Ferdinandi Regis morte dissipatum. Alcaudetes oppidum Castellæ restitutum. (a) *Marian. sup. c.* 11.

Affulserant ingentes excindendæ ex Hispaniis superstitionis Mahumeticæ spes Ferdinandi auspiciis felicibus. Sed dum majora in hostem consilia Rex moliebatur, formidabili ut creditum est divinæ justitiæ exemplo, cum a duobus fratribus, quos injuste e rupe præcipites deiici jusserat, ad trigesimum diem coram divino tribunali in judicium postulatus esset, dicta die repentina morte extinctus in lecto est repertus. Rem ex Mariana (a) referre placuit: *Carvajalii*, inquit, *fratres Petrus & Joannes regio jussu comprehensi, e vinculis more gentis causam dixere. Cæsi ad Palentiam, cum regia noctu egrederetur, Benavidii viri primarii lege majestatis postulati. Cædis auctor cognosci non poterat, suspicionibus multi exagitati: hi oppressi, neque judicio convicti, neque crimen fassi, quæ maxima judiciorum labes est: de vicina rupe præcipites dari jussi. Rex intractabilis erat, cum recens injuria provocabat, neque in ira regi valens: aulici, ut fit, viris nobilibus evertendis ejus offensas acriter speculabantur. Rapti ad supplicium divum hominumque fidem testati se innocentes mori, quoniam regiæ aures obturatæ essent, ad Deum æquissimum judicem provocare, Regique diem dicere ex eo die trigesimum. Eæ voces in præsenti pro vanis habitæ, casu fortasse esto, at mirabili certe eventu confirmatæ sunt.*

Ea in divinæ exemplum justitiæ versa est.

Rex nulla periculi cura Alcaudetem incastra abiit: ibi morbo tentatus gravissimo Giennium sese retulit, quo tempore de oppido dedendo a Mauris mentio erat illata. Vis morbi in dies augebatur. Rex curis gravioribus impari valetudine, lætus tamen nuncio oppidi captæ novæ irruptionis faciendæ consilia explicabat: cum die jovis septimo idus septembris a prandio somno se dans, in strato exanimatus repertus est. Obiit in ipso ætatis flore annos natus quatuor & viginti, menses novem, in maximo cursu rerum suarum. Regnavit annis decem & septem, quatuor mensibus, diebus decem & novem. Cibi & potus intemperantia exitio fuit: alii divini Numinis vim interpretabantur, quod a cæde patrata magno omnium miraculo diem trigesimum præcise numerarent, unde inter Castellæ Reges Ferdinandus in jus vocatus nuncupari cœpit. Proclamatus est ab obitu Ferdinandi Alfonsus (b) illius filius, in cunis adhuc vagiens, Castellæ Rex: ob cujus imbecillem ætatem civilibus dissidiis regnum fluctuavit.

Quot annis Ferdinandus regnarit vixerit-ve. Unde dictus Ferdinandus in jus vocatus. (b) *Id. Mar. c.* 12. Alfonsus filius puer regnorum successor. LIV.

Auctum est, exeunte anno, Cardinalium collegium solemni tertia aliorum novem adjectione x. kal. januarias, recurrentibus nimirum hybernæ tempestatis jejuniis, a Clemente inita, quorum nomina percenset Bernardus (c). Guillelmum nimirum e Mandagoto Aquensem archiepiscopum ad Prænestinam, Jacobum de Ossa episcopum Avinionensem Clementis in pontificatu successorem futurum ad Portuensem, Arnaldum de Auxio (d) Pictaviensem præsulem ad Albanensem sedes traductos. Reliqui sex, quorum tres primi theologicæ scientiæ erant professores, Guillelmus Petri de Godino Bajonensis ordinis Prædicatorii alumnus S. Cæciliæ, Vitalis e Furno Vazatensis Minorita S. Martini in montibus, Michael e Beco Normannus S. Quintini decanus S. Stephani in Cœlio monte, Berengarius Fredoli junior episcopus Biterrensis, SS. Nerei & Achillei, Raymundus S. Severi abbas S. Pudentianæ, Guillelmus Testa Condomiensis S. Cyriaci presbyterales titulos acceperunt.

(c) *Ber. chron. Rom. Pont. in Cle. V. Mart Pol. l.4. Fel. Cont. in elench. Cardd. in Clem. eratione* 3. *ex lib. oblig. Ciaccon. in eod. Clem.* (d) *Ext. de eo Clem. lit. l.8. ep. cur.* 36. 38.

INDEX
IN TOMUM VIGESIMUMTERTIUM
ANNALIUM ECCLESIASTICORUM.

A

Aborrabes Maurus Granatenses civili bello implicat, 1309. XXIV. Christianorum auxilia sibi adjungit, *ibid.* Septa potitur, *ibid.* XXVII.
Academia Aurelianensis instaurata a Clemente V. & pluribus privilegiis aucta, 1306. XVIII.
Perusina instituta, 1308. XVII.
Academia Ulissiponensis instituta a Nicolao IV. Coimbricam a Clemente V. traducta, 1308. XVII. Privilegia academiæ Bononiensi concessa, 1309. V.
Adolphus Rex Romanorum; ejus cædes, Alberto cæso, divinitus vindicata, 1308. XIX.
Adrianus V. ejus sanctio de abrogata constitutione Gregorii X. circa conclave, rescissa a S. Cælestino, 1294. XVII. §. Quia.
Adulterium gloriæ datum inter Tartaros, 1307. XXX. §. Sunt & in aliis.
Ægidius patriarcha Gradensis in Rasciam a Clemente V. missus pro Urosio Rege & subditis ecclesiæ conciliandis, 1308. XXVII. Vexillum Romanæ ecclesiæ eidem Regi conferre jussus, *ibid.* XXIX.
Ægidius monachus impugnat exemptiones, 1312. XXIV. §. Iterum. In eum scribit Jacobus abbas ordinis Cistercienſis, *ibid.*
Alba & Nigra factiones exortæ Pistorii, 1300. XXIV.
Alba factio pulsa Florentia a Carolo Valesio, 1301. XIV.
Albertus Austriæ dux Rodulphi Romanorum Regis filius post Othacheri cædem a patre Austriæ ducatu donatus; ea prærogativa affectus, ne inconsulto Pontifice defigi anathemate possit, 1289. XLVII. Hungariæ Rex a patrie vitio creatur, 1291. XLVII. Nicolaus IV. illi se opponit, *ibid.* XLVIII. Conjurat Albertus in Adolphum Romanorum Regem, 1298. XI. Prælio illum necat, *ibid.* XIII. Invadit Imperium, *ibid.* XIV. Judicio læsæ majestatis a Bonifacio VIII. postulatur, 1301. II. *& seqq.* Objecta illi alia crimina, *ibid.* Objectæ illi minæ, principes sacramento quo se illi devinxerant solutum iri, *ibid.* Deficiunt ii ab ipso, *ibid.* III. Eos armis ad suum obsequium revocat, 1302. XVIII. Confirmatur Rex Romanorum, 1303. I. *& seqq.* Germani illius Imperio se subiicere jussi, *ibid.* VII. Rescissa sacramenta, quibus se aliis principibus devinxerat, *ibid.* Censuris solvitur, *ibid.* XXIV. Fidem Pontifici obligat, 1303. VIII. *& seqq.* Ecclesiam adversus quosvis defensurum se pollicetur, *ibid.* XII. Solicitatur ad partes Regis Caroli defendendas, *ibid.* XIV. Regem Boemiæ bello appetit, *ibid.* XV. Instigatur in Gallos, *ibid.* XXXV. Ornatus prærogativa in locis interdictis divinæ rei audiendæ, 1303. LVI. Monetur a Benedicto XI. ut Moguntinæ ecclesiæ jura restituat, 1304. VII.
Albertus Rex Romanorum Boemiæ regnum Rodulpho filio ascribit, 1306. XVI. Pulso Henrico duce Charinthiæ, armis illud comparat, *ibid.* Extincto Rodulpho filium alium in solio Boemico subrogare molitur, 1307. XXVI. Trucidatur a nepote, 1308. XIX. Succedit illi in imperio Henricus Lucemburgensis, *ibid. & seqq.*
B. Albertus Carmelita Siculus pie moritur, 1292. XXIII. Judæos liberaturus sicco pede torrentem calcat, Instratque illos baptismo, *ibid.*
Albertus Pighius scribit de hierarchia ecclesiastica adversus Marsilii hæreses, 1312. XIX.
Alcaudetes oppidum captum a Mauris, iterumque cultui Christiano restitutum, 1312. LIII.
Alexander Scotiæ Rex; in ejus nuptiis spectrum mortis conspectum, 1286. XXIV. Ex equo lapsus cervices allidit, *ibid.* Secuta ob id in Scotia graviora bella, *ibid.*
Alexander episcopus Tergestinus certior fit a B. Virgine, Nazarethanam domum esse, quæ in Dalmatiam fuerat translata, 1291. LXX.
Alexandria Ægyptiorum regia urbs a Christianis frustra tentata, 1292. III.
Alfonsus Castellæ Rex; eo mortuo, interdictum ecclesiasticum Castellæ inflictum dissolvitur, 1286. XXIII.
Alfonsus Petri olim Regis Aragonum filius, patre defuncto Aragonium sceptrum contra Carolum Valesium corripit, 1286. X. Vocatur ob id in judicium, *ibid.* XI. Clerici illi obsequentes sacerdotiis ab Honorio IV. privati, *ibid.* XII. Ad eum deturbandum attributæ Regi Francorum decimæ, *ibid.* XXVIII. Cum Eduardo Rege Anglorum de liberando custodia Carolum II. agitat, *ibid.* XIII. Initæ in eo, interprete Eduardo, pactiones ut iniquiores rescissæ, 1287. IV. V. 1288. XI. Monetur ut Carolum restituat libertati, *ibid.* XII. XIII. Liberi commeatus syngrapha illius oratoribus accessuris ad sedem Apostol. data, *ibid.* XIV. Objecta eorum postulatis repulsa, *ibid.* Mittit oratores ad legatos Cardinales pro tractanda cum Regibus Siciliæ, Aragonum, & Francorum concordia, 1290. XX. Fœdus init cum ipsis & ecclesia, 1291. LI. Moritur, *ibid.*
Alfonsus Cerda; ei Bonifacius VIII. conciliare Ferdinandum Regem Castellæ nititur, 1301. XXI. Causa de regno Castellæ cum Ferdinando controversa, judicibus Lusitano & Aragonio Regibus, cadit, 1304. XVII.
Alfonsus Tariffæ præfectus filium prius trucidari patitur quam arcem Mauris dedat, 1295. XLVII.
Alfonsus Rex Castellæ adhuc puer in cunis vagiens in regno Castellæ parenti Ferdinando succedit, 1312. LIII.
Alfonsus Aragonius morti proximus Carolum II. e vinculis emitti jubet, 1288. XVII. §. Sed forsitan.
Algezira a Fernando Rege Castellæ obsidione cincta irrito exitu, 1309. XXXII.

Alienora Caroli Regis Siciliæ filia Friderico Aragonio ad firmandum fœdus nuptui tradita, 1302. X.

Almaricus Tyri dominus publicæ rei a Cypriis præficitur, 1306. V. De Cypri administratione cum Henrico Rege disceptat, 1308. XXXVII. In jus a Clem. V. vocatus, *ibid.* Pellit Henricum in Armeniam vicissimque pellitur, *ibid.* XXXVIII.

Almericus Henrici Cypri Regis frater Ptolemaidis custodiæ præficitur, 1289. LXVIII.

Almeria obsidione pressa a Jacobo Rege Aragonum, 1309. XXVII. A Mauris liberata, *ib.*

Altare; permissus altaris portatilis usus Joanni ducis Brabantiæ filio, 1291. LXI. In patriarchalium ecclesiarum Urbis ara principe, non petita a Pontifice venia, sacra facere non licet, 1301. XXIII. Armanni hæretici ara Ferrariæ disjecta, *ibid.* XXV.

Altare ligneum S. Petri e medio Lateranensis basilicæ incendio ereptum, 1308. X. Illud suis manibus pristino loco restituere Clemens V. deliberat, *ibid.* XI.

Amalricus Narbonæ vicecomes contra majorum instituta negat archiepiscopi beneficio principatum accepisse, 1300. XXXVII. Graves de ea re Bonifacii VIII. querelæ, *ibid.* Perperam gesta revocat, & vicecomitatum archiepiscopo acceptum refert, *ibid.* XXIX.

Ambitio; Azarus fratrem suum Regem Granatensem regnandi spe trucidat, 1309. XXXII.

B. Ambrosius Sansedonius ordinis Prædicatorum dum acrius in peccatores oratione invehitur morbum læthalem contrahit, 1286. XXXIX. Pie Eucharistiam sumit, *ibid.* XL. Illius anima *in cœlum ferri conspecta*, *ibid.* Miraculis claret, *ibid.* Ex ejus corpore suavis odor emanat, *ibid.* Indulgentiæ ejus reliquias veneraturis propositæ, *ibid.* Illius vitam Julius Sansedonius episc. Grossetanus conscripsit, *ibid.*

Amedeus comes Sabaudiæ a Clemente V. jussus bellum cum Delphino intermittere induciis, 1306. IV. Orator missus ab Henrico VII. pro imperiali inunctione flagitanda a Clem. V. 1309. X. Rhodum tuetur adversus Ottomannum Turcarum Regem, 1310. XLIII.

Amor erga suos virtute castigatus; Benedictus XI. matrem pauperculam in prioris sortis cultu continet, 1304. XXXV.

Amurius Turca Græci Imperii partem occupat, 1300. XXXVII.

Anagnia plurium Pontificum patria, 1294. XXIII.

Anagnina ecclesia pluribus optimis legibus temperata, 1299. XXX.

Anagnini divina vindicta percussi ob secutas initio persecutorum Pontificis partes, 1303. XLIII. Post tristia calamitatum experimenta censuris solvi postulant, *ibid.*

Anathema; judices ecclesiastici temere anathema incutientes coerciti, 1302. XXVIII.

Andegaviæ comitatus Carolo Valesio attributus ea lege, ut Aragonii regni actione decedat, 1291. LI.

S. Andreas; ejus reliquiarum beneficio Scotia ad fidem conversa, 1299. XVII.

S. Andreas Apostolus; pars ejus reliquiarum in ecclesia principe Burdegalensi recondita, 1308. XXXIX. Celebratur in eadem ecclesia earum translatio, *ibid.*

Andreas Perusinus Minorita creatus episcopus ad inferendum Tartaris Cataynis evangelium, 1307. XXIX.

Andreas Ladislai Regis frater profugus in Poloniam fratris jussu necatus, 1290. XXXIX. A B. Cunegunde ad vitam revocatus, *ibid.* XL. Cum mors saluti animæ conduceret, iterum moritur, *ibid.*

Andreas sive Andreassius Venetus, Ladislao extincto, Ungariæ sceptrum Carolo Martello eripit, 1290. XLIII. Pronuntiatus Ungaricæ regiæ procurator, 1299. XIII. Carolum Gallici generis Regem agnoscit, *ibid.* Defixi censuris Andreæ imperia detrectantes, *ibid.* XIII.

Andronicus Græcorum Imperator Philippi Imp. filiam uxorem deposcit pro filio Michaele, 1288. XVII. XVIII. Agitata in eum a Pontifice de transferendo ad Fridericum imperio ingentia consilia, 1295. XXVIII. XXIX. Plures provincias a Turcis occupari ignave patitur, 1300. XXXVII. Morum puritas pietasque Christiana in illius imperio exoletæ, 1303. LVIII. Philadelphiam obsidione liberat Catalanorum ope, *ibid.* LX. Victoriam non persequitur, *ibid.* Decreta in eum expeditio sacra, duce Carolo Valesio, 1304. XXVIII. Fideles ad crucis signa vocati, *ibid.* XXIX. Morte Benedicti XI. dissoluta, *ibid.* XXXI.

Andronicus Imperator Constantinopolitanus; ad eum deturbandum Carolus Valesianus apostolicis præsidiis instructus, 1306. II. Sacrum bellum in eum decretum, *ibid.* Veneti & Genuenses in eum solicitati, *ibid.* III. Raciæ Rex in ipsum cum Carolo & Venetis armorum societatem pacisci tur, dein deficit, 1308. XXIX. Andronicus patriarchas Constantinopolitanos veluti theatrales imponit, deponitque pro libidine, 1311. LXXIII. Magna clade deletur a Turcis, 1312. L. Ejus imperialia ornamenta ab iis capta, *ibid.*

Angeli sanctorum animas in cœlum vehunt, 1286. XL. S. Cœlestinum puerum instruunt Angeli, 1294. VIII.

Angeli; concentus angelicos audit Nicolaus Tolentinas, 1306. XIX.

Angelus episc. Nepesinus legatus in Germaniam missus, 1301. III.

Angliæ Rex procerum decreto supremus illius dominus agnoscitur, 1290. XXXVII. Repugnat Nicolaus IV. negatque illud decretum confirmare, *ibid.*

Anibaldus Sabellus post convivium ab Henrico VII. Imp. addictus custodiæ, 1312. XXXIV. Lapsus e custodia ejus copias infestat, *ibid.* XLVII.

Anichohamini Tartarorum Regina Christiana solicitata ad religionem amplificandam a Nicolao IV. 1291. XXXVI.

Anima B. Ambrosii Sansedonii visa ab Angelis in cœlum efferri, 1286. XL.

Anima; definitur contra hæreticos animam rationalem esse formam corporis, 1312. XIX. Quanta impietas latuerit in contraria assertione, *ibid.*

Animæ; de statu animarum in altera vita, insana Tartarorum opinio, 1307. XXX. §. Sunt & in aliis. Occisorum animalium hominumque animabus eas uti arbitrabantur, *ibid.* Eas cibi vesci autumant, *ibid.* §. His insanis. Iis gaudere putant, quæ exusta sunt, *ibid.*

Anna Wenceslai Regis Boemiæ soror fratri defuncto succedit, & in virum ducem Charinthiæ sceptrum transfundit, 1306. XVI. A Rodulpho Austriaco pellitur solio, *ibid.* Post hujus mortem restituitur, 1307. XXVI. Iterum a Joanne Lucemburgensi pulsa, 1310. I.

Annulus; Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ investitura, dato annulo, concessa Jacobo, 1295. XXIII.

Antipapa Romæ creatus a quinque Beguinis & tredecim mulierculis, 1297. LV.

Antonius episc. Dunelmensis patriarchatu Constantinopolitano a Clemente V. donatus, 1306. XIV. Sacræ militiæ pro recuperanda Syria nomen dat, *ibid.* Pallio extra provinciam uti permissus, *ibid.* Imperio archiepiscopi Eboracensis solutus, *ibid.* Jussus Glasguensem episcopum in judicium apud sedem Apostolicam accersere, *ibid.*

Apamiæ episcopo obnoxiæ, 1295. LII. Bonifacii querelæ apud Regem Francorum de occupatis ecclesiæ illius juribus, *ibid.* Decisa a Bonifacio episcopum inter & Fuxi comitem controversia, 1299. XXXV.

Apamiensis episcopatus a Bonifacio VIII. institutus, 1295. LIII. Similiter academia Apamiens. *ibid.*

Apostolica sedes. *Vide*, Romanus Pontifex.

Apostoli; nonnulli hæretici de Apostolis detrahunt, seque iis præferunt, 1311. LXXI.

Apostolorum festa a Bonifacio instituta duplicia, 1295. LV.

Apostolicorum secta damnata ab Honorio IV. 1286. XXXVI. Et a Nicolao IV. 1290. LI. Legibus in eos agere jussi censores fidei, *ibid.*

Apostolica sedes quanto ecclesiæ & Christiani orbis detrimento in Gallias traducta, 1305. XI. *& seqq.* 1308. XII. Ut Cardinalium culpa ea res contigerit, *ibid.* Matthæus Card. Ursinus prædicit, illam sero Italiæ restituum iri, 1305. XII. Tristia ejus translationis præsagia, *ibid.* XIII.

Apostolicæ sedis dignitas, 1306. XIV. Glasguensis episcopus, reservata Pontificis jura invadens, judicio postulatus, *ibid.* Archiepiscopus Trevirensis, appellationi ad sedem Apostolicam non deferens, in jus vocatus a Clemente V. 1307. XXVI. Cambaliensis archiepiscopatus & episcopatus plures ab eodem in Tartaria condit, 1307. XXIX. XXX. *Vide*, Episcopatus.

Apostolicæ sedis primatus ab Urosio Rasciæ Rege agnitus, 1308. XXVI. *& seqq.* Rex Cypri & dominus Tyri, de Cypri regni administratione disceptantes, in jus ab Apostolica sede vocati, *ibid.* XXXVII. De ejus dignitate, quæ honorum apicem Imperatoribus confert, 1311. VII. Ut eam auctoritatem a Deo acceperit, *ibid.*

Appellatio; provocationem a Philippo Rege Francorum a sede Apostolica ad concilium factam pronunciat Bonifacius non valere, 1303. LIII. Pii II. sanctio adversus hujusmodi præsumptores, *ibid.*

Appellatio genus est exemptionis in casu determinato, 1312. XXIV. §. Circa quod. Appellationes a Papa sunt supplicationes, *ibid.* Qui appellationes concedunt, concedent necessario exemptiones, *ibid.* §. Tertia ratio.

Aqua; vera aqua & sanguis e latere Christi mortui fluxit, 1312. XVIII. Ejus mysterii significatio, *ibid.*

Aquinus Rex Norvvegiæ eo donatus privilegio, ut clericos regiæ familiæ a quovis antistite Norvvego sacris initiandos curare possit, 1308. XVIII. Ut etiam regiorum sacellanorum princeps mithra uteretur, a Clem. V. obtinet, 1311. LXXVII.

Aquisgranum; qui ritus in sacrando in ea urbe Romanorum Rege ferventur, 1309. IX.

Aquitania erepta Eduardo a Francorum Rege, 1295. XLI. Illi iterum restituta, 1298. VII.

Aragonia; investitura illius Jacobo Regi tradita, 1295. XXIII. Censuris liberata, *ibid.* XXIV.

Arabica lingua; linguæ Arabicæ scholæ aperiri jussæ a Conc. Vienn. 1312. XXI.

Arany vallis; de ea inter Aragonum & Francorum Reges exorta controversia, 1295. XXVI. Pontificio arbitrio commissa, *ibid.*

Arelatense regnum; petit illud Philippus Rex ab Henrico VII. 1312. XXXII.

Argenta; Atestini marchiones Argentam Ravennati ecclesiæ reddere jussi, 1299. XXVI. Arcem se tradituros spopondere, *ibid.* XXVII.

Argon Persarum Rex mittit ad Nicolaum IV. oratores, 1288. XXXVI. Solicitatur a Nicolao ad sacra baptismalia amplectenda, *ibid.* Deliberanti illa Hierosolymis suscipere suadet Pontifex ne rem differat, *ibid.* XXXVII. Commendatur ob egregia erga Christianam fidem studia, 1289. LX. Joannes e monte Corvino Minorita ad eum missus, *ibid.* Datæ ad ipsum literæ pontificiæ, *ibid.*

Argon Persarum Rex solicitatur ad conjungendas cum occidentalibus vires in Saracenos, 1291. XXXII. Literas mittit ad Eduardum Angliæ Regem crucesignatum, *ibid.* Laudatur a Pontifice, ipsum Nicolaum filium baptismo lustrandum curasse, *ibid.* XXXIII. Missi ad eum præcones evangelici, *ib.* XXXVII. Moritur, *ibid.* Succedit illi frater Regayto, *ibid.*

Armannus sive Hermannus hæreticus; ejus ara disjecta, cineresque sparsi, 1301. XXV.

Armenia a Saracenis invasa, 1292. I. Francorum & Anglorum Reges ad opem Armeni ferendam a Nicolao IV. solicitati, *ibid.* I. VI. Et a Bonifacio VIII. 1298. XIX.

Armenia infestata iterum a Sarracenis, 1299. XLIII.

Armeniæ Rex cum Cassano Rege Tartarorum ad Syriam recuperandam vires conjungit, 1303. VI. Ut ea expeditio irrito exitu fuerit dissoluta, *ibid.* Bonifacii ad patriarcham Armenorum literæ, 1298. LXXI. *Vide*, Sembat Armeniæ Rex.

Armenia & Armenii; Saracenos extrema internecione delent Armenii, 1307. V. Cum iis inducias pacisci uatur, *ibid.* Hospitalarios ordinis principem cum exercitu submittit Clemens V. in Armeniorum auxilium, 1308. XXXII. A Saracenis maximis cladibus affecti, 1312. LI.

Armenia minor, olim Cilicia a Saracenis attrita, 1306. XIII. Laboranti opem ferre parat Clemens V. *ibid.*

Arnaldus Garsias comes Leomaniæ frater Clementis V. cinctus militari baltheo a Philippo Rege Francorum, 1305. XIII. Præficitur Spoletano ducatui ab eodem Pontifice, 1306. IX.

Arnaldus e Cantalupo electus Burdegalensis, creatus Cardinalis a Clemente V. 1305. XIV.

Arnaldus e Pelagrua donatus sacra purpura a Clemente V. *ibid.* Sacro bello adversus Venetos ad recuperandam Ferrariam præficitur, 1309. VIII. Hostes ingenti prælio delet, *ibid.* Henricum Italiam ingredientem sociare jussus, 1310. XIV. Excusanti se ab eo labore suffectus Thomas tit. S. Sabinæ Card. *ibid.* XIV. XVII. Robertum Regem creatum Æmiliæ præsidem sacramento fidei pontificio nomine adigit, *ibid.* XVIII. XX. Ferrariam contra conjuratos liberat, asseritque ecclesiæ, *ibid.* XXIX. Florentiam S. Barnabæ reliquias mittit, 1311. LXXVII.

Arnaldus abbas Tutellensis pontificius internuntius Venetos a Ferraria invadenda dehortatur, 1309. VI.

Arnaldus e Villanova plures serit errores, 1310. XXIX. Ejus opera medica inquiri jubet Clem. V. & ad se perferri, 1312. LX.

Arnaldus Novelli abbas Fontis frigidi creatus Cardinalis a Clemente V. 1310. XLVI.

Arnaldus episc. Sabinensis; datæ ad eum de imperiali insigni conferendo Henrico literæ, 1311. XXI.

Arnaldus episcopus Pictavensis missus a Philippo ad pacandas Angliæ dissensiones, 1312. XXVIII.

XXVIII. Arcetur ingreſſu a perduellibus, *ibid.* Creatus a Clemente V. Cardinalis Albanenſis, 1312. LIV.
Arnaldus tit. S. Priſcæ presbyter Cardinalis mittitur a Clemente V. ad pacandas Angliæ diſcordias, 1312. XXVIII. Repellitur a perduellibus, *ibid.*
Aſſiſiana eccleſia indulgentiis ornata, 1289. LXXIII.
Aſtrologi; eorum amentia in mortuorum cadaveribus exurendis apud Tartaros, 1307. XXX. §. His inſanis.
Ateſtini marchiones dejecti Ferrariæ principatu, 1308. XIV.
Athanaſius Conſtantinopolitanus patriarcha ſchiſmaticus Georgio Cyprio ſubrogatus, 1294. XXVII. Depulſus ſede, ſubrogato Joanne Sozopolita, *ibid.*
Athanaſius patriarcha Conſtantinopolitanus juſſus ab Andronico Imp. Niphoni Cyziceno locum dare, 1311. LXXIII.
Avaritia Chriſtianam mulierem ad vendendam Judæo Euchariſtiam incitat, 1290. LIV.
Avenio; Philippus Francorum Rex ſua in mediam Avenionis partem jura in Carolum II. Regem Siciliæ transfundit; & qua de cauſa, 1291. LXI.
Avenio qua ratione ſit ad ſedem Apoſtolicam devoluta, 1291. LXI.
Aurea corona Romæ Auguſtis datur, 1312. XXXVI.
Aurelianenſis academia inſtaurata a Clem. V. 1308. XVIII. 1309. V.
Auriana familia nobilis Genuenſis Friderico Aragonio contra Gallicum genus & Eccleſiam ſtudet, 1300. X.
Aymo Genevenſis epiſcop. a Patavinis Henrici nomine, fidei ſacramentum exigit, 1311. V.
Aytonus Armeniæ Rex Livonis filius eccleſiæ Rom. obſequiis addictus, 1289. LVII. Ad conſtantiam in fide a Nicolao IV. ſolicitatus, *ibid.* Dum Conſtantinopolim petit, a Sebath fratre regno exuitur, 1294. XXVII. Orbatus oculis eorum uſum divinitus recuperat, 1298. XIX. Solio reſtitutus junctis copiis cum Rege Tartarorum Sultanum profligat, 1299. XLV.
Aytonus princeps Curchi prælio intereſt quo a Caſano Saraceni deleti ſunt, 1299. XLV. Intereſt etiam Tartarorum præliis in Saracenos, 1303. LXIII.
Aytonus princeps Curchi Præmonſtratenſi ordini nomen adſcribit, 1305. XXI. Ex pontificio imperio orientalem hiſtoriam ſcribit; *ibid.* 1307. II.
Azarus Maurus fratrem Regem cœcum trucidat regnandi ſpe, 1309. XXXII.
Azo Argentam Ravennati archiepiſcopo juſſus reſtituere, 1299. XXVI.
Azo Ateſtinus; eo extincto, ob fratris & ſpurii contentionem Ferraria ad eccleſiæ imperium revocata, 1308. XIV.

B

Balduinus Luxemburgenſis deſignatus archiep. Trevirenſis confirmatur a Clemente V. 1307. XXVII. Solvitur religione, ne ſuſcepta a prædeceſſore nomina diſſolvat, niſi in rem ſacram verſa ſint, 1308. XVIII. Fratrem Henricum evehit ad imperium, *ibid.* XIX. Illum Italiam ingreſſurum fidei ſacramento Apoſtolicæ ſedi obſtringit, 1310. III. & *ſeqq.*
Baleares ab Alfonſo Jacobo Regi ereptæ, 1286. IX.
Baleares inſulæ conjunctæ Cataloniæ, Jacobi & Catalanorum & Balearium decreto, 1295. XXVIII. §. Obligationes. Convulſum illud a Bonifacio VIII. decretum, *ibid.*
Bambergenſis epiſcopus equum album Romano Pontifici dare obſtrictus, 1304. XX.
Baptiſmus; Caſſani Regis filius monſtruoſus, pulcherrimus, accepto baptiſmo, evadit, 1301. XXXVII.
Baptiſmum poſtulans virgo Judæa, illæſa e turri cadit, 1299. XLVII.
Baptiſmus; aquæ e Chriſti mortui latere manantis myſterio ſignificatus, 1312. XVIII. In baptiſmo pueris virtutes habituales infundi, definitum non eſt in concilio Viennenſi, ſed ea laudata opinio, *ibid.* XX.
Barchinonenſis comitatus; illius inveſtitura a Bonifacio VIII. Regi Jacobo tradita, 1295. XXIII. Decretum de Balearico regno ſubiiciendo Barchinonenſi comitatui reſciſſum, *ibid.* XXVIII.
S. Barnabas; illius reliquiæ ab Arnaldo Pelagrua Cardin. Florentiam tranſmiſſæ, 1311. LXXVII.
Barſaumas orientalis epiſcopus accedit ad Nicolaum IV. ab eoque in fide inſtruitur, 1288. XXXIII.
Baydo Tartarorum in Perſide Rex Chriſtianus, 1295. XLIX. Fidei odio regno & vita privatur a Caſſano, *ibid.*
Baydo conſanguineus Caſſani irrumpit in Perſidem, dum is in Syriam ſigna dirigit, 1300. XXXIV. 1303. LXI.
Beatrix Drocenſis comitiſſa ſoluta voto tranſmarinæ *expeditionis*, 1307. XXV.
Begardi in ſynodo Colonienſi ab Henrico archiep. damnati, 1306. XVIII. Fœdi ipſorum errores, *ibid.* Una cum ſuis hæreſibus damnati in concilio Viennenſi, 1312. XVII. Octo eorum errores confutati ab Alvaro Pelagio, *ibid.*
Belgæ ad ſeditionem in Regem Francorum ob nimiam acerbitatem adminiſtrorum concitati, 1302. XVI. Fundunt Gallos, *ibid.*
Benedictio papalis; ea luſtrati edito a Pontifice crucis ſigno indulgentiis decorati, 1297. LXX.
Benedictus Cajetanus. *Vide*, Bonifacius VIII.
Benedictus XI. Papa, ante pontificatum Nicolaus nuncupatus, Prædicatorum magiſter creatus Cardinalis a Bonifacio VIII. 1298. XXIII. Commiſſa illi obeundæ in Ungaria legationis provincia ad eam pacandam, 1301. V. Ad finitima regna exporrecta illius auctoritas, *ibid.* Conceſſa ipſi legati e latere inſignia, *ibid.* VI. Jubetur legibus agere in Colocenſem archiepiſcopum ob Wenceſlaum Regis Boemiæ filium corona redimitum, *ibid.* VII.
Benedictus XI. fruſtra operam ad comprimendos Ungariæ motus collocat, 1302. XIX. Jubetur ſceptri Ungarici æmulos in judicium apud ſubſellia apoſtolica evocare, *ibid.* XXIII. Juſſa exequitur, *ibid.* Creatur Pontifex, 1303. XLV. Primitiæ illius, *ibid.* Geſti honores & alia ejus munera, *ibid.* & *ſeq.* Encyclicas ad fideles literas mittit, *ibid.* XLVII. & *ſeq.* Friderici Regis Trinacriæ oratores excipit, *ibid.* XLIX. Arguit illum numeraſſe annos regni ab arrepta tyrannide, non ab eo, quo a Bonifacio Rex fuit confirmatus, *ibid.*
Benedictus XI. Conradi Auriæ Friderici nomine Trinacrium ſceptrum ſedi Apoſtolicæ acceptum referentis, ſacramentum admittit, 1303. L. Solvendi cenſus diem Frederico extrahit, *ibid.* LIV. Et Carolo Regi Siciliæ, *ibid.* LV. Commendat Carolum ob Saracenos Luceria ejectos, *ibid.* Conferendi plura eccleſiæ S. Mariæ ſacerdotia prærogativa eum afficit, *ibid.*

Benedictus XI. Erico Regi Daniæ in matrimonio, lege canonica vetito, perſtare permittit, 1303. LVI. Lundenſi archiepiſcopo abſolvendi ejuſdem Regis auctoritatem impertitur, *ibid.* In prædones, qui theſaurum Bonifacii expilaverant, animadvertit, *ibid.* LVII. Periclitanti Serviorum & Græcorum ſaluti conſulit, *ibid.* LVIII.
Benedictus XI. Oroſium Serviæ Regem ad conjunctionem cum Romana eccleſia ſolicitat, 1303. LIX. Etruriæ diſſentionibus ſopiendis operam dat, 1304. I. Nicolaum epiſcopum Oſtienſem legatum mittit, *ibid.* Patritios Florentinos ob ſævas eorum diſcordias in judicium vocat, *ibid.* IV. & *ſeq.* Ad Venetos Patavinis conciliandos legatum mittit, *ibid.* VI.
Benedictus XI. Albertum admonet, ut eccleſiæ Moguntinæ priſtina jura reſtituat, 1304. VII. Gallos cenſuris ſolvit, excepto Nogareto, *ibid.* IX. Sanctiones Bonifacii in Philippum Regem reſcindit, *ibid.* X. Abrogata a prædeceſſore privilegia reſtituit, *ibid.* Noviſque afficit, *ibid.* XI. Nonnullas Bonifacii conſtitutiones temperat, *ibid.* XII. Auctores patrati in Bonifacium ſceleris percellit anathemate & aliis pœnis, 1304. XIII. Jacobus Rex Aragonum oratores ad eum mittit, qui acceptum liberalitate pontificia Sardiniæ & Corſicæ regnum profitentur, *ibid.* XVI. Fridericus Rex Trinacriæ, miſſis oratoribus, eadem illi præſtat officia, *ibid* XVIII. Pontifex de accepto Trinacriæ cenſu illi ſyngrapha cavet, *ibid.* Hortatur ut hæreticos e regno excindat, *ibid.* XIX. Sacris reſtituit Genuenſes, *ibid.* XX.
Benedictus XI. Bononienſes adverſas eccleſiaſtici ordinis immunitati leges revocare jubet, 1304. XX. Lateranenſium canonicorum numerum definit, *ibid.* Pronuntiat neminem obſtringi ad confeſſiones ſacras apud religioſos habitas iterum apud parochos repetendas, *ibid.* XXI. In concionatoribus pietatem & doctrinam deſiderat, *ibid.* Confirmat ſodalitia Cæleſtinorum & Servitarum, *ibid.* XXII. Illius primatum agnoſcit orientis patriarcha, *ibid.* XXVI.
Benedictus XI. favet Carolo Valeſiorum comiti ad promovenda Conſtantinopolitanæ expeditionis conſilia, 1304. XXVIII. & *ſeqq.* Attribuit illi decimas, *ibid.* Fideles ad ſequenda illius ſigna concitat, *ibid.* XXX. Moritur, *ibid.* XXXI. Claret miraculis, *ibid.* & *ſeqq.* Veneno necatum ferunt, *ibid.* XXXV. Quam excelſo animo terrena deſpexerit, *ibid.* Matrem eleganti cultu ornatam admittere in conſpectum deſpicit, vili autem & conſueto indutam amanter excipit, *ibid.*
Benvenutus epiſcopus Eugubinus ad Rodulphum Regem Romanorum nuntius miſſus, 1289. XLVII.
Berardus pater Clementis V. 1305. V.
Berengarius Fredoli epiſc. Biterrenſis creatus Cardinalis a Clem. V. 1305. XIV.
Berengarius Fredoli junior epiſcop. Biterrenſis creatus presbyter Cardinalis tit. SS. Nerei & Achillei a Clem. V. 1312. LIV.
Berithum a Saracenis capitur, 1291. XIV.
Bernardus abbas S. Antonini creatus primus Appamienſis epiſc. 1205. LIII. Defenſa illius jura adverſus Francorum Regem & Fuxenſem comitem, *ibid.* In cuſtodiam conjicitur a Rege Francorum, 1301. XXVI. Quæ illi objecta, *ibid.* XXVII.
Bernardus e Garno creatus Cardinalis diaconus a Clem. V. 1310. XLVI.
Bertrandus de Gotho. *Vide*, Clemens V.
S. Bertrandi epiſc. Convenarum tranſlatio celebrata a Clemente V. 1309. I. Illius elogium, *ibid.* II. De ea tranſlatione Clementis literæ, *ibid.*
Bertrandus e Bordis epiſc. Albienſis creatus Cardinalis a Clem. V. 1310. XLVI.
Birgerus Magni Regis Sueciæ filius a patre commiſſitur tutelæ Turgilli Canuti. 1290. XLV. Carelii ſub illius auſpiciis ad fidem compulſi, *ibid.* XLVII.
Birgerus Rex Sueciæ ob direptas eccleſias diris calamitatibus implicitus, 1305. XVII. Ab Henrico & Waldemaro fratribus una cum uxore & maxima filiorum parte captus, vinculuſque, 1306. XV.
Biterrenſes poſtulati judicio hæreſeos & cur, 1297. LVII.
Bizochiorum hæreſis principia, 1294. XXVI.
Blanca Ferdinandi primogeniti Regis Hiſpaniæ vidua religioſam diſciplinam amplectitur, 1286. XXII. Datæ ad ipſam ab Honorio IV. hortatoriæ literæ, *ibid.*
Blanca Caroli II. Regis filia Regi Aragonum tractatu pacis deſponſa, 1295. XXIV.
Blanca S. Ludovici filia donata centum annorum indulgentia, 1307. XXV.
Blaſco Alago Friderici *dux fundit* Caroli Regis copias, & Gualterium Brennenſem comitem capit, 1300. XIX.
Boamundus princeps Antiochenus moritur, 1287. VIII.
Boamundus Theupulus in ducem Senatumque Venetum conjurat, 1310. XXX. Oppreſſi ejus conatus, *ibid.*
Boemia Romani imperii beneficiaria, 1306. XVI. Rodulphus ab Alberto Cæſare, ejectis Wenceſlai fororibus, creatur Rex Boemiæ, *ibid.* Extincto Rodulpho, Joannes ab Henrico Cæſare Boemica corona donatus, 1310. I.
Bonifacius VIII. Papa miſſus a Nicolao IV. legatus ad Reges Tranſalpinos, 1290. XVII. Cauſæ ob quas ea provincia illi commiſſa, *ibid.* & *ſeqq.* Admonitus Francorum Rex, ut venientem meritis honoribus afficiat, *ibid.* Miſſi ad eum ab Alfonſo Aragonio oratores pro tractanda cum Regibus Siciliæ, Francorum, & Balearium pace, *ibid.* XX. Conſulit S. Cæleſtino ut pontificatu cedat, 1294. XXI. Illius patria & dotes, *ibid.* Carolum Regem Siciliæ ad Pontificatum adipiſcendum ſibi devincit, *ibid.* XXIII. Renuntiatur Pontifex, *ibid.*
Bonifacius VIII. de S. Cæleſtini fuga torquetur, 1294. XXIII. Magnifica ejus principia, triſtes vero exitus, 1295. I. Conſecratur in eccleſia S. Petri, *ibid.* II. Servati in ea celebritate ritus, *ibid.* Ut corona papali fuerit redimitus, *ibid.* IV. Pompa inſtructa in Lateranenſis eccleſiæ poſſeſſionem inducitur, *ibid.* V. Siciliæ Ungariæque Reges pontificii equi fræna trahunt, *ibid.*
Bonifacius VIII. munera apud Lateranum largitur, *ibid.* VI. Alii myſtici ritus, *ibid.* Epulanti Siciliæ & Ungariæ Reges coronis redimiti inſerviunt, *ibid.* Quam ſententiam pro ſymbolo acceperit, *ibid.* VII. Encyclicæ de ipſius promotione literæ, *ibid.* Jure factam S. Cæleſtini abdicationem promulgat, *ibid.* VIII. Præſulum implorat preces, *ibid.* Francorum Regem ad virtutes regias hortatur, *ibid.* X.
Bonifacius VIII. Regi Siciliæ comprehendendi S. Cæleſtini provinciam imponit, 1295. XI. Mittit ad eum deducendum patriarcham Hieroſolymitanum, *ibid.* Tradit arctiſſimæ cuſtodiæ, *ibid.* XII. XIII. Extincto illo augetur auctoritate apud eos, qui perperam de ipſius pontificatu ſentiebant, *ibid.* XVI. Sacramento in ſua verba adigit Regem Siciliæ, *ibid.* Solvit pœnis, quibus ob non illatum cenſum ſe conſtrinxerat, *ibid.* XVII.

Bonifacius VIII. Landulphum Cardinalem legatum mittit in Siciliam, 1295. XVIII. Extincto Carolo Martello & Carolo Rege agente in Galliis, regni administrationem illi committit, ac Philippo principi, *ibid.* XIX. Ad eorum preces id munus postea Reginæ Mariæ demandat, *ibid.* Guillelmum tit. S. Clementis presbyterum Card. in Gallias ad tractatum inter Reges transalpinos initum, firmandum mittit, *ibid.* XX. Promulgat illius leges, *ibid.* XXI. XXII.
Bonifacius VIII. Jacobo Valentiæ & Aragoniæ regna restituit, 1295. XXIII. Legem de gradibus consanguinitatis ad illius & Blancæ gratiam solvit, *ibid.* XXIV. Sardiniæ & Corsicæ regna illi ex arcano promittit, *ibid.* Ingentem vim pecuniæ mutuam Carolo Regi tradit, *ibid.* Decimas sacerdotiorum pro recuperanda Siciliæ insula ei addicit, *ibid.* De Jacobo Baleari Rege restituendo regno agit, *ibid.* XXV. XXVII. Hortatur Francorum Regem, ut vallem Arany pontificiæ fidei committat, *ibid.* XXVI.
Bonifacius VIII. decretum de Balearibus Barchinoni subiiciendis convellit, 1295. XXVIII. Catharinam Imperii Constantinopolitani jurium heredem solicitat, ut Friderico nubat, *ibid.* XXIX. Censuras pacis turbatoribus incutit, *ibid.* XXXI. *& seq.* Ea de re ad Fridericum lit. *ibid.* Nuntios in Siciliæ insulam mittit ad Siculos ad Caroli obsequium adducendos, *ibid.* XXXV. *& seq.*
Bonifacius VIII. Gerbam & Cherchinas insulas Rogerio e Lauria beneficio sedis Apostolicæ possidendas addicit, *ibid.* XXXVII. Inducias Genuenses inter ac Venetos indicit, *ibid.* XXXVIII. Turbas Flaminiæ sedat, *ibid.* XL. Et Insubriæ, *ibid.* Albanensem & Prænestinum episcopos in Gallias ad Anglorum & Francorum Reges conciliandos mittit, *ibid.* XLI. XLII.
Bonifacius VIII. Eduardum arguit, devota Christo arma, vergente in senium ætate, convertisse in Christianos, 1295. XLIII. Nuntios Adolpho Regi Romanorum ad eum in concordiam cum Franco redigendum mittit, *ibid.* XLIV. Datæ ad eundem Adolphum hoc argumento literæ, *ibid.* XLIV. XLV. Censuras merces Saracenis invehentibus incutit, *ibid.* XLVII. Landulphum patriarcham Hierosolymitanum creat, *ibid.* XLVIII.
Bonifacius VIII. Regem Daniæ ob Lundensem archiepiscopum traditum custodiæ corripit, 1295. L. Solvere vinculis jubet, *ibid.* LI. Ysarnum nuntium mittit in Daniam, *ibid.* Appamiensis ecclesiæ jura defendit, *ibid.* LII. LIII. Datæ eo argumento ad Regem Francorum literæ, *ibid.* Episcopatum & academiam Apamiis instituit, *ibid.* Plurium aliarum ecclesiarum jura tuetur, *ibid.* LIV.
Bonifacius VIII. equitum S. Jacobi restituendæ disciplinæ dat operam, 1295. LIV. Hospitalariis esum carnis permittit, *ibid.* Decernit Apostolorum, Evangelistarum, & quatuor doctorum festa futura duplicia, *ibid.* LV. Petrum tit. S. Mariæ Novæ legatum & paciarium in pluribus Italiæ provinciis creat, 1296. I. Ad Romaniolæ turbas componendas incumbit, *ibid.* II. Guidonem e Monteferetro comitem ad se evocat, *ibid.* Suscepta ab illo disciplinæ Franciscanæ amplectendæ consilia collaudat, *ibid.* III. Segregari ab uxore assentiente ad ea complenda permittit, *ibid.*
Bonifacius VIII. Pisanos in gratiam cum Ecclesia restituit, 1296. IV. Pisanæ Reipublicæ ab iis præficitur, *ibid.* Ad conciliandos Genuenses & Venetos inducias indicit, *ibid.* V. Allicere Siculos ad ecclesiæ obsequium annititur, *ibid.* VII. Datæ Panormitanis eo argumento literæ, *ibid.* VIII. Solicitat Fridericum, ut Sicilia cedat, 1296. IX. Mittit nuntios in Siciliam, *ibid.* X. Spe Siciliæ blanditiis ad officium redigendæ dejectus Jacobum Regem Aragonum ad se evocat, *ibid.* XI. Armis Siculos frangere aggreditur, *ibid.* XIII. Friderico judicium intentat, *ibid.* XIV. Auro Carolum ad bellum conficiendum juvat, *ibid.* Decimas ei attribuit, *ibid.*
Bonifacius VIII. creat S. Ludovicum episcop. Tolosanum, 1296. XVI. Insigni ornat elogio, *ibid.* Legem de ætate ad sacerdotium suscipiendum ad illius gratiam solvit, *ibid.* Anglorum & Francorum bella sopire studet, *ibid.* XVIII. Inter eos ac fœderatos indicit inducias, *ibid.* XIX. Germanos præsules solicitat, ut Adolphum a bello revocent, *ibid.* XX.
Bonifacius VIII. Adolphum admonet, illius arma adversus infideles convertenda, 1296. XXI. Respuenti inducias censuras obiicit, *ibid.* XXII. Eduardum & Philippum Reges urget, ut oratores mittant, *ibid.* Ecclesiasticos adversus principum rapinas tuendos suscipit, *ibid.* XXIII. Gravate accipit, Philippum prohibuisse, ne aurum e regno avehatur, *ibid.* XXIV. Datæ ad eum objurgatoriæ literæ, *ibid.* XXV. Quanto fuerit ipsi adversus Anglos Germanosque præsidio exponit, *ibid.* XXVII.
Bonifacius VIII. Euboeæ ecclesiam ab Atheniensis archiepiscopi & patriarchæ Constantinopolitani auctoritate eximit, 1296. XXXI. *Accersit in judicium* Toletanum archiep. imperia apostolica detrectantem, *ibid.* XXXIII. Exortam hæresim impuram persequitur, *ibid.* XXXIV. Colloquium celebrat cum Aragonum & Siciliæ Regibus, 1297. I. Sardiniam & Corsicam Aragonum Regi jure fiduciario tradit, *ibid.* II. *& seqq.* Quas ipsi leges dixerit, *ibid.* usque ad XVII.
Bonifacius VIII. creat Jacobum ducem expeditionis in orientem comparandæ, 1297. XVIII. Et signiferum ecclesiæ, *ibid.* XIX. Sexaginta triremium classi pontificio sumptu instruendæ præficit, *ibid.* Jacobum Regem Balearium restituendum regno curat, *ibid.* XXV. Ad pacandas Castellæ turbas nuncium mittit, *ibid.* Animadvertit legibus in Columnenses, *ibid.* XXVI. Jacobum & Petrum Cardinales exauctorat, *ibid.* XXXII. Devincit anathemate eos, qui cum ipsis senserint, *ibidem*, XXXIII.
Bonifacius VIII. conflare schisma molientes persequitur, 1297. XXXV. Probat se ab ipsis in eorum ædibus, cum metus abesset causa, ut Pontificem cultum, *ibid.* XXXVII. Sancitas in hæreticos leges in ipsos distringit, *ibid.* XLI. Præsulibus Gallis permittit, ut in Flandrensi bello auro subsidiario juvent, *ibid.* XLIV. Permittit etiam ut clericos suspicione proditionis notatos tradere vinculis possit, *ibid.*
Bonifacius VIII. Philippum rogat, ne regium edictum de non extrahendo e Galliis auro clericos obstringat, 1297. XLVII. Censuris si quas ob id contraxisset, solvit, *ibid.* XLVIII. Constitutionem de clero tuendo contra laicorum extorsiones interpretatur, *ibid.* XLIX. L. Wenceslao Regi Boemiæ permittit, ut subsidiariam pecuniam pro celebranda regiæ coronationis pompa cogat, *ibid.* LI.
Bonifacius VIII. constitutionem fert de successione regni Siciliæ, 1297. LIII. Filios e primogenito defuncto excludit, *ibid.* Controversiam inter archiepiscopum & cives Lugdunenses componendam aggreditur, *ibid.*

LIV. Legibus agi jubet in fraticellos, *ibid.* LV. Biterrenses censuras ecclesiasticas spernentes hæreseos judicio postulat, *ibid.* LVI. Sanctis annumerat Ludovicum Reg. Francorum, *ibid.* LVIII. *& seqq.* Illius reliquias in regiæ Parisiensis sacellum transferri jubet, *ib.* LXVII.
Bonifacius VIII. arbiter controversiæ inter Gallorum & Anglorum Reges electus, 1298. I. II. Inita ab eo ad conciliandos Gallos principes, qui a Philippo defecerant, ratio, *ibid.* Lata ab eodem sententia, *ibid.* III. *& seq.* Captas ab utroque Rege terras in suam fidem accipit, *ibid.* VII. Legem de gradu consanguinitatis ad Eduardi junioris & Isabellæ Regis Francorum filiæ gratiam solvit, *ibid.* Jubet utrumque Regem suis limitibus juribusque se continere, *ibid.* X.
Bonifacius VIII. postulat judicio Albertum ducem Austriæ ob cæsum in acie Adolphum, *ibid.* XIV. Auxilia Regi Armeniæ adversus Saracenos pollicetur, *ibid.* XVI. Et Gregorio patriarchæ, *ibid.* XVII. XVIII. Regem Francorum ad vertendas in Mahumetanos vires solicitat, *ibid.* XIX. Et Anglorum Regem, *ibid.* Sacrum bellum in Columnenses urget, *ibid.* XVI.
Bonifacius VIII. pronuntiat solvendarum legum de gradu consanguinitatis auctoritatem non ad patriarchas, sed tantum ad Romanum Pontificem spectare, 1298. XX. Sedare discordias inter Cyprium Regem & Templarios nititur, *ibid.* XXI. Reate ex terræmotu in grave periculum adductus, *ibid.* XXIII. Auget numerum Cardinalium viris insignibus, *ibid.*
Bonifacius VIII. arguit Francorum Regem nonnulla ecclesiarum jura invasisse, 1298. XXIV. Sacerdotiorum decimas Regi Aragonum ad conficiendum bellum Siculum attribuit, 1299. I. Indulgentias expeditionem illam aggressuris proponit, *ibid.* II. Nuncium creat in exercitu, *ibid.* Gerardum episcopum Sabinensem legatum mittit, *ibid.* IV.
Bonifacius VIII. arguit Carolum Regem Siciliæ, Tarentinum principem misisse in Siciliam, 1299. IV. Prænestе evertit, *ibid.* VI. Civitatem papalem condit, *ibid.* In eam transfert episcopatum Prænestinum, *ibid.* VII. Theodoricum Cardinalem eo donat, *ibid.* Joannem e Ceccano legibus infectatur, *ibid.* VIII. Regem Daniæ in Ecclesiæ gratiam admittit, *ibid.* IX.
Bonifacius VIII. ad concordiam Suecos inter & Danos alendam legem de gradu consanguinitatis solvit, 1299. X. Adversus barbaros, Estoniam infestantes, sacram militiam indicit, *ibid.* XI. Ungariæ periclitanti consulit, *ibid.* XII. Carolum pronuntiat Regem, Andream vero regni procuratorem, *ibid.* XII. XIII. Eduardum vetat, Scotiam sedis Apost. beneficiariam vexare bello, *ibid.* XIV. Anglico scepiro non obnoxiam pluribus edisserit, *ibid. & seqq.*
Bonifacius VIII. præsules Scotos vinculis liberari jubet, 1299. XIX. Joannem Balliolum vinculis liberandum curat, *ibid.* XXI. Robertum Atrebatensem comitem arguit, Cameracensis ecclesiæ jura invadere, *ibid.* XXII. Et Francorum Regem ecclesiæ Rhemensis opes diripere, *ibid.* XXIII. Plura sancit ad regiorum administrorum licentiam coercendam, *ibid.* XXV. De Apamiensis ecclesiæ juribus controversiam dirimit, *ibid.*
Bonifacius VIII. Ateſtinos marchiones ad Argentam ecclesiæ Ravennati restituendam adigit, *ibid.* XXVI. XXVII. Mutinenses inter & Bononienses controversiam componit, *ibid.* XXVIII. Permittit Pisanis subsidiariam stipendem a clero cogere, *ibid.* XXIX. Latas a patruo episcopo Anagnino ad restituendam ecclesiasticam disciplinam leges confirmat, *ibid.* XXX. XXXI. Sæculares canonicos, ejectis regularibus in ecclesia Lateranensi instituit, *ibid.* XXXII.
Bonifacius VIII. basilicam S. Petri sacerdotiis auget, 1299. XXXIV. Rigensem archiepiscopum, & plures cruciferos equites ad rem Christianam promovendam vocat, *ibidem*, XXXV. Legem fert de sepulturis, *ibid.* XXXVI. Convellit latam a Rege Cypri iniquiorem legem de vectigali ex singulis capitibus redigendo, *ibid.* XXXVII. Illum admonet, ut Templarios liberaliter tractet, *ibid.* XXXVIII. Præcones evangelicos ad Tartaros mittit, *ibid.* XXXIX. Plurima ipsos auctoritate instruit, *ibid.* XLII. XLIII. Jubilæum recurrente quoque centenario anno instruit, 1300. III. Diploma de eo editum altari B. Petri imponit, *ibid.* Qua forma sit conceptum, *ibid.* In peregrinos, qui tardius venerant, aut obierant in itinere, indulgentias confert, *ibid.* IX. Hostes ecclesiæ eo privat beneficio, *ibid.* X. Genuenses a Friderici & Siculorum fœdere studet divellere, *ibid.* XI.
Bonifacius VIII. Carolum arguit, Friderici oratores recepisse, 1300. XV. Vetat inire fœdus inconsulta sede apostolica, *ibid.* Queritur de Jacobo Rege, cœptam Siciliæ oppugnationem deseruisse, *ibid.* XVII. Solicitat eum, ut intermissam expeditionem repetat, *ibid.* XVIII. Suos a Friderici obsequio revocet, *ibid.* Carolum Valesium e Galliis evocat, *ibid.* XX. Decimas illi attribuit, *ibid.* Catanenses in Caroli II. obsequio confirmat, 1300. XXII. Neapoleonem S. Adriani diac. Card. legatum in Piceno adversus Gibellinam factionem creat, *ibid.* Marthæum Aquasspartanum in Etruriam legatum mittit, *ibid.* XXIV. Elusa a seditiosis illius studia, *ibid.* Anglos inter & Gallos inducias prorogat, *ibid.* XXVI. Narbonensis & Magalonensis ecclesiarum jura tuetur, *ibid.* XXVII. *& seq.*
Bonifacius VIII. Eduardum admonet, ne Eboracensem ecclesiam opprimat, 1300. XXXII. Joanni comiti Britanniæ ad ineundam expeditionem in Syriam diem constituit, *ibid.* XXXIII. Henrico Cypri Regi suadet, ut pacem cum Templariis colat, *ibid.* XXXV. Albertum Austriæ ob cæsum Adolphum sceptrumque arreptum in judicium vocat, 1301. I. Nepesinum episcopum in Germaniam legatum mittit, 1301. III. Nicolaum Cardin. ad pacandam Ungariam legatum creat, *ibid.* V. Legati transmarini insignia illi concessa, *ibid.* VI. Postulat judicio Colocensem archiepiscopum, *ibid.* VII. Wenceslaum Regem Boemiæ Ungariæ regno abstinere jubet, *ibid.* X. Carolum Regis Galliarum fratrem in Italiam evocat, *ibid.* XI. Præficit nonnullis ecclesiasticæ ditionis provinciis, *ibid.*
Bonifacius VIII. creat in Etruria paciarium, 1301. XIII. Portuensem episc. Legatum illi adjungit, *ibid.* Decimas ei attribuit, *ibid.* XV. Sancitum fœdus inter Genuenses & Carolum Siciliæ Regem confirmat, *ibid.* XVI. Latas a Genuensibus nonnullas iniquas leges abrogat, *ibid.* XVII. Sancti Ferdinandum Regem Castellæ, injusto matrimonio satum, natalium labe purgat, *ibid.* XVIII. Hortatur ut Cerdas in gratiam restituat, *ibid.* XXI.
Bonifacius VIII. ab Eduardo Rege Angliæ censum exigit, 1301. XXII. Pias nonnullas prærogativas illi & aliis viris principibus impertitur, *ibid.* XXIII. Patriarcharum orientalium electiones sedi Apostol. reservat, *ibid.*

XXIV. Exortæ inter ipſum & Regem Francorum diſſidiorum cauſæ, *ibid.* XXVI. De objectis Apamienſi epiſcopo inquiri jubet, *ibid.* XXVII.

Bonifacius VIII. Philippum Regem Francorum monet, ne eccleſiaſtica bona invadat, 1301. XXVIII. Theologos & doctores utriuſque juris ad concilium vocat, *ibid.* XXIX. Regum Francorum prærogativas viribus carere jubet, *ibid.* XXX. Solicitat Philippum ad expeditionem in Syriam ſuſcipiendam, *ibid.* XXXII. Prædicit illi ac poſteris impendentem divinam ultionem, ſi Terram ſanctam Chriſti cultui reſtituere ſpreverit, *ibid.*

Bonifacius VIII. Genuenſes ad bellum ſacrum in Saracenos concitat, 1301. XXXIII. Fridericum Aragonium Siciliæ inſulæ occupatorem cenſuris ferit, 1302. I. Carolum comitem in eum immittit, *ibid.* Pacto a Carolo cum Friderico fœdere, illum in gratiam admittit, *ibid.* V. Ea de re lit. *ibid. & ſeq.* Monet initas ab eo pactiones, uti informes jacebant, corroborari non poſſe, *ibid.* VI. Cenſuris liberari jubet, *ibid.* VII. Et alios ipſius ſequaces, *ibid* VIII.

Bonifacius VIII. legem de conſanguinitate ad Friderici & Alienoræ gratiam ſolvit, 1302. VI. A Philippo Rege Gallorum in invidiam apud regni ordines vocatur, *ibid.* XI. Fuſæ a clero Gallicano apud eum querelæ, *ibid.* XII. Synodum in Philippum celebrat, *ibid.* Pronuntiat, omnes Chriſtianos Romano Pontifici ſubeſſe, *ibid.* XIII. Anathematis ſententiam in eos fert, qui ad ſedem Apoſt. accedentes læſerint, *ibid.* XIV.

Bonifacius VIII. Joannem Card. in Gallias ad componendam cum Philippo controverſiam legat, *ibid.* XV. Jubet Regem abſolvere, ſi veniam popoſcerit, *ibid.* Objurgat Scoticum clerum pacis ineundæ cum Rege conſilia retardare, *ibid.* XVII. Angliæ decimas cum Eduardo partitur, *ibid.* Regem Boemiæ admonet, ut controverſiam de ſceptro Ungarico apud ſubſellia apoſtolica diſceptet, *ibid.* XX. Abiiciat Poloniæ Regis nomen, ni jura ſedi Apoſt. oſtenderit, *ibid.* XXII.

Bonifacius VIII. Card. legato dat imperia, ut Wenceſlao & Carolo ad experiundum judicium diem conſtituat, 1302. XXIII. Duces Charinthiæ in gratiam reſtituit, *ibid.* XXVI. Creat Leonardum patriarcham Conſtantinopolitanum, *ibid.* XXVII. Verat loca interdicto ſubiici ob debitam pecuniæ ſummam, *ibid.* XXVIII.

Bonifacius VIII. Albertum Regem Romanorum confirmat, 1303. I. *& ſeq.* Vitia illius electionis ſupplet, *ibid.* V. Germanos illi obſequi jubet, *ibid.* VII. Reſcindit ſacramenta, quibus ſe obſtrinxerat, *ibid.* Solvit cenſuris, *ibid.* XXIV. Datæ ad illum officioſiſſimæ ab Alberto literæ, *ibid. & ſeq.* Ungariam pacare agereditur, 1302. XIV. Albertum, ut Carolo ſtudeat, adhortatur, *ibid.*

Bonifacius VIII. Carolo Ungaricum ſceptrum adjudicat, 1303. XVII. *& ſeq.* Ad excipienda illius imperia excitat, *ibid.* XXIII. Carolum ad ſectandas virtutes hortatur, *ibid.* Informes fœderis leges inter Siciliæ & Trinacriæ Reges temperat, *ib.* XXIV. Declarat Trinacriam, moriente Friderico, ad Caroli II. heredum dominatum redituram, *ibid* XXVII.

Bonifacius VIII. ſancit Fridericum Regem Trinacriæ appellandum, 1303. XXVII. Nullam annorum præſcriptionem contra Caroli ſucceſſores valituram, *ibid.* XXVIII. Trium millium unciarum auri cenſum a Friderico ſedi Apoſt. penſitatum iri, *ibid.* Jacobo Regi Aragonum ad comparanda Sardiniæ & Corſicæ regna favet, *ibid.* XXIX. Ferdinandum Regem Caſtellæ cenſuris ſolvi jubet, *ibid.* XXX. Controverſias inter clerum & monachos dirimit, *ibid.* XXXII.

Bonifacius VIII. Romanam inſtituit academiam, 1303. XXXII. Ad Philippi Regis articulos, cum de concordia actum eſſet, negat ſibi fieri ſatis, *ibid.* XXXIV. Comminatur in eumdem Philippum ſe animadverſurum, *ibid.* Præſules Galli Bonifacium de impendente ſchiſmatis periculo & aliis ſcandalis præmonent, 1303. XXXV. Albertum Romanorum Regem ſolicitat in Gallos, *ibid.*

Bonifacius VIII. a Philippo vindictæ appetitu multis calumniis oneratur, 1303. XXXV. Purgat ſe ab objecta hæreſi, *ibid.* XXXVI. Gallos ſacramenti Philippo præſtiti religione ſolvit, *ibid.* De Gerardo Nicoſienſi archiepiſcopo queritur, in ſe Philippum Regem exacerbaſſe, *ibid.* XXXVII. Doctores Gallos exercendæ laureæ magiſtralis auctoritate privat, *ibid.* XXXVIII. Sancit, propoſita in curia edicta citatos Reges & principes obſtringere, *ibid.* XL.

Bonifacius VIII. capitur ab hoſtibus, 1303. XLI. Liberatur ab Anagninis, *ibid.* Solvit vinculis præcipuum conjurationis auctorem, *ibid.* XLII. Magna pompa excipitur a Romanis, *ibid.* Moritur, *ibid.* XLIII. Illius corpus trecentis poſt annis corruptionis expers repertum, 1303. XLIV.

Bonifacius VIII. formula ſacramenti ab eo nuncupati B. Petro antequam ſacraretur, 1295. I. Illius formula, *ibid.* Obſtringit ſe, numquam eccleſiæ adminiſtrationem abjecturum, *ibid.* §. In nomine. Ad tuendam fidem de Deo trino & uno, deque Chriſto redemptore, *ibid.* Ad ſuſtinenda octo œcumenica concilia, *ibid.* Ad ſervandas ſanctiones canonicas, *ibid.* Et traditiones, *ibid.* Et diſciplinam eccleſiaſticam reſtituendam, *ibid.* Implorat S. Petri opem, *ibid.*

Bonifacius VIII. oſtendit ſacramenta inique extorta reſcindenda eſſe, 1295. XXVIII. Ejuſdem decretum de inſulis Balearibus non conjungendis cum Catalonia, *ibid.* Cardinales Columnenſes adverſus Bonifacium ſchiſma moliuntur, 1297. XXXIV. Eorum literæ, *ibid.* Contendunt, Cœleſtinum abdicare ſe pontificatu non potuiſſe, *ibid.* Eorum argumenta, *ibid.* Refelluntur, *ibid.* §. Hæc Columnenſium &c. *Vide*, Pontifex Romanus. Eodem anno refellitur, quod Bonifacius S. Cœleſtinum ſubornarit, ut cederet, *ibid.* §. Quod vero.

Bonifacius VIII. ejus memoriam damnari flagitat Philippus Rex, 1307. X. Concilium Viennenſe ad eam cauſam dirimendam indictum, *ibid.* XI. Data a Clemente V. poteſtas omnibus accuſandi Bonifacii VIII. 1309. IV. Exaratum ea de re diploma, *ibid.* Fideles ob id ſcandalum paſſi Philippo Regi infenſi, *ibid.* Inſtituti a Clemente quæſitores, qui dicta teſtium contra Bonifacium in publica documenta redigant, 1310. XXXVII. Data omnibus contra Bonifacium afferendi teſtimonii facultas, vetitumque eos a quoquam lædi, vel impediri, *ibid.* XXXVIII. Promulgatur Philippus non maligne ſed pia mente in illum egiſſe, 1311. XXIX. Accuſatores Bonifacii & defenſores pacti inter ſe concordiam litis deciſione ſedi Apoſtolicæ commendata, *ibid.* XXX. Bonifacii geſta in Philippum reſciſſa, *ibid.* XXXI. Ejuſdem ſanctiones in eumdem regeſto diſpungi juſſæ, *ibid.* XXXIII. Nonnullæ ex iis reſtitutæ, *ibid.* Monitoriæ Bonifacii ad Philippum literæ, *ibid.* XXXIII. *& ſeq.* Aliæ ejuſdem, quibus Philippum ana-

thema contraxiſſe promulgari jubetur, *ibid.* XXXIX. Aliæ, quibus conceptam ab eodem ad concilium provocationem damnat, judiciumque ipſi intentat, *ibid.* XL. *& ſeqq.* Aliæ quibus anathemate defixum promulgat, Francoſque fidei illi addictæ ſacramento liberat, *ibid.* XLIV. *& ſeqq.* Ut hanc ſententiam interceptus ab hoſtibus pronuntiare non potuerit, *ibid.* XLIX. Nogaretus aliique præcipui prædones, qui Bonifacium ceperant pœnis eccleſiaſticis affecti, *ibid.* L. Data a Clemente V. fidelibus accuſandi defendendique Bonifacii poteſtas, *ibid.* LI. Ejus cauſa agitata in concilio Viennenſi, 1312. XI. Ut de illius pontificatu diſceptatum, *ibid.* XII. Objectæ illi calumniæ diſſolvuntur, *ibid.* XIII. *& ſeq.* Pronuntiatur a concilio, fuiſſe creatum legibus Pontificem, *ibid.* Tres Cardinales argumentis ex theologia, ex jure canonico, ex civili petitis demonſtrant Bonifacianæ cauſæ æquitatem, *ibid.* XVI. Duo equites illam, objecta ad pugnam ſingularem provocatione, tuentur, *ibid.* Condonatum a Concilio Philippo & accuſatoribus, *ibid.*

Bonifacius e Calamandrano Hoſpitalariorum præceptor miſſus ad Siculos ad obſequium Caroli alliciendos, 1295. XXXV. Demandata ei provincia, ut Rogerium Lauriam ad ſponſionem clientelarem ob receptas Gerbas & Cherchinas beneficio ſedis Apoſt. adigeret, *ibid.* XXXVII.

Bononienſis academiæ doctoribus conceſſa prærogativa, 1291. LXII. Eorum controverſia cum Mutinenſibus de Bazano & Savignano compoſita, 1299. XXVIII.

Bononia rebellat in Neapoleonem Cardinalem legatum, 1309. V. Pacata ſeditione, redit ad officium, ac priſtina privilegia recuperat a Clemente V. *ibid.*

Bononienſis academia privilegiis exornata ob rem in recuperanda Ferraria præclare geſtam a civibus, 1309. V. Celebrari laudibus Bononienſes ob virtutem militarem, *ibid.* VIII. Edicto vetant cæſarea imperia a quovis excipi, 1310. XVII.

Brixienſes iniquam legem ferunt, ne civium cum exititiis matrimonia valeant, 1291. LXVII. Reſcinditur a Nicolao IV. *ibid.*

Brixia rebellat in Henricum VII. 1311. XXII. Anguſtiis preſſa Lucæ Fliſci Cardinalis opera Henrico ſe dedit, *ibid.*

Brugenſes verſi in ſeditionem in Philippum Regem Francorum, 1302. XVI.

Brynolphus Scarenſis epiſc. magno animi ardore jus eccleſiaſticum propugnat, 1290. XLVI. Magnus Sueciæ Rex veniam petiturus ad illius genua accidit, *ibid.*

Bulgari ad conjunctionem Rom. eccleſiæ invitati a Nicolao IV. 1291. XXXVIII. Ut archiepiſcopus Bulgarorum in Conſtantinopolitana ſynodo aſſenſerit in primatu Romanæ eccleſiæ profitendo, *ibid.* XXXIX. Orthodoxæ fidei forma propoſita, *ibid.*

Bullienſis Salvatoris eccleſia Pariſiis ob inſigne miraculum condita, 1290. LIV.

Burdegalenſis eccleſia; ab illius regimine ad ſedem Apoſtolicam vocatus Clemens V. 1305. V. Exornata indulgentiis, 1308. XXXIX. Propoſitæ indulgentiæ illius molitionem operis provecturis, *ibid.* Abactis monachis, in eam inducti canonici, *ibid.*

C

Cæſar. *Vide*, Romanorum Rex.

Cajeta fruſtra tentata obſidione a Jacobo Aragonio, 1290. XXIV. Vectigalibus exempta ad decennium ob fidei conſtantiam, *ibid.*

Cajetani indulgentiis ſacris affecti a Pontifice, 1290. XXV.

Calames Turca Lydiam & Ætoliam Græcis eripit, 1300. XXXVII.

Calamitates pronunciatæ. *Vide*, Prodigia, Flere, Sanguis.

Calphac ſive Capchic Saracenus Caſſanum prodit, 1299. XLIV. Syriam ad rebellionem concitat, 1300. XXXIV.

Calvariæ mons; in eo cor ſuum ſepeliri jubet Alfonſus Caſtellæ Rex, 1286. XXI.

Calumniæ objectæ Bonifacio graves, 1303. XXXV.

Cambalienſis eccleſia condita a Joanne e Montecorvino, 1305. XVIII. Sedis archiepiſcopalis faſtigio exornata a Clemente V. 1307. XXIX. Plures epiſcopi ſuffraganei ab eodem miſſi, *ibid.*

Canis Scaliger Veronæ præfectus ab Henrico VII. 1311. XXIII.

Canonizatio ſanctorum; de B. Ludovico SS. catalogo adjecto diploma Bonifacii, 1297. LVIII.

Canonizatio ſanctorum; de S. Ludovico epiſcopo Toloſano ſanctis annumerando actum, 1312. XXV.

Cantuarienſis archiepiſc. ei cingendi corona Regis Angliæ jus confirmatum, 1308. XVIII.

Capitula; de eorum exemptionibus, 1312. XXIV. §. Nunc reſtat, &c.

Carbaganda Caſſano fratri in Perſico imperio ſuccedit, 1304. XXVII. A fide deſciſcit, *ibid.*

Carbanda Tartarorum Rex oratores ad Pontificem Regeſque mittit, 1307. III. Socia arma pro recuperanda Syria ſpondet, *ibid.*

Cardinales; conſtitutio Gregorii X. de iis in conclavi includendis reſciſſa a Nicolao IV. 1289. XLIX. Graviſſime inter ſe, mortuo Nicolao, concertant; diuturnumque invehunt interpontificium, *ibid.* XIX. XX. 1293. I. Nicolai IV. conſtitutio de vectigalibus eccleſiæ cum iis partiendis, 1289. XLIX. L. Obſolevit eadem conſtitutio, *ibid.* Quomodo excepti & habiti a Cardinalibus Reges, 1293. II.

Cardinales prohibent Viterbienſibus, ne Urbe vetanis perduellibus faveant, 1294. I. Decrerum Cardinalium de eligendo Cœleſtino, *ibid.* VI. Eorundem ad ipſum literæ, *ibid.* VII. Renovatum ab eo de includendis conclavi Cardinalibus, *ibid.* XVII. S. Cœleſtinus inter Cardinales & Reges medius incedens dexteram Regibus dedit, *ibid.* X.

Cardinales qui Bonifacio VIII. aſſidebant, 1295. XXIII. 1298. VI. Cardinalatu dejecti Jacobus & Petrus Columnæ ob amplexas hoſtium eccleſiæ partes, 1297. XXXII.

Cardinales creati a Bonifacio, 1298. XXIII. Geſta Bonifacii ſine conſenſu Cardinalium reſciſſa a ſucceſſore, 1304. XII.

Cardinales ituri Aquilam adigunt ſacramento Carolum Siciliæ Regem, ipſos non retentum iri in regno Neapolitano, ſi Pontificem obire contingeret, 1294. XVII. §. Interjectis. Reſciſſo eo ſacramento convulſiſque Adriani V. & Joannis XXI. edictis, juſſi a S. Cæleſtino Papa tribus decretis, Gregorii X. ſanctionem de conclavi obſervare, *ibid. & ſeq.* Contendunt Petrus Paludanus & Hugo, Papam ſi cedat papatu, in eorum manibus neceſſario debere cedere, 1297. XXXIV. §. Dicendum. Negant id alii, & ſine eorum aſſenſu poſſe cedere aſtruunt, *ibid.*

Cardinales ſciſſi in contrarias partes in conclavi diu altercantur, 1305. I. Pontificatum ad Gallos traducunt, *ibid.* Qui adverſarum factionum ſigniferi, *ibid.* II. Internuntios cum decreto creationis ad Clementem V. tranſ-

mittunt, *ibid.* VI. Hortantur eum literis aliis, ut in Italiam ſe conferat, *ibid.* VII. Exciti in Gallias culpam ſuam agnoſcunt, *ibid.* XIII.
Cardinalium inſignis creatio a Clemente facta, 1305. XIV.
Cardinalium nomina, qui Clementi V. aſſidebant, 1307. XXIII.
Cardinalium numerus auctus a Clemente V. 1310. XLVI.
Cardinalis epiſcopo præpoſitus ab eodem Pontifice, & cur, 1312. XXVIII. Abſente eodem Pontifice Cardinalibus data provincia, ut inſigne imperiale Cæſari imponant. *Vide*, Imperator. Auctus tertio Cardinalium numerus a Clemente, 1312. LIV.
Carelii ad fidem Chriſtianam compulſi a Suecis, 1290. XLVII.
Carelii adjuncti Gothico Imperio, 1290. XLVII.
Carmannus Aliſurius Turca Græci Imperii partem occupat, 1300. XXXVII.
Carmelitæ ab Honorio IV. variegatas veſtes juſſi deponere, 1286. XXXVI. Monte Carmelo a Saracenis ob id depulſi, *ibid.* Religioſæ eorum diſciplinæ formula confirmata a Nicolao IV. 1289. LV.
Carnes humanas Cumani comedunt, 1303. XV.
Carolus Valeſiorum dux comeſque Andegavenſis conciliatur Bertrando archiepiſcopo Burdegalenſi creando Pontifici, 1305. IV. Læſus, dum Pontificem ſociabat, *ibid.* XIII. Ad recuperanda Conſtantinopolitani imperii jura dotalia præſidiis apoſtolicis inſtruitur, 1306. II. Solicitati Veneti & Genuenſes ad jungenda cum illo ſocialia arma, *ibid.* III. Pictavii Clementem convenit, 1307. I. Propoſitæ ſecuturis illum adverſus Andronicum indulgentiæ, *ibid.* VI. Idem occidentale imperium affectat, 1308. XX. Accuſati a Philippo Bonifacii VIII. nominis odio deluditur, *ibid.* XXI. Intereſt Viennenſi concilio, 1312. I.
Carolus II. Siciliæ Rex; Eduardus de eo liberando cum Alfonſo Aragonio agitat, 1286. XIII. Nuntii apoſtolici ob id miſſi, *ibid.* & *ſeq.* Pactiones pro ipſo liberando, initæ interprete Eduardo Rege, ut iniquiores reſciſſæ ab Honorio Papa, 1287. IV. V. 1288. XV. Permittit illi Pontifex, ut in Aragonia ſacris interdicta divina coram ſe peragenda curet, *ibid.* VII. Emiſſus e carcere, 1288. XVI.
Carolus II. Reate a Nicolao IV. corona regia cingitur, 1288. I. In pontificia verba jurat, *ibid.* II. & *ſeqq.* Reatinæ eccleſiæ annuas viginti uncias auri confert, *ibid.* XII. Ornatur muneribus a Pontifice, *ibid.* Sacramenti ab Alfonſo Aragonio extorti religione ſolvitur, *ibid.* XIII. Et cenſuris ob violatas pactiones Clementem inter & Carolum initas, *ibid.* XIV. Pluribus ſacris beneficiis afficitur, *ibid.* XV.
Carolus II. ad ſolvendam Cajetæ obſidionem cum copiis accurrit, 1290. XXIV. Paciſcitur inducias cum Jacobo, *ibid.* Verſa res nimiæ ignaviæ, *ibid.* Cajetanos ob fidei conſtantiam vectigalibus ad decennium eximit, *ibid.* Filium Carolum majorem natu Salerni principem creat, *ibid.* XXV. Ungarica corona cingendum curat, *ibid* XLIII. Abſcedit in Gallias ſuper. *ibid.* XXV. Gallos Alfonſo Aragonio conciliat, 1291. LI.
Carolus II. Carolum Valeſium adducit ut jure & actione in Aragoniam decedat, *ibid.* Filiam cum Andium & Cœnomani comitatibus dotalibus illi uxorem tradit, *ibid.* Indictum ad illius gratiam bellum ſacrum a perduellibus Siculis, *ibid.* Solicitatus Rex Francorum a Nicolao IV. ad derivandas eo vires, *ibid.* LVIII. Francorum Rex ſuam in mediam Avenionis partem jura in eum transfundit, *ibid.* LXI. Decimæ in Venuſino comitatu & Avenione illi attributæ, *ibid.*
Carolus II. reverſus a Galliis Cardinales adit Peruſii, hortaturque ad creandum Pontificem, 1293. II. Ut a Cardinalibus fuerit exceptus, *ibid.* Una cum filio Rege Ungariæ S. Cæleſtino aſello inſedenti ſtratoris munus exhibet, 1294. X. Bonifacio, eccleſiam Lateranenſem petenti ſtratoris munus exhibet, 1295. V. Epulanti Pontifici regia corona redimitus inſervit, *ibid.* VI. Clientelarem ſponſionem præſtat Bonifacio VIII. 1295. XVI.
Carolus II. ſolvitur pœnis, quas ob non ſolutum cenſum contraxerat, 1295. XVII. Abit trans alpes, obſides filios liberaturus, *ibid.* XX. Pacem cum Aragonum Rege Jacobo paciſcitur, *ibid.* XXI. Illius leges confirmatæ a Bonifacio, *ibid.* & *ſeq.* Ad illius gratiam Jacobus Siciliæ inſula cedit, ſed Fridericus eam occupat, *ibid.* XXI. Deluditur ab Aragoniis, *ibid.* XXIV. Juvatur a Bonifacio ingenti auri vi ad recuperandam Siciliæ inſulam, *ibid.* Decimæ ei attributæ, *ibid.*
Carolus II. Blancam filiam Jacobo Regi Aragonum deſpondet, *ibid.* Juvatur auro a Bonifacio ad Fridericum edomandum, 1296. XVI. S. Ludovicus Caroli filius regni jure ſe abdicat, *ibid.* Biennales inducias inter Francorum & Anglorum Reges conciliat, 1297. XLII. Conſulit Bonifacium, quis regno Siculo ſucceſſurus ſit, an filiorum quiſpiam, an nepos e majori natu filio, 1297. LIII. Sancitum, proximum gradu ſanguinitatis ſucceſſurum, quo tempore Rex obierit, *ibid.* & *ſeq.* Inſtigatus ad ferendam illi opem Jacobus gener Rex Aragonum, 1299. I.
Carolus II. Fridericum & Siculos rebelles prælio navali ſuperat, 1299. III. Filios ad perſequendam victoriam concitat, *ibid.* IV. Jubetur a Bonifacio filium Philippum principem Tarentinum revocare, *ibid.* Luget illum prælio deletum, captumque, *ibid.* Robertus major natu filius Cataniam ac plures arces ſubigit, *ibid.* Ornamenta regia pro ſolvendo cenſu oppignerat, *ibid.*
Carolus II. ad ſedem Apoſt. una cum Rogerio Lauria accedit, 1300. XII. A Bonifacio ob Friderici exceptos oratores perſtringitur, *ibid.* XV. Maritimam ducum opera victoriam de Siculis refert, *ibid.* XIII. Terreſtres illius copiæ profligatæ, *ibid.* Fœdus cum Genuenſibus init, & quibus legibus, 1301. XXVI. Robertum filium una cum Carolo Andium comite in Siciliam mittit, 1302. II. Infelices ex illo bello exitus ſortitur, *ibid.*
Carolus II. moleſte pactas cum hoſte fœderis leges accipit, 1302. X. Jubetur a Bonifacio eas admittere, filiamque Aleonoram tradere nuptui Friderico, *ibid.* Illius nepos Carolus Ungaricum ſceptrum, dejecto Wenceſlao, obtinet, 1303. XVII. & *ſeqq.* Informes fœderis, illum inter & Fridericum initi, leges emendatæ, *ibid.* XXV. Sancitum, ſublato ex humanis Friderico, Siciliæ inſulam ad Caroli poſteros redituram, *ibid.* XXVII. Siciliæ Regis nomen illi aſſertum, & Friderico Trinacriæ nomen datum, *ibid.* Cautum illius in eam inſulam juribus, *ibid.* Decernitur ex Trinacriæ poſſeſſione nullam annorum præſcriptionem contra Caroli heredes valituram, *ibid.* XXVIII. Octo millium unciarum auri cenſus ad quinquennium redactus ob tria millia a Friderico pendenda, *ibid.* Fredericus Rex Trinacriæ ſacramento ſpondet Benedicto XI. conciliatum a Bonifacio cum Carolo fœdus culturum, 1303. LIII. Trinacriam Caroli heredibus poſt mortem reſtitutum iri, *ibid.* Solvendi cenſus diem Benedictus Carolo extrahit, *ibid.* LVI. Commendatur Carolus ob ejectos Luceria Saracenos, *ibid.* Ob locupletatam vectigalibus eccleſiam S. Mariæ, *ibid.*
Carolus Rex Ungariæ; illum Otho dux Bavariæ Ungarico regno ſpoliare nititur, 1305. XVI. Adjudicatum illi a Clemente V. regnum Ungariæ, 1307. XV. Pontificia de eo ſententia, *ibid.* & *ſeq.* Ut Wenceſlaus junior contra ipſum fuerit electus, *ibid.* Exauctoratuſque a Bonifacio VIII. *ibid.* XVI. & *ſeqq.* Æmulo Othoni duci Bavariæ intentatæ cenſuræ, *ibid.* XX. Pro aſſerendo Carolo regno Ungarico miſſus in Ungariam Gentilis Cardinalis legatus, *ibid.* Capto Othone Bavaro, in ſolio Ungarico conſtabilitur, *ibid.* Ab omnibus regni ordinibus, etiam ab adverſariis, Rex ſalutatur, 1308. XXII. Sacra corona redimitur, 1308. XXV. De Jaderæ imperio cum Venetis diſceptat, 1311. LXXV. De Matthæo Palatino cruentam victoriam refert, 1312. LII. Ejus religio in muniendo ſacramentis exercitu, *ibid.*
Carolus II. Rex Siciliæ cum Templariis inita ſocietate, claſſem in Græciam immittit, 1306. V. Robertum filium ad Siculi regni ſuprema jura cum Clemente V ſancienda adhibet, *ibid.* VI. Sponſionem datam ratam habet, *ibid.* De ea re ejuſdem literæ, *ibid.* Imperat præteritorum cenſuum ſolutionem extrahi, *ibid.* VIII. Convenit Clementem Pictavis, 1307. II.
Carolus II. obſtringit ſe ad expeditionem Syriacam, 1307. IV. Imperata illi a Clemente ſubſidia, *ibid.* Ejus filius Ludovicus epiſcopus Toloſanus coruſcat poſt mortem miraculis, 1307. XXII. Diſceptat, obſtrictos fuiſſe Pontifices ob ſupremum in Siciliam jus ad ſumptus bellicos ex parte tolerandos, *ibid.* XXIII. Contrarium a Clemente decernitur, *ibid.* Levatur tertia parte ſuſceptorum ab eccleſia nominum, *ibid.* XXIV. De reliquis duabus paciſcitur, *ibid.* Gratias de accepto beneficio agit Pontifici, *ibid.*
Carolus II. ſolicitatur a Clemente, ut reficiendæ exuſtæ baſilicæ Lateranenſis e ſylvis idonea ligna accommodet, 1308. XI. Conſurgat in rebelles eccleſiæ, *ibid.* XIII. Trecentos equites cataphractos ex conventis mittat, *ibid.* Moritur, 1309. XVII. Ejus virtutes & vitia, *ibid.* Propoſitæ, a Clemente eraturis pro illius anima indulgentiæ, *ibid.* Robertus filius in regno ſuccedit, *ibid.* XVIII.
Carolus II. Rex Siciliæ; exortæ ab eo pactiones reſciſſæ a Nicolao IV. 1288. XVII. §. Reperimus. Illius ea de re ſanctio, *ibid.* Ipſum injuſte captum, dum pro æquitate pugnaret, defenditur, *ibid.* & *ſeqq.* Quæ fuerint ea conventa, *ibid.* Illuſtratur illius juſtitia, *ibid.* Ut Petrus & Alfonſus Aragonii in extremo vitæ actu eum reddi libertati juſſerint, *ibid.* Vetitum illi a Pontifice ad carcerem Aragonium redire, *ibid.* §. Quia. Mulcere veniæ ſpe Siculos nititur, 1289. XV. Illius ad Nicolaum IV. literæ de remiſſis injuriis, *ibid.* §. Tentavit. A Nicolao IV. obtinet, ut Siculi ſolvantur cenſuris pontificiis, ſi redeant ad officium, *ibid.* §. Admiſit. S. Cœleſtinus pacis ab eo initæ cum Jacobo Aragonio leges confirmat, 1294. XV. §. In ſupremo. Quænam illæ fuerint, *ibid.* & *ſeq.* Aragonius ad Siciliam & Melitam illi reſtituendas ſe adſtringit, *ibid.* Et ad ſubeundos bellicos labores ac ſumptus, donec expugnatæ ſint, *ibid.* Caroli filius Ludovicus clero adſcriptus a S. Cœleſtino, *ibid.* §. Tenebatur. *Vide*, S. Ludovicus epiſcopus Toloſanus. Cardinales, Aquilam ituri ad Pontificem, a Carolo ſacramentum exigunt, ab eo ſe non retentum iri, ſi Pontificem obire contingeret, *ibid.* §. Interjectis.
Carolus Philippi Regis Francorum ſecundo natu filius; incuſſæ Alfonſo Aragonio ob regnum contra illius jura occupatum pœnæ, 1286. XI. Sacerdotiis clerici Alfonſo obſequentes privati, *ibid.* XII. Philippo Regi Francorum decimæ ad eum in regni poſſeſſionem inducendum attributæ, *ibid.* XXVIII. 1288. XV. Aragonii regni jure & actione decedit ad Alfonſi Aragonii gratiam, 1291. LI. Andium & Cœnomanorum comitatus dotales accipit, *ibid.* XVI. Philippus Rex Francorum, mortuo Alfonſo, illum in regni Aragonii poſſeſſionem inducere meditatus, ab eo conſilio a Pontifice revocatur, *ibid.* LVI. Inito tractatu pacis Aragoniæ, Valentiæ, & Cataloniæ juribus cedit, 1295. XX. A Bonifacio VIII. in Italiam vocatur, 1300. XX. Decimæ illi in expeditionis ſumptus attributæ, *ibid.* Exceptus a Bonifacio magnis honoribus, exercitus dux in ditione eccleſiaſtica creatur, 1301. XI. Pacandæ Etruriæ illi partes impoſitæ, *ibid.* XIII. Legatus Cardinalis illi adjunctus, *ibid.* Florentinæ reipublicæ adminiſtrationem capeſcit, *ibid.* XIV. Factionem Albam pellit, *ibid.* Inter cæteros Dantem Aligerium, *ibid.* Matrimonium illius cum Catharina dicta Imperatrice ratum habitum, *ibid.* XV. Ex Etruria in Siciliæ inſulam bellum illaturus, contendit, 1302. I. Adjunctus illi Robertus dux Calabriæ, *ibid.* II. Illius impetus ab hoſte arte debilitati, *ibid.* Quibus cauſis ad iniquas concordiæ leges cum Friderico paciſcendas impulſus fuerit, *ibid.* II. Earum legum forma, *ibid.* III. IV. Spondet Pontifici exortam inter illum Regemque Gallorum controverſiam compoſiturum, *ibid.* XV. Spem iniicit Bonifacio, Philippum Regem ipſi conciliaturum, 1303. XXXIV. Queritur Bonifacius, illum id non præſtitiſſe, *ibid.* Expeditionem parat in Andronicum Imp. Græcorum, 1304. XXVIII. Propoſitæ illius ſigna ſecuturis indulgentiæ, *ibid.* XXIX. Morte Benedicti XI. diſcuſſa conſilia, *ibid.* XXXI.
Carolus Martellus Salerni princeps a Patre Carolo II. creatur, 1290. XXV. Ungaricam coronam, extincto Ladiſlao materno jure accipit, 1290. XLIII. Parenti reverrenti e Galliis obviam it, 1292. II. Ut exceptus fuerit a Cardinalibus, *ibid.* Adit S. Cœleſtinum, 1294. X.
Carolus Martellus una cum patre Rege inſidenti aſello Pontifici ſtratoris munere fungitur, *ibid.* Item Bonifacio Lateranenſem eccleſiam petenti, 1295. V. Epulanti Pontifici regia corona redimitus inſervit, *ibid.* VI. Moritur Neapoli, dum abſente in Galliis patre regni Siculi adminiſtrationem gerebat, *ibid.* XIX.
Carolus Rex Ungariæ Caroli Martelli filius cum Andrea paciſcitur, regiæque Ungaricæ procuratorem conſtituit, 1299. XIII. In Ungariam proficiſcitur, *ibid.* Vocatur in judicium a Bonifacio ad cauſam Ungarici ſceptri cum Wenceſlao Boemo diſceptandam, 1302. XIX. & *ſeq.* Ut Strigonii diadema ſuſceperit, 1303. XVIII.
Carolus Rex Ungariæ vocatus in judicium oratorum opera comparet, 1303. XVIII. Adjudicatum ei Ungaricum ſceptrum, *ibid.* XX. Ungari ad excipienda ipſius imperia ſolicitati, *ibid.* XXIII. Ad ſectandas virtutes informatur, *ibid.* Ungari deſerto Wenceſlao, illius excipiunt imperia, *ibid.*
Carvajalii fratres rapti temere ad ſupplicium, Ferdinandum Regem Caſtellæ apud divinum tribunal in jus vocant non irrito exitu, 1312. XXXIII.

Caſanus ſive Caſſianus Argonis Regis Tartarorum filius ad complectendam fidem Chriſtianam ſolicitatus, 1291. XXXIV. XXXV. Baydonem Regem Chriſtianum proditione necat, 1299. XLIII. Perfidis regnum occupat, *ibid.* Initio Chriſtianis infenſus, *ibid.* Firmato ſolio Saracenos perſequitur, *ibid.* Prælio illos fundit, *ibid.* XLIV. XLV. Spolia inter milites dividit, *ibid.* Enſem & marſupium, in quo regni Ægypti proventus deſcripti erant, ſibi reſervat, *ibid.* XLV.

Caſanus Damaſcum ad deditionem cogit, 1299. XLVI. Dum ſigna adverſus Saracenos attollit a Baydone conſanguineo, in Perſidem irrumpente, revocatur, 1300. XXXIV. Proditione Syriam amittit, *ibid.* Iterum ſigna convertit in Syriam, ſed morbo retardatur, 1301. XXXVI. Ut divino miraculo converſus ſit ad fidem, 1301. XXXVII. Irrumpit iterum in Syriam, 1303. LXI. Euphratis ulteriores arces expugnat, *ibid.*

Caſanus ob Baidonis in Perſidem irruptionem regredi cogitur, *ibid.* Partem exercitus cum Rege Armeniæ in Saracenos immittit, *ibid.* LXII. In planitiæ Damaſci pars exercitus a flumine derivato merſa, *ibid.* LXIII. Parat expeditionem in Saracenos, 1304. XXVII. In procinctu moritur, *ibid.* Sceptrum Carbagandæ fratri tranſmittit, *ibid.*

Caſſanus vel Caſſianus. *Vide*, Caſanus.

Caſtella Ferdinando abjudicata a Regibus arbitris, 1304. XVII.

Caſtitas; Guido comes Montisfortis mavult *mori, quam adulterio fœdari*, 1287. VII. Clariſſæ Acconenſes ad *redimendam caſtitatem* nares ſibi præcidunt, 1291. XIII. Chunegunda ſive Kinga duciſſa Cracovienſis cum viro Boleſlao caſtitatem colit, 1292. XXII. S. Ludovicus epiſcopus matrem oſculari renuit, 1297. LXVIII.

Catalonia; ut Baleares inſulæ illi fuerint conjunctæ, 1295. XXVIII. §. Obligationes. Id decretum reſciſſum a Bonifacio VIII. *ibid.*

Catalonia; inveſtitura illius Jacobo Regi a Bonifacio tradita, 1295. XXIII.

Catania a Roberto duce Calabriæ in deditionem accepta, 1299. V. Confirmata in Regis Caroli obſequio, *ibid.* XXI. E pacis legibus ad Friderici poteſtatem revocata, 1302. III.

Catayni Tartari evangelica fide a Joanne e Monte Corvino informati, 1305. XIX. XX. Conditi apud eos plures epiſcopatus, 1307. XXIX.

Catharina Imperatrix Balduini II. e Philippo neptis poſcitur ab Andronico Imperatore, ut Michaeli filio uxor detur, 1288. XVII. Promiſſa in uxorem Friderico cum dotali Imperio communibus armis recuperando, 1295. XXIX. Datæ ad ipſam literæ eo argumento, *ibid.* Reſpondet aſſenſuram, modo Fridericus ante recuperatum Imperium ditione certa donetur, 1296. VIII. Nubit Carolo Philippi Regis Francorum fratri, 1301. XV. Ad dotale Imperium Conſtantinopolitanum auctore Benedicto XI. agitata conſilia, 1304. XXVIII. XXIX.

Catharina Balduini II. neptis Caroli viri opera jura imperii Conſtantinopolitani repetere ab Andronico parat, 1306. II.

Caydonus princeps Tartarorum ad fidem Chriſtianam amplectendam ſolicitatus, 1289. LXIII. Datæ ad eum eo argumento literæ, *ibid.*

Caydo princeps Tartarus in Cobilam Imperatorem rebellat, 1286. XXXV. §. In Aſia. Socio Najam oppreſſo, pacem cum eo percutit, *ibid.* §. Quod vero.

Cenſores fidei; collata ipſis a concilio Viennenſi plurima auctoritas, 1312. XXI.

Cenſuræ eccleſiaſticæ ſine juſta cauſa ſæpe vibratæ, 1311. LVIII. Gravia inde exortamala, *ibid.*

Centuriatores Magdeburgenſes convicti erroris & impietatis, 1297. LXVIII. & alibi.

Ceraſus Turca una cum patre Calame plura Græcis in Aſia eripit, 1300. XXXVII.

Ceſſatio a divinis ſervanda, 1310. XLV.

Ceſſio; Columnenſium argumenta, quod non valeat in Papa, 1297. XXXIV. §. Univerſis. Contraria argumenta Joannis Andreæ, quod valeat, *ibid.* §. Ut ſequitur. An teneat ceſſio papatus facta ſine conſenſu eccleſiæ diſcrepant auctores, *ibid.* §. Hæc Columnenſium.

Cham. *Vide*, Cobila Cham.

Cham Imp. Tartarorum evangelico præconi favet, 1305. XIX. Ejus potentia, *ibid.* Solicitatur a Clemente V. ad amplectenda Chriſtiana ſacra, 1307. XXX.

Charitas; patriarcha Hieroſolymitanus, dum Ptolemenſes navi excipere nititur ſimul cum iis perit, 1291. X. Inſigne charitatis exemplum in B. Alberto, torrentem ſicco pede calcante ad Judæos liberandos, quos luſtravit baptiſmate, 1292. XXIII. B. Margharita Cortonenſis poſcenti Chriſto, quid vellet, nil præter ipſum ſolum reſpondit, 1297. LXIX.

Cherchinæ inſulæ a Rogerio Lauria ereptæ Saracenis, 1205. XXXVI. Beneficio ſedis Apoſtolicæ poſſidendæ traditæ, *ibid.*

Chinga. *Vide*, Chunegundes.

Chorea; in chorea mortis ſpectrum conſpectum *in nuptiis Regis Scotiæ*, 1286. XXIV.

Chriſtiani ſummum habent jerarcham Romanum Pontificem, 1312. XIX.

Chriſtophorus Erici Regis Daniæ frater ſceleris in Joanne archiepiſc. Lundenſi vinculis mancipato particeps, 1299. IX. Expiato rite crimine cenſuris ſolvi juſſus, *ibid.*

Chriſtus; inſultantibus ei Judæis & Saracenis quod princeps Chriſtianus crucis ſigna præferens victus eſſet, defenditur a Tartaro, quod ſit juſtus in non defendenda cauſa injuſta, 1286. XXXV. §. Porro Judæi.

Chriſtus; definitum veram aquam & ſanguinem ex latere Chriſti mortui fluxiſſe, 1312. XVIII. Ejus myſterii ſignificatio, *ibid.*

B. Chunegundes ſive Kinga duciſſa inſignis ſanctitate, Boleſlai Pudici conjunx; Tartari divinitus territi a monaſterio in quo agebat abſtinent, 1287. XII. Andræam a fratre Rege Ungariæ necatum ad vitam revocat, 1290. XXXIX. XL. Mori iterum jubet, cum id ſaluti animæ conduceret. *ibid* Pie moritur, 1292. XXII. Ingentia edit miracula, *ibid.*

Citatio; publico edicto propoſita citatio adſtringit arcentes ne ad ipſos illa perveniat, 1306. I.

Civitas Papalis a Bonifacio VIII. condita, 1299. VII. Epiſcopalis & Cardinalitia dignitas in eam tranſlata, *ibid.* Theodoricus primus illius eccleſiæ inſtiturus epiſcopus, *ibid.*

Clemens V. ante pontificatum dictus Bertrandus de Gotto, in colloquium vocatus a Rege Francorum, 1305. III. Cum eo paciſcitur pro adſpiſcendo pontificatu, *ibid.* IV. Ejus patria & genus, *ibid.* V. Et primitiæ, *ibid.* Ex archiepiſcopo Burdegalenſi creatur pontifex, *ibid.* Cardinalium de collato illi pontificatu decretum, *ibid.* VI. Cardinalium ad eum literæ, & legatio *ut veniat in Italiam*, *ibid.* VII. Illius ex Burdegala diſceſſus, & varia itinera, *ibid.* VIII.

Clemens V. reſpuit a Jacobi Regis oratore clientelarem pro Sardiniæ regno ſponſionem accipere, *ibid.* Eundem Regem in ſua verba ſacramento adigit, *ibid.* & *ſeq.* Decimas illi attribuit, *ibid.* X. Friderici Trinacriæ Regis

gis oratores ac literas ad eum mittit, *ibid.* Lugdunum proficiſcitur, eoque Cardinales jubet accedere, *ibid.* XI. XII. Tranſalpinos Reges ad ſuæ coronationis celebritatem vocat, *ibid.* Ingenti pompa pontificale inſigne accipit, *ibid.* XIII. Infauſto caſu excuſſa ex ejus capite thiara, *ibid.* Francorum Rex fœno illius equum duxit aliquandiu, *ibid.* Fraternam cædem luget Clemens, *ibid.*

Clemens V. donatur aurea ſupellectili ab Anglorum Rege, 1305. XIII. Jacobum & Petrum Columnenſes cardinalitiæ dignitati reſtituit, *ibid.* XIV. Plures alios purpura ſacra exornat, *ibid.* Bonifacii VIII. acta in Philippum abrogat, *ibid.* Ædiculam S. Ludovico ſacram indulgentiis exornat, *ibid.* Eliſabethæ Auguſtæ patrocinium ſuſcipit, *ibid.* Conſulit Balearibus, *ibid.*

Clemens V. Gallici regni dignitatem contra Bonifaciana ſtatuta aſſerit, 1306. I. Laicos exigentes a clero decumas anathemate damnat, *ibid.* Bonifacii ſanctionem de citationibus temperat, *ibid.* Decernit expeditionem in Græcos ſchiſmaticos, *ibid.* II. Andegavenſem comitem ſacri in Andronicum belli ducem creat, *ibid.* Decumas ei confert, *ibid.* Venetos ad illius belli ſocietatem provocat, *ibid.* III. Et Genuenſes, *ibid.* IV.

Clemens V. inducias inter Sabaudum ac Viennenſem imperat, 1306. IV. Robertus dux Calabriæ ſacramento ſuprema regni Siciliæ jura patrio nomine Clementi ſancit, *ibid.* VI. Lugduno Burdegalam repetit, *ibid.* IX. Sardiniæ & Corſicæ jura Regi Aragonum aſſerit, *ibid.* X. Ab illius oratoribus clientelarem ſponſionem accipit, *ibid.* Magiſtrum equitum S. Joannis Jeroſolymitani ad agitanda conſilia pro recuperanda Syria evocat, *ibid.* XI. Armenios ſpe auxiliaris exercitus confirmat, *ibid.* XIII.

Clemens V. patriarchæ Jeroſolymitano extra provinciam pallii uſum concedit, 1306. XIV. Glaſguenſem epiſcopum in judicium vocat, *ibid.* Aurelianenſem academiam prærogativis exornat, *ibid.* XVIII. Petrum epiſcopum Baſilienſem ad ſedem Moguntinam tranſfert, *ibid.* Piſtavium ſe confert, 1307. I. In ea urbe Regum & principum cœtus pro recuperanda Syria celebrat, *ibid.*

Clemens V. Aytonum, ut de rebus orientalibus ſcribat, incitat, 1307. I. Expeditioni in Græcos inſtruendæ dat operam, *ibid.* VI. Prædicit, Conſtantinopolitanum Imperium a Turcis invadendum, ni Græcis eripiatur, *ibid.* Indulgentias comitem Andegavenſem ſecuturis proponit, *ibid.* Andronicum & illius ſocios percellit anathemate, *ibid.* VII. Fœdus inter Francorum Regem comitemque Flandriæ aſtringit, *ibid.* VIII.

Clemens V. inter Anglos Francoſque concordiam firmiore nexu ſancit, 1207. IX. Solicitatur a Philippo ad Bonifacii VIII. damnandam memoriam, *ibid.* X. Iniqua Regis petita eludit, *ibid.* XI. Decernit concilium Viennenſe celebrare, *ibid.* Pampilonenſibus ſacrorum uſum reſtituit, *ibid.* XIV. Ungariæ regnum Carolo & Mariæ adjudicat, *ibid.* XV. Antonio epiſc. Chamadienſi ob redimitum corona Othonem Bavarum judicium intentat, *ibid.* XXI.

Clemens V. Gentilem tit. S. Martini in montibus presbyterum Cardinalem ad ſententiam mandandam operi in Ungariam mittit, *ibid.* De Ludovici epiſcopi Toloſani ſanctorum cathalogo annumerandi miraculis inquiri jubet, *ibid.* XXII. Promulgat, Romanam eccleſiam ad tuendum in regni poſſeſſione Regem Siciliæ non teneri, *ibid.* XXIII. Tertia parte nominum Carolum levat, *ibid.* XXIV. De reliquis paciſcitur, *ibid.* Actæ illi a Carolo gratiæ, *ibid.*

Clemens V. Blancham filiam S. Ludovici indulgentiarum beneficiis afficit, 1307. XXV. Dietherum archiep. Trevirenſem in jus vocat, *ibid.* XXVI. Illi defuncto Balduinum Lucemburgenſem ſubrogat, *ibid.* Decernit, geſta ante papales inſulas ſuſceptas polleres eadem vi, qua cætera polleant poſt eas acceptas, *ibid.* XXVII. In ancipiti morbo conſcientiæ aculeos ſentit ob eccleſias aliquot in commendam redactas, *ibid.* XXVIII. Commendas illas abolet, *ibid.*

Clemens V. in Tartaria Catayna Cambalienſem archiepiſcopatum pluresque epiſcopatus condit, 1307. XXIX. Minoritas plures ad infideles ſacris Chriſtianis imbuendos mittit, *ibid.* Joannem e Monte Corvino multa auctoritate ad evangelium propagandum inſtruit, *ibid.* XXX. Magnum Chamum Tartarorum ad Chriſti cultum allicere nititur, *ibid.* In Templarios judiciariam actionem inſtituit, 1308. I. In ſynodis provincialibus in ipſos judicia exerceri jubet, *ibid.* II. Abolendi ordinis cauſam ad concilium Viennenſe defert, *ibid.* IV. Fatetur ipſi templarius eques multæ exiſtimationis, Chriſti fidem ejurare ſolitos eos, qui Templariorum militiæ nomen dabant, *ibid.* V. Septuaginta duo Templarii adacti ſacramento impoſita crimina fatentur, *ibid.* VI.

Clemens V. tres Cardinales ad ordinis Templariorum principem, alioſque duces interrogandos mittit, judiciariaque documenta ſuperioribus conſentanea reperit, *ibid.* VII. Ad kal. octobris anni MCCCX. concilium indicit, *ibid.* VIII. Inquiri jubet quæ in Chriſtiano orbe cenſura egeant, *ibid.* Sacrum bellum adverſus Dulciniſtas hæreticos indicit, *ibid.* IX.

Clemens V. mittit Iſnardum archiepiſcopum Thebanum, ut Lateranenſem baſilicam flammis exuſtam inſtauret, *ibid.* XI. Decernit, altare ligneum S. Petri priſtino loco ſuis manibus reſtituere, *ibid.* Plures in Piceno rebellant, *ibid.* XII. In eos Siculæ regiæ principes concitat, *ibid.* XIII. Trecentos equites gravioris armaturæ ex conventis, in Siculi regni beneficiaria largitione initis, ſubmitti poſtulat, *ibid.*

Clemens V. Ferrarienſes poſt ejectos marchiones Ateſtinos eccleſiaſtico reſtituere imperio molitur, 1308. XIV. Mittit internuntios, qui Ferrariæ poſſeſſionem ineunt, *ibid.* XV. Venetis Farrariam ſubjicere affectantibus cenſuras eccleſiaſticas intentat, *ibid.* XVI. Eos officii admonet, *ibid.* Peruſinam academiam condit, *ibid.* XVII. Ulyſiponenſem academiam traducit Coimbricam, *ibid.*

Clemens V. ſancit, ſuſceptum a prælatis alienum æs, niſi in rem eccleſiaſticam verſum ſit, non ſolvendum, 1308. XVIII. Cantuarienſi archiepiſcopo imponendæ Anglo principi regiæ coronæ jus aſſerit, *ibid.* Philippo Regi, ne imperium transferatur ad Francos, adverſatur accuſati Bonifacii odio, *ibid.* XXI. Curat Henricum Lucemburgenſem eligendum Regem Romanorum, *ibid.* Uroſii Raſciæ Regis oratores ipſum adeuntes pro repetendo eccleſiæ gremio admittit, *ibid.* XXVI. Fidei normam illi proponit, *ibid.*

Clemens V. edicit, ut vox, *Filioque*, addatur Symbolo, & inter ſacra decantetur, *ibid.* XXVII. Profiteatur Primatum Romani Pontificis, *ibid.* Patriarcham Gradenſem virosque religioſos in Raſciam mittit, *ibidem*, XXVIII. Dat iis partes, ut Regem in ſinum eccleſiæ admittant, *ibid.* XXIX. Vexillum eccleſiæ illi tradant, *ibid.*

Cle-

Clemens V. Olgetucan Regis Tartarorum literas excipit, 1308. XXX. Promittenti, conjuncturum se Christianis cum centum millibus equitum adversus Sarracenos, gratulatur, *ibid.* XXXI. Hortatur ad Christiana sacra amplectenda, *ibid.* Expeditionem instruit in orientem, *ibidem*, XXXII. Fideles ad eam obeundam excitat, *ibid. & seq.* Hospitalarios illius duces creat, *ibid.* XXXIV. Regem Francorum rogat, ut iis faveat, *ibid.* XXXV. Vetat merces Sarracenis inferri, *ibid. & seq.*

Clemens V. controversiam inter Henricum Cypri Regem & Almaricum Tyri dominum componere nititur, 1308. XXXVII. Ambos ad dicendam causam in jus vocat, *ibid.* XXXVIII. Ecclesiam Burdegalensem exornat indulgentiis, *ibid.* XXXIX. Egregio opere instaurat, *ibid.* Exauctoratis monachis, in eam canonicos inducit, *ibid.* S. Bertrandi Convenarum episcopi translationem celebrat, 1309. I. II.

Clemens V. præsules custodiæ bonorum ad Templarios spectantium præficit, 1309. III. Reges rogat, ne ea dissipari patiantur, *ibid.* Accusandi Bonifacii potestatem publico edicto permittit, *ibid.* IV. Aurelianensi academiæ restituendæ dat operam, *ibid.* V. Et Bononiensi, *ibid.* Ducem senatumque Venetum ob ereptam Ferrariam defigit anathemate, *ibid.* VI. Gravissimas alias pœnas iis infligit *ibid.* VII. Arnaldum legatum bello in eos præficit, *ibid.* VIII. Ferrariam recuperat, *ibid.*

Clemens V. Regis Romanorum imperiale diadema postulantes excipit, 1309. IX. Henrici ad eum literæ, *ibid.* X. Jus Regni Romanorum Henrico asserit, *ibid.* XI. Fidei sacramentum ab Henrici oratoribus exigit, *ibid.* XII. Vertente biennio coronam auream illi se impositurum spondet, *ibid. & seq.* Ipsius literæ ad Henricum ea de re universa, *ibid.* XIV.

Clemens V. preces divino Numini porrecturis pro anima Caroli Franc. Regis indulgentias pollicetur, 1309. XVII. Robertum, Siciliæ regnum Apostolicæ liberalitati referentem, fidei sacramento adigit, *ibid.* XIX. Illi quinquaginta millia marcharum remittit, *ibid.* XXI. Publico edicto suprema ecclesiæ in Siciliam jura sancit, *ibid.* XXII. Roberto quod reliquum erat ex susceptis a patre avoque nominibus condonat, *ibid.* XXIII.

Clemens V. Friderico Regi Trinacriæ parta injusto bello superiori remittit, *ibid.* Controversiam inter utrumque componit, *ibid.* Cum Jacobo Rege de Ilba ac Pisis illi jure fiduciario tradendis pacisci tur irrito exitu, *ibid.* XXIV. Sacrum bellum adversus Saracenos Granatenses indicit, *ibid.* XXV. Illud inituros indulgentiis privilegiisque prosequitur, *ibid.* Castellæ Regi decumas & male partos quæstus contra infideles attribuit, *ibid.* XXVI. Auxilia comparare studet, *ibid.* XXIX. Sacras preces indicit pro crucesignatis, *ibid.* XXX.

Clemens V. Jacobum Regem insigni elogio exornat, 1309. XXXI. Exercitum crucesignatum ducibus Hospitalariis conficit, *ib.* XXXIII. Ruthenensem episcopum legatum creat, *ibid.* Prærogativis afficit, *ibid.* XXXIV. Cistercienses ad fundendas preces hortatur pro impetrando a Numine felici expeditionis orientalis exitu, *ibid.* Internuntios creat ad Cæsarem Italiam ingressurum sacramento Romanæ ecclesiæ obstringendum, 1310. II. *& seq.* Henrici literæ ad Clementem datæ, & quibus sacramentis se illi devinxerit, *ibid.* III. *& seqq.*

Clemens V. Genuenses, Mediolanenses, Florentinos, aliosque imperii clientes Henrico obtemperare jubet, 1310. IX. Scriptæ ad illius commendationem literæ, *ibid.* X. *& seqq.* Arnaldum Pelagruam Henricum in expeditione Italica comitari jubet, *ibid.* XV. Aliis districto negotiis Thomam tit. S. Sabinæ subrogat, *ibid.* Huic extincto sufficit Lucam e Flisco, *ibid.* XVII. Mediolanenses & alii Insubres Clementis opera ad Henrici obsequium abducti, *ibid.*

Clemens V. Æmiliæ præsidem creat Robertum Regem, 1310. XVIII. XIX. Actæ illi a Roberto gratiæ, *ibid.* XX. Ad Henrici gratiam Ludovicum Sabaudum Romæ senatorem creat, *ibid.* XXI. Injurias pro beneficiis illi reponit Henricus, *ibid.* Ferrariensium oratores Clementis & Romanæ ecclesiæ obsequiis se addicunt, *ibid.* XXIII. *& seqq.* Editam ab iis obsequii professionem publico sancit diplomate, *ibid.* XXVII.

Clemens V. Venetos oratores censurarum expiationem flagitantes in concistorio audit, 1310. XXXII. Avinionensem episcopum ad Philippum Galliarum Regem mittit, *ibid.* XXXIII. Pro componendis Lugdunensibus turbis recenter obortis Stephanum & Landulphum Cardinales mittit, *ibid. & seq.* Belgicam pacem firmat, *ibid.* XXXV. Sancit (poscentibus Belgis) anathemate, si rebellarint, devinctum iri, *ibid.* XXXVI.

Clemens V. quæsitores ad excipienda testium dicta in causa hæreseos impactæ Bonifacio VIII. constituit, *ibid.* XXXVII. Vetat, intentato anathemate, testes ulla affici injuria, *ibid.* Villanovæ physici opera medica quæri, sibique afferri jubet, *ibid.* XXXIX. Ad excindenda vitia incumbit, *ibid.* Concilium Viennense in annum alium extrahit, *ibid.* XLI.

Clemens V. provinciales synodos celebrari jubet, 1310. XLII. Rhodus Clementis auspiciis capta, *ibid.* XLIII. Percelli jubet anathemate illos, qui Castellanum redintegrantem bellum Granatense disturbarint, *ibid.* XLIV. Constitutionem de interdicto ecclesiastico arctius observando edit, *ibid.* XLV. Restituendæ Franciscanæ disciplinæ dat operam, *ibid.* XLVI.

Clemens V. auget Cardinalium senatum, *ibid.* Henrico VII. ad Italicum regnum assequendum favet, 1311. IV. Patavium ad illius obsequium revocat, *ibid.* Quinque Cardinales pro imponenda illi solemni ritu corona decernit, *ibid.* VI. Ritus in ea celebritate observandos præscribit, *ibid.* VII. usque ad XIX. Exigit ab Henrico, ut post susceptа insignia imperialia repetat sacramenta, quibus ante iter Italicum se devinxerat, *ibid.* XIX. Arnaldum ad clientes imperii in ejus obsequium abducendos legatum creat, *ibid.* XXI.

Clemens V. Brixiam Flisci Cardinalis opera Henrico subiicit, 1311. XXIII. Ad pacandam ditionem ecclesiasticam incumbit, *ibid.* XXIV. Accusatoribus Bonifacii VIII. & defensoribus concordiam pacisc entibus, controversiam dirimendam in se suscipit, *ibid.* XXV. Philippi Regis excusationes & fucos adducit, *ibid.* XXVI. Annectit exceptiones defensorum, *ibid.* XXVII. Ad has Philippi responsa subjungit, *ibid.* XXVIII. Adhibitam in ea causa consilii maturitatem proponit, *ibid.* XXIX.

Clemens V. decernit ad Philippi gratiam, neque illum neque alios ad Bonifacium accusandum maligne sed pie descendisse, *ibid.* Eundem a capti Bonifacii crimine immunem pronuntiat, *ibid.* Bonifacianas constitutiones de-

detrahentes regni Gallici juribus abrogat, *ibid.* XXXI. Ejusdem acta judiciaria in Gallos rescindit, *ibid.* Benedicti XI. sententias in prædones, qui coperant Bonifacium, thesaurumque expilarant, convellit, *ibid.*

Clemens V. omnem maculam abolet, quæ Philippo posterisque ob gesta in Bonifacium VIII. allini posset, *ibid.* Bonifaciana edicta contra Philippum e regesto pontificio evelli jubet, *ibid.* XXXII. Nonnullæ ex iis Bonifacii literis ex aliis MS. restitutæ *ibid.* XXXIII. usque ad L. Guillelmum Nogaretum & præcipuos sceleris in eumdem Bonifacium Papam parrati socios ecclesiasticis pœnis mulctat, *ibid.* L.

Clemens V. fidelibus accusandæ defendendæque Bonifacii memoriæ jus tribuit, 1311. LI. Præsules Viennam vocat ad concilium, *ibid.* LII. Veritatem a Templariis exprimi tormentis jubet, *ibid.* LIII. Concilium celebrat, *ibid.* LIV. Libertinos hæreticos confutat, *ibid.* LXVI. In eos legibus agi jubet, *ib.* LXX. Sacrilegos, episcopale munus sine prævia consecratione sibi arrogantes, insectatur, *ib.* LXXI. Submittit in Tartariam episcopos ad disseminandum evangelium, *ibid.* LXXIV.

Clemens V. Isnardum Thebanum archiep. ad Antiochenam sedem traducit, 1311. LXXIV. Genuenses fœdera cum Saracenis & schismaticis inire vetat, *ibid.* LXXV. Controversiæ inter Cypri & Armeniæ Reges arbiter deligitur, *ibid.* LXXVII. Permittit Roberto Regi, ut divinis coram se ante lucem peragendis interfit, *ibid.*

Clemens V. abolet Templariorum ordinem, 1312. I. *& seqq.* Eorum bona Hospitalariis addicit, *ibid.* VI. Sancit ea ad recuperandam Syriam conversum iri, *ibid.* VIII. Plura statuit de Templariis non convictis, vel insontibus, *ibid.* IX. Pronuntiat Bonifacium VIII. justum fuisse Pontificem, *ibid.* XVI. Damnat Begardos, *ibid.* XVII. Celebritatem corporis Christi instaurat, *ibid.* XVIII. Petri Olivi errores damnat, *ibid.*

Clemens V. definit animam rationalem esse formam corporis organici, 1312. XIX. Opinionem parvulis habitus fidei, spei, & charitatis cum gratia infundi in baptismo docentem alteri præfert, *ibid.* XX. In fœneratores animadvertit, *ibid.* XXI. Inquisitionem in hæreticos sancit, *ibid.* Saracenos in Hispania jubet reprimi, *ibid.* Hebraicam, Chaldaicam, & Arabicam linguas in scholis doceri jubet, *ibid.*

Clemens V. sexennales decumas pro recuperanda Syria indicit, 1312. XXII. Plura ad restituendam ecclesiasticam disciplinam decernit, *ibid.* XXIII. Exorta circa formulam Franciscanæ disciplinæ dubia dirimit, *ibid.* Moniales ad regularem normam revocat, *ibid.* XXIV. Reis pœnitentiæ sacramentum conferri jubet, *ibid.* De Ludovico Tolosano episcopo sanctorum catalogo adscribendo agitat, *ibid.* XXV.

Clemens V. septimum post mensem concilium Viennense dissolvit, *ibid.* Præsules ad suas ecclesias reversuros indulgentiis exornat, *ibid.* XXVI. Alios, qui vocati non interfuerant ecclesiarum ingressu interdicit, *ibid.* XXVII. Duos in Angliam Cardinales ad concordiam revocandam legat, *ibid.* XXVIII. Infectatur hæreticos, *ibid.* XXIX. Dum Avenionem repetit, Valentiæ periclitatur, *ibid.* XXX.

Clemens V. Italicas res negligit, unde oborta graviora mala, 1312. XXXI. Henrici Imperatoris de susceptо augustali insigni ad Pontificem datæ literæ, *ibid.* XXXIX. Aliæ ejusdem ad eumdem, quibus sacramenta fidei præstita, & jura Romanæ ecclesiæ confirmat, *ibid.* XL. Cardinalium ad Clementem literæ de repetito ab Henrico fidei sacramento, *ibid.* XLII. Henricum ac Robertum monet, ut redeant in concordiam, *ibid.* XLIV. Henricum perfidiæ arguit, *ibid.* XLV.

Clemens V. jubet Henricum & Robertum ex urbe discedere, *ibid.* XLVIII. Promulgat in urbem se iter ornare, *ibid.* Reliquiis Latinorum in Græcia laborantibus fert opem, *ibid.* Parantem in Achajam expeditionem, Tarentinum principem subsidiis fulcit, *ibid.* Abneptem Balduini II. illi in matrimonio locandam promovet, *ibid.* XLIX. Prorogat Philippo Regi Francorum diem induendi crucis symboli, *ibid.* L. Auget Cardinalium senatum, *ibid.* LIV.

Clemens V. quo ritu Robertus Rex sacramentum fidei illi addixerit, 1309. XXI. §. Notandum. Ejus literæ ad Arnaldum legatum de imperiali insigni Henrico conferendo, 1311. XXI. §. Delectatur.

Clementia; Bonifacius VIII. emittit vinculis præcipuum conflatæ in eum Anagniæ conjurationis auctorem, 1303. XLII.

Clementia; non dandam illam oblivioni in exercenda ultione, memorabat Wenceslaus II. Rex Boemiæ, 1305. XV. Egregia ejusdem de ea re sententia, *ibid.* Wenceslaus III. ob jactas temere minas cæsus in ipso adolescentiæ flore, 1306. XVI.

Clerici. *Vide*, Ecclesiastici.

Clerici; Clerus; laici exigentes a clero decumas devincti anathemate, 1306. I. Solutus clerus Bonifaciana censura quamvis illas exigenti persolvat, *ibid.* Quæ fuerint proposita in concilio Viennensi circa clericos emendanda, 1311. LVIII. *& seqq.* Plura ad clericalem disciplinam sanciendam constituta a Clemente V. in eadem concilio, 1312. XXII. *& seqq.*

Cobilam sive Cublai Cham Tamor nepos ex primogenito illi succedit in imperio, 1307. XXIX. Magos tenebat in aula, *ibid.* Ut, spretis eorum præstigiis, Christo nomen dederit, *ibid.* Najam Christianum principem adversus se rebellantem vincit capitque, 1286. XXXV. §. In Asia. Ita illum necat, ut nec terra regium biberet sanguinem, nec sol aerve mala interire morte conspicerent, *ibid.* Judæos & Saracenos insultantes Christianis compescit, *ibidem*, §. Porro. Laudat Christum, quod improbam causam non foverit, *ibid.*

Cœlestinus V. ante pontificatum dictus Petrus e Murrhone ordinis Cœlestinorum conditor, 1294. III. Certior fit divinitus, Cardinalibus iram divinam imminere, ni Pontificem renuntient, *ibid.* IV. Divino instinctu a Cardinalibus vocatur ad Pontificatum, *ibid.* V. VI. Missæ ad eum Cardinalium literæ, *ibid.* VII. Illius patria, *ibid.* VIII. Secundinis instar religiosæ vestis tectus natus sit, *ibid.* Dæmon, præsagiens quid magnum in eo latere, a studio literarum frustra ipsum revocare nititur, *ibid.*

Cœlestinus V. noctu ad divinas laudes, campanæ dato divinitus signo, excitabatur, *ibid.* Asperrimum vitæ illius genus, *ibid.* IX. Ut a Regibus Siciliæ & Ungariæ asello insidens stratorum munere fungentibus deductus sit, *ibid.* X. Contractus membris asello, cui sanctus insederat, impositus valetudinem recuperat, *ibid.* XI. Aquilæ insignia pontificalia accipit, *ibid.* XIII. Servatus in eo sacrando ritus, *ibid.* Indulgentiæ forma eccle-

siam de Colle madio adituris propositæ, *ibid.* XIV. Rescissa a Bonifacio, *ibid.*

Cœlestinus V. confirmat Cœlestinorum ordinem, 1294. XV. Guidonem e Monteferetro admittit in gratiam cum ecclesia Romana, *ibid.* Creat duodecim Cardinales, *ibid.* XVI. Gregorii X. decretum de Cardinalibus conclavi includendis renovat, *ibid.* XVII. Commurmurantur de eo Cardinales, *ibid.* Imminente natalitio Christi in cellula divinis vacaturus se includit, *ibid.* Improbi administri candidæ illius innocentiæ illudunt, *ibidem*, XVIII.

Cœlestinus V deliberat pontificatu cedere, 1294. XVIII. Instructa solemni supplicatione a populo Neapolitano rogatur, ne abeat dignitate, *ibid.* Explorat doctorum sententias, num Romanus Pontifex jure possit cedere munere, *ibid.* XIX. Accusat se imparem gerendo pontificatui coram Cardinalibus, *ibid.* XX. Sancit constitutione apostolica, Romanum Pontificem cedere dignitate posse, *ibid.* XXI.

Cœlestinus V. deposito papali cultu, monasticam vestem induit, 1294. XXI. Proximo die a dimisso pontificatu claudum sanat, *ibid.* XXII. Confutantur nonnulli auctores, qui inepta de eo finxere, *ibid.* Succedit illi in pontificatu Bonifacius VIII. *ibid.* XXIII. Arripit clam fugam ad solitudinem, *ibid.* Delusus a nonnullis impostoribus Minoritis colendæ vitæ solitariæ facultatem impertitur, *ibid.* XXVI. Enata inde Fraticellorum secta, *ibid.* Ut inutilis a Bonifacio traducitur apud populum Christianum, 1295. VII. De illius abdicatione legibus facta, *ibid.* VIII. In orientem fugam meditatur, *ibid.* XI. Vento repellitur, *ibid.*

Cœlestinus V. deducitur ad Bonifacium, *ibid.* Consilia suadentium, ut pro Pontifice se gereret, damnat, *ibid.* XII. Traditur arctæ custodiæ, *ibid.* Archiepiscopum Cusentinum sanat, *ibid.* Includitur Fumonis turri, *ibid.* XIII. Arcte tractatur a Bonifacio, *ibid.* Ejus patientia, *ibid.* XIV. Sancte moritur, *ibid.* Crux ante carceris portam rutilare visa, *ibid.* XV. Sepelitur Ferentini, *ibid.*

Cœlestinus V. ipsius literæ encyclicæ de inito a se pontificatu, 1294. XV. Ut diu Cardinales circa deligendum Pontificem differserint, *ibid.* §. Pie. Ut pontificatu sibi delato obstupuerit, *ibid.* Implendi divini imperii studio illum admiserit, *ibid.* Commendarit se præsulum & fidelium precibus, *ibid.* §. Universitatem. Reges ad administrandos pie principatus solicitat, *ibid.* §. Certiores. Restituendæ in Syria religioni dat operam, *ibid.*

Cœlestinus V. pacis leges inter Carolum II. Siciliæ Regem & Jacobum Aragonium confirmat, *ibid.* & *seq.* Siculorum rebellionem orienti attulisse exitum ostendit, 1294. §. Post. Obstringit Jacobum ad cogendam armis Siciliam in obsequium ecclesiæ, *ibid.* §. Et si forte. Addit hypothesim, pacis hujusmodi beneficio ipsum fruiturum, si promissis steterit, *ibid.* §. Hæc tamen. Conventis inter Carolum Regem Neapolitanum & Aragonios assentitur Cœlestinus, & qua de causa, *ibid.* §. Supplicavit. Prudentissime in re tanti momenti se gessit, *ibid.* §. Emicuit.

Cœlestinus V. indicit subsidiarias decumas pro sustinendis belli Siculi sumptibus, *ibid.* Pium illius ad restituendam Syriæ religionem studium, *ibid.* §. Inundant. Decernit prius Siciliæ insulam ad officium revocare, *ibid.* §. Nos itaque. Debellata Siciliæ insula, meditatur fidelium arma in Saracenos vertere, *ibid.* Decumas in belli illius sumptus imperat, *ibid.*

Cœlestinus V. monet Philippum Regem Francorum ut concordiæ leges ad ipsum spectantes impleat, *ibid* Pontificiæ ad illum ea de re literæ, *ibid.* §. Habet charissime. Parvit Pontifici Rex, *ibid.* Admonet quoque Jacobum Aragonium, ut conventa impleat, *ibid.* Datæ ad ipsum ea de re literæ, *ibid.* §. Insinuavit. Ipsum solicitat ut in Siciliam se conferat, *ibid.* Promovendæ pacis studio Neapolim se confert Pontifex, *ibid.* Christiana res ingens damnum abeunte e Pontificatu Cœlestino passa, *ibid.*

Cœlestinus V. Jacobum Aragonium de contractis vetitis nuptiis increpat, *ibid.* & *seq.* Proponit ob oculos superiora flagitia, *ibid.* Et ea illicito matrimonio cumulata, *ibid.* §. Ecce qualiter. Tristes Friderici Imp. exitus in memoriam eidem Jacobo revocat, *ibid.* §. In præmissis. Ipsum monet ut pactiones cum Castellano initas rescindat, *ibid.* §. Te igitur.

Cœlestinus V. ascribi jubet clero S. Ludovicum Regis Siciliæ filium, *ibid.* A pio minorita conferri illi jubet ordines minores, *ibid.* §. Cum desideres. Eidem Lugdunensem archiepiscopatum concredit, *ibid.* Quæ causa sanctum Pontificem ad id permoverit, *ibid.* §. Movebant. Constantia illius in Cardinalium iniquis voluntatibus frangendis, 1294. XVII. §. Quia. Gregorii X. leges de conclavi instaurat Aquilæ, *ibid.* Adriani V. & Joannis XXI. contraria decreta rescindit, *ibid.* Contrarium his expresserant Cardinales a Rege Siciliæ sacramentum, *ibid.* Ipsum convellit Cœlestinus, & superius decretum innovat apud S. Germanum, *ibid.* Tertia ejus constitutio pro redintegrando Gregorii decreto, *ibid.* & *seqq* Contendunt Cardinales Columnenses. Cœlestinum abdicare se Pontificatu non potuisse, 1297. XXXIV. Ipsorum ea de re literæ, *ibid.* §. Universis, &c. Refelluntur eorum argumenta a Petro Paludano & Jo. Andrea, *ibid.* §. Hæc Columnensium, &c. Sunt qui dicunt persuasisse illi Bonifacium, ne cederet, *ibid.* §. Quod vero. *Vide*, Pontifex Romanus eod. anno.

Cœlestinorum ordo conditus a S. Cœlestino, 1294. III. Ab eodem confirmatus, *ibid.* XV. Et a Benedicto XI. 1304. XXII.

Coimbricensis academia Ulysippone eo traducta, 1308. XVII.

Colonien sis archiep. quo ritu Regem Romanorum consecrare debeat, 1309. IX.

Columnenses adhærent Friderico Siciliæ tyranno, 1297. XXVI. Moliuntur schisma in Bonifacium, *ibid.* XXXIV.

Columnenses hostes ecclesiæ judicantur, indictaque in eos sacra militia, *ibid.* XLI. Restituti a Benedicto XI. cœtui fidelium, sed non Cardinalatui, 1304. XIII. Sciarra Coluna ob captum Bonifacium a Benedicto variis pœnis affectus, 1304. XV.

Columnenses Cardinales contendunt Cœlestinum abdicare se pontificatu non potuisse, sed refelluntur eorum argumenta, 1297. XXXIV. *Vide*, in Cœlestino V. & Bonifacio VIII. Provocatio Columnensium ad concilium edita a Columnensibus iniqua demonstratur, *ibid.* §. Quod vero.

Columnenses Cardinales dignitati restituti a Clemente V. 1305. XIV.

Columnenses Ursinos magna clade afficiunt, 1310. XXI. Henricum VII. inducunt in urbem, 1312. XXXIII. Illi adversus quoscumque se suaque devovent, *ibid.* XXXIV.

Commendæ; religionis aculeos in gravi morbo sentit Clemens V. ob ecclesias in commendam traditas, 1307. XXVIII. Ejusmodi commendas revocat Clemens V. *ibid.*

Concilia provincialia a Nicolao IV. ad instaurandas Syriæ eversas res indicta, 1291. XXIV.

Concilium Romanum a Bonifacio indictum, 1302. XII. XIII.

Concilium Pennafiele 12 Gonsalvo archiepiscopo Toletano celebratum, 1302. XXIX. Quæ in eo gesta, *ibid.* & *seqq.*

Concilium Viennense; quæ illius indicendæ causæ fuerint, 1307. XI. Extractum in alium annum a Clemente V. 1310. XLI. Ad illud vocati Reges, *ibid.* De quibus agitatum sit in concilio, 1311. LIV. Prima ejus sessio, *ibid.* Patrum numerus, *ibid.* Habitæ ad patres a Clemente orationis argumentum, *ibid.* De vitiis in eo emendandis a quodam præsule proposita, *ibid.* LVII. & *seq.* In eo Templariorum ordo abolitus, 1312. I. De Bonifacii pontificatu & innocentia lata sententia, *ibid.* XV. Damnatæ Begardorum hæreses, *ibid.* XVII. Instaurata celebritas corporis Christi, *ibid.* XVIII. §. Nonnulla. Petri Joannis Olivi errores damnati, *ibid.* & *seqq.* Sancita inquisitio in hæreticos, *ibid.* XXI. Indicta expeditio in terram sanctam, *ibidem* XXII. Plura ad ecclesiasticam disciplinam sanciendam constituta, *ibid.* XXIII. Septem menses tenuit id concilium, *ibid.* XXV. Interdicti ecclesiarum ingressu præsules, qui vocati ad concilium abfuere, *ibid.* XXVII.

Concilium Salisburgense, 1310. XLII. Præcipua illius statuta, *ibid.*

Conclave; lex Gregorii X. de conclavi revocata a Nicolao IV. 1289. XLIX. Secutum mox diuturnum interpontificium, 1292. XVIII. Restituta eadem lex a S. Cœlestino, 1294. XVII. Indigne de præclaro sancti viri facinore Jacobi Cardinalis querelæ, *ibid. Vide*, Cardinales.

Conclave diuturnum post Benedicti XI. obitum, 1305. I. Nova eligendi Pontificis conventio, *ibid.* II. Scrutinii ritus, *ibid.* VI.

Conclave; decretum Gregorii X. de conclavi a S. Cœlestino V. tribus edictis instauratum, 1294. XVII. §. Quia, & *seqq.*

Concubinarii; Gerardi Card. Apost. sedis legati constitutio in sacerdotes concubinarios mitigata a Nicolao IV. 1291. LX.

Confessio; Confessarii; confessio sacra præmittenda, antequam corpus dominicum percipiatur, 1302. XXX. Sacerdotibus, crimina divulgantibus, pœnæ inflictæ in concilio Pennaf. *ibid.* XXXI. Insignis S. Augustini de confessione auriculari sententia, *ibid.* Pronuntiatum a Benedicto XI. si apud religiosos edita sit, non repetendam necessario apud parochum, 1304. XXII.

Conjugium spirituale præsulis cum ecclesia; ut illud differat a carnali circa indissolubilitatem, 1297. XXXIV. §. Dicendum, & *seq.*

Conradus dux Masoviæ a Leskone Nigro, fingente sacram expeditionem in barbaros, invaditur, 1287. XI. Cœlestis in Leskonem vindicta, *ibid.*

Conradus Auria a Friderico Siculæ classis præfectus creatus, 1300. X.

Conradus marchio Brandeburgensis ob ecclesiasticos divexatos censuris ictus, 1302. XXV.

Conradus puer a Judæis occisus, 1303. LXIV. Illius corpus ab iisdem terra condi non potuit, *ibid.* Divina in cædis auctores ultio, *ibid.*

Conradus archiep. Salisburgensis concilium provinciale celebrat, 1310. XLII.

Confecratio pontificia; servati in ea ritus, 1294. XIII. 1295. II.

Constans de fratre Sembath Armeniæ tyranno pœnas sumit, 1294. XXVII. Aythonum fratrem restituit libertati, *ibid.*

Constantiæ exemplum insigne in Bonifacio VIII. cum ab hostibus captus est, 1303. XLI.

Constantia filia Manfredi ob retentum una cum filio Jacobo Siciliæ imperium censuris defixa, 1286. VI. Eam urget Pontifex ut Fridericum filium ad pacem adducat, 1295. XXXVI. 1296. X. Postulata illius repulsa, 1288. XIV. Siciliam deserit, seque Romam confert ad ineundum cum Pontifice colloquium, 1297. I.

Constantinopolitani patriarchæ temere instituti dejectique, 1311. LXXIII.

Constantinopolitanum imperium. *Vide*, Græci.

Constantinopolitanum Imperium; ingentia pro eo recuperando agitata a Bonifacio VIII. consilia, 1295. XXIX. Et a Benedicto XI. duce Carolo Valesio, 1304. XXVIII. & *seq.*

Constitutio; sancitur, Pontifices ad sumptus bellicos pro asserendo Regibus vectigalibus Siciliæ regno non teneri, 1307. XXIII. Eorum gestæ ante papale insigne solemni ritu susceptum pollere ea vi, qua post illud acceptum valeant, *ibid.* XXVII.

Constitutio Clementis V. de revocatis commendis, 1307. XXVIII.

Constitutiones Gentilis Cardinalis in Ungaria legati, 1309. XV. XVI.

Cor suum in Calvariæ monte sepeliri jubet Alfonsus Castellæ Rex, 1286. XXI.

Corona; Ungariæ sacra corona amissa ab Othone Bavaro, iterumque inventa, 1305. XVI.

Corona olim transmissa a Romano Pontifice ad S. Stephanum, 1309. XV. Sancta vocata & cur, *ibid.* Ea deperdita vel tenta ab hoste, decernitur aliam a Romano Pontifice postulandam, *ibid.* XVI. Incussum anathema illam invadentibus, *ibid.*

Coronam ferream accipit Mediolani Rex Romanorum, 1311. I.

Coronatio pontificia; servati in ea ritus, 1295. IV.

Corporis Domini celebritas instaurata a Clemente V. 1312. XVIII. §. Nonnulla.

Corsica; ex tractatu pacis promissa Jacobo Regi Aragonum, 1295. XXIV. Eidem tradita; & quibus legibus, 1297. II. & *seq.* Pisani & Genuenses ad eam Jacobo restituendam moniti, 1303. XXIX. De manu Benedicti XI. solemni ritu accepta a Jacobo, 1304. XVI.

Corsi; Corsica; Jacobus Rex Aragon. jura Corsicæ sedis Apostolicæ beneficio se accepisse profitetur, 1305. VIII. Edita ea de re insignia documenta, *ibid.* & *seq.* 1306. X.

Cotuloſſa dux Cassani, 1300. XXXIV. 1301. XXXVI. E Syria magno rei Christianæ damno revocatur, 1300. XXXIV. Pugnat cum Saracenis, 1303. LXII. Ob spreta prudentum consilia Syria, exercitu debilitato, excedere coactus, *ibid.* LXIII.

Cremona rebellat in Henricum VII. 1311. IV.

Cruceata expeditio contra barbaros Ungariam invadentes, 1288. XXIV. XXV. Contra Saracenos Asiaticos, 1289. LXVII. 1290. III. & *seqq.* 1291. I. & *seqq.* 1292. II.

Cruceata expeditio in Columnenses, 1298. XXII. In paganos pro Estonia tuenda, 1299. XI.

Cruceata seu Crucesignata expeditio indicta a Clemente V. in Græcos schismaticos, 1307. VI. VII. In Dulcinianos hæreticos, 1308. IX. Indicta etiam pro terra sancta expeditio in concilio Viennensi, 1312. XXII. Reges ac principes ad eam suscipiendam se obligant, *ibid.* Indicta in Hispaniis contra Mahumetanos Granatenses, *ibid.* LIII.

Cruciferi Victenem ducem Lithuanorum, ingenti victoria divinitus parta profligant, 1312. LXXII.

Crucifixi imago B. Margharitam Cortonenſem alloquitur, 1297. LXIX.
Crudelitas Ladiſlai Regis Ungariæ in necando fratre divina ultione percuſſa, 1290. XLI. Saginam humanam in delitiis habent Cumani, 1303. XV. *Vide*, Hæretici & Judæi.
Crudelitas exercita a Judæis in Chriſtianum, 1305. XV.
Crudelitas; viginti hominum millia cæſa in unius Tartari Imperatoris funere, 1307. XXIX. §. Inſanus.
Crux moriente S. Cœleſtino ante carceris portam viſa, 1295. XV.
Cruces in veſtibus Judæorum divinitus expreſſæ, 1295. LVII.
Crux conſpui ſolita a Templariis, 1308. VII.
Cumani humanam ſaginam in deliciis habent, 1303. XV.
Curtracenſe prælium Gallis infauſtum, 1302. XVI.
Cyprus; Seraph Sultanus Cyprum invadere minitatur, 1292. IV. Ad eam tuendam duorum byſantiorum in ſingula capita indictum annuum vectigal, *ibid.* Liberatur periculo a ſuis Sultano cæſo, *ibid.* V. Inteſtinis diſcordiis laborat, 1299. XXXVII XXXVIII. 1300. XXXV. Sedat eas Bonifacius VIII. *ibid. Vide*, Hugo & Henricus Reges.
Cyprus; ad ferendam illi opem ſubmiſſus cum exercitu Hoſpitalariorum ordinis princeps, 1308. XXXII. Diſcordiis inteſtinis Cyprus laborat, *ibid.* XXXVII. Rex & dominus Tyri pro dirimenda controverſia in jus vocati, *ibid.*

D

Dæmones per incantationes magicas tenebras offundunt aeri, 1307. XXIX. Scyphos ex una menſa in aliam transferunt, *ibid.* Se in idolis adorandos curant, *ibid.* Infelicitatem ſuam horrendis ululatibus teſtantur, *ibid.* Inſanis opinionibus infideles imbuunt, *ibid. & ſeq.* Ritus religionis Chriſtianæ æmulantur, *ibid.* §. In urbe. Homines in exitium fictis vocibus trahunt, *ibid.* § Tradit.
Dalmatia; Nazarethana ædicula ibi divinitus illuſtrata, 1291. LXVIII. *& ſeqq.* Ea poſtea orbata, 1294. XXIV.
Damaſcum iterum a Tartaris in deditionem compulſum, 1299. XLVI. Damaſci defectio, 1300. XXXIV. Proditione in poteſtatem Saracenorum revocatum, *ibid.*
Dania ob archiepiſcopum Lundenſem traditum vinculis interdicto ſupnoſita, 1295. L. Cenſuris devinciri juſſi qui Daniam armis turbarent, 1299. IX. *Vide*, Ericus Daniæ Rex.
Dantes Aliger mulctatus exilio, 1301. XIV. Eius in S. Cœleſtinum dicteria confutata, 1294 XXII.
Dathanaticatum Tartarorum Regina Chriſtiana a Nicolao IV. ad fidem amplificandam excitata, 1291. XXXVI.
David Hiberorum Rex ad conjunctionem cum Romana eccleſia ſolicitatus a Nicolao IV. 1289. LIX.
Decimæ; laici illas a Clero exigentes devincti anathemate, 1306. I.
Decretalium ſextus liber editus a Bonifacio, 1297. XLI.
Demetrius Georgianorum Rex ad colendam orthodoxam fidem ſolicitatus a Nicolao IV. 1289 LIX.
Dietherus archiep. Trevirenſis ob crimina a Clemente VI. in jus vocatus, 1307 XXVI. Morbo oppreſſus in itineris apparatu moritur, *ibid.* Succedit illi Balduinus, *ibid.*
Dignitates fugere. *Vide*, Honorum fuga.
Dionyſius Luſitaniæ Rex oratores mittit ad Nicolaum IV. ad componendas veteres cum clero Luſitano controverſias, 1289. XVI. Præcipua earum capita, quidve ab oratoribus reſponſum, *ibid.* XVII. uſque ad XXXII. Præſcripta illi forma, qua jus eccleſiaſticum in Luſitania redintegraturus ſit, *ibid.* XXXIX. Ulyſſiponenſem academiam condit, 1290. LII. Privilegiis Pontificiis ornandam curat, *ibid.* LII. LIII. Controverſiam de regno Caſtellæ ad Ferdinandi gratiam dirimit, 1304. XVII.
Dionyſius Thaurifi epiſcopus catholicus ad fidem propagandam incitatus, 1288. XXXIII. 1289. LVI.
Diſpenſatio matrimonialis; auctoritatem ſolvendæ legis de gradibus conſanguinitatis ad Rom. Pontificem pertinere oſtendit Bonifacius VIII. 1298. XX.
Doctores eccleſiæ; quatuor doctorum feſta a Bonifacio conſtituta duplicia, 1295. LV.
Duellum; Robertus comes Atrebatenſis vetatur ab Honorio, Acerrarum comitem ad purgandum objectum crimen ad monomachiam adigere, 1286. XV. Anathema intentatum clericos in certamen ſingulare provocantibus, 1302. XXXVI. *Vide*, Haſtiludia.
Dulcinus hæreſiarcha; ſpurca ejus hæreſis, 1305. XVIII. Se Chriſti Apoſtolum prædicat, *ibid.* Plures inficit, *ibidem* 1308. IX. Sacrum bellum contra Dulcinianos geſtum, 1308. IX. Parta de iis victoria, *ibid.* Capitur cum concubina ſua, *ibid* Conciſis a carnifice membris perit, *ibid.* Ejus ſequaces extincti, diſſipative, *ibid.* Spurciſſima hæreſis in omne libidinum genus effuſa ex Dulcini propagine, 1311 LXVI. Et dicebatur libertatis ſpiritus, *ibid.* Clementis V. ad illam excindendam ſtudium, *ibid.*

E

Ecclesia; de eccleſiæ unitate, 1302. XIII. *Vide*, Romana Eccleſia, & Romanus Pontifex.
Eccleſia Romana. *Vide*, Romana Eccleſia.
Eccleſiæ libertas, & immunitas. *Vide*, Libertas. Immunitas.
Eccleſia an teneat ceſſio papatus facta ſine conſenſu eccleſiæ, diſcrepant auctores, 1297. XXXIV. §. Hæc Columnenſium.
Eccleſiæ bona; ſuſceptum ab eccleſiarum præſulibus alienum æs non diſſolvendum a ſucceſſoribus, niſi in rem eccleſiæ verſum conſtiterit, 1308. XVIII.
Eccleſiæ immunitas ſeu libertas; illius oppreſſor Birgerus Rex multis oppreſſus calamitatibus, 1305. XVII. Exauctorati imperio Græci, qui eccleſiam illam manciparant ſervituti, 1311. LXXIII.
Eccleſiæ perſecutores; eccleſiaſticorum bonorum prædatores male pereunt, 1305. XVII. Birgerus Rex Sueciæ innumeris oppreſſus malis ob vexatas eccleſias, *ibid.* Traditus vinculis, 1306. XV. Dum Eduardus Rex Angliæ Cantuarienſem archiepiſcopum inſectatur, Scotia ab illius imperio diſcedit, *ibid.* XV. Henricus dux Carinthiæ, dum Tridentinam eccleſiam opprimit, Boemiæ regno pellitur, *ibid.* XVII. *Vide*, Juſtitia divina. Templa.
Eccleſia orientalis; miſer ejus ſtatus, 1305. *Vide*, Græci.
Eccleſiæ præſules. *Vide*, Præſules.
Eccleſiaſtici; de vita honeſte ab ipſis ducenda, 1200. XXX. XXXI.
Eccleſiaſtici; eorum mores cultuſque emendandi, 1311. LXV.

Eſtaſis; de meretrice eſtaſes diabolicas patiente, 1312. XVIII. §. Inſignis.
S. Eduardus; inſignia regni Scotiæ ab Eduardo Rege illi ſacrata victa Scotia, 1296. XVII.
Eduardus Rex in Aquitaniam proficiſcitur, deque Carolo II. Aragonio carcere liberando agitat, 1286. XIII. Pactiones iniquas fancit, 1287. IV. Reſcinduntur ab Honorio, *ibid.* V. VI. In diſcrimine vitæ conſtitutus vovet ſacram expeditionem in Saracenos, 1287. VIII. Plura a Nicolao IV. ad eam ſuſcipiendam efflagitat, eaque impetrat, 1289. LXX. Monetur ut a jure eccleſiaſtico lædendo abſiſtat, *ibid.* LXXII.
Eduardus Rex cenſuris, ob iter conſtituto tempore non ſuſceptum contractis, ſolvi poſtulat, 1289. LXXIII. Bathonienſi & Wellenſi epiſc. id munus datum a Nicolao, *ibid.* Propoſitas ab eodem Pont. ineundæ ſacræ expeditionis pactiones admittit, 1290. XII. Datæ eo argumento ab illo literæ, *ibid.* & XVI. Novis ſe diſſenſionibus cum Rege Francorum implicat, *ibid.* XVIII. Ad eum conciliandum miſſi Cardinales legati, *ibid.*
Eduardus Rex corripitur a Nicolao jus eccleſiaſticum oppreſſiſſe, 1290. XXXIII. Pati provocantes ad ſedem Apoſtolicam divexari, *ibid.* In regio ſenatu eccleſiaſticas cauſas diſcuti, *ibid. & ſeqq.* Creatur arbiter controverſiæ de adjudicando regno Scotiæ, *ibid.* XXXVII. Agnoſcitur ſupremus Regni Scotiæ dominus, *ibid.* Poſtulat, ut procerum tabulæ a ſede Apoſtolica confirmentur, at non obtinet, *ibid.*
Eduardus Rex ſententiam ad Joannis Balioli gratiam fert, 1290. XXXVII. Solicitati fideles ad ſequenda illius in Syriam ſigna, 1291. II. *& ſeq.* Antequam itineri ſe accinxerit excita eſt Syria, *ibid.* VI. Argon Rex Perſidis ad eum de jungendis in Babylonios armis literas mittit, *ibid.* XXXII. Pactiones novas cum Nicolao IV. ad expeditionem Syriacam conficiendam init, 1292. VI. *& ſeq.* Poſtulat, ut cenſus Angliæ a nonnullis eccleſiis a ſe locupletandis pendatur, repulſamque patitur, 1292. XII. Impetrare non poteſt, ut decretum Scotorum procerum de permittenda illi ut ſupremo domino, Scotici ſceptri controverſia a Pontifice confirmetur, *ibid.* XIII. Levi de cauſa bellum ſuſcipit cum Francorum Rege, 1293. III. Ab illo accerſitur in judicium, *ibid.* IV.
Eduardus Rex Flandriæ comitem & Adolphum Regem Romanorum in belli ſocietatem trahit, 1293. XXV. Corripitur, devota Chriſto arma vertiſſe in Gallos, 1295. XLIII. Guidonem Flandriæ comitem ad ſuas partes allicit, 1296. XVII. Deficientem a ſe Regem Scotiæ capit, *ibid.* Cogit, ut Scotiæ ſceptro ad ſui gratiam ſe abdicet, *ibid.* Biennales inducias cum Francorum Rege paciſcitur, *ibid.* XIX.
Eduardus Rex ſolicitatur, ut controverſiam arbitrio ſedis Apoſtolicæ permittat, *ibid.* XXII. Commiſſarum in clerum extorſionum fluentibus ex oculis lacrymis publice veniam poſtulat, 1297. XLII. Traiicit in Belgium laturus opem Guidoni comiti, *ibid.* Adolphi Regis Romanorum adventu fruſtratur, *ibid.* Paciſcitur cum Rege Francorum biennales inducias, *ibid.*
Eduardus Rex mittit oratores ad Pontificem, qui controverſiam ipſius arbitrio permittant, 1297. XLII. Attriti ab Eduardo vectigalibus Angli edicunt, Reges Anglos nulla tributa ſine ordinum aſſenſu imperaturos, 1298. I. Lata a Pontifice illum inter & Francorum Regem ſententia, *ibid.* III. Jubetur pontificiæ fidei committere terras, quas Regi Francorum eripuerat, *ibid.* VII.
Eduardus Rex jungitur Philippo affinitate, 1298. IX. Suis juribus limitibuſque continere ſe juſſus, *ibid.* X. Solicitatur ad ferenda Regi Armeniæ contra Saracenos auxilia, *ibid.* XIX. Infert Scotis bellum, *ibid.* XIV. Arguitur a Bonifacio VIII. regnum ſedis Apoſtolicæ beneficiarium invaſiſſe, *ibid. & ſeq.* Illum inter & Francorum Regem induciæ prorogatæ, 1300. XXVI.
Eduardus Rex Eboracenſi eccleſiæ jura reſtituere juſſus, 1300. XXXII. Exigit ab illo Bonifacius Angliæ cenſum, 1301. XXII. Nonnulla illi ac regiæ familiæ ſacra beneficia tributa, *ibid.* Philippum Regem Francorum inſtituit arbitrum concordiæ inter ipſum & Scotos, 1302. XVII. Objurgati præſules Scoti concilia pacis retardaſſe, *ibid.* Partitur cum ipſo Bonifacius Angliæ decimas, *ibid.*
Eduardus I. Rex Angliæ ſupellectilem auream Clementi V. dono mittit, 1305. XIII. Vocat in judicium apud eundem Pontificem Robertum archiepiſcopum Cantuarienſem, 1306. XIV. Robertum Bruſium in Scotiæ regno æmulum patitur, *ibid.* XV. Pacem cum Philippo Rege Francorum affinitatemque init, 1307. IX.
Eduardus I. expeditionem ingentem adornat adverſus Scotos, 1307. XIII. Dyſſenteria correptus, mortique proximus cadaver per Scotiam circumferri jubet, donec ſubacta ſit, *ibid.* Votis fruſtratur, *ibid.* Decreverat expeditionem Syriacam inire, *ibid.* Ejuſdem elogium, *ibid.*
Eduardus junior Anglorum Regis filius Iſabellam Philippi Regis Francorum ad pacem ſanciendam uxorem ducit, 1298. IX. Enata poſtea ex eo conjugio graviora bella, *ibid.*
Eduardus II. Rex Angliæ Iſabellam Philippi Francorum Regis filiam uxorem ducit ad firmandam concordiam, 1307. IX. XIII. Sceptrum ex parentis in Scotia expeditione extincti manibus corripit, *ibid.* Ad expeditionem in terram ſanctam ducendam ſe obſtringit, 1312. XXII. Graviſſimas cum proceribus exercet diſcordias, *ibid.* XXVIII. Decreti a Clemente V. ad eas ſedandas duo Cardinales, *ibid.* Repulſi Angliæ ingreſſu, *ibid.*
Eleemoſyna; S. Ludovicus epiſc. Toloſanus veſtem ſibi detrahit, datque pauperi, 1296. XVI.
Elegages Regina Tartarorum Chriſtiana, 1288. XXXV.
Elena. *Vide*, Helena.
Elias. *Vide*, Helias.
Eliſabet Regina Romanorum divinæ rei audiendæ in locis interdictis prærogotiva ornata, 1303. LVI.
Eliſabetha Rodulphi Regis Romanorum vidua; illius patrocinium a Clemente V. ſuſceptum, 1305. XIV.
Eliſabetha Wenceſlai II. Regis vidua nupta Rodulpho novo Regi Boemiæ, 1306. XVI.
Eliſabetha ſoror Wenceſlai junioris nupta Joanni Regi Boemiæ, 1310. I.
Epiſcopales ſedes excitatæ Savæ a Nicolao IV. 1291. XLI. Appamiis a Bonifacio VIII. 1295. LIII.
Epiſcopi; eorum ſanctitatis opinio Reges obſequentes reddit, 1290. XLVI.
Epiſcopi; Epiſcopatus; non obſtricti ad diſſolvenda prædeceſſorum nomina, 1308. XVIII. Si res in eccleſiæ utilitatem verſa, tenentur, *ibid.* Pœnæ in cedentes, capientes, aut in exilium pellentes epiſcopos ſtatutæ, 1312. XXIV.
Epiſcopi plures in exemptos querelas fundunt, 1312. XXIV. §. Agitatum. Quænam eæ fuerint, *ibid.* Exempti ſuam cauſam adverſus eos tuentur, *ibid.* §. Conqueſti. Romanus

nus Pontifex episcoporum jurisdictionem ampliare potest ac restringere, *ibid.* §. Si autem. Eam ipsis communicat, *ibid.* An statum monasticum ab episcopali eximi expediat, *ibid.* §. De aliis. Objectio: si expedit ab episcopali. Ergo & a papali expediet, *ibid.* §. Sed contra. Ut jurisdictio in religiosos magis præsuli religioso, quam episcopo competat, *ibid.* §. Secundo probandum. Episcopalis in religiosos jurisdictio superflua vel noxia, probatur, *ibid.* §. Dico quod. Objectio, quod a principio episcopis religiosi fuerint obnoxii, solvitur, *ibid.* §. Et si. Objectiones pro episcopis contra religiosos, *ibid.* §. Contra præmissa. Et solutiones, *ibid.* §. Ad primum istorum. Ab episcopis monachos non recte dirigendos probatur, *ibid.* §. Postea probatur, &c.

Ericus Daniæ Rex ex insidiis cæsus, 1286. XXXII. Succedit sceptro Ericus filius, *ibid.*

Ericus junior Daniæ Rex Joannem archiep. Lundensem in vincula conjicit, 1295. L. Ob id Dania sacris interdicta, *ibid.* Pro liberando Joanne Isarnus nuntius ab Apost. sede ad ipsum missus, *ibid.* Censuris solvitur, 1299. IX. Soluta lex de gradu consanguinitatis ad ejus gratiam, *ibid.* X. Ornatur privilegiis a Bonifacio VIII. *ibid.* Estoniam contra infidelium impetus tuetur, *ibid.* XI. In matrimonio cum Ingeburge contracto, quamvis lege de conjugiis vetita perstare permissus, 1303. LV. Censuris ob ecclesiasticos traditos carceri contractis solutus, *ibid.*

Ericus dux fratrem Regem Sueciæ capit, vincitque, 1306. XV.

Ericus Rex Daniæ, Sueciæ pro liberando Rege Birgero bellum infert, 1306. XV.

Estonia infestata a barbaris, 1299. XI.

Estenses. *Vide*, Atestini.

Evangelistarum festa a Bonifacio VIII. constituta duplicia, 1295. LV.

Evangelium disseminatum a Joanne e Montecorvino apud Indos, 1305. XIX. Apud Tartaros Cataynos, *ibid.* Combaliensis archiepiscopatus apud eos conditus a Clemente V. 1307. XXIX. Missi plures suffraganei episcopi, *ibid.*

Eucharistia summa veneratione a B. Ambrosio Sansedonio sumitur, 1286. XL. Perfossa cultro a Judæo sacra hostia sanguine manat, 1290. LIV. Excitatum in rei memoriam templum, *ibid.* Mutatus magno miraculo Eucharistiæ color, 1291. XVIII. Ingentes Christianis clades prænuntiat, *ibid.* Lumina impendent domui Judæi, in quam Eucharistia illata, 1299. XLVII. Ex ea contusa a Judæis fluit cruor, *ibid.* XLVIII. Jussi, objecta gravi multa, parochi illam ægris porrigere, 1302. XXV. Vetitum dominicum corpus porrigi nisi sacram confessionem præmissam fuisse constiterit, *ibid.* XXX. A quibus conficienda azyma ad sacra facienda, *ibid.* XXXIII.

Eucharistia; S. Nicolaus Tolentinas puer Christum in ea conspicit, 1306. XIX. Rasciis permittit Clemens V. ut corpus Christi in fermentato conficiatur, 1308. XXIX.

Eucharistia conculcata a barbaris, 1308. LXXII. Divina in eos ultio, *ibid.* Begardorum insania circa dignitatem & adorationem Eucharistiæ, 1312. XVIII. §. Septimus. Demonstratur eam adorandam, *ibid.* §. Octavus. Argumentum hæreticorum dissolvitur, *ibid.* & *seq.*

Eugubini in Pontificem seditionem movent, Guelphosque pellunt, 1300. XXII. Neapolio Card. ad eos pacandos missus, *ibid.*

Excommunicatio. *Vide*, Anathema.

Exempti; de iis conqueruntur episcopi, 1312. XXIV. §. Agitatum.

Exempti causam suam tuentur adversus episcopos, *ibid.* §. Conquesti. Jacobi ea de re commentarius, *ibid.* Peculiari nexu adhærent sedi Apostolicæ, *ibid.* §. Tertio principaliter. *Vide*, Exemptio.

Exemptio ex quatuor causis recte instituta ostenditur, 1312. XXIV. §. Quia in paucioribus. Religiosi exemptionibus instructi tranquillius divinæ rei vacant, *ibid.* §. Secunda via. Potestas summi Pontificis in exemptionibus illustratur, *ibid.* §. Tertia via. Qui fructus ex exemptione consequantur, *ibid.* Viri sancti exemptionum auctores extitere, *ibid.* §. Quare secundo. Sublata exemptione, non esset unum caput in religiosis familiis, *ibid.* §. Secundo declaratur. Impugnantes exemptiones sua magis, quam quæ sunt Christi consectari videntur, *ibid.* §. Secundo hoc idem patet. Exemptionum revocatio noceret sedi Apostolicæ, *ibid.* Exemptionis definitio, *ibid.* §. Prima quæstio. A jurisdictione papali nemo potest eximi, *ibid.* Ab alia quam papali potest, *ibid.* §. Si autem. An exemptio sit utilis vel expediens, controvertitur, *ibid.* §. Nunc restat. Cur fiat exemptio, *ibid.* §. Circa quod sciendum. Exemptionis in casu determinato genus est appellatio, *ibid.* §. Quod. An statum monasticum ab episcopali eximi expediat, *ibid.* §. De aliis. Objectio, si ab episcopali, ergo, & a papali solvitur, *ibid.* §. Sed contra. Per exemptiones Papa suam demonstrat auctoritatem, *ibid.* §. Secunda ratio. Qui appellationes concedunt, necessario concedent exemptiones, *ibid.* §. Tertia ratio. Damnari exemptio simpliciter non debet nisi re diligenter perpensa, *ibid.* §. Quinta ratio. Episcopalis in religiosos jurisdictio superflua vel noxia ostenditur, *ibid.* §. Dico quod. De exemptionibus mendicantium in specie, *ibid.* & §. Postquam universim. De exemptionibus capitulorum, *ibid.* §. Nunc restat. An exemptiones sint revocandæ, *ibid.* §. Quantum autem. De conservatoribus exemptionum, *ibid.* §. Nunc autem. An debeant esse perpetui, *ibid.* Argumenta contra exemptiones, *ibid.* § Subiicit auctor. Eorum solutiones, *ibid.* An propter exemptiones Templarii fuerint perversi, *ibid.* §. Dicendum. *Vide*, Exempti.

F

Famagusta ab Henrico Rege decretum, ut propugnaculis firmetur, 1308. XXXVIII. Indulgentiæ propositæ opus provecturis, *ibidem.*

Felicitas humana in Ugolino Guelphæ factionis principe apud Pisanos, 1288. XXI.

Ferdinandus e Sanctio Rege & Maria Regina Castellæ nuptiis illegitimis satus, justorum natalium dignitate donatus, 1301. XX. Monitus, ut Cerdas in gratiam admittat, *ibid.* XXI. Controversiam cum ipsis de regno Lusitaniæ & Aragoniæ Regum arbitrio permittit, obtinetque, 1304. XVII. De limitibus regni cum Aragonio paciscitur, *ibid.* Ecclesiarum jura occupat, 1303. XXX. Postulata venia censuris solutus, *ibid.* XXXI.

Ferdinandus Cerda; suam Pontifex ad eum cum Ferdinando Rege Castellæ conciliandum auctoritatem adhibet, 1301. XXI.

Ferdinandus Rex Castellæ conqueritur Bonifacii VIII. nomini judicium hæreseos intendi, 1309. IV. Bellum in Granatenses suscipit, *ibid.* XXVI. Multis subsidiis a Clemente V. auctus, *ibid.* Tariffa potitur, *ibid.* XXVII. Algeziram obsidet irrito conatu, *ibid.* XXXII. Distrahitur ab eo bello ob suorum principum dissensiones, *ibid.* Expeditionem Granatensem redintegrat, 1310. XLIV. Intentatum anathema illum ab eo sacro bello distrahentibus, *ibid.* Alcaudetem oppidum amittit, 1312. LIII. Fœdus init cum Lusitano & Aragonio in Mauros, *ibid.* Alcaudetem recuperat, *ibid.* In jus vocatur apud divinum tribunal ab iis, quos temere rapi ad supplicium jusserat, *ibid.* Die dicta moritur, *ibid.* Alfonso filio sceptrum transmittit, *ibid.*

Ferraria extincto Azone Atestinorum jugum excutit, 1308. XIV. Ad ecclesiæ imperium illam blande revocat Clemens V. *ibid.* & *seq.* Veneti illi occupandæ inhiant, *ibid.* Illam expugnant, *ibid.* XVI. 1309. VI. Defixi propterea anathemate, 1309. VI. Demonstratur Ferrariam esse juris ecclesiastici, *ibid.* Recuperatur Venetis ingenti prælio deletis, *ibid.* VIII. Ferrarienses solemnes oratores mittunt ad obsequium Clementi addicendum, 1310. XXII. Ut Ferraria condita sit a Romano Pontifice in ecclesiæ solo, *ibid.* XXIII.

Ferraria erepta ex Desiderii tyrannide a Carolo Magno, 1310. XXIII. Redacta in servitutem Salinguerræ, *ibid.* Restituta a legato apostolico pristinæ libertati, *ibid.* Occupata injuria ab Atestinis, *ibid.* XXIV. Oppressa a Venetis, *ibid.* Ex novo jure sese Romanæ ecclesiæ tradit, *ibid.* XXV. Traditio Ferrariensium novo sancita diplomate, *ibid.* XXVII. & *seqq.*

Ferrariam Salinguerra sibi subiicere molitur, *ibid.* Pellitur a legato, *ibid.* XXIX.

Festa duplicia Apostolor. &c. instituta, 1295. LV.

Festi dies; corruptelæ circa eos, 1311. LVII.

Fidei Christianæ forma proposita Sclavis, 1288. XXX. Georgianis & Nestorianis, 1289. L. Tartaris, 1291. XXXIII. Bulgaris, *ibidem*, XXXVIII. XXXIX. Carelii ad fidem a Suecis compulsi, 1290. XLVII. Ad Marrochitanum regnum Apostolicæ sedis legatus missus, *ibid.* XLVIII. Religiosi sacerdotes ad fidem inter Tartaros propagandam legati, 1291. XXXVII. *Vide*, Tartari. Insigni prodigio Deus Judæos ad fidem allicit, 1295. LVII. Et Casanum Regem Persidis, 1301. XXXVII. Matronæ Genuenses fidei amplificandæ zelo ornatum muliebrem distrahunt, 1301. XXXIII.

Fidei persecutores divina ultione oppressi; exemplum in Melecseraph & sociis, 1291. IV.

Fidei sacramentum; eo se obligat Albertus Bonifacio, 1302. VIII. & *seq.*

Fides in Reges; insigne exemplum illius in Alfonso, filium prius trucidari patiente, quam Mauris Tariffam dederet, 1295. XLVII.

Fides catholica propagata apud Tartaros, 1305. XIX. & *seq.*

Fidei norma a Clemente V. Urosio Regi Rasciæ proposita, 1308. XXVI.

Flandri auro pacem redimunt a Philippo Rege Francorum, 1306. I. Consentiunt sibi anathema infligi, si pacem unquam infregerint, 1307. VII.

Flere; Deiparæ imago flet, 1291. XVIII.

Florentia ob ejectum legatum Apost. sedis gravibus malis oppressa, 1304. XXXIV. Tentata a Gibellinis, *ibid.* VII.

Florentini pontificio legato auxiliares copias pro recuperanda Ferraria submittunt, 1309. VIII. Jussi a Clemente V. in Henrici Cæsaris obsequium procumbere, 1310. IX. Siniſtras de Henrico suspiciones concipiunt & mittendis ad illum oratoribus absistunt, *ibid.* XVI. Queritur de iis Henricus, *ibid.* Robertum Regem Sic. suæ urbi præficiunt, *ibid.* XXI.

Fœdera; ea cum infidelibus & schismaticis sancire vetat Clemens V. 1311. LXXV.

Fœminæ; hæreticæ mulieres ligandi & solvendi potestatem usurpant, 1296. XXXIV.

Fœminæ de divinis temere disserere vetitæ a concilio Viennensi, 1312. XXIV.

Fortitudo. *Vide*, Constantia.

Fornicatio; eam vetitam ostenditur, 1312. XVIII. §. Septimus error.

Franciscus Atestinus marchio jussus Argentam restituere, 1299. XXVII.

Franciscus Cajetanus Cardinalis factionis auctor pro creando Pontifice Bonifacianarum partium, 1305. II. A Nicolao Pratensi deluditur, *ibid.* Defendit Bonifacii memoriam, 1312. XI.

Franciscus Atestinus Azonis extincti frater de Ferrariæ principatu cum Frisco Azonis spurio disceptat, 1308. XIV.

Franciscus Dandalus orator legatus a Petro Gradenico pro flagitanda a Pontifice censurarum expiatione, 1310. XXXI. XXXII.

Franciscus S. Luciæ in Silice Card. decretus a Clemente V. pro augustalibus insignibus Hen. VII. conferendis, 1311. VII.

Francorum Reges pluribus prærogativis insigniti, 1297. XLVI.

Fraticelli; eorum hæreseos principia, 1294. XXVI. A Bonifacio VIII. damnata, 1297. LV.

Fraticellorum insana impietas, *ibid.* In orientem fugiunt, *ibid.* Creatus ab hac scelesta factione antipapa & quo ritu, *ibid.* Petrus Joannes Minorita præcipuus errorum illorum disseminator, *ibid.* LVI. Ut maxima in venerarione inter illos fuerit, *ibid.*

Friderici II. in hæreticos sanctiones, 1288. XXVII.

Fridericus Petri Regis Aragonum filius cedente Iacobo fratre Siciliæ insula, illam occupat, 1295. XXI. Ad eum inde divellendum propositæ ipsi Catharinæ Imp. cum dotalibus Imperii juribus nuptiæ, *ibid.* XXVIII. Suadet Siculis Jacobus, ut illum sibi præficiant, *ibid.* XXXI. Bonifacii ad eum literæ de pace servanda, quam pepigit, *ibid.* Objectæ illi censuræ, si eum turbarit, *ibid.* Monetur, ut nuntium Apostolicum humane tractet, *ibidem*, XXXV. Solicitatur a Bonifacio, ne quid novet, dum ad perficiendas cum Imperatrice nuptias incumbitur, 1296. X. Repellit præferociter Apost. sedis nuntios, *ibid.* XI. Cataniæ insignia regia invadit, *ibid.* XIV. Coitiones cum exulibus Gibellinis init, *ibid.* Rescissa ejus gesta a Bonifacio VIII. *ibid.* XV. Censuris percellitur, *ibid.* Respuit ad colloquium cum Pontifice venire, 1297. I. Columnenses Card. subornat, *ibid.* XXVII. Oratores mittit ad ipsos, ut statum ecclesiasticum perturbent, *ibid.* XLI. Ingenti prælio navali profligatur a fratre Jacobo Rege, 1299. III. Capta, qua vehebatur triremi ab Aragoniis dimittitur, *ibid.* Lapsas res redintegrat, *ibid.* Philippum principem Tarentinum fundit capitque, *ibid.* V. Cataniam amittit, *ibid.* Defixus iterum censuris a Bonifacio, *ibid.* Ejus sequaces jubilæi beneficio privati, 1300. X. Genuenses sibi fœdere, conjungit, *ibid.* Templarii & Hospitalarii in eum concitati, *ibid.* XIII. Carolum Regem Siciliæ de pace interpellat, *ibid.* XV. Censuris percellitur, 1302. I. Carolus Andium comes in eum concitatus, *ibid.* Hostiles impetus effugiis & mora frangit, *ibid.* II. Fœdus cum Carolo comite & Roberto pacisci tur, *ibid.* III. Solicitat Bonifacium ad id confirmandum, *ibid.* V. Admittitur in gratiam a Pontifice, *ibid.* Monetur initas ab eo concordiæ leges ad æquitatem revocan-

candas, *ibid.* VI. Cenſuris una cum ſequacibus abſolvitur, 1302. VIII. *& ſeqq.* Miſſi ad eum Guillelmus Salernitanus & Ubertus Bononienſis epiſcopi A. S. nuntii, *ibid.* Juſti Regis nomen aſſequitur, *ibid.* X. Copias dimittit in Græciam contra Turcas, *ibid.* Informes fœderis illum inter & Regem Siciliæ initi leges temperatæ a Bonifacio VIII. 1303. XXIV. Soluti ad illius gratiam canones, ut conſanguineam Alienoram ducat, *ibid.* Beneficiarium ſe Apoſtolicæ ſedis profitetur, *ibid.* XXV. Trium millium unciarum auri Rom. eccleſiæ cenſum pollicetur, *ibid.* Et centum equos regiis ſtipendiis ſuſtentandos, *ibid.* Eoſdem amicos & hoſtes cum eccleſia habiturum ſpondet, *ibid.* XXVI. Eccleſias priſtinis juribus reſtituturum, *ibid.* Sancitum eo vita functo Siciliæ inſulam Carolo heredibus reddendam, *ibid.* Conceſſum in reliquam vitam Regis Trinacriæ nomen, *ibidem*, XXVII. Cenſus trium millium unciarum auri impoſitus, *ibid.* XXVIII. Siciliæ Regis nomen contra pacta arripit, 1303. XLIX. Corripitur a Benedicto XI. *ibid.* Trinacriam Pontifici acceptam refert, *ibid.* L. Fidem illi oratorum opera obſtringit, *ibid.* Pactiones cum Bonifacio initas redintegrat, *ibid. & ſeq.* Pactum cum Carolo fœdus ſervare ſpondet, *ibid.* LII. Reſtitutum iri poſt mortem Trinacriam, *ibid.* LIII. Ob non ſolutum ſtato tempore cenſum anathemate implicitus, *ibid.* LIV. Liberatur ea religione, *ibid.* Hæreticos inſectari jubetur, 1304. XVIII.

Fridericus Rex Trinacriæ mittit oratores ad Clementem V. pro impetranda ob non perſolutum cenſum venia, 1305. X. Condonata illi ab eodem Clemente, quæ injuſto bello pepererat, 1309. XXIII. Concordiam cum Roberto Rege, interprete Pontifice, ſancit, *ibid.* De Tunetano vectigali cum eodem contendit, caditque cauſa, *ibid.* Jeroſolymitani regni jura armis comparanda depoſcit, *ibid.* Quibus legibus cum ipſo Robertus pacifci voluerit, *ibid.* Cum Henrico Imp. adverſus Robertum Regem fœdus ſancit, 1312. XXXII.

Friſcus Ateſtinus ſpurius Ferrariæ principatum affectat, 1308. XIV. Obortæ inde plurimæ clades, *ibid. & ſeq.*

Fulco Villaretus equitum Jeroſolymitanorum princeps Rhodum capit, 1310. XLIII.

Funera; in funere Imperatoris Tartarorum horrendæ eduntur ſtrages, 1307. XXX. §. Sunt & in aliis. Inſana in funeribus ſuperſtitio, *ibid.* §. His inſanis.

Furnenſe prælium, 1297. XLII.

G

Galeatius Maphæi ſeu Matthæi Vicecomitis filius, ſumpta ex ſeditione occaſione, crudelitatem exercet in æmulos, 1311. II.

Gentilis Cardinalis A. S. L. Carolum Regem Ungariæ ſacra corona redimit, 1308. XXII. Decreto ſuo Carolum Regem confirmat promulgatque jure vero illum niti, *ibid.* XXIII. *& ſeq.* Plures fert conſtitutiones, 1309. XV. Pœnas graves in conſpirantes adverſus Reges Ungaros ſancit, *ibid.* Decernit, retenta vel deperdita ſacra corona, aliam a Romano Pontifice depoſcendam, *ibid.* XVI. Teſtatus eſt literis Bonifacium pie vitam clauſiſſe, 1312. XIII. Demonſtrat coram Philippo, petitis ex jure canonico argumentis, Bonifacium fuiſſe Pontificem, inſontemque ab impoſitis calumniis, *ibid.* XVI. Defigit anathemate Matthæum Palatinum, *ibid.* LII.

Genuenſes ad everſas Syriæ res inſtaurandas pacemque cum Venetis ineundam ſolicitati, 1291. XXIII. uſque ad XXIX. A Siculorum fœdere diſcedere juſſi a Nicolao IV. 1291. LIX. 1292. XIV. XV. Venetos vincunt, 1293. V. Indictæ inter illos & Venetos induciæ a Pontifice, 1295. XXXVIII. Spretis imperiis pontificiis, divinas iras ſentiunt, *ibid.* XXXIX. Diſſenſionibus inteſtinis laborant, *ibid.* Imperatæ iis induciæ cum Venetis, 1296. V. Pacem cum ipſis ineunt, 1299. XXVIII. Et cum Piſanis, *ibid.* Sardiniæ & Corſicæ partem ab iis comparant, *ibid.* Moniti a Friderici Aragonii fœdere diſcedere, 1300. XI. Obtemperant ac fœdus cum Rege Carolo ineunt, 1301. XVI. Et quibus legibus, *ibid.* Iniquæ nonnullæ eorum leges abolitæ, *ibid.* XVII.

Genuenſes matronæ muliebrem ornatum ad claſſem in Saracenos inſtruendam diſtrahunt, &c. *ibid.* XXXIII. XXXIV. Admoniti Genuenſes a Bonifacio de Sardinia & Corſica Jacobo Regi Aragonum reſtituenda, 1303. XXIX.

Genuenſes ſolicitati a Clemente V. ut ſocia arma cum Carolo Valeſiaco adverſus Andronicum Imper. jungant, 1306. III. Juſſi Henricum Cæſarem excipere, illique obſequi, 1310. X. Seſe illi ſubmittunt, excipiuntque ipſum magnifice, 1311. XXIII. Vetitas merces ad infideles ſpe quæſtus ſubmittunt, *ibid.* LXXIV. Intercepti a Rhodiis equitibus in eos Madachiam Saracenum concitant, *ibid.* Jubentur a cœptis abſiſtere, *ibid.* LXXV.

Georgia & Georgiani; eorum patriarcha a Nicolao IV. ad conjunctionem cum eccleſia Romana ſolicitatus, 1289. LIX. Orthodoxæ fidei forma ad eum tranſmiſſa, *ibid.*

Georgiæ Rex junctus Armeniæ & Perſidis Regibus Saracenos expugnat, 1299. XLIII.

S. Georgius mart. ex ejus imagine cruor fluit, 1291. XVIII.

Georgius Bulgarorum Imp. ad conjunctionem Romanæ eccleſiæ a Nicolao IV. invitatus, 1291. XXXVIII.

Georgius Rex Indiæ a ſecta Neſtoriana ad fidem orthodoxam traductus, 1305. XIX. Minores ordines ſuſcipit, *ibid.* Peragenti divina ſacerdoti regiis indutus veſtibus inſervit, *ibid.* Conſtruit eccleſiam ad honorem S. Trinitatis, & Papæ, *ibid.*

Gerardus II. archiep. Moguntinus diem Alberto invaſori regni Rom. juſſu Pontificis indicit, 1301. III. Adactus ad pactiones indignas ab ipſo, 1304. VII. Monitus Albertus, ut illi jura eccleſiaſtica reſtituat, *ibid.*

Gerardus Card baſilicæ XII. Apoſtolorum poſtea epiſc. Sabinenſis a Nicolao IV. una cum Benedicto Cajetano ad tranſalpinos reges legatus miſſus, 1290. XVII. Cauſæ ob quas eæ partes illi injunctæ, *ibid.* XVII. XVIII. Rogatus Francorum Rex, ut meritis illum honoribus afficiat, *ibid.* Decreti ab Alfonſo Aragonio ad ipſum oratores pro tractanda concordia cum Regibus Siciliæ, Francorum, & Balearium, *ibid.* X. Conſtitutio illius in ſacerdotes concubinarios mitigata a Nicolao IV. 1291. LX. Creatur legatus una cum Landulpho Cardinale ad recuperandam Siciliæ inſulam, 1299. IV.

Gerardus minorita creatus epiſcopus ad evangelium apud Tartaros Cataynos diſſeminandum, 1307. XXIX.

Geraſimus intruſus in patriarchatum Conſtantinopolitanum ab Andronico Imp. 1311. LXXIII. Juſſus cedere Iſaiæ, *ibid.*

Gerbæ inſulæ Africæ objacentes a Rogerio Lauria Saracenis ereptæ, 1295. XXXVI. Ei beneficio ſedis Apoſtolicæ poſſidendæ traditæ, *ibid.* XXXVII.

Gibellini ſæviunt Mediolani in Guelfos, 1311. II. Commoti inde in Henr. VII. adverſæ factionis Guelfi, *ibid.* III. Gilbertus Gloverniæ comes S. Thomam epiſcopum Herefordenſem perſecutus ex illius offibus ſanguinem fluere ſtupet, 1287. XVII. Sceleris pœnitentiam agit, *ibid.*

Goleramus Henrici VII. Cæſaris frater in obſidione Brixienſi extinctus, 1311. XXIII.

Gonſalvus Garcias miſſus orator pro ſanciendo Sardici regni jure non admiſſus, 1305. VIII.

Græci exciſa Syria, prodigiis exterriti, quæ imminentem a Saracenis cladem prænuntiarunt, 1291. XVIII. Ingentia a Bonifacio VIII. pro Græcis ad officium cogendis agitata conſilia, 1295. XXIX. Pietatis & morum puritas apud illos exoleſcit, 1303. LVIII. Antibarenſis archiep. ad illos cenſuris temere ſuſceptis ſolvendos auctoritate inſtructus, *ibid.* Decreta in eos ſacra expeditio, duce Carolo Valeſio, 1304. XXVIII. Morte Benedicti XI. diſſipata, *ibid.* XXXI. *Vide*, Andronicus Græcorum Imp.

Græci; expeditionem in illos promovere cogitat Clemens V. 1306. II. III. 1307. VI. Templarii eos claſſe infeſtant, 1306. V. Erepta ipſis Theſſalonica, *ibid.* Miſera Græcæ eccleſiæ ſub ſchiſmatico Imp. ſervitus, 1311. LXXIII. Patriarchæ Conſtantinopolitani temere inſtituti dejectique, *ibid.* Achajam opprimunt, 1312. XLVIII. In eos Philippus Tarentinus princeps expeditionem parat, *ibid.*

Grajacum; data a Nicolao IV. facultas inſtituendæ in ea urbe academiæ, 1291. LXII.

Gratia; an ſit terminus, ultra quem augeri gratia quis non poſſit, 1312. XVII. Probatur non dari ejuſmodi terminum, *ibid.*

Gregorius Armenorum catholicon profitetur ad Romanum Pontificem tantum ſpectare leges de conſanguinitatis gradibus ſolvere, 1298. XX.

Gregorius archiep. Strigonienſis, 1299. XII.

Gregorius patriarcha Armenorum ſpe auxilii ſuſtentatus a Clemente V. 1306. XIII.

Gregorius X. ejus decretum de conclavi tribus conſtitutionibus inſtauratum a Cœleſtino V. reſciſſis Adriani V. & Joannis XXI. contrariis decretis, 1294. XVII. *& ſeqq.*

Grimoaldus Genuenſis Gallicæ claſſis præfectus victor Flandriæ comitem capit, 1304. VIII.

Gualterius Brennenſis comes fuſus in prælio, captuſque, 1300. XIX.

Guelfa; id factionis nomen profeſſi cæſi Mediolani, 1311. II. In Henricum VII. rebellant, *ibid.* III. Arnaldus creatus legatus ad eos Henrico conciliandos, *ibid.* XXI.

Guibertus Corrigianus Parmæ ab Henrico VII. præfectus, 1311. XXIII.

Guido e Monteferetro ad Pontificis obſequium procumbit, 1286. XIX. Ob Piſanæ Reipublicæ in gratiam Gibellinorum adminiſtrationem ſuſceptam, vexatoſque Guelfos cenſuris percuſſus, 1290. XXVII. A S. Cœleſtino veniam criminis poſcit, 1294. XV. Juſſus a Bonifacio VIII. Romaniola excedere, 1296. II. Paret, ſeniumque Deo in Franciſcana familia confecrat, *ibid.* III.

Guido Flandriæ comes a Francorum Rege deficit, 1296. XVII. Prælio deletus a Gallis, 1291. XLII. In auxilium ſuum Regem Angliæ allicit, 1297. XLII. Init inducias, *ibid.* Capitur in maritimo prælio a Grimaldo Genuenſi Gallicæ claſſis duce, 1304. VIII.

Guido Flandrenſis ab Henrico VII. ad Clementem miſſus pro imperiali corona poſcenda, 1309. X.

Guido Turrianus Mediolanenſi tyrannide potitus Vicecomites exagitat, 1310. XVII. Tergiverſatur Henricum VII. venientem pro corona ferrea excipienda in Urbem admittere, *ibid.* Volens nolenſque urbis poteſtatem illi reſtituit, *ibid.* Concitata ſeditione poſt aſperam pugnam pellitur, 1311. II. Incenſum inde bellum, *ibid.* III.

Guido epiſcopus Ferrarienſis; Ferrarienſium nomine pontificium in eam urbem imperium profitetur, 1310. XXIII. Jus urbis poteſtatemque nova pactione in Pontificem transfert, *ibid.* XXV.

Guillelmitæ religioſi aucti beneficiis ab Apoſt. ſede, 1286. XXXVI.

Guillelmus e Bellojoco Templariorum magiſter dux ſtrenuus, 1291. VII. Eo cæſo conſternati Chriſtiani fugam cogitant, *ibid.*

Guillelmus tit. S. Clementis presbyter Card. miſſus ad pacem inter Reges Tranſalpinos firmandam, 1295. XX. Jacobi Regis nomine Aragoniæ & Valentiæ regnorum inveſtituram accipit, 1295. XXIII.

Guillelmus electus Salernitanus creatur legatus in Sicilia a Bonifacio VIII. 1302. II. Tradita illi Friderici conciliandi provincia, *ibid.* VII.

Guillelmus Nicoſienſis archiepiſcopus Philippum Regem Francorum in Pontificem exaſperat, 1303. XXXVII. Pœnæ in eum conſtitutæ, *ibid.*

Guillelmus e Pleſſiano hæreſeos calumniam Bonifacio in conventu Pariſienſi impingit, 1303. XLI.

Guillelmus Nogaretus, ſive Lungaret capit Bonifacium, *ibid.* Illius ſuperba ludibria retuſa a Bonifacio, *ibid.* Anathemate defixus a Benedicto XI. 1304. XII.

Guillelmus Arrufati purpura ſacra ornatus a Clemente V. 1305. XIV.

Guillelmus Villanovanus Minorita creatus epiſcopus ad fidem inter Tartaros amplificandam, 1307. XXIX.

Guillelmus Nogaretus variis fucis patratum in Bonifacium VIII. ſcelus excuſat, 1311. XXIX. Multis eccleſiaſticis pœnis affectus ad ſcelus expiandum, *ibid.* L.

Guillelmus Petri ordinis Prædicatorum creatus presbyter Cardinalis tit. Cæciliæ a Clem. V. 1312. LIV.

Guillelmus e Mandagoto Aquenſis archiep. creatus Card. epiſcopus Prænestinus a Clem. V. *ibid.*

Guillelmus Teſta creatus Card. tit. S. Cyriaci in Thermis, *ibid.*

Gundiſalvus archiepiſcopus Toletanus creatus a Clemente V. in Granatenſi expeditione A. S. L. 1309. XXVI.

Guota ſive Gutta, & Jutta Rodulphi Regis Romanorum filia corona Boemica redimitur, 1297. LII. Ex partus doloribus, ſuſcepto filio, moritur, *ibid.*

H

Habitus ſupernaturales, an infundantur pueris in baptiſmo controverſum in concilio Viennenſi, 1312. XX.

Hæreſes & Hæretici; Imperiales & Pontificiæ in eos leges renovatæ a Nicolao IV. 1288. XXVII. *& ſeq.* Veneti ad ſumptus cenſoribus fidei ſuppeditandos ſe obſtringunt, & qua lege, 1289. LIII. LIV. Urbium magiſtratus eas in publicas legum codices referre juſſi, 1289. LIII. Præſules ad hæreticorum dolos diſſolvendos incitati, 1290. L. Gliſcente hæreſi Lutherana, privilegia Regum Sueciæ conceſſa eccleſiis flammis abolita, 1290. XLVI. Cenſores fidei in Servia adverſus hæreticos inſtituti, 1291. XLIII. Hæreticorum geſta infanda, 1296. XXXIV.

Hæretici vita & bonis proſcripti ab Henrico Imp. ſuſcepto diademate, 1312. XXXVII. §. Auctus.
Hæreſes. Hæretici; Dulcinus hæreſiarcha plures inficit, 1305. XVIII. *Vide*, Dulcinus. Neſtoriani apud Indos, *ibid.* XIX. Begardorum hæreſis damnata in Synodo Colonienſi, 1306. XVIII. Fœdi illius errores, *ibid.* Fidem catholicam ſe defenſurum, & hæreticos perditurum pollicetur novus Romanorum Rex, 1310. III. Arnaldus e Villanova errores diſſeminat, *ibid.* XXXIX. Metu inquiſitorum in Trinacriam fugit, *ibid.* Fluctibus perit, *ibid.* Spurca hæreſis ex Dulcini propagine in omne libidinum genus effuſa, 1311. LXVI. Dicebatur libertatis ſpiritus, *ibid.* Clementis V. ad illam excindendam ſtudium, *ibid. & ſeqq.* De exordio hujus hæreſis, *ibid.* LXXI. 1312. XVII. §. Quod vero. Propagata quo auctore, *ibid.* Aucta a Segarello, *ibid.*
Hæreſis, quod lex evangelica non ſit lex veræ libertatis, 1311. LXXI. Decreta inquiſitio in hæreticos in concilio Viennenſi, 1312. XXI.
Hebraica lingua; linguæ hebraicæ ſcholæ aperiri juſſæ a concilio Viennenſi, 1312. XXI.
Helena Regina Sclavorum catholica, 1288. XXXI. Ad filios Reges ad ſinum eccleſiæ Rom. revocandos excitatur, *ibid.* Solicitatur a Nicolao IV. ut Imperatorem Bulgarorum ad gremium eccleſiæ Romanæ revocet, 1291. XL.
Helias propheta a Saracenis cultus, 1286. XXXVI.
Helias ſubrogatus a Nicolao IV. patriarchæ Hieroſolymitano defuncto, 1288. XLI. Creatus Apoſt. ſedis legatus, *ibid.* Pollicetur ei Pontifex viginti triremes auxiliares in Saracenos, 1289. LXIX.
Henricus Regis Caſtellæ frater cenſuris ſolvitur, expiatis rite criminibus, 1286. XX.
Henricus Wratiſlavienſis dux jura eccleſiaſtica violat, 1286. XXX. Cenſuris percellitur, *ibid.* XXXI. Thomam epiſcopum infectatur, 1287. XIV. Ad illius conſpectum divinitus emollitus, veniam ſupplex poſcit, *ibid.* Veneno extinguitur, 1290. XXXIV. Teſtamento plura eccleſiis confert, *ibid.*
Henricus Cypri Rex Hieroſolymitanum regnum Carolo Regi Siciliæ eripit, 1286. XXXIII. Tyri coronam accipit, *ibid.* Expugnata a Barbaris Trypoli, cum Sultano Melecmeſſor induclas init, 1289. LXVIII. Fratrem Almericum cuſtodiæ Ptolemaidis præficit, *ibid.* In obſeſſæ Ptolemaidis auxilium accurrit, 1291. VIII. Erumpit in Saracenos, ac propulſatur, *ibid.* IX. Irrumpente hoſte fugit ad triremes, *ibid.*
Henricus Cypri Rex Ptolemaidem & reliquas urbes amittit, 1291. XIV. *& ſeqq.* Monetur a Pontifice, ut concordiam cum Templariis colat, 1298. XXI. Sublatum a Bonifacio VIII. vectigal ab eo in ſingula capita Cypriis impoſitum, 1299. XXXVII. Monitus ne ſeveritate nimia in Hoſpitalarios equites utatur, 1299. XXXVIII. Ut ſanctionem apoſtolicam obſervet, 1300. XXXV. Excurſiones in Ægyptum facit, 1301. XXXVI.
Henricus e Juliaco Siffridum archiepiſcopum Colonienſem in acie captum libertati juſſus reſtituere, 1289. XLIII. Intentatæ ob id illi cenſuræ, *ibid.*
Henricus epiſc. Ratiſponenſis pie moritur, 1296. XXXVIII. Feretrum prope cubile multis annis tenuit, *ibid.*
Henricus Rex Cypri publicæ rei adminiſtratione deiicitur, 1306. V. Diſſidia cum fratre Almarico exercet, 1308. XXXVII. Pro componenda controverſia in judicium vocatus; *ibid.* Famaguſtam firmare propugnaculis decernit, *ibid.* XXXVIII. Pellitur in Armeniam, *ibid.* In regnum revocatur, *ibid.*
Henricus dux Carinthiæ eligitur Rex Boemiæ, 1306. XVI. Ab Alberto Rege Romanorum regno depellitur, *ibid* Divina in illum vindicta ob Tridentinam eccleſiam oppreſſam, *ibid.* XVII. Boemiæ regnum extincto Rodulpho recuperat, 1307. XXVI. Pellitur a Joanne Lucemburgenſi, 1310. I.
Henricus dux Glogovienſis a nonnullis Polonis ad regnum vocatus, 1306. XVII.
Henricus archiep. Colonienſis ſynodum Coloniæ adverſus Begardos cogit, 1306. XVIII. Damnat eorum errores, *ibid.*
Henricus Lucemburgenſis creatus Rex Romanorum, 1308. XIX. *& ſeq.* Ut Clementis V. induſtria id faſtigium ſit aſſecutus, *ibid.* XX. Aquiſgrani a Colonienſi archiep. corona redimitus, 1309. IX. Solicitatur a Gibellinis, ut in Italiam accedat, *ibid.* Mittit ad Clementem oratores pro aſſerendo cæſareo jure, poſcendoque imperiali diademate, *ibid.* X. Ejus literæ ad Pontificem, *ibid.* Fidem oratorum opera illi obſtringit, *ibid.* XI. Quibus verbis ea ſacramenti formula concepta fuerit, *ibid.* XII. Confirmatur Cæſar a Clemente, *ibid.* XIII. Conſtituta illi pro diademate excipiendo dies, *ibid.* Pontificiæ ea de re literæ, *ibid.* Juſſi clientes imperii ei obtemperare, *ibid.* Admonitus mutuam gratiam reponere eccleſiæ, *ibid.* XIV. Joannem filium Regem Boemiæ creat, 1310. I. Pellit Henricum Carinthium, *ibid.* Germaniam pacat, *ibid.* II. Meditatur Italicam expeditionem, *ibid.* Pollicetur, fidem catholicam ſe defenſurum, ac perditurum hæreticos, *ibid.* III. Ditionis eccleſiaſticæ jura aſſerit, *ibid.* IV. V. Iterumque confert, *ibid.* VI. Clientes eccleſiæ tuendos ſpondet, *ibid.* VII. Solemni ritu hæc ſacramento confirmat, *ibid.* Ea de re ipſius literæ, *ibid.* III. *& ſeqq.* Sollicitatur a Gibellinis, *ibid.* VIII.
Henricus Lucemburgenſis oratores ad Italos mittit, ingentique ſpe mulcet, 1310. VIII. *& ſeq.* Pontifex illi univerſos clientes imperii conciliare annititur, *ibid.* IX. *& ſeq.* Arnaldum Card. legatum, ut faciles aditus illi muniat, decernit, *ibid.* XV. Præſules favere Henrico jubet, *ibid* Thomas Card. Arnaldo pro comitando Henrico ſuffectus, *ibid.* XVI. Adventu ſuo Italiam turbis miſcet Henricus, *ibid.* De Florentinis oratores Lauſanam non mittentibus queritur, *ibid.*
Henricus Lucemburgenſis Mediolano Lucæ Fliſci Cardinalis opera potitur, *ibid.* XVII. Guido Turrianus ſe illi ſubmittit, *ibid.* Inſubria ferme univerſa ad ipſius procumbit obſequium, *ibid.* Mediolani ferrea corona redimitus, 1311. I. Ob extorſiones Gibellinorumque ſtudia odia ac ſeditionem in ſe concitat, *ibid.* II. Paſſim apud Inſubres in eum coitiones factæ, *ibid.* III. Suos proceres ob averſa nimia acerbitate populorum ſtudia caſtigat, *ibid.* IV. Bellum Cremonenſibus indicit, *ibid.* V. Paduam Clementis Papæ opera ad ſuum revocat obſequium, *ibid.*
Henricus Lucemburgenſis a Venetis ſubſidia ac munera pro coronatione celebranda accipit, *ibid.* A Clemente impetrat quinque Cardinales legatos ad imperiale diadema ſolemni pompa ipſi imponendum, *ibid.* VI. Qui ritus in ea celebritate decreti ſint a Clemente, *ibid.* VI. *& ſeq.* Monitus ſacramenta quibus ante Italicam expeditionem Trevirenſi archiep. & Molano internuntio ſe devinxerat poſt coronationem repetere, *ibid.* XIX. Datus illi comes legatus ad populos in ejus obſequium adducendos, *ibid.* XXI. Brixiam Lucæ Fliſci Cardinalis opera in deditionem accipit, *ibid.* XXIII. Genuæ excipitur, ac Ligures reſtituit imperio, *ibid.* Monitus, ut Genuenſes cum Saracenis ſentientes contra Rhodios reprimat, *ibid.* LXXVI. Obſtringit ſe ad expeditionem Syriacam conficiendam, 1312. XXII.
Henricus Lucemburgenſis magno ſuo malo Roberti Regis affinitatem fœduſque repellit, *ibid.* XXXII. Robertus in eum Guelforum patrocinium ſuſcipit, *ibid.* Quæ urbes paruerint Henrico, & quæ rebellarint, *ibid.* Genua Piſas claſſe applicat, *ibid.* Romam ingreditur, *ibid.* XXXIII. Potitur urbis parte, *ibid.* Oratores ad Robertum ad impetrandum aditum ad S. Petri baſilicam mittit, repulſamque patitur, *ibid.* Romanos proceres exceptos convivio oratione ſibi devincire nititur, *ibid.* XXXIV. Horum aliquos addicit cuſtodiæ, ab aliis obſides exigit, *ibid.*
Henricus Lucemburgenſis plura cum Urſinis confert prælia, *ibid.* Ab iis magna ſtrage populatur, *ibid.* Solicitat Cardinales, ut ab ipſis in baſilica Vaticana inſigni auguſtali exornetur, *ibid.* XXXVI. Reluctantes, commota in ſeditionem plebe, cogere vi parat, *ibid.* Romanis tributa imponit, *ibid.* Iis ad ſeditionem pronis ſibi temperat & a Judæis tantum exigit, *ibid.* Profitentur Cardinales, ſe non ſponte, ſed vi illi imperialia inſignia in Lateranenſi baſilica conferre, *ibid.*
Henricus Lucemburgenſis auguſtalibus ornamentis Laterani redimitur, *ibid.* Literas de correpto auguſtali inſigni ſpargit, *ibid.* XXXVII. Cavet publicis literis juri Romanæ eccleſiæ ob omiſſos ritus Pontifici tantummodo in coronationis celebritate exhibendos, *ibidem.* XXXIX. Aliis literis ante Italiæ ingreſſum promiſſa ac nuncupata ſacramenta confirmat, *ibid.* XL. *Vide*, Imperator. Monetur a Pontifice vi ſacramenti fidei præſtiti, ut pacem cum Roberto Rege componat, *ibidem.* XLIV.
Henricus Lucemburgenſis profitetur palam ſacramentum fidei ſe pontifici non præſtitiſſe, *ibid.* Arguitur perfidiæ ſuis verbis & literis, *ibid. & ſeqq.* Juſſus a Clemente Roma excedere, *ibid.* XLVII. Cinctus anguſtiis copias in Etruriam movet, *ibid.* Ab Aretinis magnifice excipitur, *ibid.* In jus vocat Robertum Regem, *ibid.*
Henricus Imperator ſuſcepto diademate, fidem profitetur, 1312. XXXVII. §. Auctus. Proſcribit hæreticos, *ibid.* Primatum Romani Pontificis agnoſcit, *ibid.* §. Sanctam.
Hermannus. *Vide*, Armannus.
Hieronymus Minoritarum ſummus præfectus. *Vide*, Nicolaus IV.
Hieroſolymitani equites. *Vide*, Hoſpitalarii.
Hieroſolymitanum regnum ab Henrico Rege Cypri ereptum Carolo Regi Siciliæ, 1286. XXXIII. Ab eodem amiſſum, 1291. VIII. *& ſeqq.*
Hiſpaniæ Reges. *Vide*, Alfonſus. Sanctius. Ferdinandus.
Homagium quo ritu præſtetur Pontifici a Rege Siculo, 1309. XXI. §. Notandum.
Homicidium; detecti divinitus homicidæ, 1287. XVIII. 1303. LXIV.
Honorius IV. Rodulphum ad excipiendum imperiale diadema evocat, 1286. I. Feſtum Purificationis Virginis illi præfigit, *ibid.* Joannem epiſcopum Tuſculanum legatum in Germaniam mittit, *ibid.* II. III. IV. Jacobum Aragonium intentatis pœnis gravioribus, Sicuſum ſceptrum attrectare vetat, *ibid.* VI. Præſumptam ab eo unctionem regiam irritam pronuntiat, *ibid.* VIII. Alfonſo ob Aragoniam occupatam judicium intendit, *ibid.* XI.
Honorius IV. privat ſacerdotiis Aragonios clericos illi obſequentes, *ibid.* XII. Ravennatem archiep. ad Anglorum Regis preces in Aragoniam pro liberando vinculis Carolo mittit, *ibid.* XIII. XIV. A Roberto Atrebatenſi Siciliæ bajulo Acerrarum comitem ad pugnam ſingularem adigi vetat, *ibid.* XV. Venetos jubet in legum commentarios referre, legem de non gerendis pro extero principe inconſulta republica armis, de Eccleſiæ & Caroli ſigna ſequentibus non intelligendam, *ibid.* XVI.
Honorius IV. Flaminiam recuperat, 1286. XIX. Guidonem comitem Montisferetri in gratiam admittit, *ibid.* Et Henricum Hiſpanum olim ſenatorem, *ibid.* XX. Gadicenſis epiſcop. ob Cerdas liberatos e patrui Sanctii manibus exulantis, curam gerit, *ibid.* XXI. Blancæ filiæ S. Ludovici religioſam diſciplinam amplectentis conſilium laudat, *ibid.* XXII. Interdictum, quo devincta erat Caſtella, ſolvit, *ibid.* XXIII. Judæos Thalmudicis fabulis deditos coerceat, *ibid.* XXV.
Honorius IV. nonnullos clericos Arabica lingua ad promulgandum in oriente Evangelium erudiendos curat, *ibid.* Regis Francorum, fratrem in Aragonii regni poſſeſſionem inducere meditanti, decimas attribuit, *ibid.* XXVIII. Eccleſiaſticos contra potentiorum injuriam tuetur, *ibid.* XXIX. XXX. Norvvegiæ Regem arguit, decimas e regno extrahi vetuiſſe, *ibid.* XXXIV.
Honorius IV. Petrum patriarcham Conſtantinopolitanum creat, *ibid.* XXXV. Carmelitis præcepit, ut variegatas veſtes deponant, *ibid.* XXXVI. Apoſtolicorum ſectam, ac nonnullas alias damnat, *ibid.* Guillelmitas beneficiis auget, *ibid.* XXXVII. Ladiſlaum Ungariæ Regem ad religionem tuendam ſolicitat, 1287. I. II. Intentat illi minas, *ibid.* III.
Honorius IV. Strigonienſem archiepiſcopum & proceres ad fidei cauſam defendendam inſtigat, *ibid.* Initas interprete Eduardo pacis leges inter Carolum II. & Alfonſum Aragonium reſcindit, *ibid.* IV. *& ſeq.* Permittit Carolo II. ut divina coram ſe peragi curet, interdicta ſacris Aragonia, *ibid.* VII. Moritur, *ibid.* IX. Sedis illius tempus, *ibid.* Sepelitur in baſilica S. Petri, *ibid.* Transfertur ad Aramcœli, *ibid.* Ejus dotes, *ibid.*
Honorum fuga; ut Nicolaus IV. ſummum Pontificatus honorem a ſe excutere ſit conatus, 1288. VII. Cœleſtinus V. Pontifex deſignatus fugam tentat, 1294. X. Magnis precibus fatigatus ac Dei tantum metu pontificatum admittit, *ibid.* Pontificatum abiicere deliberat, *ibid.* XIX. Exultans in ſolitudinem abiit, *ibid.* XXII.
Honuphrius decanus Meldenſis pontificius internuntius Venetos a Ferraria occupanda abſterrere nititur, 1309. VI.
Hoſpitalarii equites agitatum, an in unum ordinem cum Templariis redigendi forent, 1291. XXX.
Hoſpitalariis carnium eſus permiſſus a Bonifacio, 1295. LIV.
Hoſpitalarii equites S. Jo. Jeroſolymitani; ejus ordinis magiſter excitus a Clemente V. pro agitandis Syriacæ expeditionis conſiliis, 1306. XI.
Hoſpitalarii Rhodum invadunt, *ibid.* XII. Miſſi cum exercitu a Clemente pro ferendis Armeniæ & Cyprio ſuppetiis, muniendoque in terram ſanctam expeditioni itinere, 1308. XXXII. *& ſeq.* Transfretant in orientem,

1309. XXXV. Excipiendæ eos ſequentium multitudini claſſis non ſuffecit, *ibid.*
Hoſpitalarii adverſis ventis repulſi in Sicilia hybernant, *ibid.* Rhodum expugnant, 1310. XLIII. Intercipiunt Genuenſes vetitas merces Saracenis, ſpe quæſtus inferentes, 1311. LXXIV. A Madachia Saraceno ob id inſtigantibus Genuenſibus magnis damnis affecti, *ibid.* Templariorum bona addicta Hoſpitalariis, 1312. VI. Excepta ea, quæ in Hiſpaniis erant, *ibid.* Pro recuperandis Templariorum bonis priſtinas opes profundunt, *ibid.* VII. Eorum bona ad calculos redigi juſſa a Clemente Papa, diſcuſſumque quot equites ſuſtentare poſſent, *ibid.* VIII.
Hugolinus comes Piſanorum prætor. *Vide*, Ugolinus.
B. Humilitas pie moritur, 1310. XLVII.
Humilitas; S. Cœleſtinus renuntiatus Pontifex exemplo Chriſti aſellum conſcendit, 1294. X. Siciliæ & Ungariæ Reges inſidenti aſello ſtratorum vice funguntur, *ibid.* Contractus membris illi aſello impoſitus valetudinem recuperat, *ibid.*
Humilitas inſignis S. Cœleſtini cum ceſſit pontificatu, *ibid.* XX. XXI. Commendata inſigni miraculo, *ibid.* XXII. Pontifices in ſtercoraria ſede poſt triumphi pompam conſident, 1295. V. S. Ludovicus epiſcopus Toloſanus pauperibus flexis genibus inſerviebat, 1296. XVI. Item S. Ludovicus Rex Francorum, *ibid.* Ungariæ & Siciliæ Reges coronati Pontifici epulanti inſerviunt, 1301. VIII. Matrem præclaro cultu ornatam fingit non agnoſcere Benedictus XI. 1304 XXXV. Indutam vilibus pannis amplectitur, *ibid. Vide*, Honorum fuga.
Hypocritæ; duorum hypocritarum fraudes, 1312. XVII. §. Secundus. Error alterius, *ibid.* §. Begardi ergo iſti. De alio qui Euchariſtiam non adorabat, *ibid.* XVIII. §. In Urbe. De meretrice ecſtaſes diabolicas patiente, *ibid.* §. Inſignis. De hypocritarum ejus temporis ſpurcitiis, *ibid.* *&* *ſeq.*

I

S. Jacobi equites Luſitani & Algarbiani ad ſupremi magiſtri priſtinum obſequium a Bonifacio revocati, 1295. LIV.
Jacobitarum patriarcha a Nicolao IV. ad conjunctionem cum Rom. eccl. ſolicitatus, 1289. LVI.
Jacobus Balearium Rex pulſus regno ab Alfonſo, 1286. IX. Baleares ad eum in regnum revocandum, extincto Alfonſo, ſolicitati, 1291. LII. Vetiti Jacobi nepotis jugum ſubire, *ibid.* LIII. Tractatu pacis inter Reges inito comprehenſus renuntiatur reſtituendus regno, 1295. XXV. XXVII. Recuperat regnum, 1297. XXV.
Jacobus S. Mariæ in Coſmedin diac. Card. Sabellus. *Vide*, Honorius IV.
Jacobus Petri exregis Aragonum filius ob retentum Siciliæ inſulæ dominatum cenſuris defixus, 1286. VI. Inſignia regia arripit, *ibid.* VIII. Lata ob id in eum ab Honorio IV. ſententia, *ibid.* Sicilia interdicta ſacris, *ibid.* Cephaludenſis & Neucaſtrenſis epiſc. qui regia illum inunctione affecerant, pœnis mulctati, *ibid.* IX. Intentatum illi a Nicolao IV. ob Siciliæ inſulam occupatam judicium, 1288. X. 1290. XXIII. Triremes quinque ſubſidiarias in Syriam mittit, *ibid.* Belvederum fruſtra tentat, *ibid.* XXIV. Cajetam obſidet, obſideturque a Carolo Rege, *ibid.* Pactis induciis obſidionem ſolvit, *ibid.* Renovatæ in eum cenſuræ, bellumque indictum, 1291. LI. Alfonſo fratre extincto in Aragoniam provolat, *ibid.* Baleares vetiti illius jugum ſubire, *ibid.* LII. Data illi imperia, ne ante initam cum eccleſia gratiam ſceptrum Aragonium corripiat, *ibid.* LIII. Francorum Rex, in eum ſigna movere meditatus, ab eo conſilio a Pontifice revocatur, *ibid.* LVI. Fœdus cum Siciliæ & Francorum Regibus init, 1295. XXI. Cedit Siciliæ inſula ad Caroli gratiam, *ibid.* Aragoniæ & Valentiæ regna ei reſtituta, *ibid.* XXIII. Blanca Regis Siciliæ filia ei deſponſa, *ibid.* XXIV. Sardiniæ & Corſica Regna ipſi ex arcano promiſſa, *ibid.* Pontificem & Gallos deludit, *ibid.* De valle Arany cum Francorum Rege controvertit, *ibid.* XXVI. Ad Jacobum patruum Balearico regno reſtituendum ſe obſtringit, *ibid.* XXV. XXVII. Siculis arces reſtituit, *ibid.* XXXI. Suadet tacite, ut Fridericum ſibi præficiant, *ibid.* Ad colloquium a Bonifacio VIII. vocatur, 1296. XI. Romam ad id celebrandum accedit, 1297. I. Sardiniæ & Corſicæ Regna ſedis Apoſtolicæ beneficio accipit, *ibid.* II. *&* *ſeq.* Crucefignati exercitus dux creatur, *ibid.* XVIII. Et eccleſiæ Romanæ ſignifer, *ibid.* XIX. Quibus legibus, *ibid.* Monetur ut conſtituto tempore Jacobum patruum regno Balearico reſtituat, *ibid.* XXV. Id perficit, *ibid.* Decimæ in Siculos ei attributæ, 1299. I. Accepta illius clientela a Bonifacio, *ibid.* II. Juncto cum Carolo exercitu, Fridericum navali prælio vincit, *ibid.* III. Captum dimitti ſinit, *ibid.* Partæ victoriæ fructu nullo collecto abit, *ibid.* Bonifacius de eo queritur, *ibid.* 1300. XVI. XVIII. Rogatus in fratrem Fridericum claſſem ſubmittit, *ibid.* XIX. Sardiniæ & Corſicæ regna comparare bello parat, 1303. XXIX. Raymundus epiſc. Valentinus ob id creatus a Bonifacio legatus, *ibid.* Piſani & Genuenſes ea regna tradere Jacobo moniti, *ibid.* Mutatis ſtudiis Jacobus expeditionem intermittit, *ibid.* Benedicto XI. regnum Sardiniæ & Corſicæ ſolemni ritu oratorum opera acceptum refert, 1304. XVI Attributæ illi ad eas inſulas comparandas decimæ, *ibid.* Filium Petrum poteſtate patria emittit, *ibid.* Controverſiam de regno Caſtellæ cum Rege Luſitaniæ dirimit, faverque potentiori, *ibid.* XVII. Controverſias de limitibus cum Ferdinando Rege Caſtellæ, componit, *ibid.*
Jacobus Columna eccleſiæ hoſtibus adhæret, 1297. XXIX. Cardinalatu pellitur, *ibid.* XXXII. Et ſchiſma conflare molitur, *ibid.* XXXIV. Schiſmatis judicio poſtulatur, *ibid.* XXXV. Illatum ipſi ſacrum bellum, *ibid.* XLI.
Jacobus ſive Sciarra Columnenſis. *Vide*, Sciarra.
Jacobus Card. S. Georgii ad velum aureum ſcriptor, 1292. XVIII. *&* *ſeqq.*
Jacobus Rex Aragonum mittit ad Clementem V. oratorem pro ſa ciendis regni Sardici juribus, 1305. VIII. Repulſam paſſo oratore, præſens apud Montempeſſulanum in pontificis verba juratæ, *ibid* Literas regias de re geſta conſcribit, *ibid.* Ejuſdem tituli, *ibid.* Decumas ſacerdotiorum a Pontifice eblanditur, *ibid.* X. Clientelarem ſponſionem iterum Clementi poſt acceptum inſigne ſacroſanctæ poteſtatis nuncupat, 1306. X. Miſſi ab eo procuratores ea de cauſa, *ibid.* Confirmata illi Sardiniæ & Corſicæ jura, *ibid.* Templarios, qui in arces confugerant, ad deditionem compellit, cogitque pontificium judicium ſubire, 1309 III. Queritur Bonifacium VIII. a Franco Rege judicio hæreſeos poſtulari, *ibid* IV. Comparat ſe ad comparandam Sardiniam, 1300 XXIV. Retardatur muneribus ab ea expeditione, *ibid.* Paciſcitur cum eo Pontifex de Piſis Ilbaque Piſanis aſſentientibus jure fiduciario tradendis, *ib.*
Jacobus Rex Aragonum adverſus Granatenſes vertit impetus, 1309. XXIV. Decumas triennales in illius belli ſumptus obtinet, *ibid.* XXV. Septam præfecti opera expugnat, *ibid.* XXVII. Almeriam obſidet, *ibid.* Obſidionem ſolvere cogitur, *ibid.* XXXII. Ad Sardiniam bello comparandam biennales decumas a Clemente Papa obtinet, *ibid.* XXXVI.
Jacobus Columnenſis Cardinalium cœtui a Clemente V. reſtitutus, 1305. XIV.
Jacobus Arnaldi de Oſſa Caturcenſis epiſcop. Avinionenſis ad Philippum Regem a Clemente miſſus, 1310. XXXIII. Data illi imperia excipiendi dicta teſtium, qui Bonifacium VIII. hæreſis accuſarent, *ibid.* XXXVIII. Creatus Cardinalis epiſcopus Portuenſis a Clemente V. 1312. LIV.
Jacobus Aragonius pacem init cum Carolo II. 1294. §. Certiores. Obſtrictus ad Siciliam & Melitam inſulas ad Caroli II. obſequium revocandas, *ibid.* Imperata illi lex pacis beneficio fruiturum, ſi pactis ſtaret, *ibid.* §. Hæc tamen. Decretum illius de Balearicis inſulis conjunctis Cataloniæ reſciſſum, 1295. XXVIII. §. Obligationes.
Jacobus abbas ordinis Ciſtercienſis commentarium ſcribit pro exemptionibus in concilio Viennenſi, 1312. XXIV. §. Quia.
Jadera a Venetis deficit ad Ungaros, 1311. LXXIII. Datum Regi Ungaro de jure controverſo a Petro Gradenico reſponſum, *ibid.*
Jejunium damnatum a Begardis, 1312. XVII. §. Secundus error.
Jenuenſes. *Vide*, Genuenſes.
Idololatria ſe contaminant Templarii, 1308. II.
Idololatræ Tartari; eorum ſuperſtitiones, 1307. XXIX.
S. Ildefonſus; ejus dies ſacra in Concilio Pennafielis inſtituta, 1302. XXIV.
Imagines ſacræ a Saracenis impie raptatæ, 1289. LXV. Deiparæ imago flet, 1291. XVIII. Fluit ex imagine S. Georgii cruor, *ibid.* *Vide*, Crux.
Imagines ſanctorum; violator imaginis Wenceſlai pie functi cœcitate percuſſus, 1305. XV. Joannes e Montecorvino eccleſiæ Cambalienſis conditor ob ſacras imagines neophytis in templo propoſitas commendatur, 1307. XXX.
Immunitas eccleſiaſtica in Luſitania valde labefactata, 1288. XVI. Quid ad eam reſtituendam Nicolai IV. ſtudio actum ſit, *ibid.* XVI. *&* *ſeq.* Eccleſiarum jura, *ibid.* Ab Eduardo Rege in Anglia occupari queritur Nicolaus, 1290. XXXIII. *&* *ſeq.* Nuncium ideo illuc mittit, *ibid.* XXXV. Sanctus epiſcopus jus eccleſ. magno ardore adverſus Sueciæ Regem tuetur, *ibid.* XLVI. Eccleſiaſtici a principibus ob nimias exactiones oppreſſi, 1296. XXII. XXIII. Veneti a Pontifice nulla præſtare principibus ſubſidia ſine Apoſtolicæ ſedis facultate, *ibid.*
Impeccabilitas ficta a Begardis, 1312. XVII. Inſana erroris probatio, *ibid.* Confutatur ea conficta impeccabilitas, *ibid.*
Imperator; præcipuus Imperatoris munus eccleſiam tueri, 1303. X.
Imperator; ritus in ſacrando Aquiſgrani Romanorum Rege, 1309. IX. *Vide*, Romanorum Rex.
Imperatrix. *Vide*, Romanorum Regina.
Imperium ab Apoſtolica ſede tranſlatum a Græcis ad Germanos profitetur Albertus Aug. 1302. X.
Imperium; Imperator; confirmata a Clemente V. Henrici Imperatoris electio, 1309. XI. *&* *ſeq.* Publicæ de eo ritu perfecto literæ, *ibid.* Coronatio dilata, *ibid.* Perſpectis Henrici virtutibus, Pontifex eum Regem Romanorum pronuntiat, *ibid.* Jubet Imperii clientes ipſi obtemperare, *ibid.* XIII. Sacramentum a Cæſare de tuenda eccleſia exigi jubet, 1310. II. Pollicetur Henricus fidem catholicam ſe defenſurum, *ibid.* III. Hæreticos perditurum, *ibid.* Cum hoſtibus eccleſiæ fœdera non initurum, *ibid.* Romanos Pontifices tutaturum, *ibid.* IV. Illorum jura ſervaturum, *ibid.* Conceſſa a ſuperioribus Imperatoribus confirmat, *ibid.* Spondet eccleſiaſticam ditionem non invaſum iri, *ibid.* V. Præcipuas illius urbes ac provincias deſignat, *ibidem.* Agnoſcit ad Imperatoribus donatas, iterumque donat, *ibidem*, VI. Ad patrocinium eccleſiæ contra hoſtes ſuſcipiendum ſe obligat, *ibid.* Clientes eccleſiæ clementer habendos, *ibid.* VII. Accepto inſigni imperiali nuncupatum ſacramentum revocare permittit, *ibid.* Romanorum Rex a principibus electus confirmatur a ſede Apoſtolica, *ibid.* XI. Henricus Rex Romanorum Mediolani ferream coronam accepit, 1311. I. Diſceptatum, an Mœdeciæ, an Mediolani ritus celebrandus, *ibid.* Quinque Cardinales ad conferendum Henrico inſigne imperiale a Clemente V. decreti, *ibid.* VI. Oſtienſis & Sabinenſis epiſcopi de corona imponenda certant, *ibid.* Ritus coronandi Imperatoris deſcriptus a Clemente Papa, *ibid.* VII. Ut compartita inter Cardinales coronandi Cæſaris munera abſente Pontifice, *ibid.* IX. 1312. XXXVI. *&* *ſeq.* Qua forma veniens ad portam Collinam Romanorum Rex excipiendus, 1311. X. Ut deducendus ad baſilicam S. Petri, *ibid.* Qua eum pompa Romanus Pontifex expectet in porticu, *ibid.* Ut Rex Pontificis pedes ſit oſculaturus, *ibid.* XI. Profecturus cum ipſo ad S. Mariam in turribus, *ibid* Devincturus ſe ſacramento ad tuendam eccleſiam, *ibid.* Sacramentum aliud in coronatione imperiali renovandum, *ibid.* Rex a canonicis S. Petri in ſodalem aſcitus imperialibus inſignibus ornatur, *ibid.* XII. Preces pro Rege Romanorum fundendæ, *ibid.* Ritus, cum in eccleſiam S. Petri ingreditur, ſervandi, *ibid.* Brachio dextro & ſcapulis inungitur, *ibid.* Ut diaconus admittitur ad oſculum, *ibid.* XII. Preces habendæ a Pontifice inter conferenda inſignia imperialia, *ibid.* Feſtæ acclamationes, *ibid.* Calicem & ampullam more ſubdiaconi offert, *ibid.* XIII. Pontifici in equum aſſilienti ſtratoris munus exhibet, *ibid.* De muneribus erogandis ab Imp. *ibid.* Ejus ſacramentum de Romanorum bonis conſuetudinibus tuendis, *ibid.* Ut Cæſar ob Pontificis abſentiam ſe geſturus ſit, *ibid.* XIV. Quo ritu aurum ſit oblaturus in gradibus baſilicæ, *ibid.* Cardinalibus ſua officia in conſecrando Imperatore diſpertita, *ibid.* XV. Sabinenſi epiſcopo ob legationis dignitatem datum ut coronam imponat, *ibid.* XVI. Soli Pontifici exhiberi ſolita omitti jubentur, *ibid.* XVII. Ut fuerint omiſſa, 1312. XXXVIII. Exigit ab Henrico Clemens, ut promulget, nil damni ex iis prætermiſſis Romano Pontifici obventurum, 1311. XVIII. 1312. XXXVIII. Id declaratum poſtea publicis literis ab Henrico Imp. 1312. XXXIX. Præſtita olim ab oratoribus ſacramenta renovat, *ibid.* XL. Cardinalium iis de rebus literæ ad Pontificem datæ, *ibid.* XLII. XLIII.
Imperatrix quo ritu coronanda, 1311. XIII.
India; in ea propagatum evangelium a Joanne e Montecorvino, 1305. XIX.
Indulgentiæ porrecturis Deo pro Rege Galliarum preces datæ, 1288. XIX. Item pro Carolo II. Siciliæ Rege, 1289. XV.

Indulgentiæ ſtationum urbis confirmatæ a Bonifacio, 1297. LXX. *Vide*, Jubilæum.
Indulgentiæ propoſitæ pugnaturis in fidei hoſtes. *Vide*, in Pontificum nominibus & Cruceata.
Infernus; ſtulta cujuſdam Begardi de inferno & paradiſo ſententia, 1312. XVII. §. Quod vero.
Infideles; cum iis fœdera ſancire vetat Clemens V. 1311. LXXV.
Ingeburges Daniæ Regina, 1299. X.
Interdictum eccleſiaſticum; veritum, nullum locum pecuniarum cauſa interdicto eccleſiaſtico percelli poſſe, 1302. XXVIII.
Interdictum eccleſiaſticum; conſtitutio de eo religioſiſſime ſervando, 1310. XLV. Religioſi templa juſſi claudere, principe loci eccleſia interdictum ſervante, *ibid.*
Inveſtitura Siciliæ tradita Carolo II. a Nicolao IV. 1289. II. *& ſeqq.* Jacobo Regi Aragonum a Bonifacio VIII. 1295. XXIII. Gerbarum & Cherchinarum Africæ objacentium Rogerio Lauriæ, *ibid.* XXXVII. Sardiniæ & Corſicæ regna memorato Jacobo, 1297. II. Quibus legibus, *ibid. & ſeq.* Trinacriæ Friderico, & quibus legibus, 1303. LI. *& ſeq.*
B. Joachimus ordinis Servorum pie moritur, 1305. XXI.
Joanna Regina Navarræ moriens ſceptrum filio Ludovico natu maximo tranſmittit, 1307. XIV.
S. Joannis Baptiſtæ æquites. *Vide*, Hoſpitalarii.
Joannes Prochyta; Pontifex ſuam adhibet auctoritatem, ut bonis reſtituatur, 1298. XXIII. Pacem inter Fridericum & Pontificem tractat, 1295. XXXII. Eam dein turbat, *ibid.* XXXVI. Reginam Conſtantiam ad ineundum cum Pontifice colloquium comitatur, 1297. I.
Joannes epiſcopus Card. Tuſculanus legatus in Germaniam miſſus, 1286. II. III. IV.
Joannes Baliolus poſt Alexandri Regis mortem ad Scoticum ſceptrum aſpirat, 1286. XXIV. Adjudicatum ei ab Eduardo Rege Angliæ, controverſiæ arbitro, Scotiæ ſceptrum, 1290. XXXVII. Ab illo deficit infeſtatque Angliam, 1296. XVII. Capitur ac regnum in Eduardum transfundere cogitur, *ibid.* Laxatur e vinculis ad preces Bonifacii VIII. 1299. XXI.
Joannes Bonachias ob fidei ſtudium propagandæ inter Tartaros commendatus, 1288. XXXIV.
Joannes Brabantiæ dux pro Limburgenſi comitatu bellum gerit, 1289. XLIII. Siffridum archiep. Colonienſem in acie capit, *ibid.* Intentatæ illi cenſuræ, ni reſtituat libertati, *ibid.* 1290. XXVIII.
Joannes Dandulus Venetorum dux paciſcitur cum Rom. eccleſia de ſuppeditandis cenſoribus fidei ſumptibus neceſſariis ea lege, ut mulctæ hæreticorum fiſco addicantur, 1289. LIV. Editæ ea de re publicæ tabulæ, *ibid.* LV.
Joannes e Monte Corvino miſſus a Nicolao IV. ad Argonem Tartarorum in Perſide Regem, 1289. LX.
Joannes Grelli Gallicarum copiarum in Syria dux, 1289. LXIX. 1290. VII.
Joannes Magnus; ſcribendæ Gothicæ hiſtoriæ provincia ei ab Adriano VI. data, 1290. XLVI.
Joannes Æſinus Epiſc. in Ungariam legatus, 1291. XLV. *& ſeqq.*
Joannes ducis Brabantiæ filius, 1291. LXII. Permiſſus illi altaris portatilis uſus, *ibid.*
Joannes Sozopolita patriarcha Conſtantinopolitanus ſchiſmaticus, exauctorato Athanaſio ſuffectus, 1294. XXVII.
Joannes archiepiſcopus Lundenſis a Daniæ Rege conjectus in vincula, 1295. L. Dania ob id cenſuris percuſſa, *ibid.* Daniæ Regem cenſuris exolvere juſſus, 1303. LVII.
Joannes ſummus Minoritarum præfectus creatus Cardinalis a Bonifacio VIII. 1298. XXIII.
Joannes Villanus anno jubilæi Romam veniens, ſcribendæ hiſtoriæ Florentinæ conſilium ſuſcipit, 1299. VI.
Joannes e Ceccano ob Columnenſium ſuſceptas partes gravibus pœnis a Bonifacio VIII. percuſſus, 1299. VIII.
Joannes Caſtri ferrei comes, 1299. XIII.
Joannes archiepiſcopus Piſanus, 1299. XXIX.
Joannes Britanniæ dux expeditionem in Syriam apparat, 1300. XXXIII. Conſtituta illi ad trajectionem dies, & decimæ attributæ, *ibid.*
Joannes tit. SS. Marcellini & Petri presbyt. Card. in Gallias ad componendam motam inter Pontificem & Regem controverſiam miſſus, 1302. XV. Data illi Regis cenſuris exolvendi auctoritas, *ibid.* Nonnullos abuſus tollit in Gallliis, 1303. XXXIII. Philippo Regi, & Bonifacio VIII. conciliandis dat operam, *ibid.* XXXIV.
Joannes e Poliaco contendit ſacras exhomologeſes editas apud monachos repetendas apud parochos, 1304. XXI. Sententiam revocat, *ibid.*
Joannes dux Britanniæ dum adſtat equitanti Pontifici ruina, muri obtritus, 1305. XIII.
Joannes e Monte Corvino Minorita in India fidem prædicat, 1305. XIX. Migrat ad Tartaros Cataynos, *ibidem*. Ipſos ad Chriſti fidem allicit, *ibidem*. Georgium Regem Indiæ a ſecta Neſtorianorum ad fidem orthodoxam traducit, *ibidem*. Socios ad evangelium diſſeminandum vocat, *ibid.* Creatur archiepiſc. Cambalienſis a Clemente V. 1307. XXIX. XXX. Miſſi plures ſuffragnei epiſcopi ad illum in opere evangelico adjuvandum, *ibid.* XXIX.
Joannes Minorita moderator Armeniæ auxiliorum contra Saracenos ſpe a Clemente V. ſuſtentatur, 1306. XIII.
Joannes Cumeinus Robertum Bruſium apud Anglorum Regem affectati regni Scotiæ crimine accuſat, 1306. XV. A Roberto confoditur, *ibid.*
Joannes epiſc. Pragenſis extincto Rodulfo Auſtriaco, contendit regnum ad Annam Wenceſlai ſororem jure ſpectare, 1307. XXVI. Ejus virum Henricum Carinthium in ſolium evehit, *ibid.* Joanni Regi Boemiæ regia inunctione liniendo ſuffragatur, 1310. I.
Joannes nepos Alberti Regis Romanorum; illum od Auſtriæ partem ſibi præreptam obtruncat, 1308. XIX.
Joannes Superantius Veneti exercitus dux Ferrariam eripit eccleſiæ, 1309. VI. Anathemate percellitur a Clemente V. *ibid.* Marino Georgio in ducatu ſuccedit, 1310. XXXII. Franciſcum Dandalum ad Pontificem liberationem a cenſuris petiturum, mittit, *ibid.*
Joannes Delphinus Viennenſis miſſus orator ab Henrico VII. pro imperiali diademate efflagitando, 1309. X.
Joannes comes e Saraponte miſſus ab Henrico VII. ad Clementem V. orator, 1309. X.
Joannes Rex Boemiæ Henrici VII. Imp. filius creatus a patre Rex Boemiæ, 1310. I. Eliſabetham Wenceſlai ſororem ducit, *ibid.* A Petro Moguntino archiep. corona redimitus, *ibid.*
Joannes e Molans Apoſtolicæ ſedis internuntius Henricum VII. pontificio nomine Apoſtolicæ ſedi ſacramento fidei obſtringit, 1310. III.

Joannes Murrenſis Cardinalis coram Philippo Francorum Rege demonſtrat petitis ex theologia argumentis, Bonifacium VIII. fuiſſe Pontificem, inſontemque, 1312. XII.
Joannes Gravinæ princeps Roberti Regis frater Romam ſubmiſſus ad intercludendos Cæſari aditus, 1312. XXXII. Fruſtra pontem Milvium occupare nititur, *ibidem*, XXXIII. Henrici VII. copias cædit, adituque ad baſilicam S. Petri arcet, *ib.* XXXIV.
Joannes Sabellus poſt convivium addictus ab Henrico VII. cuſtodiæ, 1312. XXXIV. Ex ea lapſus Cæſareum exercitum infeſtat, *ibid.* XLVII.
Joannes XXII. prius dictus Jacobus Arnaldi de Oſſa Caturcenſis, epiſcopus Avinionenſis, creatur Cardinalis epiſcopus Portuenſis a Clemente V. 1312. LIV. *Vide*, Jacobus Arnaldi de Oſſa Caturcenſis, epiſcopus Avenionenſis.
Jolas Piſanus promovendæ fidei inter Tartaros egregiam dat operam, 1289. LXIV. Commendatur a Nicolao IV. *ibid.*
Jousbertus Caſtellinovi vicecomes ſeptam expugnat, 1309. XXVII.
Ira; vindictæ cupido religioni non parcit, ut iras ſatiet, 1311. LXXIV.
Ira divina. *Vide*, Juſtitia divina.
Iſabella Philippi Regis Francorum filia Eduardo juniori ſanciendæ pacis ſtudio nubit, 1298. IX. Enata inde atrociora bella, *ibid.*
Iſabella filia Philippi IV. Regis Francorum Eduardo juniori pro firmanda concordia Gallos inter & Anglos nubit, 1307. IX.
Iſaias ad patriarchatum Conſtantinopolitanum pulſo Geraſimo, intruſus ab Andronico Imp. 1311. LXXIII.
Iſarnus nuntius in Daniam miſſus ad ſolvendum interdictum, 1295. L.
Iſnardus Thebanus archiep. ad Lateranenſem baſilicam priſtino reſtituendam ſplendori tranſmiſſus a Clemente V. 1308. X. Data illi ab eodem Pontifice poteſtas excipiendi dicta teſtium, qui adverſus Bonifacium VIII. teſtimonium attulerint, 1310. XXXVII. Tranſfertur ad ſedem Antiochenam, tradita illi Papienſis eccleſiæ adminiſtratione, 1311. LXXVI.
Jubilæum recurrente quoquo ſæculo inſtitutum a Bonifacio VIII. 1300. I. IV. Illius hiſtoria a Jocobo diacono Card. S. Georgii ad velum aureum deſcripta, *ibid.* I. *& ſeqq.* Vetus celebrandi centenarii mos, *ibid.* I. Viſi qui utroque ineunte ſæculo baſilicas luſtrarant, *ibid.* III. Variæ de indulgentiis, quæ comparabantur, ſententiæ, *ibid.* Pontificis & Cardinalium deliberatio de jubilæo inſtituendo, *ibid.* Diploma de jubilæo pontificium, *ibid.* IV. Qua pietate Romani ſacras ædes luſtrarint, *ibid.* V. Incredibilis peregrinorum multitudo Romam ad id conſequendum confluit, *ibid.* VI. Senex qui jubilæo ab Innocentio III. celebrato interfuerat, Romam deductus, *ibidem*, VI. Plura mirata geſta, *ibid.* VII. Oblationes ingentes altaribus SS. Petri & Pauli impoſitæ, *ibid.* VIII.
Jubilæi annus non porrigitur ab incarnati Verbi diem, ſed ad natalitia Chriſti, *ibid.* Qui jubilæi beneficio privati fuerint, *ibid.* X.
Judæi; nonnulla Judæorum in Chriſtianos atrocia facinora, 1286. XXV. In Anglia multa patrant flagitia, *ibid.*
Judæi Thalmudicis fabulis magis, quam prophetarum oraculis credendum affirmant, *ibid.*
Judæi fideles pervertere nituntur, ſimplices ad ſabbati obſervationem pelliciunt, *ibid.* XXVI.
Judæi ſervos & ſervas Chriſtianas ſibi comparant, *ibid.* Secuta inde mala, *ibid.* Chriſtianis inter ſuas orationes infauſte precantur, *ibid.* His malis mederi jubet Pontifex, *ibid.* XXVII.
Judæi in Germania religionis odio pueros Chriſtianos martyrio clam afficiunt, 1287. XVIII. In ultionem cæſi, *ibid.* Publicis muneribus eiiciendi, 1289. XXIX. Signo diſtinguendi, *ibid.*
Judæi ſua ſuperſtitione fideles inficiunt, 1290. XLIX. Statutæ in confugientes ad ſynagogam Judæorum pœnæ, *ibid.* Perfoſſa cultro a Judæo ſacra hoſtia ſanguine manat, 1290. LIV.
Judæi inſigni miraculo ad fidem provocati, 1295. LVII. Conſpectum in eorum veſtibus ſignum crucis, *ibid.* Multi ad Chriſti cultum adducti, *ibid.*
Judæus Euchariſtiam furatur, 1209. XLVII. Illius ædibus cœleſtes faces imminere viſæ, *ibid.* E tuſa ab iis Euchariſtia ſanguis efluit, *ibid.* Judæi necati, *ibid.* Virgo Judæa baptiſmum poſtulans, illæſa e turri cadit, *ibid.*
Judæi Conradum puerum necant Chriſti odio, 1303. LXIV. Divinitus detecti, affectique ſupplicio, *ibid.*
Judæi Chriſtianum omnibus ſuppliciis, quibus Chriſtus affectus eſt, Pragæ excarnificant, 1305. XV.
Judæi exuti omnibus bonis pulſique e Galliis 1306. XVIII. Invadit eorum opes Philippus Rex, *ibid.*
Juriſdictio; ejus diviſio, 1312. XXIV. §. Prima quæſtio. A juriſdictione papali nemo poteſt eximi, *ibid.* Juriſdictionem epiſcoporum Papa ampliare & reſtringere poteſt, *ibid.* §. Si autem. Eam ipſis communicat, *ibid.* Quis finis ſit juriſdictionis, *ibid.* §. Ad evidentiam. Ut ſe habeat ad bonum reipublicæ, *ibid.* Juriſdictio epiſcopalis in religioſos ſuperſtua vel noxia oſtenditur, *ibid.* §. Dico quod.
Juriſdictio Papalis diſtinguitur ab ordine, 1297. XXXIV. §. Hæc Culumnenſium. *Vide*, Pontifex Romanus.
Juſtitia divina in Leskonem Maſoviæ ducem, qui turpiſſime religioni illuſerat, 1287. XI. In Tartaros, *ib.* XII. In Ladiſlaum Ungariæ Regem, 1290. XLI. In everſionem Acconis invehunt ſcelera, 1291. VI. *& ſeq.* Divina in Saracenos ob deletum Chriſtianum in Syria nomen ultio, 1292. V. In Genuenſes ob ſpreta pontificia monita, 1295. XXX. In ſacrilegum ob læſam Deiparæ imaginem, 1302. XVIII. In Robertum comitem, qui bullas Pontificis exuſſerat, *ibid.* XVI. In Judæos patratæ in Conradum puerum cædis auctores, 1303. LXIV. *Vide*, Judæi. In Florentinos ob ejectum legatum Apoſt. ſedis, 1304. III. IV.
Juſtitia divina; divinæ vindictæ exemplum cernitur in ſacrarum imaginum violatore, 1305. XV. In eccleſiarum prædatoribus, *ibid.* XVI. *Vide*, Eccleſiæ perſecutores. Albertus Rex Romanorum, qui Adolphum Regem necarat, trucidatus, 1308. XIX. Homicida, qui B. Nicolaum eremitam occidit, loco divinitus aufugere non potuit, 1310. XLVIII. Ultionis divinæ exemplum in barbaros Euchariſtiæ contemptores, 1311. LXXII. Græci exauctorati imperio, qui ſacerdotium redegerant in ſervitutem, *ibid.* LXXIII. Ferdinandus Rex Caſtellæ in jus vocatus ad divinum tribunal ab iis, quos temere ſupplicio affici juſſit, dicta die moritur, 1312. LIII.

K

K Inga. *Vide*, Chunegundes.

L

L Acrymæ, *Vide*, Flere.

Ladislaus Ungariæ Rex monetur ab Honorio IV. ut fidem defendendam suscipiat, 1287. I. Objectæ illi minæ, *ibid.* III. Sacrum in eum bellum a Nicolao IV. ob labefactatam religionem geri jussum, 1288. XXIV. XXV. Infidelium moribus imbutus, religionem pessumdat, 1290. XXXVIII. Fratrem Andream regno profugum necandum curat, *ibidem*, XXXIX. Divina ultione obruitur, *ibid.* XLI. Data legato provincia inquirendi an in schismate, vel hæresi, aut fide orthodoxa obiisset, *ibid.* XLII. 1291. XLVI. Andreas Venetus vi illi succedit: jure vero Carolus Martellus, 1290. XLIII.

Ladislaus Wayvoda Transilvaniæ Othonem generum Ungarica corona redimitum excipit, traditque vinculis, 1307. XXI. Coronam sacram intercipit, negatque reddere Carolo Regi, 1309. XVI. Decernitur a legato Cardinale eam futuram profanam, quandiu a Ladislao tenta fuerit, *ibid.*

Landulfus S. Angeli diaconus Cardinalis in Siciliam legatus mittitur, 1295. XVIII. Administratio regni, Carolo II. absente, illi commissa, *ibid.* Id postea munus ad ejus preces in Reginam Mariam collatum, *ibid.* XIX. Creatus in Sicilia legatus, 1299. IV.

Landulphus patriarcha Hierosolymitanus creatus a Bonifacio, VIII. 1295. XLVIII.

Landulphus Card. S. Angeli ad Philippum Regem missus pro componenda Lugdunensi controversia, 1310. XXXIV.

Lateranensis ecclesia indulgentiis decorata a Nicolao IV. 1289. LXXIII. 1291. LXIII. Qua pompa Pontifices ineant illius possessionem, 1295. V. Sæculares canonici, pulsis regularibus, in eam inducti a Bonifacio VIII. 1299. XXXII. Ut, a Constantino condita, sacrata a Silvestro fuerit, *ibid.*

Lateranensis basilica consumpta incendio, 1308. X. In illo sanctorum reliquiæ & altare ligneum, in quo S. Petrus divina peregit, divinitus servantur, *ibid.* Eandem basilicam refici jubet Clemens V. *ibid.* X. XI. Effusa populi Romani in eo casu comploratio, *ibid.* XI. Iratum Numen piis operibus placant, *ibid.* Illius in basilica Lateranensi instauranda fervor, *ibid.* Peractæ solemnes supplicationes, *ibid.*

Latina lingua; ejus usus in re forensi abrogatur apud Hispanos, 1286. XXI.

Latinus episc. Card. Ostiensis; ejus ad Cardinales de subrogando Nicolao IV. Pontifice oratio, 1292. XIX. Narrat ipsis cœlesti viso intentari divinas iras, ni Pontificem renuntient, 1294. IV. Auctor est ut S. Cœlestinus eligatur, *ibid.* V. Moritur, *ibid.* XII. Illius elogium, *ibid.*

Latrones magicis artibus aeri offundunt tenebras apud Tartaros ad exercenda latrocinia, 1307. XXIX. §. His.

Lauretana domus ut e Syria in Dalmatiam translata, 1291. LXVIII. E Dalmatia in Recinetensem agrum divinitus delata, 1294. XXIV. Unde Lauretanæ nomen traxerit, *ibid.* Concursus populorum, & pius ardor ad Lauretanam ædem, 1295. LVIII. Viæ, latronum opera, infestæ, *ibid.* Sacra ædicula divinitus locum mutat, *ibid.* Iterum mutatæ illius sedes, *ibid.* LIX. Divina providentia ad conciliandam singulari miraculo fidem, *ibid.* Missi ad Nazaretanæ ædis veritatem indagandam exploratores, 1296. XXXV. Illorum in Dalmatiam appulsus, *ibid.* Quæ fuerint ab ipsis comperta, *ibid.* Profecti in Syriam quæ visa retulerint, *ibid. Vide*, Nazaretana ædes.

Leo Rex Armeniæ a Saracenis oppressus, 1306. XIII. Auxilia ipsi pollicetur Clemens V. *ibid.* Moriens regnum fratri Osinio relinquit, 1311. LXXVII.

Leonardus creatus patriarcha Constantinopolitanus, 1302. XXVII.

Leonardus episc. Albanensis decretus a Clemente V. cum aliis Cardinalibus ad coronandum Henricum VII. 1311. VI. *& seqq.*

Lesko niger Cracoviæ & Sandomiriæ dux dum sacram expeditionem in barbaros fingit, arma in Conradum Masoviæ ducem vertit, 1287. XI. Divina in illum vindicta, *ibid.* Ejus mors, *ibid.* 1289. XLVIII. Henricus dux Wratislaviensis a plebe ad successionem vocatus, *ibid.*

Leteratayn Soldani Babylonis exercitus dux, 1287. VIII.

Liberatus Fraticellorum sectæ magnus auctor, 1294. XXVI. Angelucius a suis vocatus, *ibid.* Illius impostura, *ibid.*

Liberalitas; Carolus II. Ecclesiæ Reatinæ inqua corona redimitus certam auri vim tribuit, 1289. XII. *Vide*, Romana ecclesia.

Liberalitas Clementis V. in Carolum Regem Francorum alieno ære onustum insignis, 1307. XXIV.

Libertas; spiritus libertatem vocant impii spurcissimam hæresim, 1311. LXVI. 1312. XVII. §. Quod vero. Vetanæ illius libertatis execratio, 1311. LXVIII. *& seq.* Quæ vera sit libertas, quæ falsa, demonstratur a Clemente V. contra hæreticos, *ibid.* Libertatis impiorum auctor dæmon, *ibid.* LXIX.

Libertas evangelica non in effrænata carnis licentia, sed in integritate constat, 1311. LXVIII. Ostenditur fideles liberos esse, *ibid.* LXXI. Quæ vera libertas iterum ostenditur, 1312. XVII. §. Isti sunt.

Libertas ecclesiastica; plura Alfonsi III. restituendæ capita inter Lusitaniæ Regem & clerum conventa, 1288. XVI. usque ad XXXII. Defensa magno ardore a Brynulpho episcopo Scarensi, 1290. XLVI. Magnus Sueciæ Rex provolutus in genua veniam ab eo poscit, *ibid.* Aucta ab eodem Rege Magno, *ibid.* Ut Regum Sueciæ privilegia concessa clero glisscente hæresi Lutherana, flammis fuerint abolita, *ibid.* Massilienses ob graves in ecclesiasticos latas leges correpti a Bonifacio VIII. 1295. LIV. Tyroli & Charinthiæ comes ob ecclesiæ Tridentinæ invasa jura censuris percussus, *ibid.* Lucanus episc. ob spreta ecclesiæ suæ jura judicio postulatus, *ibid.* Pisani ob violatum jus ecclesiasticum sacrorum usu privati, *ibid.* Lata a Bonifacio constitutio ad reprimendas laicorum a clero extorsiones, 1296. XXIII. Variæ illius declarationes, 1297. XLIX. L. Biterrenses ob immunitatem ordinis ecclesiastici violatam judicio hæreseos postulati, 1297. LVI.

Libido; spurca hæresis in omne libidinum genus effusa, 1311. LXVI. 1312. XVIII. §. Septimus error. Libertatis spiritus vocata, 1311. LXVI. *& seq.* Begardorum argumenta pro laxando libidini fræno, 1312. XVII. §. Quod vero.

Lithuani excurrunt in Prussiam, 1311. LXXII. Sacrilege tractant Eucharistiam, *ibid.* Cæsa extrema internecione, *ibid.*

Livo Aytoni Regis Armeniæ filius; de ejus morte, 1289. LVII.

Loquela; Crucifixi imago B. Margaritam Cortonen. alloquuta, 1297. LXIX.

Lucani; sacrorum usus, quo ob læsum jus ecclesiasticum privati fuerant illis restitutus, 1296. IV.

Lucas e Flisco S. Mariæ novæ Cardinalis ad sociandum Henricum Cæsarem pro pacanda Italia legatus, 1310. XVII. Mediolanenses ad ejusdem Henrici obsequium adducit, *ibid.* Pro conferenda illi coronæ cum aliis quatuor Cardinalibus a Clemente V. legatus decernitur, 1311. VI. *& seqq.* Brixiam Henrico conciliat, *ibid.* XXIII. Henricum ipsum Genuam deducit, *ibid.* Profitetur non sponte, sed coacte in basilica Lateranensi augustalia insignia Henrico conferri, 1312. XXXVI.

Luceria Saracenorum; Saraceni proscripti a Carolo II. & reliquiæ eorum dissipatæ, 1303. LVI.

Luceriæ civitas S. Mariæ nuncupata, *ibid.*

S. Ludovicus Galliarum Rex; quanta diligentia a pluribus Pontificibus discussa sint ejus miracula, 1297. LVIII. Sanctorum catalogo apponitur, *ibid.* Vitæ ejus compendium, *ibid. & seqq.* Sacræ illius reliquiæ in regiæ Parisiensis facellum translatæ, *ibid.* LXVII.

Ludovicus Sabaudiæ comes ob jus ecclesiasticum læsum increpitus, 1286. XXIX.

S. Ludovicus Caroli II. Regis filius obses pro patre datus, 1288. XVI. In Catalano carcere sanctitatis jacit fundamenta, *ibid.* Instituta S. Francisci profitetur, 1296. XVI. Renuntiat regno, *ibid.* Creatur episcopus Tolosanus, *ibid.* XXXII. Ob egregias virtutes lex de ætate in suscipiendo sacerdotio ad illius gratiam soluta, *ibid.* Sanctissime moritur, 1297. LXVIII. Quanto arserit zelo animarum, *ibid.* Insigne illius castimoniæ exemplum, *ibid.* Ut se ad mundi contemptum meditatione mortis excitaret, *ibid.*

S. Ludovicus Galliarum Rex; sacra ei ædes a Philippo Francorum Rege excitata, 1305. XIV. Illam adituris propositæ indulgentiæ, *ibid.*

S. Ludovicus episc. Tolosanus miraculis coruscat, 1307. XXII. De eo in sanctorum album referendo agitat Clemens, *ibid.* De cœlestibus virtutibus ab eo editis inquiri jubet, *ibid.* Agitatur in concilio Viennensi de SS. honoribus illi decernendis, 1312. XXV.

Ludovicus Hutinus Philippi Galliarum Regis filius postea Rex Francorum sceptrum Navarræ corripit, 1307. XIV. Ad eius gratiam interdictum ecclesiasticum Pompejopoli abrogatum, *ibid.* A Philippo cum exercitu adversus Lugdunenses immissus, 1310. XXXIII. XXXIV. Interest concilio Viennensi, 1312. I. Ad expeditionem in terram sanctam ducendam se obstringit, *ibid.* XXII.

Ludovicus Sabaudus a Clemente ad Henrici Cæsaris gratiam creatus Urbis senator, 1310. XXI.

Ludovicus archiep. Lugdunensis multas contentiones cum Philippo Rege Francorum de Lugduni imperio exercuit, 1310. XXXIV.

S. Ludovicus Caroli II. Regis Siciliæ filius postea episcopus Tolosanus; ipsum Cœlestinus V. ascribi jubet clero, 1294. XV. §. Te igitur. A pro Minorita conferri illi jubet ordines minores, *ibid.* §. Cum desideret. Eidem Lugdunensem archiepiscopum concredit, *ibid.* Quæ causa ad id Cœlestinum permoverit, *ibid.* §. Movebant. A Bonifacio VIII. eodem archiepiscopatu privatus, & creatus subdiaconus, *ibid.*

Lugdunum; Clemens V. Lugduni pontificia tyara solemni pompa insignitur, 1305. XII. De illius imperio inter Philippum Regem Francorum & Ludovicum & Petrum archiepiscopos Lugdunenses certatum, 1310. XXXIV. Immissus a Philippo Ludovicus Hutinus cum exercitu adversus Lugdunenses, *ibid.* Missi a Clemente V. duo Cardinales pro componenda controversia, *ibid.* Ex pactione ab archiepiscopo Lugduni dominatus ad reges Gallos derivatus, 1312. XXIX.

Lumen gloriæ ad visionem Dei necessarium, 1312. XVIII. §. Quintus error.

Luminaria divinitus conspecta circa ædem Lauretan. 1294. XXIV. Imminent domui, in quam erat illata Eucharistia, 1299. XLVII.

Lusitania; libertas ecclesiastica in Lusitania valde labefactata, 1288. XVI. De ea restituenda agitur, *ibid.* usque ad XL.

Lusitaniæ sacrorum usus restitutus a Nicolao IV. compositis controversiis, quæ clerum inter Regemque intercesserant, 1288. XXXVIII.

Lutherani Regum privilegia concessa ecclesiis Sueciæ dissiparunt, 1290. XLVI.

Luxuria; Adamitæ nudi feminas antecedunt, 1296. XXXIV. In eos legibus actum, *ibid. Vide*, Meretrices & Castitas.

Luxuria a Dulcino hæresiarcha vocata actus charitatis, 1305. XVIII. Begardi scortationem virtuti, matrimonium vitio ascripsere, 1306. XVIII. Dulcinus conciditur membris, qui in iis felicitatem locarat, 1308. IX. Impudica Dulcini propago libertatis spiritus nomen sibi arrogat, 1311. LXVI. Eam infectatur Clemens V. *ibid.*

M

M Adachias princeps Saracenorum in Rhodios equites a Genuensibus concitatus, 1311. LXXIV.

Magalonensis ecclesia; ejus jura a Philippo Rege Francorum occupata, 1300. XXVII. Graves de ea re querelæ Bonifacii, *ibid. & seq.*

Magi Tartarici tenebras offundunt aeri, 1307. XXIX. *& seqq.* Scyphos ex mensa in aliam transferunt, *ibid.* §. Successerat.

Magnus Sueciæ Rex moritur, 1290. XLV. Filio Birgero Turgillum tutorem dat, *ibid.* Liberalitas ejus eximia in clerum, *ibid.* XLVI. Demissionis Christianæ insigne exemplum erga Brynolphum episc. jura Scarensis ecclesiæ tutantem, *ibid.* Ut filiam monasticis institutis addixerit, *ibid.*

Magnus archiep. Upsalensis ab Adriano IV. Gothicam scribere historiam, tuerique fidem jussus, 1290. XLV.

Magnus filius Birgeri Regis Sueciæ ad Ericum Daniæ Regem fuga lapsus ex patruorum manibus, 1306. XV.

Majorica. *Vide*, Baleares insulæ.

Mansuetudo. *Vide*, Clementia.

Maphæus sive Matthæus Vicecomes pulsus Mediolano a Guidone Turriano, 1310. XVII. Henricum VII. in urbem pro corona ferrea adipiscenda inducit, *ibid.* Guidonem Turrianum pellit, emulosque cædit, 1311. II. Præficitur ab Henrico Mediolano, *ibid.* XXIII.

Margareta Dulcini hæresiarchæ concubina membratim concisa, 1308. IX.

Margarita Norwegiæ Regina, 1286. XXIV.

B. Margarita Cortonensis e meretricia vita ad sanctiorem divinitus traducta, 1297. LXIX. Austeram vitam ducit, *ib.* Miraculis inclarescit, *ib.* In beatarum mulierum albo describitur, *ib.*

Margarita Regina Caroli I. vidua piis nonnullis beneficiis donatur a Bonifacio VIII. 1298. XXII.

Margarita Henrici VII. Cæsaris uxor cum viro Mediolani ferrea corona redimita, 1311. I. Genuæ moritur, *ibid.* XXIII. Ejus laudes, *ibid.*

B. Maria Virgo; quanto cultu Chriſtiani eam complecti debeant, docet Nicolaus IV. 1288. XLIII. Ad imminentes Græciæ clades ejus imago flet, *ibid.* XVIII. Florentiæ ad ejus imaginem edita plura miracula, 1292. XXIV. E læſa ipſius imagine ſanguis manat, 1302. XVIII. Sumpta e ſacrilego pœna, qui imaginem Virginis læſerat, *ibid.* Statutum concilii Pennafielis de implorandis Virginis ſuffragiis, 1302. XXXV. *Vide*, Nazaretana domus.
S. Mariæ civitas nuncupata antea Luceria, pulſis a Carolo II. Saracenis id nomen ſortita, 1303. LVI.
S. Mariæ Majoris baſilica exornata ſacris indulgentiis, 1288. XLII. XLIII. De miraculo nivis ad eam edito, *ibid.*
Maria e Molina; ejus filii e Sanctio illegitimo connubio ſuſcepti juſtorum natalium dignitate ornati, 1301. XVIII.
Maria ſoror Reginæ Armeniæ ob conſtantiam in fide orthodoxa commendata a Nicolao IV. 1289. LVIII.
Maria Regina Siciliæ Caroli II. uxor; abſente Carolo Regni Siculi adminiſtratio illi a Pontifice demandata, 1295. XIX. Una cum nepote ad diſceptandam cum Wenceſlao Boemo ſceptri Ungarici controverſiam in judicium a Bonifacio VIII. vocatur, 1301. XIX. *& ſeq.*
Maria Regina Siciliæ; Ungarici regni jura illi aſſerta, 1307. XXVI. Ipſius nepos Carolus ex filio natu maximo Ungaricum regnum aſſequitur, *ibid.* XXI Ludovicum filium curuſcare miraculis, deque eo ſanctis annumerando agitari ſuſcipit, *ibid.* XXII.
Marinus Georgius Petro Gradenico in ducatu ſuccedit, 1310. XXXII. Paulo poſt Joanni Superantio principatum tranſmittit, *ibid.*
Marrochitanum regnum; Rodericus Marrochitan. epiſcop. ad fidem in eo augendam legati dignitate ornatus a Nicolao IV. 1290. XLVIII.
Martinus archiep. Antibarenſis inſtructus auctoritate a Benedicto XI. ad Servios & Græcos cenſuris ſolvendos, 1303. LVIII.
Martyres. *Vide*, Fides Chriſtiana.
Matthæus Rubeus Urſinus Card. S. Mariæ in porticu, Bonifacium hoſtium manibus liberatum Romam deducit, 1303. XLII.
Matthæus de Aquaſparta Card. creatus legatus & belli ſacri dux adverſus Columnenſes, 1297. XLI. 1298. X. Mittitur in Etruriam legatus, 1300. XXIV.
Matthæus e Columna Pontifici adverſus conſanguineos Columnenſes adhæret, 1297. XLI.
Matrimonium; de matrimoniis nobilium a principe non urgendis, 1297. IV. §. Filias. Diſcrimen inter ſpirituale & carnale conjugium, 1297. XXXIV. §. Ad contraria.
Matthæus Urſinus Cardinalis adverſatur Gallo Regi in creando Pontifice, 1303. II. Prædicit Cardinali Pratenſi ſero Apoſtolicam ſedem in Italiam revectum iri, *ibid.* XII.
Matthæus Vicecomes. *Vide*, Maphæus.
Matthæus Palatinus percuſſus anathemate a Cardinale legato ob perduellionem in Regem Ungariæ, 1312. LII. Fuſus cruento prælio, *ibid.*
Matthæus Weſtmonaſterienſis; ejus hiſtoria deſinit, 1307. XIII.
Maynardus Goritiæ comes Tridentinum epiſc. ſuis juribus ſpoliat, 1290. XXVIII. Cenſuris ob id ictus a Nicolao IV. *ibid.* Concitatus ad eum reprimendum Rex Romanorum, 1290. LXVI. Veniam a Nicolao poſcit, *ibid* Solvitur cenſuris a Bonifacio VIII. 1302. XXVI.
Mediolanenſes ad Henrici VII. Cæſaris obſequium allecti a Clemente V. 1310. XV. Excuſſo Guidonis Turriani jugo pontificii legati opera, Henricum mœnibus excipiunt, *ibid.* XVII. Adverſus Henricum ſeditionem movent, 1311. II.
Melecmeſſor Sultanus Tripolim expugnatam flammis delet, 1289. LXV. LXVI. Sacrum in eum bellum a Nicolao IV. promulgatum, *ibid.* LXVII. 1290. II. In belli apparatu moritur, *ibid.* XI. Succedit illi Seraph, *ibid.*
Melecnaſer Sultanus a Rege Tartarorum prælio deletus, 1299. XLIV. Damaſcum amittit, *ibid.* XLVI.
Melec Seraph. *Vide*, Seraph.
Melgorii comitatus qua ratione ad epiſc. Magalonenſem ſpectet S. Ludovico Clemens inſinuat, 1300. XXX.
Merces; rogati principes, ut ſubditos ab inferendis mercibus Saracenis arceant, 1302. XXXV. Itali mercatores ab eo ſcelere deterriti, *ibid.* XXXVI. Intentatæ pœnæ, *ibid.*
Meretrices; excidium Ptolemaidis peccatis carnis adſcriptum, 1291. VI. B. Margarita Cortonenſis e meretriciis ſordibus ad ſanctitatis apicem evecta, 1297. LXIX.
Meſſanenſes nuntios Apoſt. ſedis repellunt, 1296. X.
Michael Andronici Imp. filius Philippi Imp. filiam in uxorem depoſcit, 1288. XVII. Diſſoluto eo tractatu, Michael Regis Armeniæ ſororem ſibi deſpondet, *ibid.* XVIII.
Michael Palæologus Imp. ut a Martino IV. devinctus fuerit anathemate, 1306. III.
Michael e Becca Normannus decanus S. Quintini creatus Cardinalis tit. S. Stephani in Cœlio monte a Clemente V. 1311. LIV.
Miniſtri Dei ſumma reverentia excipiendi inſigne exemplum in Thoma epiſc. Wratiſlavienſi, 1286. XXXII. Divina in Philippum Regem vindicta ob injectas ab ejus adminiſtris in Bonifacium manus, 1303. XLIII.
Minoritæ in factiones dividuntur, ſibique mutuo item intendunt, 1310. XLVI. Nonnulli Minoritæ creati epiſcopi & ad Tartaros miſſi, 1311. LXXIV. Permiſſum Regi Armeniæ, ut Minoritas in aula teneat, *ibid.* LXXVII. Vertebatur in dubium an Minoritæ ad omnia conſilia evangelica tenerentur, 1312. XXIII. Quid definitum a Clem. V. *ibid.* Plures Minoritæ in Fraticellorum ſectam lapſi, *ibid.* LXI. Exuti a Pontifice privilegiis, *ibid.*
Miſericordia divina B. Margaritam Cortonenſem e meretriciis ſordibus ad ſanctitatem evehit, 1297. LXIX. Græcos præmonet excidii impendentis, 1291. XVIII.
Miſſa celebrata magna pompa a novo Pontifice, 1295. III. Cur diurno tempore peragenda ſit, 1301. XXII.
Miſſa; Rex Indus indutus regiis veſtibus, divinis myſteriis inſervit, 1305. XIX. Roberto Siciliæ Regi, ac Reginæ Galliarum datum, ut divinis ante lucem interſint, 1311. LXXVII. Cur ſacra noctu fieri non deceat, *ibid.*
Mitra; Aquino Regi Norwegiæ conceſſum, ut regiorum ſacellanorum præcipuus mitra coram Rege utatur, 1311. LXXVII.
Modœcia; antiquitus apud ipſam Imperatores ferrea corona cingebantur, 1311. I. Decernit Henricus VII. non referre, an Modœciæ, an Mediolani ea celebritas peragatur, *ibid.*
Molay ſupremus Templariorum magiſter, 1298. XXI.
Molay dux Caſſani exercitus, 1299. XLV. Proditione Syria ejicitur, 1300. XXXIV.
Monachi vagi coercendi, 1311. LVIII. *Vide*, Religioſi.

Mo-

Monachi idololatræ; variæ eorum ſectæ, & ritus inſani, 1307. XXIX. §. In urbe.
Monarchia eccleſiaſtica. *Vide*, Romanus Pontifex.
Moneta; ejus pretia corrupiſſe Philippum Francorum Regem, objecit ei Bonifacius VIII. 1311. XXXVI.
Moniales; emendati a Concilio Viennenſi earum exceſſus 1312. XXIV.
Monomachia. *Vide*, Duellum.
Montaniſtarum hæreſis; exuſta muliercula, quæ hæreſim Montaniſtar. in Germania renovare nitebatur, 1301. XXV.
Montis Peſſulani academia inſtituta a Nicolao IV. 1289. LI.
Mors piorum hominum & mulierum; B. Ambroſii Sanſedonii, 1286. XXXIX. Chingæ ſeu Chunegundis ducisſæ, 1292. XXII. B. Alberti Carmelitæ, *ibid.* XXIII. Henrici epiſcopi Ratiſponenſis, 1296. XXXVI. S. Ludovici epiſcopi Toloſani, 1297. LXVIII.
Mors ſanctorum; eam non lugendam, ſed ut felicem ſuſcipiendam, monet S. Wenceſlaus Rex Boemiæ, 1309. XV. S. Nicolaus Tolentinas in morte cœleſtes concentus audit, 1306. XIX.
Mors peccatorum; eccleſiarum deprædatores divina ultione pereunt, 1305. XVII. *Vide*, Juſtitia divina.
Mortis meditatio ſalubris; S. Ludovicus epiſcopus Toloſanus ad res caducas ſpernendas, inſpectis mortuorum oſſibus, ſe excitat, 1297. LXVIII. B. Margarita Cortonenſis, inſpecto amaſii cadavere, ad meliorem vitam traducta, 1297. LXIX
Mortis ſpectrum in Alexandri Regis Scotiæ nuptiis conſpectum, 1286. XXIV.
Mulieres. *Vide*, Fœminæ.
Mundi contemptus; S. Ludovicus epiſc. Toloſ. ſpreto regno Neapolitano S. Franciſci paupertatem amplectitur, 1296. XVI. Ad mundi contemptum aſpectu mortuorum ſe excitat, 1297. LXVIII. *Vide*, Honorum fuga.
Muſici concentus in miſſæ ſacrificio adhibiti anquitus, 1295. III.
Muſulmani. *Vide*, Turci.
Mutinenſes; eorum controverſia de Bazano & Savignano compoſita cum Bononienſibus, 1299. XXVIII.

N

NAjam princeps Chriſtianus rebellat in Cobilam Imp. Tartarorum, 1286. XXXV. §. In Aſia. Signum crucis in vexillis præfert, *ibid.* Vincitur, & captus præfocatur, *ib.*
Narbonenſis eccleſia ab Almerico vicecomite, archiepiſcopi fide & clientela diſcedente, injuriam paſſa, 1300. XXVII. Graves de ea re querelæ Bonifacii VIII. *ibid.* Priſtina jura recuperat, *ibid.* XXIX.
Natagai fictitium Tartarorum numen, 1307. XXIX. §. Quod attinet.
Nazaretana ædes deportata ab Angelis in Dalmatiam Terſactum inter & Flumen, 1291. LXVIII. LXIX. Ad illam Deiparæ ope patrata plura miracula, *ibid.* Cœlesti viſo Alexander epiſcop. Tergeſtinus certior fit a Virgine de re tota, valetudinemque divinitus recuperat, *ibid* LXX. Miſſi in Syriam exploratores viſa conſentire veritati referunt, *ibid.* LXXI.
Nazaretana ædes e Dalmatia in Recinetenſem agrum tranſlata, 1294. XXIV. In iiſdem veſtigiis loci, e quo tranſlata, excitatum templum, *ibid.* Inſigne Nicolai Frangipanii de domo Nazaretana teſtimonium, *ibid.*
Nazaretana ædes in Lauretæ matronæ agro provinciæ marchiæ Anconitanæ reſidet, *ibid.* Inde Lauretana ædes appellata, *ibid.* Inclinatum ad venientis ſacelli aſpectum nemus, ſacram ædem cœleſtis lux circumfundit, *ibid.* Paſtores miraculi teſtes & nuntii, *ibid.* Piorum ad ſacram ædem concurſus, *ibid.* Beneficia divinitus collata opem Deiparæ implorantibus, *ibid. Vide*, Lauretana ædes.
Neapoleo S. Adriani diaconus Cardinalis in Picenum legatus miſſus a Bonifacio VIII. 1300. XXII. A Clemente V. creatus in Italia legatus, 1297. LXIX. De miraculis D. Margaritæ Cortonenſis inquirit, *ibid.*
Neapoleo Cardinalis Urſinus favet Gallo Regi pro creando amico illi Pontifice, 1305. II. Bononienſem legationem gerit, 1309. V. Rebelles variis pœnis mulctat, redigitque ad officium, *ibid.* Cæſareis legatis ſacramenti formulam Hen. VII. nomine Pontifici addicendi proponit, *ibid.* XI.
Neapolitanum regnum. *Vide*, Sicilia.
Negrepontenſis eccleſia a patriarchæ Conſtantinopolitani & Archiepiſcopi Athenienſis imperio pronuntiata libera, 1296. XXI.
Neſtoriani ut apud Indos invaluerint, 1305. XIX.
Neſtorianorum patriarcha ad profitendum orthodoxæ fidei dogma ſolicitatus a Nicolao IV. 1289. LIX.
Nicolaus IV. e Præneſtino epiſcopo ad Petri cathedram evectus, 1288. I. Multo igne, peſte graſſante, ad purgandum aerem utitur, *ibid.* Ejus patria, *ibid.* Quos creavit Cardinales, *ibid.* Geſtæ illius res ante pontificatum, *ibid. & ſeqq.* Encyclicas de adepto honore *literas mittit*, *ibid.* III. Ut ſe ordini Minorum addixerit, *ibid.* Francorum Regem optimis præceptis imbuit, *ibid.* IX. Siculis ac Jacobo judicium, ni redeant ad officium, intendit, *ibid.* X.
Nicolaus IV. iniquas de Carolo II. Siciliæ Rege liberando leges propoſitas ab Alfonſo Aragonio damnat, *ibid.* XI. Alfonſum monet ut reſtituat libertati, *ibid.* XII. XIII. Alfonſi oratoribus ad ſedem Apoſt. acceſſuris liberum commeatum permittit, *ibid.* XIV. Ipſorum poſtulata repellit, *ibid.* Regi Francorum ad fratrem in Aragoniæ poſſeſſionem inducendum decimas attribuit, *ibid.* XV. Pactiones initas Carolum inter Alfonſumque reſcindit, *ibid.*
Nicolaus IV. preces daturis Numini pro Rege Francorum indulgentias impertitur, 1288. XIX. Juri eccleſiaſtico tuendo dat operam, *ibid.* Venetum ſenatum ad erepta patriarchæ Aquilejenſi reſtituenda urget, *ibid.* XX. XXI. Periclitanti in Ungaria religioni conſulit, *ibid.* XXIV. Strigonienſem archiep. in Ladiſlaum, ſentientem cum impiis cruceata ſigna attollere jubet, *ibid.* XXVI. Finitimos principes illi non deeſſe admonet, *ibid.*
Nicolaus IV. imperiales in hæreticos leges a Magiſtratibus diſtringi præcipit, *ibid.* XXVII. XXVIII. Uroſium Sclavorum Regem ſchiſmaticum ad fidem catholicam adducere nititur, *ibid.* XXIX. Elenæ Reginæ recte de fide ſentire gratulatur, hortaturque ut filios ad Eccleſiæ gremium alliciat, *ibid.* XXX. Evangelicos præcones ad gentes mittit, *ibidem*, XXXII. Præſulibus orientis fidei orthodoxæ formulam tranſmittit, *ibid.* XXXIII.
Nicolaus IV. Elegagen & Tuctanem Reginas Tartarorum in fide Chriſtiana confirmat, 1288. XXXIV. Tartarorum oratores excipit, *ibid.* Argonem Tartarorum in Perſide Regem in fide inſtruit, *ibid.* XXXVI. Meditantem ſacrum baptiſma Hieroſolymis ſuſcipere hortatus eſt, ut quamprimum Chriſto nomen dare non differret, *ibid.* XXXVIII. Cypri & Armeniæ Reges ad meliorem ſpem excitat, *&c.* XXXIX.

Nicolaus IV. exceptis Syrorum oratoribus auxilia pollicetur, *ibid.* XL. Heliæ defuncto in patriarchatu Hierosolymitano Nicolaum subrogat, *ibid.* XLI. Legatum in orientem creat, *ib.* Basilicam S. Mariæ majoris sacris indulgentiis exornat, *ibid. & seqq.* Carolum II. Regem Siciliæ corona cingit, 1289. I. In sua verba sacramento adigit, *ibidem*. Quibus legibus regnum illi jure fiduciario contulerit, *ib.* II. *& seq.* Muneribus ipsum auget, *ibid.* XII. Eum, ac Regem Angliæ, & Provinciales datæ Alfonso Aragonio fidei religione exolvit, *ibid.* XIII. Censuris ob violatas pactiones initas inter Clementem IV. parentemque illius liberat, *ibid.* XIV. Beneficiis sacris exornat, *ibid.* XV.

Nicolaus IV. Lusitaniæ Regis oratores ad componendas cum clero controversias excipit, 1289. XVI. Præsulibus Lusitanis transigendi cum Rege potestatem confert, *ibid.* XVII. Conventa inter ipsos regiosque oratores pacta confirmat, *ibid* XXXII. Pœnas in concordiæ prævaricatores Reges Lusitanos constituit, *ibid.* XXXIII. *& seq.* Censuras quibus regii administri devincti erant, dissolvit, *ibid.* XXXVIII.

Nicolaus IV. præscribit Dionysio formam, qua jus ecclesiasticum asserere polliciturus sit, *ibid.* XXXIX. Sanctio gratulatur, pacem cum Francorum Rege coivisse, *ibid.* XL. Francorum Regem corripit, episcopis ad lites persequendas negare, ut procuratorum opera utantur, *ibid.* XLI. Colonienſi archiep. exagitato a proceribus non deest, *ibid.* XLIII. Rodulpho imperiale diadema petenti annuit, *ibid.* XLVI. Nuntium ea de causa ad ipsum mittit, *ibid.* Albertum Austriæ ducem eo adficit privilegio ne inconsulta sede Apostolica percelli anathemate possit, *ibid.* XLVII.

Nicolaus IV. Gregorii X. constitutionem de electione Pontificis non sine gravi reipublicæ damno infringit, *ibid.* XLIX Cardinalibus vectigalium partem, quæ a fiduciariis regnis penduntur, attribuit, *ibid.* Apud Montempessulanum academiam instituit, *ibid.* LI. Imperiales in hæreticos leges distringi jubet, *ibid.* LIII. LIV. Initam cum Venetis pactionem, ut bona hæreticorum reipubl. addicantur confirmat, *ibid.* LIV.

Nicolaus IV. apud Cluniacenses religiosam disciplinam restituit, 1289. LV Carmelitarum instituta confirmat, *ibid.* Jacobitarum patriarcham ad fidem catholicam allicit, *ibid.* LVI. Et alios Asiæ & Africæ præsules, *ib.* Armeniæ Regem ad conjunctionem Rom. eccles. admittit, *ibid.* LVII. Item alios Armeniæ proceres, *ibid.* LVIII.

Nicolaus IV. Imperatorem Æthiopum ad conjunctionem cum Rom. ecclesia solicitat, *ibid.* LIX. Item Georgiæ & Iberorum Reges, *ibid.* Argonem Regem Tartarorum in Persida ad colendum Christum solicitat, *ibid.* LX. Et Cobylam Chamum supremum Tartarorum Imperatorem, *ibid.* LXII. Item Caydonum, *ibid.* LXIII. Jolo Persano gratulatur, ad religionem promovendam incumbere, *ibidem*, LXIV.

Nicolaus IV. fideles in Sultanum ob Tripolim evastatam concitat, 1289. LXVI. Episc. Tripolitano promulgandæ religiosæ militiæ provinciam imponit, *ibid.* LXVII. Syros oratores, auxiliaria arma contra Saracenos implorantes, excipit, 1289. LXIX. Viginti triremes subsidiarias pollicetur Acconensibus, *ibid.* Eduardi Regis petitis annuit, ut Syriacam expeditionem suscipiat, 1289. LXXI. Illum admonet, ne jus ecclesiasticum labefactet, *ibid.* LXXII. Censuris ob non susceptum iter constituto tempore contractis liberat, *ibid.* LXXIII.

Nicolaus IV. Lateranensem ecclesiam privilegiis exornat, *ibid.* Fideles ad sacram in Saracenos expeditionem concitat, 1290. II. III. Indulgentiarum præmia proponit, *ibid.* IV. Pluribus crucesignatos beneficiis afficit, *ibid.* V. VI. Viginti triremes Venetiis instruendas curat, *ibid.* VII. Tripolitanum episcopum repetundarum judicio postulat ob versas in rem suam sacras opes, *ibid.* VIII.

Nicolaus IV. Francorum Regem ad tuendas Syriæ reliquias solicitat, 1290. IX. Datæ eo argumento graves literæ, *ibid.* Eduardo ad sacram expeditionem mundum diem constituit, *ibid.* XIII. Quas pactiones cum eo inciverit, *ibid.* XIII. XIV. Legationem gravissimam ad Transalpinos Reges decernit, *ibid.* XVII. Æquiores pacis leges inter Siciliæ Regem & Alfonsum Aragonium agitari jubet, *ibid.* XIX.

Nicolaus IV. Regem Romanorum, de attributis in Imperio Regi Francorum nonnullis decimus querentem, permulcet, *ibid.* XXI. Jacobum Aragonium & Siculos in judicium vocat, *ibid.* XXIII. Gajetanos ad fidei in Carolum constantiam adhortatur, *ibid.* XXV. Vetat ditionis eccl. sasticæ urbes fœdera inter se coire, *ibid.* XXVI. Guidonem Montisferetri comitem censuris defigit, *ibidem*, XXVII.

Nicolaus IV. Maynardum ducem Charinthiæ ob invasa ecclesiæ Tridentinæ jura judicio postulat, *ibid.* XXVIII. Et principes fœderatos archiepiscopi Colonienſis detentores, *ibid.* Philippum Regem Francorum, ne libertatem ecclesiasticam opprimat, admonet, *ibid* item Eduardum Anglorum Regem, *ibid.* XXXIII Negat decretum, quo Angliæ beneficiariam Scotiam profitentur Scoti confirmare, *ibid* XXXVII.

Nicolaus IV. periclitantis Ungariæ curam gerit, 1290 XXXVIII. Finitimos Reges ad fidem tuendam solicitat, *ibid.* XLI. Legatum in Marrochitanum regnum amplificandæ rei Christianæ studio mittit, *ibid.* XLVIII. Judæorum impietatem compescit, *ibid* XLIX. Præsules ad hæreticorum fraudes dissolvendas excitat, *ibid* L. Apostolicorum sectam damnat, *ibid.* LI.

Nicolaus IV. academiam Ulyssiponensem instituit, *ibid* LII. Fideles ad sequenda Eduardi Anglorum Regis signa in Syriam concitat, 1291. I. Indulgentiarum præmia iis proponit, *ibid.* IV. Decimas in eam rem attribuit, *ibid.* V. Ptolemaidis excidium deplorat, *ibid* VII. XX. Regem Francorum ad lapsas Syriæ res instaurandas solicitat, *ibid.* Item Genuenses ac Venetos, ut vires in id conjungant, *ibid.* XXIII. *& seq.* Pœnas graves iis incutit, qui Saracenis commeatus intulerint, *ibid.* XXVII.

Nicolaus IV. concilia provincialia ad bellum in Saracenos instaurandum indicit, 1291. XXIX. De Templariis & Hospitalariis in unam familiam redigendis agit, *ibid.* XXX. Cruceatam expeditionem promulgat, *ibidem*, XXXI. Argonem Regem Tartarorum ad vires cum occidentalibus in Sultanum sociandas hortatur, *ibid.* XXXII. Et alios orientales principes, *ibid.*

Nicolaus IV. laudat Argonem filium baptismo lustrandum curasse, *ibid.* XXXIII. Gratulatur Nicolao principi, nomen dedisse Christo, *ibid.* Cassanum, alias Cassanum, ad fidem amplectendam allicere nititur, *ibid.* XXXIV. Tartarorum Reginas ad religionem propagandam impellit, *ibid.* XXXVI. Præcones evangelicos in Persidem mittit. *ibid* XXXVII.

Nicolaus IV. Georgium Bulgarorum Imp. ad Romanæ ecclesiæ conjunctionem allicere studet,

det, 1291. XXXVIII. Et Bulgarorum archiepiscopum, *ibid.* XXXIX. Helenam Serviæ Reginam ad Bulgaros in obsequium ecclesiæ adducendas urget, *ibid.* XL. Regem Serviæ in clientelam apostolicam accipit, *ibid.* XLI. Antibarensi archiep. episcopatus in urbe Sava instituendi munus imponit, *ibid.* XLII.

Nicolaus IV. censores fidei in Servia creat, *ibid.* XLIII. Detrahentem de stigmatibus S. Francisci censura notat, earumque veritatem confirmat, *ibid.* XLIV. Legatum in Ungariam ad eam componendam mittit, *ibid.* XLV. Inquiri jubet an Ladislaus in fide vel hæresi obierit, *ibid.* XLVI. Promulgat, Ungariam non Imperii, sed sedis Apostolicæ beneficiariam, *ibid.* XLVII.

Nicolaus IV. Rodulphum Regem Romanorum corripit, qui Alberto filio id regnum vitio contulerat, 1291. XLVIII. Strigonienſem archiep. ad tuendum regnum incumbere jubet, *ibid.* XLIX. Hortatur Baleares, ut ad Regis sui fidem redeant, *ibid.* LII. Dat Jacobo Aragonio imperia, ne ante adeptam Ecclesiæ gratiam sceptrum Aragonium capescat, *ibid.* LIII. Meditantem Regem Francorum Aragoniam fratri subicere, ab eo consilio revocat, *ibid.* LVI. Solicitat, ut Regi Neapolitano ad Siciliam debellandam copias auxiliares mittat, *ibid.* LVIII.

Nicolaus IV. Genuenses a Siculorum fœdere divellere studet, *ibid.* LIX. Sabinensis episcopi constitutionem in clericos concubinarios mitigat, *ibid* LX. Permittit archiepiscopo Bisuntino, ut Grajaci academiam condat, *ibid.* LXII. Lateranensem basilicam asyli indulgentias proponit, *ibid.* LXIII. Ubevetanum templum construendum curat, *ibid.* LXIV.

Nicolau IV. Salisburgensem archiepisc. contra ducem Bavariæ, Salisburgum occupare conantem, tuetur, *ibid.* LXV. Salisburgensium pactiones initas cum duce Bavariæ rescindit, *ibid.* Regis Romanorum opem ad Maynardum ducem Charinthiæ, ecclesiarum invadentem jura, comprimendum imolorat, *ibid.* LXVI. Frixiensium legem de affinitatibus cives inter & exititios vetitas abrogat, *ibid.* LXVII.

Nicolaus IV. Francorum Regem hortatur, ut Armeniæ opem ferat, 1292. I. Eduardum Anglorum Regem ad suscipiendam sacram expeditionem solicitat, *ibid.* VI. Plures cum ipso de ea conficienda pactiones init, *ibid.* Postulanti, ut census ecclesiæ Rom. solvendus commutaretur, repulsam obiicit, *ibid.* XII. Suprema ecclesiæ in Scotiam jura tuetur, *ibid.* XIII.

Nicolaus IV. Genuenses a Jacobi & Friderici Aragoniorum fœdere divellere nititur, *ibid.* XIV. *& seq.* Moritur, *ibid.* XVII. In basilica S. Mariæ majoris sepelitur, *ibid.* A Sixto V. in mausoleo ornatiori collocatur, *ibid.* Eiusdem elogium, *ibid.* Secutum ab illius morte diuturnum interpontificium, *ibid.* XVIII. Subrogatur illi S. Cœlestinus, 1294. I.

Nicolaus IV. ejus decretum de rescindendis iniquis pactionibus, quæ Aragonii a Carolo Rege Neapolitano extorsere, 1288. XVII. Confirmat promulgatque literas de venia Siculis ob perduellionem data, 1289. XV. Remittit pœnas a Siculis ex edictis pontificiis contractas, si ad officium redierint, *ibid.* §. Gaudet.

Nicolaus supremus Prædicatorum magister, deinde Card. Ostiensis & Rom. Pontifex, *Vide*, Benedictus XI.

Nicolaus patriarcha Hierosolym. creatur patriarcha, 1288 XLI. Et legatus Apostolicæ sedis, *ibid.* Fugientes in excidio Acconen. colligere satagens, fluctibus cum iis mergitur, 1291. X.

Nicolaus Teupulus; instructæ a Nicolao classis in Saracenos dux, 1290. VII.

Nicolaus sive Carbagunda Argonis Regis Tartarorum filius baptismalia sacra accipit, 1201. XXXIII. Gratulatoriæ ad eum Pontificis literæ, *ibid.* Deficit a fide, *ibid.*

Nicolaus Frangipanius Dalmatiæ prætor exploratores in Syriam mittit, an ædicula Nazaretana translata fuerit, 1291. LXXI. Translata iterum illa e Dalmatia in Italiam, persimilem ædem in iisdem vestigiis extruit, miraculis postea claram, 1294. XXIV. Insignis translationis illius testis est, *ibid.*

Nicolaus Pratensis Card. & Ostiensis episcopus a Bened. XI. renunciatus, creatus Etruriæ legatus, 1304. I. Paciarii munere auctus, *ibid.* Honorifice a Florentinis excipitur, *ibid.* III. Calumniis in odium ab improbis adducitur, *ibid.* A Pratensibus, dum eos conciliare nititur, pulsus, *ibid.* Et a Florentinis conjuratis, *ibid.* Obruta post ejus discessum malis civitas, *ibid* IV. Vocati a Benedicto in judicium Florentini, *ibid. & seqq.*

Nicolaus Cardinalis Pratensis Bonifacianæ factionis Cardinales deludit, 1305. II. Archiepiscopum Bardegalensem ad pontificatum evehit, *ibid.* III. Consulit Philippo Regi, ut cum eo paciscatur, *ibid.* Accusatum a Philippo Bonifacium VIII. indignatus odio Clementem instruit ad Gallorum spes de imperio affectato deludendas, 1308. XXI. Decreme cum aliis Cardinalibus ad coronandum Henricum VII. 1311. VI. VII. Brixienses frustra hortatur ad Henrici obsequium, *ibid.* XXII.

S. Nicolaus Tolentinas ordinis Eremitarum S. Augustini in pueritia Christum in Eucharistia intuetur, 1306. XIX. In extremo morbo cœlestes audit concentus, *ibid.* Cœlestibus visis pascitur, *ibid.* Pie moritur, *ibid.* Post mortem miraculis coruscat, *ibid.* De iis sacrum examen institutum, *ibid.*

Nicolaus e Bantra Minorita creatus episcopus ad fidem inter Tartaros amplificandam, 1307. XXIX.

B. Nicolaus eremita pie moritur, 1310. XLVII. Divina in illius homicidam ultio, *ibid.*

Nicolaus Farinula ord. Prædicatorum postulatus judicio a Bonifacio VIII. 1311. XXXIX. Creatus Cardinalis tit. S. Eusebii a Clemente V. 1305 XIV.

Nipho Cyzicenus intrusus ab Andronico Imp. in patriarchatum Constantinopolitanum, 1311. LXXIII. Jussus cedere Logothetæ dromo, *ibid.*

Nuceria reliquiæ Saracenorum proscriptæ a Carolo II. 1303. LVI. *Vide*, Luceria.

Nuptiæ; horrido spectro earum pompa constitæ, 1286. XXIV.

O

Obedientia quæ prælato promissa præcipue, intelligitur de observantia religionis, 1312. XXIV. §. Tertia ratio.

Oleronenses conventus ab Anglorum, Siciliæ, & Aragonum Regibus celebrati, 1288. XVI.

Olgetucam Rex Tartarorum oratores mittit ad Clementem V. pro jungenda societate armorum adversus Saracenos, 1308. XXX. Centum millia equitum adducturum se spondet, *ibid.* XXXI. Monetur a Clemente, ut Christo nomen det, *ibid.*

Olyssiponensis academia condita a Dionysio Rege Lusitaniæ, 1290. LII. Ornata privilegiis a Nicolao IV. *ibid.*

Olyſipponenſis academia Coimbricam traducta, 1308. XVII.
Oratio. *Vide*, Preces.
Ordines minores a Minorita ſimplici ſacerdote collati S. Ludovico poſtea epiſcopo Toloſano juſſu S. Cœleſtini Pontificis, 1294. XV. §. Movebant.
Ordines mendicantes; ut eos eſſe exemptos expediat, 1312. XXIV. §. Poſtquam univerſum.
Orientalium patriarcha fidei orthodoxæ, quam profitetur formam Romano Pontifici exponit, 1304. XXIII. Illius primatum agnoſcit, *ibid.*
Oroſius Serviorum Rex ad conjunctionem cum Romana eccleſia ſolicitatus, 1303. LIX.
Oroſius Raſciæ Rex. *Vide*, Uroſius.
Oſcula; ſtulta de iis & actu carnali Begardorum ſententia, 1312. XVIII. §. Septimus. Quando oſcula ſint peccatum, & quando non, *ibid.*
Oſinius Rex Armeniæ ſuccedit Leoni fratri, 1315. LXXVII. Controverſiam cum Rege Cyprio habitam Pontificis arbitrio committit, *ibid.*
Oſtienſis eccleſia; ex ea ad ſedem Apoſt. evectus Benedictus XI. 1303. XLV.
Otho dux Bavariæ Salisburgum ſibi ſubicere nititur, 1291. LXIV. Archiepiſcopiſ. Salisburgenſis cauſa adverſus ipſum ſuſcepta a Nicolao IV. *ibid.* Initæ inter ipſum & Salisburgenſes pactiones reſciſſæ, *ibid.*
Otho marchio Brandeburgenſis ob eccleſiaſticos divexatos cenſuris implicitus, 1302. XXV.
Otho dux Bavariæ ab Alberto Imp. ad Regem Boemiæ deficit, 1305. XVI. Sacram coronam a Wenceſlao eblanditur, *ibid.* Ea redimitus, *ibid.* Pergit in Tranſilvaniam, *ibid.* Ut coronam amiſerit, & reinvenerit, *ibid.* Illum jure fultum non fuiſſe ad Ungaricum ſceptrum capeſſendum, decretoria ſententia pronuntiat Clemens V. 1307. XIX. & *ſeq.* Intentatum illi anathema, *ibid* XX. Vocati in jus epiſcopi, qui illum diademate cinxere, *ibid.* XXI. Captus tradituſque vinculis a Tranſilvaniæ Wayvoda, *ibid.* Aufugit in Poloniam, *ibid.* Agnitus a Glogovienſi duce interceptuſque ejus filiam ducit uxorem, *ibid.* Ejus ope in Bavariam cum uxore revertitur, *ibid.*
Otho Baſilienſis epiſcopus ab Henrico VII. ad Clementem V. orator pro imperialibus apicibus poſtulandis miſſus, 1309. X.
Othomannes ſive Athman. Turcici conditor imperii, 1300. XXXVII.

P

PAlatinus princeps elector; illius auctoritas in judicando Rege Romanorum, 1301. III.
Pallium a Romano Pontifice accipere debent archiepiſcopi, 1308. XXVII. Privilegium de pallii uſu conceſſum archiepiſ. Auxitano a Clem. V. 1312. XXVI.
Panormitani; tentat Bonifacius ipſos ad Caroli obſequium allicere, 1296. VII. Reconciliantur eccleſiæ, 1302. X.
Pantaleo patriarcha Conſtantinopolitanus moritur, 1286. XXXIV.
Papa. *Vide*, Pontifex Romanus.
Papatus; diſtinctio papatus ſecundum ſtatum & perſonam, 1297. XXXIV. §. Ad primam.
Paradiſus; ſtulta Begardi cujuſdam de paradiſo & inferno ſententia, 1312. XVII. §. Quod vero.
Pariſienſis conventus a Philippo Rege contra Bonifacium VIII. celebratus, 1303. XXXV.
Parochi & Parochiales eccleſiæ; objecta ipſis ſacerdotii mulcta, Euchariſtiam morituris præbere juſſi, 1302. XXIX. Confeſſiones editæ apud monachos non ſunt neceſſario apud parochos repetendæ, 1304. XXII.
Paſſarinus Mantuæ ab Henrico VII. præfectus, 1311. XXIII.
Paſſio Chriſti; Begardorum impietas adverſus Chriſti paſſionem, 1312. XVIII. §. Octavus. Pie recolendam eſſe oſtenditur, *ibid.* §. Quod autem. Chriſto mortuo vera aqua & ſanguis e latere fluxere, *ibid* §. Fidei.
Patavini conciliati cum Venetis a Benedicto XI. 1304. VI.
Patientia inſignis S. Cœleſtini, 1295. XIV. Ad eam illuſtrandam crux ante portam carceris viſa, *ibid.* XV. S. Ludovicus poſtea epiſc. Toloſanus in Catalana cuſtodia paternas, fraternaſque injurias, ac ſuas æquiſſimo animo ſuſtinet, 1207. LXVIII.
Patriarchæ; ſolvendæ legis de gradu conſanguinitatis auctoritate vacui patriarchæ, 1298. XX. Patriarcha Aſiæ profitetur ſe Roman. Pontifici ſubeſſe, 1304. XXVII. Ipſius ea de re literæ, *ibid* Orthodoxæ fidei formam exponit, *ibid.* XXVIII. & *ſeq.* De patriarcha Gradenſi. *Vide*, Gradenſis patriarcha, & ſic de aliis.
Patriarchæ Conſtantinopolitani veluti theatrales habiti ludibrio ab Imperatoribus ſchiſmaticis, 1311. LXXIII.
Patriarchales urbis eccleſiæ; in principe earum ara nemini rem divinam peragere licet non obtenta facultate, 1301. XXIII.
Patriarchales orientis ſedes; reſervata Pontifici creandorum patriarcharum auctoritas, 1301. XXIV.
Pax ut a Pontificibus procuranda ſit, 1304. IV.
Peccata excidium Syriæ attulere, 1291. VII. XI.
Peccata punit Deus. *Vide*, Juſtitia divina.
Pennafiele concilium a Gonſalvo archiep. Toletano celebratum, 1302. XXIX. & *ſeq.*
Peregrinus Caſtellanus Minorita creatus epiſcopus ad evangelium Tartaris inferendum, 1307. XXIX.
Perſis; Perſidis Rex baptiſmum Hieroſolymis ſuſcipere conſtituit, 1288. XXXVIII. Baydo illius Rex Chriſtianus fidei odio regno & vita orbatus, 1295. XLIX.
Perſarum patriarcha primatum Romani Pontificis agnoſcit, 1304. XXIV. XXIX.
Peruſina academia condita a Clemente V. 1308. XVII.
Peſtis; multo igne adverſus illius ferociam Nicolaus IV. valetudinem media æſtate tuetur, 1288. I.
Petrus patriarcha Conſtantinopolitanus confirmatus ab Honorio IV. 1285. XXXV.
S. Petri baſilica ſacerdotiis & vectigalibus aucta a Bonifacio VIII. 1299. XXXIV.
Petrus epiſc. Aroſienſis Carelios populos baptiſmalibus ſacris luſtrat, 1290 XLVII.
S. Petrus martyr; eum beato Franciſco inepte comparans coercitus, 1201. XLIV.
Petrus e Macerata Fraticellorum ſignifer, 1294. XXVI.
Petrus Foroſempronienſis ſectæ Fraticellorum magnus auctor, 1294. XXVI.
Petrus S. Mariæ Novæ diaconus Card. creatus legatus & paciarius in pluribus Italiæ provinciis, 1296. I.
Petrus Antalo dux Friderici tyranni legatos pontificios Meſſanæ aditu repellit, 1206. XI. Reſpondet non chartis ſed ferro pacem Siculos quæſituros, *ibid.*
Petrus Cardinalis Columna Friderico Siciliæ tyranno adverſus eccleſiam Romanam adhæret,

ret, 1297. XXIX. Negat Pontificiæ fidei arces, quas tenebat, committere, *ibid.* XXX. Cardinalatu exuitur, *ibid.* XXXII. Schiſma molitur, *ibid.* XXXIV. Damnatur ut ſchiſmaticus, *ibid.* XXXV. & *ſeq.* In eum ac fœderatos indicta ſacra militia, *ibid.* XLI. Præteriti criminis veniam poſcit a Benedicto XI. 1304. XIII. Sacrorum uſui, non tamen cardinalatui & ſacerdotiis honiſque aliis addictis reſtitutus, *ibid.*
Petrus e Bodicis Fraticellorum pſeudopontifex a quibus creatus, 1297. LV.
Petrus Joannes e Biterris graviora invehit ſcandala, 1297. LV. Librorum illius auctoritate a Beguinis hæreticis conflatum ſchiſma, *ibid.* & *ſeq.* De illius doctrina, & libris, *ib.* Quid de miraculis, quæ referunt, ſentiendum, *ibid.*
Petrus Hiſpanus creatus Cardinalis a Bonifacio VIII. 1298. XXIII.
Petrus epiſc. Anagninus pluribus optimis legibus Anaginum clerum temperat, 1299. XXX. Eæ confirmatæ a Bonifacio VIII. *ibid.*
S. Petrus Apoſtolus; ejus reliquiæ & altare, in quo divina peregerat, in mediis flammis divinitus ſervantur illæſa, 1308. X. Juſſa de iis a Clemente V. data, *ibid.* XI. *Vide*, Lateranenſis baſilica.
S. Petrus e Murrone. *Vide*, Cœleſtinus V.
S. Petrus Apoſtolus; ſacramentum illi a Bonifacio VIII. nuncupatum, pontificatu ſuſcepto, 1295. I.
Petrus Aragonius in extremo vitæ actu Carolum II. Regem Siciliæ reſtitui libertati jubet, 1288. XVII. §. Sed forſitan.
Petrus e Capella epiſc. Toloſanus creatus Cardinalis a Clemente V. 1305. XIV.
Petrus Columna ſenatui Cardinalium a Clemente V. reſtitutus, *ibid.*
Petrus Arnaldi inter Cardinales relatus a Clemente V. *ibid.*
Petrus Aichſpadius epiſc. Baſilienſis ad ſedem Moguntinam traductus, 1306. XVIII. Sanato Clemente, id faſtigium aſſecutus, *ibid.* Henrici VII. odia propterea contrahit, *ibid.* Eundem ad cæſareum ſolium evehit, 1308. XIX. XX. Joannem Henrici ejuſdem Imper. filium Boemica corona exornat, 1310. I.
Petrus epiſc. Oſtienſis in Angliam miſſus A. S. L. pro firmando fœdere inter Philippum & Eduardum, 1307. IX.
Petrus Gradenicus Venetiarum dux defixus anathemate ob Ferrariam ereptam Romanæ eccleſiæ, 1309. VI. In eum conjurat Boamundus Theupulus, 1310. XXX. Liberatus feliciter ex eo diſcrimine, *ibid.* Conjurationis ejuſdem narratio ab ipſo edita, *ibid.* Oratores pro impetranda cenſurarum remiſſione ad Clementem V. decernit, *ibid.* XXXI. Moritur, *ib.* XXXII. Succedit in ducatu Marinus Georgius, *ibid.*
Petrus epiſc. Rhutenenſis creatus a Clemente in Rhodia expeditione A. S. L. 1309. XXXIII. Ampla auctoritate munitus, *ibid.* XXXIV. Rhodus capta, 1310. XLIII.
Petrus Joannis Olivi pſeudominorita; ejus hæreſes damnatæ, 1312. XVIII.
Petrus archiep. Lugdunenſis de urbis illius imperio cum Philippo Rege Francorum certat, 1310. XXXIV. Ludovicus Hutinus in eam exercitum ducit, *ibid.* Ipſam accipit in deditionem, *ibid.* Conſulit Clementem, an ex pactione ceſſurus ſit dominatu Lugdunenſi, 1312. XXIX. Suo permiſſus arbitrio cum Philippo paciſcitur, *ibid.*
Philadelphia Latinorum ope a Turcorum obſidione liberata, 1303. LX.
Philippus Pulcher ſuccedit parenti Philippo, 1286. XXVIII. Illi ad fratrem in regni Aragonici poſſeſſionem inducendum attributæ decimæ ab Honorio IV. *ibid.* Et a Nicolao IV. 1288. XV. Egregiis præceptis a Nicolao inſtruitur, 1288. IX. Fundentibus Deo pro ipſo preces indulgentiæ propoſitæ, *ibid.* XIX. Monetur, ut iniquam legem reſcindat, qua epiſcopi procuratorum opera cauſas agere erant vetiti, 1288. XLI. Rogatur a Nicolao, ut Ptolemaidis clientelam adverſus Saracenos ſuſcipiat, 1290. IX. Id detrectat, *ibid.*
Philippus Pulcher corripitur a Nicolao eccleſiaſticos ipſum injuſte oppreſſiſſe, *ib.* XXVIII. & *ſeq.* Legati Cardinales ad controverſiam componendam juſſi incumbere, *ibid.* Solicitatur ab eodem Pontifice ad everſas res Syriæ inſtaurandas, 1291. XX. XXI. Revocatur a concilio gerendi in Jacobum belli ad ſubiiciendam fratri Aragoniam, 1291. LVI. LVII. Solicitatur ad derivandas in Siculos vires, *ibid.* LVIII. Dominatus in mediam Avenionis partem jura in Carolum Regem Siciliæ transfundit, 1291. LXI.
Philippus Pulcher ſolicitatur a Nicolao IV. ad ferendam Armeniæ laboranti opem, 1291. I. Levibus ex cauſis bellum ſuſcipit cum Anglorum Rege, 1293. III. Illum in judicium vocat, *ibid.* IV. Flander ab eo deficit, 1294 XXV. Adolpus Rom. Rex illi bellum infert, *ibidem*. A Bonifacio VIII. ad ſectandas regias virtutes excitatur, 1295. X. Fœdus cum Jacobo Rege Aragonum pangit, *ibid.* XXI. De valle Arany cum eo diſceptat, *ibid.* XXVI.
Philippus Pulcher ſolicitatur, ut controverſiam pontificio arbitrio permittat, 1295. XXVI. Dat operam ut Jacobus Rex Balearium reſtituatur regno, *ibid.* & *ſeqq.* Cum Eduardo Anglorum Rege & fœderatis bellum gerit, *ibid.* XLI. Bonifacii VIII. ingentia ad eum difficillimo bello eripiendum ſtudia, *ibid.* XLI. Monetur ab ipſo Pontifice, ut priſtina in Apamias jura epiſc. permittat, *ibid.* LII.
Philippus Pulcher Flandros a ſe deficientes edomat, 1296. XVII. Biennales inducias cum Eduardo Rege & Flandro init, *ibid.* XIX. Solicitatur a Bonifacio, ut controverſiam arbitrio ſedis Apoſtolicæ permittat, *ibid.* XXII. Succenſet illi ob latam ad reprimendas laicorum in eccleſiaſticos extorſiones apoſtolicam ſanctionem, *ibid.* XXIV.
Philippus Pulcher vetat pecunias e regno extrahi, *ibid.* Corripitur a Pontifice, *ibid.* XXV. Objectum illi, patrocinio apoſtolico adverſus ingruentes hoſtes tectum fuiſſe, *ibid.* XXVII. Inſtat, ut Jacobus Balearic. regno reſtituatur, obtinetque in fœdere, 1297. XXV. Guidonem Flandriæ comitem domat, 1297. XLII. Victoriam latius profert, *ibid.*
Philippus Pulcher inducias biennales cum Anglo paciſcitur, *ibid.* Permiſſi prælules illi ſubſidiarium aurum conferre, *ibid.* XLIV. Unius ſacerdotii conferendi in ſingulis cathedralibus & collegiatis eccleſiis facultas ei conceſſa, *ibid.* XLVI. Monetur, ne aurum a clericis regno avehi prohibeat, *ibid.* Cenſuris ſolvitur, ſi quas ea occaſione contraxerat, *ibid.* XLVIII. Si in hoſtium poteſtatem incidat, juvandus a clero auro ſubſidiario pronuntiatur, *ibid.* XLIX. Initæ illum inter & Eduardum Regem concordiæ leges dictæ a Pontifice, 1298. III. IV.
Philippus Pulcher ſolicitatur, ut pontificiæ cuſtodiæ permittat arces, quas Anglo eripuerat, 1298. VII. Filiam Iſabellam Eduardo juniori deſpondet, *ibid.* IX. Suis juribus ac limitibus jubetur ſe continere, *ibid.* X. Hortatur cum Pontif. ut arma in Sarracenos Aſia-

ſiaticos convertat, *ibid.* XIX. Monetur ne eccleſiarum jura invadat, *ibid.* XXIV. Monitus ut eccleſiæ Rhemenſis bona occupata reſtituat, 1299. XXIII. Reprimat adminiſtrorum in eccleſiaſticas opes graſſantium licentiam, *ibid.* XXV. Extractæ inter illum & Eduardum Regem induciæ, 1300. XXVI.

Philippus Pulcher monetur, ne eccleſiarum Narbonenſis & Melgorienſis jura invadat, 1300. XXVII. *& ſeq.* Diſcordias cum Bonifacio exercet, 1301. XXVI. Earum exordia, *ibid.* Appamienſem epiſc. cuſtodiæ Narbonenſis archiep. committit, *ibid.* Quæ illi objecerit, *ibid.* XXVII. Jubetur illum libertati reſtituere, *ibid.* XXVIII. Sacrarum inveſtiturarum jus ſibi arrogat, *ibid.* Ob gravamina ab ipſo omnibus regni ordinibus inflicta indicta Romæ a Bonifacio ſynodus, *ibid.* Abrogatæ ad tempus illius prærogativæ, *ibid.* XXX.

Philippus Pulcher ad arma in Syriam vertenda ſolicitatur, 1301. XXXI. XXXII. Bonifacium apud Gallos, ut ſupremum in Gallias imperium affectantem, in invidiam adducit, 1302. XI. Pecunias e regno efferri vetat, *ibid.* Aditus in Italiam obſeptos eſſe jubet, *ibid.* Conſtitutionem Bonifacii, *Unam ſanctam*, gravate fert, *ibid.* XIII.

Philippus Pulcher cenſuris tacito nomine percellitur, *ibid.* XIV. Joannes Cardinal. legatus miſſus, ut eum ſolvat anathemate, *ibid.* Spernit Bonifacii voluntatibus obſequi, *ibid.* XVI. Rebellant in eum Belgæ, *ibid.* Illius adminiſtri ob nimiam in populos acerbitatem trucidati, *ibid.* Fuſus *exercitus & Robertus* Atrebatenſis cæſus, *ibid.* Inſtitutus fœderis inter Anglos & Scotos interpres, rem extrahit, *ibid.* XVII. A Joanne Card. conciliandæ exortæ illum inter & Bonifacium controverſiæ data opera, 1303. XXXIV. Proponit nonnullos concordiæ articulos, *ibid.* Quid a Bonifacio reſponſum, *ibid.* Rex Romanorum ad bellum in Philippum ſolicitatus, *ibid.* XXXV. Plures calumnias & crimen hæreſeos impingit Bonifacio Philippus, *ibid.* Provocat ad concilium œcumenicum, *ibid.*

Philippus Pulcher graviore edicto percellitur a Bonifacio, *ibid.* In Pontificem a Guillelmo Nicoſienſi archiep. irritatur, *ibid.* XXXVII. Doctores pontificiæ cauſæ patrocinantes in exilium pellit, *ibid.* XXXVIII. A Philippi ſtudioſis captus Bonifacius, *ibid.* XLI. Sanctiſſimi epiſcopi oraculum de divina in Regem ipſum vindicta, *ibid.* XLIII.

Philippus Pulcher Flandros maritimo prælio vincit, 1304. VIII. Et terreſtri, *ibid.* Oratores Benedicto ad recuperandam Eccleſiæ gratiam mittit, *ibid.* IX. Ejus ad ipſum literæ, *ibid.* Cenſuris liberatur, *ibid.* Omnia Bonifaciana in eum acta reſciſſa, *ibid.* X. Priora privilegia illi reſtituta, *ibid.* XI. Novis beneficiis ornatur, *ibid.*

Philippus Pulcher Rex Francorum corrupti Cardinalis opera pontificiam creationem confundit, 1305. II. Ejus arbitrio Pontificis creatio ex arcano dolo permiſſa, *ibid.* III. Cum archiepiſcopo Burdegalenſi de illo ad pontificatum evehendo paciſcitur, *ibid.* IV. Lugduni ſtratoris munus Clementi V. tyara redimito exhibet, *ibid.* XIII. Pontificis fratrem equeſtri baltheo donat, *ibid.* Periclitatur ex muri ruina, *ibid.*

Philippus Pulcher cenſuris omnibus ſolvitur, 1305. XIV. Columnenſes Cardinalatui reſtituendos curat, *ibid.* Templum S. Ludovico ponit, *ibid.* Clemens ad illius gratiam decernit, Galliarum regni liberrati ex Bonifaciana conſtitutione non detractum, 1306 I. Cum Roberto Flandriæ comite pacem init, *ibid.* 1307. VIII. Convenit cum fratribus Clementem Pictavii, 1307. I. Concordiam cum Rege Angliæ firmat, *ibid.* IX.

Philippus Pulcher Iſabellam filiam Eduardo juniori locat, *ibid.* Ultionis cupidine judicium ad damnandam Bonifacii VIII. memoriam inſtitui poſtulat, *ibid.* X. Ejus filius natu maximus Ludovicus Navarræ regni corona redimitus, *ibid.* XIV. Gallicæ genti occidentale imperium reſtituere affectat, 1308. XX. Ob accuſatum Bonifacium indignatus Clemens eum deludit, *ibid.* XXI. Litem inſtructam calumniis perſequitur adverſus eundem Bonifacium, 1309. IV. Omnium gentium odia ſibi conflat, *ibid.*

Philippus Pulcher filium Ludovicum Regem Navarræ immittit cum exercitu adverſus Lugdunenſes, 1310. XXXIII. Stephanus & Landulphus Cardinales pro re componenda ad eum miſſi *ibid.* XXXIV. Belgas pro firmanda pace adigit, ut poſcant ſibi cenſuras influgi, ſi illam infregerint, *ibid.* XXXV. Templariorum ordinis ſpectatiſſimos equites flammis tradi jubet, *ibid.* XL.

Philippus Pulcher a Clemente ſolicitatur, ut accedat ad concilium, *ibidem*, XLI. Quos excuſationum fucos ad patrata in Bonifacium VIII. ſcelera coloranda attulerit, 1311. XXVI. Quid a Bonifacii defenſoribus illi objectum, *ibid.* XXVII. Pronuntiatur a Clemente, pio ſtudio egiſſe in Bonifacium, *ibid.* XXIX. Declaratur innocens a capti Bonifacii theſaurique expilati crimine, *ibid.* Ad ejus gratiam geſta Bonifaciana reſciſſa, *ibid.* XXXI.

Philippus Pulcher omni calumniæ nota una cum poſteris liberatur, *ibid.* Bonifacianæ ſanctiones in Philippum juſſu Clementis Papæ e regeſto pontificio expungi juſſæ, *ibid.* XXXII. Aliqua earum exempla ſervata, *ibid.* Literæ Bonifacii quibus Philippus fuit admonitus, ut noxas objectas emendaret, *ibidem*, XXXIII. Aliæ literæ, quibus anathema contraxiſſe denuntiatur, *ibid.* XXXIX. Aliæ quibus contempta iniqua ejus ad concilium provocatione, in jus vocatur, *ibid.* XL. *& ſeqq.* Sententia in eumdem anathematis concepta, qua Galli ejus imperio ſoluti renuntiantur, *ibid.* XLIV. *& ſeqq.*

Philippus Pulcher intereſt Viennenſi concilio, 1312. I. Refelluntur calumniæ ab eo objectæ Bonifacio Papæ, *ib.* XIII. *& ſeqq.* Tres Cardinales coram ipſo demonſtrant argumentis ex theologia, ex jure civili, ex canonico petitis Bonifacianæ cauſæ æquitatem, *ibid.* XVI. Duo equites provocationem ad ſingulare certamen indicunt coram ipſo iis, qui Bonifacio calumniari voluerint, *ibid.* Liberatur a concilio pœnis ob geſta in Bonifacium, *ibid.* Obſtringit ſe ad ducendam expeditionem Syriacam, *ibid.* XXII. Lugduni imperium ex pactione cum Petro archiep. ſibi aſſerit, 1312. XXIX. Petit ab Henrico VII. Atelatenſe regnum, tractumque Rhodani uſque in Germaniam, *ibid.* XXXII. Poſcit a Clemente diem induendæ crucis extrahi, ut majori pompa res celebretur, *ibid.* L. Decumæ pro conficienda expeditione illi attributæ, *ibid.*

Philippus princeps Tarentinus parat expeditionem in Græciam contra ſchiſmaticos pro aſſerenda Achaja, 1312. XLVIII. Conceſſæ illi a Clemente V. decumæ, *ibid.* Multis ab eodem Pontifice ſacris beneficiis afficitur, *ibid.* Solutæ ad ejus gratiam canonicæ leges, ut abneptem Balduini II. uxorem ducat, *ibid.* XLIX.

Philippus epiſc. Tridentinus a Maynardo duce Carinthiæ exagitatus, 1200. XXVIII. Diſtrictæ ob id in ducem cenſuræ, *ibid.*

Phi-

Philippus princeps Tarentinus creatur a Bonifacio una cum legato regiæ Siculæ procurator, 1295. XIX. Ad ejus preces id munus poſtea in Reginam Mariam collatum, *ibid.* Caroli II. Regis Siciliæ filius miſſus a patre in Siciliæ inſulam, 1299. IV. Jubet Bonifacius VIII. revocari a patre, *ibid.* Delectur prælio, & in hoſtium poteſtatem concidit, *ibid.*

Picentes rebellant in Clementem V. 1308. XII.

Piſani Eccleſiæ a Bonifacio VIII. conciliati, 1296. IV. Publicæ rei adminiſtrationem illi committunt, *ibid.* Inita cum Genuenſibus pace, e Corſicæ parte ad eorum gratiam cedunt, 1299. XXVIII. Moniti ut Jacobo Regi Sardiniam & Corſicam reſtituant, 1303. XXIX.

Pius II. a Pontifice Romano ad concilium provocantes anathemate defigit, 1303. XXXV.

Pœnitentiæ beneficio e meretrice virginum ſanctarum æquat merita Margarita Cortonenſis, 1297. LXIX. *Vide*, Auſteritas vitæ.

Pœnitentiæ ſacramentum extremo ſupplicio afficiendis conferri juſſum e concilio Viennenſi, 1312. XXIV.

Pœnitentia publica impoſita a Clemente V. Nogareto Bonifacii VIII. perſecutori, 1312. L.

Poloni & Polonia; Wenceſlaus Boemiæ Rex correptus a Bonifacio VIII. juribus eccleſiæ diſtraxiſſe in Poloniæ Regis nomine uſurpando, 1302. XXII. Apud Polonos regii faſtigii decus revocatum, *ibid.* XXIV. Variæ rei Polonicæ converſiones, *ibid.* XIV.

Poncellus Urſinus rebellium Picentum dux, 1308. XII.

Pontifex Romanus; ad Romanum Pontificem pertinet quemlibet Chriſtianum de peccato mortali corripere, & oppreſſus ab eorum oppreſſionibus liberare, 1288. XVII. §. Reperimus. Poteſt ſacerdoti ſimplici concedere ut minores ordines conferat, 1294. XV. §. Movebant. Exemplum Cœleſtini V. Papæ in S. Ludovico poſtea epiſcopo, *ibidem*. Contendunt Cardinales Columnenſes adverſus Bonifacium VIII. non poſſe Pontificem abdicare ſe pontificatu, 1297. XXXIV. Eorum argumenta, *ibid.* §. Univerſi, *& ſeqq.* Refelluntur, *ibid.* Opinatur Paludanus, ſine conſenſu eccleſiæ cedere non poſſe Pontificem, *ibid.* Aliud aliis videtur, *ibid.* Ut poteſtas juriſdictionis papalis diſtinguatur ab ordine, *ibid.* Ut conſenſu mutuo contrahatur papatus, *ibid.* Papatus non poteſt deſtrui, quia eſt a Deo, *ibid.* §. Per id. In tali perſona poteſt, quia per accidens eſt in ea, *ibid.* Argumenta quæ probant Papam poſſe cedere, *ibid.* §. Ut ſequitur. Reſpondetur ad Columnenſium argumenta, *ibid.* §. Ad contraria *& ſeqq.* Ut papalis poteſtas ſit a Deo, cooperantibus hominibus in tali perſona, *ibid.* §. Ad contraria. Illius auctoritas in exemptionibus eniteſcit, 1312. XXIV. §. Tertia via. Exempti illi peculiari nexu adhæreſcunt, *ibid.* §. Tertio principaliter. A juriſdictione papali nemo poteſt eximi, *ibid.* §. Prima quæſtio. Poteſt epiſcoporum juriſdictionem ampliare & reſtringere, *ibid.* §. Si autem loquamur. Juriſdictionem ipſis communicat, *ibid.* Appellationes a Papa ſunt ſupplicationes, *ibid.* §. Circa quod. Per exemptiones Papa ſuam demonſtrat auctoritatem, *ibid.* §. Secunda ratio. Illum Henricus Imperator ſummum Chriſtiani orbis antiſtitem diademate ſuſcepto, profitetur, 1312. XXXVII. §. Sanctam.

Pontifex Romanus; nova de eligendo Pontifice conventio, 1305. II. Illi Jacobus Rex Aragonum fidem ſacramento devincit, 1305. VIII. Philippus Francorum Rex aliique principes obequitantis Pontificis equi fræna tenent, *ibid.* XIII. In eum & præſules inſurgit Dulcinus hæreſiarcha, *ibidem*, XVIII. Robertus Calabriæ dux parentis Caroli II. Regis nomine Siciliam pontificali liberalitate, & beneficientia teneri profiteretur, 1306. VI. Ejuſdem Caroli rem habentis ratam literæ, *ibid.* Jacobus Rex Aragonum iterum Clementi Sardiniam Corſicamque acceptas refert, *ib.* X. Publica ea de re documenta, *ib.* De Papæ dignitate, *ibid.* XIV. Glaſguenſis epiſcopus, jura illi reſervata ſibi arrogans, in judicium accerſitus, *ibid.* Controverſia de regno Ungarico inter Carolum & æmulos a Pontifice dirempta, 1307. XV. *& ſeq.* Geſta pontificia ante ſuſceptas papales infulas eadem vi pollere, qua quæ poſt eam acceptam, decernitur, *ibid.* XXVII. Urſius Rex Raſciæ oratores ad Clementem V. pro obtinenda eccleſiæ Romanæ conjunctione mittit, 1308. XXVI. Indictum Raſcis, ut Rom. Pontificis primatum profiteantur, *ib.* XXVII. Robertus Rex Siciliæ regia inunctione a Clemente V. linitur, & in illius verba jurat, 1309. XVIII. *& ſeqq.* Deſponſam ſibi a Roberto fidem admittit Pontifex, *ibid.* XXII. Conventas in regni donatione leges confirmat, *ibid.* Sacramentum, quo Romanorum Rex ſe obſtringit Italiam non ingreſſur um 1310. III. *& ſeqq.* Romanorum Rex a principibus electus confirmatur a Pontifice, 1310. XI. Armeniæ & Cypri Reges Pontificem controverſiarum arbitrum deligunt, 1311. LXXVII. Begardi negant, ſe obnoxios ſummo Pontifici, 1312. XVII. Is ſummus eccleſiæ hierarcha demonſtratur, *ibid.* XIX. Ad eum ſpectat Regum lites ſedare, *ibid.*

Popinarii; decretum concilii Salisburgenſis de clericis popinariis, 1310. XLII.

Porchettus Spinula Minorita Genuenſi archiepiſcopatui reſtitutus, 1301. XXXV.

Prædictio. *Vide*, Præſagium.

Prænefte in Columnenſium gratiam adverſus Pontif. rebellavit, 1299. VI. Captum exciſumque eſt, *ibid.* Epiſcopalis ſedis & cardinalatus decore exutum, *ibid.* Sulcatum aratro & ſale conſperſum, *ibid.*

Præſagium; turris per quam maledictio Ptolemaidi illata, vocata diu ante vulgo maledicta, 1291. IX. XI. Inſignia apud Græcos prodigia, quæ eo tempore, quo exciſa Syria contigere, imminentem iis cladem a Saracenis denuntiant, 1291. XVIII. S. Cœleſtinus ordinis Cœleſtinorum conditor ſecundinis in formam religioſæ veſtis tectus e materno utero prodiit, 1294. VIII.

Præſagium; malorum ex tranſlata in Gallias ſede Apoſtolica triſte auſpicium, 1305. XIII. Otho dux Bavariæ amiſſurus regnum Ungaricum ſacram coronam amittit, 1305. XVI. Lateranenſis baſilicæ incendium Clemente V. in Gallis hærente, triſti tranſlationis ſedis præſagio verſum, 1308. X. Oſtenſa cœlo prodigia cum Templariorum ſcelera detecta ſunt, 1311. LIII.

Præſules; eccleſiæ doctoribus deſtitutæ, 1311. LX. Gravibus inde affectæ damnis, *ibid.* Mala ex reſidentiæ præſulum defectu, *ibid.* LXII. Cur electiones rite non fiant, *ibid* LXIII. Et eccleſiæ non probe adminiſtrentur, *ibid.* Indigni ad dignitates irrepunt, *ibid.* Mala ex præſulum indignitate manantia, *ibid.* LXIV. *Vide*, Epiſcopi. Sacerdotium. An & quomodo obediendum nefario præſuli, 1312. XVII. §. Tertius error.

Preces indictæ a Clemente V. pro re ſtrenue gerenda adverſus Saracenos, 1308. XXXIV. Item pro expeditione Granatenſi feliciter obeunda, 1309. XXX. Excitati ab eo religioſi

viri, ut cœleſtium opem precibus ſuis pro Chriſtiano nomine in Syria dimicantibus conciliarent, *ibid.* XXXIV. Begardi damnant orandi laborem, 1312. XVII. §. Secundus error. Confutantur ex Apoſtolo, *ibid.* Se orare ſemper ajunt, & orandum negant, *ibid.* §. Iſti miſeri.
Principes; religio ſingulare principum ornamentum, 1310. III.
Principibus data monita a Romanis Pontificibus; paterna ad Henricum Regem Romanorum exhortatio, 1305. XIV.
Prodigia apud Græcos dum Syria vaſtatur, 1291. XVIII. *Vide*, Oſtenta. Præſagia.
Pruſſia a Lituanis vaſtata, 1311. LXXII.
Pſalmodia; abuſus in ea, 1311. LXV.
Pſeudomonachi idololatræ apud Tartaros diabolico inſtinctu monachorum noſtrorum ritus imitantur, 1307 §. Colunt *& ſeq.*
Ptolemais adducta in diſcimen, 1290. IX. Rogatus Philippus Francorum Rex, ut clientelam illius acciperet, id detrectat, *ibid.* Exciſa a Seraph Sultano, 1291. VI. *& ſeqq. Vide*, Accon.

O

Quadrageſima; permiſſus Regi Boemiæ carnium ejus quadrageſimæ tempore feria 6. & ſabbato exceptis, 1297. LII.
Quandelorum fruſtra tentatum a cruceſignato exercitu, 1290. VII. Iterumque irrito conatu, 1292. III.

R

Raimundus abbas S. Severi creatus Cardinalis tit. S. Pudentianæ, 1312. LIV.
Raimundus e Gotho nepos Clementis V. inter Cardinales aſcriptus, 1305. XIV.
Raimundus Guillelmi de Fargis nepos Clementis V. creatus ab eo Cardin. diacon. 1310. XLVI.
Raſcia; illius Rex Uroſius ad Romanæ eccleſiæ obſequium procumbit, 1308. XXVI.
Raynerius nuntius ad pacanda Inſubriæ bella miſſus, 1295. XL.
Raynerius Grimoaldus victoriam navalem de Flandris refert, 1304. XI.
Raynerius epiſc. Cremonenſis; data illi a Clemente V. provincia inſectandi Dulcinianos, 1311. LXVI.
Raynaldus Paſſarinus. *Vide*, Paſſarinus.
Recinetenſis ager; tranſlata e Dalmatia in eum Nazaretana Deiparæ domus nobilis, 1294. XXIV.
Regayto fratri Argoni in Perſico regno ſuccedit, 1291. XXXVII. Inertiæ ſe dedit, *ibid.*
Reges; indicta iis ſacra bella a Chriſti Vicario cum religionem peſſumdant, exemplum in Ladiſlao, 1288. XXIV. Qua pompa a Cardinalibus excepti, 1293. II. Qui ordo ſedium iis datus, *ibid.* Aſini Pontificem vehentis fræna regunt, 1294. X. Equi pontificii habenas tenent, 1295. V. Coronati inſerviunt Pontifici epulanti, *ibid.* VII.
Reges; confirmata archiepiſcopo Cantuarienſi ſacrandorum Regum Angliæ auctoritas, 1308. XVIII. Tenentur Reges ſuas lites Pontificis judiciariæ ſententiæ ſubmittere, 1312. XIX. Quia ſunt inobſequentes tot mala redundant in Chriſtianos, *ibid.*
Reges; Tartari Regem ſuum inſtar numinis colunt, 1286. XXXV. §. In die.
Religio; illius cauſa Regum eam evertentium privatæ rei præferenda, exemplum in Ladiſlao Rege Ungariæ, 1288. XXIV. *& ſeqq.*
Religio ſingulare principum ornamentum, 1310. III.
Religio quid ſit, & ut tripliciter accipitur, 1312. XXIV. §. Quantum ad primum.
Religioſæ familiæ; earum elogia, 1312. XXIV. §. Quarto.
Religioſi cur ita dicti, 1312. XXIV. §. Quantum ad primum. Qui præeſt religioſorum collegio, ſpiritualibus maxime præeſt, *ibid.* §. Quantum ad quartum. Ut juriſdictio magis illi, quam epiſcopo competat, *ibid.* §. Secunda ratio ſumitur. Ut deceat religioſos ſubeſſe præſuli religioſo, *ibid.* §. Quantum etiam. Epiſcopalis in religioſos juriſdictio ſuperflua vel noxia probatur, *ibid.* §. Dico quod. Religioſos non recte ab epiſcopis dirigendos probatur, *ibid.* §. Poſtea. Probatur, ut in ſpecie religioſos ordines mendicantes exemptos eſſe expediat, *ibid.* §. Poſtquam univerſim. Cur Papam, & non epiſcopum ordinarium præeſſe illis expediat, *ibid.* §. Et quia frequenter. An præterea ſubdendus religioſus epiſcopo, quia ſacramentum ordinis ab eo recepit, *ibid.* §. In principio.
Religioſi; permiſſum Regi Cypri, ut in aula religioſos viros detineat, 1295. XLVIII.
Religioſi; Joannes Aytonus, ex Rege Armeniæ Minorita, ardore fidei ſuccenſus repetita re militari, Turcas profligat, 1306. XIII. Cæditur, *ibid.*
Reliquiæ ſanctorum; baſilicæ Lateranenſis reliquiæ e medio ereptæ incendio, 1308. X. A Cardinalibus ſigillis conſignari juſſæ, *ibid.* XI.
Reliquiæ S. Bertrandi epiſcopi Convenarum a Clemente V. in locum honorificentiorem tranſlatæ, 1309. I. II.
Reliquiæ non vulgo tractandæ, 1311. LXXVII. Permittitur Regi Siciliæ, ut eas honorifice in regia aſſervet, *ibid.*
Reliquiæ S. Barnabæ Apoſtoli Florentiam tranſlatæ, *ibid.*
Renunciatio. *Vide*, Ceſſio.
Reſurrectio; Andræas Ladiſlai Ungarorum Regis frater a B. Cunegunde ad vitam revocatus, 1290. XXXIX. XL. Cum mors ejus animæ ſaluti conduceret, ab illa iterum mori juſſus, *ibid.*
Rhodus oppugnata ab Hoſpitalariis, 1306. XII. Expugnata, 1310. XLIII.
Rhodii magnis damnis affecti a Madachia Saraceno, Genuenſibus inſtigantibus, 1311. LXXIV.
Richardus Senenſis Cardinalis defenſor memoriæ Bonifacii VIII. 1312. XI. Demonſtrat ex jure civili petitis argumentis coram Philippo Francorum Rege ipſius Bonifacii innocentiam, *ibid.* XVI.
Ritus; idololatrarum ritus nefarii, 1307. XXIX. *& ſeq.*
Ritus in ſacrandis Regibus Romanorum ſervari conſueti, 1309. IX. *Vide*, Romanorum Reges.
Ritus qui in nuncupando a Regibus Siculis ſacramento ſerventur, 1309. XXI. §. Quo porro.
Robertus Atrebatenſis comes iras in Carolum Regem ob pactas cum Jacobo Aragonio inducias ſuſcipit, 1290. XXIV. Flandros a Francorum Rege deficientes edomat, 1297. XLII. Corripitur, eccleſiæ Atrebatenſis jura invadere, 1299. XXII. Solicitatur, ut veniat in Siculos, 1300. XIX. Profligatur a Belgis ac necatur, 1302. XVI. Divinæ in eos juſtitiæ exemplum ob literas pontificias igni traditas, *ibid.*
Robertus Bruſius poſt Alexandri Regis mortem ad

ad Scoticum ſceptrum aſpirat, 1286. XXIV.
Robertus dux Calabriæ, ac poſtea Rex Caroli II. filius S. Ludovico fratre S. Franciſci inſtituta ſectante, jura primogenituræ adipiſcitur, 1296. XVI. Expeditionem in Siciliæ inſulam ſuſcipit, 1299. V. Cataniam pluresque alias urbes in ſuam poteſtatem redigit, *ibid.* 1300. XXI. Una cum Carolo Andium comite expeditionem init in Siciliæ inſulam, 1302. II. Quis illius belli exitus fuerit, *ibid.* Iniquas pacis leges cum Friderico Aragonio paciſcitur, *ibid.* III. IV. Eæ a Bonifacio VIII. temperatæ, 1303. XXIV. *& ſeqq.*
Robertus Flandriæ comes pacem a Philippo Rege Francorum magno auri pondere redimit, 1306. I. Intentatum anathema admittit, ſi rebellarit, 1307. VIII. Mittit oratores ad Clementem, qui objectas a præſulibus cenſuras eo caſu firmas eſſe jubeat, 1310. XXXVI.
Robertus Calabriæ dux, poſtea Rex Siciliæ patris Caroli II. nomine clientelarem ſponſionem ſacramento nuncupat apud Clementem V. 1306. VI. Excitatur a Clemente, ut in perduelles eccleſiæ conſurgat, 1308. XIII. Carolo II. patri in Neapolitano regno ſuccedit, 1309. XVIII. Sceptrum pontificia liberalitate acceptum profitetur, *ibid.* XIX. Confirmatur in regno a Clemente Papa, *ibid.* XXII. Remittit illi Pontifex quinquaginta millia marcharum, contractaque a patre & avo nomina, *ibid.* XXIII. Concordiam, Clemente interprete, paciſcitur cum Friderico Rege Trinacriæ, *ibid.* Tunetanus Rex Roberti vectigalis pronuntiatur, *ibid.* Negat Jeroſolymitani regni jura Friderico, ni mediam Trinacriæ partem reſtituat, *ibid.* Creatur Æmiliæ præfectus a Clemente, 1310. XVIII. Gratias regiis literis ei agit, *ibid. & ſeqq.* A Florentinis reipublicæ adminiſtrationi præficitur, *ibid.* XXI. Nonnullis ſacris beneficiis affectus a Chriſti vicario, 1311. LXXVII.
Robertus Calabriæ dux affinitatem cum Henrico Cæſare optat, repulſamque patitur, 1312. XXXI. Guelforum patrocinium ſuſcipit, *ibid.* Joannem fratrem, cum equitatu Romam ſubmittit, *ibid.* Proponit concordiæ leges Henrico, *ibid.* Filiam Henrici Cæſaris filio Carolo cum Inſubriæ Etruriæque præfectura tradi depoſcit, *ibid.* XXXIII. Negat Henrico ad baſilicam ſancti Petri aditum pro auguſtali inauguratione celebranda, *ibid.* XXXV. Monetur, ut ſacramenti præſtiti religionis ergo cum Henrico pacem ineat, *ibid.* XLIV. Henricum pacem reſpuentem, in anguſtias contrahit, *ibid.* XLVII. Jubetur copias ex urbe revocare, *ibid.* A Florentinis præficitur publicæ rei, *ibid.* Vocatur in jus ab Henrico VII. Imp. *ibid.*
Robertus archiep. Cantuarienſis judicio læſæ majeſtatis apud Clementem V. ab Eduardo accuſatus, 1306. XIV. Confirmatum illi jus coronæ imponendæ Eduardo II. 1308. XVIII.
Robertus Bruſius affectati ſceptri Scotici crimine accuſatus apud Eduardum Angliæ Regem, 1306. XV. Evadit fuga in Scotiam, *ibid.* Accuſatorem trucidat in templo, *ibid.* Apud Sconam regium inſigne accipit, *ibid.* Gemino prælio ab Anglis deletus, *ibid.*
Robertus Rex Siciliæ; qui ritus in nuncupando ſacramento ab eo ſervati, 1309. XXI.
Rodulphus Romanorum Rex ad imperialia inſignia accipienda a Pontifice vocatur, 1286. I. Feſtum Purificationis ad id conſtitutum, *ibid.* Cardinalis epiſc. Tuſculanus legatus ad eum ſtipandum miſſus, *ibid. & ſeqq.* Imperii jura in Etruria diſtrahit, 1288. XXII. Rogatur, ut liberandum curet archiepiſcopum Colonienſem, 1289. XLV. Inſignia imperialia a Nicolao IV. flagitat, *ibid.* XLVI. Queritur Regi Francorum decimas in nonnullis Imperii terris attributas, 1290. XXII. Mulcet illum Nicolaus, ut rem æquiori animo ferat, *ibid.* Solicitatur ad fidei, in Ungaria in grave periculum abductæ, afferendam opem, 1290. XLII. Ungariam veluti Imperii Beneficiariam filio tradit, 1291. XLV. Opponit ſe illi Nicolaus IV. *ibid.* XLVII. Arguit jura Romanæ eccleſiæ in ea re invaſiſſe, *ibid.* XLVIII. Ad ducem Charinthiæ, eccleſiarum jura violantem, comprimendum ſolicitatur, *ib.* LXVI. Moritur imriali corona numquam accepta, *ibid.* L. 1292. XXI. Succedit illi Adolphus, *ibid.*
Rodulphus archiep. Salisburgenſis reliquiarum B. Virgilii tranſlationem celebrat, 1288. XXIII.
Rodulphus Palatinus Rheni princeps elector Alberto Regi Romanorum judicium intendit, 1301. III.
Rodulphus Alberti Regis Romanorum filius Boemiæ regno a patre donatus, 1306. XVI. Ejus mors, 1307. XXVI. Succedit Henricus Charinthius, *ibid.*
Rogerius Lauria a Friderici partibus divellitur, 1295. XXXVI. Gerba & Cherchinas inſulas Africæ objacentes, Saracenis eripit, *ibid.* XXXVI. Beneficio ſedis. Apoſtolicæ eas poſſidendas accipit, *ibid.* XXXVII. Reginam Conſtantiam, initurum cum Pontifice colloquium, Romam comitatur, 1297. I. Fridericum ingenti prælio delet, 1299. III. Ad Bonifacium VIII. una cum Rege Carolo accedit, 1300. XII. Siculam claſſem profligat, *ibid.* XIX.
Rogerius Ubaldinus archiep. Piſanus, 1288. XXI.
Rogerius Fuxi comes Appamiarum dominatum epiſc. eripit, 1295. LII. Cum Appamienſi epiſc. in concordiam redactus, 1299. XXV.
Rogerius Florius Brundufinus, 1303. LX. Turcas Philadelphiæ obſidione propulſat, *ibid.*
Rogerius Lauria ut injuſte Carolum II. pugna maritima ceperit, 1288. XVII. §. Siquidem.
Roma; Romani; academia in Urbe inſtaurata a Bonifacio VIII. 1303. XXXII. Romani in ſuſcipiendo honorifice Bonifacio reduce ex hoſtium manibus ſtudium explicant, *ibid.* XLII. Romani tumultus ſopiti a Benedicto XI. 1303. XLVI.
Romana eccleſia; Romanæ eccleſiæ beneficiaria Ungaria, 1291. XLVII. De ipſius in Scotiam jure, 1292. XIII. Gerbæ & Cherchinæ inſulæ, objacentes Africæ, fiduciario jure ſedis Apoſt. liberalitate poſſidendæ Rogerio Lauriæ attributæ, 1295. XXXVII. Comitatum Melgorienſem ad eccleſiam Rom. pertinere oſtenditur, 1300. XXVII. Refelluntur a Clemente IV. illi qui negant eccleſiam Rom. fiduciaria bona in Galliis poſſidere potuiſſe, *ibid.* XXXI. Ungariæ ſupremum imperium a S. Stephano Rege collatum in ſedem Apoſt. 1301. VIII. De Rom. eccleſiæ primatu. *Vide*, Romanus Pontifex.
Romana eccleſia; ei Sardiniæ & Corſicæ regnum ſolemni ritu acceptum refert Jacobus Rex Arag. 1305. VIII. IX. Renovata a Clemente V. ejuſdem regni donatio, *ibid.* X. Fridericus Trinacrius ob non ſolutum Rom. eccleſiæ cenſum cenſuris irretitus, *ibid.* Rex Siciliæ fidem Clementi V. obſtringit, 1306. VI. VII. VIII. Ferrariæ poſſeſſionem ineunt nomine Romanæ eccleſiæ internuntii apoſtolici, 1308. XV. Ut Ferraria jure ſpectarit ad eccleſiam Romanam, 1309. VI. Robertus Siciliæ Rex in Pontificis verba jurat, 1309. XIX. Ea ſacramenti formula, *ibid.* Profitetur, eccleſiæ beneficientia datum avo regnum, *ibid.*

ibid. Sacramentum de fuenda eccleſia a Romanorum Rege exigi jubet Pontifex, 1310. II. Pollicetur illi Cæſar, fœdera ſe cum hoſtibus eccleſiæ non initurum, *ibid.* III.
Romanæ eccleſiæ ditio; ejus ditio bellis vexata, 1305. VII. Spondet Cæſar, eccleſiaſticam ditionem non invaſum iri, 1310. V. Præcipuæ illius urbes ac provincias deſignat, *ibid.* Agnoſcit ab Imperatoribus donatas iterumque donat, *ibid.* VI. Ad patrocinium eccleſiæ contra hoſtes ſuſcipiendum ſe obligat, *ibid.* Ferrarienſes mittunt ad Clementem oratores, qui urbem illam eccleſiæ Romanæ eſſe obnoxiam profiteantur, *ibid.* XXII. Agnoſcunt conditam a Rom. Pont. in eccleſiæ ſolo, 1310. XXIII. Nova pactione jus urbis in Pontificem transferunt, *ibid.* XXV. Decretum Clementis V. de Ferrariæ dominio & clientela acceptis, *ibid.* XXIX. Excitatæ in eccleſiaſtica ditione ſeditiones, *ib.* XXIV.
Romani Clemente V. Pontifice Lateranenſis baſilicæ incendium, ut magnæ calamitatis ſignum effuſe complorant, 1308. XI. Ipſorum in eadem baſilica inſtauranda fervor, *ibid.* Mulcentur a Clemente ſpe ſui adventus in Urbem, 1309. VIII. In factiones diviſi, 1312. XXXIII. Pars Henricum Cæſarem ducibus Columnenſibus excipit, pars Roberto adhæret, *ibid.* Mulcentur blanda oratione ab Henrico, *ibid.* XXXIV. Cruentas inter ſe pugnas edunt, *ibid.* Cardinalibus vim faciunt, ut Henricum in baſilica Lateranenſi inſigni auguſtali exornent, *ibid.* XXXVI. Coronato applaudunt, *ibid.* Imperata ab Henrico tributa pendere negant, *ibid.*
Romanorum Rex; ritus in ſacrando Aquiſgrani Romanorum Rege, 1309. IX. Ut templo excipiendus ſit, *ibid.* §. In coronatione: Locandus in ſolio regio, *ib.* §. Et hæc. Quæ repetendæ precum formulæ, *ib.* Ut Rex ante aram ſe proſternere debeat, *ibid.* Quæ petita ab eo exigantur, *ibid.* Principum ac populi voluntates de eo admittendo exquiſitæ, *ibid.* §. Et tunc. Quibus precibus luſtrandus, *ibid.* §. Quo facto. In quibus partibus perungendus, *ibid.* Sacerdotali cultu induitur, *ibid.* §. Et tunc. Imploratur illi divinum auxilium, *ibid.* Quo ritu inſignibus regiis exornetur, *ibid.* Sacramenti ab eo nuncupandi formula, *ibid.* §. Hinc. Denuntiatur ipſi non ſucceſſione, ſed electione eum factum Germaniæ Regem, *ibid.* §. Poſt iſtam. Divina res ſolemni pompa peragenda, *ibid.* §. His peractis. A juſtitiæ adminiſtratione regnum auſpicandum, *ibid.*
Romanorum Regina; qui ritus in ea ſacranda ſervandi, 1309. IX. §. His itaque.
Romanus Pontifex; de Ungariæ regno lata a Bonifacio VIII. ſententia, 1303. XVII. Cobila Cham Tartarorum Imperator a Pontifice ſacerdotes poſtulat, qui ipſum baptiſmo perlunant, 1289. LXII. Petit etiam præcones evangelicos ad Tartaros inſtruendos, *ibid.* Deſiderandæ in Romano Pontifice dotes, 1292. XIX. Quibus ex cauſis Pontifices externam pompam fugerint paſſi, 1294. XI. Servati in Pontifice ſacrando ritus, & in conferenda papali corona, *ibid.* XIII. 1295. III. De gemina Rom. Pontificis auctoritate, 1302. XIII. Omnes Chriſtianos Pontifici ſubeſſe pronunciatur, *ibid.* Siciliæ & Ungariæ Reges ſtratorum munus illi exhibent, 1294. X. 1295. V. Epulanti coronis redimiti inſerviunt, *ibid.* VI.
Romanum concilium a Bonifacio VIII. celebratum, 1302. XII. XIII.
Romandiola; exortæ in ea turbæ, 1295. XL.
Rubeus Suly ad defendendas Syriæ reliquias ſe accingit, 1290. VII.
Ruſſi Tartarorum fœderati venefício pereunt, 1387. XIII. Juſta de ipſis divina ultio, *ibid.*

S

Sabadinus Archaon Regis Tartarorum Chriſtianus apud Nicolaum IV. orator, 1288. XXXV.
Sabelli capti poſt convivium ab Henrico VII. Imp. 1312. XXXIV. Lapſi e cuſtodia multis excurſionibus ejus copias fatigant, *ib.* XLVII.
Sacerdos ſimplex minores ordines ex Pontificis imperio conferre poteſt, 1294. XV. §. Movebant. Exemplum S. Cœleſtini Pontificis in S. Ludovico poſtea epiſcopo, *ibid.*
Sacerdotalis dignitas; peragenti divina ſacerdoti Rex Indiæ Georgius regalibus indutus veſtibus inſervit, 1305. XIX. Sacerdotum conſecrationes magno delectu celebrandæ, 1311. LVIII. Mala ex facerdotum indignitate manantia, *ibid.* LXIV.
Sacerdotium; abuſus in conferendis ſacerdotiis, ut a concilio Viennenſi tollerentur, propoſiti, 1311. LVIII. *& ſeqq.* De iis, qui nullis virtutum ſcientiæque dotibus præditi irrepunt ad ſacerdotia, *ibid.* LIX. Eccleſiæ rectoribus deſtitutæ, *ibid.* LX. Gravibus inde affectæ damnis, *ibid.* Mala ex ſacerdotiorum ſtrue in unum congeſta, *ibid.* LXI. Pueri indigne donati ſacerdotiis, *ibid.* LXII. Mala ex reſidentiæ defectu, *ibid.* Cur electiones rite non fiant, *ibid.* LXIII. Et eccleſiæ non probe adminiſtrentur, *ibid.* Indigni ad ſacerdotia irrepunt, *ibid.*
Sacramenta; conferendis ſacramentis militi in caſtris Salernitanus electus præfectus, 1299. II.
Sacramentum; illius B. Petro a Bonifacio VIII. nuncupati formula, 1295. I. §. Antequam.
Sacrificia idololatrarum, 1307. XXIX.
Sacrificium Miſſæ. *Vide*, Miſſa.
Sacrilegium; miles, imagine Virginis violata, in furorem actus, 1302. XVIII.
Salinguerra Ferrarienſium tyrannidem corripere nititur, pelliturque a legato ſedis Apoſtolicæ, 1310. XXIX.
Salisburgum ab Othone duce Bavariæ affectatum, 1292. LXIV. Pactiones inter ipſum & Salisburgenſes initæ, reſciſſæ, *ibidem*, LXV.
Sanctius patre mortuo liberas regni habenas obtinet, 1286. XXIII. Ejus ſequaces cenſuris ſoluti, *ibid.* Pacem cum Francorum Rege init, 1288. XL. Illo defuncto Fernandus filius Rex ejuſque fratres juſtorum natalium dignitate aucti, 1301. XVIII.
Sanguis ex oſſibus S. Thomæ Herefordenſis epiſc. ad perſecutoris ejus præſentiam fluit, 1287. XVII. Fluit etiam cruor ex imagine S. Georgii martyr. 1291. XVIII. E ſaucia ta Euchariſtia a Judæis, 1290. LIV. 1299. XLVII. Ex imagine Virginis læſa, 1302. XXI.
Saraceni Chriſtianam rem in Syria in exitium adducunt, 1290. I. *& ſeqq.* 1291. I. *& ſeq.* Saraceni ob religionem ibi deletam divina ultione percuſſi, *ibid.* V. 1292. VI Pœnæ iis, qui Saracenis operam commodarint, aut merces invexerint, objectæ, 1291. XXVIII. Caſſanus Tartarorum Rex, firmato ſolio, eos inſectatur, 1299. XLIII. *& ſeqq* Victi a Tartaris Saraceni, *ibid.* XLIV. *Vide*, Cruceata expeditio. Terra ſancta.
Saraceni deleti ab Armeniis maxima internecione, 1307. V. Cum iis inducias paciſcuntur, *ibid.* Armenios maximis cladibus afficiunt, 1312. LII.

Sarchanes Turca Græci Imperii partem occupat, 1300. XXXVII.
Sardinia promiſſa a Bonifacio VIII. Jacobo Aragonum Regi, 1299. XXIV. Fiduciario jure ei collata, 1297. II. III. Quibus legibus, *ibid.* Pars illius Genuenſibus a Piſanis ex inito fœdere tradita, 1299. XXXII. Ii ad ipſam Jacobo reſtituendam moniti, 1303. XXIX. Accepta ſolemni ritu a Jacobo de manu Benedicti XI. 1304. XVI.
Sardinia; miſſus orator a Jacobo Aragonio pro clientelari ſponſione Apoſtol. ſedi præſtando non admiſſus, 1305. VIII. Jacobus præſens jura Sardici regni accepta Pontifici refert, *ibid.* Edita ea de re publica documenta, *ibid.* Decumæ pro Sardinia comparanda Jacobo attributæ, *ibid.* X. Oratorum opera clientelarem ſponſionem repetit, 1306. X. Ea de re publica documenta, *ibid.*
Saro Regis Tartarorum filius ad fidem Chriſtianam ampleſtendam ſolicitatus, 1291. XXXIV. XXXV.
Safan Turca Epheſum Græcis eripit, 1300. XXXVII.
Sava Serviæ urbs; Nicolai IV. juſſu in ea ſedes epiſcopalis inſtituta, 1291. XLI.
Scaliger. *Vide*, Canis Scaliger.
Schiſma; Aytonus Armeniæ Rex ob inita cum ſchiſmaticis fœdera divinam vindictam ſubit, 1294. XXVII. Pontificia in Schiſmaticos ſententia, 1297. XXXV. *& ſeq.* Græcorum ſchiſmaticorum diſcordiæ Turcis augendæ potentiæ occaſionem iniecere, 1300. XXXVII. *Columnenſes ſchiſma adverſus Bonifacium VIII.* conflare moliuntur, 1297. XXXIV. Indictum in eos ſacrum bellum, *ibid.* XLI.
Sciarra ſive Jacobus Columna ob Cardinalium Columnenſium ſchiſma mulctatur, 1297. XXXIX. Petrari in capiendo Bonifacio VIII. ſceleris ſocius, 1303. XLI. Ejicitur ab Anagninis, *ibid.*
Scopulus patritius Venetus inſtructæ in Sarracenos a Nicolao IV. claſſis dux, 1290. VII.
Scoti & Scotia; in bella inteſtina ob Alexandri Regis mortem conjecta, 1286. XXIV. Diſſenſiones ibi exortæ, 1290. XXXVII. Scotorum ſanctio de ſupremo Eduardi Angli dominatu, 1292. XIII. Confirmandam negat Nicolaus IV. ne Rom. eccleſiæ in Scotiam jura labefactet, *ibid.* Scotorum cauſam ſuſcipit Bonifacius VIII. atque Eduardum Anglorum Regem bello abſtinere jubet, 1299. XIV. *& ſeq.* Scotiam antiquitus non Angliæ ſed Apoſtolicæ ſedis beneficiariam exponit, *ibid.* XIV. Scotiam beneficio reliquiarum S. Andreæ ad fidem converſam, *ibid.* XVII. Pendere ſupremum Scotiæ imperium ab ſede Apoſt. nec illud invadere licuiſſe, *ibid.* XVIII. Productum inter Scotos & Anglos bellum, 1302. XVII.
Scotia Anglorum jugum creato Roberto Bruſio Rege, excutit, 1306. XV. Attrita gemino ab Anglis prælio, *ibid.*
Sebath ſive Sembat fratri Aytono ſceptrum Armeniæ eripit, 1294. XXVII. Illi oculos adurit, *ibid.* Thoros fratrem necat, *ibid.* A Saracenis gravi obtritus bello, *ibid.* Ad Pontificem ad poſcenda auxilia oratores mittit, 1298. XVI. Ea ipſi pollicetur Bonifacius VIII. *ibid.* Francorum & Anglorum Reges ad ferendam illi opem ſolicitati, *ibid.* XIX.
Sedes Apoſtolica. *Vide*, Apoſtolica ſedes.
Sepultura; de ſepeliendis corporibus Bonifacii VIII. conſtitutio, 1299. XXXVI. Defunctorum corpora decoqui vel concidi vetita, *ibid.*
Seraph Sultanus Babylonis ſuccedit Meſſori, 1290. XI. Ptolemaidem parat excindere, *ibid.* Eam expugnat, ac delet e Syria Chriſtianorum reliquias, 1291. VI. *& ſeqq.* Armeniam vexat, 1292. I. Cyprum molitur invadere, *ibid.* IV. A ſuis necatur, *ibid.* Divinæ in ipſum & ſuos ob fidem oppreſſam ultionis exemplum, *ibid.* V.
Servii Romanæ eccleſiæ obſequio addicti, 1291. XLI. XLII. Inſtituti in Servia cenſores fidei adverſus hæreticos, *ibid.* XLIII. Ob ſchiſma a pietatis cultu & morum puritate degeneres, 1303. LVIII. Antibarenſis archiepiſc. ad eos cenſuris ſolvendos auctoritate inſtructus, *ibid.* Ad conjunctionem Eccleſiæ redintegrandam ſolicitati, *ibid.* LIX.
Servitæ; eorum ordo confirmatus a Benedicto XI. 1304. XXII.
Sextus decretalium liber editus a Bonifacio VIII. 1297. XXXI.
Sicilia & Siculi; Jacobus Aragonius percuſſus anathemate pronunciatur nihil juris in Sicilia obtinere, 1286. VI. Prohibetur illius adminiſtrationem capeſſere, *ibid.* Jubetur cum copiis ab inſula diſcedere, *ibid.* Imperatum Siculis, ut eos pellant, *ibid.* VII. Jacobus contemptis pontificiis imperiis, in Sicilia regia inſignia invadit, *ibid.* VIII. Mulctata inſula eccleſiaſtico interdicto, *ibid.* Siciliam recuperare tentat Robertus Atrebatenſis, 1287. VII. Ejus claſſis profligata, *ibid.* Carolus II. Siculum regnum capeſſit, 1288. I. Quibus legibus illud de manu Nicolai IV. acceperit, 1289. II. *& ſeq.* Admoniti Siculi, ut ad eccleſiæ *obſequium redeant*, 1288. X. Intentatum Siculis a Nicolao IV. judicium ob impenſa Jacobo obſequia, 1290. XXIII. Ipſorum pervicacia ab eodem Pont. expoſita, 1291. LVIII. LIX. Illam Carolus II. acceptam Bonifacio VIII. refert, 1295. XVI. Illius adminiſtratio abſente Carolo legato Cardinali commiſſa, *ibid.* XIX. Dein collata in Reginam Mariam, *ibid.* Siciliæ inſula, cedente ea Jacobo ad Caroli Regis gratiam, a Friderico occupatur, 1295. XXI. Pontificia ſtudia pro Siciliæ inſula ad obſequium Caroli II. allicienda, 1295. XXXIV. XXXV. Siculi inſulani a Bonifacio VIII. blandis literis ad obſequium Caroli provocati, 1296. VII. Nuntios apoſtolicos repellunt, *ibid.* XI. Friderico Aragonio *tyrannidem deferunt*, *ibid* XIV. Geſtum in eos bellum, 1299. I. *& ſeqq.* Comparata a Bonifacio VIII. adverſus ipſos undique auxilia, &c. *ibid.* XX. XXI. Ut Siculorum rebellio Syriæ exitium attulerit, *ibid.* XX. Nova expeditio in Siculos ulteriores, 1302. I. II. Pax conciliatur, *ibid. & ſeqq.* De abſolvendis a cenſuris Siculis pontificiæ literæ, *ibid.* X.
Sicilia ſedis Apoſtolicæ vectigalis; Robertus parentis Caroli II. nomine eam Clementi V. acceptam refert, 1306. VI. *& ſeq.* Pontificem non obſtrictum ad Regem Siculum regno afferendum armis, vel ad ullos ſumptus conferendos, ab eodem Clemente decernitur, 1307. XXIII. Robertus Siciliæ regni jura beneficientia apoſtolica ſe accepiſſe profitetur, 1309. XIX. *& ſeq.*
Siciliæ Rex; quo ritu clientelaris ſponſio a Rege Siciliæ exhiberetur Rom. Pontifici, 1309. XXI. Formula ſacramenti præſtiti, *ibid.* Ut Rex provolveret ſe in genua, *ibid.* Manus ſuas inter pontificias teneret, *ibid.* Deoſcularetur pedem, ac deinde ad oſculum oris admitteretur, *ibid.*
Siculi; promiſſa a Carolo II. Siculis venia, ſi ad officium redeant, 1289. §. Tentavit. Illius ea de re literæ, *ibid.* Solutæ ad eorumdem gratiam a Nicolao IV. cenſuræ, ſi ad Caroli obſequium ſe conferrent, *ibid.* §.

Admiſit. Promiſſum illis, Gallos ipſis non præfectum iri, *ibid.* §. Adhibitæ. Obſtrictus ex pacis legibus Aragonius ad eos in Caroli II. obſequium armis redigendos, 1294. XV. §. Etſi forte. Viſum S. Cœleſtino V. prius Siculos ad Caroli II. imperia cogendos, quam bellum ſacrum in Syriam adornaretur, *ibid.* §. Nos itaque. Decumæ ſacræ ab eodem Pontifice in Siciliæ expeditionem verſæ, *ibid.* §. Promovendæ.

Siffridus Colonienſis archiep. in acie captus a duce Brabantiæ, 1189. XLIII. Pontifex pro eo liberando intercedit, *ibid.* Trevirenſi archiep. victores ad id cenſuris cogendi partes demandat, *ibid.* 1290. XXXVIII.

Siffridus epiſc. Curienſis orator Henrici VII. pro efflagitando imperiali diademate, 1309. X.

Simon Auria Genuenſium orator Madachiam Saracenum concitat in Rhodios equites, 1311. LXXIV.

Simonia removenda ab eccleſia, 1311. LXIV.

Sixtus V. nobile mauſoleum Nicolao IV. extruit, 1291. XVII.

Sodomia; cenſores a Clemente V. creati, qui in ejus ſceleris reos animadverterent, 1310. XXXIX.

Spiritus ſanctus; muliercula Montaniſtarum hæreſim renovat, ac Spiritum ſanctum muliebrem formam ad ſalutem fœminarum induiſſe mentitur, 1301. XXV.

Spiritus ſanctus; indicit Pontifex Raſcis, ut proceſſio Spiritus ſancti ex Patre Filioque in ſymbolo *decantetur inter ſacra*, 1308. XXVII. Blaſphemum figmentum de Spiritu ſancto dando plenius, quam lege evangelica, 1311. LXXI. Begardi plenitudine Spiritus ſancti ſe potiri jactabant, 1312. XVII.

Stationes Urbis exornatæ ſacris indulgentiis a Bonifacio VIII. 1297. LXX.

S. Stephanus Ungariæ Rex ſupremum Ungariæ imperium Romanæ eccleſiæ addixit, 1301. VIII.

Stephanus Serviæ Rex in clientelam Apoſtolicæ ſedis acceptus, 1291. XLI. In Boſnia cenſores fidei auctoritate Rom. eccleſiæ inſtitui poſtulat, *ibid.* XLIII. Piis ejus votis aſſentitur Pontifex, *ibid.*

Stephanus archidiaconus Brugenſis creatus Cardinalis a Clemente V. tit. S. Cyriaci preſbyter Cardinalis, 1305. XIV. Miſſus pro componenda Lugdunenſi controverſia, 1310. XXXIV.

Stephanus Columna Henr. VII. in urbem & palatium Lateranenſe inducit, 1312. XXXIII. Illi ſe ſuaque contra quoſcunque devovet, *ibid.* XXXIV.

Stercoraria ſedes in qua creati Pontifices ad frangendos elatos Spiritus conſiderent, unde dicta, 1295. V.

Stigmata; confirmatæ a Nicolao IV. de S. Franciſci ſtigmatibus apoſtolicæ literæ, 1291. XLIV.

Suecia; privilegia ab Regibus eccleſiæ illi conceſſa diſſiparunt Luterani, 1290. XLVI.

Sugerius epiſcopus Gadicenſis a Sanctio ob liberatos nepotes Ferrandi principis filios in exilium pulſus, 1286. XXI. Illius inopiam Honorius IV. levat, *ibid.*

Superbia; Hugolini Piſanorum prætoris infelix exitus, 1288. XXI.

Supplicationes ſolemnes peractæ a Romanis incendii Lateranenſis occaſione, 1308. XI.

Sydon in Syria a Saracenis occupata, 1291. XIV.

T

Tabernarii. *Vide*, Popinarii.

Tamor ſive Temur Can Tartarorum Imperator Cobilæ avo ſuccedit, 1307. XXIX. Commendati illi Cambalienſis archiepiſcopus & ſuffraganei epiſcopi, *ibid.* XXX. Ob ſtudia in Chriſtianos collaudatus, *ibid.*

Tariffa a Ferdinando Rege Granatenſibus erecta, 1309. XVII.

Tartari orientales Pontificem & Reges occidentis inſtigant ad jungenda arma in Saracenos, 1288. XXXVI.

Tartari Scythæ Poloniam excurſionibus fœdant, 1287. XII. A ſanctimonialium monaſteriis divinitus territi abſtinent, *ibid.* In Ruſſia aquas inficiunt, *ibid.* XIII. Religio Chriſtiana apud Tartaros orientales propagata, 1288. XXXIV. Elegages & Tuctanes Tartarorum Reginæ fide excultæ, *ibid.* & *ſeq.* Oratores Tartarorum ad ſedem Apoſtolicam accedunt, *ibid.* XXXV. Argon Tartarorum Rex. *Vide*, Argon. Cobila Cam. Caſſanus. Religio inter Tartaros diffunditur, 1289. LX. Petiti a Rom. eccleſia ſacerdotes, ut Tartaros Chriſtianis ſacris imbuant, *ibid.* LXII. Jolus Piſanus religionem Chriſtianam apud Tartaros tuetur, 1289. LXIV. Eos Nicolaus IV. ad ferendam Chriſtianis Syris adverſus Saracenos opem, atque Chriſtiana ſacra ſuſcipienda ſolicitat, 1291. XXXII. & *ſeq.* Reginæ Tartarorum Chriſtianis ſacris imbutæ, *ibid.* XXXVI. Minoritæ ad Tartaros convertendos miſſi, *ibid.* XXXVII. Syriæ partem amplam occupant, junctis ſibi Chriſtianis, 1299. XLIV. Miſſi ad eos concionatores, *ibid.* XXXIX.

Tartari; apud eos fidem propagat Joannes e Monte Corvino, 1305. XIX. XX. Chamillorum Imperatoris potentia, *ibid.* XX. Scripta ab Aytono Tartarorum hiſtoria, *ibid.* XXI. Cambalienſis archiepiſcopatus conditur a Clemente V. 1307. XXIX. Miſſi ad eos plures epiſcopi, *ibid.* 1311. LXXIII. Olgetucam Rex Tartarorum acceſſuris in Palæſtinam Chriſtianis centum millia equitum adverſus Saracenos ſe conjuncturum ſpondet, 1308. XXXI. Solicitatur a Clemente, ut Chriſti cultui ſe abdicat, *ibid.* Decies centena millia equorum ducunt Tartari in Saracenos, 1309. IX.

Tartari; de eorum ſuperſtitione & moribus, 1307. XXIX. §. Quod attinet. Aliqui agnoſcunt Deum, *ibid.* Vitiis fræna laxant, *ibid.* Alii idola colunt, *ibid.* & *ſeq.* Quam fatue ſentiant de animarum ſtatu, *ibid.* XXX. §. Sunt & in aliis. Stulti eorum ritus in ſuorum funeribus, *ibid.* §. His inſanis. Cur apud Tartaros evangelium radices altas non fixerit, *ibid.* §. Hic erat.

Templa; eccleſiarum deprædator divina ultione perit, 1305. XVII. Henricus ſpoliatæ eccleſiæ Tridentinæ, regno Boemico ſpoliatus, pœnas dedit, 1306. XVII.

Templariorum magiſtro cæſo, Ptolemenſes diſcuſſi ſtudiis fugam circumſpiciunt, 1291. VII. Nicolaus IV. jubet præſules diſcutere in conciliis provincialibus, an Templarii Hoſpitalariique in unum ordinem redigendi ſint, 1291. XXX. Orta inter Cypri Regem ac Templarios diſcordia, 1298. XXI. Sedata a Bonifacio VIII. 1299. XXXVII. XXXVIII.

Templarii cum Siciliæ Rege inita armorum ſocietate, Græciam infeſtant, 1306. V. Schiſmaticorum & catholicorum loca nullo diſcrimine diripiunt, *ibid.* Onuſti opibus in Gallias ſe recipiunt, *ibid.* Inde mali labes orta, *ibid.* Templariorum magiſter excitatus a Clemente pro agitandis de recuperanda Syria conciliis, *ibid.* XI. Accuſantur a duobus reis propter flagitia perpetuo carcere damnatis, 1307. XII. Calumniis circumventi a nonnullis creduntur, *ibid.* Argumenta nonnulla pro iis afferuntur, *ibid.* Traditi vinculis cruciantur ſuppliciis, & partim objecta fatentur, partim negant, *ibid.* Toto orbe Clementis imperio comprehenſi, 1308. II. In provincialibus ſynodis cognoſci juſſa eorum cauſa, *ibid.* Præcipua ſcelera ipſis objecta, *ibid.* Divina in iis detegendis providentia, *ibid.* III. Eorum prædia & opes præſulum adminiſtrationi cuſtodiæque commendata, *ibid.* Ut ante plurium ſcelerum laborarint infamia, *ibid.* Judiciaria in eos acta a Francorum Rege confecta, *ibid.* Inſignis eques Templarius coram Pontifice nullo objecto metu fatetur, ejurari ſolitam Chriſti fidem a tyronibus Templariorum ordini aggregandis, *ibid.* V. Magiſter ordinis & plures præceptores horrenda faſſi crimina, *ibid.* Septuaginta duo Templarii a Pontifice in examen vocati eadem fatentur, *ibid.* VI. Princeps ordinis cum aliis quinque præcipuis eadem, quæ in tormentis erant faſſi, coram tribus Cardinalibus a Pontifice huic muneri præfectis, nullo metu intentato, fatentur, *ibid.* VII. Indictum ad ferendam in univerſum ordinem ſententiam concilium, *ibid.* VIII. Præcipui Templarii revocant confeſſa & comburuntur, *ibid.* Bonorum ad Templarios ſpectantium cuſtodia præſulibus a Clemente demandata, 1309. III. Templarii in Aragonia ad deditionem compulſi, *ibid.* Quinquaginta quatuor Templarii, quæ confeſſi erant pernegantes, Pariſiis incendio traditi, 1310. XL. Alii etiam Silvanecti exuſti, *ibid.* Provincialia concilia in Templarios coacta, *ibid.* Nondum bene diſcuſſa Templariorum cauſa, concilium Viennenſe in alterum annum extractum, *ibid.* XLI. Juſſi tormentis cruciari in Hiſpania, ut veritas objectorum criminum exprimatur, 1311. LIII. Oſtenſa cœlo nonnulla prodigia, cum detecta eorum fuere ſcelera, *ibid.* Duo millia teſtium depoſuere contra Templarios, *ibid.* LV. Quid de iis abolendis conſultus præſul ſenſerit, *ibid.* Damnati Templarii non ex juris norma, ſed proviſione apoſtolica, 1312. I. II. III. Sententia ea de re promulgata in concilio, *ibid.* Quandiu viguerit is ordo, *ibid.* Objecta iis apoſtaſia a fide, *ibid.* II. Eorum bona in Hoſpitalarios collata, *ibid.* VI. Quid de perſonis Templariorum ſuperſtitum decretum, *ibid.* IX.

Terra ſancta; extremum Syriæ excidium, 1289. VI. & *ſeqq.* Prodigia illius prænuntia, *ibid.* XVIII. Fideles a Nicolao IV. ad ferendum illi ſubſidium incitati, 1290. II. & *ſeq.* Irriti Chriſtianorum conatus, *ibid.* VIII. Tartari Romanos Pontifices Regeſque occidentis pro ea liberanda ſolicitant, 1288. XXXVI. Amiſſa præclara rei gerendæ occaſio, *ibid.* XL. Tripolis excidium, 1289. LXV. Chriſtianorum res in Syria everſæ, 1291. VI. & *ſeq.* Prodigia apud Græcos dum Syria vaſtatur, *ibid.* XVIII. Divina in Saracenos vindicta ob deletum in Syria Chriſtianum nomen, 1292. V. Rerum Syriacarum converſiones, 1300. XXXIV. Dat imperia Caſſanus Tartarorum Rex ut Chriſtianis reſtituatur Palæſtina, *ibid.* Matronæ Genuenſes claſſem in Saracenos inſtruunt, 1301. XXXIII. XXXIV. Caſſanus expeditionem ad Terram ſanctam Chriſtiano cultui reſtituendam ſuſcipit, 1303. LXI. Ut irrito exitu diſſoluta ſit, *ibid.* LXIII. De ſtudiis ab apoſtolica ſede reparandis illius rebus impenſis. *Vide*, Alexand. IV. & alii Pontifices.

Terra ſancta; pro ea facilius recuperanda Clemens V. Conſtantinopolitanum imperium expugnare meditatur, 1306. III. Templariorum & Hoſpitalariorum magiſtros pro inſtruenda expeditione ad ſe vocat, *ibid.* XI. Pictavii ea de cauſa Regum principumque conventus celebrat, 1307. I. II. Carbanda Rex Tartarorum, miſſis oratoribus, Socia arma pro recuperanda terra ſancta pollicetur, *ibid.* III. Aut, ſi venerint, a ſe partam armis reſtitutum iri, *ibid.* IV. Carolus II. Rex Siciliæ in eam expeditionem ſe obſtringit, *ibid.* IV. Olgetucam Rex Tartarorum pro recuperanda terra ſancta ad Clementem V. oratorem mittit, 1308. XXX. & *ſeq.* Centum millia equitum Chriſtianis conjuncturum, commeatuſque ingentes ſuppeditaturum ſe adverſus Saracenos, *ibid.* XXXI. Terræ ſanctæ infelix ſub Saracenis ſervitus, *ibidem*, XXXII. XXXIII. Hoſpitalarii miſſi cum exercitu cruceſignato ad muniendum iter ſecuturæ quinto poſt anno ſolemni occidentalium expeditioni, *ibidem*, XXII. & *ſeq.* Merces & arma Saracenis inferri vetita, *ibidem*, XXXVI. Jeroſolymitani regni jura armis comparanda a Roberto Fridericus Rex Trinacriæ depoſcit, 1309. XXIII. Quibus legibus id permittere voluerit Robertus, *ibid.* Lugubris excidii Terræ ſanctæ deſcriptio, 1309. Solicitati ad amiſſa recuperanda fideles, *ibid.* Hoſpitalarii pro muniendo expeditioni Syriacæ itinere transfretant in orientem, *ibid.* XXXV. Sexennales decumæ indictæ in concilio Viennenſi pro expeditionis Syriacæ ſumptu ſuſtentando, 1312. XXII. Qui Reges ad eam ducendam ſe obſtrinxerint, *ib.*

Terremotus Italiam quatit, 1298. XXIII.

Thalmud refertum blaſphemiis, 1286. XXV. XXVI. Judæi illi perlegendo dediti coerceri juſſi, *ibid.*

Theodoricus Cardinalis creatus civitatis Papalis epiſcopus, 1299. VII.

S. Thomas Epiſcopus Hereſordenſis in tuendis eccleſiæ ſuæ juribus zelo eximius, 1287. XVI. Creatus epiſcopus majora virtutum exempla edit, *ibid.* A Martino IV. honorifice exceptus, apud Montemfiaſconem pie moritur, *ib.* Ad Gilberti perſecutoris præſentiam ſanguis ex illius oſſibus ſtillat, *ibid.* XVII. Viſo prodigio, Gilbertum ſceleris pœnitet, *ibid.* Ingentia patrat miracula, *ibid.*

Thomas epiſc. Wratiſlavienſis ab Henrico duce divexatus, 1287. XIV. Obſeſſus in Rathiborienſi urbe ad hoſtem ſe confert, ac divinitus territum victorem accidentem ad genua conciliat Eccleſiæ, *ibid.* In memoriam miraculi eccleſiam condit, *ibid.* XV.

Thomas Anglicus ordinis Prædicatorum theologus creatus Cardinalis tit. S. Sabinæ a Clemente V. 1305. XIII. Succeſſus Arnaldo Cardinali pro ſociando ad pacandam Italiam Henrico VII. 1310. XVI. In itinere obit, *ibid.* Subrogatus ipſi in eo munere Lucas e Fliſco, *ibid.*

Thoroſus ſive Thoros Regis Armeniæ frater ſolicitatus a Nicolao IV. ad conſtantiam in colenda fide catholica, 1289. LVIII. A fratre Sembat tyranno præfocatus, 1298. XVIII.

Tranſlatio reliquiarum S. Virgilii, 1288. XXIII. S. Ludovici Francorum Regis, 1297. LXVII.

Tranſlatio; Reliquiæ S. Bertrandi magna pompa in locum honorificentiorem tranſlatæ a Clemente V. 1309. I. II.

Trinacria; Regis Trinacriæ nomen Friderico Siculo conceſſum, 1303. XXVII. Reprehenditur Fridericus, numeraſſe regni annos non ab regio titulo pontificia liberalitate comparato, ſed arrepta tyrannide, 1303. XLIX.

Trinacria poſt Friderici mortem Carolo & ſuc-

ſucceſſoribus reſtituenda, *ibid.* LIII. *Vide*, Sicilia.
Tripolis in diſcrimen adducta, 1287. VIII. A Sultano Melecmeſſor expugnata, 1289. LXV. Flammis deleta, *ibid.* Agnito illius excidio Nicolaus IV. ſacram expeditionem indicit, 1290. II. *& ſeq.*
Tripolitanus epiſc. ob fraudatas decimas repetundarum reus, 1290. VIII.
Trugillus in Suecia eccleſiarum prædator, 1305. XVII. Divina ira oppreſſus, *ibid.*
Tuctanes Regina Tartarorum Chriſtiana, 1288. XXXIV. Hortatoriæ ad eam Nicolai IV. literæ, ut fidei propagandæ faveat, *ibid.*
Tenetanum regnum Roberti Regis veſtigale, 1309. XXIII.
Turci; Turcici imperii initia, 1300. XXXVI. Veteris Turquiæ ſitus & confinia, *ibid.* Ut Turcarum principes Græcorum provincias Aſiaticas inter ſe partiti fuerint, *ibid.* XXXVII. Philadelphiæ obſidionem ſolvere coacti profligatique, 1303. LX. Ne Conſtantinopolim aliquando expugnarent, inſtigat Carolum Valeſium Pontifex ad eam ſibi ſubiiciendam, 1304. XXIX.
Turcæ infeſtant Andronicum Imp. 1307. VI. Prædicit Clemens V. maximum ipſos vulnus illaturos, parta Conſtantinopoli, *ibid.* Ad Conſtantinopolim occupandam fideles proinde animat, *ibid.*
Turgillus Canuti datus a Magno Rege Sueciæ tutor filio Birgero, 1290. XLV. Carelios ad fidem armis compellit, *ibid.* XLVII.
Tyrus ad deditionem terrore compulſa, 1291. XIV.

V

VAlentini mota ſeditione Clementem V. in periculum adducunt, 1312. XXX. Vocati in jus veniam poſcunt, *ibid.*
Valentiæ regni inveſtitura a Bonifacio Regi Jacobo tradita, 1295. XXIII.
Vanitas rerum humanarum; inconſtantiæ humanarum rerum exemplum, 1288. VII. *Vide*, Felicitas humana. Mundi contemptus. Honorum fuga.
Ubertus deſignatus epiſc. Bononienſis a Bonifacio VIII. ad Fridericum Regem Trinacriæ miſſus, 1302. VII.
Veneti ab Honorio IV. ad ſacrorum uſum reſtituti, 1286. XVI. Quæ leges ob id ipſis præſcriptæ, *ibid.* Monentur, ut erepta Patriarchæ Aquilejenſi reſtituant, 1288. XX. XXI. Ad ſumptus omnes cenſoribus fidei ſuppeditandos ſe obſtringunt, ea pactione, ut hæreticorum multæ fiſco abdicantur, 1289. LIV. Editæ de ea re publicæ tabulæ, *ibid.* LV.
Veneti ſolicitati ad Syriæ everſas res inſtaurandas, pacemque cum Genuenſibus ſanciendam, 1291. XXIX. Apud Ajacium in Armenia victi maritimo prælio a Genuenſibus, 1293. V. Indictæ illos inter ac Genuenſes a Pontifice induciæ, 1295. XXXVIII. 1296. V. Pacem cum illis ineunt, 1299. XXVIII. Conciliati cum Patavinis a Benedicto XI. 1304. VI.
Veneti ad jungenda arma ſocia cum Carolo duce Valeſiorum pro recuperando a Græcis imperio Conſtantinopolitano ſolicitati, 1306. III. Clementis V. hortatoriæ ad eos ea de re literæ, *ibid.* Societatem armorum coeunt cum eodem Carolo Valeſio, *ibid.* Cruceata expeditio apud Venetos promulgari juſſa a Clemente, *ibid.*
Veneti affectant Ferrariæ principatum eccleſiæ adimere, 1308. XV. Deterriti cœptis ab internuntiis pontificiis, ipſos male excipiunt, *ibid.* Joannem Superantium mittunt cum exercitu, *ibid.* Graves in eos Clementis Papæ querelæ, *ibid.* XVI.
Veneti pellunt Ferraria ſedis Apoſtolicæ internuntios ac prætores, *ibid.* Clementis ad eos hortatoriæ datæ literæ, quibus ipſos ad officium revocare nititur, *ibid.* Ferrariam eripiunt eccleſiæ, 1309. VI. Ob id defixi anathemate a Clemente, *ibid.* Pluribus aliis pœnis affecti, *ibid.* Pontificia edicta temnunt, *ibid.* VIII.
Veneti ingenti prælio a cruceſignato exercitu fuſi, *ibid.* Conflata in eos a Boamundo Theupolo periculoſiſſima conjuratio, 1310. XXX. Feliciter diſcuſſa, *ibid.* XXXI. Decernunt oratores ad Clementem pro efflagitanda ceuſurarum diſſolutione, *ibid.* XXXII.
Veneti agnoſcunt Henricum Cæſarem, ut ſocium, non ut principem, 1311. XI. Ingentia illi ad coronationis pompam ornandam dant munera, *ibid.* De jadera cum Rege Ungaro certant, 1311. LXXIII.
Venuſinus ſeu Veneſinus comitatus ad pontificiam ditionem ſpectat, 1291. LXI.
Ugolinus Guelphæ factionis princeps apud Piſanos dum ſe felicem venditat in extremam miſeriam lapſus, 1288. XXI.
Vicariatus imperii. *Vide*, Imperium.
Victenes dux Lithuanorum in Pruſſiam facta excurſione, Euchariſtiam ſacrilege tractat, 1311. LXXII. Extrema internecione deletur, *ibid.*
Vindicta; ejus cupido religioni non parcit, ut iras ſatiet, 1311. LXXIV.
B. Virgilii reliquiæ a Rodulpho archiepiſcopo Salisburgenſi tranſlatæ, 1288. XXIII.
Virginitas. *Vide*, Caſtitas.
Virtutes inſana Begardorum ſententia circa virtutum opera, 1312. XVIII. §. Sextus error. Opiniones duæ, quando infundantur virtutes baptizatis, *ibid.* XX. Laudata ea quæ parvulis una cum baptiſmo infundi docet, *ibid.*
Viſa; horrendum ſpectrum in regiis nuptiis conſpectum, 1286. XXIV. B. Ambroſii Sanſedonii anima in cœlum ferri viſa a puero, 1286. XL. Alexander epiſc. Tergeſtinus, cœleſti Virginis objecto viſo, ad valetudinem revocatus, 1291. LXX. B. Chunegundes de cauſis cur mors Andreæ ducis ſaluti æternæ conduxiſſet cœleſti viſo certior facta, 1292. XXII. Paulus eremita cœleſti Virginis viſo de mutatis Nazaretanæ domus ſedibus certior fit, 1296. XXXV. S. Ludovicus epiſcopus Toloſanus, dum celebrantur ejus exequiæ, ſe videndum præbet, 1297. LXVIII. Clericus de anni jubilæi ampliſſima dignitate ad veniam peccatorum promerendam divino viſo edoctus, 1300. VII.
Viſa; recreatur cœleſtibus viſis S. Nicolaus Tolentinas morti proximus, 1306. XIX. Oſtenſa cœlo prodigia, cum detecti Templarii, 1311. LIII.
Viſio beatifica; Begardorum error circa viſionem beatificam, 1312. XVIII. §. Quartus. Refellitur, *ibid.* Lumen gloriæ neceſſarium, *ibid.* §. Quintus.
Vitalis Michaelis Ferrariæ ereptæ a Venetis eccleſiæ prætor anathemate inuſtus, 1309. VI.
Vitalis e Furno Minorita creatus presbyter Cardinalis tit. S. Martini in montibus, 1312. LIV.
Ulricus Sayfuſtordf Minorita creatus epiſcopus ad fidem apud Tartaros amplificandam, 1307. XXIX.
Ulyſipponenſis academia Coimbricam traducta, 1308. XVII.
Uncia auri; ejus valor, 1304. XVIII.
Ungaria in diſcrimen fide adducta, ſacrum bellum in Ladiſlaum geri juſſum a Nicolao IV. 1288. XXIV. *& ſeq.* Extincto Ladiſlao Rege, gravis inter Ungaros de regni ſucceſſione contentio exorta, 1290. XLI. *& ſeqq.* 1291. XLV. Ad civile bellum extinguendum legatum illuc mittit Nicolaus IV. 1291. XLV. Eam Romanorum Rex veluti Imperii beneficiariam filio addicit, *ibid.* XLVII.
Ungaria ſedis Apoſt. beneficiaria, 1291. XLVII. Eadem de cauſa plures literas exaravit Pontifex, *ibid.* XLVIII. XLIX. Miſſus ad componendas illius turbas a Bonifacio VIII. legatus, 1301. VII. Ut ſupremum illius imperium a S. Stephano in eccleſiam collatum ſit, *ibid.* VIII. Wenceſlaus & Carolus, de regno Ungarico contendentes, in judicium vocati a Bonifacio ad ſententiam excipiendam, 1302. XIX.
Ungaria ſuorum Regum contentionibus laniata, 1303. XIV. Sententia de regno Ungarico in Caroli gratiam contra Wenceſlaum lata, *ibid.* XVI. Veteres Ungariæ Reges virtutibus conſpicui, ſecus ultimi, *ibid.* XVII. *Vide*, Ladiſlaus.
Ungaria; potiora in eam ſunt hereditaria, quam electionis jura, 1307. XV. *& ſeq.*
Ungariæ Reges confirmandi jus aſſertum Rom. Pontifici, 1308. XXV.
Vocoſari iidem qui Bizochi & Fraticelli hæretici, 1294. XXVI.
Voluntas; improba cujuſdam Begardi ſententia, infernum nil aliud eſſe, quam non facere ſuam voluntatem; & paradiſum, facere eam in rebus omnibus, 1312. XVII. §. Quod vero.
Votum; Beatrix Drocenſis comitiſſa voti non perfecti religione ſoluta, 1307. XXV.
Urbevetanum templum; illius fundamina a Nicolao IV. jacta, 1291. LXIV.
Uroſius Sclavorum Rex ad fidem catholicam amplectendam ſolicitatus, 1288. XXIX. Illius mater Elena Regina catholica, *ibidem*, XXXI.
Uroſius alias Oroſius Raſciæ Rex mittit oratores ad Clementem V. 1308. XXVI. Poſtulat gremio eccleſiæ Romanæ reſtitui, *ibid.* Propoſita illi orthodoxæ fidei norma, *ibid.* Miſſi ad illum oratores pro fide conſtabilienda, *ibid.* XXVII. Pia conſilia non perducit, *ibid.* XXVIII. Petitum ab ipſo vexillum Rom. eccleſiæ ad eum tranſmiſſum, *ibid.* XXIX.
Urſini magna clade a Columnenſibus affecti, 1310. XXI. Roberto Regi adhærent contra Henricum VII. & huic aditus ad baſilicam S. Petri obſtruunt, 1312. XXXIII. Magna cæde Cæſareos repellunt, *ibid.* XXXIV.
Waldemarus dux una cum Erico conjuratione inita, Birgerum Regem Sueciæ intercipit, & carceri Nicopenſi addicit, 1306. XV.
Walramus Henrici Cæſaris frater, 1310. I.
Wenceſlaus Boemiæ Rex regia accepturus inſignia obtinet a Bonifacio VIII. ut ſibi aurum ſubſidiarium a clero colligere liceat, 1297. LI. Cenſuris religionis ergo ſolvi juſſus, *ibid.* LII. Ob infirmam valetudinem carnium eſus quadrageſimæ tempore illi permiſſus, *ibid.* Ornamentis regiis redimitur, *ibid.* Filium Wenceſlaum ſuſcipit, *ibid.* Illum Ungarica corona inſigniri ab archiepiſc. Colocenſi curat, 1301. VII. Ab Ungarico ſceptro a Bonifacio abſtinere jubetur, *ib.* X. Intentatum illi judicium, 1302. XIX. *& ſeq.* Corripitur ob Regis Poloniæ nomen ſuſceptum, *ibid.* XXII.
Wenceſlaus Boemiæ & Poloniæ Rex pie moritur, 1305. XV. Epiſcopo poſt mortem videndum ſe obiicit, *ibid.* Ad ejus ſepulcrum edita miracula, *ibidem*. Egregia ejuſdem ſententia, *ibid.* Succedit in ejus regnis Wenceſlaus filius, *ibid.*
Wenceſlaus junior ab archiepiſcopo Colocenſi Ungarica corona perperam redimitus, 1301. VII. Juſſus illius pater præſumpta abiicere, *ibid.* X. Cauſam apud ſubſellia apoſtolica diſceptare, 1302. XIX. *& ſeq.* Vocatur in judicium ad dicendam de ſceptro Ungaricæ affectato cauſam, 1303. XVIII. Negat ſubire judicium, *ibid.* XIX. Pronuntiatur nullo jure ad regnum Ungariæ niti, *ibid.* XX. Deſeritur ab Ungaris, *ib.* XXIII. A patre in Boemiam reducitur, *ibid.* Juribus Ungariæ cedit, *ibid.*
Wenceſlaus junior patri in regnis Boemiæ & Poloniæ ſuccedit, 1305. XV. Ob contemptæ morituri patris monita, miſere perit, *ibid.* Nondum accepto regio inſigni cæſus, 1306. XVI. Orta inde in Boemia bella civilia, *ibid.* De Wenceſlai in Ungariam juribus lataque in eumdem a Bonifacio VIII. ſententia, 1307. XV.
Wernerus puer in Chriſti odium a Judæis martyrio affectus, 1287. XVIII. Cœleſti ſplendore detectum ſacrum illius corpus, *ibid.* Suavem odorem ſpirat, *ibid.*
Weſtmonaſterienſis. *Vide*, Matthæus Weſtmonaſterienſis.
Wladiſlaus Locticus Poloniæ regnum recuperat poſt Wenceſlai cædem, 1306. XVII.

Y

YAhulahas orientis epiſcopus; ad eum fidei forma tranſmiſſa a Nicolao IV. 1288. XXXIII.

Z

ZElus; indignum viro Chriſtiano Chriſti injurias non ulciſci, 1291. XXIV. S. Thomas Herefordenſis epiſc. in tuendis eccleſiæ ſuæ juribus zelo inſignis, 1287. XVI. S. Ludovicus epiſc. Toloſanus Italiam, Gallias, & Hiſpanias, ſpargendo ubique divinum verbum, peragrat, 1297. LXVIII. Carolus Rex Siciliæ Saracenos Luceriæ pellit, 1303. LXVI. *Vide*, in Alexandro IV. & cæteris Romanis Pontificibus.
Zopan Begiloy Rex Tartarus ad fidem Chriſtianam profitendam ſolicitatur, 1312. II.

INDEX
ANIMADVERSIONUM
In quo paginarum numerus indicatur.

A

ADolphus renunciatus Rex Romanorum, pag. 132.
Alberti Auſtriæ ducis electio in Regem Germaniæ, coronatio & conſecratio, 254.
Alexandri obitus Scotorum Regis, 74. Ejuſdem uxores ac liberi, *ibid.* Regni hæres Margharera neptis, 88.
Alphonſus Balearium Rex quibus conditionibus in gratiam receptus Eccleſiæ Romanæ, 82.
Alphonſus Tariffæ præfectus filium prius necari ſinit, quam arcem Mauris dedi, 194. Conſtantiæ ſingulare exemplum, *ibid.*
B. Ambroſius Sanſedonius Prædicatorum ordinis inſigne ornamentum, 17. Ejuſdem præclara geſta, *ibid.* Legatus Gregorii X. in varias Europæ partes, *ibid.* Ejus in componendis diſſidentibus nationibus ſumma dexteritas, *ibid.* *Ad eccleſiæ unitatem* Conradinum reduxit cenſuris onuſtum, *ibid.* Obitus & vitæ ſcriptores, *ibid.*
Annus MCCLXXXVII. provincialium Conciliorum celebratione memorabilis, 24. Multa his conſtituta de Sacramentorum collatione, *ibid.*
Andreas ſive Andreatius quando aſſumptus ad Hungaricum Regnum, 90. Ejus parentes, *ibid.*
Aquenſis conventus epocha firmata, 82.
Ab Armenis Romana fides publice aſſerta & confirmata in Synodo Siſcæ habita, 410. Ab eis rejecta qui ſuperiorem partem incolunt, *ibid.* Horum errores, *ibid.*

B

BEguardæ & Begninæ cur ita dictæ, 551. Earum inſtitutum, *ibid.* Num damnatæ in Concil. Viennenſi ſub Clemente V. *ibid.* Duplex earum genus, *ibid.*
Beneficia aquæ benedictæ quæ fuerint, 24. Quibus tribuenda, *ibid.*
Fra. Bernardus Delitioſus reus fortaſſe intentatæ necis in Benedict. XI. 388.
Bonifacii VIII. profeſſio fidei ſuſpicioſa, 167. Ejuſdem coronatio plurium Epiſcoporum interventu peracta, 173. Suadet inducias inter Galliæ Reges & Angliæ datis utrique literis, 255. & 252. Proponuntur in publico Principum conventu, 252. Qui & quot Cardinales ab ipſo creati, 259. An primus inſtituerit jubileum anni cujuſque centeſimi, 284. Duplex ejus captivitas, 356. Conjuratores, *ibid.* Auctor fortaſſe trium coronarum, *ibid.* Sacro jure, cæteriſque animi dotibus clarus, *ibid.* Obitus, *ibid.* Falſo eidem impacta crimina, *ibid.* *& ſeq.* Ejuſdem conſtitutio de annua confeſſione præſtanda Parochis quomodo intelligenda, 382. Ejus cauſa agitata in Concil. generali Viennenſ. ſub Clemente V. 549.

C

CArolus II. Caroli I. filius quo anno, loco, ac die Regni Siculi diademate ornatus a Pontifice, 45. Unde Regni epocam ducat, *ibid.*
Carolus Martellus quando eques renunciatus, 90. An Hungaricam coronam acceperit ab Apoſtolico legato incertum, *ibid.*
Cæleſtini Pap. abdicatio reluctantibus Cardinalibus, 155. *& ſeq.* An ipſi tribuendum vaticinium de Bonifacio, *ibid.* Cardinales creati, *ibid.* Obitus, 183.
Clemens V. quo anno Burdegalam perrexerit, 406. Ejuſdem literarum epocha accuratius ſtabilita, 407. Pictavos advenit, 414. Cum Regibus colloquitur, *ibid.*
Colloquium inter Jaccam & Calabiliotam quo anno ac die, 323. In eo pax inita inter Fridericum & Carolum, *ibid.*
Concilium Bonifacii Ravennatenſis Epiſcopi cum ſuffraganeis quo anno habitum, 1. Non Ravennatenſe, ſed Forumlivienſe potius dicendum, *ibid.* Oxonienſe provinciale a Petro epiſcopo coactum, 24. Multa in eo conſtituta ad Sacramentorum collationem pertinentia, *ibid.* Remenſe præſide Petro Barbet Archiep. *ibid.* Compoſita in eo diſſidia inter mendicantes monachos & Epiſcopos illius Provinciæ, *ibid.* Herbipolenſe in quo varii canones ſanciti pro eccleſiaſtica diſciplina, *ibid.* Mediolanenſe præſide Othone cum octo ſuffraganeis, *ibid.* Huic adjectæ Guifredi conſtitutiones Apoſtolici legati, *ibid.* Londinenſis conventus pro Judæorum ejectione, 119. Andegavenſe ab epiſcopis habitum Turonenſis provinciæ, *ibid.* Terraconenſe, in quo utiles canones editi ad eccleſiaſticam diſciplinam, præſide Roderico Archiepiſcopo, 126. Spalatinum, 134. In eo vetita Epiſcopis alienæ juriſdictionis uſurpatio, *ibid.* Genuenſe a Jacobo de Varagine archiep. habitum, 137. Londinenſe in quo actum an Regibus obtemperandum collectam poſcentibus ab Eccleſiaſticis, 209. Biterrenſe pro recuperandis a Philippo Francorum Rege uſurpatis Eccleſiæ Narbonenſi, 271. Silvanectenſe in cauſa Bernardi Apamienſis Epiſcopi, 315. Qui adfuerint, *ibid.* Rhemenſe provinciale adverſus laicos Judices jus eccleſiaſticum infringentes, *ibid.* Romanum ſub Bonifacio VIII. adverſus Philippum Galliarum Regem, 328. An adfuerint Gallicani præſules præter Burdegalenſem Philippo infeſtum, *ibid.* Pariſienſe in cauſa Joannis Pariſienſis Prædicatorum ordinis, 376. Armenum Siſcæ habitum, in quo Romana fides aſſerta & confirmata, 410. Ab aliis rejecta ſuos errores tuentibus, *ibidem*. Moguntinum ſub Veroeo Archiep. 499. Aſchaffenburgenſe, *ibid.* Fritiſlarienſe ſub Sigefrido, *ibid.* Moguntinum aliud ſub Gerhardo, *ibid.*

ibid. Trevirenſe occaſione Templariorum, *ibid.* Colonienſe præſide Henrico Archiep. *ibid.* Ravennatenſe Bononiæ indictum, *ibid.* Viennenſe generale a Clemente V. coactum & quibus de cauſis, 533. Patrum numerus incertus, *ibid.* Quid in eo actum diſcuſſumve atque rejectum, *ibid.*
Conſtitutio Bonifacii VIII. de colendis ſub ritu duplici feſtis Apoſtolorum & Evangeliſtarum quando lata, 194.

D

DAniæ interdictum Enrico Rege quando latum ſublatumque, 264.
Dietheri archiep. Trevirorum obitus quo anno, 431. Ejuſdem ſucceſſor, *ibid.*
Dulcinus Gerardi Segarelli diſcipulus, 214. & 240. Suam hæreſim clanculum ſpargit in Longobardia, *ibid.* Se jactat rectorem Novarienſem, *ibid.* Ejuſdem ſocii, *ibid.* Errores, 441. Inania vaticinia, 240. A fidei quæſitoribus captus capitalem ſententiam ſubiit, 400.
Durandi opus de divinis officiis quo anno confectum, 194. Quos feſtos dies duplices faciat, *ibid.*

E

ERici Regis obitus, 13. Auctor fortaſſe filius in ipſum conſpirans, *ibid.* Filii ſuperſtites, & ſepulturæ locus, *ibid.*

F

FActio alborum nigrorumque Piſtorii, 294. Cur ita appellata, *ibid.* Tuſciam fere totam corripit, *ibid.* Componi curat Bonifacius per Cardinalem Portuenſem Florentiam legatum, 308. Re infecta diſcedit interdicta urbe, *ibid.*
Ferrariæ ſeditio ac venditio Venetis, 463. Mox ipſis expulſis in poteſtatem redit Eccleſiæ Romanæ, *ibid.*
Fridericus ſit Siciliæ Rex abdicato Regno a Jacobo, 186.

G

GEnuenſium Venetorumque diſſidia componere ſtudet Bonifacius VIII. miſſis legatis, 187. *& ſeq.*
Genuenſes cur a Bonifacio interdicto mulctati, 288.
Gerardus Segarelli hæreſim ſuam in Longobardia longe lateque diffundit, 214. Combuſtus vitam claudit, *ibid.*
Guelphi & Ghibellini compoſiti, 187. Iterum in apertum bellum diſſiliunt, *ibid.* Incendere tentant Genuæ templum S. Laurentii, *ibid.*

H

HEnricus Luxemburgenſis imperator effectus, 447. Succeſſor Alberti, *ibid.* Ejuſdem electio ubi & quibus auctoribus promota ac peracta, 448.
Hærerici Segarelli ſectatores a Bonifacio perſtricti, 214. Non tamen prorſus extincta hæreſis *ibid.*

I

JAcobi coronationi in Siciliæ Regem qui & quot Epiſcopi interfuerint, 3. Regnum abdicat, 186. 200. Cum Blancha Caroli filia connubio jungitur, *ibid.*
Jacobus Aragoniæ Rex cum ingenti claſſe in Siciliam appellit, 261. Diſſipatur a Meſſanenſibus, *ibid.*
Induciæ inter Eduardum Angliæ Regem, & Philippum Regem Galliæ quando decretæ & conciliatæ, 235.
Joannis Pariſienſis de Euchariſtia ſententia, 376.
Joannes Grand quando effectus Rigenſis Epiſcopus, 365.
Joannes Henrici filius quo anno redimitus Boemica corona, 482. Connubii tractatio ipſum inter & filiam Roberti Regis abrumpitur, 584. An auctor reſciſſionis Henricus parens, *ibid.*
Jubilei centeſimi cujuſque olim origo, 284. An primus Bonifacius inſtituerit, *ibid.* Cur ad brevius tempus redactum, *ibid.* Tum temporis Romam quoque Tartaros peregrinatos fertur, 285.

L

LAtini Cardinalis Oſtienſis & Velitrenſis Epiſcopi obitus, 144. Pietate ac doctrina maximus, *ibid.* Conſtitutionum lator pro Eccleſiaſtica diſciplina legatus in Romandiola, *ibid.*
Legatio Petri Ruthenenſis Epiſcopi in transmarinas partes quo anno ſuſcepta, 480.

M

MAgni Sueciæ Regis obitus, 91.
Monachorum mendicantium diſſidia in Concilio provinciali Remenſi compoſita, 24. Unde orta, *ibid.*

N

NIcolaus IV. quo anno menſe ac die Pontifex renunciatus, 26. An tum temporis Cardinales creaverit, *ibid.*

P

PHilippi Galliarum Regis, totiuſque Regni reconciliatio cum Romana Eccleſia quo anno, 376. Ejuſdem victoria cum Belgis, *ibid.*
Ptolemaidæ expugnatio a Saracenis luculentius expoſita, 97.
Pugna navalis inter Venetos & Genuenſes, 137. Meſſanenſium cum Aragoniis incolume Friderico, 261. Inter Siculos & Philippum principem Tarentinum in qua captus fuit, 262.

R

REges ac Principes an eſpoſcere valeant collectam ex proventibus eccleſiaſticis, 209.
Rodulphi Romanorum Imperatoris interitus quo anno, 114. Joannis obitum longe præceſſit, *ibid.*

S

SIcilia interdicto afflicta, 186. Aufertur, *ibid.*
Siſca Armeniæ metropolis, 410.
Soldani Babyloniæ obitus quo anno, 77. Veneno infectus ab amiciſſimis occubuit, *ibid.*

T

TRipolis expugnatio a Soldano Babyloniæ quo anno contigerit, 71. Quamdiu tenuerit Balduinus Jeruſalem Rex; *ibidem.*

V

VAldemarus Erici filius in Patrem conſpirat, 13. Ipſius auctor fortaſſe truculentæ necis, *ibid.*
Victoria celebris Rogerii de Loria prope Surrentum, 20. Emeritus Iſchiam inſulam conſequitur, *ibid.*

FINIS.